Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Opervm omnivm reverendi viri Philippi Melanthonis, pars prima [-qvarta] ...

https://hdl.handle.net/1874/431146

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

F. fo.
84

17.

d.

1.

F. fo.
84

F fo 84.

OPERVM OMNIVM RE-
VERENDI VIRI PHILIPPI ME-
LANTHONIS,

PARS PRIMA,

IN QVA QVÆ SCRIPTA CONTINEANTVR
sequens pagina indicat.

Additus est ad finem copiosus Index rerum & explicationum præcipuarum.

Ex dono Buchholti

Cum Gratia & Priuilegio ad annos quindecim.

VVITTEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.
ANNO M. D. LXII.

ACADEMIA RHENO TRAIECTINA

INDEX LIBRORVM QVI CONTINENTVR IN HOC VOLVMINE.

Catecheſis *fol:* 1.

Auguſtanæ Confeſſionis editio prima, quæ exhibita eſt Carolo V. Imperatori Anno 1530. *fol:* 29.

Auguſtanæ Confeſſionis editio poſtrema, quæ repetita eſt Anno 1538. *ante colloquia VVormatienſe & Ratiſponenſe propter cauſas expoſitas in Præfatione fol:* 59.

Confeſſio Doctrinæ Saxonicarum Eccleſiarum, ſcripta Anno 1551. *vt exhiberetur Synodo Tridentinæ* *fol:*121.

Locorum Theologicorum poſtrema editio abſoluta Anno 1545. *fol:*148.

Examen Theologicum 306.

De Coniugio 337

De controuerſia Stancari 346

Definitiones appellationum in doctrina Eccleſiæ vſitatarum 350

Reſponſiones ad Articulos inquiſitionis Bauaricæ 362

Enarratio Symboli Niceni prior, edita anno 1550. *fol:*390.

SERENISSIMO ET ILLV-
STRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DO-
MINO MAXIMILIANO REGI BOHEMIÆ, ARCHIDVCI AV-
STRIÆ, ET DVCI BVRGVNDIÆ &c. DOMI-
NO SVO CLEMENTISSIMO

S. D. P.

CERTISSIMVM EST, NEQVE EX DEMOCRITI ATOmis temerè ac fortuitò confluxisse hoc tanta sapientia fabrefactum, distinctumq; tanta rerum varietate, ac tàm concinno ordine mundi Theatrum: Nec genus humanum, quod cæteris naturis præstat omnibus, aut casu extitisse, aut frustra conditum esse, tantùm ad voluptates corporis perfruendas, aut ad has ingentes ærumnas ac molestias tuendæ communis societatis, quas magis experiuntur ij, qui præsunt, quàm cæteri: Sed ab æterna mente architectatrice omnia condita esse propter hominem: hunc verò, qui est opus DEI præcipuum, propter DEVM, vt esset velut templum, in quo se DEVS patefaceret, & cui suam sapientiam ac bonitatem communicaret, & à quo vicissim insitæ lucis ductu rectè agnosceretur, viriumq; omnium integra obedientia coleretur. Voluit enim inter res creatas habere opera, in quæ riuulos suæ sapientiæ ac bonitatis spargeret. Hanc esse causam consilij diuini, inde manifestum est, quia effectu ipso DEVS hoc ostendit, cùm in hominum animos inseuit, ac velut consignauit noticiam de DEO conditore, & insculpsit imaginem sui, id est, noticias multas, inq; his legis noticiam, quæ congruit cum æterna & immota sapientia in DEO, ac DEVM, qualis sit, exprimit ac declarat, & his ipsis cùm addidit liberrimam voluntatem, effectricem earum actionum, quas lumen mentis demonstrat ac dirigit, & ornauit hanc iusticia congruente cum mente & voluntate DEI.

Hæc testimonia manifestè conuincunt, hoc consilio genus humanum conditum esse, vt DEVS suam nobis sapientiam & bonitatem impertiret, & vicissim à nobis vt agnosceretur ac celebraretur: Hæc ipsa etiam transfusio lucis diuinæ in nos, testaretur, hanc creaturam vero et non simulato aut ficticio amore diligi à DEO, cùm talibus eam dotibus exornârit atq; instruxerit, quæ sunt in conditore ipso summæ, scilicet, sapientia, libertate, & iusticia congruente cum ipsius voluntate, deniq; cùm effigiem esse suam voluerit.

Præter hæc ex fonte sapientiæ ac iusticiæ diuinæ deriuata, ac hominum animis insita testimonia, quæ & esse DEVM, & qualis sit, & quòd iudicaturus sit, certissimè testantur, alia etiam admiranda varietate impressit DEVS naturæ architectus in totum mundi opificium, quod non alio consilio tàm variè distinctum & ornatum esse cogitemus, quàm vt hominem de DEO commonefaceret. Voluit enim DEVS vtroq; scilicet, cogitatione similitudinis suæ in nobis, & conspectu admirandi opificij mundi excitari, conuertiq;, ac deduci mentes ad agnitionem bonitatis DEI, & amoris erga nos, quæ in natura hominis incorrupta magnum incendium mutui amoris erga DEVM accendisset. Voluit et confirmari mentes ijsdem, vt firmissimè statueremus, esse DEVM, & esse sapientem, omnipotentem, bonum, iustum, veracem, castum, iudicem, liberrimum.

Hæc etsi tàm euidentia & certa sunt, vt non prorsus feros ac Cyclopicos etiam in hac corruptione naturæ cogant assentiri, quòd sit DEVS naturæ δημιουργός, et quòd

curet res humanas, tamen secuta sunt alia longè maiora in secunda patefactione. Cùm enim lapsu primorum parentum non tantùm fracta libertas voluntatis, & sauciatæ essent vires cæteræ voluntati copulatæ, sed & hebetatum esset penéq; obscuratum lumen noticiarum in mente, & languefacta assensio, rursus sese patefecit DEVS, edita promissione & doctrina de restitutione generis humani per & propter Filium, repetita Lege, misso Filio, qui fieret victima pro genere humano, & Spiritu sancto, quod corruptum est in natura humana instauraret. Deniq; additis nouis atq; illustribus testimonijs extra ordinem naturæ, vt resuscitatione mortuorum, repressione concitatissimi ac rapidissimi cursus Solis, partu mulierum natura sterilium, admiranda liberatione Ecclesiæ, vt populi Israëlitici in mari rubro, & in deserto, ac perpetua eius inter ruinas Imperiorum conseruatione, defensione hominum in medijs flammis, prædictione Monarchiarum, &, quod maximum est, natiuitate Filij vnigeniti, copulantis sibi naturam humanam insolubili fœdere in vtero virginis Mariæ, vt certò constaret, doctrinam de Filio, & de tota reparatione generis humani, quod propter peccatum perierat, non esse vocem alicuius creaturæ, sed ipsius Filij DEI.

Huius doctrinæ voce colligit sibi DEVS æternam Ecclesiam in genere humano, sicut inquit filius Dei: Pater sanctifica eos in veritate tua, Sermo tuus est veritas. Et hunc sermonem vult ab Ecclesia sancta fide custodiri incorruptum, ac propagari ad posteros. Sed & in eo cœtu tantùm est Ecclesia, in quo sonat hæc doctrina, sicut omnibus temporibus sonuit in aliqua parte generis humani. Sola enim Ecclesia & religionem & historiam habet antiquissimam: Religionem quidem vnam ac perpetuam, suiq; similimam, et sibi per omnia congruentem, doctrinæ et verorum atq; interiorum cultuum Dei conformitate, Etsi in ritibus externis dissimilitudo est. Historiam verò primam omnium, quæ & rerum primordia explicat, & certam seriem temporum inde detexit. Sola etiam integram semper doctrinam Legis conseruauit, cuius particulam etsi vtcunq; retinuerunt Ethnici, tamen discesserunt à prima Tabula, confecta multitudine Deorum, & inuocatione hominum mortuorum: à quinto Præcepto, mactatione humanarum victimarum: à Sexto, confusione libidinum. Sola deniq; omnibus alijs gentibus ignotam promissionem de remissione peccatorum, & de reconciliatione propter Mediatorem, quæ fundamentum est æternæ salutis, possedit ac propagauit.

Sed ab hac norma doctrinæ traditæ in Lege & Euangelio inde vsq; ab initio ingens multitudo hominum discessit, impulsa cùm furijs Diabolicis, tùm mobilitate propria. Nam & Diabolus multa spargit per sua organa, ut DEVS contumelia afficiatur, & multi homines fascinati erroribus in blasphemias atq; æternum exitium ruant, & homines aliqui horribili audacia, vel Cyclopum more rident omnem mentionem diuinitatis ac prouidentiæ, vel noua numina, cultus & opiniones fingunt ac stabiliunt contra præscriptam diuinitùs normam. Etsi igitur veram Ecclesiam semper durare necesse est, quia regnum Christi, quod in hac vita incoatur, æternum est, & promittit Filius DEI, se affuturum Ecclesiæ vsq; ad consummationem seculi, tamen sciendum est, hanc veram Ecclesiã non semper pariter florere, sed sæpè admodũ exiguã esse, ac subinde restitui per veros Doctores diuinitùs excitatos, quorum tamen alij plus, alij minus lucis habent. Sciendum & hoc est, Ecclesiam neq; ad Imperia & Monarchias, neq; ad vllam autoritatem humanam, neq; ad ordinariam successionem personarum gubernantium, sed ad vocem Euangelij alligatam esse, cùm sit cœtus rectè agnoscentium, inuocantium, et celebrantium DEVM in agnitione & fiducia filij Iesu Christi, in quo cœtu Filius DEI tanquàm caput verè est efficax, & Spiritu sancto multos regenerat ad iusticiam et vitam æternã.

Talem

Talem autem semper fuisse Ecclesiam, docent historiæ repetitæ ac rectè distributæ. Ante Christum natum, etsi promissio facta posteritati Abrahæ de futuro Messia alligabat Ecclesiam ad politiam & gentem Iudaicam, vt esset certa sedes doctrinæ, & tanquam certa Academia, quæ velut arx in arduo monte posita conspiceretur vndiq, & exaudiretur in toto genere humano propter Messiam, vt certò sciretur, vbi & ex qua gente nasciturus esset, tamen non excludebat aut arcebat ab Ecclesiæ societate gentes cæteras, quarum quæ sese coniungebant cum Iudæis, vnius doctrinæ & religionis professione, non adigebantur ad obseruationem eorundem rituum externorum, sed permittebatur singulis in vsu eorum libertas. Ideò in illa veteri Ecclesia fuerunt tria genera hominum: Iudæi, nati ex posteritate Abrahæ, Proselithæ & εὐσεβεῖς seu viri religiosi. Ad Iudæos pertinebant & promissio facta Abrahæ & tota politia Moysi. Proselithæ itidem & doctrinam & ceremonias: Viri religiosi doctrinam tantùm & inuocationem veri DEI sine ritibus Iudaicis recipiebant. Ita vox doctrinæ in multas gentes perferebatur, & tamen sedes doctrinæ perpetuò erat & manebat in sede certa. Nec dubium est opera Iudæorum, quos captiuitas Babylonica dissipauit per orbem terrarum, multos ex omnibus gentibus ad DEVM conuersos esse, etiam in Germania, in qua quidem & propter Iudæorum familias maturè post Christi ascensionem Euangelium prædicari cœptum est, docentibus Marco Pauli discipulo Patauij in Bauaria. Lucio Cyreneo in Augusta Tiberia, quæ nunc est Ratispona. Crescente Moguntiæ: Materno Argentorati.

Post completam aduentu Christi promissionem, Ecclesia non amplius ad gentem vllam aut sedem certam astricta est, multóq, minus ad Pontifices Romanos, Episcopos & cæteros, qui probant horum opiniones & tyrannidem. Sunt enim hostes veræ Ecclesiæ, partim Epicurei, partim idolatræ manifesti. Sed est Ecclesia cœtus dispersus in totum orbem terrarum, retinens fundamentum Christi & Apostolorum. In eo ergo cœtu quærenda est Ecclesia, qui amplectitur & profitetur veram Euangelij doctrinam, & rectè vtitur Sacramentis, & ibi renascitur Ecclesia, vbi DEVS hæc restituit per Spiritum sanctum. Hæc enim sunt vera Ecclesiæ Symbola, non similitudo externorum rituum, non ordinaria successio, nec ad Iudaicæ politiæ exemplum κακοζηλίας quadam constituta ἱεραρχία eorum, qui errores manifestos & idola defendunt ac stabiliunt.

Atq, vt considerari rectius possit, qualis semper fuerit Ecclesia inde vsq, ab initio, tempora distribuantur, quæ Christum antecesserunt, & consecuta sunt.

Longam annorum seriem ante Christum distinguat Diluuium. Alterum à Diluuio seu exitus è Ægypto seu data Lex. Tertiam à data Lege gubernatio Iudicum in populo Israëlico, gubernatio regum, captiuitas Babylonica, & post reditum ex captiuitate tempus vsq, ad Christum. Sunt autem ab exitu vsq, ad Christum anni mille quingenti octo. Totidem ferè elapsi sunt à nato Christo vsq, ad recentem emendationem abusuum & doctrinæ, factam à Luthero. Hi anni mille & quingenti digerantur in tres periodos, vna qualibet earum annis quingentis definita, quos afferre mutationes fatales imperijs, historiarum annotata docent.

His temporibus, qualis fuerit Ecclesia, expendatur, et conferantur inter se cùm mutationum momenta, tum mutationes ipsæ. Tempore Nohæ fuit angusta Ecclesia & cœtus paucorum: Post diluuium retinuit veram doctrinam Melchisedech, qui fuit Sem filius Nohæ, & cùm Idolatria apud Chaldæos creuisset, ac penè vbiq, extincta esset vera doctrina, renouauit DEVS Ecclesiam euocato Abraham ex Vr Chaldæorum. Huius ergo posteritas, & pauci eorum auditores fuerunt Ecclesia, cùm interea Chaldæi & Ægyptij gloriarentur, se esse posteros Patrum, se retinere Patrum exempla &

cultum, & prædicarent, se esse populum DEI, cùm tamen doctrina vel negligentia amissa, vel contumacia reiecta ac repudiata, solos ritus externos sine verbo retinuissent, ijsq; affinxissent peruersas opiniones, & addidissent idolatriam.

Temporibus Prophetarum sub Regibus Israëliticis, quàm exigua fuit vera Ecclesia? quantum fuit idolatriæ, errorum, & abusuum apud eum ordinem, cui cura doctrinæ & sacrorum commendata erat? qui cùm ex ordinaria successione sacris præesset, religiones inflectebat ad regum affectus & opiniones. Huic ordini Prophetæ semper se opposuerunt acerrimè, & deprauationes doctrinæ ac cultuum grauissimè reprehenderunt. Esaiæ 1. dicitur: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma & Gomorra facti essemus. Hæc verba monent, ne de Ecclesia cogitemus, vt de politica Monarchia, ne ue eam successione Episcoporum, aut gradu & loco Pontificum metiamur, sed apud eos esse statuamus, qui veram doctrinam amplectuntur ac tuentur. Hanc ob causam Esaias detrahit augustum Ecclesiæ titulum suis Principibus & Pontificibus, cùm inquit: Exiguum semen reliquum esse in illo ipso populo, qui vocabatur populus DEI. Sic Hieremiæ & cæterorum tempore, cùm eis Reges & Sacerdotes aduersarentur, non erat Ecclesia cœtus sacerdotum, sed illi, qui credebant concionibus Hieremiæ. Sed longum esset Prophetarum omnium successionem recensere.

A reditu ex captiuitate post Macchabæos qualia fuerunt monstra Pontifices in populo Israëlitico? qualis fuit religio maximæ multitudinis? Imò tunc etiam cùm Christus nasceretur, regimen Ecclesiasticum fuit penes Pharisæos & Sadducæos, qui erant palàm impij. Sadducæi verò etiam Epicurei erant, & tamen arrogabant sibi præcipuè titulum populi DEI: Ecclesia verò paucis constabat, inter quos erant Maria, Ioseph, familia Zachariæ, Simeon, Anna, Pastores, & pauci alij.

Ita post natum Christum non semper eadem Ecclesiæ celebritas fuit & frequentia, Sed primis annis quingentis sustinuit Ecclesia certamina maxima, oppugnantibus doctrinam de Christo, primùm Ethnicis, postea Arrianis & alijs hæreticis, non sophistica tantùm, sed & sæuitia atq; immanitate persequutionum. Vicit tamen veritas, vt testantur probatarum Synodorum decreta ac sententiæ, Etsi has aliæ impiæ permultæ conuellere & labefactare sunt conatæ. Et fuit Ecclesiæ tanto purior, quantò temporibus Apostolorum propior & afflictior. Floruit enim successibus in propagatione doctrinæ, etiam inter ipsas ærumnas, numeroq; ac successione longa bonorum ac salutarium doctorum vsq; ad Augustinum & auditorem eius Prosperum, quorum multi cum Apostolorum discipulos vidissent & audijssent, testes fuerunt de doctrina ab illis tradita, Sed posteriores inter hos iam aliquid superstitionis & errorum habent, quos ex suorum temporum consuetudine contraxerunt. Irrepserant enim iam tum sub finem huius primæ periodi aliqua superstitionum semina, partim ex publicis dissidijs nata, partim docentium aut vulgi errore inuecta, quæ postea cùm peregrinæ gentes influxissent, cumulata sunt.

Persecutiones secessibus & Monachatui caussam dederunt, quas secuta dilaceratio Imperij Romani Monachorum opinionem auxit, quod cùm videretur esse peculiaris felicitas, abesse à Repub: procul in aliqua solitudine, sine familijs, sine liberis, non spectare vrbium excidia & patriæ vastationem, modesti homines gratulati sunt Monachis suam tranquillitatem, & cœperunt plures expetere & amare secessus. Cumq; homines barbari mirarentur ritus, qui præ se ferrent speciem eximiæ pietatis, & quasi commercij

mercij cum DEO, creuit admiratio Monachorum, qui in illa solitudine dediti, & quasi inuoluti suis cogitationibus excogitârunt opiniones & opera noua, quæ postea cùm applausu sunt excepta: Deniquæ opiniones de illo vitæ & operum genere plausibiles vagatæ sunt, quæ obruerunt tandem Euangelij lucem de vera fide, & veris cultibus. Sic cùm grata fuisset initiò memoria ac celebratio sanctorum Martyrum, paulò pòst accessit superstitio, vt Ethnico more ornarentur statuis & templis. Hæc tandem eò impietatis processit, vt nihil differret Sanctorum veneratio à manifesta idolatria Ethnicorum. Horum & aliarum similium superstitionum, vt votorum, pœnarum Canonicarum, Cœlibatus, oblationis faciendæ in Missa, principia in Ecclesiam irrepserunt sub finem huius primæ periodi, quæ postea magnam ruinam traxerunt. Vt enim fluminum impetus secum abripiunt nauigantes, sic errores temporum trahunt homines, vt minus improbent præsentia: Ita factum est, vt errores paulatim confirmati consuetudine, radices egerint & inualuerint.

Vt autem prima quingentorum annorum periodo ceu luctata est veritas cum mendacio, sincera religio cum hypocrisi, vera pietas cum superstitione, Sed vicit tamen veritas, etsi ad extremum aliquid errorum sese admiscuit, Sic è conuerso, quæ secuta est periodus proximè, auxit & confirmauit superstitiones & idolatriæ neruos, autore præcipuo & duce Gregorio Magno Pontifice, qui Pontificatum iniit Anno à nato Christo 593. Hic publicum ritum inuocationis Sanctorum instituit, & ossibus ac pulueribus eorum templa dedicari iussit. Diaconis & Subdiaconis in Sicilia præcepit dimittere coniuges, quas ante ordinationem duxerant, cùm Ecclesiæ Siculæ exemplo Græcarum Ecclesiarum retinuissent eò vsq; coniugia in omnibus gradibus Ecclesiasticis, iuxta Synodorum veterum decreta. Falsam de Monachatu persuasionem adeò auxit, vt infantes iussu parentum in Monasterijs educatos, pronunciârit nefariè facere, si vitam Monasticam desererent. Spectro motus sanciuit oblationem Sacramenti pro mortuis, quæ peperit horribilem profanationem Cœnæ Dominicæ. Extulit etiam & amplificauit supra modum tyrannidem Pontificiam, & ordines ceremoniarum, cantionum, ac similium rituum descripsit, & processiones instituit similes supplicationibus Ethnicorum ad pluuinos & lectisternia idolorum. Hæc postea magis magisq; sunt cumulata vulgi superstitionibus. Ita in hac secundo perioda superstitio sinceritatem primæ religionis penè prorsus elisit & protriuit.

Tertia deinceps periodo post Henricorum tempora ex præstructo idolatriæ, abusuum, & superstitionis fundamento, condita est Monarchia in Ecclesia, similis Imperijs politicis, in qua Romani Pontifices horribili furore & audacia non tantùm regna orbis Christiani sibi subiecerunt, Sed rapuerunt locũ & honorem filij Dei, cùm sese caput Ecclesiæ cõstituerunt, et potestatẽ sibi vendicarunt, non tantũ mutandi regna mundi, sed statuendi sanciendiq; dogmata, cultus, & vniuersim religiones suo iudicio & arbitrio sine verbo DEI, vel etiam contra expressum verbum DEI, qualis est cultus Maozim, qui verè est Idolum vastans, de quo vaticinati sunt Daniel & Christus. Extitit tunc & nouum Doctorum genus, qui Scholastici nominati, velut Satellites scriptis & autoritatem Pontificum propugnârunt, & chaos errorum suorum defenderunt, vt Petrus Lombardus, Thomas, Scotus, & alij. Genuerunt hi nouum doctrinæ genus, non haustum ex fontibus Israël, sed ex Philosophorum commentis, alieniſsimum à norma & analogia fidei Christianæ, sed accommodatum præsenti regno superstitionum atq; abusuum, & Pontificum tyrannidi, quibus omnibus effectum hoc est, vt nec ad

Christum amplius dirigeretur inuocatio, neq; de DEO erudirentur homines ex ea doctrina, in qua sese patefecit, & in qua quomodo agnosci ac coli velit expressit, Sed vt ad statuas Sanctorum accurrerent & aduoluerentur homines, & templa theatricis spectaculis Missarum, processionum, & similium ceremoniarum occuparentur ac complerentur, & in concionibus aures omnium vel aniles fabulæ, vel Ethnicæ declamationes circumsonarent. Deniq; vt ad religionem & fidem pertinentia auro venalia fierent omnia, auro expiarentur perpetrata scelera, auro redimerentur pœnæ purgatorij confictæ ad terrendos homines, & ad opes augendas. Deniq; vt auro effringerentur cœli portæ.

Etsi autem his duabus postremis periodis ac præcipuè vltima, idolatria & superstitionibus polluta fuit maxima multitudo in orbe Christiano, tamen subinde DEVS excitauit aliquos, qui hæc taxârunt & improbârunt, quales fuerunt multò ante Lutherum, Taulerus, Ioannes Hus, Hieronymus Pragensis, VVesselus Groningensis, & plures alij. Iohannem Scotum Ludouici Pij seculo discipuli graphijs confoderunt, Sicut & Diuum Cassianum ante, Quòd cùm libellum Dionysij de Hierarchia enarrasset, prophanationem Cœnæ Dominicæ, quæ fiebat in oblatione pro mortuis, reprehendisset. Iohannem Hiltenium Isenacensem memoria patrum Monachi fame necârunt, quòd crassiores quosdam abusus notasset & exagitasset. Nec dubium est, omnibus temporibus fuisse & in priuatis familijs & publicè pios aliquos, qui intellexerunt præstigias istas in Ecclesia Romana à Diabolo ortas esse, & suos quosdam auditores rectius de DEO & vèra DEI agnitione & inuocatione erudiêrunt, apud quos fuit vera Ecclesia. Quòd si huius postremæ periodi mores, religiones, & dogmata conferantur ad normam traditam in scriptis Propheticis & Apostolicis, & ad puritatem, quæ fuit in prima Ecclesia post Christum, DEVS bone, quæ reperietur diuersitas atq; discrepantia? Rursus si comparentur ad Regimen Pharisæorum & Sadducæorum in populo Israëlitico, qui propter ordinariam successionem titulum populi DEI sibi vendicabant, summa reperietur similitudo & conuenientia.

Prôdest autem momenta & articulos harum mutationum, quæ acciderunt in Ecclesia, atq; occasiones earundem diligenter cognoscere, vt testimonia primæ & purioris Ecclesiæ, & reliquorum omnibus temporibus, qui à Pontificio agmine discesserunt, horum idolatrias abominati ac detestati, opponi possint degeneri cœtui Pontificiorum, falsò iactantium titulum Ecclesiæ & consensum, quem ne ipsi quidem qualis sit definire possunt, sed intelligunt ætatem recentiorem post Gregorium Magnum, qua quæ in Ecclesia dominata est multitudo impiorum, titulo Ecclesiæ multa constituit impia & falsa, de quibus tamen ne ipsi quidem defensores inter se consentiunt, vt de his etiam falsò consensum iactitent. Sed qualiscunq; ille sit, consensus in Ecclesia intelligi debet, non de consensu opinionum excogitatarum humana autoritate sine verbo DEI, sed de doctrinæ & cultuum congruentia cum verbo DEI. Cùm ergo allegatur autoritas Ecclesiæ, quærendum est, an sit consensus veræ Ecclesiæ cum verbo Dei. Non enim alleganda est autoritas Ecclesiæ contra verbum DEI, sed redeundum est ad regulam: Si quis aliud Euangelium prædicauerit, Anathema sit. Prima sit autoritas verbi diuinitùs traditi, deinde illa est Ecclesia vera existimanda, quæ verbum illud sequitur & retinet, Sicut Christus inquit: Oues meæ vocem meam audiunt. Nec cùm de Ecclesia dicitur, intueantur mentes in Monarchiam Romanæ sedis, decretis & vinculis sapientiæ & autoritatis humanæ constitutam, quæ aduersarijs est religio. Nec moueantur opibus,

tur opibus, potentia, autoritate, splendore Pontificum & Episcoporum, sed in eo cœtu quærant Ecclesiam, qui fideliter custodit & enarrat scripta Prophetica & Apostolica, & DEVM agnoscit ac colit, sicut se patefecit agnitione & fiducia filij Iesu Christi Mediatoris.

Etsi autem Ecclesia nititur solo verbo DEI, confirmatur tamen confessione piorum, si cum illa congruat. Idcircò vtile est extare testimonia de doctrina, eorum, qui vel cum autoritate docuerunt & rexerunt Ecclesiam, vel autores fuerunt, vt errores & abusus consuetudine introducti, & autoritate ordinaria impiorum confirmati, emendarentur. Cùm autem & in recenti emendatione Ecclesiæ, quam Lutherus excitatus adiutusq; diuinitùs, nulla ambitione, nullo odio cuiusquam, nulla priuata cupiditate, sed veritatis & gloriæ diuinæ amore, eiusq; repurgandæ & illustrandæ studio, denique odio præstigiarum atq; impostrarum, quibus gloria DEI obruta iacuit, & hominum mentes fuerunt dementatæ, quæq; ad eum coaceruatæ sunt modum indulgentiarum impudenti venditione, vt penè deleuerint memoriam meritorum filij DEI. In ea ergo emendatione cùm Luthero velut socius & πρωτάτης fidelissimus ac præcipuus affuerit Philippus Melanthon socer meus, omni mihi cultu reuerentiæ perpetuò colendus, & operam nauârit Ecclesiæ vtilem in explicatione & defensione doctrinæ sacræ annos quadraginta duos, iudicaui consultum fore posteritati, si quæ de doctrina cœlesti ille literis monumentisq; commendauit, coniunctim ederem, cuius consilij causas habui duas præcipuè, quarum prima est, Vt posteritas, cuius non dubito fore iudicia rectiora & æquiora, cognoscat, quale tradiderit genus doctrinæ is, qui præcipua certamina in congressibus cum aduersarijs sustinuit, & disputando dogmata eorum præcipuè labefactauit, sicut autoritatem & potentiam ordinis & causæ fregit & euertit Lutherus. Altera est, vt hæc scripta refutent iniqua de eo iudicia, & calumnias malorum hominum.

Obtestor autem pios & bonos viros omnes, vt de doctrina, vita, affectu, & voluntate, de perpetuo eius in veritate tuenda asserendaq; studio, iudicent ex his scriptis, candore adhibito, quem ipse adhibuit in suis & alienis, nec fingant eum ex calumnijs maleuolorum.

Contuli autem & digessi in hanc primam partem scripta de doctrina cœlesti præcipua, quæ non tàm sunt enarrationes, quàm summatim recitant & explicant doctrinam, quam Ecclesiæ nostræ profitentur vno spiritu cum perpetua & Catholica Ecclesia filij DEI omnium temporum. Confessionis Augustanæ formulas duas inserui. Primam quæ exhibita est Carolo V. Imperatori in Comitijs Augustanis anni 1530. Et postremam scriptam Anno tricesimo octauo, proximè ante colloquia VVormatiense & Ratisponense, quæ fusiorem habet, & clariorem explicationem eorum, quæ in priore breuius ceu indicantur. Fuit autem posterior scripta à Philippo, mandante, recognoscente, & approbante Luthero, & necesse fuit eam scribi propter aduersarios, quòd multa cauillarentur illi, quæ oportuit explicari, vt occasiones & argumenta talium cauillationum, si denuò ad disputationum conflictus deuentum esset, eis adimerentur. Deinde quòd ex priore multa mutuarentur, quibus sua pingerent, sicut res ostendit, multa eos in plerisq; controuersys lenisse, vsos formulis nostrorum, vt imponerent imperitis. Fuit ergo declaratione vberiore opus.

Meminimus in Colloquio VVormatiensi Eccio obijcienti nostris dissimilitudinem exemplorum Confessionis Augustanæ, Philippum respondere, rerum eandem esse sententiam,

sententiam, etsi quædam alicubi in posteriore editione vel magis mitigata, vel explicatiora sint, quibus Eccius acquieuit. Cùm ergo prosit extare vtramq;, edidi vtramq;, vt idem semper ordinibus Imperij propositum idemq; defensum esse, & quo consilio posterior scripta sit, posteritati notum fiat.

Hanc primam scriptorum Philippi Melanthonis partem, Rex serenissime & inclyte, Domine clementissime, ad Regiam tuam Maiestatem mitto, hoc consilio, vt autoris innocentiam suis ipsius scriptis tuear & excusem apud Maiestatem tuam, aduersus insectationes maledicas & calumnias nonnullorum. Spargunt libellos aliqui, quibus non de dogmatibus disputant, sed congerunt calumnias, vt deforment & eleuent autoritatem eorum, qui primi in Ecclesia nostra fuerunt autores emendationis. Et nuper quidam satis impudenti scripto τὴν ἐωλοκρασίαν τῆς πονηρίας αὐτοῦ κατεσκέδασε. Exagitat dissidia nostrorum, de quibus etsi meum non est respondere, nec me vllis certaminibus admisceo, tamen miror, cur propter dissidia tollat Ecclesiam, quasi Ecclesia vera fuerit sine certaminibus. Non propterea nulla fuit Ecclesia in Ionia, temporibus Ioannis Euangelistæ, quòd Ebion & Cherinthus blasphemis disputationibus oppugnârunt diuinitatem Christi, aut Alexandriæ, cùm Arrius de eodem argumento litem mouit suo Episcopo, aut in Asia, cùm maxima pars Episcoporum adhæsit Arrio contra Orthodoxos, & decreta fecit contraria Synodo Nicenæ, estq; illa executa crudelitate suppliciorum. Sed eluctata ex Sophismatum præstigijs Veritas enituit atq; illuxit magis magisq; seq; confirmauit, pijs tuentibus & retinentibus mordicus, quod in Synodo Nicena constitutum erat. Nec dubitemus, illa ipsa certamina tunc etiam multos aut nondum conuersos, aut nondum satis confirmatos offendisse, & à professione Christiana absterruisse. Nec somniemus fore Ecclesiam sine scandalis dissensionum, præsertim hac postrema mundi, & languida ac delyra senecta. Odit enim Diabolus lucem veritatis, & excitat atq; impellit petulantia ingenia ad serenda discordiarum semina, & spargenda falsa dogmata, quibus obruatur & extinguatur doctrinæ lumen. In talibus contentionibus py semper adiunxerunt sese ijs, qui retinuerunt fundamentum & sententias fidei analogas, & graui autoritate traditas ac propagatas. Agnoscunt pij omnes damna ac detrimenta, quæ dissensiones publicæ afferunt, & ea deplorant veris gemitibus, sed adiungunt suam confessionem ad eam, quæ initiò facta, & eodem modo sæpè pòst repetita ac defensa est, etiam cùm opprimuntur clamoribus multitudinis. Si dissensionibus nostrorum mouentur aduersarij, ordiantur à semetipsis. Si enim examinauerint totum chaos disputationum, quæ sunt in scholasticorum & Monachorum libris, & abusus, profanationes, atq; idolatrias, quæ dominatæ sunt in Ecclesia Romana per annos amplius quingentos. Hæc ergo si ad eam normam, quam tradunt scripta Prophetica & Apostolica, & quam prima ac purior Ecclesia retinuit, comparârint & explorârint, vel si inter sese suorum scriptorum disputationes & dogmata contulerint, minus Thrasonicè de suo consensu gloriabuntur.

Pij verò si certamina ingraueſcant et gliſcant, erigant atq; consolentur sese voce diuina, qua prædictum est vtrumq;, et exorituras esse maiores dogmatum confusiones sub extremũ, et tamen Deum seruaturum esse Ecclesiæ reliquias vsq; ad glorioſum aduentũ Filij sui. Inquit enim ipse Filius Dei, Venient pseudoprophetæ, qui facient signa & prodigia, vt si fieri possit, seducantur etiam electi. Item Luc: 18. Putas, quòd vbi venerit filius hominis, inuenet fidem? Et 2. Thess. 2. Veniet defectio. Hæc dicta testantur & fore postremo tempore Ecclesiam electorum, & fore exiguam ac paucorum, qui spreti erunt & abiecti. Hanc quærant, vt dixi, in eo cœtu, qui sonant doctrinam Christi & Apostolorum, cúmq; exactis annis quinquies mille quingentis, inierit postrema periodus

ex ijs,

ex ijs, quas definit dictum Heliæ, & ea sese promant atq; ostendant argumenta, quæ diem nouissimum anteceſſura sunt, cogitent non procul abesse mundi finem, & ad lætam migrationem fiducia Christi sese præparent.

Oppono autem calumnijs hæc scripta Philippi Melanthonis, quorum quæ in hac parte continentur, cùm omnia inde vsq; ab anno triceſimo edita sint ordine, hoc consilio, vt exponant & repetant doctrinam nostrarum Ecclesiarum, testabuntur de autore ad posteritatem, quod idem semper docuerit, & sui permanserit similimus, nec aliud docuerit, quàm quod consonum est scriptis Propheticis & Apostolicis, & testimonijs primæ ac purioris Ecclesiæ, quæ allegat autoritatem Apostolorum. Refutabunt etiam depravationes, quæ his ipsis eius scriptis alicubi aut mutilatis, aut veteratoriè vel violenter detortis, à quibusdam malicioſè affinguntur. Nec contra calumnias autor defendi à quoquam argumentis melioribus ac firmioribus potest, quàm suis ipsius scriptis.

A tua verò Maiestate, ea qua debeo & possum animi subiectione, peto, vt in his dissensionum fluctibus & rerum perturbatione propter DEI gloriam hæc scripta, quæ remedium sunt aduersus maledicorum libellorum ictus & aculeos cognoscere, & quomodo ex fontibus doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ extructa sint, ad eaq; quomodo congruant, & quæ inter hanc doctrinam & aduersariorum commenta sit differentia, considerare non grauetur. Nihil Maiestate tua dignius est, quàm imitari hac in re præclarissima exempla summorum Monarcharum Constantini, Theodosij & similium, qui, cùm turbatæ essent Ecclesiæ disputationibus Arrianis & similibus, cognouerunt de controuersijs, inquisitis ac perspectis fontibus, & dederunt operam, vt veritas ex his proferretur ac defenderetur.

Oro autem filium DEI dominum nostrum Iesum Christum λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδιον τοῦ ἀϊδίου πατρὸς, crucifixum pro nobis & resuscitatum, vt Regiam Maiestatem tuam & sancto suo Spiritu illuminet, regat, atq; gubernet, & seruet ac protegat, præsetq; vt gubernatio Maiestatis tuæ sit salutaris Ecclesiæ Christi & Reipub: Die Natali saluatoris nostri Iesu Christi, quo incoat Ecclesia annum à nato Christo ex Maria virgine 1562. qui vt Regiæ Maiestati tuæ & toti Ecclesiæ ac Reipub: sit felix & faustus opto, & à filio Dei ardenti pectore precor.

Regiæ Maiestati tuæ

deditissimus

Caspar Peucerus D.

PRÆFATIO PHILIPPI
MELANTHONIS.

VLTI SENES SAPIENTIA ET VIRTVTE PRÆSTAN*tes, & publicæ concordiæ ac pacis amantissimi, initio ante annos quadraginta doctrinam Lutheri non aliam ob causam, nisi quia veram esse iudicabant, et statuebant non contradicendum esse agnitæ veritati, amplexi sunt. Cumq; fuisset πρώτη σύγκρισις certaminum de doctrina de pœnitentia, de qua antea fuerant densissimæ & impiæ tenebræ, quanta lætitia primam scintillam lucis patefactæ à Luthero statim in tota Germania homines non Epicurei aspiciebant? Multi pyluctati cum assidua dubitatione, gaudebant se in illis fluctibus tanquam in naufragio tabulam apprehendisse, in qua emergerent. Fuit & gratissima admonitio bonis mentibus de discrimine Inuocationis Dei, & horribilium idolorum, & de discrimine operum diuinitus mandatorum, & aliorum quæ non sunt mandata diuinitus. Fuit & necessaria σαρκάχθεια seu leuatio eorum onerum, quæ sine impietate sustineri non poterant, vt impuri cœlibatus, satisfactionum, vanissimæ enumerationis delictorum. An non vere de funebribus sacrificijs dici potest? quod Esaias queritur, Omnes aras plenas fuisse vomitus.*

Deniq; manifestissima impudentia est, contendere, nihil errorum fuisse & esse in Monachorum doctrina & Pontificijs ritibus, vt nunc audacissime contendunt Rhetores conducti pontificia pecunia, Staphylus, Vuicelius, Canisius & multi alij, qui uociferantur seditionem aduersus Ecclesiam motam esse, & sophismatum præstigijs idola & errores tuentur, & reges incitant ad barbaricam sæuiciam. Aduersus horum sophisticam & rabiem, consolatio tenenda est firmissima, vox filij Dei, qui ait blasphemiam non remitti. Nec dubium est blasphemos esse illos qui scientes manifestæ veritati bellum inferunt. Ac discernit filius Dei Ecclesiam ab hostibus cum inquit, Oues meæ uocem meam audiunt, de hostibus vero inquit, vos ex patre Diabolo estis. Hæc discrimina sapienter consideremus, & quæramus, quæ & ubi sit vera Ecclesia filij Dei, nosq; in eam includamus nec decipiamur aduersariorum clamoribus, qui titulum Ecclesiæ sibi arrogant, & hac honorifica appellatione, idola, tetros errores & magna scelera defendunt.

Ne ipse quidem Carolus Imperator initio sine Synodi iudicio, & sine cognitione, delere doctrinam Lutheri & Ecclesias nostras voluit, cum quidem multi essent incitatores ad illa Herodiana consilia. Sed cum videret multos manifestos abusus, ut leni vocabulo quidam tetros Idolorum cultus nominant, iustè taxari: & emendationem expeteret, diu & constanter postulauit indici Synodum. Hæc cum eius voluntas esset, rediens in Germaniam Anno 1530. Principes Augustam vocauit. Ibiq; Confessionem doctrinæ iussit exhiberi, quod eo narrandum est, quia necesse est posteritatem scire, confessionem nostram, nec priuato consilio scriptam esse, nec obtrusam Carolo non poscenti. Sed aut aliqua confessio exhibenda fuit, aut dissimulatione ostendenda desertio eius doctrinæ, quæ iam recepta erat, vt & fuerunt tunc aliqui qui confessionis pericula vitare maluerunt. Alij vero Principes & gubernatores quorum nomina asscripta sunt confessioni, vt ostenderent se non curiositate, non iniusta vlla cupiditate, Sed propter gloriam Dei, & suam & multorum salutem, amplexos esse puriorem doctrinam, censuerunt ex-

hibendam esse confessionem. Vrgebant etiam nostros maledici libri, qui ipso conuentus tempore ab aduersarijs spargebantur, vt Caroli animus exasperaretur, in quibus multa falsa crimina nostris obijciebantur, nec discernebantur Ecclesiæ nostræ à colluuie Anabaptistica & alijs erronibus, qui passim, vt fit motis rebus, fanaticos furores circumferebant. Aduersus has pernicioſas criminationes necesse fuit opponere refutationem.

Vtinam vero multo ante inter seniores re grauiter deliberata, fuisset ad hanc epitasin præparata confessio. Nec nihil erat periculi tunc aut eligere materias, aut electas explicare. Erat qui vt minus horridè videremur dicere hominem fide iustificari, scribebat idem à Platone & à Catone dictum esse, citans notos uersiculos, Si Deus est animus, nobis vt carmina dicũt: Hic tibi præcipuè pura sit mente colendus. Et Platonis illud in Epinomide. Δεῖ τιμᾶν θεὸν οὐ χήμασι πιχνάζοντας, ἀλλὰ ἀληθείᾳ τιμῶντας ἀρετῶ. Nec deerant applausores, qui non intelligebant discrimina doctrinarum, legis, Philosophiæ & Euangelij, quod cum inquit homines iustos esse fide, ait eos fiducia misericordiæ propter filium Dei promissæ, Deo placere: non illud agit, homines interioribus virtutibus legi satisfacere. Ac possem alias rixas multas recitare.

Congessi igitur simplici studio capita Confessionis quæ extat, complexus penè summam doctrinæ Ecclesiarum nostrarum, & vt Imperatori responderetur, & vt falsa crimina depellerentur. Ac nihil mihi sumsi. Præsentibus Principibus & alijs gubernatoribus & concionatoribus disputatum est ordine de singulis sententijs. Missa est deinde & Luthero tota forma Confessionis, qui Principibus scripsit, se hanc Confessionem et legisse & probare. Hæc ita acta esse, Principes & alij honesti & docti viri adhuc superstites meminerunt. Postea coram Imperatore Carolo in magna frequentia Principum lecta est hæc Confessio, quod ipsum ostendit, non esse obtrusam Cæsari non poscenti.

Scripsi deinde tempore Tridentinæ Synodi Repetitionem eiusdem Confessionis, ad quam iudicandam adhibiti sunt multi alij, quorum ascripta sunt nomina. Quorum testimonia iustè oppono iniquis censoribus, qui postea eam reprehenderunt. Vsitatum est malum quod Nazianzenus deplorat, sumtis à Demosthene his verbis, ἐπιλαμβάνου δεῖ πάντως, ἐπανορθοῦσθαι δ' οὐ πάντως. Iustius autem erat in rebus tantis, & publicè caussæ seruientem amanter monere & iuuare, vt aliqui mei collegæ & fecerunt & faciunt: quam excerpere truncata membra, & ea arte deprauare, & in suo theatro reprehendere, ut odia & dissidia incendant, vt inimici mei faciunt, quorum aliqui astutè etiam Arcesilæ more tantum aliena labefactare student, suam sententiam de maximis rebus occultant: quod gnauiter facit Stancarus Iudaizans.

Non dissimulari potest, motis rebus magnam varietatem opinionum exortam esse. Et concedit ἀναρχία licentiam malis ingenijs fingendi monstrosa dogmata. Tali tempore q̃ difficilis res sit, et eligere vtilia, et ea propriè et perspicuè explicare, norunt prudentes.

Verè autem hoc affirmo, cum hanc scholasticam sarcinam Deus mihi imposuerit, me nihil appetuisse splendidius, ac pio studio, vt in Catechismo fieri decet, proposuisse materias iuuentuti vtiles, & conatum esse, proprio genere sermonis eas explicare, & vitare hyperbolas, ἀκυρολογίας et ambigua quæ dissensiones pariunt. Cumq; sciam quanta sit huius rei difficultas, semper optaui vt pij & docti viri conuenirent, & rebus placide deliberatis, de vniuersa doctrina easdem sententias, & loquendi formas posteritati traderent, & quantum fieri posset, semina dissidiorum extirparent. Hanc rem curæ esse pijs Principibus oportuit.

Bono consilio tradidi definitionem visibilis Ecclesiæ, & rectè tradidi. Hic planè in

crabrones incidi, cum neceſſe ſit fateri, eſſe viſibilem Eccleſiam, de qua filius Dei inquit, dic Eccleſiæ: & de qua Paulus ait, Sumus ſpectaculum toti mundo, angelis & hominibus. Quale ſpectaculum eſt, quod non cernitur? Quo ſpectat autem hæc portentoſa oratio, quæ negat eſſe ullam viſibilem Eccleſiam? delet enim omnia teſtimonia antiquitatis, abolet iudicia, facit ἀναρχίαν infinitam, & illam Cyclopum πολιτείαν quam deſcribit Euripides cum interroganti, quis ibi ſit gubernator, reſpondet Silenus, Νόμαδες. ἀκούεις δ' οὐδείς οὐδὲν οὐδενός. Scio autem cum in alys omnibus quibus labores honeſti mandati ſunt, tum vero præcipuè in docentibus rectæ voluntatis conſcientiam, & mediocrem diligentiam eſſe oportere: Sicut Paulus inquit, hoc requiritur vt fideles ſimus. Deinde oportere eos aliquorum piorum & rectè iudicantium teſtimonia habere, nec defugere legitima iudicia.

Studium autem rectè docendi & piam voluntatem me habere affirmo, & ſpero meos labores & ſententias multis pys & doctis probari: & ſemper me ipſum, meaſq; ſententias & actiones omnes ſubieci, & adhuc ſubijcio iudicijs omnium piorum & eruditorum, quos tamen oro, ut in iudicando candorem adhibeant, conuenientem ſapientibus viris. Scio enim me non eſſe ἀναμάρτητον. Et ſicubi deſideratur explicatio, me ad eam offero.

Cumq; recens meum ſcriptum de Bauarica inquiſitione de multis controuerſijs huius temporis perſpicuè meas ſententias oſtendat, volo id prioribus ſcriptis adiungi. Staphylus & Stancarus eorumq; ſocy meras calumnias conſuunt, & ut dicitur, actum agentes, ſicut anus ſaltantes ſtrepitum & puluerem excitant. Flaccij σωαγωγὴ & cohors Galli tanquam de neceſſarijs rebus certantes non deſinunt calumnias texere, & quicquid poſſunt carpere ex meis ſcriptis, id exagitant peruertentes aut calumniantes, de quibus non ſum male meritus. Sed cum ſtatuerint illi aduerſum me facere & ſtruere omnia, nihil poſt hac etiam debeo expectare aliud, quam tentaturos eos & aggreſſuros eſſe quicquid putauerint nomini meo ignominiam afferre poſſe. Quorum tamen rixæ quid ſibi velint & quo euaſuræ ſint non uideo, neq; vllos alios ignaros conſilij ipſorum videre exiſtimo. Notum eſt autem, Eccleſiæ militiam omnibus temporibus in hac mortali vita ærumnoſam eſſe, & multos eſſe rectè docentium hoſtes, ac varios eſſe hoſtium exercitus: omnes atheos, & hypocritas faſcinatos. Hæc communis Eccleſiæ calamitas cum me quoq; ſatis duriter exerceat, non fiat iudicium de doctrina, ex meis miſerijs, & inimicorum multitudine. Oſtendit enim vitæ confuſio, nimis uerum eſſe quod dicitur, ὄχλος σὺν ἁμαδίᾳ δρᾶνὸν κακόν.

Oro autem filium Dei dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſedentem ad dextram æterni Patris, ac dona largientem hominibus, vt ſemper in his regionibus colligat æternam Eccleſiam, & me clementer gubernet, & faciat ut quam plurimi unum ſimus in Deo. Sæpe etiam de ſæuitia inimicorum cogitans, illud Tertulliani mihi & alys recito. Si apud Deum depoſueris iniuriam, ipſe ultor eſt: ſi damnum reſtitutor eſt: ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem, reſuſcitator eſt. Hoc dictum congruere cum diuinis conſolationibus pij norunt, quas in ſuis quiſq; ærumnis cogitat. Bene vale Lector. Anno 1560. die 16 Februarij, quo die annum 64. ingrediebar, qui vt ſit mihi fauſtus & felix faciat filius Dei.

EX PRÆFATIONE M. LV
THERI IN PRIMVM TOMVM OPERVM SVORVM.

MVLTVM DIVQVE RESTITI ILLIS QVI MEOS LIBROS SEV *verius confusiones lucubrationum mearum voluerũt editas, tum quod nolui antiquorum labores meis nouitatibus obrui, & lectorem à legendis illis impediri, tum quod nunc Dei gratia extent methodici libri, q̃ plurimi, inter quos Loci communes Philippi excellunt, quibus Theologus & Episcopus pulchrè & abunde formari potest, vt sit potens in sermone doctrinæ pietatis, præsertim cum ipsa sacra Biblia nunc in omni prope lingua haberi possint. Mei autem libri, vt ferebat imo cogebat rerum gerendarum nullus ordo, ita etiam ipsi sint rude quoddam & indigestum chaos, quod nunc nec mihi ipsi sit facile digerere.*

ITEM IBIDEM.

Eodem anno iam M. Philippus Melanthon à Principe Friderico vocatus huc fuerat ad docendas literas græcas, haud dubiè, vt haberem socium laboris in Theologia. Nam quid operatus sit Dominus per hoc organum, non in literis tantum, sed in Theologia, satis testantur eius opera, etiamsi irascatur Sathan & omnes squamæ eius.

PHILIPPVS MELANTHON
PIO LECTORI
S. D.

VTINAM *Typographi in deligendis materijs, quas edunt, diligentiores essent, ac non tantũ sui compendij, sed etiam publicæ vtilitatis rationem haberent, præsertim in edendis scriptis de doctrina Christiana. Extant aliorum libelli, qui hæc elementa pietatis continent, quæ initio pueris proponuntur in Catechesi, vt vulgo vocant. Cum autem prosit, pueros ad unam simplicem & similem doctrinæ formam adsuefieri, optarem ex illis libellis eum tantum versari in manibus iuuentutis, qui est locupletior cæteris. Nunc subinde alij noui nascuntur, non perinde feliciter scripti. Hunc uero libellum qui mei nominis titulo editus est, prorsus nollem esse publicatum. Etsi enim inter scholasticos quædam de his elementis pietatis ferè in hanc sententiam disserui, tamen nec scripsi ipse totum libellum, nec recognoui. Et quædam dicta sunt, quæ congruunt ad iuuentutem, quæ in pijs Ecclesijs versatur, non inter aduersarios. Ideò optarim Brentium, qui et eruditione excellit & egregia pietate præditus est, si tamen vidit has pagellas ante editionem, limam adhibuisse, et quædam mutasse. Postquam autem editus est sine emendatione, cum abolere totum libellum non possim, duxi recudendum esse, & pauca quædam dicenda distinctius. Tenuè scriptum est, quod si quis putabit vtile esse pueritiæ, non prohibeo, quo minus vtatur. Sed optarim in hoc genere aliorum legi vberiores libellos. Bene vale pie Lector.*

CATE-

CATECHESIS
PVERILIS.

Quid significat Catecheſis?

VERBVM græcum κατηχέω eſt erudio ſeu doceo. Olim autem erant in Eccleſia non ſolum Epiſcopi & Paſtores, ſed etiam κατηχηταὶ, quorum erat proprium munus erudire nouitios, priuſq; baptiſabantur. Vnde Catecheſis adhuc dicitur, quædam prima inſtitutio, in qua compendio traditur ſumma Euangelij. *Catecheſis.* Talis autem docendi ratio erat. Non ſolum proponebant κατηχηταὶ doctrinam, ſed ab auditoribus repoſcebant dictata, quod in docendo utiliſſimum eſt. Ita enim exploratis auditoribus, animaduerti poteſt, quid quiſq; intelligat, & errantes admoneri poſſunt. Et hæc ratio docendi, in qua dictata repoſcuntur, propriè eſt κατηχεῖν, maximèq; prodeſſet in Eccleſia manere hanc conſuetudinem, explorare rudiores, ut iudicia de neceſſarijs rebus formarentur. Prodeſt & illud, unam quandam ſimplicem & certam formam doctrinæ extare, & tenere certos loquendi modos, qui nihil habent ambiguitatis, & ſunt conſentanei ſcripturæ, ſicut & Paulus præcipit Timotheo, ut conſeruet ὑποτύπωσιν ſanæ doctrinæ, id eſt, certam formam. Nam diſſimiles & ambigui modi loquendi pariunt multas (cum alius aliud intelligit) diſſenſiones. Sæpe etiam pariunt errores. κατηχεῖν.

DECALOGVS.

Quid præcipit primum Præceptum?

APtè orditur Lex ab agnitione Dei. Nam primum præceptum docet eſſe Deum, & requirere obedientiam, benefacere obedientibus & punire inobedientes. Ac ſimul tradit modum, quo Deus uult apprehendi, & cultum, quo coli. Docet enim Deum eſſe uerbo & aliquo ipſius teſtimonio apprehendendum. Ideo ſic ait: Ego ſum Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Quaſi dicat: Ecce, hunc Deum agnoſces & coles, qui tibi hoc uerbum proponit, & qui tibi propoſuit teſtimonium de ſe, ſcilicet hoc ipſum opus, quod eduxi populum ex Aegypto. Ita & nos debemus apprehendere Deum uerbo, quod nobis datum eſt, & teſtimonio, ſcilicet, quia exhibitus eſt nobis Chriſtus. Hunc Deum, qui eſt pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, agnoſcere & colere debemus. Cultus uero ſunt timor & fides, & perfecta dilectio. Eſt enim emphaſis in particula, Deus tuus, id eſt, curans te. Zelotes, id eſt, qui non patitur alteri tribui gloriam Dei, non patitur alios Deos confingi aut inuocari. Viſitans iniquitatem &c. hic requirit timorem. Rurſus requirit fidem & dilectionem, cum ait: Faciam miſericordiam diligentibus me. Sicut & alibi declaratur hoc præceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Item, Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies. Ita primum præceptum tradit & modum agnoſcendi Dei, & ueros cultus. Suntq; ueri & primi cultus interiores, timor, fides & dilectio. Et quia magis intelligi poſſunt hi motus timor & fides, ideo cum quæritur quid præcipiat primum præceptum, commodiſſimum eſt reſpondere, timorem Dei & fidem. Quomodo autem fides pariat dilectionem, aliàs dicetur. *Veri cultus.*

Satisfaciunt ne homines huic Præcepto?

Lex requirit perfectã obedientiam.

Lex Dei requirit perfectam obedientiam, perfectum timorem, perfectam fiduciam Dei, perfectam dilectionem Dei, iuxta illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Sed quia natura hominis corrupta est uitio originis, ideo hæret in nobis dubitatio, carnalis securitas, concupiscentia, quæ magis amat carnalia, quam Deum. Ideo hæc infirma natura nunquam potest satisfacere huic legi, & semper accusat nos hæc lex. Nunquam enim tantum timemus aut diligimus Deum, quantum oportuit. Imò ne inchoari quidem potest obedientia huius præcepti, nisi prius audiamus Euangelium de Christo, & de remissione peccatorum.

Quomodo inchoatur hæc obedientia?

Ad inchoandam hanc obedientiam, necesse est addere Euangelium de Christo, & de remissione peccatorum. Non enim possunt humana corda Deo credere, non sentiunt se exaudiri, non diligunt Deum, nisi prius intelligant Deum esse placatum. Cum igitur perterrefacti agnitione peccatorum nostrorum, audimus nobis donari remissionem peccatorum, propter filium Dei, Iesum Christum, qui pro nobis factus est uictima. Hac consolatione eriguntur mentes, & incipiunt credere et confidere Deo, quod sit nobis propicius. Agnoscunt igitur ipsius misericordiam, & statuunt nos recipi, nos exaudiri. Ideo incipiunt eum diligere. Ita in his, qui agunt pœnitentiam, sunt terrores, timor, fides, dilectio. Et hæc obedientia tantum inchoata est, placet autem Deo, quia fide propter Christum sumus facti filij. Ita legis finis est Christus. Non enim potest fieri lex, nisi agnito Christo, placet, quia credimus Christo. In hanc sententiam inquit Paulus: Lex stabilitur per fidem. Sed de hac inchoata obedientia infrã iterum dicendum erit, nunc attigi tantum ut consideretur, quatenus obediant pij huic legi. Oportet enim pios habere inchoatam obedientiam in cordibus, nec satis est huic præcepto nosse, & profiteri ea quæ docet Symbolum, & obseruare externam disciplinam, in cultu huius Dei, quem prædicat Euangelium. Hæc obedientia est ciuilis disciplina, qualis esse etiam potest in Hypocritis, Sed oportet in corde uerum timorem, ueros pauores, & rursus ueram fidem & consolationem existere. Et qui sic agnoscunt Deum, ut apprehendant cum per hoc signum, quod nobis propositum est, id est, per CHRISTVM, & per hoc uerbum nobis datum, hi uere agnoscunt Deum, quemadmodum monemur in hoc præcepto.

Quæ sunt peccata contra primum Præceptum?

Peccata contra primum Præceptum.

Gradus multi sunt, sed omnes pugnant cum timore aut fide.

I. ἄθεοι. Primus gradus est Epicureorum, uidelicet esse ἄθεους, negare quod sit Deus, aut quod sint ei curæ res humanæ.

II. Secundus est Idolatrarum, tribuere creaturis honorem Dei, uidelicet omnipotentiam, inuocationem &c. Sicut Gentes fingebant esse multos Deos, & nunc Sancti inuocantur.

III. Tertius est Iudeorum, Mahometistarum & omnium hæreticorum, qui non apprehendunt Deum iuxta uerbum Dei propositum, sed fingunt sibi suos Deos, contra uerbum Dei. Item, confidunt certis ordinationibus contra ordinationem & mandatum Dei.

Quartus

Quartus est Magicorum, qui faciunt pacta cum Diabolo, credunt Diabolo contra mandatum Dei. Item confidunt certis ordinationibus contra ordinationem & mandatum Dei. IIII.

Quintus est eorum, qui alligant Deum ad certas statuas humana autoritate positas, aut etiam uim ipsis statuis tribuunt. Nam Esaias docet, credendum esse, quod in omni loco pariter exaudiat Deus, agentes pœnitentiam. Item impietas est, alligare Deum humana autoritate ad certas statuas, aut certa opera, humana autoritate excogitata. V.

Sextus est Hypocritarum, qui, quamuis non sunt palam ἄθεοι, tamen uiuunt in carnali securitate, & contemnunt iudicium Dei, nec habent uerum timorem Dei. Item, magis diligunt opes aut uoluptates, aut gloriam, quàm Deum. Item, non agnoscunt, quod Deo debeatur gratitudo & obedientia, quia sit Creator, & quod fruimur eius beneficijs. VI.

Septimus est desperatio & odium Dei, quemadmodum Saul desperat, & cum uidit se abiectum, irascitur Deo, & odit Deum. VII.

Octauus est impia fiducia propriæ iusticiæ coram Deo, ut Pharisæi illius Luc. xviij. Nam Hypocritæ dupliciter peccant. Non intelligunt iudicium Dei aduersus peccatum. Itaq; non uerè timent Deum. Rursus etiam transferunt gloriam, quam debebant Christo, in propria opera & propriam dignitatem. VIII.

Nonus, dubitatio perpetua in animis, an exaudiamur, an Deus respiciat nos, an Deus uelit nobis ignoscere. Huic dubitationi repugnant sancti, & fide se erigunt. Sed in impijs manet dubitatio & diffidentia, quę & ipsa gignit contemptum et odium Dei, quia imaginatur Deum aut ociosum esse, aut iniquum, crudelem, qui tot modis affligat hãc naturam infirmam, nec uelit eam liberare. IX.

Decimus est impatientia. Nam Deus subiecit humanam naturam afflictionibus. Quare Patientia est obedientia erga uoluntatem Dei. X. *Impatientia.*

Econtra, Impatientia est, repugnare uoluntati Dei, & irasci Deo, & crudelitatem aut iniusticiam Deo tribuere. Ac diligenter meminerimus impatientiam esse peccatum contra primum præceptum, iuxta illud: Irascimini & nolite peccare. Nam hæc admonitio in magnis doloribus prodest, ut discamus dolori & iracundiæ repugnare. Etsi autem erumpunt etiam sanctis interdum hi affectus, tamen hi repugnant eis, & subijciunt se uoluntati Dei.

Vndecimus, negligere & contemnere uerbum Dei, deficere ã uera doctrina, seu metu, ut Petrus deficiebat, seu propter scandala, hominum gratiam, seu quascunq; alias causas. XI.

Duodecimus, fiducia propriæ potentiæ & sapientiæ, ut Sennaherib confidebat sua potentia se euersurum esse regnum Iudaicum, nec curabat auxilium Dei, nec petebat. Denicq; generaliter peccata sunt contra primum mandatum omnis contemptus Dei, uidelicet deficere ã Deo, & contra mandata Dei facere atq; ita præferre creaturas Deo. Quare in omni peccato simul inest uiolatio primi præcepti. Nam omnis inobedientia est contemptus Dei, seu deficere ã Deo. XII.

E regione colligantur bona opera primi præcepti. Credere omnes Articulos fidei, nec assentiri Epicureis, Idolatris, Mahometistis, Hæreticis, Non tribuere sanctis honorem Dei, non inuocare sanctos, non alligare Deum ad certas statuas. Non facere pacta cum Diabolo, non confidere obseruationibus con- *Bona opera primi præcepti.*

tra ordinationem diuinam. Habere uerum timorem Dei, & ueram fiduciam erga Deum, propter Dominum nostrum Iesum Christum, Diligere Deum, hoc est, agnoscere, quod Deo debeatur gratitudo & obedientia, quia sit Creator, quia fruamur beneficijs eius, quia per Filium suum nos redemerit &c. Ac propterea non esse faciendum contra mandatum Dei, propter uoluptates, opes, gloriam aut ullam creaturam. Non habere fiduciam propriæ iusticiæ, sed petere misericordiam, & certō credere, quod per misericordiam propter Christum, Pater sit nobis propicius. Repugnare impatientiæ, & agnoscere, quod obedientia in cruce sit præstanda Deo. Non confidere potentia aut sapientia, sed auxilium Dei in omnibus negocijs petere. Non deficere ā uerbo Dei propter metum aut scandala, aut alias ullas causas. Hæc sunt opera primi præcepti. Et in omnibus bonis operibus debet addi hic finis, ut fiant propter Deum, hoc est, quia cupiamus Deo grati esse & obedire. Ita omnia bona opera aliorum præceptorum fiunt opera primi præcepti. Et uirtutes propriē pertinentes ad primum præceptum, sunt fides, timor, spes, dilectio, gratitudo erga Deum, id est, tota obedientia erga Deum. Et hæc opera atq; uirtutes, sunt cultus Dei interiores, qui sunt uerè spirituales cultus.

Quæ est pœna violati primi præcepti?

Toti Decalogo additæ sunt promissiones & comminationes, etsi non repetuntur nominatim in singulis præceptis.

Æterna mors.

Primum igitur sciendum est, æterna morte puniri uiolationem Decalogi, sicut Christus inquit Matth. v. Nisi iusticia uestra abundauerit &c. Item, Si uis in uitam ingredi serua mandata.

Pœnæ temporales.

Secundo accedunt & pœnæ temporales. Estq; primo præcepto peculiaris comminatio addita, puniens in tertiam et quartam generationem etc. Quod enim dicit uagari pœnas per multos, intelligatur de temporalibus. Itaq; magnitudo pœnarum commonefaciat nos, ut fugiamus Idolatriam & impios cultus, & conemur obedire huic præcepto. Et extant exempla, ubi Deus propter peccata maiorum deleuit, & ipsos & posteros. Vt Saul cum tota posteritate deletus est. Propter idolatriam Salomonis regnum Israël distractum est, & secuta perpetua discordia duorum regnorum, & impij cultus in Israël instituti sunt. Ita unum peccatum peperit & infinitas calamitates & infinita peccata. Hæc exempla recitantur, ut magnitudinem iræ Dei aduersus peccata consideremus, & Deum timeamus. Horrendum est enim pœnas uagari per multos propter unius peccatum. Ita unus fit reus exitij multorum.

Sed obijciet aliquis: Filius non portabit iniquitatem patris, hæc comminatio minatur filijs propter maiorum delicta, ergo est iniusta? Respondeo ad Maiorem. Maior debet intelligi de iudicio magistratus. Is tantum autorem delicti debet punire, non alios. Sed hac regula non tenetur Deus. Et sicut humanus captus non uidet, quantum mali sit in contemptu Dei, imō hoc peccatum ducit esse honestissimum. Ita Deus sancit pœnam supra humanum captum, & ipsius decretum eō est iustum, quia ipse decreuit. Deinde & hoc addendum est, pœna æterna non infligitur, nisi propter proprium peccatum. Sed pœnæ temporales uagantur per plures, Sic Ezechiel docet de Euangelio, quod tradit exceptionem huius sententiæ legis. Ezechiel enim accommodat sententiam illam ad iudicium spirituale, Filius non portabit iniquitatem patris, ui-

delicet

delicet si intelligatur de æternis pœnis. Hæc enim est propria Euangelij doctrina, quod Deus remittat peccata agentibus pœnitentiam. Item, quod nemo æterna pœna puniatur, nisi propter proprium peccatum. Item, quod etiam temporales pœnas mitiget Deus propter pœnitentiam. Itaq; has duas interpretationes hic obseruemus, uidelicet alteram de pœnis temporalibus, alteram de exceptione Euangelica, uidelicet comminatio est uera, & manet in mundo, sed excepti sunt illi, quos eximit Euangelium, scilicet, qui agunt pœnitentiam. Impijs uero hæc comminatio non est abolita, Lex Dei est æterna. Quare & hæc sententia aduersus impios manet & durat omnibus temporibus. Ideo punit Deus mundum, erroribus, bellis, dissipationibus rerum publicarum, & alijs ingentibus calamitatibus, præcipue propter peccata contra primam tabulam.

Quæ est promissio addita primo Præcepto.

Promissio est in his uerbis: Faciens misericordiam in millia diligentibus me. Vt enim Idolatris minatur pœnas, ita econtra pro ueris cultibus promittit ingentia beneficia, sicut pacem, uictorias, defensionem, fertilitatem, fœlicitatem in consilijs & rebus gerendis. Sed de promissionibus legalibus hæc quatuor moneri oportet. *Promißio præmiorum æternorum et corporaliũ quomodo accipienda.*

Primum quomodo contingant præmia, cum promissiones sint conditionales, & legi non satisfiat. Secundum addi debet, doctrina Euangelij de cruce & spiritualibus præmijs. Tertium quo ordine petenda sint præmia corporalia. Quartum quod expectatione præmiorum sit exercenda fides.

DE PRIMO.

PRomissiones legis sunt conditionales, dantur enim præmia pro nostra obedientia. Quanquam autem re ipsa nemo legi satisfacit, tamen quia Deus approbat inchoatam obedientiam propter Christum, ideo etiam præmia dat pro illa obedienia, sicut clarè inquit Christus: Merces uestra copiosa est in cœlis.

DE SECVNDO.

EVangelium interpretatur legem, docet enim de cruce, uidelicet in hac uita pios affligi, & tamen post hanc uitam habituros esse præmia. Præterea in hac uita docet contingere pijs præmia spiritualia, & quædam corporalia, quia Deus uult etiam in hac uita conseruare Ecclesiam. *Euangelium interpretatur Legem.*

Ex Lege hoc argumentum sumitur: Iustum est, ut pijs dentur præmia, impijs pœnæ, Pij sunt subiecti cruci, Ergo iniustè afflíguntur. Hic respondendum est ad Maiorem: Maior est sententia legis, quam postea Euangelium interpretatur, quod docet ordinationem Dei esse, ut differantur præcipua præmia & præcipuæ pœnæ. Præterea docet ideo pios in hac uita subiectos esse cruci, quia adhuc habent reliquias peccati, quas oportet per mortem aboleri, tametsi sunt imputatione iusti. Quanquam igitur sancti in hac uita subiecti sunt cruci, tamen afficientur præmijs post hanc uitam, Præterea multa etiam reddúntur in hac uita. Et quanquam lex non satis clarè concionatur de spiritualibus præmijs, tamen ex Euangelio discamus proposita esse pro bonis operibus præmia spiritualia, quę etiam in hac uita contingunt, uidelicet incrementa plurimarum uirtutum & donorum, sicut Augustinus inquit: Dilectio meretur augeri dilectionem. Et docet idem parabola de negociantibus in Euangelio. Promittit Christus & corporalia præmia, cum inquit: Primum quærite regnum Dei,

Dei,& cætera adijcientur uobis. Item, Accipietis centuplum, sed cum persecutione. Et Paulus: Pietas habet promissionem præsentis uitæ & futuræ. Quia enim Deus in hac uita etiam uult conseruare Ecclesiam, addit etiam corporalia præmia. Huc pertinet historia Dauidis, Ezechiæ,& similium Regum, qui gloriosis uictorijs ornati sunt aduersus idolatras, sicut promittit Deus: Glorificantes me glorificabo.

DE TERTIO.

DEus iussit peti & expectari etiam corporalia præmia. Sed modum, quo daturus est Deus, nos præscribere illi non debemus. Item gradus seruandi sunt, ut gloriam Dei pluris faciamus quam nostram utilitatem. Quare non debemus à Deo deficere, etiamsi differt, aut non uidetur dare præmia. Non enim in totum remouenda est mentio præmiorum, sed gradus seruandi sunt, quia constat mandatum Dei esse, ut præmia ab ipso petamus.

DE QVARTO.

ETiam corporalia præmia ideo proponuntur, ut earum expectatione fides exerceatur. Quare rectè discamus uti his promissionibus. Nam hæc expectatio præmiorum corporalium fit cultus Dei, cum fide & suo loco petuntur & expectantur, sicut Psalmus ait: Inuoca me in die tribulationis,& eripiam te, & glorificabis me. Vt autem intelligi possit, quomodo exerceatur fides, primum humanæ mentis cœcitas consideranda est. Adeo enim non cernit mens humana præsentiam Dei, ut somniet casu euenire bona & mala, nec sentiat Deum pœnas infligere, aut bona dare. Hac caligine & his tenebris oppressæ sunt humanæ mentes. Ideo Deus, ut hunc errorem euellat ex animis nostris, proponit promissiones & comminationes. Et sæpe inquit se dare bona, ut agnoscamus ipsius beneficia esse. Cum audis hanc promissionem: Date & dabitur uobis, interroga tuum animum, an uerè expectet bona à Deo. Obstrepit enim humana infirmitas,& clamitat se nescire, an consilio Dei certa bona nobis contingant, sed casu potius sine delectu obijci uidentur bona & mala, pijs et impijs. Primum igitur fides est cultus Dei, & opus primi præcepti, statuere, quod bona & mala contingant consilio Dei, quod Deus puniat, quod iuuet. Hic primus fidei gradus est, quem in his promissionibus exercere debemus. Deinde accedant & alij gradus. Etsi enim dictum est: Date & dabitur uobis, tamen mens tua reclamat, & disputat, Deum non tanti facere hoc tuum opus, ut propterea aliquid det, præsertim cum alioqui etiam indignus sis & peccator. Et hæ sunt causæ, cur tales promissiones minus moueant plurimos homines, quia alij cogitant simpliciter casu euenire bona & mala, alij cogitant Deum non tanti facere nostra opera, ut reddat præmia, ita duplex est impietas. Econtra igitur erudiendus est animus cum audit hanc promissionem: Date & dabitur uobis, primum ut uerè statuat, bona nobis à Deo dari & non contingere casu. Secundus gradus fidei est propriè Euangelicus. Statuendum est enim, quod hæc nostra obedientia non placeat propter propriam dignitatem, sed placeat in his, qui fide reconciliati sunt propter Christum. Quare Deus certò promissionem suam seruaturus est. Hæc fides, quæ sentit diuinitus dari bona, item quæ sentit Deo placere nostrum opus propter Christum, inuitat certè, ut demus libentius, & expectat uicissim à Deo bona, Ita opus nostrum fit quoddam sacramentum, ꝙ admonet nos diuinæ promissionis. Quare & tales promissiones diligenter inculcan-

Primus gradus fidei.

Secundus gradus fidei.

inculcandæ sunt animis,& ipsorum operum utilitas intelligenda est, & in ipsis operibus fides se exuscitat ac lucet. Quare etsi petuntur corporalia bona, tamen quia fide Deus agnoscitur, & hæc suo loco petuntur, talia opera sunt spirituales cultus Dei, sicut docet sententia Psalmi, supra citata.

Quidam indocti cum non docent petere corporalia, tollunt magnam partem cultuum Dei, scilicet inuocationem & exercitia fidei in communi uita. Imò sciendum est, totam uitam corporalem et omnia negotia & pericula, debere esse occasiones inuocationis & exercendæ fidei. Et quanquam uita corporalibus subiecta est afflictionibus, tamen ipsam quoq; curat & gubernat Deus, ut conseruet Ecclesiam. Ideoq; plenæ sunt talium exemplorum historiæ Genesis & Regum, quæ ob hanc ipsam causam nobis propositæ sunt, ut intelligamus similia pericula gubernari à Deo, & similiter à nobis requiri inuocationem, iuxta illud: Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet. Hæc in genere de commi-nationibus & promissionibus in toto Decalogo scire prodest.

DE SECVNDO PRÆCEPTO. II. PRÆ:

APtissimus ordo est præceptorum, Primum enim docet de interiore cultu mentis. Secundum de significatione externa, quæ fit inuocatione & docendo. Nam hi sunt primi cultus exteriores. Est autem propter breuitatem negatiuè positum & prohibet abusus diuini nominis. Ergo è regione quærendum est, quos bonos usus præcipiat.

Quos bonos vsus diuini nominis præcipit?

Sex, uidelicet, inuocationem, gratiarum actionem, glorificationem, confessionem, doctrinam, fidē Iurisiurandi. Inuocatio oritur ex fide, quia enim credimus, quod sit Deus, quod exaudiat, quod uelit saluare, ideo inuocandus est. *Opera secundi Præcepti.*

Discamus igitur hoc loco præceptum Dei esse, ut inuocemus & exoremus ipsum. Et hunc cultum inter summos esse, quem soli pij præstant.

Quomodo fit hoc præceptum.

Non potest fieri sine agnitione Christi, quia in inuocatione obstrepit nobis indignitas nostra, & conscientia agnoscens peccata sua, non audet sperare & petere bona à Deo. Ideo necesse est scire, quōd propter Christum Pater sit propicius & ignoscat nobis, quōd propter ipsum certō exaudiamur, & quod ipse sit pontifex, qui interpellat pro nobis, & nostras preces offert Patri. Hæc fides in Christum in oratione addenda est, ita & hic uidemus, legem non fieri sine Christo.

Gratiarum actio est externa professio, quæ etiam oritur ex primo præcepto. Nam suprà præcipitur, ut mens agnoscat Deum esse Creatorem, Saluatorem, & autorem omnium bonorum, Ac propterea deberi ei gratitudinem & obedientiam. Hic igitur præcipitur externa prædicatio beneficiorum Dei, ut alios inuitemus, ut & ipsi sentiant Deum esse Creatorem, Saluatorem, autorem beneficiorum, & incipiant eum timere, & illi credere. *Gratiarum actio.*

Glorificatio est, uitare blasphemias & scandala, & referre omnes actiones eō, ut exempla nostra præluceant alijs, inuitent eos ad pietatem, ornent gloriam Dei, reddant gratiorem & commendatiorem doctrinam, sicut præcipit Christus: Luceat lux uestra coram hominibus. *Glorificatio.*

Peccata

PECCATA CONTRA SECVNdum Præceptum.

I. Omittere inuocationem Dei, & gratiarum actionem.

II. Inuocare idola & sanctos.

III. Falsam doctrinam spargere aut defendere, & ueram deprauare, calumniari, obscurare.

IIII. Impios cultus instituere aut retinere.

V. Non confiteri ueram doctrinam, cum interrogamur.

VI. Non docere Euangelium, ubi postulat uocatio.

VII. Non consulere ambigenti Ecclesiæ, nec dijudicare ambiguas controuersias, si postulet uocatio. Nam hoc est præcipuum Episcoporum officium, curare, ut dijudicentur ambiguæ controuersiæ. Nam dubitatio est horribilis carnificina conscientiarum, & parit desperationem & impietatem.

VIII. Blasphemiæ. Pugnant cum hoc præcepto & blasphemiæ, maledicta aduersus Deum, quæ sunt uaria, ut sermones Epicurei, quibus impij & securi superbē deridēt Deum, & iudicant Euangelium esse fabulosum. Item maledicta Hypocritarum aduersus uerum Deum, & ueros cultus Dei, ut impię uoces Pharaonis & Rabsacis, & Pharisæorum aduersus Christum & Apostolos. Item maledicta desperantium. Deniq; omnes sermones, quibus concutitur fides in infirmis, & deformatur gloria Dei, sicut hoc tempore homines callidi sæpe alienant animos hominum ab Euangelio calumnijs artificioſē excogitatis.

IX. Periuria. Violant secundum præceptum & periuria, primum quia utuntur nomine Dei, cum peccent, prætextu nominis diuini conantur tegere peccata. Secundo, cum Deus ibi tanquam testis inuocetur, periurus lædit gloriam Dei, quia quantum in ipso est, Deum facit falsum testem. Tertio periurus clarē profitetur se contemnere iudicium Dei, quia iurans imprecatur sibi iram Dei, si fallat. Cum igitur fefellit sciens ac uolens, palam contempsit iudicium Dei. Hunc manifestum contemptum & Deus punit, & debent leges magistratuum punire. Cum igitur tam multa peccata sint in periurio, consuetudo sæpe iurandi sine magna causa & graui deliberatione ualde periculosa est.

X. Execrationes. Violant hoc præceptum & execrationes, quia in his inuocatur Deus contra suum mandatum, ut noceat alijs. Hic abusus quam sit flagitiosus, clarius perspici potest, si consideretur quam multa peccata sint in execratione. Primum est irreuerentia. Nam nuncupare Deum, est inuocare Deum. Est autem Deus serio & magna reuerentia inuocandus. Ita & nomen appellandum est serio & reuerenter. Plerunq; effundit execrationes uanitas quædam aut iracundia sine reuerentia. Secundo, Deus non est inuocandus, ut noceat illis, quos præcepit ā nobis amari. Iam in illis uulgaribus execrationibus inuocatur Deus contra mandatum suum, ut noceat illis, quibus debemus bona precari. Prophetæ interdum execrantur ac maledicunt, sed tantum blasphemis & obstinatis, qui non desinunt persequi ueram doctrinam & ueros cultus. In re tanta fit serio imprecatio seu execratio. Et magnitudo huius exempli admoneat nos, ne transferamus execrationes ad uulgaria negocia, quia in usu temerario recidunt in caput eius, qui abutitur nomine Dei.

XI. Violant secundum prę̃ceptum & mores mali omnium, quorum exempla nocent alijs. Item deformant Euangelium.

An lice-

An liceat iurare Christianis?

Respondeo: Concessum est Christianis Iusiurandum. Id primum exempla ostendunt, quia Paulus aliquoties iurat, ut ij. Corinth. i. Ego testem Deum inuoco aduersus animam meam &c. Et Hebr. vi. Omnis controuersiæ finis est iusiurandum. Et Lex inquit, In nomine Dei tui iurabis. Cum igitur Lex doceat iurare & extent exempla constat, quod liceat dare iusiurandum. Sed hic obijcitur dictum Christi Matth. v. Ego autem dico uobis, non iurate omnino &c. Respondeo simpliciſsime: Necesse est ἁπλοῦν in Matthæo non ita acerbè intelligi, ut tollat & disipet iudicia & Respublicas, quia Euangelium manifestè approbat in alijs locis politias & iudicia, Quare tota illa concio Christi loquitur de priuata cuiuscp mundicie, non loquitur de politijs & negocijs uocationum. Improbat igitur iuramenta, quæ sine uocatione dantur, & sine mandato magistratus. Interim non prohibet iuramento uti, quod defert magistratus, aut quo uti cogit uocatio, ut Paulus iurabat propter uocationem. Imo ex alijs scripturæ locis & exemplis discamus iuramentum ἐπακτὸν, aut quod fit uocante uocatione, licitum esse. Euangelium enim non abolet politias & iudicia. Est autem iuramentum uinculum iudiciorum & politiarum. Sicut ad Hebræos clarè dicitur: Omnis controuersiæ finis est iusiurandum. Ergo Euangelium etiam talia iuramenta concedit. Quare iuramenta delata à iudice, uel facta propter uocationem, sunt concessa, & sunt cultus Dei, iuxta illa uerba legis: In nomine Dei iurabis. Econtra, sine causa iurare, est abusio nominis Dei, quia nomen Dei inuocatur sine reuerentia. Hunc abusum Christus uult tollere, ideo addit, quod amplius est, ἀ malo est, id est, ab irreuerentia, uidelicet, cum iuratur sine causa, sine uocatione, sine mandato. Alij respondent, Christum non prohibere simpliciter iuramenta, sed iuramenta facta non per nomen Dei, quia honos Dei non est transferendus ad creaturas. Nam in iuramento tribuitur Deo, quod sit iudex & inspector cordium. Tribuitur etiam potentia puniendi. Hæc non sunt tribuenda creaturis. *Iuramenta.*

Quæ est comminatio addita huic præcepto?

Expressa comminatio est, scilicet, Qui uanè usurpauerit nomen Dei, hunc non habebit Deus insontem. Propter hoc dictum: Deus conseruat in hoc mundo pœnam periurij. Estcp hæc uox testimonium, quod Deus periuros puniat multis magnis calamitatibus, etiam cum magistratus non puniunt eos. Ideo omnes historiæ plenæ sunt exemplorum, quæ testantur tristes exitus fuisse, illorum, qui iusiurandum aut fœdera uiolauerunt. Et sunt infinitæ sententiæ scriptorum de pœna periurij, ut apud Tibullum:

Ah miser & si quis primo periuria cælat,
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

Huiusmodi sententiæ sunt acceptæ à patribus & comprobatæ experientia. Denicp sunt uox Decalogi. Cum igitur huic secundo præcepto annexa sit comminatio, sciamus semper in iuramento contineri duas res. Altera est, quod Deus citatur testis. Altera est, quod iurans imprecatur sibi pœnam. Ideocp inuocat Deum, ut puniat fallentem. Hæc enim est sententia cuiuslibet Iurisiurandi: Inuoco Deum ac peto, ut si fallo, uerè me puniat. Et hac ipsa forma olim concipiebantur ἀραὶ in fœderibus. Est igitur duplex peccatum in periurio, scilicet quod Dei gloria læditur, cum citatur tanquam falsus testis, & quod periu- *In Iuramento continentur duæ res.*

rus contemnit Deum, nec putat fore ultorem. Hanc horrendam impietatem sciamus non fore impunitam, & iuraturi toto pectore metuamus illam imprecationem,& sciamus haud dubiō ratam fore, propter hoc testimonium secundi præcepti. Quare magna religione seruentur iuramenta. Præterea sciendum est Deum hic minari pœnas,non solum periuris,sed etiam blasphemis, sicut exempla testantur publicas blasphemias, ut Rabsacis & similium, manifestis pœnis statim punitas esse.Sic & Cherinthum balneæ oppresserunt, cum ibi contumelioſos sermones diceret in Christum. Vt autem comminatio proposita est blasphemis & periuris, ita econtra intelligatur promissio proposita ijs, qui ornant gloriam Dei,sicut in libro Regum dicitur: Glorificantes me glorificabo.Quare haud dubiō iuuat pios, qui blasphemias prohibent, qui pios cultus defendunt, & tollunt impios cultus. Item, qui periuria puniunt, Item,qui reuerenter seruant Iusiurandum. Quare & Hesiodus dixit: ἄνδρὸς δ' ἐυόρκου γένεὴ μετοπισθεν ἀμείνων.

Debent ne Magistratus punire periuria?

Pertinet ad officium magistratuum punire periuria. Et ratio in promptu est. Magistratus debet tueri omnia uincula societatis & iudiciorum, Iuramentum est præcipuum uinculum politici status, Ergo eius autoritas maxime defendi debet per Magistratus. Quare omnium gentium leges constituerunt supplicia in periuros. Et Lex XII. Tabularum laude dignissima est, quæ falsum testem de saxo Tarpeio deijci iubebat. Porrō hæc ratio de Magistratu sumitur tantum à corporali necessitate, ideo alia ratio, quæ sumitur à gloria Dei, addenda est. Nam Magistratus non tantum est defensor corporis, sed etiam gloriæ Dei, quod ad externam disciplinam attinet. Tenendum est igitur hoc Argumentum: Magistratus est custos totius legis quod ad externam disciplinam attinet, sicut Paulus inquit: Lex est posita iniustis, prophanis &c. Ergo debet punire delicta externa aduersus omnia præcepta. Puniat igitur & periuria & alias contumelias externas nominis diuini,uidelicet,Epicureos sermones, atroces execrationes, & tollat idolatrias & cultus, quos intelligit esse impios. Item puniat hæreticos serentes falsa & impia dogmata, postquam res ā pijs & doctis ritè iudicata est. Hæ pœnæ omnes sunt officia huius præcepti, & habent exemplum in lege, Leuit, xxiiij. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte morietur.

An illicita iuramenta sint seruanda?

Illicita iuramenta intelligi debent, in quibus promittitur aliquid quod est peccatum,aut sine peccato præstari non potest. Vt si quis promitteret sciens se facturum iniustam cædem. Talia iuramenta non sunt seruanda. Primum autem peccat iurans de re illicita, quia Deus non uult autoritate sui nominis fieri quod prohibuit. Deinde maius peccatum est præstare talia iuramenta, sicut Herodes simulauit se coactum iureiurando, interficere Iohannem. Hinc facile est iudicium de uotis Monachorum. Irrita sunt uota,in quibus hærent impiæ opiniones, quæ lædunt gloriam Christi, & transferunt beneficium Christi in opera ab hominibus excogitata,uidelicet,cum fingunt Monasticas ceremonias esse cultus Dei,qui mereantur remissionem peccatorum &c.

Vota Monastica.

III. PRÆ:

DE TERTIO PRÆCEPTO.

Quid

Quid præcipit tertium præceptum?

Obſeruationem Sabbati, hoc eſt, conſeruationem ceremoniarum, quæ ſunt diuinitus traditæ. Sabbatum enim inſtitutum fuit cauſa docendi. Ideo Lex diſertè inquit: Sanctificabis diem Sabbati, id eſt, in res ſanctas collocabis, uidelicet, ad celebrandas publicas ceremonias, et audiendū uerbum Dei. Hęc ſunt uera opera Sabbati. Item, iam diligenter conſidera ordinem præceptorum primæ Tabulæ. Primum præceptum concionatur de cultibus interioribus, de timore, fide & dilectione Dei. Secundum de externa profeſsione, ſcilicet, inuocatione. Tertium de ceremoniis & uſu ceremoniarum, ſcilicet, quod conſeruandæ ſint propter miniſterium uerbi. Oportet enim exiſtere aliquas ceremonias quæ ſunt notæ & teſtimonium uerbi Dei. Non poterat magis concinnus ordo excogitari.

Ordo præceptorum primæ Tabulæ.

Eſt ne abrogatum præceptum de Sabbato?

Reſpondeo: Genus quod in hoc præcepto continetur, non eſt abrogatum, quæ quidem eſt principalis ſententia huius præcepti, & continet cauſam finalem inſtitutæ ſpeciei, Species uero eſt abrogata, hoc eſt, ſemper Deus requirit conſeruationem ceremoniarum, ſicut eas præcipit. Prodeſt autem aliquos eſſe certos dies deſtinatos ceremoniis, & miniſterio uerbi.

Hoc genus eſt immutabile, & eſt principalis ſententia huius præcepti. Sed ſpecies, uidelicet, ut ſeptimus dies obſeruetur, abrogata eſt, quia Chriſtiani ſunt liberi à ceremoniis Moſaicis. Interim tamen genus, quod in hoc præcepto requiritur, eſt morale. Ac propterea quod ad hoc genus attinet, Chriſtiani tenentur hoc præcepto, Quia Deus præcepit omnibus hominibus, ut ſuum officium ſinguli conferant ad conſeruationem publici miniſterij. Ita quidam eruditè dicunt: Tertium præceptum, quod ad genus attinet, eſt morale & perpetuum, ſed quod ad ſpeciem attinet, id eſt, ſeptimi diei obſeruationem, eſt ceremoniale. Et de hac ceremonia iudicandum eſt, ſicut de cæteris ceremoniis Iudaicis. Ergo peccant, qui contumaciter negligunt politicum miniſterium & ceremonias diuinitus inſtitutas. Primum, quia nolunt uti beneficio Dei, quia Deus ibi nos erudiri & exerceri uult. Deinde, quia officium ſuum non conferunt ad conſeruationem publici miniſterij. Poſtremo, quia exemplo ſuo alios abducunt à ceremoniis, & minuunt earum reuerentiam. Hæc peccata non ſunt extenuanda, Ideo docendi ſunt homines de obſeruatione huius præcepti. Sed quoniam Euangelium non alligat nos ad diem certum, piæ conſcientiæ erudiendæ ſunt, ut ſciant non eſſe peccatum ſine contemptu & extra caſum ſcandali aliquando non intereſſe publicis ceremoniis. Iudæi enim habuerunt præceptum diuinum de die & de opere. Nos habemus præceptum diuinum de opere, ſed non habemus præceptum de die certo. Contemptus eſt autem, ſi quis nunquam aut raro interſit. Nam is aut contemptu doctrinæ aut aliquo doctrinæ odio abeſt. Scandali caſus uarij ſunt, ſed præcipuus eſt, ſi quis ſuo exemplo noceat alijs.

PECCATA CONTRA *hoc Præceptum.*

Contemnere miniſterium Euangelij. Nunquam aut raro audire Euangelium. I.

Non uti Sacramentis. II.

III. Contumelia afficere Sacramenta, eaq; uel omnino ex Ecclesia tollere, uel conferre ad impios abusus, ad quæstum aut impietatem. Sicut Missæ ad quæstum turpem & impietatem collatæ fuerunt.

IIII. Abolere ministerium uerbi, aut in docendo negligentem esse, &c.

V. Instituere impias ceremonias, quæ obscurant ueram doctrinam, & officiunt uero ministerio.

VI. Dies festos conferre in conuiuia & ludos, non ad piam meditationem. Sicut enim publicas ceremonias, & Euangelium festo die publicè audire debemus, ita præstandum est, ut sobrij & apti simus ad piam meditationem.

VII. Abducere alios exemplo à publicis ceremonijs, & præbere occasionem, ut leuius de eis sentiant.

VIII. Operas, quæ impediunt ministerium uerbi, & ceremoniarum, die festo contumaciter exercere.

IX. Abolere ministerium uerbi, uel quia ministri indigne tractentur, uel quia eripiatur uictus ministris.

X. Abolere studia utilia ad conseruationem ministerij.

Opera huius Præcepti.

I. Ministerium uerbi Dei, & Sacramenta, tanquam summa dona Dei magnifacere, conferre studium ad ea intelligenda, ornanda & conseruanda. Inuitare exemplo alios, ut rectius & honorificentius de ministerio publico sentiant.

II Iuxta uocationem præstare diligentiam in docendo &c. & conseruare doctrinæ puritatem.

III. Publicas conciones frequenter audire, piè uti Sacramentis.

IIII. Retinere ueros usus ceremoniarum, nec contaminare eas impijs opinionibus, aut conferre ad quæstum.

V. Dies festos conferre ad publici ministerij celebrationem. Item in piam meditationem, & exempla, quæ inuitent alios ad pietatem. Itaq; Christus non uiolauit sabbatum curandis ægrotis, quia illa opera non impediebant ministerium. Imo erant testimonia, quibus ornabatur & confirmabatur Euangelium. Fuerunt itaq; propria & uera Sabbati opera.

VI. Tueri ministros Euangelij. Item studia quæ prosunt ad conseruationem ministerij.

Hæc sunt uera opera huius præcepti, quorum magnitudinem pios intelligere conuenit.

Violaruntne Maccabæi Sabbatum pugnando?

CVm Christus inquit: Magis uolo misericordiam, quam sacrificium, docet officia dilectionis superiora esse ceremonijs. Ergo in casu, ubi non simul poterant seruari ocium Sabbati, et necessaria defensio populi, magistratus rectè fecit, quod pugnauit, præsertim cum defenderet non solum corpora ciuium, sed ipsum ministerium. Est autem defensio ministerij opus Sabbati. Proinde necessaria officia dilectionis anteferenda sunt cæremonijs, sed ita, ne ceremonia penitus aboleatur, Et officium illud dispensationem, non abrogationem legis habeat, & ceremonia alio tempore conseruetur. Ita homines occupati rebus administrandis necessaria officia dilectionis anteferant ceremonijs. Magistratus cum propter ceremonias in aliquo necessario casu negligit officium, peccat. Et

tamen

tamen ipſe quoq; alio tempore ceremoniam conſeruet. Hæc diſiudicatio iam facilior eſt nobis, poſtquam ex Euangelio ſcimus aliquam concedi libertatem de die. Excuſat Chriſtus diſcipulos, cum uellerent ſpicas, quia faciebant opus dilectionis, & tamen tale, quo non impediebatur miniſterium uerbi. Talia officia, quæ non ſunt mali exempli diebus feſtis, non ſunt reprehendenda, modo ut miniſterio publico ſuum honorem tribuamus.

ALIA QVÆSTIO.

Quid ſentiendum eſt de ordinationibus Eccleſiaſticis?

Regula tenenda eſt, quæ extat apud Eſaiam, & à Chriſto repetita eſt.

Nullum opus eſſe cultum Dei, quod Deus non præcipit ſuo uerbo. Nam ne erremus de uoluntate Dei, & de ueris cultibus, Deus tantum illos cultus approbat, quos ipſe ſuo uerbo inſtituit. Sicut Chriſtus inquit: Fruſtra colunt me mandatis hominũ. Ac ſtatim horrenda caligo offunditur hominum animis, cũ obſtrepit opinio ex conſilijs humanis poſſe iudicare de uoluntate Dei, et inſtitui cultus. Hoc initium fuit mundo idolorum. Hic error depellit mentes à uera conſolatione, quia abducit eas à uerbo Dei, & à uera doctrina fidei. Intelligunt autem impij cultum Dei opus, quod meretur condonationem peccatorum, & alia prẽmia diuinitus. Sed uera definitio eſt, cultum Dei eſſe opus mandatum à Deo & Deo placens, cuius finis eſt proximus, ut Deus per id opus honore adficiatur. *Cultus Dei quid ſit.*

Teneatur ergo regula, Ceremonias inſtitutas ab hominibus non eſſe cultus Dei, nec mereri condonationem peccatorum, nec alia præmia. *Ceremoniæ inſtitutæ ab hominibus, cum opinione cultus aut neceßitatis impiæ.*

Porrò ut conſtat fugienda eſſe idola, ita tales traditiones abijciendæ ſunt, quæ proponuntur cum hac ſuperſtitione, quod ſint neceſſariæ, aut quod ritus illi ſint cultus, aut placent Deum, aut mereantur præmia, ut meſsis uberta-tem, uictoriam, depulſionem morborum, aut ſimilia. Conſtat enim ita creuiſſe idola, dum animi ignari doctrinæ de fide, confugientes ad ceremonias quæſiuerũt auxilium in uarijs periculis. Ideo alius teſtatus ſe petere bonas tempeſtates, inuocauit Iouem tonantem. Alius teſtatus ſe petere uictoriam, inuocauit Martem bellatorem. Deinde poſitę ſunt ſtatuę, additi certi ritus, per quos putabant Deum placari. Sic initio creuit idolomania, quam poſtea imitatus eſt orbis in inuocatione ſanctorum, & alijs ſuperſtitioſis traditionibus, Monaſtica, ieiunijs, miſſarum applicatione. De his ſuperſtitionibus omnibus ſeruanda eſt regula: Fugite idolatriam. Cæterum ſunt aliqui utiles ritus, quorum finis eſt politicus, uidelicet, quia efficiunt ordinem ſeu εὐταξίαν in hac communi uita. Eſt enim intellectus ordinis homini proprius, & actiones humanæ in hac uarietate ætatum & negociorum, poſtulant diſcrimina quædam temporum, locorum, & exercitiorum, ut in ſcholis diſtinctæ ſunt claſſes, ſunt gradus lectionum. Ita ut ſciat populus quando conueniendum ſit ad audiendas conciones, & ad uſum Sacramentorum, aliqui dies nominatim his rebus deſtinati ſunt. Hic ordo poteſt ſine ſuperſtitione ſeruari. Et quia ſeruit miniſterio Euangelij, non eſt uiolandus. Et qui uiolant, ita ut uel propter odium Euangelij abſint à concionibus, uel alios abducant ſuo exemplo, grauiter peccant. Nec iuuentuti concedenda eſt licentia negligendi publicas ceremonias. Nam conſuetudo illa adfert prophanitatem Ethnicam. Ideo diſciplinæ cauſa ſunt cogendi, ut interſint publicis ceremonijs, & audiant conciones, ut his primis exercitijs adſuefiant ad reuerentiam ueræ religionis, & ad diſcendum Euangelium. *Ritus utiles.*

De Obligatione.

Vulgares libelli recitant tria opera Sabbati, Intereſſe ceremonijs publicis, precationem & oblationem. Cum enim conueniebat Eccleſia, ſinguli offerebant aliquod munus. Ex hac collatione primum aliqua pars miniſtris dabatur. Reliqua diſtribuebatur pauperibus. Hunc morem fuiſſe & hiſtoriæ & ueteres Canones et multa ueſtigia teſtantur. Inde enim & appellationes quædam factæ uidentur, ut Miſſa, quod Hebræis ſignificat tributum ſeu collationem. Et ἀγάπη ſignificat eleemoſynas, & hoc nomine interdum pro ipſa Synaxi abuſi ſunt, quia ibi eleemoſynæ diſtribuebantur. Manauit autem exemplum ā populo Iſraël. Nam ſacrificaturi afferebant uictimam, & partem dabant ſacerdotibus. Ideoq; ſcriptum eſt: Non apparebis uacuus coram me. Rectè igitur numeratur oblatio inter opera Sabbati, ſed collationis finis immediatus & proprius ſit primum, ut miniſtros iuuemus, deinde, ut pauperibus opitulemur. Talis oblatio hoc fine facta placet Deo. Hic autem complecti debemus omnia officia erga miniſtros. Exigua quædam ſignificatio eſt reuerentiæ erga miniſterium uulgaris conſuetudo offerendi, ſed tamen hæc quoq; laudanda eſt ob eam cauſam, quia exemplum admonet, quod miniſtris debeamus gratiam & mercedem. Sciamus autem deberi eis omni tempore alia maiora officia. Cæterum ſuperſtitioſa opinio in oblationibus improbanda eſt, qualis fuit Ethnicorum & multorum noſtris temporibus, qua ingentia donaria attulerunt in templa nō hoc fine, ut miniſtros iuuarent aut pauperes, ſed quia ſentiebant Deo placere hoc ipſum opus, tanquam cultum & honorem peculiarem, et mereri ſe gratiam hoc opere, ſicut hac impia opinione etiam Iudæi cumulabant ſacrificia. Quare reprehendit Pſal. xxxxix. has ſuperſtitioſas oblationes.

ἀγάπη in ueteri Eccleſia.

DE ALLEGORIA SABBATI.

PRopria & ſimplex ſententia præcepti eſt, quam recitauimus de conſeruando miniſterio & ceremonijs. Sed alia quædam allegoria Sabbati traditur. Quia enim Moſaici ritus abrogati ſunt, quidam quærunt ſignificationem, & aiunt Sabbatum eſſe uacationem, cum uidelicet patimur Deum agentem in nobis, ideo Sabbatum intelligunt de patientia. Non improbo hanc allegoriam, ſed longius accerſita eſt, & non debet obſcurare alteram ſententiam de conſeruatione miniſterij, quæ quidem longè præſtantius opus eſt, quam patientia. Deinde Lex non tantum iubet quieſcere, ſed iubet uacuum diem ſanctificare, hoc eſt, præcipit opera certa neceſſaria ad illuſtrandam & propagandam gloriam Dei. Cæterum illud uerum eſt, quod ſanctum ſignificat allegoricè ſtatum illum inſtauratæ naturæ poſt reſurrectionem, in quo non ſolum ceſſabunt labores corporis, ſed etiam calamitates & peccata, non erimus occupati ciuilibus officijs, corpora non edent aut bibent, erimus liberi ā peccatis, & ā morte, talis quies erit illa noua uita. Sed non tantum erit quies, ſed accedet ſanctificatio, quæ eſt præcipua pars Sabbati, quia in illa quiete fruemur notitia Dei, & glorificabimus Deum. Hæc eſt allegoria uera Sabbati, ſicut docet Epiſtola ad Hebræos. Et Eſaias inquit: Erit ſabbatum perpetuum. Quia uero ſabbatum illud inchoatur per Euangelium, ideo etiam allegoria ſabbati transfertur ad tempus reuelati Euangelij, in his etiam inchoatum eſt ſabbatum, in quibus inchoata eſt illa noua & æterna uita. Nec inutilis eſt collatio conſiderare, quod Sabbati opus adumbret uitam æternam. Monet enim in uita æterna non ſolum quie-

tem

tem futuram esse, sed talem quietem, in qua homines notícia Dei fruentur, & Deum glorificabunt. Sed ut Allegoria ad futuram uitam pertinet, ita meminerimus in hac uita, opus esse hoc externo sabbato, uidelicet ministerio uerbi Dei & ceremoniarum. Id nunc intelligendum est & præstandum omni cura, ut obediamus, & illa summa beneficia Dei scilicet ministerium uerbi & ceremonias intelligamus, ueneremur & conseruemus.

DE QVARTO PRÆCEPTO.

Quid præcipit quartum Præceptum?

PRæcipit ut propter Deum obediamus parentibus, magistratibus, doctorib. & cæteris, quib. parentes suam uicem commiserunt. Primum aũt ordinem considera. Prior Tabula tradidit opera, quibus cum Deo proprie agimus & quæ sunt instituta ad spargendam & propagandam noticiam Dei. Secunda Tabula continet officia, quæ seruiunt proximo, & huic societati hominum necessaria sunt, in qua oportet existere gubernatores. Ideo primum sancitur lex de obedientia. Oportet & uitam, coniugia, res defendi, esse contractus & iudicia. Ideo adduntur cætera præcepta: Non occides, Non mœchaberis, &c.

Ordo præceptorum in utraq; Tabula.

Suntne opera secundæ Tabulæ cultus Dei?

Duplex obedientia est omnium sequentium legum, impia & pia. Impia est, cum homines sine timore Dei, sine agnitione Christi & uera fide præstant externa officia, quæ leges imperiorum honestæ flagitant, ut obtemperent legibus ciuitatum suarum. Plato, Aristoteles, Marcellus, Cicero aut similes. Hæc obedientia, etsi disciplinæ necessaria est, tamen nondum est inchoatio præcepti diuini, nec est cultus Dei.

Duplex obedientia, pia & impia.

Alia est pia obedientia politica, seu exterior seu interior, cum uidelicet intelligunt pij, se diuina uoce subiectos esse parentibus & legitimis magistratib. ac doctoribus. Itaq; addunt timorem Dei, obtemperant propter Deum, & agnoscunt filium Dei Saluatorem, & fide statuunt propter filium Dei placere inchoatam obedientiam. Dictum est autem supra, omnia præcepta ad primum esse referenda. Sic fiunt opera politica cultus Dei, cum accedunt timor Dei, & agnitio filij Dei Saluatoris nostri, & fides, Cumq; referuntur politica officia ad gloriam Dei, hoc est, ut Deo obediamus, & his officijs eius gloriam ornemus, ac noticiam propagemus aut conseruemus.

Hæc regula fit illustrior propositis exemplis. Scipio & Dauid gerunt res similes, uterq; defendit suam Rempublicam ingenti uirtute, & clarissimis uictorijs. Porrõ Scipio non habet hunc finem propositum, ut doctrina de Deo propagetur aut conseruetur, non refert suas uictorias ad illustrandam gloriam Dei. Sed Dauid ideo suscipit certamina & labores, ut defensa patria conseruetur uera doctrina de Deo, ac propagetur. Ita singulorum officia in tota uitæ societate intueantur Deum. Quia hanc ipsam ob causam ad societatem conditi sumus, ut alij alios de Deo, & de rebus bonis doceant. Ideoq; Deus tam uarijs uinculis & officijs homines inter se copulauit, ut illa ipsa officia sint exercitia confessionis, & monstrent, quid de Deo sentiamus. Huc pertinet dictum Christi: Luceat lux uestra coram hominibus, ut glorificetur Pater cœlestis. Proponit finem, ad quem referri omnes actiones debent, uidelicet, ut innotescat ac celebretur Deus. Et cum inquit: Luceat lux uestra, uult in ipsis factis con

ſpici confeſsionem & ſententiam noſtram de Deo. Ideo dimicat Maccabæus, ut teſtetur ſe approbare doctrinam de Deo traditam populo Iſraël. Ideo Paulus perfert ærumnas & ſupplicium, ut teſtetur ſe approbare Euangelium de filio Dei. Sic omnino noſtra officia in ſocietate ciuili ſint directa ad confeſsionem. Oſtendant quid ſentiant Principes in imperando, Senator in dando conſilio, Populus in obtemperando, ſinguli in contrahendo. Voluit Deus multiplices eſſe actiones uitæ, ut eſſent occaſiones exercendi timoris Dei, fidei & confeſsionis. Hæc eſt cauſa uera uarietatis actionum humanarum, quæ quidem fiunt cultus Dei, ſi ſunt diuinitus præceptæ, ac reguntur uerbo Dei, & accedunt timor Dei, & agnitio filij Dei ac fides, & referuntur ad gloriam Dei, ut dictum eſt. Monachi uituperant officia politica, eiſq; detraxerunt honeſtiſsimum titulum ac ueram laudem, uidelicet cultus Dei. Et hoc præconium tranſtulerunt ad ceremonias, aut monaſticas ſuperſtitiones. Hunc errorem ſæpe reprehendunt Prophetæ, ut Oſeas: Miſericordiam uolo, non ſacrificium. Item Eſai: Iudicate uiduæ &c. Sed contenti ſimus Chriſti teſtimonio, qui honorificè ornat ſecundam Tabulam, inquiens Matth. xxij. Secundum autem SIMILE HVIC, Dilige proximum ſicut teipſum. Conſideranda eſt enim Emphaſis in uerbo Simile. Haud dubiè taxabat opinionem Hypocritarum, qui ſe efferebant propter ceremonias, & leuius ſentiebant de ciuilibus officijs, qualis arrogantia nunc quoq; in Monachis eſt, & cæteris, qui magno precio Miſſas uendunt. At Chriſtus monſtrat ueros cultus. Omnes fatebantur primũ præceptum concionari de cultibus Dei, Hic addit Chriſtus, ſimile eſſe præceptum de dilectione proximi. Ergo Deus non minus uult coli officijs ſecundę Tabulæ quam primæ. Hęc uox Chriſti exuſcitet nos, ut maiore ſtudio hęc ciuilia officia pręſtemus, quia inquit, Hoc mandatum ſimile eſt alteri, docet flagitari hæc officia, & placere Deo non minus, quam ea, quæ docet prima Tabula. Sed intueri debent, ac referri ad eius gloriam, ut dictum eſt.

Quæ ſunt Parentum, Magiſtratuum & aliorum Gubernatorum officia?

Mirum uideri poteſt, cur nominatim expreſſerit officium ſubditorum, cum uideatur prius fuiſſe dicendum de officio gubernatoris. Sed cauſa hæc eſt, quia officium gubernatoris expreſſum eſt in ipſis præceptis reliquis prioribus & ſequentibus, parentes & magiſtratus uult eſſe cuſtodes harum legum, & iuxta has leges regere eos, quibus præſunt, curent eos doceri de Deo, & aſſuefieri ad ueram inuocationem Dei & ceremonias diuinitus traditas, ali & coherceri, ne polluantur cædibus, libidinibus, furtis, mendacijs. Hanc eſſe ſummam officij parentum & magiſtratuum facile poteſt intelligi. Itaq; cum lex ipſa eſſet uox gubernatoris, non fuit opus addere, quid ſit faciendum magiſtratui. Ac ſemper tenenda eſt hæc eruditiſsima definitio, quæ extat apud Ariſtotelem: Magiſtratus eſt cuſtos Legis. Ita dicimus parentes eſſe cuſtodes legis in œconomica diſciplina, Magiſtratus publici ſunt cuſtodes legis in publica ciuitatis gubernatione, quam tueri oportet ſupplicijs corporum. Etſi autem Decalogus breues habet ſententias, tamen ſciendum eſt, ingentem molem negociorum & operum comprehendi. Paulus etiam breuiter officia parentum complexus eſt, inquiens: Educate filios in doctrina & caſtigatione Domini. Tria beneficia coniungit, ut alant, ut erudiant, ut caſtigent, iuxta doctrinam cœleſtem.

Parentum officia.

De cura

De cura alendi etiam præcipiunt humanæ leges, & puniunt crudelitatem parentum, qui uelut corui deserunt paruos natos, eosq; non alunt. Sed quia homines nascuntur, ut noticia de Deo propagetur & celebretur, ideo non satis est natorum corpora fouere, sed etiam addenda est doctrina, præcipuè tradita ā Deo, sicut hic inquit Paulus. Et alibi ait scriptura: Narrate ea filijs uestris. Curent parentes tradi liberis præcipuē doctrinam cœlestem de Deo, de lege Dei, de Euangelio ac beneficijs donatis generi humano propter filium Dei, Iesum Christum, Seruatorem nostrum, de uenturo iudicio, de uita æterna. Deinde etiam tradant aliquam artem uitæ utilem, literas aut aliam.

Sicut in alio loco hortatur Paulus, ut pij discant artes honestas, ut possit eorum esse usus in gubernatione Reipub. & alijs honestis negocijs huius communis uitæ ad Titum ultimo: μανθανέτωσαν δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων προΐστασθαι εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι. Discant nostri honestis officijs præesse ad necessarios usus, ne sint inutiles, id est, discant literas, religionis doctrinam, iura, medicinam, aut alias artes laude dignas, exerceant se in militia, ut seruire Ecclesiæ & Reipublicæ possint. Non uult Paulus Christianos se abdere in specus, & esse inutilia terræ onera, ut Monachi olim suo ocio consulebant & suæ tranquillitati, sed uult nos suscipere labores & pericula ad communem societatem hominum iuuandam, quam Deus instituit. In his occupationibus luceant fides, confessio, obedientia erga Deum, et uera beneuolentia erga cęteros homines. Quomodo potuisset innotescere ac propagari cœlestis doctrina, nisi Prophetæ, Apostoli & cætera lumina Ecclesiæ, gessissent magistratus, adiuuissent ciues, deuinxissent sibi honestos homines pijs officijs? Ideo iubet disci artes, quarum usus uitæ communi necessarius est. Ex his satis intelligi potest, quarum artium doctrinam parentes liberis tradere debeant.

Pertinet eadem cura & ad magistratus. Intueantur hi quoq; Decalogum, curent proponi ciuibus ueram doctrinam de religione. Recte constituant Ecclesias & scholas. Puniant Epicuræos, idolorum cultores, defensores impiorum dogmatum, periuros, deditos magicis præstigijs. Pacem, pudicitiam, facultates defendant, iudicia exerceant, ut cætera præcepta docent: Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non dices falsum testimonium. Et finis sit pacis, non ut perfrui uoluptatibus homines possint, sed ut doceri Ecclesiæ, Dei noticia in terris conseruari, disciplina retineri, & regi mores possint. Hic est finis, propter quem pax expetenda est, non ut in ocio uoluptates quæramus. *Officia Magistratus.*

Quare & Paulus ad Timotheum de hoc fine concionatur, cum iubet precari pro Magistratibus, ut tranquillam & quietam uitam agamus, in omni pietate & honestate. Curent igitur Magistratus depelli latrocinia, retineāt pacem, Ad quos fines? ut conseruetur pietas & honestas, id est, ut doceri Ecclesiæ, institui iuuentus, & mores regi possint.

Nam hæc domestica gubernatio cum satis per se sit negocioſa, habet opus pace. Tumultus & trepidationes publicæ impediunt discentes, non possunt conuenire homines certis temporibus. Non possunt Magistratus leges de disciplina condere, iudicia exercere, quærere idoneos gubernatores, dare stipendia, inspicere operas, publicos reditus & ædificia tueri, nisi sit tranquillitas. Ideo Deus restituit aliquando pacem imperijs, ut interea rursus instaurari Ecclesiæ, scholæ, disciplina, studia, leges possint. Hæc qui putat sine magnis & uarijs laboribus mediocriter posse perfici, ualde errat. Ideo opus est domestica

pace,

pace, qua tamen quia homines plerunq; abutuntur, ut est natura hominum prona ad uoluptates,& facile abijcit timorem Dei, præsertim cum pœnæ non sunt in conspectu,ideo Deus punit impietatem hominum frequentioribus & atrocioribus bellis ac seditionibus. Hæc breuiter de officijs magistratuum admonuisse satis sit, quorum summam ita facilimè comprehendemus animo, si Decalogum intuebimur, & cogitabimus Magistratum huius diuinæ Tabulæ custodem esse.

Cur textus inquit: Honora patrem & matrem?

Honos duo complectitur,Interiorem reuerentiam,& externam obedientiam.

Ordo politicus & personæ.

Sunt autem obiecta duplicia,Personę,ut parentes,magistratus,doctores. Alterum obiectum est,ipse ordo politicus diuinitus institutus,qui conseruante Deo legem suam, retinet societatem ciuilem. Est enim ordo ille,ipsa legis diuinæ in externa disciplina conseruatio. Ac secundum obiectum prius aspiciatur. Non dubium est, ordinationi ac legi Dei honorem deberi. Vt autem hæ gratissimæ uices temporum, diei & noctis,æstatis ac hyemis, & leges motuum cœlestium uerè sunt ordinatæ ā Deo, sic uerè Deus est autor totius societatis humanæ,deuinxit homines inter se,coniugio,procreatione et educatione liberorum, mutuis contractibus & officijs,imperijs,addidit legis noticiam,tanquam munimentum huius societatis. Nec tamen aut constitui, aut durare imperia possent,nec exequi legem Dei homines sine diuina ope possent. Ideo Deus excitat & adiuuat gubernatores, & suam legem ipse exequitur, gubernat & armat manus Magistratuum in puniendis iniustis cædibus, flagitiosis libidinibus,furtis, ut conseruari societas possit. Cumq; hanc ipsi Magistratus dissipant, uidelicet, cum tyranni monstrosis libidinibus se polluunt, rapiunt aliorum coniuges aut liberos, exercent iniustam crudelitatem, defendunt manifestam idolatriam, mutat Deus ipse imperia, ac excitat uicinos reges aut populos qui tyrannos puniant,& leges ad honestam disciplinam restituant. Ita excussis imperio Chaldæis & Assyrijs, summa potentia ad Cyrum translata est, qui puniuit tyrannos, defendit Ecclesiam, restituit leges, iudicia, disciplinam. Deleto Antonio Deus tradidit habenas imperij Augusto. Deus euexit Constantinum oppressis tyrannis Diocletiano, Maximiano, Maxentio. In hanc sententiam ait Daniel: Deus constituit & transfert regna.

Cumq; has ordinationes sine personis consideramus, uidelicet hominum consociationem,coniugium, ciuiles cœtus,imperia, iudicia, leges, disciplinam, magis apparent & ordinis pulchritudo & utilitas. Ac uidemus in hoc ipso ordine lucere sapientiam Dei, & mirificam bonitatem seu beneficentiam erga nos. Delectant oculos uulgi spectacula. Quod potest autem cogitari pulchrius spectaculum hoc ordine,si animo secernamus uicia, quæ diabolus ac hominum improbitas & infirmitas admiscent? Quam est honesta societas mariti, uxoris, liberorum,cum inter se amant,iuuant, certant officijs, inuocant una uoce Deū, curant propagari & cōseruari Dei noticiam & ueros cultus? Quid est ciuitatis forma iucundius,in qua rectè constitutæ sunt Ecclesiæ, magistratus tuentur disciplinā,ciues obtēperant,sunt concordes, habent suos cœtus ueræ religionis et iudiciorū causa,habent congressus honestissimos in templis,in curia,in scholis, colunt studia literarum, quęrunt uictum honestis artibus,quibus uita opus habet,cultura agrorū,mercatura,opificijs,edificant, muniūt urbes aduersus latrocinia.

cinia. Et ciuiũ omniũ uoluntates ſpectant ad hũc finẽ, ut in hac ſocietate rectè colatur Deus, & Deo obediatur, propter hanc cauſam defendunt patriam communi animo & conſilio. Quod ſpectaculum iucundius hoc ordine cogitari poteſt?

Sed incurrunt in oculos uicia & confuſiones œconomiarum & politiarum, contumacia liberorum aduerſus parentes, coniugum diſcordiæ. Et in imperijs tyrannides ſuperiorum, negociatorum fraudes, libidines principum, & uulgi, doctorum diſſenſiones, magiſtratuum negligentia, & alia multa incommoda. Qualia monſtra interdum regnant, ut Nero, Sardanapalus & ſimiles.

Hac tetra ſpecie deformatur ordinatio Dei, ne uere conſpiciatur, nec putetur hæc ſocietas ciuilis, Dei munus eſſe. Sed exiſtimentur homines ſine Dei conſilio concurriſſe, ut ſe defenderent contra beſtias aut latrocinia, ut multi prophani arbitrantur, imperia caſu oriri, ruere, transferri ab alijs gentib. ad alias.

Hic docenda eſt iuuentus, ut diſcernat ordinem, leges, contractus, iudicia, à uicijs deformantibus ſocietatem. Nam uicia à Diabolo & humana infirmitate oriuntur, ut hæc dicta monent: Diabolus eſt mendax & homicida. Item, Deus non eſt autor ἀκαταστασίας, id eſt, diſſipationis imperiorum. Item, Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt.

Primus igitur honos eſt, de quo hic præcipitur, agnoſcere res ipſas, uidelicet, coniugium, œconomias ac politias à Deo inſtitutas eſſe, & eius auxilio conſeruari, ac lucere in his ordinationibus Dei præſentiam, ſapientiam, bonitatem & amorem erga nos. Et agnoſcentes hæc beneficia gratias agere Deo autori debemus, eumq; orare, ut conſeruet, & depellat diabolum, qui diſſipare hanc harmoniam conatur. Ad hunc gradum honoris pertinet & prædicatio ſeu celebratio harum rerum, ut iuuentus diſcat eas à Deo ortas eſſe, & aſſuefiat, ut pijs precibus à Deo petat horum munerum conſeruationem. Eſt & grati animi, libenter obedire propter Deum, cauere mala exempla & ſcandala, quibus bonæ ordinationes diſſipantur, & leges obruuntur, denicq; officijs res tam utiles tueri. Hactenus breuiter dictum eſt de priore obiecto. *Primus gradus honoris.*

Alterum obiectum honoris, perſonæ ſunt, parentes, doctores, & qui imperia tenent. Horum eſt diſſimilitudo ingens. Sed regulam hanc ſequi omnes debebant: Parentes & cæteri gubernatores ſint uiua lex, id eſt, cuſtodes Legis diuinæ. Quis autem non intelligit eas perſonas amandas aut honore afficiendas eſſe, per quas Deus impertit tanta beneficia, religionem ueram, leges, iudicia, pacem, generi humano?

Tales fuerunt gubernatores, Moyſes, Ioſue, Samuel, Dauid, Salomon, Ioſaphat, Ezechias, Ioſias, Cyrus, Conſtantinus, Theodoſius. Eſt igitur alter honos, qui perſonas intuetur, agnoſcere hoc quoq; Dei munus eſſe, habere parentes, qui officium ſuum faciunt, bonos doctores, ſalutares principes. Nam ordinatio ipſa ſeu leges ſine cuſtode ſeu executore, ſunt infirmæ, ut dicit græcus uerſus: Ἴσχυρον ὁ νόμος ἢν ἄρχοντα ἔχῃ. Valida res lex eſt, cum principem habet. Ad hunc gradum honoris pertinent hæc officia, gratiarum actio pro talibus perſonis, precatio pro eis, obedientia, reuerentia perſonæ debita, ueritas, ſeu candor & æquitas in legibus & actionibus earum iudicandis, condonatio aliquarum imbecillitatum. *Alter gradus honoris.*

II.

Officia pertinentia ad alterum gradum honoris erga Parentes & Magiſtratus.

De gratiarum actione & precatione mandatum extat 1. Tim. ij. Certum eſt enim, ſapientes, iuſtos & fœlices gubernatores ſingularia Dei dona eſſe, ut Salomon grauiſsimè dicit, Vt Oculus uideat, & Auris audiat, Deus facit utrunq;,

utrunq; Oculus significat gubernatorem, Auris populum audientem, ut ergo hæc sint in officio, id est, ut magistratus sit uigilans & intentus,& ut prospiciat communi utilitati, & ut adsit autoritas, quæ moueat cæteros, ut adsentiantur bene monenti,& obtemperent uolentes,hęc haud dubiẽ Dei opera sunt.Quare si qua regio, ciuitas aut Ecclesia habet mediocres gubernatores, agat Deo gratias,pro tanto munere, & sedulò oret, ut Deus regat ac adiuuet eos, quia profecto uera est sententia Iohannis : Non potest sibi homo quicquam sumere, nisi datum ei sit de cœlo. Nulla gubernatio fœlix est, nisi Deo iuuante, Quare Dauid inquit: Benedictus Deus, qui docet manus meas ad prælium. Item : Qui dat salutem Regibus. Et Salomon inquit : Qui potest regere tantam multitudinem populi? Da ergo mihi cor sapiens.

III. De obedientia præceptum extat Rom.xiij. Necesse est obedire magistratibus,non solum propter iram, id est, non solum propter legum pœnas, sed etiam propter conscientiam. Hanc sententiam meminisse necesse est, quia hic est uerus neruus,qui politias continet & coagmentat. Ideo enim magna pars hominum,id est, omnes sani obtemperant iustis legibus, & mediocribus gubernatoribus, quia intelligunt se Deo hanc obedientiam debere, & ex hac Pauli uoce discunt pollui conscientiam contumacia, hoc est,fieri mentem ream Deo, excuti ex gratia Dei, mereri iram Dei & æternas pœnas. Tenenda est igitur regula certissima tradita hoc loco uoce Apostoli. Peccatum mortale est, id est, quod meretur iram Dei & æternas pœnas,contumaciter repugnare iustis legibus politicis, & mediocribus gubernatoribus. Sed de iniustis postea dicetur.

IIII. De reuerentia personæ debita. Dixi primum in bona gubernatione Dei præsentiam & munera agnoscenda esse, & constituendam obedientiam, hac constituta, si persona etiam diuinitus gubernatur, hanc ipsam quoq; amemus, nobis anteferamus, & nos ei subijciamus & prædicemus dona Dei, quibus ornata est, sicut uenerantur Hetei Abraham, ac inquiunt: Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos. Et mulier Thecuites dicit ad Dauid: Tu autem Domine mi rex sapiens es,sicut habet sapientiam angelus Dei. Discant autem hic pĩ ueram reuerentiam in animo sitam discernere ã fucosis officijs adulatorum, gradus etiam obseruent, ut tribuamus debita munera, non aliena & Dei propria, sicut Ethnici suos reges Deos nuncuparunt, & in templis eorum statuas horribili furore coluerunt & inuocarunt : Amet miles Dauidem,& uera animi reuerentia illum sibi anteferat, sed sciat hominem esse Deo subiectum, ministrum diuini muneris,ornatum ã Deo,daturum etiam pœnas,si suo munere abutatur, & hac sollicitudine eius infirmitatem deploret, ac petat, ut ã Deo adiuuetur. Ac tot millibus annorum uix unus & alter fuerunt Dauidis similes, ut Moyses, Samuel. Cæteri omnes etiam laudati principes quantum habuerunt & habent infirmitatum,quarum consideratio in bonis ciuibus non impedit reuerentiam, sed accendit sollicitudinem, ut pater pius & amans liberorum, si quem uidet in filio morbum, non ideo minus amat, sed miseratio auget beneuolentiam,& excitat sollicitudinem de eius salute. Simul autem admonet patrem humanæ infirmitatis, & docet discernendam esse hanc miseram & fragilem naturam ab æterna,& petendum esse auxilium ab æterna, uidelicet a Deo, qui ideo uoluntatem suam nobis patefecit, quia uult agnosci, inuocari, seruare inuocantes &c.

V. De ueritate seu candore & æquitate in iudicandis magistratuum actionibus

bus generale mandatum diuinum teneatur: Non dicas falsum testimonium. Item Leuit:xix. Non sis calumniator in populo. Et Prouerb. xij. Abominatio coram Deo labia mendacia. Etsi autem in uniuersum mendacia & calumnias Deus prohibet, tamen quia calumniæ, quibus deformantur Magistratus & Leges, magis ornari solent prætextu aliquo, prodest in doctrina de honore debito imperijs, nominatim de his calumnijs monere adolescentiam, eamq; diligenter ac serio hortari, ut se assuefaciat, ne cito, inexploratis fontibus negociorum iudicet de factis Magistratuum, aut de Legibus. Semeias calumniatur Dauidem, ac uocat eum uirum sanguinum, quasi ipse suo consilio regnum Sauli eripuerit, aut insidiatus sit uitæ Saulis & eius posterorum. Hæc conuicia apud impios cum quadam specie plausibiliter dicebantur, cum tamen reipsa falsissima essent. Talia sæpe accidunt bonis gubernatoribus. Sæpe audimus querelas de iudicijs, de foro, imō & de ipsis forensibus legibus, etsi autem in tanta hominum infirmitate aliquid accidit uicij, tamen uidendum est, ne res bonas iniustè damnemus propter abusus aliquos, qui accidunt: Amemus ueritatem & candorem in iudicandis rebus, nec pronunciemus inexploratis causis & fontibus negociorum.

De condonatione aliquarum imbecillitatum admonet nos exemplum V I.
filiorū Noe, Cham maledicitur, quod irridet patrem, qui casu nudatus fuerat. Et multa sunt prȩcepta de hac uirtute, quę nō quidem probat ulla uicia, sed quosdā mediocres morbos in superioribus, & in cæteris quædam honesta animi moderatione tollerat. Ingens enim est humanorū animorum imbecillitas. Si maritus coniugem, si pater liberos, si amicus amicum mox abiecturus esset, cum leuis aliqua offensio incidit, quantum mali accideret? Vult igitur Deus gradus teneri, quæ offensiones dissimulandæ sint, & quæ condonandæ communi tranquillitati & saluti, quæ econtra non sunt negligendæ. Si Princeps non est tyrannus, id est, si studet recte facere, & plerumq; recte facit, etiamsi interdum errore aliquo peccat, ut hallucinabatur Dauid, cum Sibæ mentienti attribueret Domini possessiones, aut habet aliquos leues morbos, hæc dissimulanda & æquitate quadam tolleranda sunt. De hoc genere præcipit Petrus, inquiens: Obedite Dominis, non solum bonis & æquis, sed etiam morosis & durioribus. Dixi de honore, qui tribuendus est bonis & mediocris gubernatoribus. Sed quid sentiendum est de tyrannis? Respondeo: Hæc tria discerni debent, res, persona, & uicia à diabolo rei admixta. Res est politicus ordo, qui est opus Dei, ut sæpe dictum est. Hunc amabat Paulus, etiamsi Neronem uerè, & ex animo oderat & execrabatur, quem norat horribiliter agitari à Diabolo, detestabatur etiam rei uicia, id est, aliquas iniustas leges, & iniustas expilationes. Deinde & hæc regula tenenda est: Cum tyranni præcipiunt, ut ciues faciant contra aliquod mandatum Dei, anteferendum est mandatum Dei, & non obtemperandum impio edicto tyranni, ut in Actis Apostoli docent: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Ita Daniel, & eius socij in Babylone, etsi in politicis officijs excellenti studio obediebant regi, tamen cum edictum proponeret de adoranda statua, magno animo palam testati sunt, se non obtemperaturos esse.

Ita nunc, cum mandant Pontifices, Reges aut Principes, ne populus audiat puram Euangelij doctrinam, ne pius sacerdos ducat uxorem, & ne omittantur impia spectacula Missarum, & inuocatio mortuorum &c. His edictis nequaquam obtemperandum est, sed pij sciant idola fugienda esse, sciant &

confessione uera & graui testimonium fidei edendum esse. Et quia singuli ac priuati non defenduntur aduersus tyrannos per superiores ordines, qui partem tenent gubernationis, consolatur nos Deus, & ostendit sæuitiam illam ferendam esse pijs, singulis & priuatis, & testatur se uicissim sanctos ornaturum esse gloria, & puniturum esse Tyrannos. Ideo scriptum est: Preciosa mors sanctorum. Et Psalm. lxxi. Preciosus sanguis eorum coram eo. Et Matth. v. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam &c. Non igitur mouerunt seditiones Baptista, Christus, Apostoli, sed iniurias tulerunt & uindictam Deo commiserunt.

Nec tamen ideo summi ordines concedere Caligulæ, Neroni & similibus tyrannis licentiam omnium scelerum debebant. Sed quia pars sunt consilij publici & gubernationis, ad officium eorum pertinet, remouere tales furias à gubernatione, & in omni officio pios defendere, sicut Ionathas Dauidem texit, & milites honestiores, in cohorte Saulis nolebant interficere Sacerdotes, & Abdias excepit hospitio & pauit Prophetas, quibus Iesabel necem minata erat. Et recte Traianus Imperator dixit, cum designaret præfectum prætorio, eiq; de more ensem publicè traderet: Hoc ense, si iustè imperabo, pro me utaris, Sed si iniustè imperabo, contra me utaris. Gradus sunt in imperijs Dei consilio constituti, ut plures conferant consilia & operas, non ad contumelias Dei stabiliendas, non ad polluendam rerum naturam iniustis cædibus, & flagitiosis libidinibus, sed ad ornandam gloriam Dei, & ad disciplinam tuendam, & ut gradu aliquo aberrante, cæteri gradus tamen excubent pro communi salute, & frenum injciant immaniter grassanti. Micheæ septimo Deus testatur se irasci conspirationi malorum gubernatorum, & minatur eis commune exitium. Princeps postulat, & iudex in reddendo est, id est, Principes & iudices inter se colludunt, & mutuas operas tradunt. Hæc ne fiant grassantem Tyrannum iudices, id est, socij gubernationis cohercere debent. Debent honorem & ipsi Magistratus politico ordini, ne existiment se ad illud fastigium euectos esse, tantum ut habeant licentiam omnium cupiditatum, sed ut ipsi suo loco seruiant politico ordini, tanquam diuino operi seu diuinæ Legi, & hunc ordinem ueris officijs tueantur. Nam & ab ipsis Deus reposcet rationem administrati muneris, ut apud Ezechielem capite xxxiij. dicitur: Ecce ego ipse super pastores, & requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos. Et Esai. x. Væ condentibus leges iniquas, & iniusta scribentibus, id est, iniustas sententias ferentibus, aut iniusta mandantibus, ut opprimant in iudicio pauperes etc. Quid facietis in die uisitationis & uenturæ calamitatis?

Gradus in Imperijs.

Quid complectitur obedientia debita Magistratui?

OBedientia complectitur beneuolentiam animi, omnia officia legitima, operas militiæ, & similes necessarias communi defensioni societatis humanæ, & tributa seu collationem pro modo facultatum. Oritur autem uera beneuolentia ex illis ipsis fontibus, qui honorem seu reuerentiam pariunt, quia scis politicum ordinem esse Dei opus, ac lucere in eo Dei sapientiam & bonitatem erga genus humanum, uides & magnitudinem utilitatis. Quid est enim dulcius & pulchrius societate ciuili, & præsertim honestis & moderatis imperijs, quæ ornant religionem, iuuant studia uirtutis, sunt præsidio iustis, reprimunt & puniunt

Obedientia debita Magistratui quatuor complectitur.

niunt petulantiam, libidines, iniurias? Deinde quia personam boni aut mediocris Magistratus uides esse custodem tanti muneris, uides & sapientia & uirtute præditum esse, existunt in omnium sanorum hominum mentibus uera reuerentia & uerus amor erga rempub: id est, ordinem politicum, & personam custodẽ tanti muneris. Vt igitur in liberis erga parentes sit σοφγ & uera ardens dilectio sic in populo sit uera beneuolentia erga imperia & magistratus.

Legitima officia sunt omnia honesta opera legibus mandata, ut cum prohibet Magistratus cædes, iniurias, libellos famosos, prouocationes, monomachias, gestationem armorum, uagas libidines, obscœnas saltationes, helluationes &c. Offendunt Deum contumaces in his rebus dupliciter, & quia Dei mandata uiolant, & quia turbant politicum ordinem. Operæ militiæ intelligantur hæ, quas in causis honestis ciues suscipiunt, delecti à suis dominis ad communem defensionem in acie, in obsidionibus, in excubijs, & omnibus laboribus huius generis, uoco & militiam, forensem administrationem, imò & has nostras scholasticas operas, quæ omnes sunt directæ ad conseruationem honestæ societatis, disciplinæ & religionis. Et quidem Iohannes Apostolus grauissimè nos monet, singula membra Christi cæteris membris defensionem debere, etiamsi uita nostra in discrimen adducenda sit, 1. Iohan. iij. In hoc agnoscimus dilectionem, quod ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quare Christiani defensionem Christianis contra Turcas & Tyrannos debent, quatenus possunt, & accedunt duces & mediocres exercitus, μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μαχή, inquit Euripides.

Tributa uoco ordinarias pensiones, & extra ordinarias ordinationes, si tamen probabilis ratio sit cur petantur. Nam cum ciues uitam impendere Reipub. cum opus est, debeant, iustum est eos etiam ad communem defensionem pecunias conferre. Sed ut peccant principes, cum in bellis iniustis obijciunt ciues trucidandos hostibus, ita peccant, cum sine probabilibus causis supra usitatas & ordinarias pensiones ciues nouis & immoderatis collationibus onerant. Sciant gubernatores se quoq; subiectos esse Legi diuinæ, Non furtum facias. Distinctæ sunt res principum & ciuium. Et munita est proprietas diuina Lege, quare singuli à rebus aliorum abstinere debent, ut infra dicetur. Ideo & Baptista dixit: Non plus quam constitutum est uobis, exigite. Item: Contenti estote stipendijs uestris. Sit igitur modus aliquis horum onerum. Ita pingitur princeps in Daniele, ut Arbor, sub qua multi fructus legunt & pascuntur. Præbeant umbram ciuibus, id est, sint præsidio iustis, & pabulum concedant, defendant & corpora & res eorum. O magnam duriciem eorum, qui non afficiuntur his populi miserijs, cum uident propter immoderatas expilationes tenuiores ciues cum paruis liberis fame contabescere, cum uident alios mediocres ita compilari, ut nec studia, nec Ecclesias fouere possint. His rebus adfici pias mentes summorum & infirmorum iustum est, quare summi sciant non iniustis & immoderatis expilationibus onerandos esse ciues, sciant facultates pauperum non profusioni aut rapacitati potentum seruire, sed publicæ necessitati. Rursus & ciues in causa probabili sint officiosi erga dominos, sed modo facultatum, sicut iubet Christus dare eleemosynas, ἐκ τῶν ἐνόντων, id est, pro facultatibus, ex eo quod habemus ac dare possumus.

DE PROMISSIONE ADDITA

Quarto præcepto.

VNiuersæ Legi additæ sunt promissiones præmiorum, quæ reddentur obedientibus, & comminationes pœnarum, quibus adficientur contumaces. Quid enim esset Lex sine præmijs & pœnis? Passim autem hæ promissiones & comminationes repetitæ sunt, sed ut sint in conspectu, aliquæ coniungantur, ut hic primo & secundo præcepto, & quarto expressè additæ sunt, tum promissiones, tum comminationes, quas sciamus non esse inanes uoces, sed uera Dei oracula, quibus respondent euentus. Nam etsi Ecclesia est subiecta cruci, & causæ magnæ sunt huius mirandi consilij Dei, tamen in gubernatione politica Deus est custos disciplinæ, ac atrocia scelera sine ulla dubitatione corporalibus pœnis punit, ut uidemus homicidas, etiam cum latuerunt, ac euasisse iudicia putantur, tamen mirabiliter ad supplicium retrahi. Hæc manifesta experientia fateri coëgit Ethnicos saniores, Deo curæ esse hominum facta, displicere Deo iniustam crudelitatem, & puniri eam diuinitus. Idem iudicatum est de periurio, & de incestis libidinibus, & de his, qui parentes contumelijs adfecerunt, ac hodie usitato prouerbio dicitur, Tragico genere mortis moriturum esse, qui parentes contumelia adficit. Ipsi etiam meminerimus multa exempla.

Vt igitur supra monui, promissiones & comminationes additas esse, ut ad fidem & timorem Dei exuscitemur, ita & in officijs huius præcepti, Deum intueamur mandantem, & approbantem hæc officia, & uindicem contumaciæ. Multos ignaros Dei, ipsa tamen naturæ bonitas inuitat, ut foueant liberos, sint officiosi erga parentes & cognatos, iuuent communem societatem ciuium. Ac nisi hanc uirtutem & σοφγκὴρ Deus in natura hominum foueret, nulla esset politia. Sed nos qui doctrinam cœlestem audimus, sciamus, non solum hac naturali inclinatione hæc officia præstanda esse, sed accedere oportere timorem Dei, qui impellat, ut perpetuo et ardenter ea præstemus, hoc cõsilio, ut Deo nostram obediẽtiam declaremus. Colligamus ergo sententias et exempla, quę ostendunt pœnas huius uitæ, ut Cham maledicitur à patre. Absolon & Siba, qui seditiones mouerunt contra Dauidem, interficiuntur. Maxentius, qui bonum principem, filium Constantini, Constantem perfidiosẽ & crudeliter interfecit, sibi ipsi postea mortem conscíuit. Gratianum modestum principem interfecit Maximus, qui postea à Theodosio captus, supplicio adfectus est. Deniq; longissima series esset, si omnium seditiosorum exitus recensere uellemus. Sed tamen utile est, hæc exempla in historijs considerare, ut iudicium Dei metuere discamus, congruunt enim exempla ad hanc uocem Christi: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Accipit enim gladium is, qui non datum à Legibus priuata ambitione aut iracundia stringit. Et Rom. xiij. dicitur, Qui resistunt potestati, pœnam sibi acquirent. Et Prouerb. xxiiij. Time Deum, fili mi, & regem, seditiosis nec te adiungas, quia subito peribunt.

Pœnæ uiolationis quarti præcepti.

Nec tamen satis est de pœnis corporalibus concionari, sed addenda est doctrina de æternis pœnis. Ideo Paulus utraq; complectitur cum ait: Necesse est obedire, non solum propter iram, id est, pœnas, sed etiam propter conscientiam. Testatur pollui conscientiam contumacia, id est, excuti gratiam, Spiritum sanctum, & fidem, & amittere hæreditatem æternæ salutis, ac fieri reum iræ Dei, ac ruere in æternas pœnas, nisi lapsus iterum ad Deum conuersus fuerit. Polluta conscientia est à Deo auulsa, non inuocat, sed fugit Deum. Quid potuit igitur à Paulo tristius hoc loco dici? Quæ est maior miseria, quam esse auulsum à Deo, non inuocare Deum, non regi, non iuuari à Deo, ac deniq; ruere in æternum

num exitium? Harum pœnarum metus in animis iuuenum & imperitorum excitandus est, ut hoc quasi freno regantur, & temerarios impetus coherceant, assuefaciant se ad amandam tuendamq; disciplinam, sint morigeri parentibus, obtemperent politico ordini. Nec dubitent diuinitus puniri petulantiam & disciplinæ contemptum.

Dixi primum de pœnis, quia magis mouentur animi mentione pœnarum, & quædam incurrunt in oculos. Conferatur & doctrina de præmijs. Hæc obscurior est, & non intelligitur, nisi à pijs & exercentibus fidem in his corporalibus promissionibus, quæ quidem ideo Deus addidit præceptis, ut in quotidiana uoce sit occasio exercendæ fidei & inuocationis, ut quia dictum est: Date, & dabitur uobis, iuuat paterfamilias pauperem uicinum, & petiturus uicissim uictum & suarum facultatum defensionem, primum in inuocatione quærit fide remissionem peccatorum, postea statuit uerè & hanc corporalem uitam, hanc suam sedem, domum, politiam, suos agellos, prata, uineas, Deo curæ esse, tertio petit uictum, & harum rerum conseruationem. Ita promissiones corporales de multis rebus pios admonent, quod cum in hoc præcepto dicitur, transferatur ad omnia. Duo fratres sunt in eadem familia, Esau & Iacob. Excruciat Esau parentes ductis uxoribus impijs, quæ contumelioſe socerum & socrum tractabant, Imperat & ipse superbius in paterna domo, expulso fratre, cui insidiabatur. Nec metuit pœnas, nec præmia diuina curat. Econtra uero Iacob & parentes ueneratur, & fratrem amat, metuit enim iudicium Dei & pœnas, deinde intelligit etiam præmia esse proposita, facit hoc officium, ut bona conscientia Deum inuocare possit, deinde agnoscit hæc corporis bona etiam Deo curæ esse, & petit se defendi ac iuuari. Ita fidem & inuocationem exercet, dum studet omni officio lenire mœstitiam parentum & cedit fratri. Ornatur ergo ingentibus præmijs à Deo, eruditur mirandis testimonijs, defenditur inter hostes, locupletatur, seruatur, ut senex uideat florentem filium Ioseph.

Præmia obedientiæ erga quartum præceptum.

Ionathas magno cum dolore uidit patris sui Saulis iniustum furorem, & sæpe grauissimè reprehendit. Sed discernit ordinem diuinum & uicium, quod diabolus admiscuerat. Non adiuuat patrem molientem exitium Dauidi, sed seruit naturæ ordini, diligit eum, & ingenti dolore afficitur propter scelus patris, deinde seruit regno, id est, tuetur politicum ordinem, & sustinet totam molem ueræ gubernationis. Nam hic iuuenis uerius rex fuit, quam pater. Cur igitur unà cum patre interficitur, cum hic promittatur longæuitas illis qui colunt parentes? Respondeo: Ingenti gloria fuit antea à Deo ornatus, accepit igitur pro uirtute etiam in hac uirtute præmia. Et quanquam ipse singulari Dei consilio tollitur è medio, ne de regno certamina incidant inter Dauidem & ipsum, tamen eius posteritas mansit ac floruit gloria tanta, ut fortissimi uiri à Ionatha orti recenseantur usq; ad tempora exilij Babylonici, cum quidem reliqua tota posteritas Saul statim post ipsum deleta sit. Hæc series posteritatis Ionathæ annotata est 1. Paralip. vij. Accessit igitur præmijs Ionathæ & hæc conseruatio diuturna, & ut sic dicam, longæua posteritas, annorum ferè quingentorum. Hæc & similia exempla iuuentus consideret, & discat uerè Deo curæ esse etiam corporis bona, & dari ea pro officijs disciplinæ erga parentes, Magistratus, præceptores: Consideret quanti sint labores, quantæ curæ educationis, quis uerus amor parentum erga liberos, quanta beneficia sint institutionis. Pro his tantis rebus agnoscat se debere gratiam. Deus intellectum gratitudinis

Ionathæ exemplum.

tudinis indidit humano generi,& homines inter se obligat ad referendam gratiam,cuius ob causam? ut discamus in his cõmunibus exemplis etiam ipsi summo conditori,qui et corporis bonis,et æterna gloria nos ornat,gratiam deberi.

Vt igitur excitentur mentes ad gratitudinem Deo præstandam, assuefaciendæ sunt ad hanc uirtutem, tanquam his primis rudimentis. Quomodo mens aget gratias Deo æterno, quod naturam condidit, quod fœcundat quotannis terram,ut nos alat,quod condidit genus humanum ad uitam æternam, & Filium misit, ut restitueret uitam æternam, quod tradidit certam doctrinam Legis & Euangelij, quod Ecclesias & politias constituit, si tanta est durities καὶ ἀσοφγία,ut nec matris pericula & dolores,quos in partu sustinuit,nec assiduos labores educationis,quos ambo parentes sustinuerunt,magni æstimet,nec propter hæc officia parentibus se subijciat? Sunt tales naturæ multæ,quarum feritas detestanda est, & commonefaciendi sunt pueri, ut hanc ipsam ob causam discant intelligere & colere gratitudinem debitam hominibus, ut excitentur ad gratitudinem Deo præstandam. Deinde,quia ætas tenera ac rudis nondum uidet quanti sint labores gubernationis, horum etiam magnitudo aliquo modo eis declaretur, ut discant se gratiam & magistratibus debere. Ac omnino quoties fit mentio gratitudinis, de quarto præcepto Decalogi cogitent, sciant eam contineri in hoc præcepto,& flagitari diuinitus, ac Deo placere, sciant puniri diuinitus ingratos,ut Salomon in Prouerbijs inquit: Non recedet malum à domo ingrati. Semper autem accedat & hæc cogitatio: Ideo hominibus inditus est intellectus gratitudinis, ideo hæc communia officia nobis præcipiuntur,ut discamus Deo deberi gratitudinem. Est autem gratitudo uirtus seu iusticia quædam, qua uoluntas se obligat illi, à quo beneficium accepit,ad mutua officia debita proportione, ad diligendum eum, à quo beneficium proficiscitur ad ornandum eum aut tuendum, ut narratur Marci cuiusdam, qui præturam gesserat, & Bruti partes secutus fuerat, insignis gratitudo. Hic Marcus cum post pugnam factam in campis Philippicis captus esset, ac inter seruos uenditus, emptus est à quodam Barbula, qui fuit amicus Antonij. Etsi autem Marcus erat ignotus Barbulæ, tamen ingenij uis, prudentia, moderatio morum digna uiro nobili elucebat. Quare eum Barbula in comitatu secum duxit, non tam ut seruum, quam ut amicum. Forte igitur, cum tandem Romam eum secum duxisset,ibi agnoscitur Marcus. Agnitum Barbula propter uirtutem seruare cupit. Quare ei per Agrippam ab Augusto ueniam impetrat, qua impetrata,non solum libertatem ei reddit, sed ipsum quoq; restituit Reipublicæ & honoribus,uenit enim Marcus in Augusti noticiam & familiaritatem. Audisti beneficium Barbulæ. Nunc gratitudinem Marci cognosce. Post Actiacam pugnam superato Antonio mirabili casu Barbula inter uictos uenditus,emitur à Marci procuratore. Cum autem aliquanto post ad Marcum adductus esset, mox agnoscitur. Memor igitur Marcus accepti beneficij, exponit Augusto quod acciderit, ac ostendit se necessariò deprecari pro Barbula, à quo antea seruatus sit. Laudat Augustus Marci officium, & propter uirtutis admirationem dat ueniam Barbulæ. Iam Marcus uicissim libertatem reddit Barbulæ,eumq; Reipublicæ & honorib. restituit. Rara sunt hæc exempla, & multò plures sunt ingrati. Nec rarò accidit hoc,quod in Tragœdia quispiam quæritur: Men', seruasse, ut essent qui me perderẽt? Sed quia rara uirtus est gratitudo,ideo mediocri diligentia rudis ætas assuefacienda est,ut eam intelligere & colere discat.

Gratitudo ad quartum præceptum pertinet.

Gratitudo quid.

Historia Marci et Barbulæ.

Hacte-

Hactenus de pœnis contumaciæ inferiorum & præmijs obedientiæ dixi. Sciant autem & gubernatores ad se quoq; minas & promissionem pertinere. Parentum negligentiam grauiter puniri testatur exemplum sacerdotis Eli. Imò magna pars calamitatum humanarum oritur à parentum & gubernatorum negligentia, ac ne sim prolixior, unam hanc sententiam adscribam, quæ semper in conspectu esse parentibus & præceptoribus adolescentiæ debet. Non est uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis istis. Si quis læserit unum de paruulis istis in me credentibus, melius ei esset, mergi eum in mare &c. Magnum & atrox scelus est uel negligentia frenos disciplinæ iuuentuti laxare, uel praua institutione, aut malis exemplis eam corrumpere. Hæc quam sit usitata in uita, nimis manifestum est. Cum parentes aut præceptores sunt Epicuræi, non assuefaciunt suos ad agnitionem & timorem Dei, interdum alunt & confirmant malas opiniones. Hæc scelera puniri diuinitus non dubium est, sicut Deus inquit: Contemnentes me, reddam contemtos.

Minæ & promißiones pertinentes ad gubernatores & parentes.

Econtra uero pios ac uigilantes parentes, præceptores, & magistratus multa docet promissio de exercenda fide, eoscp magnopere confirmat. Magnum, difficile, ærumnosum & periculosum onus sustinent Magistratus omnes, in quo gerendo, experientia docuit magnos & mediocres reges ac duces, gubernationem rem esse supra hominum sapientiam & uires positam, ac Dei auxilio indigere, qua de re extant innumeræ sententiæ, etiam in Ethnicis scriptoribus, sed nos credamus grauissimo testimonio Baptistæ, Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi ei sit datum desuper.

Exercent igitur pij Magistratus fidem, cum petunt & expectant à Deo consilium & auxilium in tota gubernatione. Ac norunt pij hoc exercitium, & sciunt hanc inuocationem non esse irritam, Sicut pulcherrimum exemplum extat. ij. Paral. xx. Cum ignoramus quid agendum sit, hoc unum restat, ut oculos nostros ad te dirigamus. Sæpe autem accidit, ut negocia incidant, quæ consilijs humanis inextricabilia sunt: In his cum facere officium suum magistratus studeant, & fide auxilium petunt, sentiunt se iuuari à Deo, etiamsi euentus non prorsus nostris cogitationibus respondent, ut supra de Ionatha dictum est. Hæc est uera politica sapientia, supra Aristotelicam, & supra consilia sapientum, qui Deum non uerè inuocant, sed decurrunt ad uaria & inconcessa præsidia. Hæc etiamsi non intelligit rudis ætas, tamen monenda est, ut discant hæc duo, faciendum esse officium, nec admiscenda esse mala consilia, & petendam, ac forti, magno & constanti animo expectandam esse defensionem à Deo, sicut Psalmus xxxvi. ait, Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet. Item, Subditus esto Deo, & ora eum. Item, Expecta Deum, & custodi uiam eius. O salutarem sapientiam, quæ & euentus parit fœlices, & in periculis magnam consolationem et constantiam consiliorum adfert.

DE REVERENTIA ET OBEDIENTIA DEBITA MINISTRIS EVANGELIJ.

ETsi in tertio præcepto dictum est de ministerio Euangelij conseruando, tamen maximè probandum est, quod in hoc quarto præcepto docent de obedientia & reuerentia præstanda pastoribus Ecclesiarum rectè docentibus. Sed semper tenenda est æterna & immutabilis regula: Fugite idolatriam. Item: Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Quare necesse est uitare

Obedientia erga Euangelium.

idola, necesse est discedere ab ijs, qui idola & impias opiniones defendunt, etiamsi uocantur ordinaria potestas, ut auditores Baptistæ & Christi oportuit dissentire à Pharisæis damnantibus Baptistæ & Christi doctrinam. Etsi autem dolendum est, fieri magnas distractiones ac discordias, quæ pariunt alia multa mala, cædes, bella, mutationes imperiorum, tamen mandatum Dei, Fugite idolatriam, est immutabile. Rectè igitur faciunt, qui seiungunt se à defensoribus idolorum & impiarum opinionum, nec sunt suffragatores in defensione idolorum, libidinum & parricidiorum. Hoc sæpe dictum est, & hic dici locus postulat. Deinde de Pastoribus recte docentibus Euangelium, & non defendentibus aliquos impios errores, hanc doctrinam necesse est infixam esse omnium animis, deberi obedientiam ipsi ministerio Euangelij, sicut dicit æternus Pater de Filio: Hunc audite. Et Filius ait de ministerio: Qui uos audit, me audit. Quare execrandus est furor maximæ multitudinis hominum, quæ contemnit Euangelium & ministerium Euangelij. Debetur & ipsis pastoribus recte docentibus obedientia in his, quæ ad ministerium pertinent, id est, in Euangelio, & uera iurisdictione tradita in Euangelio. Item dilectio, reuerentia, uictus, defensio. Hæc aliquoties præcipit Paulus, ut 1. Thess. ultimo: Eos qui præsunt in uerbo, diligite excellenter propter ministerium eorum, & pacem erga eos tuemini. Et ad Hebræos ultimo: Obedite doctoribus uestris & obtemperantes eis, ut cum gaudio & non gementes suo munere fungi possint. Singularis doctrina hoc præcepto continetur, cum ait, Vt fungi possint suo munere non gementes. Nam cum per sese omnis gubernatio, maxime uero Ecclesiastica difficilima sit, & plena ærumnarum, ualde cumulantur ærumnæ, cum ad externa impedimenta accedit domestica contumacia. Econtra uero cum domi concordia est, facilius sustineri certamina cum externis hostibus possunt. Ideo iubet auditores, ut suo obsequio leniant gubernatoribus cæteras difficultates, & induant eosdem affectus, ostendant se publicam tranquillitatem priuatis negocijs anteferre, quod nisi fiat, cumulantur impedimenta.

Obedientia erga ministros.

Reuerētia debita ministris Euangelij quæ & quid sit.

Reuerentia autem, quam nominaui, est agnoscere eos diuino ministerio fungi, ac nosipsos subijcere huic ministerio, nec maledicere ueræ doctrinæ, nec calumniose deprauare rectè dicta & rectè facta piorum pastorum. Postremò & moribus eorum infirmitatem aliquam condonare, quæ tamen non coniuncta est cum impietate, nec manifestam turpitudinem continet. Id significat Christus, cum lauat pedes Apostolorum, & exemplum eos imitari iubet. Tunc lauas pedes sacerdotum, cum sordes eorum placidè detergis, & tua diligentia offensiones sanas, non exulceras. Contrarium faciunt homines prophani, nec solum acerbè exagitant leuia uicia aut errata, sed etiam uirulentis calumnijs recte dicta & recte facta deprauant, & insidiose aucupantur & captant aliqua, quæ in speciem reprehendi & traduci possunt. Hæc sycophantia non est leue peccatum, quare se quisq; adsuefaciat, ut rectè docentes ex animo ueneretur, & si quam habent imbecillitatem, sine impietate, & sine manifesta turpitudine, cogitent sese etiam uicia habere, quorum ueniam ita sint impetraturi, si & alijs ipsi ignoscant, ut ait Christus: Remittite, & remittetur uobis. Nota est uetus fabula de duabus manticis. Sua uicia homines gestant in mantica quæ pendet in tergo, aliena gestant in contraria. Cur tui pastoris morbos uides, tuos negligis. Hæc iudiciorum peruersitas, gignit postea alias pestes, liuorem & odia, quæ inuocationem impediunt. Et interdum pernicioſa diſſidia ſequuntur

quuntur in Eccleſijs,quæ rectè conſtitutæ fuerant. His malis cum occaſionem præbet iudicij tui peruerſitas de rectè docentibus, ſcias ad te pertinere triſtiſſimam concionem Chriſti: Væ homini,per quem exoritur ſcandalum.Cæterum longior eſt doctrina de ritibus,quos Epiſcopi ſeu paſtores inſtituunt, ſeu ut uulgo dicimus,de traditionibus humanis. In Eccleſijs recte inſtitutis, ubi ritus ſeruiunt miniſterio Euangelij, quod cum Deus publicum eſſe uelit, ordine quodam adminiſtrandum eſt, teneatur regula, quod propter conſeruationem miniſterij & bonum exemplum ſeruandi ſint illi ritus, quia non pugnant cum Euangelio. Sed quod extra caſum ſcandali, uiolatio non ſit peccatum. Sed ritus impij fugiendi ſunt, inuocatio mortuorum, oblatio pro uiuis & mortuis in Miſſa, & aliæ ſuperſtitiones. Et irrita ac nulla eſt autoritas legum, quæ pugnant cum mandatis diuinis, ut legis de cœlibatu, Sed hæc aliàs copioſius dicuntur.

Ritus qui ſeruiunt miniſterio ſeruandi ſunt.

DE QVINTO PRÆCEPTO. V. PRÆ:

POſtquam obedientia conſtituta eſt in quarto præcepto, reliqua deinde præcepta tradunt ordine uera officia debita proximo,ſcilicet ne corpori, coniugi,fortunis alterius noceamus.Item,ut ſimus ueraces,ſeruantes pacta &c.

Quæ ſunt peccata pugnantia cum hoc præcepto?

Duplicia ſunt,exteriora & interiora. Exteriora ſunt, iniuſtè corpus alterius lædere externo aliquo facto.Item iuuare aut approbare tales iniurias. Item non defendere eos, quos tueri debuimus. Hic gradus habet pœnam corporalem.Deus enim ſeueriſſimè mandat,ut homicidia puniantur. Nec mandat ſolum,ſed ipſe eſt cuſtos huius Legis, nec relinquit impunitos homicidas,ſicut teſtantur hæc uerba: Vox ſanguinis fratris tui clamitat &c. Et Chriſtus inquit: Qui gladium acceperit,ſcilicet non datum ā Magiſtratu & Legibus,gladio peribit.Quare etiamſi quis effugerit Magiſtratuū manus aliquandiu,tamen ſciat ſe Dei manum effugere non poſſe,qui mirabiliter retrahit ſontes,etiam ad corporales pœnas. Ita Deus ſua ope hanc Legem conſeruat, ut retineat pacem in ſocietate humana, & oſtendat, ſe hoc exemplo puniturum eſſe peccata. Hæc prodeſt infigi intimis ſenſibus pectoris, & ut timor Dei coherceat homines, & agnoſcamus præſentiam & iudicium Dei. Ac exempla priuata & publica teſtantur Deum eſſe uindicem, ut neces tyrannorum, pœnæ mouentium iniuſta bella, item crudeliter imperantium. Sed interiora peccata ſunt cupiditas nocendi in animo, odium, maleuolentia, ἀσοργία, negligentia in defenſione, quia Lex Dei requirit perfectam obedientiam, ideo non ſolum præcipit, ne manu noceamus, ſed etiam ne cor nocere cupiat. Sic interpretatur Legem Chriſtus Matth.v.& requirit perfectam obedientiam.

Peccata quinti præcepti.

Quæ ſunt bona opera huius præcepti?

Duplicia ſunt,politica & ſpiritualia. Politicum eſt,abſtinere ab externa cæde, non iuuare, non approbare iniurias corporum, defendere eos, quos tueri debemus. Hæc eſt politica iuſticia,quę exiſtere poteſt etiam in impijs, & requirit eam Deus, ac retinet pacis publicæ cauſa, & ornat corporalibus præmijs, ut iuſta bella gerentes defendit, ut Romanis dedit Imperium. Interiora opera ſunt in timore Dei, & fide & agnitione Chriſti, uel obedire Deo in hoc præce-

Opera quinti præcepti.

præcepto,uacare odio,maleuolentia, cupiditate nocendi, dolere uicem eorum, qui iniurijs afficiuntur, habere uoluntatem defendendi & iuuandi alios, esse placabilem,non esse tenacem simultatum aut offensionum, non esse cupidum uindictæ.

Est ne licita vindicta?

Vindicta mandata Magistratui.

Vindicta mandata Magistratibus, est opus, quod fit autoritate & mandato Dei iuxta Leges. Ideo propriè & uerè pertinet ad hanc sententiam: Mihi uindicta,& ego retribuam, id est,Dei est uindicta,quam Magistratus legitimè exercet. Multæ autem partes sunt uindictæ legitimæ, iudicia, bella, defensio legitima aduersus latrones, pœna legitima latronum & tyrannorum. Hæc concessa sunt etiam Christianis,quia Magistratus est res bona,& ordinatio diuina,qua licet uti Christianis,Rom.xiij. Sic fuerunt in imperijs Ioseph, Dauid, Centurio, & multi sancti principes & Reges. Sed priuata uindicta prohibita est,sicut Paulus inquit: Non ulciscentes uosmetipsos. Est autem priuata uindicta,quæ fit sine autoritate Magistratus. Itaq; etiam Magistratus priuatam uindictam exercet,cum sine legum autoritate, priuata cupiditate innocentes lædit.

Vindicta priuata.

Quæ virtutes pertment ad hoc Præceptum?

Virtutes & uitia pertinentia ad Quintum præceptum.

Dilectio proximi, iusticia in non lædendo, beneficentia in defendendo, Mansuetudo imperans irę,placabilitas,clementia et ἐπιείκεια in mitiganda acerbitate imperiorum, misericordia, φιλοσοργία, quæ est affici alienis bonis & malis. Vicia opposita sunt,odium,maleuolentia,iniusticia, cupiditas nocendi, cupiditas uindictę,desertio eorum,quos defendi oportuit,crudelitas,quæ pugnat cum ἐπιείκεια, implacabilitas, ἀσοργία, non esse misericordem. Gaudere in alienis malis. Non affici alienis bonis aut malis.

Peccatne Dauid,cum ait: Perfecto odio oderam eos?

Zelus propter gloriam Dei non pugnat cum Quinto præcepto.

Non peccat. Nam irasci propter gloriam Dei, & amorem iusticiæ, est uirtus, & quidem peculiaris & excellens motus inest sanctis uiris, inflammatis studio defendendæ gloriæ Dei,aut defendendæ iusticię,aut ira aduersus impietatem & turpitudinem. Hic impetus placet Deo, sicut Phines propter zelum promittitur sacerdotium. Et iiij. Reg. laudatur Iehu, qui inquit: Vide zelum meum pro Domino. Et alibi dicitur: Zelus domus tuæ comedit me,id est,exarsi magno impetu defendendæ domus Dei. Hoc effectu Helias,Helisæus occiderunt impios, & Prophetæ maledicunt impijs, ut in Psalmis apparet. In heroicis uiris est similis quidam impetus defendendæ iusticiæ,puniendæ turpitudinis,tuendæ Reipub.&c. Hunc affectum Philosophi uocauerunt Nemesin. Et quanquam talis ira est heroica, nec simulari potest, sed est peculiare donũ Dei, tamen Magistratus, quantum fieri potest, talem zelum & talem iram imitari debet. Sed nunc peccatum est irasci, cum priuata cupiditate incitati irascimur, uidelicet,non principaliter propter gloriam Dei, aut amorem iusticiæ, aut odium turpitudinis,sed quia nobis commoda nostra eripiuntur,& interturbantur uoluptates. In talibus priuatis causis irasci, odisse alios, & incendi cupiditate uindictæ,sunt peccata contra præceptum: Diliges proximum sicut teipsum. Et Christus Matth.v. refert ad hoc præceptum,Non occides. Item iubet inimicos diligi, & prohibet priuatam uindictam.

Atq; hic cauendum est,ne priuatis affectibus atq; odijs prætexatur species zeli, ut hypocritæ & tyranni sæpe faciunt. Postremõ in hoc præcepto consideren-

siderentur comminationes & promissiones. Comminationes aliquas supra recensui. Homicidia haud dubiè punit Deus etiam corporalibus pœnis, sicut ait Christus: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et de Abel dicitur: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Econtra proponamus nobis etiam promissiones, ut ad clementiam & cohibendam cupiditatem uindictæ nos inuitent. Christus inquit: Beati mites, quia possidebunt terram. Item, Remittite & remittetur uobis. Et Ecclesiastici xxviij. Aduersus ulciscentem Deus exercebit uindictam, & peccata illius seruabit. Item, Remitte proximo, qui tibi nocuit, & tunc deprecanti tibi remittentur peccata. Inprimis autem in Repub. necessaria uirtus est cohibere cupiditatem uindictæ, quia ibi nisi interdum dissimulemus iniurias, existunt ingentes motus. Hic condonandæ sunt iniuriæ communi tranquillitati, sicut docet præceptum, Dilectio est uinculum integritatis, id est, ne dissoluatur Ecclesia. Valde laudatur Græcum illud præceptum, μὴ μνησικακεῖν.

Comminationes et promissiones quinti præcepti.

Quomodo fit hoc præceptum, & quomodo placet Deo, & fit cultus Dei?

Omnia præcepta referenda sunt ad primum. Nam hoc fine omnia fieri debent, ut in ijs officijs Deo obediamus. Ita igitur fit hoc præceptum, cum prius fide statuimus, nos propter Christum placere Deo, & postea incipimus obedire Deo in his præceptis. Timemus Deum, nec uolumus eum offendere. Ideo abstinemus ab iniusta uiolentia, repugnamus iracundiæ, reprimimus odium. Et hæc exercitia non sunt facilia. Ideo pij in hoc certamine adiuuantur à Spiritu sancto. Hæc inchoata obedientia, etsi procul abest à perfectione, tamen propterea, quia sumus in Christo, placet Deo, sicut & Psalmus concionatur pijs: Irascimini, & nolite peccare, id est, resistite iræ. Fit autem cultus Dei propter finem, quia hoc fine præstatur, ut Deo obediamus in his officijs. Item propter ipsum retineamus Ecclesiæ tranquillitatem.

Opera V. præcepti quomodo fiant cultus Dei.

SEXTVM PRÆCEPTVM.

VI. PRÆ

Non Mœchaberis.

Quid præcipit Sextum præceptum?

APprobat coniugia, coniugalem consuetudinem. Deinde prohibet omnes uagos concubitus, & prohibet non tantum externa facta, sed etiam affectus impuros & incendia animorum, sicut Christus interpretatur: Qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est.

Recita comminationes additas huic præcepto.

Non solum est imbecillitas magna in animis hominum, qua fit, ut facile inflammetur concupiscentia, sed etiam horribilis cæcitas est, quæ facit, ut extenuent homines hoc peccatum, nec uideant iram Dei aduersus hoc peccatum, nec moueantur minis æternarum pœnarum aut corporalium pœnarum. Nam maximæ calamitates humanæ plerunq; sunt pœnæ idolatriæ, tyrannidis & libidinum. Ita in causis diluuij recensentur libidines. Sodoma conflagrarunt propter nefariam impuritatem. Ciues Sichem interfecti sunt propter stupratam filiam Iacob. Deinde in deserto propter libidines una die uiginti tria millia homi-

Comminationes VI. Præcepti, & exempla punitæ libidinis.

lia hominum perierunt: Postea ferè tota tribus Beniamin deleta est propter stupratam Leuitæ uxorem. Filij Heli propter adulteria perierunt. Dauidis adulterium magnas ipsi & regno calamitates attulit. Ostendunt pœnas huiusmodi flagitiorum etiam aliarum gentium historiæ, ut Troia propter raptam Helenam euersa est. Romæ tota Respublica mutata est propter Lucretiam ui compressam. Deinde propter Appij scelus, qui Virginij filiam rapere conatus est, iterum mutata est Respublica. Plutarchus narrat duas puellas ã Laconicis iuuenibus per uim stupratas deinde interfectas esse. Narrat & alia quædam facinora, sed in pugna Leuctrica Lacedemonij uicti sunt ad sepulchra illarum puellarum, ut appareret Deum ulciscí illa stupra. Pausanias Spartanus propter raptam & interfectam puellam, postea fame necatus est. Miletus, Sybaris, Athenæ, & aliæ Græciæ ciuitates, denicq; Roma propter libidines euersæ sunt. Constantinopolim aiunt etiam ante captiuitatem horribilibus sceleribus pollutam fuisse.

Has Historias attigi breuiter, ut similia exempla obseruentur uetera & recentia, eacq; sciamus non casu accidere, sed pœnas esse diuinitus irrogatas pro talibus flagitijs. Ac certissimum signum est impendentis exitij imperijs & ciuitatibus, quando ad ipsa uicia accedit impunitas & contemptus peccati. Sicut Esai. iij. dicitur: Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt. Cum talis est licentia, sciamus non procul esse pœnas. 1. Corinth. vi. Fornicatores, adulteri, &c. non erunt hæredes regni Dei. Et sequitur deinde longa concio, Ephes. v. Omnis fornicatio & impudicitia non nominetur inter uos. Galat. v. Opera carnis sunt adulterium &c. qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Coloss. iij. Fornicatio & impudicitia &c. propter quæ uenit ira Dei super inobedientes. 1. Thess. iiij. Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis ã fornicatione. Hebræ. xiij. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Hebr. xij. Sequimini sanctificationem, sine qua nemo uidebit Dominum. 1. Pet. ij. antefert cæteris peccatis libidines, & significat præcipuè propter libidines puniri homines priuatim & publicè. Iniustos ad diem iudicij reseruat, maximè uero ambulantes in concupiscentia immunda iuxta carnem. Itaq; exempla testantur publicis calamitatibus sæpe punitas esse libidines. Ephes. iiij. docet cæcitatem & securitatem comitari libidines, cum ait: Qui cum dedoluerunt, se tradunt immundiciei. Et Oseas monet cæcitatem pœnam esse libidinum. Ebrietas & fornicatio auferunt cor. Sunt autem gradus libidinum, qui & pœnarum gradus habent exemplis sacrarum literarum & legibus. Nam imperia debent publicis pœnis hæc flagicia punire, sicut testatur hæc sententia: Lex posita est iniustis. Hic autem intelligamus etiam uicina uicia prohiberi, quæ alunt libidines, qualia sunt, intemperantia, ocium, luxus, sicut ait Ezechiel capite xvi. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & ocium, & manum egenti non porrigebant. Ideo fecerunt abominationes, propter quas deleui eos. Vt autem Propheta coniungit uicina peccata, ita hic prohibentur omnia uicia, quæ alunt libidines, ut intemperantia, ocium, ebrietas.

Gradus libidinum et pœnarum.

Quomodo fit hoc præceptum?

Ita fit, cum agnoscimus immundiciem nostram, & fide statuimus nobis Deum propicium esse propter Christum, & incipimus Deo obedire in hoc præcepto sic, ut in timore Dei & propter Deum repugnemus affectibus, qui ad libidi-

ad libidines incitant, & abstineamus à scortatione, adulteriis & incestis libidinibus, sed coniugio piè utantur illi, quibus est opus, iuxta illud Pauli: Propter fornicationem unusquisq; habeat uxorem suam. Nam coniugalem consuetudinem approbat Deus, sicut Christus clare docet Matth. xix. Et Paulus 1. Corinth. vij. & 1. Timoth. ij. Hæc inchoata obedientia placet Deo, propterea, quia sumus filij, & habet ingentia præmia, sicut testatur exemplum Ioseph. Et quanquam hærent in nobis uiciosi affectus, tamen condonantur ijs, qui repugnant & credunt in Christum.

DIC SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

Non furtum facias. VII. PRÆ:

Quid præcipit?

Vltæ opus est rerum usu, possessione, & contractibus. Ideo iam docet etiam in his rebus Deo seruire, & primum, quia uetat furta, sequitur, quod liceat suum cuiq; tenere. Quare rerum distinctionẽ & dominia approbat. Estq; doctrina utilis conscientiæ, intelligere, quod Deo placeat hæc externa & politica ordinatio distinctionis dominiorum. Econtra prohibet omnia uicia, pugnantia cum hac ordinatione, furta, rapinas, iniustos contractus, & quascunq; expilationes priuatas & publicas, mendicitatem non necessariam, negligentiam in curandis facultatibus nobis commissis, prodigalitatem & profusiones & sumptus inutiles, corruptelas, quibus emuntur patrocinia in malis causis, mercedes iniustas, impostura in mercibus &c. Nec tantum exteriora facta prohibentur, sed etiam interiora uicia, auaritia & omnis cupiditas iniusti lucri & πλεονεκτημάτων, tenacitas in dandis necessarijs eleemosynis, in iuuanda Ecclesia & Repub. postremò & naturalis concupiscentia repugnans huic præcepto. Hæret enim in animis hominum diffidentia, qua fit, ut non expectent homines uictum & cætera commoda uitæ à Deo. Inde oritur sollicitudo de uictu & fortunis, quæ impellit homines ut appetant aliena, ut insidientur alieno quoquo modo queant. Itaq; accusat & hoc præceptum omnes homines, & erumpit concupiscentia adeò ut mũdus plenus sit furtorum, id est, iniustorum aucupiorum, iniustorum contractuum, rapacitatis & similium uiciorum.

Distinctio dominiorum sancita VII. Præcepto.

Quomodo fit hoc præceptum?

Cum agnoscimus nostram infirmitatem, & fide credimus nobis propter Christum remitti peccata, fit hoc præceptum, cum inchoatur obedientia, uidelicet, cum petimus & expectamus ex Deo uictum & fortunas, & simul iuxta mandatum Dei laboramus, & iustè parto utimur, & propter timorem Dei cauemus illicitos modos quærendi res. Item damus de nostro necessarias eleemosynas propter mandatum Dei, iuuamus quantum possumus de nostro Ecclesiam, uidelicet ministros Euangelij, & studia. Item, Rempublicam. Hic magna consolatio est pijs, intelligere, quod hæc obedientia Deo placeat, & quod hæc ipsa œconomica officia, id est, diligentia parandi facultates, & legitimus usus earum, sunt cultus Dei.

Licetne Christianis tenere proprium & esse diuites?

Licet tenere proprium, & habere diuitias, ſicut multæ ſententiæ teſtantur. Paulus ad Timotheum ait: Præcipe diuitibus, ne ſuperbiant &c. Non igitur prohibet eſſe diuites. Et in genere tenenda eſt regula, quod Euangelium non aboleat politicas ordinationes. Pertinet autem & diſtinctio dominiorum ad politicas ordinationes. Item Euangelium uocat ad Chriſtum Reges & Principes, manentes in imperijs. Licet igitur eſſe diuites. Sed regula Salomonis tenenda eſt, qui ait: Fontes tui deriuentur foras, & tu dominus eorum eſto. Hac figura pingit & proprietatem rerum & eleemoſynas. Vt enim alijs concedimus, ut ex fonte noſtro hauriant aquas, aut deducant riuulos, ita tamen, ut nos fontis dominium retineamus, ſic ex fructibus noſtri patrimonij congerendæ ſunt eleemoſynæ, ita tamen ut fundus nobis ſit ſaluus, ſeu ut ſit incolume patrimonium. Nam & Reipublicæ cauſa opus eſt eſſe multos diuites. Igitur utrāq; uirtus neceſſaria eſt, parſimonia in conſeruandis patrimonijs & liberalitas in largiendis eleemoſynis, ſed neceſſarijs.

Euangelium non prohibet tenere proprium.

Quæ ſunt eleemoſynæ neceſſariæ?

Tria genera ſunt præcipuè neceſſaria. Primum, conferre aliquid ad miniſterij Eccleſiaſtici conſeruationem. Hoc officium ſæpe præcipitur in ſcripturis. Chriſtus ait: Dignus eſt mercede is, qui laborat. Et Paulus ad Corinthios, Sic & Dominus ordinauit, ut ij, qui annunciant Euangelium, uiuant ex Euangelio. Et addit magnas promiſsiones Chriſtus in Euangelio. Qui dederit minimo in nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam. Et extant paſſim in Prophetis promiſſiones ampliſſimæ, ut Haggæi primo, & Malachiæ primo. Sciant ergo pij hoc genus eleemoſynarum ita neceſſarium eſſe, ut qui non præſtant pro ſua uocatione & facultatibus, & pro ſuo loco, grauiter offendunt Deum. Principes & Reſpub. debent tueri pios miniſtros, & curare eis uictum. Debent & ſtudia excitare ſuo ſumptu. Sic & priuati debent liberaliter conferre ad alendos miniſtros Eccleſiaſticos & ſtudioſos. Debent & alijs officijs eos iuuare.

I. Genus eleemoſynarum.

Secundum genus eſt, largiri egenis cognatis, ut parentibus, fratribus, liberis, aut alijs propinquis, quia in dandis eleemoſynis primum eſt habenda ratio propinquorum, ſicut Paulus inquit ad Timotheum: Diſcant primum exercere pietatem erga propriam familiam, & uicem reddere parentibus. Ita ſi quis ſuos, & maximè domeſticos, non curat, deterior eſt infideli, quia cognatis dupliciter obligati ſumus, & naturali φιλοσοφίᾳ, & propter illud commune præceptum de iuuandis egentibus. Sæpe autem exiſtit naturalis φιλοσοφία, etiam in ignaris Euangelij.

II. Genus.

Tertium genus eſt iuuare alienos, quos tamen præſens occaſio nobis commendat, ſcilicet, quia nobiſcum uiuũt, & impediti ualetudine aut alijs ueris difficultatibus, non poſſunt ſine alieno auxilio uiuere. Hos petentes non iuuare pro modo facultatum eſt peccatum, ſicut 1. Iohan. iij. ſcribitur: Qui habet facultates, & uidet fratrem ſuum egere, & claudit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ita & Lex Moyſi, cum præcipit, ut ſingulæ ciuitates ſuos egenos ſuſtentent, ſignificat præſentibus talia beneficia deberi. Nam in Deuteronomio cap. xv. nominatim fit mentio illorum, qui nobiſcum habitant. Sic enim inquit textus: Si unus de fratribus tuis qui moratur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus tibi daturus eſt, ad paupertatem redactus

III. Genus eleemoſynar:

redactus fuerit, non obdurabis cor tuum &c. Et deinde: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. Idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri egenti & pauperi, qui tecum habitat in terra. Constituit & Paulus modum eleemosynis, 2. Corinth. 8. ut ita largiamur, ne nobis sit tribulatio, alijs remissio, sed ut ex æqualitate pro præsenti occasione, ex eo quod nobis supereſt, consulatur illorum inopiæ. Hic cum nominatim dicat, ex eo quod supereſt, uult, ut largiamur de fructibus patrimonij, nec tollit discrimina diuitum & pauperum. Non enim tollit distinctionem dominiorum, & politicas ordinationes. Nam & paulò ante præfatus est, se de uoluntaria collatione loqui, non imperare ut discedant à facultatibus. Ergo æqualitas intelligenda est non Arithmetica, sed Geometrica, id est, ut ratione fiant æquales diuites & inopes, uidelicet, ut quo quisq; ditior est, eo sit liberalior. Item, ut diuites benignè largiantur, inopes uero non abutantur aliena liberalitate, nec utantur alieno nisi in necessitate, non exhauriant aliorum patrimonia &c. Nam mendicitas quæ non habet probabilem causam, est peccatum, & furti species, sicut 1. Thess. 4. dicitur: Adhortamur uos fratres, ut studeatis esse tranquilli, & suum quisq; officium faciat, & laboret suis manibus. Et 2. Thess. 3. Si quis non uult laborare, non comedat. Item, Vt cum tranquillitate laborantes, proprium panem comedant. Talibus ignauis mendicis non est opus largiri. Ac uidendum est in eleemosynis, ne sint profusiones ad ostentationem comparatæ, sed necessitati aliorum consulant propter mandatum Dei. Hæc uera officia seueriſsimè præcepta sunt, & habent grauiſſimas comminationes & promiſſiones, sicut ait Christus: Esuriui, & non dediſtis mihi cibum. Prouerbio. 21. Qui obturat aures ad clamorem pauperis, uiciſſim clamabit & ipse, & non exaudietur. Item Esai. 58. Frange esurienti panem tuum &c. tunc inuocabis, & Dominus exaudiet.

Modus eleemosynis.

Æqualitas Geometrica.

Comminationes et promiſſiones ſeptimi præcepti.

Licetne Christianis uti contractibus?

LIcet, iuxta usitatam regulam: Euangelium non abolet ordinationes politicas aut œconomicas, & quidem iura naturæ non abolet. Sunt autem contractus iuris naturæ, quia uita humana habet opus mutua communicatione, quæ fit per contractus. Quare sciat Christianus contractus esse ordinationem Dei, sicut alias politicas ordinationes, quemadmodum & Salomon dixit: Libra & pondus iudicia Domini sunt, id est, res à Deo iustè ordinatæ. Sed in primis consideret Christianus finem illarum ordinationum principalem. Deus enim hæc dona ordinauit ad hunc finem, ut per ea mutuam charitatem exerceamus.

Contractus ſunt conceſſi Chriſtianis.

Quare Christianus in fide utetur contractibus, tanquam dono Dei, & sciet his officijs exercendam esse charitatem erga proximum. Quare non defraudabit proximum per prætextum contractuum, nec struet per contractus insidias proximo. Quatenus autem utendum sit contractibus, & quatenus lucra concessa sint in contractibus, leges politicæ consulendæ sunt, quia Christianus potest uti legibus ciuilibus, & uidendum est, in quibus contractibus leges concedant lucra, & approbent, in quibus non approbent, ut in uenditione & locatione rerum uel operarum mediocria lucra conceduntur. Aut enim officia, aut res seu operæ communicantur. Vt autem possit esse perpetua communicatio, necesse est effici æqualem compensationem. Si enim una pars tantum daret, altera tantum acciperet, non esset perpetua communicatio, Ideo Leges non uolunt officia rebus compensari, sed officijs, quia res alterius partis exhauriren-

tur, & iure naturali quædam officia homines debent hominibus, uidelicet quæ nobis non nocent, & alijs neceſſaria ſunt. Sunt igitur gratuiti contractus mutuatio & depoſitum. Rurſus ubi res uel operæ communicantur, neceſſe eſt rebus uel operis fieri compenſationem. Ideo in emptione uel locatione lucra conceduntur. Ita Lex naturæ docet æqualitatem in contractibus. Nam hæc ſententia eſt Lex naturæ, ne quis locupletari uelit cum detrimento alterius. Hic quæritur de reditibus, Item de contractu cum pacto redemptionis. Item de eo quod in tereſt. Item de uſuris.

DE REDITIBVS.

Reditus à Magiſtratu conſtituti in bonis.

REditus ſunt duplices, alij conſtituti ſunt à legitima poteſtate in bonis ſubditorum. Hi cum ſunt moderati, ſicut uectigalia eſſe conuenit, ſunt liciti. Nam Magiſtratibus debetur ſtipendium, ut Roman. 13. ſcriptum eſt. Ita & Deus conſtituit ſacerdotibus decimas. Cæterum poteſtates uiderint, ne immodice onerent bona ſubditorum, quia peccant contra hoc mandatum Dei: Non furaberis, cum ſine iuſta & neceſſaria cauſa ad Rempublicam pertinente onerant populum nouis aut immodicis tributis, quia populus habet proprietatem in ſuis rebus, ſicut hiſtoria de Naboth teſtatur 3. Reg. 21.

Reditus priuato arbitrio cõſtituti.

Alij reditus ſunt priuato arbitrio conſtituti, ut cum aliquis conſtituit in fundo certo ſeruitutem pro precio, ut alius inde quotannis habeat certam pecuniam, aut certos fructus. Hi contractus etiam ſunt liciti, ſcilicet, ſi ſint ueræ uenditiones, hoc eſt, ſi fundus poſſet ſuſtinere hoc onus, & in contractu uere inſit fundus, unde reditus ſit ſoluendus. Tales reditus, uendere, emere, & poſſidere licitum eſt. Vt enim licet totum fundum uendere, ita fundi partem. Aut, ut licet in fundo iter, aut actum conſtituere, ita licet hanc ſeruitutem conſtituere, ut alius accipiat aliquam partem fructuum, ſi tamen fundus id onus ſuſtinere poſſit, & ſeruetur in emptione mediocris æqualitas. Ac tales emptiones non fiunt uicioſæ pacto redemtionis. Cum igitur maneat natura emptionis, etiamſi tale pactum accedit, licet emere, uendere & poſſidere fundos aut reditus cum pacto de reuendendo.

DE VSVRIS.

Licetne vſuras accipere?

Vſuræ Chriſtianis prohibitæ.

NOn licet, Quia Chriſtus inquit: Mutuum date, & nihil inde ſperantes. Et Lex prohibet Deuteronom. 23. Fratri tuo abſq; uſura mutuabis id quod indiget. Et Pſalmo 14, Qui pecunias ſuas ad uſuram non dedit. Et Ezech. 18. Sunt autem uſuræ, quando in mutuatione paciſcimur ut aliquid ſupra ſortem nobis propter ipſam mutuationem detur. Ideo autem ſunt iniuſtæ uſuræ, quia exigitur non debitum. Soluens enim mutuum, nihil amplius debet, & tamen amplius exigitur pro nulla re. Ergo non ſeruatur æqualitas. Et hæc cauſa eſt, cur uſuræ exhauriant ciuitates, quia fœneratores auferunt plurimum, pro quo nihil recipit ſoluens. Non poteſt igitur talis communicatio eſſe perpetua, cum non ſit mutua compenſatio.

Eſtne vſura, Reditus habere emptos in aliquo certo fundo fructificante, vt ſupra dictum eſt?

REſpondeo: Non eſt uſura, quia ille contractus non eſt mutuatio, ſed uera emptio. Concurrunt enim ibi ſubſtantialia emptionis, merx, precium & conſenſus.

consensus. Merx est ius seu seruitus in illo fundo fructificante. Atq; hinc facilè potest iudicari, quando sit uera emptio, scilicet, cum subest merci aliquod corpus, quo corpore pereunte, reditus periret. Item in mutuatione is qui dedit mutuo, retinet ius repetendæ sortis. Sed is qui emit reditum in alienis bonis, non habet ius repetendæ pecuniæ. Ergo ille contractus non est mutuatio.

Reditus empti in fundo certo nõ sunt usura.

De eo quod interest,

Estne Vsura, soluere id quod interest?

Respondeo: Id quod interest, omnino differt ab usuris. Nam id quod interest, debetur etiam sine pacto, & tunc habet locum, cum aliquis alteri dedit efficacem causam damni, ut si quis promisisset se soluturum esse ad Calendas Maij, & illo non soluente ego damno aliquo affectus essem, ob hanc ipsam causam, quia illa pecunia caruissem, ille, quia dedit efficacem causam damni, debet soluere id quod interest. Iusta est igitur ratio, & consentanea naturæ, cur soluendum sit id quod interest, quia nemo debet uelle locupletari cum damno alterius. Hoc exemplum aliquo modo indicat, quid uocetur interesse, & ubi locum habeat. Non enim debet prætexi rapacitati fœneratorum, qui mutationem tantum in quæstum conferunt, nec petunt id quod interest, quia mutuo accipiens dederit efficacem causam damni, sed simpliciter petunt lucrum. Cum autem magna sit uarietas contractuum, prudentia adhibenda est in iudicando, nec temere pronunciandum est, & cum contractus sint res politicæ, ualet iudicium magistratus ac legum, id est, sapientis & æqui Iurisconsulti de contractibus, sicut & de alijs rebus politicis. Hic sapiens iurisconsultus discernet usuras, & id quod interest. Conferet etiam mandata diuina cum iure humano, ne approbet apertè pugnantia cum mandatis Dei.

Soluere id quod interest non est usura.

DE RESTITVTIONE.

Estne Vera regula: Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur?

REspondeo: Hæc regula uera est in genere de omnibus, qui scientes & uolentes alienum detinent, & habent unde reddant seu possunt reddere, sicut Paulus inquit: qui furatus est, deinceps non furetur. Atqui ille, qui furatus est, tantisper est fur, dum alienum sciens ac uolens detinet, sicut is, qui rapuit alienam coniugem, tantisper est raptor seu mœchus, dum eam retinet. Ergo cum Paulus uetat deinceps furari, uult alienum reddi, ut ille, qui inuasit alienum, desinat esse fur. Hæc generalis regula tenenda est. Sed impossibilitas habet excusationem, & sunt uarij casus, in quibus adhibenda est ἐπιείκεια, ut in aliquibus arcanis negocijs cauenda sunt scandala, & cauenda est infamia, quia famę iactura maior est quam rerum iactura.

Qui sciens & uolens detinet alienum peccat.

Contra:

Satisfactio est inutilis,
Restitutio est satisfactio,
Ergo restitutio est inutilis.

Respondeo: Nego minorem, quia restitutio uerè & propriè est pars contritionis, non est illa canonica satisfactio, quam definiunt esse opera non mandata &c. Exemplum, ut: Peccatum non remittitur retinenti alienam coniu-

Restitutio non est satisfactio canonica.

gem,id ad contritionem pertinet. Ita rem alienam reddere ad cõtritionem pertinet, quia contritio est pauor & dolor de peccato, & deinceps non committere facta contra conscientiam & mandatum Dei.

An quæ tenentur præscriptione, iustè tenentur?

Præscriptione res iuste tenentur.

Respondeo: Iustè teneri res præscriptione, quia autoritate Legis tenentur,quæ est uerius domina rerum, quam priuati, sed absit dolus in præscriptione, & concurrant reliquæ circumstantiæ,de quibus leges præcipiunt, ut scilicet bono titulo rem nactus sis.

An rapta in bellis sint retinenda?

Iustis bellis occupata iure tenentur.

Respondeo: Iusta bella gerentes fiunt uerè domini corporum & rerum quas capiunt,ideo & corpora & res captas iustè tenent. Sunt autem iusta & legitima bella, quæ suscipiuntur à legitimis potestatibus ad propulsandam iniustam uim seu latrocinium.Est & alia species iusta,cum bellum à superiore potestate suscipitur ad puniendum manifestum scelus alicuius populi subditi, ut Israëlitæ mouerunt bellum ad puniendam tribum Beniamin, propter stupratam Leuitæ coniugem. Nam Deus constituit Magistratus, ut depellant latrocinia, & puniant manifesta delicta,Rom.13. Cum autem bellum sit una ex acerbissimis pœnis, quibus Deus punit mundum, pleraq; accidunt in bellis atrociora, quam exacta norma iusticiæ postulat. Nec medium in his actionibus accurate constitui potest,sed si principalis causa iusta est, bellator sciat militiam illam esse licitam,& res occupatas iuste possideri. Cæterum bellator si est pius,non suscipiet nisi necessaria bella,moderabitur non necessariam crudelitatem. Denicq; in multis rebus non sumet sibi licentiam usitatam impijs militibus.

DE REDITIBVS *Ecclesiasticis.*

Ecclesiæ opus est reditibus propter tres causas.

ECclesia habet opus aut collationibus, aut reditibus,propter tres causas. Primum, ad alendos ministros Euangelij. Secundo, ad scholas conseruandas, ubi sumptus suppeditandi sunt doctoribus, & aliquibus pauperibus scholasticis. Tertio etiam alij uerè pauperes ex publico iuuandi sunt. Propter has tres causas opus est Ecclesiæ facultatibus, sicut & Paulus iubet ministros ab Ecclesia ali. Item suppeditari pauperibus. Et quoniam populus tenuiter confert, principum officium est, constituere Ecclesijs reditus aut pensiones,sicut etiam significat Esaias cap. 49. cum ait: Reges erunt nutritij tui, & reginæ nutrices. Et ex Augustino & historijs apparet, has initio causas fuisse donationum Ecclesiasticarum. At dominium harum rerũ pertinet non ad Pontifices aut Principes, aut populum, sed ad Ecclesiam, hoc est, nec Episcopis, nec Principibus, nec populo licet hos reditus transferre ad alios usus, quam ad conseruationem ministerij & studiorum.

Hinc facilè iudicari potest, multiplicia esse furta in hoc genere, quia omnes, qui fruuntur his bonis, neglecto ministerio Euangelij, & neglectis studijs, peccant. Hic est ingens numerus Episcoporum, Canonicorum & Monachorum,qui non sunt usui Ecclesiæ, qui deuorant facultates Ecclesiasticas, cum interea esuriant pastores, aut nulli habeantur,& negligantur studia.

Huius

Huius rei imago in hiſtoria paſſionis Chriſti propoſita eſt. Sicut enim milites diuidunt ueſtes Chriſti, & de eis ſortiuntur, ita principes & potentes partiuntur inter ſe epiſcopatus & ſacerdotia, neglecto miniſterio & neglectis ſtudijs. Donatiſtarum Eccleſijs publici magiſtratus auferebant facultates, & transferebant ad pias Eccleſias, qua de re etſi conquerebantur Donatiſtæ, & diſputabant, propter diſſenſionem dogmatum nemini eripiendas eſſe facultates, tamen Auguſtinus reſpondit, hanc pecuniam eſſe Eccleſiæ, ideoq; rectè per ſuperiores Magiſtratus eripi his, qui non pertinent ad Eccleſiam, & transferri ad ueros uſus Eccleſiæ. Diſcernendæ etiam ſunt in hoc caſu priuatæ facultates & alienæ. Peccant igitur grauiſsimè & alij, qui ita diripiunt facultates Eccleſiaſticas, ne quid inde decidatur ad uſus Eccleſiæ. Peccant & Reſpub. quæ nihil conferunt ad conſeruationem miniſterij & ſtudiorum. Hæc furta non ſunt leuia peccata, ſicut teſtantur grauiſſimæ conciones in Prophetis, ubi Deus ſeueriſſimè minatur illis, qui non iuuant miniſtros templi, ubi debent iuuare, aut conferre ad eos iuuandos. Haggæi primo: Aedificate domum meam, & placebitis mihi. Item, Domus mea deſerta eſt, & feſtinat unuſquiſq; ut ſuam domum extruat, Ideo prohibui, ne cœlum det rorem, & ne terra ſit fœcunda. Et Malachiæ tertio: Inferte omnem decimam in horreum meum, & aperiam uobis cataractas cœli, & effundam benedictionem, id eſt, incrementa, augmenta, abunde. Et Prouerbiorum tertio. Honora Deum de tua ſubſtantia, & de primitijs omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & uino torcularia redundabunt. In his operibus uult Deus exerceri fidem, quæ ſi adeſſet, liberaliores eſſemus in hoc genere officiorum. Si enim uerè expectaremus à Deo facultatum conſeruationem, profecto libentius largiremur.

DE OCTAVO PRÆCEPTO. VIII. PRÆ:

Quid præcipit octauum Præceptum?

IVbet ut propter Deum præſtetur ueritas in omni uita, dictis & factis, ac nominatim in iudicijs, in contractibus & pactis, requirit ueritatem. Vide autem, quam late pateat hoc præceptum, regit iudicia, pacta, contractus, & complectitur partem iuſticiæ particularis, ſcilicet, quæ uetat, ne fraude & per calumniam alij lædantur. Sunt enim duplices iniuriæ. Aliæ fiunt ui, aliæ ſine ui manifeſta, ſed dolo & fraude fiunt. Violentia prohibetur in quinto & ſeptimo præcepto. Hic prohibentur mendacia, impoſturæ, calumniæ. Ita ſparſa eſt iuſticia particularis in hęc præcepta. Nam iuſticia particularis prohibet iniurias utriuſq; generis. Porrò hæc uirtus, quæ uetat mendacia & calumnias, uocatur Veritas. Vt autem ſuperiora præcepta alias partes Reipublicæ munierunt, ita hoc præceptum munit iudicia, pacta & contractus. Facilè autem poſſunt agnoſci peccata craſſiora pugnantia cum hoc præcepto. Vt enim hic confirmantur iudicia, & omnia forenſia officia, ſi rite & bona conſcientia fiant, ſicut & iuramentum de calumnia præcipit, ita econtra damnantur omnes falſæ & calumnioſæ accuſationes & defenſiones & ſententiæ in iudicijs. Denicq; tota ſophiſtica forenſis, item falſa teſtimonia & conſilia, item depraua-

Iniuriæ duplices.

tio artium &c. rectæ doctrinæ, item uiolatio pactorum & promissorum in contractibus. Denicq; insidiosa simulatio aut occultatio in moribus & uita, quia ueritas non modo in pactis, promissis aut iudicijs requiritur, sed etiam in tota uita, uidelicet candor, simplicitas, id est, rectitudo seu ingenuitas, quæ facit, ne temere de alijs suspicemur, ut dextre interpretemur aliorum dicta aut facta, ne siniſtra interpretatione deprauemus probabiliter dicta aut facta, ne insidiosa occultatione captemus aliquod πλεονέκτημα, ne sit in amicitia simulatio, sed luceat in dictis & factis, & omni consuetudine rectitudo quædam, & appareat nos serio & bono studio agere omnia, quæ ostendimus, & præ nobis ferimus. Talis ingenuitas attribuitur Achilli apud Homerum, qui ait, se odisse, ut mortem, eos, qui aliud dicunt, aliud sentiunt. Etsi autem maximè decet heroicos uiros hæc ingenuitas, tamen requiritur in omnibus, ac maximè in explicatione doctrinarum, Sed præceptum Dei non modo uirtutem ipsam requirit, sed etiam postulat, ut referatur ad gloriam Dei, hoc est, ut amemus & præstemus ueritatem, ut Deo obediamus. Est & uulgare uicium maledicentia, uidelicet illorum, qui libenter ferunt de alijs sermones, quibus eorum fama lædituꝛ, aut qui delectantur acerbitate aut scurrilitate conuiciorum, aut qui obtrectant alienæ existimationi. Hæc omnia uulgo detractionem uocant. Et aliàs hæc consuetudo ex naturæ uanitate oritur. Quosdam enim hi sermones sine ulla causa delectant, tantum propter naturæ uanitatem. Aliàs ex ambitione & inuidia, Interdum species est adulationis maledicere alijs in aliquorum gratiam. Sunt enim quædam distortæ naturæ adeo uirulentæ & plenæ liuorum, & suspicaces, ut sola naturæ maleuolentia sine alijs causis impellat eos ad maledicendum. Quo in genere peccant non tantum qui ferunt fabellas, aut crimina de alijs, sed etiam auditores, qui libenter uel auidè audiunt, sicut Pindarus inquit, Inuidis obsonium esse maledicta. Cum autem hoc uicium sit communissimum, discamus frenare linguam, & corrigamus morbos animi, qui aut pariunt aut confirmant linguæ petulantiam, & meminerimus eam pugnare cum hoc præcepto; Non dices falsum testimonium. Et Christus ait; Nolite iudicare, ne iudicemini.

ὄφον δὲ καὶ τηγορίαι τοῖς φθονεροῖς.

Sed hic quæritur, an non licet manifesta & publica uicia reprehendere? Respondeo: Sententia Christi: Nolite iudicare, non prohibet officium iudicis, aut concionatoris, sed prohibet priuatam maledicentiam, et in rebus dubijs calumnias. Est autem priuata maledicentia, quandocunq; extra iudicium, aut concionem, aut deliberationem, aut piam castigationem, dicuntur in alios conuicia, etiamsi uera & manifesta sunt, ubi uidelicet non dicuntur, ut uel ille emendetur, qui accusatur uel consulatur alijs, sed erumpunt aut ex naturæ uanitate, aut ex morbo animi. Porrò hoc tempore est usitatum maledicere summis atque infimis, & præsertim principibus & doctoribus, imò ipsis etiam artibus, & sæpe in rebus dubijs calumnioſe reprehenduntur, ubi ea, quæ sunt ambigua, non erant in deteriorem partem interpretanda. Multo plus peccant, qui rectè facta aut dicta calumnioſe deprauant, sicut sæpissimè accidit. Porrò quam turpis res sit, & Deo displicens, calumnia, inde potest animaduerti, quod ab hoc uicio autor peccati, diabolus nomen habet. Et hoc loco sciendum est, eos, qui falsas fabulas de alijs ferunt, debere illis restitutionem famæ, sicut in furto debent restitutionem rerum, quia inter bona externa præcipuum est bona existimatio. Rectè enim dicitur: Bona cõscientia nobis opus est, bona fama autem

Priuata maledicentia.

autem de nobis opus est proximis. Nam honesta opinio inuitat alios ad uirtutem, ideo in Prouerbijs scriptum est: Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ. Et Ecclesiastici 41. Curam habeto de bono nomine, hoc enim præstantius est mille thesauris. Et extat uersiculus, Honestus rumor alterum patrimonium est. Et grauissimè inquit Gerson: Nonnunquam facilius satisfit pro homicidio corporali & furto, quam pro calumnia. Et de his, qui dicunt conuicia de gubernatoribus Ecclesiarum, ait Anacletus: Deteriores sunt, qui doctorum uitam moresq; calumniantur, quàm qui diripiunt aliorum prædia.

An omne mendacium est mortale peccatum?

Mendacia & in hoc præcepto prohibentur & alibi. Nam Leuit. 19. scriptum est: Non mentiemini, nec decipiet unusquisq; proximum suum, non eris calumniator, nec susurro in populo. Est autem mentiri, aliud loqui quam sentias, seu dissimulata ueritate falsum dicere, id uniuersaliter est mortale peccatum, cum fit iniusta uoluntate nocendi. Sed in dictis & factis sanctorum sunt etiam quædam figuræ, ut, Abraham dissimulat Saram esse coniugem & uocat sororem. Aegyptiæ obstetrices mendacio excusant se, cur non interficiant infantes Hebræorum. Rahab mendacio defendit exploratores, & scriptura testatur, Deum præmia reddidisse pro his officijs. Dauid simulat se habere morbum, cum ad regem inimicum uenisset. Iudith fallit Holofernem, & medici sæpe fallunt ægrotos, ut eos iuuent. Propter huiusmodi dicta & facta pleraq; in scripturis & communi uita discernuntur mendacia. *Mentiri quid.*

Distinguuntur autem tres species. Primum sunt pernicioſa mendacia, quæ fiunt cum iniusta uoluntate nocendi, ut cum falso alij accusantur. Hæc omnia sine dubio sunt peccata mortalia. Porrò, mendacium sua natura est peccatum mortale, etiam sine uoluntate nocendi, si uidelicet ex uanitate ingenij dicatur, nec habeat probabilem & honestam causam, qualia sunt adulatorum mendacia, quæ contra conscientiam dicunt, aut qualia dicuntur à iactabundis, & alia multa. Alia species est figura seu ironia, cum uidelicet propter honestam & iustam causam aliquid occultatur, aut etiam figuratè aliud dicitur aut ostenditur, Vt cum Abram dissimulat Saram esse uxorem, Ipsa uero occultatio per seſe in talibus causis non est mendacium. Nam mentiri non est tantum occultare, sed occultata ueritate falsum dicere. Christus colloquens cum duobus discipulis, etiamsi non ita se ostendit, ut mox agnoscatur, tamen non negat se esse eum, qui erat. Tales occultationes, quæ adhibentur in ijs rebus, quas dicere non necesse est, nec mendacia sunt, nec peccata, & plerunq; adhibentur propter aliquam utilitatem. *Mendacia pernicioſa.* *Figura seu Ironia.*

Secundo, ubi uero manifestatio spontanea peccatum esset, ibi concessæ sunt figuræ, quæ tegunt negocia, Vt Rahab peccasset, si ultrò prodidisset exploratores. Et mulier 2. Reg. 17. peccasset, si ultro prodidisset nuncios Dauidis. In talibus casibus licet uti ironijs. Tunc enim figuræ illę non sunt propriè mendacia. Nam mendacium propriè est deprauatio eius, quod dici debet. In hoc casu Rahab interrogata est de eiusmodi negocio, quod non debebat dicere. Hinc facile possunt discerni mendacia, quæ nullam habent excusationem, ab ironijs, quæ habent excusationem, si scilicet consideretur, an id quod debet dici, occultetur, uel deprauetur. Sic aduersus hostem licet uti occultatione nostrorum consiliorum & figura aliqua, sed eatenus, ne uiolentur pacta. Nam pactorum *Mendacium.*

& iusiu-

& iurisiurandi religio iure diuino seruanda est. Ideo etiã fides hosti data seruari debet. Sed præter pacta & iusiurandum uti occultatione consiliorum, uel aliqua figura concessum est. Sic occultare licet innocentem, quem tyrannus aliquis inquirit, ut eum afficiat supplicio, quia in tali casu manifestatio spontanea peccatum est. Constituta ergo definitione, quid sit mentiri, facilis erit dijudicatio, ubi sint excusabiles figuræ. Est enim mentiri non solum occultatio, sed deprauatio contra conscientiam de ea re, quam dici oportuit.

Mendacium iocosum.

Addunt tertiam speciem iocosam, ut poëmata, apologos, falsè dicta. Sed hæc nequaquam sunt mendacia, sed potius picturæ eius quod sentimus. Quod ut sit illustrius, proponimus in exemplis quibusdam propter similitudinem naturarum adhibitis, ut lupus est imago tyranni, uulpecula imago hominis circumspecti & astuti. Ad hoc genus pertinent omnis generis falsè dicta in quotidiana uita, quibus utimur ad admonendos homines, quale illud est Philippi de iudice, qui faciem pinxerat fucis, hunc iussit abdicare officium, inquiens, Fucatum non uerè iudicare.

IX. et X. præceptum.

DE RELIQVIS DVOBVS PRÆCEPTIS.

RElíqua duo præcepta addita sunt, ut interpretentur Legem, & discernant Legem Dei ab humanis Legibus & à Philosophia. Nam leges humanę prohibent externa facta. Sed hæc præcepta testantur Legem Dei, non solum de exterioribus factis loqui, sed etiam de interioribus affectibus, & inclinatione ac immundicie naturæ. Cum igitur ait Lex, Non concupísces uxorem aut rem proximi. Duo complectitur, & affectus malos, & causam malorum effectuum, scilicet ipsum morbum naturæ, qui uocatur peccatum originis. Hunc morbum humanæ leges & philosophia non iudicant esse peccatum. Ideo Lex Dei accusat eum, ut discamus, quam horribiliter hæc humana natura immersa sit peccato, & agnoscamus nos non posse Legi satisfacere, sed habere opus alia iusticia. Itaq; hæc duo postrema præcepta non pertinent ad disciplinam, sed ad superiorem usum Legis, scilicet ad accusandum peccatum in tota natura humana, ut agnoscamus uitium originis.

DE FINE.

Obedientia erga Legem referenda ad Deum.

IN singulis præceptis diligenter addendus est finis, ut fiant propter Deum, hoc est, in timore Dei, et referantur ad Deum, ut, Magistratui obedias, quia timeas Deum, & uelis Deo parere. Ita non defraudes alium in contractu, quia timeas Deum, & uelis Deo præstare obedientiam. Sic in singulis mandatis & operibus oportet apprehendi Deum, & repeti primum mandatum, ut omnia opera fiant cultus Dei, & in omnibus operibus Deum intueamur, & ei seruiamus.

Quatuor tenenda de quolibet mandato.

Repetenda est etiam in singulis doctrina de fide, quæ docet, quod propter Christum reputemur iusti gratis. Deinde uero placeat propter ipsum inchoata obedientia. Tenebis autem has præcipuas quæstiones de quolibet mandato. Prima, quid præcipiat. Secunda, quo fine. Tertia, an satisfiat. Quarta, quomodo fiat, & placeat obedientia.

DE

DE VSV LEGIS.

POstquam utcunq; Decalogum enarrauimus, admonendus est Lector etiam de usu. Est autem triplex usus. Primum tradendus est Decalogus seu Lex Dei moralis, ut disciplina rudes erudiat & coherceat. Et hic usus pertinet ad iniustos. Deus enim coherceri uult iniustos externa disciplina, & iustis rudibus opus est institutione, doctrina et diligentia cohercendæ carnis, sicut pueris adolescentibus, uulgo &c. *Vsus Legis triplex.* I.

Secundus usus est proprius contritioni, arguere peccatum, & perterrefacere conscientiam, de quo Paulus sæpe loquitur: Per Legem cognitio peccati. Item, Lex iram efficit. Si enim nulla esset Lex seu nulla obligatio, quomodo id quod fit contra uoluntatem Dei, esset peccatum? Terrentur ergo Lege omnes, qui nondum consecuti sunt remissionem peccatorum. II.

Tertius usus est in his, qui sunt iustificati. Etsi enim sunt liberati à Lege ne damnet, tamen ijs opus est doctrina Legis tripliciter. Primo quod ad doctrinam attinet. Secundo, quod attinet ad uetustatem carnis. Tertio, quod ad obedientiam attinet. Primo de doctrina constat etiam iustis opus esse uerbo, ut sciant qui cultus, qualia opera placeant Deo, ne excogitent nouos cultus sine uerbo, ut est Monachatus. Ideo Paulus ad Timotheum inquit: Omnis scriptura utilis est. Secundo de uetustate carnis. Necesse est uetustatem coherceri & argui, quia Lex semper arguit præsens peccatum. Sed ita sumus liberi, non quod Lex non arguat, sed si uincamus fide Legem arguentem, idq; testatur Oratio dominica. Non essent debita, nisi Lex obligaret & argueret. Quanquam ita liberabimur cum credimus &c. III.

Tertia de obedientia. Etsi sumus liberi à Lege ne damnet, tamen manet ordinatio & uoluntas Dei, ut creatura obediat. Quare obedientia necessaria est, & quomodo placeat, docet Euangelium. Ideo inquit Christus: Non ueni soluere Legem, sed implere. Item Christus inquit: Hoc est mandatum meum, ut diligatis inuicem. Et 2. Iohan. 3. Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filij eius Iesu Christi, & diligamus inuicem. Hæ sententiæ loquuntur de uoluntaria obedientia, & tamen nominant mandatum. Quia manet ordinatio Dei, ut creatura obediat, etiam cum uolens obtemperat. Et tamen Euangelium interea docet, quatenus liberi simus, scilicet ne damnet Lex, non ut non hat.

DE EVANGELIO.

Quid differt Lex ab Euangelio?

MAximè refert initio pios admoneri de discrimine harum appellationum. Nam confusio offundit magnam caliginem Euangelio. Est igitur Lex doctrina quæ docet, quales esse oporteat, & quæ opera à nobis requirat Deus, & requirit perfectam obedientiam, & damnat eos, qui non obediunt. Sed Euangelij principalis & proprius locus est promissio, in qua gratis nobis propter Christum donatur remissio peccatorum, imputatio iusticiæ, Spiritus sanctus, & uita æterna. Et hanc promissionem oportet fide accipi. Sunt autem duplices promissiones in scripturis, Vt promissiones legales: Qui fecerit ea, uiuet in eis. Item: Si uis ingredi in uitam, serua mandata. Tales sunt conditionales, hoc est, *Lex quid.* *Duplices promißiones.*

habent

habent conditionem impletæ Legis. Sed promissio propria Euangelij est gratuita, hoc est, non habet conditionem Legis, tanquam causam beneficij, seu conditionem nostræ dignitatis. Tametsi habet conditionem fidei. Memineris igitur particulam gratis propter Christum, discrimen facere inter promissiones, idq; necesse est tenere. Nam in uero agone conscientia non disputat, utrum Deus sit misericors, an remittat peccata, sed illud quærit, an nobis & indignis uelit remittere. Hic est unus portus conscientiæ, tenere, quod certum sit gratis remitti, quod Euangelij promissio propria sit gratuita, nec habeat conditionem nostræ dignitatis. Est autem Christus aptissimè complexus summam Euangelij, cum ait Lucæ ultimo: Prædicate pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Hinc definitionem constituamus: Euangelium est prædicatio pœnitentiæ, & promissio, in qua propter Christum gratis offeruntur nobis remissio peccatorum, imputatio iusticiæ, donatio Spiritus sancti & uitæ æternæ, modo ut credamus hæc nobis certò & uerè propter Christum contingere, & non propter dignitatem nostram, aut nostra merita. Hæc breuis Euangelij definitio tenenda est, ut propria Euangelij beneficia sint nobis in conspectu.

Euangelium.

DE IVSTIFICATIONE.

EVangelium arguit peccata, & offert promissionem Christi, Ideo perterrefacti agnitione iræ Dei aduersus peccata, debent credere promissioni, quod propter Christum GRATIS donentur eis remissio peccatorum & imputatio iusticiæ. Hac fide certo consequuntur remissionem peccatorum & iustificationem seu gratiam, sicut Paulus perspicuè docet Rom. iij. Iustificamur gratis ipsius gratia per redemptionem in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorium per fidem in sanguine eius &c.

Huiusmodi aliquot perspicua testimonia tenenda sunt, quæ & erudiant conscientias, & excusitent fidem in omni inuocatione. Nunc adijciam uocabulorum interpretationem. Iustificari significat forensi more iustum reputari seu pronunciari. Iustus in his Pauli disputationibus significat idem quod acceptus seu placens Deo. Et IVSTIFICATIO est remissio peccatorum, & acceptatio coram Deo, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti. Vocabulum GRATIAE idem significat, sed continet emphasim particulæ exclusiuæ gratis. Est enim Gratia gratuita remissio peccatorum, & acceptatio propter Christum, cum qua cõiuncta est donatio Spiritus sancti. Vocabulum FIDES significat hic non tantum historiæ noticiam, sed etiam fiduciam misericordiæ promissæ propter Christum, seu fiduciam, quæ accipit promissionem, & applicat eam ad nos, sicut Paulus manifestè testatur Rom. iiij. se loqui de ea fide, quæ accipit promissionem, ut inquit: Ideo ex fide, ut sit firma promissio. Quare cum dicitur: Fide iusti sumus, hæc oratio correlatiuè intelligi debet, hoc modo, per misericordiam propter Christum iusti, id est, accepti sumus, non propter nostras uirtutes, sed tamen hanc misericordiam oportet fide accipi & apprehendi. Hæc est simplex & propria Pauli sententia. Explicatis uocabulis rursus monendus est Lector de exclusiua gratis. Excludit enim conditionem meriti, seu nostræ dignitatis, idq; propter duas causas præcipuè. Primum, ut in Christum Mediatorem transferatur causa beneficij, hoc est, ut intelligamus nobis ignosci non propter nostram dignitatem, sed propter Christum. Secundo, ut beneficium

Iustificatio.

Gratia. Fides.

Exclusiua gratis.

cium sit certum. Si enim penderet ex conditione dignitatis nostræ, fieret incertum. Si conscientia iudicaret, ita nobis ignosci, postquam satis magnam contritionem, aut alia merita habeamus, prorsus adigeretur ad desperationem, & fieret incertum beneficium promissum in Euangelio. De his duabus causis maximè admonet nos particula GRATIS. Cum hoc modo intelligitur exclusiua, fit dulcior conscientijs, & apparet non tolli contritionem. Oportet enim aliquam contritionem, id est, pauores & terrores, existere in nobis, cum agnoscimus iram Dei aduersus peccatum, sicut inquit Esaias: Vbi habitabit Dominus? In spiritu contrito &c. Et cum fides sit uiuificatio quædam, necesse est existere terrores, in quibus sustentamus & consolamur nos Euangelio. Et quanquam contritio sine fide damnata est, tamen postquam accessit fides, fit bonum opus & sacrificium, ut postea dicetur de Bonis operibus.

Secundo, sicut de particula Gratis in promissione Euangelij necesse est admoneri auditores, ita & illud inculcandum est, quod sicut prædicatio pœnitẽtiæ est uniuersalis, ita quoq; promissio sit uniuersalis. Singuli ergo nos in promissionem illam includamus, nec excuti nobis fidem sinamus intempestiuè acersitis disputationibus de prædestinatione, sed ordiamur à uerbo, & meminerimus promissionem esse uniuersalem, & statuamus uerè illa contingere nobis, quæ in uerbo proposita & promissa sunt, quia Deus per uerbum suum est efficax, & in uerbo uult apprehendi, iuxta illud: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. *Promißio gratiæ uniuersalis.*

Tertio necesse est & hoc teneri, quod cum iustificamur, donamur Spiritu sancto, quem ita concipiunt corda, cum audiunt Euangelium, & ei adsentiuntur, ac fide se sustentant in pauoribus. Sic docet Paulus ad Galatas: Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Hæc acceptio Spiritus sancti uocatur regeneratio seu renouatio, & est inchoatio uitæ æternæ in nobis, sicut Christus inquit: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Hactenus de Iustificatione & Fide diximus, quæ in quotidiana experientia fiunt illustriora. Nam hæc doctrina semper in conspectu esse debet, ut teneamus firmam consolationem, & ut possimus inuocare Deum. Nam sine hac fide nulla est uera inuocatio, sine hac fide non apprehenditur Pontifex & Mediator Christus.

DE BONIS OPERIBVS.

HActenus de Iustificatione & Fide dictum est. Inchoatur autem in iustificatis noua obedientia. Ideo tradenda est doctrina de Bonis operibus. Tria autem quæruntur de bonis operibus. Primum, quæ opera postulentur. Secundum, quomodo illa imperfecta obedientia placeat Deo. Tertio, quomodo amittatur gratia.

Quæ requiruntur?

Requiruntur opera Lege Dei præcepta, non tantum externa, sed etiam interiores motus. Necesse est enim Legem in nobis inchoari, sicut Christus ait: Nisi abundauerit iustitia uestra &c. Item, Si uis ingredi in uitam, serua mandata. Ergo requiritur obedientia, quæ sic inchoatur in nobis: Cum fides ad contritionem accessit, iam peccatum displicet, cum cupimus Deo, quem agnouimus, *Bona opera facienda, quæ Lex Dei requirit.*

obedire. Ita primum concipitur bonum propositum, ut uocant. Inchoantur ergo iam in corde motus consentientes Legi Dei, timor, fiducia, dilectio Dei, inuocatio, patientia, ueritas, castitas, dilectio proximi, cura Reipublicæ. Hæ uirtutes fiunt Spiritu sancto impellente corda, & crescunt cum eas exercemus, sicut scriptum est: Habenti dabitur &c. Quanquam autem in renatis bona opera sunt motus Spiritus sancti, tamen Spiritus sanctus mouet per uerbum, & oportet nos habere testimonium, quæ opera placeant Deo, ne decepti alia opera suscipiamus. Ideo cum oporteat nos regi uerbo, dictum est nominatim illa opera postulari, quæ in Decalogo præcepta sunt. Etsi enim non est posita Lex iusto, quod ad accusandum attinet, tamen est ei posita, quatenus docet eum, & requirit obedientiam, iuxta illud: Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, arguendum &c.

Quomodo placet imperfecta obedientia:

Necessaria est obedientia, & tamen sciendum est, eam procul abesse à perfectione, nec satisfacere Legi Dei, & adhuc hærere in nobis reliquias peccati. Quare persona non est iusta, id est, accepta coram Deo propter propriam mundiciem, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Placet autem persona fide per misericordiam propter Christum, ut supra dictum est. Deinde placet & inchoata obedientia, quia sumus facti filij, & credimus propter Christum condonari nobis indignitatem nostram. Vtrumq; igitur sciri necesse est, ut fiducia propriæ iusticiæ, & desperatio animis eximantur. Nam agnitio infirmitatis nostræ humiliat nos, incutit terrores, et exuscitat pœnitentiam. Rursus autem ingens consolatio est, quod pij in tanta infirmitate tamen norunt certò statuendum esse, quod placeant Deo propter Christum. Deinde quod Deo etiam hæc inquinata & imperfecta obedientia placeat, quia sumus inserti Christo, sicut Paulus inquit: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Tanta magnitudo misericordiæ maximè accendere nos debet ad bene operandum, & ad sustinendas ærumnas omnis generis, quia discimus ex Euangelio, quomodo placeat in tanta infirmitate obedientia nostra.

Nuda obedientia placet Deo in persona reconciliata.

CAVSÆ HORTANTES
ad bene operandum.

I. Necessitas, quę triplex est. Prima, quia mandatum est, ut Deo obediamus. Se-
II. cunda, quia non potest existere fides in ijs, qui non agunt pœnitentiam, sed
III. laxant frenum cupiditatibus. Tertia, quia fides extinguitur, si non exerceatur in inuocatione, afflictionibus, & bonis operibus. Semper enim operibus debet præire fides, ut cogitet mens se uelle obedire Deo, & hoc opus placere Deo propter Christum, & roget ut regatur à Deo. Sic Dauid in sua uocatione constituit se uelle obedire Dei, & sentit illa opera uocationis Deo placere, propter promissam misericordiam, & rogat, ut Deus uocationem eius gubernet, Hoc
IIII. modo exercenda est fides in omnibus operibus. Quarta, inuitant ad bene operandum & promissiones additæ operibus ac præmia. Habent enim bona opera piorum præmia corporalia & spiritualia, ut docet quartum præceptum: Honora patrem & matrem, ut sis longæuus super terram. Date & dabitur uobis &c. Est autem & in his promissionibus exercenda fides, cum damus eleemosynam, credamus Deum tamen conseruaturum esse facultates nostras, credamus

& peta-

& petamus augeri dona ſpiritualia,ſicut Auguſtinus inquit: Dilectio meretur augeri dilectionem. Exemplum egregium propoſitum in hiſtoria Sareptanæ mulieris, quæ iuſſa ab Helia, primum ipſi dat cibos, quos ſolos habebat reliquos, & expectabat auxilium à Deo, ita Deus auxit illos cibos, poſtea ornauit eam & alijs donis. Ita & nos exerceamus fidem in inuocatione & omnibus periculis,negocijs,et actionibus,et obediamus Deo,petentes et expectantes ab ipſo auxilium.

Quomodo amittitur gratia?

Dictum eſt, in Sanctis manere peccata, ſed tamen diſcrimen tenendum eſt. Quædam ſunt eiuſmodi,ut ſimul exiſtere fides & gratia poſsit. Alia excutiunt fidem & gratiam. Hoc diſcrimen tradit Paulus Rom. 8. Si ſecundum carnem uiuetis,moriemini, Si autem ſpiritu actiones carnis mortificabitis, uiuetis. Manet enim in Sanctis naturalis infirmitas,concupiſcentia,& multi uicioſi affectus. Sed quia his non obtemperant ſancti, uerum repugnant & agnoſcunt ſibi condonari hanc infirmitatem propter Chriſtum, hæc peccata dicuntur uenialia, hoc eſt, talia, quæ ſanctis condonantur, & propter quæ non amittunt fidem & Spiritum ſanctum. Eſt igitur peccatum ueniale uicioſus affectus, cui non obtemperant pij, ſed repugnant, & credunt ſibi eam infirmitatem propter Chriſtum condonari. *Peccatum ueniale quid.*

Sed quando non repugnant, uerum obtemperant uicioſis affectibus contra conſcientiam, fiunt peccata mortalia, id eſt, propter quæ illi, qui fuerant iuſti, amittunt fidem & Spiritum ſanctum, & propter quæ fiunt rei mortis æternæ,ſicut Paulus inquit: Fornicatores,adulteri, homicidæ, non poſsidebunt regnum Dei. Teneamus igitur hoc diſcrimen, ne ſimus ignaui, nec laxemus frenum cupiditatibus, ne amittamus dona Dei, ſed meminerimus aſſiduè, tanquam in acie ſtandum eſſe,ac cauendas inſidias Diaboli,& reprimendos uicioſos motus, ad excitandam inuocationem, & fidem in tantis uitæ periculis, quæ & maiora & plura ſunt,quam ut intelligi aut proſpici à nobis poſſint. Ideo promiſſus eſt Spiritus ſanctus, ut nos adiuuet & gubernet. Gubernat autem non uicioſos, & ignauos, ſed repugnantes peccato, ſicut Paulus hortatur, ut curemus,ne fruſtra acceperimus gratiam. Etſi autem, ut ante dictum eſt, concupiſcentia & uicioſi motus, quibus repugnant pij,fiunt uenialia peccata, tamen & horum magnitudo agnoſci debet. Non enim ſunt leues morbi, dubitatio de ira & miſericordia Dei, ſecuritas, diffidentia, non ardere dilectione Dei, non ardenter inuocare Deum, fremere aduerſus Deum in afflictionibus. Hæc uicia non intelligit ratio humana, ideo contemnit peccata uenialia, ſed pij ſciant non eſſe extenuanda. Nam concupiſcentia cum ſuis fructibus eſt re ipſa mortale peccatum,in non renatis, & longe maius malum eſt, quàm ut eius magnitudo à ratione perſpici poſsit. Ideo pij hos morbos agnoſcant, & uere perhorreſcant, cum cernunt quomodo repugnat natura hominis uoluntati Dei, ſicut Paulus inquit: Infœlix ego homo. Rurſus autem erigant ſe fide,& ſibi ignoſci credant, & ſerio repugnent illis morbis. Hoc certamen eſt uera pœnitentia piorum, in qua creſcit nouitas ſpiritualis,& concipiuntur noui & ardentiores motus ſpirituales, ſicut inquit Paulus: Exterior noſter homo corrumpitur, ſed interior renouatur. Et ad Coloſſenſes: Induite nouum hominem,qui renouatur agnitione Dei & ad imaginem eius,qui condidit eum. Et ad Corinthios: In eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam. *Peccata mortalia.* *Venialium peccatorum magnitudo.*

CATECHESIS.

DE SACRAMENTIS.

Quid est Sacramentum?

PRopriè est ceremonia in Euangelio instituta, cui est addita promissio Euangelij.

Quot sunt?

Tria rectè numerantur, Baptismus, Absolutio, Cœna Domini. Baptismus est immersio in aquam, quæ fit cum hac admiranda benedictione: Ego baptiso te in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et ad quid fiat baptismus, hæc ipsa uerba significant. Est enim sententia: Ego minister mandato diuino hac ceremonia testor, quòd iam ille Deus recipiat te in gratiam, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & sic uult agnosci & inuocari, quod propter Filium te recipiat, & Spiritu sancto te sanctificet, & sit tibi opitulaturus, & inchoaturus in te nouam & æternam uitam: Ita in his uerbis comprehensa est promissio, & summa Euangelij, & ueri cultus descriptio, quæ discernit nos à Gentibus & Iudeis, qui non inuocant Deum per filium Mediatorem, neq; agnoscunt Spiritum sanctum. Quare hæc uerba semper sint nobis in conspectu, semper personet nobis in auribus hæc uox Dei paciscentis nobiscum, quod uere uelit nobis esse Deus, uerè uelit Filij beneficium & Spiritum sanctum nobis impertiri, uerè curet & exaudiat nos. Ideo Petrus dicit, Baptismum esse pactum bonæ conscientiæ erga Deum, id est, sic sentientis de Deo, quod uere nos receperit propter Filium, uere nos iam curet & exaudiat.

Baptismus.

Quis est effectus Baptismi?

Prorsus extinguit usum Baptismi pernicioſa & fanatica opinio plurimorum, quæ imaginatur Baptismum tantum esse notam professionis erga homines. Quare pij debent esse uigilantes, ne hæc opinio animos eorum occupet. Statuant autem econtra, Baptismum esse testimonium uoluntatis Dei erga nos, & sic discant uti Baptismo erga Deum. Quoties inuocas, cogita Deum testatum esse in Baptismo, quod uere te receperit in gratiam, quod uerè uelit tibi ignoscere propter Filium, uerè uelit te exaudire, uerè uelit te sanctificare Spiritu sancto. Id testatus est hoc signo, in quo pacisci tur nobiscum, se nobis futurum esse Deum, Saluatorem et opitulatorem. Atq; ita Paulus de Baptismo loquitur, cum uocat lauacrum regenerationis. Quo dicto clare testatur, Baptismum non tantum esse notam professionis coram hominibus. Sunt igitur effectus baptismi remissio peccatorum, & donatio Spiritus sancti, sicut testatur Paulus Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet eam glorioſam &c. Porro adulti discant exercendam esse fidem recordatione baptismi, quia necesse est ad sacramenta fidem addi. Semper igitur baptismus debet nobis testimonium esse uoluntatis Dei erga nos, quo admoniti credamus nos uere à Deo receptos esse, uerè donatam esse salutem propter Christum, uerè sanctificari ac iuuari à Spiritu sancto.

Baptismi effectus.

Suntne infantes baptisandi?

Respondeo, Infantibus baptismum necessarium esse, quia Mandatum Christi est uniuersale, Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei, Ergo etiam infantibus opus est baptismo, ut saluentur. Hæc ratio ducta ex uniuersali sententia satisfacit pijs, & tenenda est aduersus fanaticos homines, qui improbant baptismum infantium. Sunt & plura argumenta utilia conscientijs.

Infantes esse baptisandos.

Nemo

Nemo ſaluatur extra Eccleſiam,
Infantes aliqui ſunt ſaluandi,
Ergo neceſſe eſt eos inſertos eſſe Eccleſiæ, & applicari eis primum Sacramentum.

Maior eſt manifeſta, quia ubi non eſt uerbum Dei, aut Sacramentum, ibi non datur Spiritus ſanctus, qui datur per uerbum & Sacramenta.

Minor etiam manifeſta eſt, quia Chriſtus clare pronunciat de infantibus in populo Dei: Non eſt uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis iſtis. Cum igitur teſtetur, infantes illos ſaluos fieri, qui ſunt in populo Dei, non alios extra Eccleſiam, ſequitur neceſſario inſerendos eſſe Eccleſiæ, Confirmat eandem Minorem & alia ſententia Chriſti, uidelicet: Sinite paruulos uenire ad me, talium enim eſt regnum cœlorum. Et loquitur de infantibus in populo Dei, Ergo teſtatur aliquos infantes ſaluos fieri, & quidem illos, qui ſunt inſerti Eccleſiæ.

Tertium, Non eſt remiſsio peccatorum ſine miniſterio uerbi & Sacramentorum.
Infantes habent opus remiſſione peccatorum,
Ergo infantibus applicandum eſt miniſteriū Sacramentorū.

Maiorem confirmat hæc ſententia Iohan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis &c. Minorem confirmat Paulus Rom. 5. Epheſ. 2. ubi teſtatur infantes ſecum afferre peccatum originis, hoc eſt, reatum & corruptionem naturæ.

Quartum argumentum: Promiſsio Euangelij pertinet ad Infantes,
Ergo & Sacramentum, quod eſt teſtimonium promiſſionis, & ſignum, quod ſignificat applicari promiſſionem.

Conſequentia ualet, quia ad quem pertinet promiſſio, quæ eſt principale, ad eundem pertinet ſignum, quod eſt nota promiſſionis. Antecedens manifeſtum eſt, quia infantes non niſi propter Chriſtum ſaluantur. Et ipſe inquit: Sinite paruulos uenire ad me.

Quintum: Circumciſio in ueteri Teſtamento erat neceſſaria infantibus, ut ſignificaret ad eos pertinere promiſsionem gratiæ, uidelicet: Ero Deus eorum, & ut inſererentur populo Dei.
Ergo Baptiſmus in nouo teſtamēto eſt neceſſarius infantibus.

Valet conſequentia, quia ſignificatio conuenit, quod attinet ad promiſsionem gratiæ. Et Deus uult eſſe efficax per Verbum & Sacramentum.

Quid ſignificat Baptiſmus?

Sacramenta principaliter ſunt ſigna promiſsionum diuinarum. Quare præcipuè ſignificat Baptiſmus promiſsionem Euangelij, quod propter Chriſtum donetur nobis remiſſio peccatorum, & Spiritus ſanctus. Itaq; merſio ſignificat ablui peccata, & mergi in mortem Chriſti, quia peccatum deletum eſt, & promiſſa noua & æterna uita. Poſtea accedunt aliæ ſignificationes, quæ ad mores noſtros pertinent. Merſio ſignificat mergi nos in mortem & afflictiones, ut abolita carne immunda, prorſus deleatur peccatum. Sic ergo Baptiſmum intueamur in omni uita, ut nos primum admoneat de uoluntate Dei erga nos, quod uerè nos receperit, & uelit delere peccatum. Hæc fides exuſcitat inuocationem. Deinde admoneat nos merſio de obedientia, quod ad afflictiones uocatiſimus. *Significatio Baptiſmi.*

DE POENITENTIA.

VOcabulum Pœnitentiæ in Ecclesia usurpatur pro conuersione ad Deum, & nos usitatum uerbum retinemus, ut facilius agnosci locus doctrinæ possit, Sunt autem partes pœnitentiæ duæ, Contritio & Fides. Contritio significat terrores conscientiæ, agnoscentis peccatum & iram Dei, ac dolentis propter peccata. Fiunt autem hi terrores, cum Euangelium arguit peccata, quam ad rem utitur ministerio Legis. Ac necesse est existere terrores, sicut dicit Ioël: Scindite corda uestra. Et Esai. Vbi habitabit Dominus? In spiritu contrito &c. Et Esai. 1. Desinite peruerse agere. Et Ezech. 18. Cum auerterit se impius ab impietate sua &c. Nec tamen meretur Contritio remissionem peccatorum, Imo nisi fides accederet, contritio & terrores adferrent desperationem & æternam mortem. Necesse est igitur et de altera parte Ecclesias doceri, ut accedat consolatio. Quare proponendum est Euangelium, in quo promittitur remissio peccatorum propter Christum, quæ uere ita donatur, cum fide statuimus nobis non propter dignitatem nostram, aut opera, aut uirtutes, sed propter Christum, qui pro nobis factus est uictima, gratis remitti peccata. Suntq; docendæ Ecclesiæ, ne aliud quærant, præter hanc fidem, ut mereantur remissionem peccatorum. Conscientia enim solet alias consolationes, præter fidem quærere. Quare non sine certamine magno reuocatur ad fidem. Discamus igitur huius fidei exercitia, sciamus eam esse præcipuum cultum Dei, & in omni inuocatione exercendam. Quoties incipimus inuocare, hæc fides præluceat, credamus nobis ignosci, nos reputari iustos, nos exaudiri propter Pontificem Christum. Ita in omni inuocatione hæc fides, qua credimus nobis remitti peccata, exercenda est, & hæc est proprius cultus piorum.

Contritio.

Fides.

Habeamus autem in conspectu quædam firma & illustria testimonia de hac fide & de remissione peccatorum, ut magis confirmari mentes, & excitari ad fidem & inuocationem possint. Actorum decimo: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

Sciendum est & illud, cum hac fide nos sustentamus, dari Spiritum sanctum per uerbum, iuxta illud Pauli ad Galatas: Vt promissionem Spiritu accipiamus per fidem. Nam Spiritus sanctus est efficax in consolatione per uerbum Euangelij. Quare cum nos Euangelij & absolutionis cogitatione erigimus, datur Spiritus sanctus. Postea etiam sequi debet noua obedientia, sicut etiam scriptum est: Debitores sumus, ne secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini. Et ad Corinthios: Adulteri, homicidæ, non possidebunt regnum Dei. Cum fide agnouimus misericordiam Dei & beneficium Christi, tum corda impellente Spiritu sancto subijciunt se Deo, & concipiunt bonum propositum, ut uulgo dicitur, id est, incipiunt obedire Deo iuxta eius uerbum, & repugnare malis cupiditatibus, ne contra conscientiam faciant. Hoc bonum propositum est inchoatio nouæ obedientiæ, complectens bonos motus omnium uirtutum, timorem, dilectionem, patientiam, inuocationem, officia dilectionis, castitatem, ueritatem. Nec sine fide fit bonum propositum. Nam contritio sine fide est terror, qui parit indignationem aduersus Deum, et desperationem, non parit dilectionem Dei et inuocationem. Sed postquam accedit fides, deinde contritio fit timor filialis, & bonum opus ac

Noua obedientia.

sacri-

sacrificium, sicut inquit Psalmus: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Hinc intelligi potest, semper ueram pœnitentiam parere bona opera, ut alter latro crucifixus cum Christo, habet contritionem, agnoscit enim suum peccatum, habet & fidem, cum agnoscit Christum esse Saluatorem, Nec enim erat obscura Christi cognitio, quę tali tempore prædicat eum esse Saluatorem, ac necesse est in animo eius accensum fuisse excellens lumen. Audit etiam Absolutionem & Euangelium, ut fides eius confirmetur. Hæc ipsa conuersio est inchoatio nouæ obedientiæ, dilectionis & boni propositi, quæ sunt bona opera. Accedunt & externa opera maximè gloriosa, inuocatio & confessio de Christo, quæ contra blasphemias defendit, gloriam eius. Item confessio peccati.

DE ABSOLVTIONE.

PRiuata Absolutio est illustre testimonium, ostendens in Euangelio institutum esse ministerium annunciandi remissionem peccatorum multis aut singulis, iuxta illud: Quorum remiseritis peccata &c. Applicat igitur priuata absolutio singulis Euangelium, & testatur promissionem ad singulos pertinere, sicut cætera Sacramenta sunt applicationes, quæ testantur ad singulos pertinere Euangelij promissionem. Quare priuata absolutione utendum est. Semper autem meminerimus addendam esse fidem, quæ uerè credat uoci Euangelij, quæ nobis applicatur, & annunciat remissionem peccatorum propter Christum, & cum obstrepunt cogitationes illæ, humanam remissionem irritam aut incertam esse, cum solius Dei sit remittere peccata, reuocanda est mens ab his cogitationibus ad Euangelium. Non enim remittit homo, sed Deus, qui suam uoluntatem in Euangelio proposuit, & instituit ministerium, ut promissio ipsius nobis annuncietur &c. Et mandauit promissioni credi. Sic per ministerium in baptismo remittuntur peccata.

Absolutio priuata.

DE CONFESSIONE.

COnfessio quæ fit Deo, est ipsa contritio, cum fide petente remissionem peccatorum. De hac confessione loquitur Psalmus: Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remittis impietatem peccati mei, id est, cum perterrefactus agnosco me esse reum, nec confido mea iusticia, sed confugio ad promissam misericordiam, uerè impetro remissionem. Et hic uersiculus Psalmi proponit illustre exemplum conuersionis & ueræ confessionis.

Confessio peccatorum quæ Deo fit est necessaria.

Sed alia confessio est enumeratio delictorum, quæ fit Sacerdoti. Hęc enumeratio non est necessaria, quia nec præcipitur à Christo, nec est possibilis, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Et tamen cum absolutio petenda sit, ministri adeundi sunt, & ostendendum nos agnoscere iram Dei aduersus nostra peccata, & petere, ut uocem Euangelij nobis impertiant, & testari nos deinceps bonos fructus pœnitentiæ facturos esse. Sic de confessione scriptum est Matthæi tertio, Confitentes peccata sua. Et Lucæ decimo septimo describitur, quid testari debeamus, cum ait: Si conuersus fuerit ad te dicens: Pœnitet me, dimitte illum. Nam contemnentibus iram Dei, qui perseuerant in flagicijs contra contra conscientiam, non est impertienda absolutio.

Enumeratio peccatorum non est necessaria.

DE SATISFACTIONE.

CONsuetudo satisfactionum improbanda est, & reijcienda doctrina de satisfactionibus. Cauendum est enim omni studio, ne obruatur doctrina de gratuita acceptatione & de fide. Luceat hæc sententia in Ecclesijs, quod gratis propter Christum donetur remissio culpæ & pœnæ æternæ, quod Christus sit satisfactio & uictima pro peccatis nostris, quod nulla nostra opera sint satisfactiones pro peccatis nostris.

Hanc doctrinam ualde obscurauit doctrina de satisfactionibus in Ecclesia. Ideo necesse est eam aboleri, & reijci consuetudinem satisfactionum. Sed hic monendi sunt rudes, non reijci ciuiles satisfactiones, ut furti restitutionem, quæ uerè pertinent ad contritionem. Sed reijciuntur satisfactiones, quas ipsi uocant opera indebita. Item, quod operibus tribuunt compensationem pro æterna morte, & obruunt doctrinam de beneficio Christi. Quales autem fuerint ritus satisfactionis publicæ quondam, & quales postea ritus & opiniones secutæ sint, non possum in breui Catechesi recitare. Cæterum illud sciant pij, Deum sæpe punire peccata ingentibus pœnis temporalibus, & has rursus mitigare, aut prorsus tollere propter totam pœnitentiam. Sicut Dauid propter adulterium è regno expulsus est, sed Deus agenti pœnitentiam mitigauit pœnam, eumq; restituit. Discernenda est igitur remissio æternæ pœnæ, à remissione præsentium & corporalium pœnarum. Semper in remissione culpæ simul fit remissio pœnæ æternæ propter Christum, sed quia Deus in hac uita nos subiecit afflictionibus non semper tolluntur pœnæ corporales. Imo interdum etiam post pœnitentiam irrogantur, exempli causa, & ut pij exerceantur, sicut inquit Petrus: Iudicium à domo Dei incipit. Vt Dauid post pœnitentiam regno expulsus est, sed tamen propter conuersionem mitigatur pœna. Sæpe punit Deus fontes ante pœnitentiam, ut reuocet eos, ut Manasses in carcere resipuit. 2. Paral. 22. Tales afflictiones non sunt compensationes, aut satisfactiones, sed pœnæ, quibus Deus aut reuocat, aut exercet homines. Cæterum promisit Deus mitigationem pœnarum corporalium agentibus pœnitentiam, ut Esai. 1. Si fuerint peccata uestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Et Esai. 33. Panis ei datus est, Regem in decore uidebunt. Et Zach. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.

Doctrina & consuetudo satisfactionum reijcienda.

DE COENA DOMINI.

DIligenter admonendi sunt pij, ut discant Sacramenta à Christo instituta, non esse tantum notas professionis erga homines, sicut Toga discernebat Romanos à Græcis, aut forma uestis discernit Monachos, nec esse tantum symbola morum, ut nunc multi lectis gentium historijs, quia uident in fœderibus faciendis fuisse morem, testificandæ beneuolentiæ mutuæ causa, simul conuiuari, cogitant hanc Cœnam Christi etiam tale conuiuium esse constitutum ad significandam mutuam beneuolentiam. Sed hic nequaquam principalis finis est. Nam Sacramenta in Euãgelio instituta, sunt signa gratię, id est, sunt principaliter testimonia uolũtatis diuinæ erga nos. Sicut Circũcisio erat testimonium posteris Abrahæ, uerè eos esse populũ Dei, & admoniti hoc signo debebant credere, se uerè propter promissionem habere Deum propicium. Hic fuit principalis usus

Sacramenta signa gratiæ.

lis usus circumcisionis, ut docet Paulus, Rom. 4. cum ait, Circumcisionem esse sigillum iusticiæ fidei, id est, testimonium, quo fides magis confirmatur, nam accepto signo statuimus ad nos pertinere promissionem. Sic & de Cœna Domini sentiamus, eam esse Sacramentum, id est, testimonium additum Euangelio, ut nos admoneat uerè ad nos pertinere promissionem Euangelij & beneficia Christi.

Christus in Cœna uerè adest, & est efficax.

Sciant igitur pij, utendum esse integro Sacramento, sicut Christus instituit, & cum sumunt corpus & sanguinem Domini, Christum adesse & efficacem esse. Cum autem quæritur ad quid prosit manducare, recte respondetur, prodesse ad confirmandam fidem, quia est testimonium, quo admoniti statuere debemus, uere ad nos pertinere beneficia Christi. Exhibet tibi Christus corpus suum, ut donet tibi sua beneficia, ut testetur te esse membrũ, pro quo passus est, quod uelit seruare, in quo uelit esse efficax contra Diabolum. Exhibet sanguinem, ut scias te sanguine ipsius ablutum esse. Prodest igitur manducare agentibus pœnitentiam, & fide intuentibus in mortem & resurrectionem Christi, & credentibus propter hunc mediatorem Deum uerè propicium esse, uerè nobis ignoscere, nos exaudire, & inuocantibus hac fide Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, & pro tanto beneficio gratias agentibus. Hæc concurrere in usu necesse est. Nec prodest ceremonia sine pœnitentia & sine fide.

Quid de Missa sentiendum est?

Missa Pontific. non est Sacramentum.

Sacramenta extra usum à Christo institutum, non sunt Sacramenta, ut si quis aquam baptismi circumferret, etiamsi uerba adderet, theatrico more, nequaquam esset baptismus, & is cultus esset impius, ita cum ex Cœna Domini fit oblatio, Item cum applicatur pro uiuis & mortuis, nequaquam est Sacramentum à Christo institutum. Cum autem sacrificuli in Missa offerant panem & uinum sine ullo mandato Dei, & applicent pro uiuis & mortuis, fugiendæ sunt tales Missæ, tanquam idolatricæ. Nec opus ipsum potest alijs mereri remissionem peccatorum, quia oportet singulos accipere remissionem peccatorum Gratis propria fide, quæ nititur Christo, nõ ullius humani operis merito. Pugnat igitur adplicatio pro alijs cum doctrina de fide. Deniq; non magis est sacramentum in Missa papistica, quam Turcica aut Iudaica circumcisio est sacramentum. Dixit autem cœlestis uox: Fugite idolatriam.

FINIS.

CONFESSIO FIDEI EXHIBI-
TA INVICTISS. IMP. CAROLO V. CÆSA-
RI AVG: IN COMICIIS AVGVSTÆ.
ANNO M.D.XXX.

AD LECTORES.

HÆC CONFESSIO PRORSVS IGNORANTIBVS PRINCIPIBVS qui eam Cæsari exhibuerunt, ab auaro aliquo typographo, ante semestre publicata est. Et ita excusa est, ut multis in locis appareat de industria deprauatam esse. Cum autem Principes, nec si velint, queant eam nunc è manibus hominum extorquere, et tamen periculum sit, ne mendæ illæ, primæ editionis pariant nouas calumnias, necesse fuit recognitam & emendatam denuo edere, quia non solum ad existimationem Principum, sed etiam ad religionem pertinet, præstare, ne ipsorum titulis spargantur in vulgus huius generis mendosa scripta. Quare nunc emittimus probe & diligenter descriptam Confessionem, ex exemplari bonæ fidei. Addidimus & Apologiam quæ etiam Cæs. Maiestati oblata est. Verebamur enim futurum, vt alibi ederetur non fœlicius, quam edita est confessio. Quanquam autem aduersarij placari nolint, tamen speramus omnes bonos ac prudentes viros vbiq; gentium his libellis lectis, intellecturos esse, quod nullum dogma contra autoritatem scripturæ sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ profiteamur, Sed quod nostri optimo iure quosdam abusus reprehenderint, et præcipuis locis doctrinæ Christianæ, qui ad id tempus perniciosissimis opinionibus obruti fuerant, lumen attulerint. De iusticia fidei omnia templa, monasteria, scholæ, deniq; libri omnes theologorum recentium antea muti erant. In doctrina pœnitentiæ nusquam tradebatur certa & firma consolatio conscientiarum. Nemo docebat peccata remitti per fidem in Christum. Doctrina satisfactionum carnificina erat conscientiarum. Sacramenta impie prophanata sunt, postquam recepta est opinio, quod ex opere operato iustificent. Et hæc opinio doctrinam fidei prorsus oppressit, & multiplicem Idolatriam peperit. Traditiones humanæ plus quam labyrinthi erant, quia partim Iudaicis ac superstitiosis, partim tyrannicis interpretationibus, in infinitum auctæ fuerant. Postea relaxatio traditionum collata fuit ad quæstum. Hæc vicia nostri reprehenderunt, non vt Ecclesiasticam politiam dissoluerent, sed vt gloriam Christi illustrarent, vt Euangelium natiuæ puritati restituerent, vt pijs conscientijs consulerent. Neq; nunc possunt deserere patrocinium veritatis, cum Christus dicat, Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Nunc igitur rogamus omnes bonos viros, ne de nobis, tantum ex aduersariorum scriptis aut clamoribus iudicium faciant, qui miris technis & calumnijs veritatem obruere conantur, sed quod æquissimum est, audiant nos quoq; & causam totam cognoscant, quæ cum ad gloriam Dei, ad religionem, & ad salutem animarum pertineat,
nemini debet esse ignota.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD CÆSAREM CAROLVM V.

INVICTISSIME IMPERATOR, CÆSAR AVGVSTE, DOMINE clementiſſime. *Cum V. C. M. indixerit conuentum Imperij Auguſtæ, vt deliberetur de auxilijs contra Turcam atrociſſimum, hæreditarium, atq; veterem Chriſtiani nominis ac religionis hoſtem, quomodo illius ſcilicet furori & conatibus, durabili & perpetuo belli apparatu reſiſti poſſit. Deinde & de diſſenſionibus in cauſa noſtræ ſanctæ religionis & Chriſtianæ fidei, & vt in hac cauſa religionis, partium opiniones, ac ſententiæ inter ſeſe, in caritate, lenitate, & manſuetudine mutua audiantur coràm, intelligantur & ponderentur, vt illis quæ vtrinq; in ſcripturis ſecus tractata aut intellecta ſunt, ſepoſitis & correctis, res illæ ad vnam ſimplicem veritatem & Chriſtianam concordiam componantur & reducantur, vt de cætero à nobis vna, ſincera & vera religio colatur, & ſeruetur, vt quemadmodum ſub vno Chriſto ſumus & militamus. Ita in vna etiam Eccleſia Chriſtiana, in vnitate & concordia uiuere poſſimus.*

Cumq; nos infra ſcripti Elector & Principes, cum alijs qui nobis coniuncti ſunt, perinde vt alij Electores & Principes & Status ad præfata Comitia euocati ſimus, vt Cæſareo mandato obedienter obſequeremur, mature venimus Auguſtam. Et quod citra iactantiam dictum volumus inter primos affuimus.

Cum igitur V. C. M. Electoribus, Principibus & alijs Statibus Imperij, etiam hic Auguſtæ ſub ipſa initia horum Comitiorum inter cætera proponi fecerit, quod ſinguli Status imperij vigore Cæſarei Edicti, ſuam opinionem & ſententiam in Germanica & Latina lingua proponere debeant atq; offerre. Et habita deliberatione proxima feria quarta, rurſum reſponſum eſt V. C. M. nos proxima feria ſexta Articulos noſtræ confeſſionis pro noſtra parte oblaturos eſſe. Ideo vt V. C. M. voluntati obſequamur, offerimus in hac religionis cauſa noſtrorum Concionatorum, & noſtram confeſſionem, cuiuſmodi doctrinam ex ſcripturis ſanctis, & puro verbo Dei, hactenus illi in noſtris terris, ducatibus, ditionibus & vrbibus tradiderint, ac in Eccleſijs tractauerint.

Quod ſi & cæteri, Electores, Principes, ac Status Imperij, ſimilibus ſcriptis Latinis ſcilicet & Germanicis, iuxta prædictam Cæſaream propoſitionem, ſuas opiniones in hac cauſa Religionis produxerint, hic nos coram V. C. M. tanquam domino noſtro clementiſſimo paratos offerimus, cum præfatis Principibus & amicis noſtris, de tolerabilibus modis ac vijs amice conferre, vt quantum honeſte fieri poteſt, conueniamus & re inter nos partes, citra odioſam contentionem pacifice agitata, Deo dante diſſenſio dirimatur, & ad vnam veram concordem religionem reducatur, Sicut omnes ſub vno Chriſto ſumus & militamus, et vnum Chriſtum confiteri debemus, iuxta tenorem edicti V. C. M. & omnia ad veritatem Dei perducantur, id quod ardentiſſimis votis à Deo petimus.

Si autem quod ad cæteros Electores, Principes & Status, vt partem alteram attinet, hæc tractatio cauſæ Religionis, eo modo quo V. C. M. agendam & tractandam ſapienter duxit, ſcilicet cum tali mutua præſentatione ſcriptorum, ac ſedata collatione inter nos non proceſſerit, nec aliquo fructu facta fuerit, nos quidem teſtatum clare relinquimus,

mus, hic nihil nos quod ad Christianam concordiam (quæ cum Deo & bona conscientia fieri possit) conciliandam conducere queat, vllo modo detrectare. Quemadmodum & V.C.M. deinde & cæteri Electores, & Status Imperij, & omnes, quicunq; sincero religionis amore ac studio tenentur, quicunq; hanc causam æquo animo audituri sunt, ex hac nostra & nostrorum confessione hoc clementer cognoscere & intelligere dignabuntur.

Cum etiam V. C. M. Electoribus, Principibus & reliquis Statibus Imperij non vna vice, sed sæpe clementer significauerit, & in Comitijs Spirensibus quæ anno Domini &c. XXII. habita sunt, ex data & præscripta forma vestræ Cæsareæ instructionis & commissionis recitari, & publice prælegi fecerit. Vestram M. in hoc negocio religionis ex causis certis quæ V. M. nomine allegatæ sunt, non velle quicquam determinare nec concludere posse, sed apud Pontificem Romanum pro officio V. C. M. diligenter daturam operam de congregando Concilio generali. Quemadmodum idem latius expositum est ante annum in publico proximo conuentu, qui Spiræ congregatus fuit. Vbi V. C. M. per dominum Ferdinandum, Boemiæ & Vngariæ Regem, amicum & dominum clementem nostrum, Deinde per Oratorem, & Commissarios Cæsareos, hæc inter cætera proponi fecit, quod V.C.M intellexisset & expendisset Locum tenentis. V.C. M. in imperio, & præsidentis & Consiliariorum in Regimine, & Legatorum ab alijs Statibus qui Ratisponæ conuenerant, deliberationem de Concilio congregando. Et quod iudicaret etiam V.C.M. vtile esse, vt congregaretur Concilium, Et quia causæ quæ tum tractabantur inter V.C.M. & Rom. Pontificem, vicinæ essent concordiæ & Christianæ reconciliationi, non dubitaret V. C. M. quin Roman. Pontifex adduci posset ad habendum generale Concilium, Ideo significabat V. C. M. operam daturam, vt præfatus Ponti. Maximus vna cum V. C. M. tale generale Concilium, primo quoq; tempore emissis literis publicandum congregare consentiret.

In euentum ergo talem quod in causa religionis, dissensiones inter nos & partes amice & in caritate non fuerint compositæ, tunc coram V. C. M. hic in omni obedientia nos offerimus, ex superabundanti comparituros, et causam dicturos in tali generali libero & Christiano Concilio, de quo congregando in omnibus Comitijs Imperialibus, quæ quidem annis Imperij V. C. M. habita sunt per Electores, Principes & reliquos Status Imperij, semper concorditer actum, & congruentibus suffragijs concluſum est. Ad cuius etiam generalis Concily conuentum, simul & ad V.C.M. in hac longe maxima & grauissima causa, tam ante etiam debito modo & in forma iuris prouocauimus, & appellauimus. Cui appellationi ad V. C. M. simul & Concilium adhuc adheremus, neq; eam per hunc uel alium tractatum (nisi causa inter nos & partes, iuxta tenorem Cæsareæ proximæ citationis amice in caritate composita, sedata, & ad Christianam concordiam reducta fuerit) deserere intendimus aut possumus,

De quo hic etiam solenniter & publice protestamur.

ARTICV-

PRÆCIPVI.

I.

ECclesiæ magno consensu apud nos docent, Decretum Nicenæ Synodi de unitate essentiæ diuinæ, & de tribus personis uerum & sine ulla dubitatione credendum esse. Videlicet quod sit una essentia diuina, quæ & appellatur, & est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator & conseruator omnium rerum uisibilium & inuisibilium, & tamen tres sint personæ, eiusdem essentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa Scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod proprie subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, ut Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum & Malum, item, Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas & omnes horum similes. Damnant & Samosatenos, ueteres & Neotericos, qui cum tantum unam personam esse contendant, de uerbo & de Spiritu sancto astute & impie rhetoricantur, quod non sint personæ distinctæ, sed quod uerbum significet uerbum uocale, & spiritus motum in rebus creatum.

II.

Item docent, quod post lapsum Adæ omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, quodq; hic morbus, seu uicium originis uere sit peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem, his qui non renascuntur, per baptismum & Spiritum sanctum.

Damnant Pelagianos, et alios qui uicium originis negant esse peccatum, & ut extenuent gloriam meriti, & beneficiorum Christi, disputant hominem propriis uiribus rationis coram Deo iustificari posse.

III.

Item docent, quod uerbum, hoc est, Filius Dei, assumpserit humanam naturam in utero beatæ Mariæ uirginis, ut sint duæ naturæ, diuina & humana, in unitate personæ inseparabiliter coniunctæ, unus Christus, uere Deus, & uere homo, natus ex uirgine Maria, uere passus, crucifixus, mortuus & sepultus, ut reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferos, & uere resurrexit tertia die, deinde ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dexteram Patris, & perpetuo regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur ac uiuificet eos, ac defendat aduersus Diabolum, & uim peccati. Idem Christus palam est rediturus, ut iudicet uiuos & mortuos &c. iuxta Symbolum Apostolorum.

IIII.

Item docent, quod homines non possint iustificari coram Deo propriis uiribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro iustícia coram ipso, Rom. 3. & 4.

V.

Vt hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi Euangelij & porrigendi Sacramenta. Nam per uerbum & sacramenta, tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando uisum est Deo in ijs qui audiunt Euangelium, scilicet quod Deus non propter nostra merita, sed propter Christum iustificet, hos qui credunt, se propter Christum in gratiam recipi.

Damnant Anabaptistas & alios, qui sentiunt Spiritum sanctum contingere sine uerbo externo hominibus per ipsorum præparationes & opera.

VI.

Item docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, & quod oporteat bona opera, mandata à Deo facere, propter uoluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera iustificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum & iustificatio fide apprehenditur, sicut testatur & uox Christi, Cum feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus. Idem docent & ueteres Scriptores Ecclesiastici. Ambrosius enim inquit, Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, saluus sit, Sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.

VII.

Item docent, quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio Sanctorum, in qua Euangelium recte docetur, & recte administrantur Sacramenta. Et ad ueram unitatem Ecclesiæ, satis est consentire de doctrina Euangelij & administratione Sacramentorum. Nec necesse est ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus, Vna fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium &c.

VIII.

Quanquam Ecclesia proprie sit congregatio sanctorum & uere credentium, tamen cum in hac uita multi hypocritæ & mali admixti sint, licet uti sacramentis, quæ per malos administrantur iuxta uocem Christi. Sedent Scribæ & Pharisæi in Cathedra Mosi &c. Et sacramenta & uerbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas & similes, qui negabant licere uti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse.

IX.

De Baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem, quod per Baptismum offeratur gratia Dei, Et quod pueri sint baptisandi, qui per Baptismum oblati Deo recipiantur in gratiam Dei.

Damnant Anabaptistas, qui improbant Baptismum puerorum, & affirmant pueros sine Baptismo saluos fieri.

X.

De Cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi uere adsint, & distribuantur uescentibus in Cœna Domini, & improbant secus docentes.

XI.

De confessione docent, quod absolutio priuata in Ecclesijs retinenda sit, quanquam

quanquam in confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis iuxta Psalmum, Delicta quis intelligit?

XII.

De pœnitentia docent, quod lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocunq; tempore, cum conuertuntur. Et quod Ecclesia talibus redeuntibus ad pœnitentiam absolutionem impartiri debeat,

Constat autem pœnitentia proprie his duabus partibus, Altera est, contritio seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato. Altera est, fides quæ concipitur ex Euangelio seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.

Damnant Anabaptistas, qui negant semel iustificatos posse amittere Spiritum sanctum. Item qui contendunt quibusdam tantam perfectionem in hac uita contingere, ut peccare non possint. Damnantur & Nouatiani, qui nolebant absoluere lapsos post Baptismum redeuntes ad pœnitentiam. Reiciuntur & isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed docent remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem & opera. Reiciuntur & isti qui Canonicas satisfactiones docent necessarias esse ad redimendas pœnas æternas, aut pœnas purgatorij.

XIII.

De usu sacramentorum docent, quod sacramenta instituta sint, non modo ut sint notæ professionis inter homines, sed magis ut sint signa & testimonia uoluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his qui utuntur proposita, Itaq; utendum est sacramentis ita, ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per sacramenta exhibentur & ostenduntur.

Damnant igitur illos qui docent, ꝙ sacramenta ex opere operato iustificent, nec docent fidem requiri in usu sacramentorũ, quæ credat remitti peccata.

XIIII.

De ordine Ecclesiastico docent, quod nemo debeat in Ecclesia publice docere, aut sacramenta administrare, nisi rite uocatus.

XV.

De ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi seruandi sint, qui sine peccato seruari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa & similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiæ onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit.

Admonentur etiam, quod traditiones humanæ institutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis, aduersentur Euangelio & doctrinæ fidei. Quare uota & traditiones de cibis & diebus &c. institutæ ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis inutiles sint & contra Euangelium.

XVI.

De rebus ciuilibus docent, quod legitimæ ordinationes ciuiles, sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere Magistratus, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatorijs, & alijs præsentibus legibus, supplicia iure constituere, iu-

re bellare,militare,lege contrahere, tenere proprium, iusiurandum postulantibus Magistratibus dare,ducere uxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc ciuilia officia Christianis. Damnant & illos, qui Euangelicam perfectionem nõ collocant in timore Dei & fide, sed in deserendis ciuilibus officijs, quia Euangelium tradit iusticiam æternam cordis. Interim non dissipat Politiam & Oeconomiam,sed maxime postulat conseruare tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere caritatem. Itaq; necessario debent Christiani obedire Magistratibus suis & legibus. Nisi cum iubent peccare, tunc enim magis debent obedire Deo quam hominibus. Act.5.

XVII.

Item docent, quod Christus apparebit in consummatione mundi ad iudicandum, & mortuos omnes resuscitabit, pijs & electis dabit uitam æternam & perpetua gaudia, impios autem homines ac diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur.

Damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis ac diabolis finem pœnarum futurum esse. Damnant & alios qui nunc spargunt Iudaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum, pij regnum mundi occupaturi sint,ubiq; oppressis impijs.

XVIII.

De libero arbitrio docent, quod humana uoluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iusticiam,et deligendas res rationi subiectas. Sed non habeat uim sine Spiritu sancto efficiendæ iusticiæ Dei, seu iusticiæ spiritualis, quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, sed hæc fit in cordibus,cum per uerbum Spiritus sanctus concipitur. Hæc totidem uerbis dicit Augustinus lib. 3. Hypognosticon. Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus,habens quidem iudicium rationis,non per quod sit idoneum in ijs quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certe peragere, sed tantum in operibus uitæ præsentis tam bonis quam etiam malis, Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur,id est, uelle laborare in agro, uelle manducare & bibere,uelle habere amicum, uelle habere indumenta,uelle fabricare domum,uxorem uelle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerum bonarum, uelle quicquid bonum ad præsentem pertinet uitam. Quæ omnia non sine diuino gubernaculo subsistunt, imo ex ipso & per ipsum sunt, & esse cœperunt. Malis uero dico,ut est uelle Idolum colere,uelle homicidium &c.

Damnant Pelagianos, & alios qui docent, quod sine Spiritu sancto, solis naturæ uiribus possimus Deum super omnia diligere, Item præcepta Dei facere,quo ad substantiam actuum. Quanquam enim externa opera aliquo modo efficere natura possit: Potest enim continere manus ã furto,à cedæ,tamen interiores motus non potest efficere,ut timorem Dei,fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam &c.

XIX.

De causa peccati docent, quod tametsi Deus creat & conseruat naturam, tamen causa peccati est uoluntas malorum,uidelicet diaboli & impiorum,quæ non adiuuante Deo, auertit se à Deo, sicut Christus ait Iohan. 8. Cum loquitur mendacium ex seipso loquitur.

XX. Falsa

XX.

Falso accusantur nostri, quod bona opera prohibeant. Nam scripta eorum quæ extant de Decem præceptis, & alia simili argumento testantur, quod utiliter docuerint de omnibus uitæ generibus & officijs, quę genera uitæ, quæ opera in qualibet uocatione Deo placeant. De quibus rebus olim parum docebant Concionatores, tantum puerilia & non necessaria opera urgebant, ut certas ferias, certa ieiunia, fraternitates, peregrinationes, cultus sanctorũ, rosaria, monachatum & similia. Hæc aduersarij nostri admoniti nunc dediscunt, nec perinde prædicant hæc inutilia opera, ut olim. Præterea incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Etsi non desinunt obscurare doctrinam fidei cum relinquunt dubias conscientias, & iubent mereri remissionem peccatorum operibus, Nec docent quod sola fide propter Christum certo accipiamus remissionem peccatorum.

Cum igitur doctrina de fide, quam oportet in Ecclesia præcipuam esse, tam diu iacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei iustitia altissimum silentium fuisse in concionibus, tantum doctrinam operum uersatam esse in Ecclesijs, nostri de fide sic admonuerunt Ecclesias.

Principio, quod opera nostra non possint reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum & gratiam & iustificationem, sed hanc tantum fide consequimur, credentes quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est Mediator & propiciator, per quem reconcilietur Pater. Itaqꝫ qui confidit operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum & gratiam, & quærit sine Christo humanis uiribus uiam ad Deum, cum Christus de se dixerit, Ego sum uia, ueritas & uita.

Hæc doctrina de fide ubiqꝫ in Paulo tractatur Ephes. 2. Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus &c.

Et ne quis cauilletur, ã nobis nouam Pauli interpretationem excogitari, tota hæc causa habet testimonia Patrum. Nam Augustinus multis uoluminibus defendit gratiam & iusticiam fidei contra merita operum. Et similia docet Ambrosius de uocatione Gentium & alibi, Sic enim inquit de uocatione Gentium, Vilesceret redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogatiua succumberet, si iustificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentib. deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis.

Quanquam autem hæc doctrina contemnitur ab imperitis, tamen experiuntur piæ ac pauidæ conscientiæ plurimum eam consolationis afferre, quia conscientiæ non possunt reddi tranquillæ per ulla opera, sed tantum fide, cum certo statuunt, quod propter Christum habeant placatum Deum. Quemadmodum Paulus docet Rom. 5. Iustificati per fidem, pacem habemus apud Deum. Tota hæc doctrina, ad illud certamen perterrefactæ conscientiæ referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare male iudicant de ea re homines imperiti, & prophani, qui Christianam iusticiam nihil esse somniant, nisi ciuilem & philosophicam iusticiam.

Olim uexabantur conscientiæ doctrina operum, non audiebant ex Euangelio consolationem, Quosdam conscientia expulit in desertum, in Monasteria, sperantes ibi se gratiam merituros esse per uitam Monasticam, Alij alia excogitauerunt opera, ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, hanc doctrinam de fide in Christum tradere, & re-

nouare, ne deesset consolatio pauidis conscientijs, sed scirent fide in Christum apprehendi gratiam & remissionem peccatorum & iustificationem.

Admonentur etiam homines, quod hic nomen fidei non significet tantum historiæ noticiam, qualis est in impijs & diabolo, sed significet fidem quæ credit non tantum historiam, sed etiam effectum historiæ, uidelicet hunc articulum, Remissionem peccatorum, quod uidelicet per Christum habeamus gratiam, iusticiam & remissionem peccatorum.

Iam qui scit se per Christum habere propicium Patrem, is uerē nouit Deum, scit se ei curæ esse, diligit & inuocat eum. Denicp nō est sine Deo sicut Gentes. Nam diaboli & impij non possunt hunc articulum credere, Remissionem peccatorum. Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non inuocant eum, nihil boni ab eo expectant. Augustinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem, & docet in scripturis nomen fidei accipi, non pro noticia, qualis est in impijs, sed pro fiducia quæ consolatur & erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter uoluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum & pax conscientiæ. Et quia per fidem accipitur S. sanctus, iam corda renouantur, & induunt nouos affectus, ut parere bona opera possint. Sic. n. ait Ambrosius, Fides bonæ uoluntatis, & iustę actionis genitrix est. Nam humanæ uires, sine Spiritu sancto, plenæ sunt impijs affectibus, & sunt imbecilliores quàm ut bona opera possint efficere coram Deo. Ad hæc, sunt in potestate diaboli qui impellit homines ad uaria peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmodum est uidere in philosophis, qui & ipsi conati honestè uiuere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide & sine Spiritu sancto, & tantum humanis uiribus se gubernat.

Hinc facilē apparet hanc doctrinam non esse accusandam, cp bona opera prohibeat, sed multò magis laudandam, cp ostendit quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide, nullo modo potest humana natura primi aut secundi præcepti opera facere. Sine fide non inuocat Deum, à Deo nihil expectat, non tolerat crucem, sed quęrit hnmana præsidia, confidit humanis præsidijs. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia cum abest fides & fiducia erga Deum. Quare & Christus dixit, Sine me nihil potestis facere, Ioan. 15. Et Ecclesia canit, Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

XXI.

De cultu sanctorum docent, quod memoria sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, & bona opera iuxta uocationem, Vt Cæsar imitari potest exemplum Dauidis in bello gerendo ad depellendos Turcas à patria. Nam uterq; rex est. Sed scriptura non docet inuocare Sanctos, seu petere auxilium à Sanctis, Quia unum Christum nobis proponit Mediatorem, propiciatorium, Pontificem, & intercessorem. Hic inuocandus est, & promisit se exauditurū esse preces nostras, & hunc cultū maximē probat, uidelicet, ut inuocetur in omnibus afflictionibus. 1. Ioh. 2. Si quis peccat, habemus aduocatum apud Deum &c.

Hæc ferè summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse cp discrepet à scripturis, uel ab Ecclesia Catholica uel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est, quod cum ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros

ſtros pro hæreticis haberi poſtulant. Sed diſſenſio eſt de quibuſdam abuſibus, qui ſine certa autoritate in Eccleſias irrepſerũt, in quibus etiam, ſi qua eſſet diſſimilitudo, tamen decebat hæc lenitas Epiſcopos, ut propter confeſſionem, cẽ modò recenſuimus, tolerarent noſtros, quia ne Canones quidem tam duri ſunt, ut eoſdem ritus ubiq; eſſe poſtulent, neq; ſimiles unquam omnium Eccleſiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte ueteres ritus diligenter ſeruantur. Falſa enim calumnia eſt, quod omnes ceremoniæ, omnia uetera inſtituta in Eccleſijs noſtris aboleantur. Verùm, publica querela fuit, abuſus quoſdam in uulgaribus ritibus hęrere. Hi quia non poterant bona conſcientia probari, aliqua ex parte correcti ſunt.

ARTICVLI IN QVIBVS *recenſentur abuſus mutati.*

CVm Eccleſię apud nos de nullo articulo fidei diſſentiant ab Eccleſia Catholica, tantum paucos quoſdam abuſus omittant, qui noui ſunt, & contra uoluntatem Canonum uicio temporum recepti, rogamus ut Cæſarea Maieſtas clementer audiat, & quid ſit mutatum, & quæ fuerint cauſæ, quo minus coactus ſit populus illos abuſus contra conſcientiam obſeruare. Nec habeat fidem Cæſarea Maieſtas iſtis, qui ut inflamment odia hominum aduerſus noſtros, miras calumnias ſpargunt in populum. Hoc modo irritatis animis bonorum uirorum initio præbuerunt occaſionem huic diſſidio, & eadem arte conantur nunc augere diſcordias. Nam Cæſarea Maieſtas haud dubiè comperiet tolerabiliorem eſſe formam, & doctrinæ & ceremoniarum apud nos, quàm qualem homines iniqui & maleuoli deſcribunt. Porrõ ueritas ex uulgi rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non poteſt, Facilè autem iudicari poteſt, nihil magis prodeſſe ad dignitatem ceremoniarum conſeruandam et alendam reuerentiam ac pietatem in populo, quam ſi ceremoniæ ritè fiant in Eccleſijs.

DE VTRAQVE SPECIE.

LAicis datur utraq; ſpecies Sacramenti in Cœna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Vbi manifeſtè præcipit Chriſtus de poculo ut omnes bibant, & ne quis poſſit cauillari, quod hoc ad Sacerdotes tantum pertineat, Paulus ad Corinthios exemplum recitat, in quo apparet totam Eccleſiam utraq; ſpecie uſam eſſe. Et diu manſit hic mos in Eccleſia, nec conſtat quando aut quo autore mutatus ſit. Cyprianus aliquot locis teſtatur populo ſanguinem datum eſſe. Idem teſtatur Hieronymus, qui ait, Sacerdotes Euchariſtiæ miniſtrant, & ſanguinem Chriſti populis diuidunt. Immo Gelaſius Papa mandat, ne diuidatur Sacramentum, Diſt. 2. de Conſecratione, Cap. Comperimus. Tantum conſuetudo non ita uetus aliud habet. Conſtat autem quod conſuetudo contra mandata Dei introducta, non ſit probanda, ut teſtantur Canones, Diſt. 8. Cap. Veritate, cum ſequentibus. Hæc uero conſuetudo non ſolum contra ſcripturam, ſed etiam contra ueteres Canones & exemplum Eccleſiæ recepta eſt. Quare ſi qui maluerunt utraq; ſpecie ſacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offenſione conſcientiæ.

Et quia diuiſio ſacramenti non conuenit cum inſtitutione Chriſti, ſolet apud nos omitti proceſſio, quæ hactenus fieri ſolita eſt.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

PVblica querela fuit,de exemplis Sacerdotum qui non continebant. Quam ob causam & Pius Papa dixisse fertur, fuisse aliquas causas, cur ademptum sit Sacerdotibus coniugium,sed multo maiores esse causas,cur reddi debeat.Sic enim scribit Platina. Cum igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandala uitare uellent,duxerunt uxores, ac docuerunt quod liceat ipsis contrahere matrimonium.Primum,quia Paulus dicit, Vnusquisq; habeat uxorem suam propter fornicationem .Item,Melius est nubere quam uri. Secundo, Christus inquit, Non omnes capiunt uerbum hoc,ubi docet non omnes homines ad cœlibatum idoneos esse,quia Deus creauit hominem ad procreationem, Gene.1. Nec est humanæ potestatis, sine singulari dono & opere Dei creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad cœlibatum,debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei & ordinationem Dei,nulla lex humana, nullum uotum tollere potest. Ex his causis docent Sacerdotes sibi licere uxores ducere. Constat etiam in Ecclesia ueteri Sacerdotes fuisse maritos. Nam & Paulus ait Episcopum eligendũ esse qui sit maritus. Et in Germania primum ante annos quadringẽtos, sacerdotes ui coacti sunt ad cœlibatum,qui quidem adeo aduersati sunt, ut Archiepiscopus Moguntinus publicaturus edictum Rom. Pontificis de ea re, pene ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est tam inciuiliter, ut non solum in posterum coniugia prohiberentur, sed etiam præsentia contra omnia iura diuina & humana,contra ipsos etiam Canones factos, non solum à Pontificibus, sed ã laudatissimis Synodis,distraherentur .

Et cum senescente mundo,paulatim natura humana fiat imbecillior, conuenit prospicere,ne plura uitia serpant in Germaniam. Porro Deus instituit coniugium,ut esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi Canones ueterem rigorem interdum posterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum esse dicunt, quod optandum est ut fiat & in hoc negocio. Ac uidentur Ecclesijs aliquando defuturi pastores, si diutius prohibeatur coniugium.

Cum autem extet mandatum Dei,cum mos Ecclesiæ notus sit, cum impurus cœlibatus plurima pariat scandala, adulteria, & alia scelera digna animaduersione boni magistratus, Tamen mirũ est, nulla in re maiorem exerceri seuiciam quam aduersus coniugium Sacerdotum. Deus præcepit honore afficere coniugium,Leges in omnibus rebus publicis bene constitutis etiam apud Ethnicos maximis honoribus ornauerunt.Ac nunc capitalibus pœnis excruciantur, & quidem Sacerdotes contra Canonum uoluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter coniugium . Paulus uocat doctrinam dæmoniorum quæ prohibet coniugium. 1. Timoth. 4. Id facile nunc intelligi potest,cum talibus supplicijs prohibitio coniugij defenditur .

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec uotum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, ut mulieres nubant, quæ non seruant promissam castitatem. Verba eius hæc sunt, lib. 1. Epistola 11. Si autem perseuerare nolunt , aut non possunt, melius est ut nubant, quam ut in ignem delicijs suis cadant,certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant.Et æquitate quadam utuntur ipsi Canones erga hos,qui ante iustam ætatem uouerunt,quomodo fere hactenus fieri consueuit.

DE MIS-

DE MISSA.

FAlso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur. Seruantur & usitatæ ceremoniæ fere omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc opus est ceremonijs, ut doceant imperitos, & quosdam excitet uere ad timorem aut fidem ac orationem tractatio uerbi Dei. Et non modo Paulus præcipit uti lingua intellecta populo in Ecclesia, sed etiam ita constitutum est humano iure.

Assuefit populus ut una utantur sacramento, si qui sunt idonei, id quoq; auget reuerentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli.n.admittuntur, nisi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & usu sacramenti, quantam consolationem afferat pauidis conscientijs, ut discant Deo credere, & omnia bona à Deo expectare & petere. Hic cultus delectat Deum, talis usus sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaq; non uidentur apud aduersarios Missæ maiore religione fieri quam apud nos.

Constat aũt hanc quoq; publicam et longe maximam querelam omnium bonorum uirorum diu fuisse, quod Missæ turpiter prophanarentur, collatæ ad quæstum. Neq; enim obscurum est, quam late pateat hic abusus in omnib. templis, à qualibus celebrentur Missæ, tantum propter mercedem aut stipendium, quam multi contra interdictum Canonum celebrent. Paulus aũt grauiter minatur his qui indigne tractant Eucharistiam, cum ait, Qui ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Itaq; cum apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, desierunt apud nos priuatæ Missæ, cum fere nullæ priuatæ Missæ nisi quæstus causa fierent.

Neq; ignorauerunt hos abusus Episcopi, qui si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Antea sua dissimulatione multa uicia passi sunt in Ecclesiam serpere. Nunc sero incipiunt quæri de calamitatibus Ecclesiæ, cum hi tumultus non aliunde sumpserint occasionem, quam ex illis abusibus, qui tam manifesti erant, ut tolerari amplius non possent. Magnæ dissensiones de Missa, de Sacramento extiterunt. Fortasse dat pœnas orbis tã diuturnę prophanationis Missarum, quam in Ecclesijs tot seculis tolerauerũt isti, qui emendare & poterant & debebant. Nam in Decalogo scriptum est, Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi nulla res diuina ita uidetur unquam ad quæstum collata fuisse, ut Missa.

Accessit opinio, quæ auxit priuatas Missas in infinitum, uidelicet quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & uenialibus. Hinc manauit publica opinio, quod Missa sit opus tollens peccata uiuorum & mortuorum ex opere operato. Hic cœptum est disputari, utrum una Missa dicta pro pluribus, tantundem ualeat quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiant à scripturis sanctis, & ledant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos scriptum est. Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item, Vna oblatione consummauit in perpetuum sanctificatos.

Item,

Item, Scriptura docet nos coram Deo iustificari per fidem in Christum, cum credimus nobis remitti peccata propter Christum. Iam si Missa tollit peccata uiuorum & mortuorum ex opere operato, contingit iustificatio ex opere Missarum, non ex fide, quod Scriptura non patitur.

Sed Christus iubet facere in sui memoriam, quare Missa instituta est, ut fides in ijs qui utuntur Sacramento, recordetur quæ beneficia accipiat per Christum, & erigat & consoletur pauidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire quod uere exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Iudæi & impij recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, ut ibi porrigatur sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut Ambrosius ait, Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

Cum autem Missa sit talis communicatio sacramenti, seruatur apud nos una communis Missa, singulis ferijs atq; alijs etiam diebus, si qui sacramento uelint uti, ubi porrigitur sacramentum his qui petunt. Neq; hic mos in Ecclesia nouus est, Nam ueteres ante Gregorium non faciunt mentionem priuatæ Missæ. De communi Missa plurimum loquuntur. Chrysostomus ait, Sacerdotem quotidie stare ad altare, & alios ad communionem accersere, alios arcere. Et ex Canonibus ueteribus apparet unum aliquem celebrasse Missam, ã quo reliqui presbyteri & Diaconi sumpserunt corpus Domini. Sic enim sonant uerba Canonis Niceni, Accipiant Diaconi secundum ordinem post presbyteros, ab Episcopo uel ã presbytero sacram communionem. Et Paulus de communione iubet, ut alij alios expectent, ut fiat communis participatio.

Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesiæ, ex scriptura & patribus, confidimus improbari eam non posse, maxime cum publicæ ceremoniæ, magna ex parte similes usitatis seruentur, tantum numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos et manifestos abusus certe moderari prodesset. Nam olim etiam in Ecclesijs frequentissimis non fiebat quotidie Missa, ut testatur historia Tripartita lib. 9. ca. 38. Rursus autem in Alexandria quarta & sexta feria scripturæ leguntur, easq; doctores interpretantur, & omnia fiunt præter solennem oblationis morem.

DE CONFESSIONE.

Confessio in Ecclesijs apud nos non est abolita, Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et docetur populus diligentissime de fide absolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat silentium. Docentur homines ut absolutionem plurimi faciant, quia sit uox Dei & mandato Dei pronuncietur. Ornatur potestas clauium, & commemoratur, quantam consolationem afferat perterrefactis conscientijs, & quod requirat Deus fidem, ut illi absolutioni tãquam uoci de cœlo sonanti credamus, & quod illa fides in Christum uere consequatur, & accipiat remissionem peccatorum. Antea immodice extollebantur satisfactiones. Fidei uero & meriti Christi, ac iusticiæ fidei nulla fiebat mentio, quare in hac parte minime sunt culpandæ Ecclesiæ nostræ. Nam hoc etiam aduersarij tribuere nobis coguntur, quod doctrina de pœnitentia diligentissime ã nostris tractata ac patefacta sit.

Sed de confessione docent, q̃ enumeratio delictorum nõ sit necessaria, nec sint onerandæ conscientię cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est

omnia

omnia delicta recitare, Vt teſtatur Pſal. Delicta quis intelligit? Item Ieremias, Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile. Quod ſi nulla peccata niſi recitata remitterentur, nunquam acquieſcere conſcientiæ poſſent, quia plurima peccata neq; uident neq; meminiſſe poſſunt. Teſtantur & ueteres ſcriptores enumerationem non eſſe neceſſariam. Nam in Decretis citatur Chryſoſtomus, qui ſic ait, Non tibi dico ut te prodas in publicum, neq; apud alios te accuſes, ſed obedire te uolo prophetæ dicenti, Reuela ante Deum uiam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum, uerum iudicem, cum oratione. Delicta tua pronuncia non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria &c. Et gloſa de pœnitentia, Diſt. 5. cap. Conſideret, fatetur humani iuris eſſe confeſſionem. Verum confeſſio, cùm propter maximum abſolutionis beneficium, tũm propter alias conſcientiarum utilitates apud nos retinetur.

DE DISCRIMINE CIBORVM.

PVblica perſuaſio fuit non tantum uulgi, ſed etiam docentium in Eccleſijs, quod diſcrimina ciborum, & ſimiles traditiones humanæ, ſint opera utilia ad promerendam remiſsionem culpæ & pœnæ. Et quod ſic ſenſerit mundus, apparet ex eo, quia quotidie inſtituebantur nouæ ceremoniæ, noui ordines, nouæ feriæ, noua ieiunia, & doctores in templis exigebant hæc opera tanquam neceſſarium cultum ad promerendam iuſtificationem, et uehementer terrebant conſcientias, ſi quid omitterent. Ex hac perſuaſione de traditionibus multa incommoda in Eccleſia ſecuta ſunt.

Primo obſcurata eſt doctrina de gratia & iuſticia fidei, quæ eſt præcipua pars Euangelij, & quam maxime oportet extare & eminere in Eccleſia, ut meritum Chriſti bene cognoſcatur, & fides quæ credit remitti peccata propter Chriſtum, non propter ulla noſtra opera, longe ſupra opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maxime incumbit, legem & traditiones humanas remouet, ut oſtendat iuſticiam Chriſtianam aliud quiddam eſſe, quam huiuſmodi opera, uidelicet fidem quæ credit peccata Gratis remitti propter Chriſtum. At hæc doctrina Pauli, pene tota oppreſſa eſt per traditiones, quæ pepererunt opinionem, quod per diſcrimina ciborum, & ſimiles cultus, oporteat mereri remiſſionem peccatorum & iuſtificationem. In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide, tantum hæc opera ſatisfactoria proponebantur, In his uidebatur pœnitentia tota conſiſtere.

Secundo, hæ traditiones obſcurauerunt præcepta Dei, quia traditiones longe præferebantur præceptis Dei, Chriſtianiſmus totus putabatur eſſe obſeruatio certarum feriarum, rituum, ieiuniorum, ueſtitus. Hæ obſeruationes erant in poſſeſsione honeſtiſsimi tituli, quod eſſent uita ſpiritualis, & uita perfecta. Interim mandata Dei iuxta uocationem, nullam laudem habebant, quod paterfamilias educabat ſobolem, quod mater pariebat, quod Princeps regebat rem publicam, hæc putabantur eſſe opera mundana & imperfecta, & longe deteriora illis ſplendidis obſeruationibus. Et hic error ualde cruciauit pias conſcientias, quæ dolebant ſe teneri imperfecto uitæ genere, in coniugio, in magiſtratibus, aut alijs functionibus ciuilibus, mirabantur Monachos & ſimiles, & falſo putabant illorum obſeruationes magis mereri remiſsionem peccatorum & iuſtificationem.

Tertio, traditiones attulerunt magna pericula conſcientijs, quia impoſſibile

bile erat omnes traditiones seruare,& tamen homines arbitrabantur has obser uationes, necessarios esse cultus. Gerson scribit multos incidisse in desperatio nem,quosdam etiam sibi mortem consciuisse ,quia senserant, se non posse satis facere traditionibus,& interim consolationem nullam de iusticia fidei & de gratia audierant.

Videmus Summistas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας ut leuent conscientias,non satis tamen expediunt, sed interdum magis iniiciunt laqueos conscientijs. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occu patæ Scholæ,& conciones, ut non uacauerit attingere scripturam,& quærere utiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate ciuilium rerum, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaq; Gerson & alij quidam Theologi grauiter questi sunt, se his rixis traditionum impediri, quo minus uersari possent in meliore genere doctrinæ. Et Augustinus uetat onerare conscientias huiusmodi obseruationibus,& prudenter admonet Ianuarium, ut sciat eas indifferenter obseruandas esse, sic enim loquitur.

Quare nostri non debent uideri hanc causam temere attigisse, aut odio Episcoporum,ut quidam falso suspicantur. Magna necessitas fuit de illis erroribus, qui nati erant ex traditionib. male intellectis, admonere Ecclesias. Nam Euangelium cogit urgere doctrinam in Ecclesijs de gratia & iusticia fidei, quæ tamen intelligi non potest, si putent homines se mereri remissionem peccatorum,& iustificationem per obseruationes ab ipsis electas.

Sic igitur docuerunt,quod per obseruationem traditionum humanarum non possimus mereri remissionem peccatorum ac iustificationem, quare non est sentiendum, quod huiusmodi obseruationes sint necessarij cultus.

Addunt testimonia ex scriptura, Christus Matth. 15. excusat Apostolos qui non seruauerant usitatam traditionem, quæ tamen uidebatur de re non illicita sed media esse,& habere cognationem cum baptismatibus legis,& dicit, frustra colunt me mandatis hominum.Igitur non exigit cultum inutilem.

Et paulo post addit, Omne quod intrat in os,non inquinat hominem.

Item Rom. 14. Regnum Dei non est esca aut potus.

Coloss.2,Nemo uos iudicet in cibo,potu,sabbato aut die festo.

Item, Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi, Quare tanquam uiuentes in mundo decreta facitis? Ne attingas. Ne gustes. Ne contrectes.

Act.15.ait Petrus,Quare tentatis Deum,imponentes iugum super ceruices discipulorum,quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Hic uetat Petrus onerare conscientias pluribus ritibus siue Mosi siue alijs.

Et 1. Timoth.4.uocat prohibitionem ciborum,doctrinam dęmoniorum, quia pugnat cum Euangelio talia opera instituere aut facere, ut per ea mereamur remissionem peccatorum & iustificationem, aut quod non possit existere Christianismus sine tali cultu.

Hic obijciunt aduersarij, quod nostri prohibeant disciplinam & mortificationem carnis,sicut Iouinianus. Verum aliud deprehendetur ex scriptis nostrorum.Semper enim docuerunt de cruce, quod Christianos oporteat tolerare afflictiones.Hæc est uera,seria & non simulata mortificatio,uarijs afflictionibus exerceri,& crucifigi cum Christo.

Insuper docent quod quilibet Christianus debeat se corporali disciplina,

aut

aut corporalibus exercitijs & laboribus ſic exercere & coërcere, ne ſaturitas aut deſidia extimulet ad peccandum, non ut per illa exercitia mereamur remiſſionem culpę aut mortis æternæ. Et hanc corporalem diſciplinam oportet ſemper urgere, non ſolum paucis & conſtitutis diebus. Sicut Chriſtus præcipit, Cauete ne corpora ueſtra grauentur crapula. Item, Hoc genus dæmoniorum non eijcitur niſi ieiunio & oratione. Et Paulus ait, Caſtigo corpus meum, & redigo in ſeruitutem. Vbi clarè oſtendit, ſe ideo caſtigare corpus, non ut per eam diſciplinam mereatur remiſsionem peccatorum, ſed ut corpus habeat obnoxiũ & idoneum ad res ſpirituales et ad faciendum officium, iuxta uocationem ſuam. Itaq; nõ damnãtur ipſa ieiunia, ſed traditiones, quæ certos dies, certos cibos prędcribunt, cum periculo conſcientię, tanquam iſtiuſmodi opera ſint neceſſarij cultus.

Seruantur tamen apud nos pleræq; traditiones, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine geratur in Eccleſia, ut ordo lectionum in Miſſa & præcipuæ feriæ. Sed interim homines admonentur quod talis cultus non iuſtificet coram Deo, & q̃ non ſit ponendum peccatum in talibus rebus, ſi omittantur ſine ſcandalo. Hæc libertas in ritib. humanis non fuit ignota patribus, Nam in Oriente alio tempore ſeruauerunt Paſcha quãm Romæ, & cum Romani propter hanc diſſimilitudinem accuſarent Orientem ſchiſmatis, admoniti ſunt ab alijs, tales mores non oportere ubiq; ſimiles eſſe. Et Irenæus inquit, diſſonantia ieiunij, fidei conſonantiam non ſoluit, ſicut et Diſt. 12. Gregorius papa ſignificat, talem diſſimilitudinẽ non lędere unitatem Eccleſię. Et in hiſt. Trip. lib. 9. multa colligun tur exempla diſſimiliũ rituum, & recitantur hęc uerba. Mens Apoſtolorũ fuit, non de diebus feſtis ſancire, ſed prædicare bonam conuerſionem & pietatem.

DE VOTIS MONACHORVM.

QVid de uotis Monachorũ apud nos doceatur, melius intelliget ſi quis meminerit qualis ſtatus fuerit Monaſteriorum, quãm multa contra Canones in ipſis Monaſterijs quotidiè fiebant. Auguſtini tempore erant libera collegia, poſtea corrupta diſciplina, ubiq; addita ſunt uota, ut tanquam excogitato carcere, diſciplina reſtitueretur. Additæ ſunt paulatim ſupra uota aliæ multæ obſeruationes. Et hęc uincula multis ante iuſtam ætatẽ contra Canones iniecta ſunt. Multi inciderunt errore in hoc uitæ genus, quibus etiam ſi non deeſſent anni, tamen iudicium de ſuis uiribus defuit. Qui ſic irretiti erant, cogebantur manere, etiam ſi quidam beneficio Canonum liberari poſſent. Et hoc accidit magis etiam in Monaſterijs Virginum quãm Monachorum, cum ſexui imbecilliori magis parcẽdum eſſet. Hic rigor diſplicuit multis bonis uiris ante hæc tempora, qui uidebant puellas & adoleſcentes in Monaſteria detrudi propter uictum, uidebant quàm infœliciter ſuccederet hoc conſilium, quæ ſcandala pareret, quos laqueos conſcientijs inijceret. Dolebant autoritatem Canonum in re periculoſiſſima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala, accedebat talis perſuaſio de uotis, quam conſtat etiam olim diſplicuiſſe ipſis Monachis, ſi qui paulò cordatiores fuerunt, docebant uota paria eſſe baptiſmo, docebant ſe hoc uitę genere mereri remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem coram Deo. Imõ addebant, uitam Monaſticam non tantum iuſticiam mereri coram Deo, ſed amplius etiam, quia ſeruaret non modo præcepta, ſed etiam conſilia Euangelica.

Ita perſuadebant Monaſticam profeſſionem longè meliorem eſſe baptiſ-

mo, uitam Monasticam plus mereri quam uitam Magistratuum, uitam pasto-
rum & similium, qui in mandatis Dei sine facticijs religionibus suæ uocationi
seruiunt. Nihil horum negari potest, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in Monasterijs? Olim erant scholæ sacrarū literarum,
et aliarum disciplinarum, quę sunt utiles Ecclesiæ, et sumebantur inde pastores,
& Episcopi. Nunc alia res est, nihil opus est recitare nota. Olim ad discendum
conueniebant, nunc fingunt institutum esse uitę genus ad promerendam remis-
sionem peccatorum & iustificationem, immo prædicant esse statum perfectio-
nis, & longe præferunt omnibus alijs uitæ generibus ā Deo ordinatis.

Hæc ideo recitauimus nihil odiose exaggerantes, ut melius intelligi pos-
set de hac re doctrina nostrorum. Primum de his qui matrimonia contrahunt,
sic docent apud nos, quod liceat omnibus qui non sunt idonei ad cœlibatum,
contrahere matrimonium, quia uota non possunt ordinationem ac mandatum
Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei, Propter fornicationem habeat u-
nusquisq; uxorem suam. Neq; mandatum solum, sed etiam creatio & ordinatio
Dei cogit hos ad coniugium, qui sine singulari Dei opere nō sunt excepti, iux-
ta illud. Non est bonum homini esse solum. Igitur non peccant isti qui obtem-
perant huic mandato & ordinationi Dei.

Quid potest contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem uoti
quantum uolet, tamen non poterit efficere, ut uotum tollat Mandatum Dei. Ca
nones docent in omni uoto, ius superioris excipi, quare multo minus hæc uota
contra mandata Dei ualent. Quod si obligatio uotorum, nullas haberet causas
cur mutari possit, nec Romani Pontifices dispensassent, Neq; enim licet homi-
ni obligationem quæ simpliciter est iuris diuini rescindere. Sed prudenter iu-
dicauerunt Romani Pontifices ęquitatem in hac obligatione adhibendam esse,
Ideo sæpe de uotis dispensasse leguntur. Nota est historia de Rege Arragonum,
reuocato ex Monasterio, & extant exempla nostri temporis.

Deinde cur obligationem exaggerent aduersarij seu effectum uoti, cum
interim de ipsa uoti natura sileant, quod debet esse in re possibili, quod debet es-
se uoluntarium, sponte & consulto conceptum. At quomodo sit in potestate ho
minis perpetua castitas non est ignotum. Et quotusquisq; sponte & consulto
uouit? Puellæ & adolescentes priusquam iudicare possunt, persuadentur ad uo-
uendum, interdum etiam coguntur. Quare non est æquum tam rigide de obli-
gatione disputare, cum omnes fateantur contra uoti naturam esse, quod non
sponte, quod inconsulto admittitur.

Plericq; Canones rescindunt uota ante annum 15. contracta, quia ante il-
lam ętatem non uidetur tantum esse iudicij, ut de perpetua uita constitui possit.
Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, ue-
rat enim ante annum 18. uotum fieri. Sed utrum sequemur, maxima pars habet
excusationem, cur Monasteria deserant, quia plurimi ante hanc ætatem uoue-
runt. Postremo etiam si uoti uiolatio reprehendi posset, tamen non uidetur sta-
tim sequi, quod coniugia talium personarum, dissoluenda sint. Nam Augusti-
nus negat debere dissolui. 27. quæst. 1. Cap. Nuptiarum, cuius non est leuis au-
toritas, etiamsi alij postea aliter senserunt.

Quanquam autem mandatum Dei de coniugio uideatur plerosq; libera-
re ā uotis, tamen offerūt nostri & aliam rationem de uotis, quod sint irrita, quia
omnis cultus Dei, ab hominibus sine mandato Dei institutus et electus ad pro-
merendam

merendam remissionem peccatorum & iustificationem, impius est, sicut Christus ait, Frustra colunt me mandatis hominum. Et Paulus ubiq; docet, iusticiam non esse quærendam ex nostris obseruationibus & cultibus, qui sint excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem, credentibus se habere Deum placatum & propicium propter Christum, non propter ulla nostra merita.

Constat autem Monachos docuisse, quod facticiæ religiones mereantur remissionem peccatorum & iustificationem, & quod pro peccatis satisfaciant. quid hoc est aliud quam de gloria Christi detrahere & obscurare, ac negare iusticiam fidei? Sequitur igitur ista uota usitata, impios cultus fuisse, quare sunt irrita. Nam uotum impium, & factum contra mandatum Dei non ualet, neq; enim debet uotum uinculum esse iniquitatis, ut Canon dicit.

Paulus dicit, Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Id est, qui sentiunt q; mereantur proprijs operibus remissionem peccatorum, et q; propter propriam legis impletionem placeant Deo, nec sentiunt q; propter Christum gratis accipiant fide donatam remissionem peccatorum per misericordiam Dei, & quod propter Christum placeant Deo, hi amittunt Christum, quia fiduciam debitam Christo et promissioni Dei, transferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propiciatorem Christum, sed propria opera, quare honorem debitum Christo transferunt ad opera nostra. Constat autem Monachos hoc docere, q; suis obseruationibus mereantur remissionem peccatorum, q; habeant Deum propicium propter has obseruationes. Quare docent confidere suis operibus non propiciatione Christi. Hæc fiducia est impia, & cum Euangelio pugnat, et in iudicio Dei deprehendetur esse inanis. Non enim possunt opera nostra opponi iræ ac iudicio Dei. Tantum ita placatur ira Dei, quando gratuitam misericordiam, propter Christum promissam fide apprehendimus. Amittunt igitur Christum, qui fiduciam non in Christum, sed in opera propria collocant.

Præterea Monachi docuerunt suum uitæ genus statum esse perfectionis, quia obseruarent nõ solum præcepta, sed etiam consilia. Hic error maximè pugnat cum Euangelio, q; finxerunt se præceptis ita satisfacere, ut amplius etiam facerent. Et hinc natus est horribilis error, quod finxerunt se habere merita supererogationis. Hæc applicauerunt pro alijs, ut satisfactiones essent pro alienis peccatis. Hæc si quis odiosè uelit exagitare, quam multa commemorare possit, quorum iam ipsos Monachos pudet.

Non est leue scandalum in Ecclesia populo proponere, certum cultum ab hominibus excogitatum sine mandato Dei, et docere q; talis cultus iustificet homines. Quia iusticia fidei in Christum, quam maxime oportet tradi in Ecclesia, obscuratur, cum illæ mirificæ religiones Angelorum, simulatio pauperta-tis & humilitatis, & cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obscurantur præcepta Dei, & uerus cultus Dei, cum audiunt homines, solos Monachos esse in statu perfectionis, quia perfectio Christiana est serio timere Deum, & rursus concipere magnam fidem, et confidere propter Christum, quod habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certò expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, iuxta uocationem. Interim foris diligenter facere bona opera, & seruire uocationi. In his rebus est uera perfectio, & uerus cultus Dei, non est in cœlibatu aut mendicitate, aut ueste sordida, Ac populus concipit multas pernicioſas opiniones ex illis falsis pręconijs uitæ Monasti-

cæ. Audit ſine modo laudari cœlibatum, ideo cum offenſione conſcientiæ uerſatur in coniugio, Audit ſolos mendicos eſſe perfectos, ideo cum offenſione conſcientiæ retinet poſſeſsiones, negociatur. Audit conſilium Euangelicum eſſe de nõ uindicando, ideo alíj in priuata uita non uerentur ulſciſci, audiunt enim conſilium eſſe non præceptum, Alíj omnes magiſtratus & ciuilia officia iudicant indigna eſſe Chriſtianis.

Leguntur exempla hominum qui deſerto coniugio, deſerta reipublicæ adminiſtratione, abdiderunt ſe in Monaſteria. Id uocabant fugere ex mundo, et quærere uitę genus quod Deo magis placeret, nec uidebant Deo ſeruiendum eſſe in illis mandatis quæ ipſe tradidit, non in mandatis, quæ ſunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum uitæ genus eſt qꝺ habet mandatum Dei. De his rebus neceſſe eſt admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerſon errorem Monachorum de perfectione, & teſtatur ſuis temporibus nouam uocem fuiſſe, quod uita Monaſtica ſit ſtatus perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in uotis, quod mereantur remiſſionem peccatorum & iuſtificationem, quod ſint perfectio Chriſtiana, quod ſeruent conſilia & præcepta, quod habeant opera ſupererogationis. Hæc omnia cum ſint falſa & inania faciunt uota irrita.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

MAgnæ diſputationes fuerunt de poteſtate Epiſcoporum, in quibus nonnulli incommode commiſcuerunt poteſtatem Eccleſiaſticam, & poteſtatem gladíj. Et ex hac confuſione maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices freti poteſtate clauium, non ſolum nouos cultus inſtituerunt, reſeruatione caſuum, uiolentis excommunicationibus conſcientias onerauerunt, ſed etiam regna mundi transferre, & imperatoribus adimere imperium conati ſunt. Hæc uitia multo ante reprehenderunt in Eccleſia homines píj & eruditi. Itaqꝫ noſtri ad conſolandas conſcientias, coacti ſunt oſtendere diſcrimen Eccleſiaſticę poteſtatis, & poteſtatis gladíj, & docuerunt utramqꝫ propter mandatum Dei religioſe uenerandam & honore afficiendam eſſe, tanquam ſumma Dei beneficia in terris.

Sic autem ſentiunt, poteſtatem clauium, ſeu poteſtatem Epiſcoporum, iuxta Euangelium, poteſtatem eſſe ſeu mandatum Dei, prædicandi Euangelíj, remittendi & retinendi peccata, & adminiſtrandi ſacramenta. Nam cum hoc mandato Chriſtus mittit Apoſtolos, Sicut miſit me pater, ita & ego mitto uos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta ſunt. Marci 16. Ite prædicate Euangelium omni creaturæ &c.

Hæc poteſtas tantum exercetur docendo ſeu prædicando Euangelium, et porrigendo ſacramenta, uel multis uel ſingulis iuxta uocationem, quia conceduntur non res corporales, ſed res æternæ, iuſtícia æterna, Spiritus ſanctus, uita æterna. Hæc non poſſunt contingere niſi per miniſterium uerbi & ſacramentorum, ſicut Paulus dicit, Euangelium eſt potentia Dei, ad ſalutem omni credenti. Itaqꝫ cum poteſtas Eccleſiaſtica concedat res æternas, & tantum exerceatur per miniſterium uerbi, non impedit politicam adminiſtrationem, ſicut ars canendi nihil impedit politicam adminiſtrationem. Nam politica adminiſtratio uerſatur circa alias res quam Euangelium. Magiſtratus defendit non mentes, ſed

tes,ſed corpora & res corporales,aduerſus manifeſtas iniurias,& coërcet hómines gladio,& corporalibus pœnis,ut iuſticiam ciuilem & pacem retineat.

Non igitur commiſcendæ ſint poteſtates Eccleſiaſtica & ciuilis, Eccleſiaſtica ſuum mandatum habet, Euangelij docendi & adminiſtrandi ſacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi,non abroget leges Magiſtratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat iudicia de ullis ciuilibus ordinationibus aut contractibus,non præſcribat leges Magiſtratibus de forma reipublicæ, ſicut dicit Chriſtus, Regnum meum non eſt de hoc mundo.Item,Quis conſtituit me iudicem aut diuiſorem ſuper uos? Et Paulus ait Philip.3.Noſtra politia in cœlis eſt.2.Corinth.10. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia,ſed potentia Deo, ad deſtruendas cogitationes &c. Ad hunc modum diſcernunt noſtri utriuſq; poteſtatis officia, & iubent utramq; honore afficere & agnoſcere, utramq; Dei donum & beneficium eſſe.

Si quam habent Epiſcopi poteſtatem gladij, hanc non habent, ut Epiſcopi ex mandato Euangelij, ſed iure humano donatam à Regibus & Imperatoribus, ad adminiſtrationem ciuilem ſuorum bonorum.Hæc interim alia functio eſt quàm miniſterium Euangelij.

Cum igitur de iurisdictione Epiſcoporum quæritur, diſcerni debet imperium ab Eccleſiaſtica iurisdictione. Porrò ſecundum Euangelium, ſeu ut loquuntur,de iure diuino, nulla iurisdictio competit Epiſcopis,ut Epiſcopis, hoc eſt,his quibus eſt commiſſum miniſterium uerbi & ſacramentorum,niſi remittere peccata. Item,cognoſcere doctrinam,& doctrinam ab Euangelio diſſentientem reijcere,& impios, quorum nota eſt impietas, excludere à communione Eccleſiæ,ſine ui humana,ſed uerbo. Hic neceſſario, & de iure diuino,debent eis Eccleſiæ præſtare obedientiam,iuxta illud, Qui uos audit,me audit.

Verum cum aliquid contra Euangelium docent aut ſtatuunt,tunc habent Eccleſiæ mandatum Dei,quod obedientiam prohibet,Matth.7.Cauete à Pſeudoprophetis. Galat.1. Si Angelus de cœlo aliud Euangelium euangelizauerit, anathema ſit.2.Cor.13.Non poſſumus aliquid contra ueritatem, ſed pro ueritate,Item,Data eſt uobis poteſtas ad ædificationem,non ad deſtructionem.Sic & Canones præcipiunt.2.q.7.cap.Sacerdotes, & cap.Oues. Et Auguſtinus contra Petiliani Epiſtolam inquit,Nec catholicis Epiſcopis conſentiendum eſt,ſic ubi forte falluntur,aut contra Canonicas Dei ſcripturas aliquid ſentiunt.

Si quam habent aliam uel poteſtatem, uel iurisdictionem in cognoſcendis certis cauſis,uidelicet matrimonij,aut decimarum &c,hanc habent humano iure, Vbi ceſſantibus ordinarijs coguntur Principes uel inuiti, ſuis ſubditis ius dicere, ut pax retineatur.

Præter hæc diſputatur,utrum Epiſcopi ſeu paſtores habeant ius inſtituendi ceremonias in Eccleſia,& leges de cibis, ferijs, gradibus miniſtrorum, ſeu ordinibus &c.condendi. Hoc ius qui tribuunt Epiſcopis, allegant teſtimonium. Adhuc multa habeo uobis dicere,ſed non poteſtis portare modo, Cum autem uenerit ille Spiritus ueritatis,docebit uos omnem ueritatem. Allegant etiam exemplum Apoſtolorum, qui prohibuerunt abſtinere à ſanguine, & ſuffocato. Allegant ſabbatum mutatum in diem Dominicum cõtra Decalogum, ut uidetur.Nec ullũ exemplum magis iactatur quam mutatio ſabbati. Magnam contendunt Eccleſiæ poteſtatem eſſe, q̃ diſpenſauerit de præcepto Decalogi.

Sed de hac queſtione noſtri ſic docent,q̃ Epiſcopi non habent poteſtatem

ſtatuendi aliquid Euangelium, ut ſupra oſtenſum eſt, Docent idem Canones. 9. Diſtin. Porro contra ſcripturam eſt, traditiones condere aut exigere, ut per eam obſeruationem mereamur remiſſionem peccatorum & ſatisfaciamus pro peccatis, Leditur enim gloria meriti Chriſti, cum talibus obſeruationibus conamur mereri remiſſionem peccatorum & iuſtificationem. Conſtat autem propter hanc perſuaſionem, in Eccleſia pene in infinitum creuiſſe traditiones, oppreſſa interim doctrina de fide & iuſticia fidei, quia ſubinde plures feriæ factæ ſunt, ieiunia indicta, ceremoniæ nouæ, noui honores ſanctorum inſtituti ſunt, quia arbitrabantur ſe autores talium rerum, his operibus mereri remiſſionem peccatorum & iuſtificationem. Sic olim creuerunt Canones pœnitentiales, quorum adhuc in ſatisfactionibus ueſtigia quædam uidemus.

Item pleriq; ſcriptores fingunt in nouo Teſtamento oportere cultum ſimilem eſſe Leuitico, cuius ordinationem commiſerit Deus Apoſtolis & Epiſcopis. Et uidentur ſcriptores exemplo legis Moſaicæ decipi, quaſi iuſticia noui Teſtamenti ſit externa obſeruatio certorum rituum, ſicut iuſticia legis erat externa obſeruatio certorum rituum. Sicut enim in lege peccatum erat edere ſuillam carnem &c. Ita in nouo Teſtamento collocant peccatum in cibis, in diebus, in ueſtitu, & ſimilibus rebus. Et exiſtimant ſine his rebus iuſticiam noui Teſtamenti non poſſe exiſtere. Hinc ſunt illa onera, quod certi cibi polluant conſcientiam, quod horas Canonicas omittere ſit mortale peccatum, quod ieiunia mereantur remiſsionem peccatorum, quod ſint neceſſaria ad iuſticiam noui Teſtamenti, quod peccatum in caſu reſeruato non poſsit remitti, niſi acceſſerit autoritas reſeruantis, cum quidem ipſi Canones tantum de reſeruatione pœnæ Canonicæ loquantur, non de reſeruatione culpæ.

Vnde habent ius Epiſcopi has traditiones imponendi Eccleſijs ad grauandas conſcientias? Extant enim clara teſtimonia quæ prohibent condere tales traditiones, uel ad promerendam remiſsionem peccatorum, uel tanquam neceſſarias ad iuſticiam noui Teſtamenti, aut ad ſalutem.

Paulus Coloſ. 2. Nemo uos iudicet in cibo, potu, parte diei feſti, nouilunio aut ſabbatis. Item, Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quare tanquam uiuentes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non guſtes, non contrectes, quæ omnia pereunt uſu, & ſunt mandata & doctrinę hominum, quæ habent ſpeciem ſapientiæ. Item ad Titum aperte prohibet traditiones, Non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auerſantium ueritatem. Et Chriſtus Matth. 15. inquit de his qui exigunt traditiones. Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Et improbat tales cultus, Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.

Si ius habent Epiſcopi onerandi Eccleſias infinitis traditionibus, & illaqueandi conſcientias, cur toties prohibet ſcriptura condere & audire traditiones? cur uocat eas doctrinas dæmoniorum, Num fruſtra hæc præmonuit Spiritus ſanctus? Relinquitur igitur, cum ordinationes inſtitutæ tanquam neceſſariæ, aut cum opinione promerendæ remiſsionis peccatorum, pugnent cum Euangelio, quod non liceat ullis Epiſcopis tales cultus iuſtituere aut exigere. Neceſſe eſt enim in Eccleſijs retineri doctrinam, de libertate Chriſtiana, quod non ſit neceſſaria ſeruitus legis ad iuſtificationem, ſicut in Galatis ſcriptum eſt, Nolite iterum iugo ſeruitutis ſubijci. Neceſſe eſt retineri præcipuum Euangelij locum, quod remiſsionem peccatorum & iuſtificationem per fidem in Chriſtum

stum gratis consequamur, non propter certas obseruationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de die Dominico, & similibus ritibus templorum? Ad hæc respondent, quod liceat Episcopis seu pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Ecclesia, non ut per illas mereamur remissionem peccatorum, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, ut iudicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cum sine offensione aliorum uiolant. Sic Paulus ordinat, ut in congregatione mulieres uelent capita, ut ordine audiantur in Ecclesia interpretes &c.

Tales ordinationes conuenit Ecclesias propter caritatẽ & tranquillitatem seruare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine & sine tumultu omnia fiant in ecclesijs. Verum ita, ne conscientiæ onerentur, ut ducant res esse necessarias ad salutem, ac iudicent se peccare cum uiolent eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non uelato capite procedit, sine offensione hominum.

Talis est obseruatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes, & similium feriarum, & rituum, Nam qui iudicant Ecclesiæ autoritate, pro sabbato institutam esse diei Dominici obseruationem, tanquam necessariam, longe errant. Scriptura concedit, ut obseruatio sabbati nunc sit libera, Docent enim ceremonias Mosaicas post reuelatum Euangelium non necessarias esse. Et tamen quia opus erat constituere certum diem, ut sciret populus quando conuenire deberet, apparet Ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoq; causam uidetur magis placuisse, ut haberent homines exemplum Christianæ libertatis, et scirẽt nec sabbati nec alterius diei obseruationem necessariam esse.

Extant prodigiosæ disputationes de mutatione legis, de ceremonijs nouæ legis, de mutatione sabbati, quæ omnes ortæ sunt ex falsa persuasione, q̃ oporteat in Ecclesia cultum esse similem Leuitico. Et q̃ Christus commiserit Apostolis & Episcopis excogitare nouas ceremonias, quæ sint ad salutem necessariæ. Hi errores serpserunt in Ecclesiam, cum iusticia fidei non satis clare doceretur. Aliqui disputant diei Dominici obseruationem non quidem iuris diuini esse, sed quasi iuris diuini, præscribunt de ferijs, quatenus liceat operari. Huiusmodi disputationes quid sunt aliud nisi laquei conscientiarum? Quanq̃ enim conentur epikeizare traditiones, tamen nunquam potest æquitas deprehendi, donec maneat opinio necessitatis, quam manere necesse est, ubi ignorantur iusticia fidei, & libertas Christiana.

Apostoli iusserunt abstinere à sanguine, quis nunc obseruat? nec̃ tamen peccant qui non obseruant, quia ne ipsi quidem Apostoli uoluerũt onerare conscientias tali seruitute, sed ad tempus prohibuerunt propter scandalum. Est.n. perpetua uoluntas Euangelij consideranda in decreto. Vix ulli Canones seruantur accuratẽ, & multi quotidiẽ exolescunt apud illos etiam, qui diligentissimẽ defendunt traditiones. Nec potest conscientijs consuli, nisi hæc æquitas seruetur, ut sciamus eos sine opinione necessitatis seruari, nec lædi conscientias etiamsi traditiones exolescant.

Facile autem possent Episcopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent seruare traditiones, quæ bona conscientia seruari non possunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt nisi iurent, se puram Euangelij doctrinam nolle docere. Non petunt Ecclesiæ, ut Episcopi honoris sui iactura sarciant con-

cordiam,quod tamen decebat bonos paſtores facere. Tantum petunt ut iniuſta onera remittant, quæ noua ſunt, & præter conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ recepta. Fortaſſis initio quædam conſtitutiones habuerunt probabiles cauſas, quę tamen poſterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam quaſdam errore receptas eſſe, quare Pontificiæ clementiæ eſſet, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit Eccleſiæ unitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ ſunt,ut oſtendunt ipſi Canones. Quod ſi non poteſt impetrari,ut relaxentur obſeruationes,quę ſine peccato non poſſunt præſtari, oportet nos regulam Apoſtolicam ſequi, quæ præcipit Deo magis obedire quam hominibus.Petrus uetat Epiſcopos dominari,& Eccleſijs imperare.Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur Epiſcopis, ſed hoc unum petitur,ut patiantur Euangelium pure doceri, & relaxent paucas quaſdam obſeruationes,quæ ſine peccato ſeruari non poſſunt. Quod ſi nihil remiſerint, ipſi uiderint, quomodo Deo rationem reddituri ſint,quod pertinacia ſua cauſam ſchiſmati præbent.

EPILOGVS.

HI ſunt præcipui Articuli, qui uidentur habere controuerſiam, quanquam enim de pluribus abuſibus dici poterat,tamen,ut fugeremus prolixitatem, præcipua complexi ſumus, ex quibus cætera facile iudicari poſſunt. Magnæ querelæ fuerunt de indulgentijs, de peregrinationibus, de abuſu excommunicationis.Parochiæ multipliciter uexabantur per Stationarios. Infinitæ contentiones erant Paſtoribus cum Monachis, de iure parochiali, de confeſſionibus, de ſepulturis, de extra ordinarijs concionibus, & de alijs innumerabilibus rebus. Huiuſmodi negocia prætermiſimus, ut illa quæ ſunt in hac cauſa præcipua,breuiter propoſita,facilius cognoſci poſſent. Neqꝫ hic quicquam ad ullius contumeliam dictum aut collectum eſt. Tantum ea recitata ſunt,quæ uidebantur neceſſario dicenda eſſe, ut intelligi poſſit in doctrina ac ceremonijs, apud nos nihil eſſe receptum contra ſcripturam aut Eccleſiam catholicam,quia manifeſtum eſt nos diligentiſſime cauiſſe, ne qua noua & impia dogmata in Eccleſias noſtras ſerperent.

Hos articulos ſupra ſcriptos, uoluimus exhibere iuxta edictum C. M. in quibus Confeſsio noſtra extaret, & eorum qui apud nos docent doctrinæ ſumma cerneretur. Si quid in hac confeſsione deſiderabitur, parati ſumus latiorem informationem,Deo uolente, iuxta ſcripturas exhibere.

Cæſareæ Maieſt. V.

Fideles & ſubditi.

Ioannes dux Saxoniæ Elector.
Georgius Marchio Brandenburgenſis.
Erneſtus dux Luneburgenſis.
Philippus Landgrauius Heſſorum.
Ioannes Fridericus dux Saxoniæ.
Franciſcus dux Luneburgenſis.
VVolfgangus Princeps ab Anhalt.
Senatus Magiſtratuſqꝫ Nurnbergenſis.
Senatus Reutlingenſis.

IIDEM ARTICVLI COPIOSI-

VS ET EXPLICATIVS DECLARATI VVORMATIÆ ANNO M.D.XXXX. PROPTER ADVERSARIORVM CALVMNIOSAS INTER-

pretationes & Sophisticas elusiones, non mutata re-
rum sententia.

Augmli Ao 1540
Liber scripti sive
Declarati Jor ao
1561 Norimbergi

I.

ECclesiæ magno consensu apud nos docent Decretum Nicenæ Synodi, de unitate essentiæ diuinæ, & de tribus personis uerum & sine ulla dubitatione credendum esse. Videlicet quōd sit una essentia diuina, quæ & appellatur & est Deus æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator & conseruator omnium rerum uisibilium, & inuisibilium, & tamen tres sint personæ, eiusdem essentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus. Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua usi sunt in hac causa Scriptores Ecclesiastici, ut significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod propriè subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, ut Manicheos, qui duo principia ponebant, Bonum, & Malum, item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas & omnes horum similes. Damnant & Samosatenos, ueteres & Neotericos, qui cum tantum unam personam esse contendant, de uerbo & de Spiritu sancto astutè & impiè rhetoricantur, quod non sint personę distinctæ, sed quod uerbum significet uerbum uocale, & spiritus, motum in rebus creatum.

II.

Item docent, quod post lapsum Adę, omnes homines naturali modo propagati, nascentes habeant peccatum originis, Intelligimus autem peccatum originis, quōd sic uocant sancti patres & omnes orthodoxi & piē eruditi in Ecclesia, uidelicet reatum, quo nascentes propter Adæ lapsum, rei sunt iræ Dei & mortis æternæ, & ipsam corruptionem humanę naturę propagatam ab Adam, Et hæc naturæ humanæ corruptio, defectus iusticiæ seu integritatis, seu obedientiæ originalis, & concupiscentiam complectitur.

Estq; defectus, horribilis cœcitas & inobedientia, scilicet carere illa luce ac noticia Dei, quæ fuerat futura, in natura integra, item carere illa rectitudine, hoc est, perpetua obedientia, uera, pura ac summa dilectione Dei & similibus donis integræ naturæ. Quare defectus illi & concupiscentia, sunt res damnata, & sua natura digna morte. Estq; uicium originis uerè peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem, his qui non renascuntur per baptismum & Spiritum sanctum.

Damnant Pelagianos, qui negant peccatum originis, & sentiunt defectus illos seu concupiscentiam esse res indifferentes seu pœnas tantum, nec esse res sua natura damnatas, & somniant hominem Legi Dei satisfacere posse, & propter hanc propriam obedientiam coram Deo iustum pronunciari.

III.

Item, docent quod Verbum, hoc est, Filius Dei, assumpserit humanam naturam in utero beatæ Mariæ uirginis, ut sint duæ naturæ, diuina & humana, in unitate personæ inseparabiliter coniunctæ, unus Christus, uerè Deus, & uerē homo natus ex uirgine Maria, uerè passus, crucifixus, mortuus & sepultus,

ut recon-

ut reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset, non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus peccatis hominum. Idem descendit ad inferos, & uerè resurrexit tertia die, deinde ascendit ad cœlos, ut sedeat ad dextram Patris, & perpetuo regnet & dominetur omnibus Creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, & sanctificatis det uitam æternam. Idem Christus palam est rediturus, ut iudicet uiuos & mortuos resuscitatos iuxta symbolum Apostolorum.

IIII.

Vt autem consequamur hæc beneficia Christi, scilicet remissionem peccatorum, iustificationem, et uitam æternam, dedit Christus Euangelium, in quo hæc beneficia nobis proponuntur, sicut scriptum est Lucæ ultimo, Prædicari pœnitentiam in nomine eius, & remissionem peccatorum inter omnes gentes. Cùm enim homines naturali modo propagati habeant peccatum, nec possint uerè legi Dei satisfacere, Euangelium arguit peccata, & ostendit nobis Mediatorem Christum, & sic docet nos de remissione peccatorum.

Cùm Euangelium arguit peccata nostra corda perterrefacta statuere debent, quod gratis nobis propter Christum donentur remissio peccatorum, & iustificatio per fidem, qua credere & confidere debemus, hæc nobis donari propter Christum, qui pro nobis factus est hostia, & placauit Patrem. Quanquam igitur Euangelium requirit pœnitentiam, tamen ut remissio peccatorum certa sit, docet eam gratis donari, hoc est, non pendere ex conditione dignitatis nostræ, nec dari propter ulla præcedentia opera, aut dignitatem sequentium. Fieret enim incerta remissio, si ita sentiendum esset, tum demum nobis contingere remissionem peccatorum, postquàm eam præcedentibus operibus meriti essemus, aut satis digna esset pœnitentia.

Conscientia enim in ueris pauoribus, nullum inuenit opus q̃ possit opponere iræ Dei, & Christus nobis donatus & propositus est, ut sit propiciator. Hic honos Christi non debet transferri in nostra opera. Ideo Paulus dicit, gratis saluati estis. Item, Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio, hoc est, ita erit certa remissio, cum sciemus eam non pendere ex conditione nostræ dignitatis, sed donari propter Christum. Hæc est firma & necessaria consolatio, pijs & perterrefactis mentibus. Atq̃ ita docent & S. Patres. Et extat apud Ambrosium memorabilis & insignis sententia, his uerbis: Hoc constitutum est ā Deo, ut qui credit in Christum saluus sit, sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.

Et fidei uocabulū, non solum cognitionem historiæ de Christo significat, sed etiam credere & assentiri huic promissioni, quę est Euangelij propria, in qua propter Christum nobis promittuntur remissio peccatorum, iustificatio & uita æterna. Nam & hæc promissio ad historiam de Christo pertinet. Sicut & in Symbolo additus est historię hic articulus: Credo remissionem peccatorum. Et ad hunc articulum, reliqui de historia Christi referri debent. Nam id beneficium est finis historiæ, Ideo Christus passus & resuscitatus est, ut propter ipsum nobis donarentur remissio peccatorum & uita æterna.

V.

Itaq̃ instituit Christus ministerium docendi Euangelij, q̃ prædicat pœnitentiam & remissionem peccatorum. Estq̃ utraq̃ prædicatio uniuersalis,

Omnium

Omnium peccata arguit, & omnibus credentibus promittit remissionem peccatorum, ut non sit incerta remissio, sed ut omnes perterrefactæ mentes, sciant se debere credere, quod certo donetur ipsis remissio peccatorum propter Christum, non propter ipsorum merita, aut dignitatem. Hi omnes certo consequuntur remissionem peccatorum. Et cum hoc modo cõsolatur nos promissione seu Euangelio, & erigimus nos fide, simul datur nobis Spiritus sanctus. Nam Spiritus sanctus datur & est efficax per uerbum Dei & per Sacramenta. Cum Euangelium audimus aut cogitamus, aut Sacramenta tractamus, & fide nos consolamur, simul est efficax Spiritus sanctus, iuxta illud Pauli ad Galat. 3. Vt promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus. Et ad Corinthios, Euangelium est ministerium Spiritus. Et ad Roman. Fides ex auditu est. Cum igitur fide nos consolamur, & liberamur ā terroribus peccati per Spiritum sanctum, concipiunt corda cæteras uirtutes, agnoscunt uerè misericordiam Dei, concipiunt ueram dilectionem, uerum timorem Dei, fiduciam, spem auxilij diuini, inuocationem, & similes fructus spiritus.

Damnantur illi qui de hac fide qua remissio peccatorum accipitur, nihil docent, sed iubent conscientias dubitare, an consequantur remissionem. Et addunt hanc dubitationem non esse peccatum. Item, docent homines consequi remissionem peccatorum, propter propriam dignitatem, nõ docent, credendum esse, quod Gratis propter Christum remissio peccatorum donetur.

Damnantur item fanatici spiritus, qui fingunt spiritum sanctum dari, aut efficacem esse, sine uerbo Dei. Et eam ob causam contemnunt ministerium Euangelij & Sacramentorum, & quærunt illuminationes sine uerbo Dei & extra Euangelium, atq; ita abducunt animos à uerbo Dei, ad proprias opiniones, q̃ est pernicioſissimum. Tales olim fuerunt Manichæi, Enthusiastæ, & nunc sunt Anabaptistę. Huiusmodi furores constanter damnamus, Abolent enim uerum usum uerbi Dei, & falso somniant sine uerbo Dei accipi Spiritum sanctum, & freti suis opinionibus comminiscuntur impia dogmata & efficiunt infinitam dissipationem.

VI.

Item docent, quod cum fide reconciliamur, necessario sequi debeat iustícia bonorum operum, quæ Deus nobis mandauit, sicut & Christus præcepit: Si uis in uitam ingredi, serua mandata. Sed quia tanta est infirmitas humanæ naturæ, ut nemo legi satisfacere possit, necesse est docere homines, non solum q̃ legi obediendum sit, Sed etiam quomodo placeat hæc obedientia, ne conscientię incidant in desperationem, cum intelligant se non satisfacere legi. Placet igitur hæc obedientia, non quia legi satisfacit, Sed quia persona est in Christo reconciliata fide, et credit sibi reliquias peccati condonari. Semper igitur sentiendum est, nos consequi remissionem peccatorum, & personam pronunciari iustam, id est, acceptari gratis propter Christum, per fidem. Postea uero placere etiam obedientiam erga legem & reputari quandam iusticiam, & mereri prę̃mia. Non. n. potest conscientia opponere iudicio Dei propriam mundiciem, aut opera, sicut Psalmus testatur, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis uiuens. Et Ioannes ait, Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Si confiteamur peccata nostra, fidelis et iustus est, ut remittat nobis peccata nostra, Et Christus inquit, Cum feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus. Postquam autem persona reconciliata & iusta fide, id est, ac-

cepta

cepta est, placet & obedientia,& reputatur esse quædam iustitia. Sicut Ioannes inquit,Omnis qui in eo manet non peccat. Et 2.Cor.1.Gloria nostra hęc est,testimonium conscientiæ nostrę.

Ac debet hæc obedientia repugnare prauis cupiditatibus & subinde spiritualibus exercitijs fieri purior, & cauere, ne quid committamus contra conscientiam, Iuxta illud, Summa Legis est dilectio, ex puro corde & conscientia bona, & fide non ficta. Qui uero obtemperant prauis cupiditatibus & agunt contra conscientiam, uersantur in peccatis mortalibus, nec fidei iusticiam, nec iusticiam bonorum operum retinent. Iuxta illud Pauli, Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

VII.

Item docent, quod una sancta Ecclesia perpetuò mansura sit. Est autem Ecclesia Christi congregatio membrorum Christi, hoc est, sanctorum, qui uerè credunt & obediunt Christo, etsi in hac uita huic congregationi multi mali & hypocritæ admixti sunt, usq; ad nouissimum iudicium. Habet autem Ecclesia propriè dicta,signa sua,scilicet puram et sanam Euangelij doctrinam,et rectum usum Sacramentorum. Et ad ueram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Euangelij, & administratione Sacramentorum. Nec necesse est ubiq; similes esse traditiones humanas, seu ritus ab hominibus institutos. Sicut & Paulus docet,cum ait: Vnus dominus,una fides,unum baptisma,unus Deus & pater omnium &c.

VIII.

Cum autem in hac uita admixti sint Ecclesiæ multi mali & hypocritæ,qui tamen societatem habent externorum signorum, cum Ecclesia, licet uti Sacramentis quæ per malos administrantur iuxta uocem Christi, Sedent Scribæ & Pharisæi in Cathedra Moysi,&c. Et Sacramenta & uerbum Dei propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas & similes, qui negabant licere populo uti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum inutile & ineffi cax esse.

IX.

De Baptismo docent, quòd necessarius sit ad salutem, tanquam ceremonia ā Christo instituta. Et quòd per baptismum offeratur gratia Dei, Et quod infantes sint baptizandi, Et quod infantes per baptismum Deo commendati, recipiantur in gratiam Dei,& fiant filij Dei, sicut Christus testatur, loquens de paruulis in Ecclesia, Matth. 18. Non est uoluntas patris uestri qui in cœlis est, ut pereat unus ex paruulis istis.

Damnant Anabaptistas, qui improbant baptismum infantum, & affirmant infantes sine baptismo & extra Ecclesiam Christi saluos fieri.

X.

De Cœna Domini docent, quod cum pane & uino uerè exhibeantur corpus & sanguis Christi uescentibus in Cœna Domini.

XI.

De Pœnitentia docent,quod lapsis post baptismum contingere possit remissio peccatorum,quocunq; tempore, cum conuertuntur. Et quod Ecclesia talibus redeuntibus ad Pœnitentiam,impertire absolutionem debeat.

Constat

Constat autem Pœnitentia, hoc est, conuersio impij, propriè his duabus partibus. Altera est contritio, hoc est, terrores incussi conscientiæ agnito peccato, in quibus & iram Dei agnoscimus, & dolemus nos peccasse, & peccata detestamur ac fugimus. Sicut Ioël concionatur, Scindite corda uestra, & non uestimenta uestra, & conuertimini ad Dominum Deum uestrum &c. Altera pars est fides, quæ concipitur ex Euangelio seu Absolutione, & credit propter Christum certò remitti peccata, et consolatur conscientiam, et ex terroribus liberat, de qua fide Paulus loquitur, cum ait, Iustificati fide pacem habemus. Deinde sequi debent boni fructus pœnitentiæ, hoc est, obedientia erga Deum, iuxta illud: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uiuetis, moriemini. Sed si spiritu actiones corporis mortificabitis, uiuetis.

Damnant Nouatianos, qui nolebant absoluere eos qui lapsi post baptismum, redibant ad pœnitentiam.

Damnant & illos, qui non docent remissionem peccatorum per fidem gratis propter Christum contingere. Sed cõtendunt remissionem peccatorum contingere propter dignitatem contritionis, dilectionis, aut aliorum operum, & iubent dubitare conscientias in pœnitentia, an consequantur remissionem, & affirmant hanc dubitationem non esse peccatum.

Damnant & istos, qui Canonicas satisfactiones docent necessarias esse ad redimendas pœnas æternas aut pœnas purgatorij, etsi fatemur bonis operibus mitigari præsentes calamitates, sicut Esaias docet, cap. 58. Frange esurienti panem tuum &c, Et requiem tibi dabit Dominus semper.

Damnant & Anabaptistas, qui negant semel iustificatos, iterum posse amittere Spiritum sanctum. Damnant & illos, qui cõtendunt aliquibus tantam perfectionem in hac uita contingere, ut ne quidem possint iterum peccare.

XII.

De Confessione peccatorum docent, quod Absolutio priuata in Ecclesijs retinenda sit, quanquam in Confessione non sit necessaria delictorum enumeratio. Est enim impossibilis enumeratio omnium delictorum, iuxta illud: Delicta quis intelligit.

XIII.

De usu Sacramentorum docent, Sacramenta instituta esse, non modo ut sint notæ professionis inter homines, sed multo magis, ut sint signa & testimonia uoluntatis Dei erga nos, proposita ad excitandam & confirmandam fidem in his qui utuntur eis. Itaq; utendum est Sacramentis ita, ut accedat fides, quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur. Hac fide accipimus promissam gratiam, quam Sacramenta significant, & Spiritum sanctum.

Damnant igitur Pharisaicam opinionem, quæ obruit doctrinam de fide, nec docet fidem in usu Sacramentorum requiri, quæ credat propter Christum nobis gratiam dari. Sed fingit homines iustos esse propter usum Sacramentorum ex opere operato, & quidem sine bono motu utentium.

XIIII.

De ordine Ecclesiastico docent, quod nemo debeat in Ecclesia publicè docere

cere aut Sacramenta administrare, nisi rite uocatus. Sicut & Paulus præcipit Tito, ut in ciuitatibus presbyteros constituat.

XV.

De ritibus Ecclesiasticis, qui sunt humana autoritate instituti, docent, ritus illos seruandos esse, qui sine peccato seruari possunt, & ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia conducunt, ut certæ feriæ, certæ cantiones piæ, & alij similes ritus.

Sed de hoc ipso genere docent, non esse onerandas conscientias superstitiosis opinionibus, hoc est, non est sentiendum, ordinationes illas humanas esse iusticiam coram Deo, aut mereri remissionem peccatorum, aut cultus necessarios esse ad iusticiam Euangelij. Sed sentiendum est, quod sint res Adiaphoræ, quæ extra casum scandali omitti possint, Sed illi peccant, qui cum scandalo eas uiolant, ut qui suarum Ecclesiarum tranquillitatem temere perturbant, &c.

Reijciuntur igitur traditiones, quæ sine peccato non possunt obseruari, ut traditio de cœlibatu. Reijcitur & impia opinio, de traditionibus & uotis, in qua fingitur, cultus humana autoritate excogitatos, mereri remissionem peccatorum, esse satisfactiones pro peccatis, &c. Cuiusmodi falsæ persuasiones de uotis, de certis ieiunijs, &c. in Ecclesia ab indoctis sparsæ sunt.

XVI.

De rebus ciuilibus docent, quod legitimæ ordinationes ciuiles, sint bona opera & ordinationes Dei, sicut Paulus testatur. Quæ sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Docent igitur, quod Christianis liceat Magistratus gerere, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatorijs & alijs præsentibus legibus, supplicia iure constituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, ius iurandum postulantibus magistratibus dare, contrahere legitima coniugia, artes probatas legibus exercere.

Damnant Anabaptistas qui interdicunt hæc ciuilia officia Christianis.

Damnant & illos qui Euangelicam perfectionem collocarunt in desertione ciuilium officiorum, cum Euangelica perfectio sit spiritualis, hoc est, consistat in motibus cordis, in timore Dei, fide, dilectione, obedientia. Euangelium enim concionatur de quadam æterna iusticia cordis, Nec abolet interim politiam aut Oeconomiam, Sed maximè postulat eas in hac uita corporali conseruari, tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere charitatem. Itaq; Christiani necessario debent obedire præsentibus Magistratibus ac legibus, nisi cum iubent peccare. Tunc enim magis debent obedire Deo quam hominibus Act. 4.

XVII.

Item, docent quod Christus apparebit in consummatione mundi, ad iudicandum, & mortuos omnes resuscitabit, & hominibus pijs dabit uitam æternam & gaudia perpetua. Impios autem homines & diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur.

Damnamus Anabaptistas, qui nunc Iudaicas opiniones spargunt, fingunt ante resurrectionem, pios regna mundi occupaturos esse, ubiq; deletis aut oppressis impijs. Scimus enim quod pij debeant obedire præsentibus magistratibus, non eripere eis imperia, non dissipare politias per seditionem, quia Paulus præcipit, Omnis anima magistratui suo subdita sit, Scimus item, quod

Ecclesia

Ecclesia in hac uita subiecta sit cruci,& primum post hanc uitam glorificabitur, Sicut Paulus inquit,Oportet nos similes fieri imaginis filij Dei,Quare Anabaptistarum amentiam & diabolicū furorem prorsus damnamus & execramur.

Damnamus & Origenistas, qui finxerunt Diabolis & damnatis finem pœnarum futurum esse.

XVIII.

De libero arbitrio docent, quod humana uoluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iusticiam,et deligendas res rationi subiectas.Sed non habet uim sine Spiritu sancto efficiendæ iusticiæ spiritualis, quia Paulus dicit, Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Et Christus dicit, Sine me nihil potestis facere, Efficitur autem spiritualis iusticia in nobis, cum adiuuamur ā Spiritu sancto. Porrō Spiritum sanctum concipimus, cum uerbo Dei adsentimur, ut nos fide in terroribus consolemur, Sicut Paulus docet cum ait, Vt promissionem Spiritus accipiatis per fidem. Hæc totidem uerbis dicit Augustinus lib.3.Hypognosticon.

Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum in ijs quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certe peragere, sed tantum in operibus uitæ præsentis, tam bonis quam malis,Bonis dico,quæ de bono naturę oriuntur,id est,uelle laborare in agro,uelle manducare & bibere, uelle habere amicum, uelle habere indumenta,uelle fabricare domum,uxorem uelle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerum bonarum,uelle quidquid bonum ad præsentem pertinet uitam,quæ omnia non sine diuina gubernatione subsistunt,imō ex Deo et per ipsum sunt,& esse ceperunt.Malis uero dico, ut est uelle Idolum colere,uelle homicidium &c. Hæc Augustini sententia pręclare docet, quid libero arbitrio tribuendum sit.& diserte discernit ciuilem disciplinam seu exercitia rationis humanæ,ā spiritualibus motibus,uero timore,patientia,constantia,fide, inuocatione,in asperrimis tentationibus inter insidias diaboli, in terroribus peccati.In his certe opus est,regi nos et iuuari ā Spiritu sancto,Sicut Paulus inquit. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.

Damnamus Pelagianos, & similes qui docent quod sine Spiritu sancto, solis naturæ uiribus possimus Deum super omnia diligere, Legem Dei facere, quo ad substantiam actuum. Hæc somnia ingenue & necessario reprehendimus,obscurant.n. beneficia Christi, Nam ideo proponitur in Euangelio Mediator Christus, & promittitur misericordia, quia humana natura non potest satisfacere Legi,Sicut Paulus testatur,cum ait,Rom.8.Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Legi enim Dei non est subditus, ac ne potest quidem subijci.Quanquam enim externa opera aliquo modo potest efficere humana natura per sese,potest enim continere manus ā furto,ā cęde, tamen interiores motus,ut uerum timorem,ueram fiduciam,patientiam,castitatem,non potest efficere,nisi Spiritus sanctus gubernet et adiuuet corda nostra.Et tamen in hoc loco illud etiam docemus,Dei mandatum esse, ut etiam carnales coherceantur diligentia rationis & illa ciuili disciplina,sicut Paulus inquit, Lex est pædagogus in Christum.Item,Lex est iniustis posita.

XIX.

De causa peccati docent, quod tametsi Deus creat & conseruat naturam, tamen causa peccati est uoluntas malorum, uidelicet diaboli & impiorum ho-

mirum, quæ auertit se ā Deo, ad alias res contra mandata Dei. Ideo Christus inquit de diabolo, Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur.

XX.

Quod aduersarij criminantur nos, negligi ā nobis doctrinam de bonis operibus, manifesta calumnia est. Extant.n. libri nostrorum, in quib. piè et utiliter docēt de bonis operibus, quæ opera in qualibet uocatione Deo placeant. Cūq; in Ecclesijs magnum olim fuerit silentium de præcipuis operibus, scilicet de exercitijs fidei, & de laude politicorum operum, & magna ex parte consumerentur omnes conciones in laudibus traditionum humanarum, in ferijs, leiunijs, Monachatu, fraternatibus, peregrinationibus, cultu sanctorum, Rosarijs et alijs inutilibus cultibus ornandis, nunc Dei beneficio reuocatur Ecclesia, ad ueros, & utiles cultus, quos Deus probat & requirit. Prophetę grauissimis concionibus deplorant hanc Ecclesię calamitatem, q̄ ueris cultibus extinctis, in Ecclesia regnaturæ sint humanæ ceremoniæ & impia fiducia ceremoniarum. Et ab hoc errore reuocant Ecclesiam ad ueros cultus, ad uere bona opera. Quid potest dici grauius concione illa Psalmi 49. Deus Deorum dominus locutus est, & uocauit terram, Hic Deus uniuerso generi humano concionatur, damnat ceremoniarum fiduciam, & alios cultus proponit, & significat se ualdè irasci his qui in Ecclesia ita prædicant ceremonias, ut ueros cultus obruant. Similes extant multę conciones in Prophetis, ut Esai. 58. Et Zach. 7. &. Micheę 6. Et Oseas clamitat, Misericordiā uolo, nō sacrificiū, & noticiā Dei plus quam holocausta. Nec obscurum est multos bonos & doctos uiros etiam ante hanc ætatem desiderasse doctrinam de consolatione conscientiarum & de operum discrimine meliorem, Debet.n. in Ecclesia extare utraq; doctrina, uidelicet Euāgelium de fide, ad erudiendas & consolandas conscientias, debet etiam proponi, quę sint uerè bona opera, qui sint ueri cultus Dei. Sed aduersarij, quia corrumpūt doctrinam de fide, primum non possunt conscientijs firmam consolationem proponere, iubent.n. dubitare de remissione peccatorum. Et tamen postea iubent quærere remissionem per propria opera, affingunt monachatus, et alia opera. Deinde abolent et ueros cultus, Nam inuocatio et cętera spiriritualia exercitia excutiuntur animis, non confirmatis fiducia Christi. Præterea nec placent Deo opera secundę tabulę, nisi fides accedat, q̄ propter Christum placeat hęc inchoata & imperfecta obedientia. Tertio obscurant opera ā Deo mandata, & longe anteferunt humanas traditiones, Has ornant speciosissimis titulis, uocant eas Euangelicam perfectionem, Interim de officijs uocationis, magistratu, coniugio, ita frigidē docuerunt, ut multi graues uiri dubitauerint, an hæc uitæ genera placerent Deo, Itaq; concionatores nostri, bono studio, utrumq; doctrinæ genus illustrauerunt, Proponunt Euangeliū de fide, & addunt piam doctrinam de operibus.

DE FIDE.

PRimum igitur de fide & iustificatione sic docent, Christus aptè complexus est Summam Euangelij, cum Lucæ ult. iubet prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum. Nam Euangelium arguit peccata, & requirit pœnitentiam, & simul offert remissionem peccatorum propter Christū, gratis, nō propter nostram dignitatem. Et sicut uniuersalis est pœnitentiæ prędicatio, ita & promissio gratiæ ūniuersalis est, & omnes credere iubet & accipere beneficium Christi, sicut Christus inquit, Venite ad me omnes qui onerati estis.

ti estis. Et Paulus ait, Diues est in omnes etc. Quanꝯ igitur contritio aliqua seu pœnitentia, necessaria est, tamen sentiendū est donari nobis remissionem peccatorū, & fieri nos ex iniustis iustos, id est, reconciliatos seu acceptos & filios Dei, gratis, propter Christum, non propter dignitatem contritionis aut aliorum operum præcedentium aut sequentium, Sed fide hoc beneficium accipiēdum est, qua credere nos oportet, quod propter Christum nobis donentur remissio peccatorum & iustificatio. Hæc sententia firmam consolationem perterrefactis mentibus affert. Et cꝯ necessaria sit Ecclesiæ, peritæ conscientiæ facile iudicare possunt. Et nihil habet absurdi, nihil perplexum, nihil Sophisticum. Nō est hic opus disputationib. de prædestinatione, aut similibus. Nam promissio est uniuersalis, & nihil detrahit operibus, imo excuscitat ad fidem, & uere bona opera. Nam remissio peccatorum transfertur ā nostris operibus ad misericordiam, ut sit beneficium certum, non ut nos nihil agamus, Sed multò magis, ut sciamus, quomodo placeat Deo nostra obedientia in tanta infirmitate nostra. Hanc sententiam, qua & illustratur honos Christi, & pijs mentibus consolatio dulcissima & firmissima proponitur, quæ ueram misericordiæ diuinæ cognitionem continet, & ueros cultus, & æternam uitam parit, aspernari ac damnare, pluscꝯ Pharisaica cœcitas est. Olim cum hæc consolatio non proponeretur, multæ pauidæ conscientiæ mederi sibi conabantur operibus, alij confugiebant ad Monasticam uitam, alij alia opera eligebant, quibus mererentur remissionem peccatorum & iustificationem, Sed nulla est firma consolatio præter hanc doctrinam Euangelij, quæ iubet credere, ꝙ gratis nobis propter Christum donentur remissio peccatorum & iustificatio, Estcꝯ hæc tota doctrina comparata ad uerum illud certamen perterrefactæ conscientiæ.

Sed addemus aliquot testimonia. Paulus Rom. 3. Iustificamur gratis, ipsius gratia per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem, per fidem in sanguine suo.

Rom. 4. Ei autem qui non operatur, credit autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iusticiam.

Ephes. 2. Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex uobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. In his sententijs & similibus diserte docet Paulus, gratis nobis donari remissionem peccatorum & iustificationem, non propter nostrorum operum dignitatem. Et in capite quarto ad Romanos copiose disputat, quare hac consolatione nobis opus sit, Si enim promissio penderet ex dignitate nostrorum operum, fieret incerta. Vt igitur aduersus terrores peccati & mortis, habeamus certam & firmam consolationem, & fides consistere possit, necesse est eam sola misericordia niti, & non nostra dignitate. Propterea Paulus inquit, Ideo ex fide secūdum gratiam, ut sit firma promissio. Necꝯ enim opponi iudicio Dei possunt opera nostra, iuxta illud, Si iniquitates obseruaueris, quis sustinebit? Ideocꝯ Mediator nobis donatus est Christus, Nec transferendus est eius honos in nostra opera.

Cum igitur dicimus, fide iustificamur, non hoc intelligimus, quod iusti simus propter ipsius uirtutis dignitatem, Sed hæc est sententia, Consequi nos remissionem peccatorum & imputationem iusticiæ per misericordiam propter Christum, Verum hæc misericordia non potest accipi nisi fide, Et fides hic non tantum historiæ noticiam significat, sed significat credere promissioni misericordię quæ nobis propter Mediatorem Christum contingit. Et cum hoc modo

fides intelligitur de fiducia misericordiæ, non dissentiunt inter se Iacobus & Paulus. Quod.n. inquit Iacobus, Dęmones credunt & contremiscunt, intelligit fidem de notícia historiæ, Hęc nõ iustificat. Norunt.n. historiam etiam impij ac diaboli, Paulus uero cũ inquit, Fides reputatur ad iusticiam ꝛc. loquitur de fiducia misericordiæ promissæ propter Christum. Estq; sententia, Homines iustos pronunciari, id est, reconciliari, per misericordiam, nõ propter dignitatem propriam, Sed hanc misericordiam promissam propter Christum, oportet fide accipi. Iam bonas mentes nihil offendet nouitas huius Paulinę figuræ. Fide iustificamur, si intelligant proprie de misericordia dici, eamq; ueris & necessarijs laudibus ornari. Quid potest.n. esse gratius conscientiæ afflictæ ac pauidæ, in ueris doloribus, quàm audire, hoc esse mandatum Dei, hanc esse uocem sponsi Christi, ut statuant certo donari remissionem peccatorũ seu reconciliationem, non propter nostram dignitatem, sed gratis per misericordiam, propter Christum, ut beneficium sit certum. Significat autem iustificatio in his Pauli sententijs, remissionem peccatorum, seu reconciliationem seu imputationem iusticiæ, hoc est, acceptationem personæ.

Nec afferimus nouum dogma in Ecclesiam. Nam hanc de fide doctrinam scriptura copiose tradit, Et Paulus hunc locum præcipuè tractat in aliquot Epistolis, & docent idem S. Patres. Sic enim inquit Ambrosius de uocatione gentium, Vilescęret redemptio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogatiua succumberet, si iustificatio quæ fit per gratiam meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis. Et multæ sunt integræ, hac de re, apud Augustinum disputationes, Huius hęc sunt uerba. Quandoquidem per legem ostendit homini infirmitatem suam, ut ad eius misericordiam per fidem confugiens, sanaretur. Dictum est enim q̃ legem & misericordiam in lingua portet. Legem scilicet, qua reos faciat superbos. Misericordiam uero, qua iustificet humiliatos. Iusticia ergo Dei per fidem Iesu Christi in omnes qui credunt &c.

Et Synodus Mileuitana scribit. Nonne satis ostenditur hoc actum esse per Legem, ut peccatum cognosceretur, & sic aduersus uictoriam peccati ad diuinam gratiam, quæ in promissionibus proposita est, confugeretur, ut ad liberationem quærerentur promissiones Dei, hoc est, gratia Dei, & incipiat esse in homine iusticia, non sua, sed Dei.

DE BONIS OPERIBVS.

CVm necessariam de fide doctrinam & cõsolationem Ecclesijs proponimus, additur & doctrina de bonis operibus, Quod uidelicet necessaria sit in reconciliatis, obedientia erga legem Dei. Nam Euangelium cõcionatur de noua uita, iuxta illud, Dabo legem meam in cordibus eorum, Hæc igitur noua uita, debet esse obedientia erga Deum. Et Euangelium prædicat pœnitentiam, Nec existere fides potest, nisi in his qui pœnitentiam agunt, quia fides cõsolatur corda in contritione & terroribus peccati, sicut Paulus docet, Iustificati fide pacem habemus, Et de pœnitentia dicit Rom. 6. Vetus noster homo simul crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, ne peccato deinceps seruiamus. Et Esaias inquit, Vbi habitabit Dominus? In Spiritu contrito & humiliato &c.

Secundo, Inter bona opera pręcipuũ est, et summus cultus Dei, fides ipsa, & parit multas alias uirtutes quæ existere non possunt, nisi prius corda fidẽ conceperint,

ceperint, Paulus.n.dicit, Quomodo inuocabunt, nisi crediderint? Donec animi dubitant, an à Deo exaudiantur, donec sentiunt se à Deo reiici, non uere inuocant Deum. Sed cum fide agnoscimus misericordiam, confugimus ad Deum, diligimus, inuocamus, speramus, expectamus auxilium, obedimus in afflictionibus, quia iam scimus nos esse filios, & placere Deo hoc nostrum sacrificium, nostras afflictiones. Hos cultus parit fides, Præclare igitur inquit Ambrosius, Fides bonæ uoluntatis, & iustæ actionis genitrix est, Aduersarij uideri uolunt magnifice ornare doctrinam bonorum operum, Et tamen de his spiritualibus operibus, de fide, de exercitijs fidei in inuocatione, in omnibus uitæ negocijs, consilijs & periculis, nihil dicunt. Ac ne potest quidem rectè dici de his exercitijs, Si conscientiæ relinquantur in dubitatione, Si nesciant Deum requirere fidem, tanquam prꝛcipuum cultum, Et cum offunditur oculis illa ingens species externorum operum, mentes, præsertim non satis institutæ, abducuntur à conspectu horum exercitiorum interiorum. Necesse est autem in Ecclesia de his interioribus operibus, & fructibus Spiritus doceri homines. Nam hæc opera discrimen faciunt inter pios, & hypocritas, externos cultus, externas ceremonias, & alia externa opera præstare etiam hypocritæ possunt. At hi cultus tantum sunt ueræ Ecclesiæ, uera pœnitentia, timor, fides, inuocatio, &c. Hi cultus præcipuè requiruntur & laudantur in scripturis, ut Psalmo 49. Immola Deo sacrificium laudis, Inuoca me in die tribulationis &c.

Tertio. Et hac fide, quæ consolatur corda in pœnitentia, accipimus Spiritum sanctum, qui datur ut gubernet & adiuuet nos, ut peccato & diabolo resistamus, & magis magisꝙ agnoscamus infirmitatem nostram, & in nobis crescant agnitio Dei, timor, fides. Quare debet in nobis obedientia erga Deum & noua uita crescere, sicut Paulus docet, renouari nos debere, ad agnitionem Dei, ut efficiatur in nobis noua lux & imago eius qui condidit nos &c.

Quarto. Docemus etiam quomodo hꝛc inchoata obedientia placeat Deo. Nam in hac tanta infirmitate et immundicie naturæ, Sancti non satisfaciunt legi, opus igitur est pijs consolatione, ut sciant quomodo hꝛc exigua et imperfecta obedientia, Deo placeat. Non.n.ideo placet, quia legi satisfaciat, Sed quia personę reconciliatæ et iustę sunt propter Christum, et credunt sibi condonari imbecillitatem suam. Sic Paulus docet, Nulla nunc est condemnatio his, qui sunt in Christo etc. Quanquam igitur hæc noua obedientia, procul abest à perfectione legis, tamen est iusticia, et meretur prꝛmia, Ideo, quia personæ reconciliatę sunt. Atꝙ ita de operibus iudicandum est, quę quidem amplissimis laudibus ornanda sunt, qꝑ sint necessaria, quod sint cultus Dei, et sacrificia spiritualia et mereantur prꝛmia. Sed tamen de persona prius tenenda est hꝛc consolatio, necessaria in certamine conscientię, qꝑ fide gratis habeamus remissionem peccatorum, et persona iusta, id est, reconciliata sit, et hꝛres uitæ æternæ, propter Christum, postea uero placere obedientiam, iuxta illud, Nunc non estis sub lege, sed sub gratia, Non.n. possunt opponi iræ ac iudicio Dei nostra opera, sed terrores peccati & mortis uincendi sunt fiducia mediatoris Christi, Sicut scriptum est, O mors, ero mors tua. Et Ioan.6. ait Christus. Hꝛc est uoluntas Patris qui misit me, ut omnis qui uidet Filium & credit in eum, habeat uitam æternam. Et Paulus, Iustificati fide, pacẽ habemus. Et Ecclesia semper orat, Dimitte nobis debita nostra, Atꝙ ita de imbecillitate sanctorum, & de fide docent, & ipsi S. Patres, Augustinus in enarratione Psalm 30. inquit, In tua iusticia erue me, Nam si attendas ad iu-

ſticiam meam, damnas me. In tua iuſticia me erue. Eſt enim iuſticia Dei, quæ & noſtra fit, cum donatur nobis. Ideo aũt Dei iuſticia dicitur, ne homo ſeſe putet ã ſeipſo habere iuſticiam, Sicut enim dicit Apoſtolus Paulus. Credenti in eum qui iuſtificat impium, id eſt, qui ex impio facit iuſtum, Si agat tanquam ex regula legis propoſita, damnandus eſt peccator. Hac regula, ſi ageret, quem liberaret? Omnes enim peccatores inuenit, Hoc ait Apoſtolus, Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Quid eſt, Egent gloria Dei? Vt ipſe liberet, non tu, Quia tu non potes liberare, indiges liberatore, Quid eſt quod te iactas? quid eſt q̃ de lege, & iuſticia præſumis? Non uides quid tecum intus pugnet? Non audis decertantem, & confitentem & adiutorium in pugna deſiderantem. Miſer ego homo &c. Facile autem iudicari poteſt, neceſſariam eſſe Eccleſiæ hanc doctrinam, ut ſciant homines ſe nõ ſatisfacere legi, & tamen habeant conſolationem, quomodo hæc imperfecta obedientia placeat. Hanc doctrinam horribiliter obruerunt olim quædam abſurdæ perſuaſiones, in quibus indocti contra autoritatem ſcripturæ & ueteris Eccleſiæ, finxerunt homines legi Dei ſatisfacere. Item, iuſtos eſſe propter legis impletionem &c. Et Monachos perfectos eſſe, & ampliora & præſtantiora opera præſtare, quãm Lex Dei flagitat, interim altiſſimum ſilentium erat, quomodo fide apprehendendus ſit Mediator Chriſtus, Sed iubebant dubitare aut confidere proprijs operibus.

Cæterum de hac obedientia etiam docemus eos qui admittunt peccata mortalia, non eſſe iuſtos, quia Deus requirit hanc obedientiam, ut reſiſtamus uicioſis affectibus, Qui autem non repugnant, Sed obtemperant eis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra cõſcientiam, hi ſunt iniuſti, et neque Spiritum ſanctum, neq; fidem, id eſt, fiduciam miſericordiæ retinent. Nam in his qui delectantur peccatis, nec addunt pœnitentiam, ne poteſt quidem fiducia exiſtere quæ quærat remiſsionem peccatorum.

Quinto. Neceſſe eſt hoc quoq; docere, quomodo facere homines bona opera poſsint. Modo dictum eſt, quomodo placeant Deo, Hic addimus etiam quomodo fieri poſsint, Etſi. n. homines ſuis uiribus externa honeſta opera utcunq; efficere poſſunt, et hanc diſciplinam debent præſtare, tamen homines ſine fide ſunt in poteſtate diaboli, qui impellit eos ad manifeſtam turpitudinem, occupat animos eorum impijs et blaſphemis opinionibus, Id enim eſt regnum et tyrannis diaboli. Ad hæc natura per ſeſe infirma eſt, & nõ poteſt ſine auxilio Dei, ſe erigere, & ſpiritualia opera efficere, Ideo docentur homines, in Euãgelio promitti Spiritum ſanctum, qui animos eorum qui agunt pœnitentiam & Euangelio aſſentiuntur, adiuuet & gubernet. Quare in omni uita, in tanta infirmitate naturæ, inter has diaboli inſidias in omnibus periculis exercenda eſt fides in inuocatione, ut perſeuerare in fide & obedientia erga Deum poſsimus, Itaq; Zacharias inquit: Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem Spiritum gratiæ & precum. Ideo enim uocat Spiritum gratiæ, quod Spiritus ſanctus erigat & conſoletur perterrefactas mentes, & teſtetur nos habere Deum placatum, Et uocat Spiritum precum, ut fidem aſsiduè in inuocatione exerceamus, Vt per hæc exercitia confirmetur fides, & creſcat noua uita.

Et ueræ uirtutes ſine ulla dubitatione ſunt dona Dei, Fides, perſpicacia iudicij in diſcernendis dogmatibus, Magnitudo animi, qualem eſſe neceſſe eſt in his qui Euangelium docent & confitentur, uera diligentia in regendis Eccleſijs, uera humilitas, non appetere potentiam, non frangi populari fauore aut odio,

uera caſti-

uera caſtitas etc. Has Heroicas uirtutes Paulus uocat dona Dei, Rom.12. Habentes diſsimilia dona ſecundum gratiam nobis datam. Et de his inquit ad Corinth.Hæc efficit unus & idem ſpiritus,diſtribuens ſingulis etc. Debet autem ad hæc dona accedere exercitatio noſtra,quæ & conſeruat ea & meretur incrementum,luxta illud,Habenti dabitur. Et Auguſtinus præclarē dixit,Dilectio meretur incrementum dilectionis, cum uidelicet exercetur. Habent enim bona opera, præmia,cum in hac uita,tum poſt hanc uitam in uita æterna.Quia enim Eccleſia in hac uita ſubiecta eſt cruci & morti corporali, differuntur præmia pleraq; ad futuram uitam, quæ etiamſi per miſericordiam certò propter Chriſtum contingit, his qui fiducia Chriſti iuſtificati ſunt,tamen etiam eſt compenſatio bonorum operum,iuxta illud,Mercès ueſtra copioſa eſt in cœlis.

Ex his ſatis liquet, doctrinam bonorum operum Dei beneficio, piè & rectè doceri in noſtris Eccleſijs. Quanta fuerit olim obſcuritas, quanta confuſio doctrinæ,de bonis operibus,bonæ mentes ſatis norunt. Nemo monebat de diſcrimine humanarum traditionum & legis diuinæ. Nemo docebat,quomodo placerent bona opera,in tanta noſtra infirmitate. Deniq; altiſsimum ſilentium erat de fide,qua opus eſt in remiſsione peccatorum.At explicatis nūc his rebus, tenent piæ conſcientiæ conſolationem,& certam ſpem ſalutis,& intelligunt ueros cultus,& norunt quomodo placeant Deo, & quomodo ſint meritorij.

XXI.

De ueneratione ſanctorum docent, q; utile ſit ſanctorū memoriam proponere,ut eorum exemplis fidem noſtram confirmemus, Item ut eorum fidem & bona opera imitemur, quantum cuiuſq; uocatio requirit, ut Cæſar exemplum Dauidis imitari poteſt,in bello gerendo ad repellendos Turcas,Nā uterq; Rex eſt. Debemus etiam gratias Deo agere,q; tam multa et glorioſa exempla miſericordiæ ſuæ propoſuerit Eccleſiæ in ſanctis, Item q; Eccleſiam pulcherrimis donis ac uirtutibus ſanctorum ornauerit,Laudandi ſunt et ipſi ſancti,qui donis Dei piè uſi ſunt,qui ad ornandum Eccleſiam contulerint.Cęterum ſcriptura nō docet inuocare ſanctos,ſeu auxilium à ſanctis petere,ſed unum Chriſtum nobis proponit Mediatorem, propiciatorem,pontificem & interceſſorem,De hoc habemus præcepta & promiſsiones,ut & ipſum inuocemus,& ſtatuamus exaudiri preces noſtras, cum ad hunc pontificem & interceſſorem cōfugimus,ſicut inquit Ioan.16.Quicquid petieritis Patrem in nomine meo,dabit uobis. Et Ioan. 14. Quicquid petieritis in nomine meo,id faciam. Hæc teſtimonia iubent ad Chriſtum confugere,iubent ut Chriſtum ſentiamus eſſe interceſſorem,et placatorem,iubent ut cōfidamus nos exaudiri à Patre propter Chriſtum.De ſanctis uero,nec pręcepta, nec promiſſiones nec exempla ſunt in hanc ſentētiam in ſcripturis.Et obſcuratur officium et honos Chriſti, cū homines confugiunt ad ſanctos,& hos ducunt eſſe Mediatores eoſq; inuocant, & ſibi fingunt opinionem, ſanctos eſſe benigniores,atq; ita fiduciam,debitam Chriſto, transferunt in ſanctos.At Paulus inquit, Vnus eſt Mediator Dei & hominum. Hunc igitur cultum præcipuè requirit Chriſtus, ut ſentiamus ad ipſum confugiendum eſſe, ipſum eſſe interceſſorem, propter quem certo exaudiamur &c.

Hæc ſumma eſt doctrinæ quæ in Eccleſijs noſtris traditur.Et conſentaneam eſſe iudicamus & Prophēticæ ac Apoſtolicæ ſcripturæ,& Catholicæ Eccleſiæ,Poſtremō etiam Romanæ Eccleſię,quatenus ex probatis ſcriptoribus nota eſt,Atq; idē iudicaturos eſſe ſperamus oēs bonos et doctos uiros.Non.n.aſpernamur

namur consensum Catholicæ Ecclesiæ, Nec est animus nobis ullum nouum dogma & ignotum sanctæ Ecclesiæ, inuehere in Ecclesiam. Nec patrocinari impijs aut seditiosis opinionibus uolumus, quas Catholica Ecclesia damnauit. Non enim adducti praua cupiditate, sed coacti autoritate uerbi Dei & ueteris Ecclesiæ, amplexi sumus hanc doctrinam, ut & gloria Dei fieret illustrior, & consuleretur pijs mentibus in uniuersa Ecclesia. Constat enim plerosq; abusus irrepsisse in Ecclesiam, qui emendatione opus habent. Et cum propter gloriam Christi, tum propter salutem omnium gentium maximè optamus, ut diligenter cognitis his controuersijs, Ecclesia repurgetur, & ab ijs abusibus liberetur, qui dissimulari non possunt, quam ob causam diu iam omnes boni uiri in omnibus nationibus expetunt Synodum, cuius quidem spem aliquam clementiss. Imperator omnibus gentibus ostendit. Faciet igitur Imperator rem dignissimam sua magnitudine & fœlicitate, & exoptatam uniuersæ Ecclesiæ, si in Synodo permiserit iudicium de tantis rebus, non illis qui priuatos adfectus in consilium adhibent, sed delectis pijs & doctis uiris, qui gloriæ Christi, & saluti uniuersæ Ecclesiæ consulere cupiant. Hæc est usitata & legitima uia in Ecclesia, dirimendi dissensiones, uidelicet ad synodos referre cõtrouersias Ecclesiasticas.

Hunc morem seruauit Ecclesia inde usq; ab Apostolis. Et præstantissimi Imperatores Constantinus ac Theodosius, etiam in reb. non ualde obscuris, & dogmatibus absurdis, tamen sine Synodo, nihil constituere uoluerunt, ut Ecclesiæ libertatem in iudicijs dogmatum conseruarent. Et honestissimum est Cæsari, illorum optimorum Principum exemplum imitari, præsertim cum nos nihil mutauerimus, sine exemplo ueteris Ecclesiæ. Et speramus hanc tantam fœlicitatem Imperatori diuinitus datam esse, ad Ecclesiæ emendationẽ ac salutem. Certè hanc gratiam Deus ab ipso reposcit, ut potentiam suã conferat ad ornandam Christi gloriam, ad Ecclesiæ pacem, ad prohibendã immanem et iniustissimam crudelitatem, quæ mira quadam rabie passim exercetur in membra Christi, in homines pios & innocentes. Harum maximarum rerum curam mandauit Deus summis principibus. Ideo excitat Monarchas, ut iniusta imperia prohibeãt, quemadmodum excitauit Cyrum, ut liberaret à captiuitate populum Iudæorum. Constantinum, ut illam infinitam sæuiciam, quæ tunc in Christianos exercebatur, depelleret. Ita optamus ut Cæsar, & curam emendandæ Ecclesiæ suscipiat, & iniustam crudelitatem prohibeat.

Nam Articuli nostri quos recensuimus, satis clarè testantur, nos nullum dogma contra Catholicam Ecclesiam, nullam impiam aut seditiosam opinionem docere aut probare, Imõ quosdam insignes articulos Christianæ doctrinæ ã nostris piè et utiliter illustratos esse. In externis traditionibus, abusus quidam mutati sunt, quarum etiam si qua est dissimilitudo, si tamen doctrina & fides pura sit, nemo propter illam traditionum humanarum dissimilitudinem habendus est hæreticus, aut desertor Catholicæ Ecclesiæ. Nam unitas Catholicę Ecclesiæ consistit in doctrinæ & fidei consensu, non in traditionibus humanis, quarũ semper in Ecclesijs per totum orbem magna fuit dissimilitudo. Nec uerõ fidem habeat Cęsarea Maiestas his, qui, ut odia cõtra nos inflamment, miras calumnias spargunt. Prædicant omnes ceremonias, omnes bonos mores in Ecclesijs deleri à nobis. Hæc crimina aperte falsa sunt. Nos. n. & ceremonias diuinitus institutas, summa pietate conseruamus, & ut earum reuerentiam augeremus, tantum nouos quosdam abusus sustulimus, qui contra scripturam, contra

ueteres

ueteres Canones, contra ueteris Ecclesię exempla, sine ulla certa autoritate uicio temporum recepti sunt. Ac magna ex parte ueteres ritus diligenter apud nos seruantur. Quare rogamus, ut Cæsarea Maiestas clementer audiat, quid in externis ritibus seruetur, quid qua de causa mutatum sit.

ARTICVLI DE ABVSIBVS QVI IN EXTERnis ritibus mutati sunt.

DE MISSA.

FAlsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant. Retinetur enim Missa apud nos & summa reuerẽtia celebratur, seruantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes, præterquãm quod latinis cantionibus admiscentur ablicubi germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum, Ideo enim opus est ceremonijs, ut doceant imperitos, & tractatio uerbi Dei excitet aliquos ad uerum timorem, & fidem, & inuocationem. Et non solum Paulus præcipit uti linguæ intellecta populo, sed etiam ita constitutum est humano iure. Adsuefit populus, ut unà utantur Sacramento, si qui sunt idonei. Id quoq; auget reuerentiam & relligionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi prius explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & usu Sacramenti, quantam consolationem proponat his qui agunt pœnitentiam, ut discant homines & timere Deum, & credere, & exerceant inuocationem, petant & expectent bona à Deo. Hi sunt ueri cultus Christianorum. Hos cultus, timorem, fidem, inuocationem, spem &c. probat Deus. Itaq; cum hi cultus exercentur in usu ceremoniarum, placet Deo Sacramenti usus. Cum igitur & ad ceremoniã assuefiat populus, & de usu admoneatur, fiunt Missæ apud nos ritè et piè. Et geruntur omnia in Ecclesia maiore cum grauitate & reuerentia, quam olim.

Constat autem multis seculis publicam fuisse querelam bonorum uirorum de Missarum abusu ac prophanatione. Non enim obscurum est quãm late pateat hic abusus, in omnibus templis, à qualibus celebrentur Missæ, contrà Canonum interdictum. Deinde quãm turpiter ad sacrilegum quæstum conferantur. Plurimi enim celebrant Missas, & sine pœnitentia, & tantum uentris causa. Hæc notiora sunt, quãm ut dissimulari possint. Nec uidetur unquam ulla res diuina ab initio mundi, adeo uulgo ad quæstum collata esse, sicut Missa. Paulus autem horribiliter minatur his, qui indignè tractant Sacramentum, cum ait, Qui indignè ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini, reus erit sanguinis Domini. Et in Decalogo scriptum est: Qui Dei nomine abutitur, nõ erit impunitus. Vt igitur sæpe alias mundus dedit pœnas pro idolatria, ita haud dubiè hæc ingens prophanatio Missarum atrocissimis pœnis punietur. Et fortassis propter eam causam præcipuè plectitur Ecclesia his postremis temporibus, cœcitate, discordijs, bellis, & alijs multis pestibus. Atq; hos manifestos abusus Episcopi hactenus, cum quidem non ignorarent eos, non solum toleraue-runt, sed suauiter etiam riserunt. Nunc serò incipiunt queri de calamitatibus Ecclesiæ, cum alia nulla res præbuerit occasionem tumultibus horum temporum, nisi abusus ipsi, qui ita erant iam manifesti, ut tolerari à moderatis hominibus diutius non possent. Vtinam Episcopi pro suo officio ante hæc tempora cohercuissent auaritiam atq; impudentiam seu Monachorum, seu aliorum, qui, mutato ueteris Ecclesiæ more, Missas ad quæstum contulerunt.

Sed abusus illi, ex quo fonte orti sint, dicemus. Opinio est sparsa in Ecclesiam, quod

am, quod cœna Domini sit opus, quod celebratum à sacerdote, mereatur remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ, facienti & alijs, idq; ex opere operato, sine bono motu utentis. Item quod applicatum pro mortuis, sit satisfactorium, hoc est, mereatur eis remissionem pœnarum purgatorij. Sic interpretantur sacrificium, cum Missam uocant sacrificium, opus uidelicet, quod applicatum pro alijs meretur eis remissionem culpæ & pœnarum, idq; ex opere operato sine bono motu utentis. Sic interpretantur, oblationem à Sacerdote fieri in Missa pro uiuis & mortuis. Hac persuasione recepta, iam homines docuerunt quærere remissionem peccatorum & omnis generis bona, Item liberare à pœnis mortuos, beneficio Missæ. Nec referebat à qualib. fierent Missæ, quia docebant eas prodesse alijs, sine bono motu utentis. Deinde quærebatur, utrum una Missa dicta pro pluribus, tantundem prosit, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio & numerum Missarum, & quæstum in infinitum auxit. Sed nos iam non de quæstu disputamus, impietatem accusamus. Docent enim nostri, hanc opinionem de merito & applicatione Missæ falsam & impiam esse. Hic est huius controuersiæ status, Ac facile est pijs iudicium de hac causa, si quis expendat argumenta quæ sequuntur.

Primum. Supra ostendimus consequi homines remissionem peccatorum gratis fide, id est, fiducia misericordiæ propter Christum. Ergo impossibile est consequi remissionem peccatorum propter alienum opus, & quidem sine bono motu, id est, sine fide propria. Hæc ratio satis clare refutat illam prodigiosam et impiam opinionem, de merito & applicatione Missæ.

Secundum. Passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Ebræos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item, Vna oblatione consummauit in perpetuum, eos qui sanctificantur. Deniq; bona pars Epistolæ ad Ebræos consumitur in hac sententia confirmanda, quod solum Christi sacrificium meruerit alijs remissionem peccatorum, seu reconciliationem. Inquit, Ideo quotannis repetita esse Leuitica sacrificia, quia non aboleuerint peccata. Sed Christi sacrificio semel satisfactum esse pro omnium peccatis. Hic honos sacrificij Christi non debet transferri in opus Sacerdotis. Diserte enim dicit, una oblatione sanctos consummatos esse. Ad hęc impium est, fiduciam quæ niti debet ipsa pontificis Christi oblatione & intercessione, transferre in opus Sacerdotis.

Tertium. In institutione Cœnæ Domini non mandat Christus, ut offerant Sacerdotes pro alijs uiuis ac mortuis. Qua igitur autoritate hic cultus tanquam oblatio pro peccatis, sine mandato Dei in Ecclesia institutus est?

Multo absurdius est, quòd Missa confertur ad liberandas animas mortuorum. Nam Missa instituta est ad recordationem, hoc est, ut utentes Cœna Domini recordatione beneficij Christi erigant & confirment fidem, & consolentur conscientias perterrefactas. Nec Missa satisfactio est pro pœna, sed instituta est propter remissionem culpæ, uidelicet, non ut sit satisfactio pro culpa, Sed ut sit Sacramentum, quo utentes admoneamur beneficij Christi & remissionis culpæ. Cum igitur illa applicatio Cœnæ Domini ad mortuos liberandos, sine scripturæ autoritate, imò contra scripturam, recepta sit, damnanda est, tanquam nouus & impius cultus.

Quartum. Ceremonia sine fide in nouo Testamento nihil meretur nec facienti, nec alijs. Est enim opus mortuum, iuxta illud Christi: Veri Adoratores

res adorabunt Patrem in ſpiritu & ueritate. Idem probat totum caput 11. ad Ebræos. Fide potiorem hoſtiam obtulit Abel. Item, Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Ergo Miſſa non meretur remiſsionem culpæ aut pœnæ, ex opere operato. Hæc ratio perſpicuè refutat meritum, quod uocant, ex opere operato.

Quintum. Fide propria fit applicatio beneficij Chriſti, Sicut teſtatur Paulus Roman. 3. Quem propoſuit Deus propiciatorem per fidem, per ſanguinem eius. Et hæc applicatio fit gratis. Ergo non fit applicatio, alieno opere, neq; propter alienum opus. Nam cum Sacramentis utimur, noſtro opere ac noſtra fide fit applicatio, non alieno opere. Etenim ſi non contingeret nobis remiſsio, niſi applicatis Miſſis, fieret incerta, & fiducia transferenda eſſet à Chriſto, in opus Sacerdotis, idq; ut conſtat, accidit. Porrō fiducia collocata in opus hominis, damnata eſt.

Hęc argumenta & pleraq; alia, teſtantur neceſſariò reprehenſam eſſe opinionem de merito & applicatione Miſſæ pro uiuis & mortuis. Iam ſi conſiderabitur, quàm late uagatus ſit hic error in Eccleſia, quomodo hac perſuaſione creuerit Miſſarum numerus, quomodo uiuis & mortuis hoc ſacrificio promiſſa ſit remiſſio culpæ & pœnæ, apparebit Eccleſiam propter hanc prophanationem, horrendis peccatis deformatam eſſe. Nunquam grauior cauſa, optime Imperator, in Eccleſia incidit, aut dignior, de qua docti & boni uiri diligenter deliberent. Omnes pij ardentiſsimis uotis à Deo petere debent, ut his peccatis Eccleſia liberetur. Reges omnes & Epiſcopi, omni ſtudio anniti debent, ut hac tota cauſa ritè explicata, repurgetur Eccleſia.

Sextum. Inſtitutio Sacramenti pugnat cum illo abuſu. Nihil enim de oblatione pro peccatis uiuorum & mortuorum præcipitur, Sed præcipitur, ut ſumantur corpus & ſanguis Domini. Et ut id fiat ad recordationem beneficij Chriſti. Recordatio autem ſignificat, non aliquam tantum hiſtoriæ repræſentationem uelut in ſpectaculo, ſicut ſomniant illi, qui defendunt meritum ex opere operato, Sed ſignificat fide recordari promiſsionem & beneficium, conſolari conſcientiam, & gratias agere pro tanto beneficio. Principalis enim cauſa inſtitutionis eſt, ut fides ibi excitetur & exerceatur, cum hoc pignus gratiæ accipimus. Præterea inſtitutio ordinat, ut fiat communicatio, hoc eſt, ut miniſtri Eccleſiæ porrigant etiam alijs corpus & ſanguinem Domini. Et hunc morem ſeruatum eſſe in principio Eccleſiæ, teſtatur Paulus ad Corinthios, qui præcipit etiam, ut alij alios expectent, ut fiat communis participatio.

Patefactis igitur abuſibus priuatæ Miſſæ, quia & pleræq; omnes fiebant propter illam applicationem pro peccatis aliorum, & non conueniunt cum inſtitutione Chriſti, deſierunt in noſtris Eccleſijs. Eſt autem inſtituta una communis Miſſa, iuxta Chriſti ordinationem, in qua Paſtores Eccleſiarum conſecrant, ſumunt, & porrigunt alijs ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Et fit talis Miſſa ſingulis feriis, atq; alijs etiam diebus, ſiqui uelint uti Sacramento. Nec admittuntur ad communionem, niſi antea explorati. Adduntur & conciones piæ, ſicut Chriſtus præcipit, ut habeantur conciones cum hæc ceremonia tractatur. Et in his concionibus cum de cæteris articulis & præceptis Euangelij diligenter docentur homines, tum etiam admonentur, ad quem uſum inſtitutum ſit Sacramentum, uidelicet, non quod ex opere operato mereatur eis remiſsionem peccatorum hæc ceremonia, Sed quod Sacramentum ſit teſtimonium, ſit pignus, quo Chriſtus teſtetur ſe nobis præſtare promiſſa, & q promiſſiones

ad nos pertineant, quod Christus exhibeat nobiscorpus suum, ut testetur se in nobis efficacem esse tanquam in membris suis, Exhibeat sanguinem, ut testetur nos ablui sanguine suo. Prodest igitur Sacramentum his, qui agunt pœnitentiam, & ibi quærunt consolationem, & confirmati hoc testimonio credunt uerè sibi præstari remissionem peccatorum,& agunt gratias Christo pro tanto beneficio. Ita fit applicatio beneficij, non propter alienum opus, Sed propria cuiusq; fide,& proprio usu Sacramenti,Nam cũ ipsi utimur, testatur ipsa Christi ordinatio q̃ ad nos pertineat beneficium Euangelij. Talis usus Sacramenti pius est, & docendus in Ecclesijs, qui & illustrat doctrinam de fide, & de spiritualibus exercitijs, & ueris cultibus, & adfert pijs conscientijs ingentem consolationem,& erigit fidem. Ante hæc tempora,de usu Sacramenti longè aliter docebantur Ecclesiæ,nihil proponebatur,nisi quod hoc opus faciendum esset. De fide,de consolatione conscientiarum, nemo quidquam monebat. Et uexabantur conscientia immodica diligentia confessionis. Hanc putabant puritatem esse,quam requirit Euangelium,cum Euangelium requirat uerum timorem, & ueram fiduciam, & usu huius Sacramenti nos consolatur, ut hi qui pœnitentiam agunt,credant certõ se habere Deum propitium propter Christum,etiamsi natura infirma,& immunda est, etiamsi hæc nostra inchoata obedientia procul abest ã perfectione legis. Ex his omnib. satis liquet Missam apud nos,cõuenire cum institutione Christi,& ritu primæ Ecclesiæ, Ad hæc illustrat maximè uerum usum Sacramenti. Huiusmodi communis Missa fuit in ueteri Ecclesia ut Chrisostomus testatur, qui ait, Sacerdotem ad altare stare,& alios ad communionem accersere, alios uerò arcere. Et ex Nicenæ Synodi decretis apparet, unum aliquem celebrasse Liturgiam,ut græci uocant,qui cęteris omnibus porrexerit corpus & sanguinem Domini.Hæc enim sunt uerba decreti: Accipiant Diaconi secundum ordinem post Presbyteros ab Episcopo, uel à Presbytero sacram communionem. Hic disertè ipsos presbyteros ait accipere Sacramentum ab uno quodam porrigente. Nec priuatæ Missæ ulla fit mentio, ante Gregorij tempora, Sed quoties ueteres de Missa loquuntur, apparet eos de una quadam communi Missa loqui. Cum igitur Missæ ritus apud nos habeat auctoritatem scripturæ,& exemplum ueteris Ecclesiæ,et tantum intolerabiles quidam abusus abiecti sint, speramus non posse improbari nostrarum Ecclesiarum morem. Cæteri ritus adiaphori magna ex parte usitato more seruantur, Sed numerus Missarum dissimilis est. Nec olim in Eccclesijs frequentissimis fiebat quotidie Missa, ut testatur historia Tripartita lib.9. cap.38. Rursus autem in Alexandria, quarta & sexta feria scripturæ leguntur, easq; doctores interpretantur & omnia fiunt præter solennem oblationis morem.

DE VTRAQVE SPECIE SACRAMENTI.

ET quoniam communis Missa apud nos celebratur, ut intelligat populus se quoq; sanctificari sanguine Christi,& discat uerum usum ceremoniæ,Datur Laicis utraq; pars Sacramenti in Cœna Domini, quia Sacramentum institutum est,non solum pro parte Ecclesiæ,scilicet pro presbyteris,Sed etiam pro reliqua Ecclesia, igitur & populus utitur Sacramento, sicut Christus instituit, Et quidem Christus inquit Matth.26.Bibite ex hoc omnes,ubi manifeste ait de poculo,ut omnes bibant.Et ne quis cauillari possit,quod id tantum ad Sacerdotes pertineat,

pertineat, Pauli ordinatio ad Corinthios teſtatur totam Eccleſiam cõmuniter uſam eſſe utraq; parte. Hic mos diu manſit etiam in latinis Eccleſijs, nec cõſtat, quando aut quo autore mutatus ſit. Cyprianus aliquot locis teſtatur populo ſanguinem datum eſſe, Sic ſcribit alicubi ad Cornelium Papam, Quomodo docemus aut prouocamus eos in confeſſione nominis, ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini, iure communicationis admittimus? Et Hieronymus inquit: Sacerdotes Euchariſtiæ miniſtrant, & ſanguinem Chriſti populis diuidunt.

Extat in Decretis canon Pontificis Gelaſij, qui prohibet diuidi Sacramentum, his uerbis: Comperimus autem quod quidam, ſumpta tantum corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant, qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuiſio unius eiuſdemq; myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt accidere.

In Hiſtoria Tripartita ſcriptum eſt in obiurgatione Theodoſij Imperatoris, quem Ambroſius noluit ad communionem admittere ſine pœnitentia, propterea q; Theſſalonicæ paucorum militum necem, qui per tumultum interfecti fuerant, nimis acerbe ultus erat, trucidauerat q; ſeptem millia ciuium. Hic Ambroſius inquit: Quomodo his manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus? qua temeritate, ore tuo, poculum ſanguinis precioſi percipies &c. Conſtat igitur ueteris Eccleſiæ morem fuiſſe, dare populo utranq; ſacramenti partem. Tantum conſuetudo non ita uetus adimit populo alteram partem. Non diſputabimus autem quid ſentiendum ſit de conſuetudine recepta contra autoritatem Apoſtolicæ ſcripturæ, contra Canones, contra exemplum ueteris Eccleſiæ, Intelligunt enim omnes pij, conſcientias de doctrina Chriſtiana uerbum Dei conſulere debere, nec approbandam eſſe conſuetudinem contra uerbũ Dei. Quanquam autem conſuetudo mutauerit in latina Eccleſia ueterem morem, tamen non improbat, aut prohibet, Nec uero humana autoritas prohibere ordinationem Chriſti & receptiſsimum uſum ueteris Eccleſiæ debet. Ideo nos non duximus prohibendum eſſe uſum integri Sacramenti. Et in ea ceremonia quæ debet eſſe fœdus mutuæ dilectionis in Eccleſia non uoluimus contra charitatem duri eſſe aliorum conſcientijs, qui maluerunt integro Sacramento uti, neq; ſeuiciam ea in re ullam exercendam eſſe putauimus. Sed quantum poſſumus, una cum ipſa ceremonia reſtituimus piam doctrinam de fructu ceremoniæ, ut intelligat populus quomodo Sacramentum propoſitum ſit, ad conſolandas conſcientias eorum qui agunt pœnitentiam. Hæc doctrina inuitat pios ad uſum & reuerentiam Sacramenti, Etenim non ſolum ceremonia mutilata fuit antea, Sed etiam neglecta præcipua doctrina de fructu. Et fortaſsis ceremoniæ mutilatio ſignificauit obſcuratum eſſe Euangelium de ſanguine Chriſti, hoc eſt, de beneficio mortis Chriſti. Nunc Dei beneficio, renouatur ac reſtituitur pura doctrina de fide, unà cum ceremonia.

DE CONFESSIONE.

HVic parti doctrinæ Chriſtianæ de pœnitentia, in primis magnas tenebras offuderunt Theologi & Canoniſtæ. Idq; teſtantur non ſolum ipſorum bibliothecæ, ſed etiam omnium piorum conſcientiæ, quæ fatentur illas inextricabiles

biles disputationes Theologorum, & traditiones infinitas de pœnitentia, horribilem carnificinam conscientiarum fuisse. Nusquam enim quidquam certi docent quomodo contingat remissio peccatorum, De fide prorsus est altissimum silentium. Imò iubent perpetuò dubitare de remissione peccatorum. Postea excruciant conscientias acerba enumeratione delictorum, Item satisfactionibus. Qualis enim laqueus conscientiæ fuit traditio, quę præcipit omnia peccata enumerare?

Satisfactiones uerò obscurauerunt beneficium Christi, quia etiam docti fingunt per eas compensari æternam mortem. Indocti putabant his operibus emi remissionem culpæ, Quid quòd plærumq; fuerint cultus non mandati ā Deo, βατΤολογίαι precum, inuocationes sanctorum, peregrinationes, & hoc genus alia, Ita fuit obruta ingenti aceruo inutilium ac malarum opinionum, simplex doctrina de pœnitentia. Et constat multis seculis bonos desideresse doctrinam puriorem.

Porrò præcipuè opus est in Ecclesia extare purissimam & simplicissimam de pœnitentia doctrinam. Ideo huic articulo maximè studuerunt nostri lumen afferre, quem quidem ita patefecerunt, atq; illustrarunt, ut etiam aduersarij saniores fateantur hac in re bene meritos esse de Ecclesia.

Nam simpliciter, planè, sine ulla Sophistica, proponimus Euangelij sententiam de pœnitentia, ut intelligant homines, quomodo ad Christum redire debeant, quomodo consequantur remissionem peccatorum, qui cultus, quæ opera placeant Deo. Primum docemus necessariam esse contritionem, hoc est, ueros terrores & dolores animi, qui agnoscit iram Dei, & dolet se peccasse, & desinit mala perpetrare. Etsi autem hi dolores necessarij sunt, tamen sciendum est remissionem peccatorum non dari propter dignitatem contritionis seu horum dolorum. Sed addenda est fides, hoc est, fiducia misericordię promissę propter Christum, & statuendum est gratis remitti peccata propter Christum.

Cum hac fide in terroribus illis erigimur, consequimur certò remissionem peccatorum, sicut supra ostendimus, Et hanc fidem concipiunt animi ex Euangelio, Item ex Absolutione, quæ Euangelium annunciat & applicat perterrefactis conscientijs. Ideoq; docent nostri retinendam esse in Ecclesijs priuatam Absolutionem, Et eius dignitatem, et potestatem clauium ueris & amplissimis laudibus ornant, quòd uidelicet potestas clauium administret Euangelium non solum in genere omnibus, sed etiam priuatim singulis, Sicut Christus inquit: Lucratus eris fratrem &c. Et quòd uoci illi Euangelij quod ministerio Ecclesiæ nobis in Absolutione administratur, credendum sit, tanquam uoci de cœlo sonanti.

Hoc totum beneficium Absolutionis & huius ministerij, antea fuit omnino obscuratum falsis opinionibus illorum, qui docuerunt absolutionem non ualere, nisi sufficienter contriti simus. Et postea iubebant dubitare de absolutione, quia nemo sciret se satis contritum esse. Quid fuit hoc aliud, quām Euangelij consolationem eripere conscientijs, & tollere ex Ecclesia ac prorsus abolere ministerium Euangelij, seu potestatem clauium? Quis non uidet hos tam pernicioſos errores, meritò reprehensos esse?

Cum autem Confessio præbeat locum impertiendæ absolutioni priuatim, & ritus ipse intellectum potestatis clauium, & remissionis peccatorum conseruet in populo, Præterea cum illud colloquium magnopere prosit, ad monendos &

dos & erudiendos homines, diligenter retinemus in Ecclesijs Cõfessionem, sed ita, ut doceamus enumerationem delictorum non esse necessariam iure diuino, nec onerandas esse conscientias illa enumeratione. Nullum enim extat in scripturis Apostolicis præceptum de hac enumeratione. Et omnium delictorum recitatio impossibilis est, iuxta illud Psalmi: Delicta quis intelligit? Item, Ieremias ait: Prauum est cor hominis & inscrutabile. Quod si nulla peccata, nisi recitata remitterentur, nunq; possent acquiescere conscientiæ, quia plurima peccata neq; uident, neq; meminisse possunt. Qua ex re facile intelligi potest, ministerium absolutionis, & remissionem non pendere ex conditione Enumerationis.

Testantur & ueteres scriptores non esse necessariam Enumerationem. Chrysostomus enim in Epistola ad Ebræos inquit: Persuadeamus nobis peccasse nos, nec id lingua tantum pronunciet, sed etiam intima conscientia, nec tantum dicamus nos esse peccatores, sed etiam peccata specialiter computemus. Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neq; te ut apud alios accuses, sed obedire te uolo Prophetæ. Reuela Domino uiam tuam, Coram Deo peccata tua confitere, Apud uerum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, nõ lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Hæc Chrysostomi concio, non solum docet, quid de Enumeratione sentiendũ sit, Sed etiam grauissimè coniungit contritionem & fidem, Sicut nos coniungimus, iubet primum ut peccata uerè agnoscamus, & ex animo detestemur, deinde docet addendam esse orationem ac fidem, quæ statuat nobis ignosci. Et alio in loco ait: Peccata tua dicito ut deleas. Si pudet dicere quod peccaueris, dicito quotidie in anima tua. Non dico ut confitearis ea seruo, ut exprobet. Dic Deo, ut curet ea.

Fatetur & glossa in Decretis de pœnitentia, distinctione quinta, Confessionem institutam esse ab Ecclesia, nec præcipi eam in scripturis ueteris aut noui Testamenti, Idem plerique doctores senserunt. Quare sententia nostra de Confessione neq; noua, neq; absurda est.

Postremò de satisfactionibus uel maxime opus fuit moneri pias mentes. Nam satisfactiones plus etiam incommodi habuerunt quàm illa Enumeratio. Obscurabant enim beneficium Christi, quia indocti putabant se remissionem culpæ consequi propter illa propria opera. Deinde si quid in his erat omissum, conscientiæ perturbabantur. Item deligebantur ceremoniæ, peregrinationes, & huius generis alia inutilia opera, non mandata diuinitus. Et his fingebant ipsi doctores compensari mortem æternam.

Itaq; duximus pias mentes liberandas esse his erroribus, et docemus satisfactiones, uidelicet canonicas illas, quas ipsi uocant opera indebita &c. nec ad remissionem culpæ, nec ad remissionem pœnæ æternæ prodesse, nec esse necessarias. Olim in Ecclesia mos fuit in publica pœnitentia, non recipere lapsos ad Ecclesiam redeũtes, nisi addita aliqua mulcta exempli causa. Ab illo more sunt ortæ satisfactiones. Sed ueteres illo exemplo uolebant populum ã peccando deterrere, non sentiebant ceremoniam illam esse compensationem culpæ uel æternæ mortis uel purgatorij, Hæc postea affinxerunt homines indocti.

Sed ueteres illi mores tempore consenuerunt, et antiquati sunt. Nos igitur nõ oneramus conscientias satisfactionibus, Sed illud docemus, fructus pœnitentiæ necessarios esse, obedientiam, timorem Dei, fidem, dilectionem, castitatem, & uniuersam nouitatem spiritus debere in nobis crescere.

Monemus & illud, sępē puniri peccata etiam temporalibus pœnis in hac uita, ut Dauid, Manasse, & alij multi puniti sunt. Et has pœnas mitigari docemus bonis operibus, & uniuersa pœnitentia, Sicut docet Paulus, Si nos ipsos iudicaremus, non iudicaremur à Domino. Et pœnitentia meruit ut Deus sententiam de delenda Niniue mutaret.

Ita, cum antea disputationes de pœnitentia fuerint inextricabiles, & plenæ absurdarum opinionum, nunc repurgata doctrina ita traditur populo, ut intelligi possit, & prosit ad pietatem. Retinemus & illustramus ueras pœnitentiæ partes, Contritionem, Fidem, Absolutionem, Remissionem peccatorum, Emendationem totius uitæ, mitigationem præsentium pœnarum.

Ac speramus bonos uiros in hoc loco non solum nihil reprehendere, sed etiam gratiam habere his qui repurgarunt hanc doctrinæ Christianæ partem, quam prodest in Ecclesijs extare quām planissimē explicatam atcp illustratam. Christus inquit Angelos in cœlo lætari, cum uident resipiscere peccatorem. Itacp gratulantur Ecclesiæ, & ipsi Angeli puram de pœnitentia doctrinam.

DE DISCRIMINE CIBORVM ET SIMILIbus traditionibus Pontificys.

IN hac corporali uita opus est traditionibus, hoc est, locorum ac temporum discriminibus, ut ordine gerantur res in Ecclesia, sicut præcipit Paulus, ut omnia fiant ordine, & ita, ut deceant. Ideo & Ecclesia habet traditiones, hoc est, constituit quibus temporibus, ubi conuenire populus debeat. Ad hunc ciuilem finem licet condere traditiones. Sed homines imperiti doctrinæ Christianæ non sunt hoc fine cōtenti, sed affingunt superstitiosas opiniones traditionibus, eascp per superstitionem sine modo cumulant. Id questi sunt accidisse in Ecclesia, non tantum recentiores Gerson & alij quidam, Sed Augustinus etiam:

Quare necesse est populum admonere quid de traditionibus, quæ humana autoritate conditæ sunt in Ecclesia, sentiendum sit, Necp enim nihil causæ est, cur Christus & Paulus toties de traditionibus concionentur, & Ecclesiam admoneant, ut prudenter de traditionibus iudicet.

Fuit aūt persuasio publica non modo uulgi, sed etiam docentium in Ecclesijs, discrimina ciborum & similia opera de quibus Ecclesiasticæ traditiones præcipiunt, cultus esse Dei, qui mereantur remissionem peccatorum. Item tales cultus esse iusticiam Christianam, & necessarios esse, sicut in ueteri Testamento Leuiticæ ceremonię necessariæ fuerunt, nec posse sine peccato omitti, etiam extra scandali casum. Hæ persuasiones multa pepererunt incommoda.

Primum, obscurata est Euangelij propria doctrina, quæ docet gratis remitti peccata propter Christum. Hoc beneficium Christi translatum est in illa humana opera. Ac propter hanc opinionem præcipuæ auctæ sunt traditiones, quia existimabantur opera illa mereri remissionem peccatorum, esse satisfactiones, esse iusticia Christiana. Porrō maximē ob hanc causam, tam crebro, tam seuere admonet nos Paulus de traditionibus cauendis, ne beneficium Christi transferretur in traditiones, ne gloria Christi obscuraretur, ne conscientijs eriperentur ueræ & firmæ consolationes, Denicp ne fides, hoc est, fiducia misericordiæ Christi obrueretur. Hæc pericula caueri Paulus uoluit, Maximè enim opus est extare in Ecclesia puram doctrinam de beneficio Christi, de iusticia fidei, de consolatione conscientiarum.

Secundo. Hæ traditiones obscurauerunt præcepta Dei, quia hęc pædagogia ex-

gia existimabatur esse spiritualis & Christiana iusticia,Item præferebantur humanæ traditiones præceptis Dei.Christianismus totus putabatur esse obseruatio certarum feriarum,rituũ,ieiuniorum,uestitus, Hęc πτῶχα στοιχεῖα erant in professione honestissimi tituli, ꝙ essent uita spiritualis,Item perfectio Christiana. Interim mandata Dei de uocatione,nullam laudem habebant. Quõd Paterfamilias educabat sobolem, quod Mater pariebat,ꝙ Princeps regebat rempublicam,hæc opera despiciebantur,non iudicabantur esse cultus Dei,Versabantur in perpetua dubitatione mentes plurimorum,an coniugium, magistratus & similes uitæ ciuilis functiones,Deo placerent. Hæc dubitatio multos ualde cruciauit, Multi deserta sua uocatione, deserta republica abdiderunt se in Monasteria, ut uitæ genus quærerent, quod arbitrabantur Deo magis placere, imõ quod arbitrabantur mereri remissionem peccatorum.

Tertio,Opinio necessitatis,etiam duriter exercuit conscientias.Traditiones existimabantur esse necessariȩ,Et tamen nemo,quamlibet diligens,obseruabat omnes,prȩsertim cum sint innumerabiles.Gerson scribit multos incidisse in desperationem, quosdam etiam mortem sibi consciuisse, quia animaduerterant se non posse satisfacere traditionibus. Et interim nullam consolationem de gratia,de iusticia fidei audierant. Videmus Summistas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας ut leuent conscientias, Sed ne ipsi quidem sibi satisfaciunt,non possunt se satis extricare,interdũ etiam illæ ipsæ interpretationes iniȷciunt laqueos conscientiȷs, Et in traditionibus colligendis, ita fuerunt occupatæ Scholæ, & conciones,ut non uacauerit attingere scripturam, & quærere utiliorem doctrinam de fide,de cruce,de spe,de dignitate rerum ciuilium, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaqꝫ multi boni uiri sæpe questi sunt se his rixis traditionum impediri,quo minus libere uersari in meliore doctrinæ genere possent. Cum igitur huiusmodi superstitiosæ opiniones hærerent in traditionibus, necesse fuit admonere Ecclesias, quid de traditionibus sentiendum sit, errore pias mentes liberare, mederi pauidis conscientiȷs, & illustrare beneficium Christi. Non hoc agimus, ut labefactetur autoritas Ecclesiasticæ potestatis, non detrahimus de dignitate Episcoporum, non dissipamus ἐυταξίαν Ecclesiæ. Rectè intellectæ traditiones magis amantur:Sed illæ Iudaicæ opiniones tantum reprehenduntur.Sic igitur docemus de ceremoniȷs, humana autoritate conditis in Ecclesia. Primum de traditionibus quæ pugnant cum mandatis Dei, aut non possunt obseruari sine peccato, Sequenda est regula Apostolorum: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus,Talis est traditio de cœlibatu. Deinde de reliquis ceremoniȷs quæ sunt sua natura res mediæ seu indifferentes, ut ieiunia, feriæ, discrimina uestitus,& similes,sciendum est,tales obseruationes nec mereri remissionem peccatorum,nec iusticiam nec perfectionem Christianam esse, Sed res esse adiaphoras, quæ extra scandali casum omitti possunt.

Testimonia huius sententiæ plana & clara sunt in Euangelio & disputationibus Pauli, Nam Spiritus sanctus duxit operæprecium esse, ut diligenter de hac re moneret Ecclesiã, ne superstitiosis opinionib. obrueretur Euangeliũ.

Rom.14.Regnum Dei non est esca aut potus, Sed iusticia,pax & gaudium in Spiritu sancto. Hic satis clarẽ docet Paulus,iusticiam Christianam esse motus spirituales cordis, non esse externas obseruationes ciborum,dierum etc.

Coloss.2. Nemo iudicet uos in cibo, potu, aut parte diei festi,Vetat iudi-

cari conſcientias,hoc eſt,condemnari cõſcientias in uſu talium rerum, ſed prorſus uult haberi pro rebus indifferentibus, et quæ nõ pertinent ad iuſticiam Euangelij. Et deinde longa & grauis concio eſt, & de Moſaicis ritibus & de ceremonijs inſtitutis humana autoritate, Loquitur enim Paulus de utroq; genere nominatim. Negat eas eſſe iuſticiam Chriſtianam,& uetat conſcientias onerare talibus traditionibus, Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi,quare tanq; uiuentes in mũdo,decreta facitis,Ne attingas,Ne guſtes, Ne cõtrectes.

Matth.15.Omne quod intrat in os,non coinquinat hominem.Et quidem ibi excuſat Apoſtolos uiolantes uſitatam traditionem,et addit ſententiam memorabilem : Fruſtra colunt me mandatis hominum. Negat eſſe ueros & utiles cultus ad iuſticiam coram Deo,quare non ſunt iuſticia Chriſtiana, nec ſunt neceſſarij cultus. Atqui conſtat in Eccleſia humanos cultus mirum in modum hactenus creuiſſe. Quotidie cumulabant Monachi ceremonias, nouis & ſuperſtitionibus & aucupijs.Et hæ nugæ putabantur eſſe prȩcipui cultus Dei, prȩcipua pietas, cum Chriſtus tam graui oraculo uetet humanas ceremonias haberi pro cultibus. Non enim prohibet condere traditiones ad finem politicum, hoc eſt, propter bonum ordinem, ſed cultus eſſe negat, cum ait : Fruſtra colunt me. Et docet ueros cultus eſſe opera diuinitus præcepta, timorem, fidem, dilectionem,patientiam,caſtitatem,parere uocationi, facere officium &c.

Act.15.ait Petrus: Quare tentatis Deum,imponentes iugum, ſuper ceruices diſcipulorum,q; neq; nos, neq; patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Hic docet Petrus contingere nobis remiſsionem peccatorum & ſalutem propter Chriſtum,non propter Moſaicos aut ſimiles ritus. Et admonet grauiſsimẽ peccare illos, qui conſcientias onerant talibus obſeruationibus. Nec enim leuis eſt reprehenſio,cum inquit, Quid tentatis Deum?

Et.1.Timoth.4.uocat prohibitionem ciborum,coniugij,& ſimiles traditiones ,doctrinas dæmoniorum. Quare autem tam atroci conuicio uſus eſt? Non uoluit nullas prorſus fieri ordinationes,nulla ſeruari diſcrimina locorum, temporum. Sed tunc ſentit eſſe doctrinas dæmoniorum, quando in eas transfertur beneficium Chriſti, quando habentur pro iuſticia, item pro neceſſarijs cultibus,quando affingitur opinio neceſsitatis,& cruciantur conſcientiæ,& excutitur eis fides. Hæc incommoda uolunt caueri Chriſtus & Apoſtoli. Ideoq; toties tam uehementer aduerſus traditiones concionantur. Ac mirum eſt illis fulminib.nihil moueri eos,qui ſuperſtitioſas opiniones traditionum defendũt.

Cȩterum docemus non eſſe damnandas traditiones quæ nihil prȩcipiunt contra mandata Dei et habent finem politicum, uidelicet, quæ ad hoc conditæ ſunt,ut ordine res in Eccleſia gerantur cuiuſmodi ſunt tradititiones de ferijs,die Dominico,Natali,Paſcate & reliquis, item de ſacris lectionibus & ſimiles. Et huius generis ueteres ritus libenter retinemus in noſtris Eccleſijs.Et tamen admonetur populus ut ſciat, quid de talibus moribus ſentiendum ſit, uidelicet, quod non mereantur remiſsionem peccatorum, quod non ſint iuſticia Chriſtiana,nec cultus neceſſarij ad iuſticiam Chriſtianam, ſed res indifferentes, quas extra ſcandali caſum liceat omittere. Hæc ἐπιείκεια traditionum liberat conſcientias à ſuperſtitioſis opinionibus & ab illa ueteri carnificina. Et tamen egregiam commendationem affert traditionibus, quia uerum uſum earum oſtendit. Omnes moderati homines libentius parent traditionibus,

tionibus,postquam intelligunt priuatim conscientias periculo liberatas esse,et eatenus parendum esse,ne perturbetur communis tranquillitas, neue imbecilles lædantur. Deinde munit & conseruat hæc interpretatio publicos mores ac disciplinam, quia iubet cauerí scandala. Ad exemplum pertinet & ad assuefaciendam adolescentiam & uulgus,conseruare publicas ferias,cœtus in templis, lectiones &c. Ideo huiusmodi ordinationes non sunt dissipandæ, sed potius communi studio adiuuandæ.Hæ sunt ueræ & honestę laudes traditionum,quę omnes pios & moderatos,haud dubiè,maximè inuitant ad amandos, tuendos, & ornandos publicos mores, Euangelium docet reuerenter sentire, non solum de alijs ciuilibus legibus ac moribus,sed etiam de Ecclesiasticis, & uerum usum harum monstrat. Sed gradus tamen constituit, & discerni uult doctrinam de Christo & rebus cœlestibus ac æternis, à pædagogia Ecclesiastica. Hæc libertas,de qua hic dicimus,non fuit ignota patribus,Augustinus enim inquit: Totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes, Et in hanc sententiam multa disputat.Irenæus inquit: Dissonantia ieiunij non dissoluit fidei consonantiam. Tripartita historia multa colligit exempla dissimilium rituũ,& addit egregium Epiphonema: Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conseruationem & pietatem.Sed nihil opus est in re manifesta colligere multa testimonia. Verum hic uociferantur aduersarij, labefactari hac doctrina disciplinam publicam, effici ἀναρχίαν, Item aboleri bona opera & mortificationem carnis,iuxta louiniani dogma. Has calumnias partim iam refutauimus.Non enim fit ἀναρχία,nec labefactatur publica disciplina, cum traditiones quarum finis est politicus, seruandas esse doceamus, doceamus & scandala cauenda esse. Sed de mortificatione carnis sic respondemus, Vera & non simulata mortificatio est tolerare crucem, uersari in periculis,ęrũnis,& afflictionibus. Huius generis obedientia est cultus Dei & opus spirituale, sicut docet Psalmus,Sacrificium Deo Spiritus contribulatus etc.Docemus præterea aliud genus exercitiorum necessarium esse.Quilibet Christianus etiam corporali disciplina,laboribus,temperantia, meditatione diuinarum rerum, & alijs exercitijs aptis ętati,cohercere carnem debet, Horum finis proprius ac proximus esse debet, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, & ut mens admoneatur,& fiat aptior ad affectus spirituales.Non est sentiendum hæc exercitia cultus esse qui mereantur remissionem,aut satisfactiones esse &c. Et hæc disciplina debet esse perpetua, nec possunt præscribi certi dies pariter omnibus. De hac disciplina inquit Christus: Cauete ne corpora uestra grauentur crapula. Item,Hoc genus dæmoniorum non ejcitur nisi ieiunio & oratione. Et Paulus ait: Castigo corpus meum & redigo in seruitutem.Itaq; non uituperamus ieiunia, Sed superstitiosas opiniones, & laqueos conscientiarum in traditionibus. Porrõ hæc exercitia, cũ ad illum finem referuntur, ut habeamus corpora obnoxia ad res spirituales, & ad faciendum officium iuxta uocationem &c. sunt in pijs bona & meritoria opera,ut testatur Danielis exemplum. Sunt enim opera quæ ad hunc finem requirit Deus,ut carnem coherceant.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

CVm doctrina Christiana honorificè prædicet coniugium, eoq; uti iubeat, non solũ procreationis causa,Sed etiam ad frenandas,uitandasq; libidines, nũc non solũ pontificia lege, sed etiam noua atq; inusitata sæuitia,prohibentur con-

coniugia ſacerdotibus & contracta dirimuntur. Idq; hoc eſt indignius, quod hæc in Eccleſia fiunt, quæ ut maximè debet abhorrere à turpitudine, Ita coniugium ad uitanda multa ingentia flagitia, ſummo ſtudio tueri debebat. Ad hæc cum in omnibus Ethnicis rebus publicis mediocriter conſtitutis, propter graues ſimas cauſas, couiugium in magno honore fuerit, quid minus decet in Eccleſia, quàm & ſanctiſsimum fœdus coniugij diſtrahere, aut capitalibus pœnis, uelut ſummum ſcelus, punire coniugium? unde hæc in Eccleſiam, in qua debet excellere mutua dilectio, peruaſit immanitas? Porrò res loquitur ipſa, quantum turpitudinis, ac ſcelerum, pariat pontificia lex, de cœlibatu, Nec ulla humana uoce dici poteſt, quantum uiciorum ex hoc fonte in Eccleſiam exundauerit. Nam ut non dicamus de Epicuræis, quos nihil pudet, quam multi pij ac boni uiri infeliciter luctati ſunt cum imbecillitate naturæ, & ad extremum in horribilem deſperationem inciderunt. Quo ſpectat autem hæc noua crudelitas, niſi ut illa infinita ſcelera in Eccleſia confirmentur, & ut improbi peccent impunitius? Hæc cauſa nihil opus habet diſputatione. Nam hæc noua lex, quæ nunc defenditur ab aduerſarijs, quæ & prohibet ſacerdotibus coniugia, & contracta diſtrahit, pugnat cum iure naturali, diuino, cum Euangelio, cum ueterum Synodorum conſtitutionibus, cum exemplis ueteris Eccleſiæ. Tantum opus eſt nobis pietate & æquitate optimi Imperatoris, quem oramus, ut pro ſua pietate, & pro ſuo officio, abolita tyrannica lege, mederi Eccleſiæ ſtudeat. Cum omnis iniuſta crudelitas Deo diſplicet, tum illa maximè quæ exercetur in ſacerdotes pios & eruditos, qui bene merentur de Eccleſia. Ac non ſolum diuina oracula, minantur atrociſsimas pœnas, his qui crudelitatem exercent aduerſus ſacerdotes, ſed exempla etiam extant, omnium ætatum, quæ comprobant illas minas non eſſe irritas. Nam ut alia innumerabilia exempla omittamus, Gens Beniamin ferè tota deleta eſt, propter ſtupratam hoſpitis Sacerdotis cõiugem. Cum enim cadauer mulierculæ, quæ uexata ſtupris, extincta erat, diſſectum, miſſum eſſet ad Principes Iſraël, iudicauit uniuerſus populus tantam immanitatem ſeueriſsimè puniendam eſſe. Cumq; non dederentur ad pœnam autores facinoris, tota gens Beniamin magna clade accepta pœnas dedit. At hoc tempore multiplici iniuria afficiuntur Sacerdotes, Ipſi cum quidem nullum eis crimen obijciatur, niſi coniugium, excruciati horribilibus ſupplicijs necantur, miſerę coniuges & parui liberi eiecti ſuis nidulis, uagantur extorres, ſine certa ſede, ſine tecto, ſine lare, Paulus uocat prohibitionem coniugij, doctrinam dęmoniorum. Id teſtantur non ſolum turpiſsima uicia, quæ cœlibatus inuexit in Eccleſiam, Sed etiam hæc ipſa aſperitas, quæ propter hanc legem exercetur in Sacerdotes, & eorum coniuges ac liberos. Nam diabolus homicida eſt, & piorum calamitatibus præcipuè delectatur. Sed olim Deo pœnas daturi ſunt, talium conſiliorum autores. Nos hanc ſæuiciam neq; dignam Chriſtianis, neq; utilem Eccleſiæ eſſe iudicauimus.

Quod uerò obijcitur autoritas legis Pontificiæ, cur non allegant autoritatem Canonum aduerſus turpia exempla impuri cœlibatus, & ſcelera digna animaduerſione. Nulla debet eſſe autoritas Pontificij decreti, pugnantis cum iure naturæ, & cum mandato diuino, Natura homines ita conditi ſunt, ut ſint fœcundi, quare luriſconſulti dicunt, coniunctionem maris & fœminæ eſſe iuris naturæ? Idq; docet Geneſis, capite primo & ſecundo. Deinde cum Paulus inquit: Vnuſquiſq; habeat uxorem, ad uitandam fornicationem. Certe præci-

pit om-

pit omnibus, qui non ſunt idonei ad cœlibatum, ut contrahant coniugia. Et Chriſtus monet, non omnes idoneos eſſe ad cœlibatum, cum ait: Non omnes capiunt uerbum hoc.

Porrò, nec leges humanæ, nec uota ualent pugnantia cum mandato diuino, Et euentus ipſe teſtatur, naturam legibus humanis non poſſe mutari. Videmus quantum turpitudinis pariat ille cœlibatus. Ac ſi qui ſunt uiri boni, qui ſtudent eſſe caſti, hi intelligunt oneris & periculi magnitudinem, & præcipuè deplorant hanc ſui ordinis ſeruitutem. In Nicena Synodo, quidam conati ſunt legem ferre, ut Sacerdotibus interdiceretur conſuetudine coniugum. Repudiata eſt hæc lex ab uniuerſa Synodo. Et fuit quondam mitior Latina Eccleſia, Tantum enim dimittebat à miniſterijs eos, qui cum gererent munus Eccleſiaſticum, ducebant uxores, non prohibuit coniugium. Hæc noua lex eſt Pontificum, ignota ueteri Eccleſiæ ac Synodis, quæ in totum prohibet coniugia & diſtrahit.

Conſtat autem utranq; partem huius decreti pugnare cum Euangelio. Allegatur contra nos Eccleſiæ & Synodorum autoritas, quam Pontifices ipſi huius decreti autores impudenter contempſerunt. Nec obſcurè reclamauerunt pij Sacerdotes, huic nouæ legi. Nam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtantur, eam non ſine acerrimis certaminibus impoſitam eſſe Eccleſijs. Tarraconenſis Epiſcopus ſcribit ad Syricium Pontificem, Sacerdotes Hiſpanos non poſſe adduci, ut legem accipiant, qua interdicebatur eis conſuetudine uxorum, Quas ibi tragœdias agit Syricius, quàm inclementer reſcribit?

Hæc enim ſunt Syricij uerba, indigna pontifice. Dicat mihi nũc ille, quiſquis eſt, Sectator libidinum, præceptorq; uiciorum, Et deinde Pauli dictũ alieniſsimũ detorquet ad ſuam cauſam, qui in carne ſunt, placere Deo non poſſunt. Dubium profecto eſt, utrum inſcitiæ, an impudentiæ adſcribendum ſit, quod tam contumelioſe loquitur de coniugio. Nihil enim agebatur aliud, niſi ut interdiceretur Sacerdotibus uſu coniugum, quas tunc habebant. Deinde poſteriores Pontifices, multo etiam duriores fuerunt, cum decretum Pontificium de abijciendis uxoribus, in Germania recitaret Synodo Archiepiſcopus Moguntinus, Ita exarſerũt ira Sacerdotes, ut minarentur ſe impetum facturos in ipſum Archiepiſcopum. Et erat res cum indigna, tum acerba abijcere præſentes coniuges, ſed uicit tandem, uel uis uel ſuperſtitio, Quanto mitior fuit Cyprianus mulieribus, quæ non ſeruabant promiſſam caſtitatem. Scribit enim lib. primo Epiſtola undecima: Si perſeuerare nolunt aut non poſſunt, melius eſt, ut nubant quàm ut in ignem delicijs ſuis cadant, certe nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum prębeant.

Porrò iniuſtæ leges non ſolent eſſe perpetuæ, Rogamus igitur optimum Imperatorem, ut inter cætera Eccleſiæ incommoda etiam huius legis uicia conſideret, qua in re & illud conſiderandum eſt. Natura ipſa hominum uelut ſeneſcit & fit imbecillior. Quare prouidendum eſt, ne uicia creſcant. Nec debent leges ipſę ſemina eſſe uiciorum, Plato grauiſsimè dicit, leges uirtutis cauſa ferendas eſſe. An autem traditio de cœlibatu pietatis cauſa propugnetur, aut alio quodam conſilio, non difficile eſt iudicare. Poſtremò, cum Chriſtus præcipuè cõmendauerit pijs curam miniſtrorũ Euangelij, rogamus, ut optimus Imperator, fæuiciam prohibeat, quę diu iam in homines pios, Sacerdotes exercetur, ac cum Eccleſia potius deliberet, quàm cum aduerſarijs noſtris. Debent in Eccle-

ſia ex-

sia excellere dilectio & misericordia. Quare maximè abhorret uera Ecclesia, ā crudelitate nō necessaria, nec uult interfici Sacerdotes propter tyrannicā traditionē, Parci etiam uult miseris mulieribus, ac liberis sacerdotum. Horum omniū uitam ac salutem, Ecclesia tibi clementissime Imperator cōmendat, Omnes pij ubiq; terrarum afficiuntur horum calamitatibus, & taciti desiderant Christianam lenitatem in hoc negocio, tibiq; communibus lachrymis doctos & bonos uiros, Ecclesiæ utiles, & horum coniuges ac liberos commendant, quem uident & natura præditum esse eximia quadam & heroica bonitate, & in hac causa hactenus singulari usum esse moderatione, quæ quidem significat te de repub. ritè sananda deliberare. Non uult Ecclesia, te alienæ crudelitatis ministrum fieri. Maximus honor est Regum, quem tribuit eis Esaias, cum inquit eos debere Ecclesiæ nutritios esse, hoc est imperia, defensionem pacis, & humanæ societatis, non solum corporali utilitati seruire, sed etiam adiuuare Euangelium, cū uidelicet & tegunt Sacerdotes, & tranquillitatem ciuitatibus concedunt, ut institui ad religionem iuuentus, & doceri homines possint. Rogat igitur Ecclesia, ut memineris tibi pios Sacerdotes, tanquam alumnos tuendos esse. Tuum munus est, innocentiæ præsidio esse, depellere iniurias, præcipue ab imbecillibus, qui se tueri non possunt ipsi, ā pijs mulieribus, ā puericia, ab orphanis. In his etiam Sacerdotum coniuges & liberos, qui uerē sunt orphani, tibi commissos esse diuinitus existimes.

Ecclesia uel maximè φιλόσοργος est, & non modo coniugum inter se charitatem, parentum erga liberos amorem, probat, sed afficitur etiam ipsa desertorum atq; orphanorum ærumnis. Ac uero in tanta bonitate naturæ tuæ nihil esse ἄσοργον iudicat, quare sperat tibi quoq; dolorem afferre, Sacerdotū neces ac supplicia, coniugū et liberorū exilia. Monet illud etiā Ecclesia, ut prouideas, ne plæriq; doctrinæ Christianę loci, quorum necessaria est explicatio, simul opprimantur, dum piē eruditi interficiuntur, dum excutiuntur hominibus studia doctrinæ Christianæ. Quid agunt aduersarij aliud, nisi ut deletis omnibus literis & oppressa doctrina, tantum pendeant homines ex autoritate illorum, qui dominantur, somnia indoctorum quamlibet impia, quamlibet absurda, ducant esse oracula. Hanc barbaricam seruitutem existimant aduersarij prodesse dominationi suæ, Nec obscure multis in locis iam hac seruitute iacet oppressa Ecclesia. Etsi autem non est concedenda licentia, conuellendi sententias uera autoritate receptas, nec discedendum est, uel ā scripturis, uel ā decretis ueterum Synodorum, in quibus pronunciarunt de doctrina Christiana, tamen nō decet autoritatem Ecclesiæ prætexere omnibus abusibus ac uicijs, quæ recentior ac deterior ætas in Ecclesiam inuexit. Nimium autem blandiuntur sibi homines, si nihil uicij deriuatum esse putant in Ecclesiam, ex affectibus hominum cupidorum, ex illis labyrinthis & tenebris doctrinæ scholasticæ & traditionum. Neq; uerō tam propter coniugium periclitantur hoc tempore boni uiri, quām propter studium repurgandæ & illustrandæ doctrinæ Christianæ, quod regere ac iuuare Episcopi debebant, Nam his præcipuè commendata est cura ornandæ & defendendæ doctrinæ, hi debent esse huius sanctissimi & utilissimi studij gubernatores & hortatores.

Sed non ad solos Episcopos, uerum etiam ad pios Principes ac maximè ad Imperatorem pertinet, pure intelligere Euangelium, dijudicare dogmata, aduigilare, ne impiæ opiniones recipiantur a ut confirmentur, Idolatriam omni

studio

ſtudio abolere. His officijs præclare meriti ſunt, de pijs multi magni Heroes, Gedeon, Ezechias, Ioſias, Conſtantinus & pleriq; alij. Quare exiſtimabis & tui officij eſſe, cauere ne obruantur ea quæ piè & utiliter patefacta & emendata ſunt, à bonis & doctis uiris, ne impij abuſus autoritate tua ſtabiliantur. Pſalmus inquit: Propter templum tuum in Ieruſalem, reges offerent tibi munera.

Sunt autem propria Regum munera in Eccleſiam conferenda, inquirere ueram doctrinam, & curare, ut boni doctores præficiantur Eccleſijs, dare operam, ut rite dijudicentur Eccleſiaſticæ controuerſiæ, non delere piam doctrinam, ſed excitare potius ac propagare, & defendere, concordiam Eccleſiæ rectè conſtituere & tueri. His ueris muneribus, potes nunc optime Imperator ornare Chriſti Eccleſiam, quæ quidem à te præcipuè & Chriſtus requirit ipſe, & petunt Eccleſiæ horribilibus modis laceratæ. Poſtremò cum humanæ traditiones cedere debeant temporibus, maximè in Eccleſia, in qua longè pluris fieri debent, ſalus piorum, dilectio, & pax publica, quàm ullæ traditiones humanæ, multo ſatius eſt diſſimulare abrogationem huius traditiunculæ de cœlibatu, quàm confirmare libidines, diſſipare coniugia, ſuſcipere ſæuitiam in Sacerdotes, & eorum coniuges ac liberos, opprimere piam doctrinam, uaſtitatem efficere in Eccleſijs.

Hanc igitur coniugij cauſam, quoniam nihil habet obſcuri, pietati & bonitati tuæ Imperator commendamus. Nam iniuſtam legem abolere gubernatores & poſſunt & debent. Et leges de cœlibatu ſeu ueteres, ſeu nouæ, tantum ſunt humani iuris, in quo mitigando plurimum autoritas Eccleſiæ ualere debet.

Quàm multa poſſemus exempla commemorare ex omnium temporum ac gentium hiſtorijs, in quibus cernuntur horrenda exempla pœnarum quæ libidines ſecutæ ſunt. Inter cauſas diluuij fit mentio libidinum, poſtea quinq; urbes hiatu terræ ita abſorptæ ſunt, ut monumentū pœnæ æternū, lacus Aſphaltites manſerit. Cum Iſraëlitæ diſceſsiſſent ex Aegypto, & multi ſe conſuetudine mulierum Moabiticarum polluiſſent, duodecim Principes Tribuum ſuſpenſi ſunt, & trucidata uiginti quatuor millia hominum. Fūditus poſtea deleti Cananęi, et nominatim inter cauſas, recenſentur inceſti concubitus. Aliquanto poſt ſecuta eſt clades Beniamin propter ſtupratam Leuitæ coniugem. Deinde Dauid eiectus regno propter adulterium. Aliquoties & Ieremias hæc tria, Idolorum cultus, tyrannides & adulteria, cauſas eſſe clamitat ingentium calamitatum quæ oppreſſerunt uniuerſam gentem Iudęorum, cum in Babylonem captiua abduceretur.

Hæc eo ſcripta ſunt, ut ſtatuamus Deum uerè iraſci uagis libidinibus & impuros ac inceſtos non caſu in pœnas ruere, ſed puniri diuinitus. Ergo etiam Ethnicarum ciuitatum excidia nos de ira Dei aduerſus hæc ſcelera admonent. Euerſa eſt Sibaris, Athenæ, Sparta, Thebæ colliſæ bellis ciuilibus pœnas impudicitiæ dederunt, Et Roma cum tot Nerones & Heliogabalos habuiſſet, tandem concidit, undiq; dilacerato Imperio, armis Barbaricarum gentium plurimarum. Longus Catalogus eſt & apud Ariſtotelem, ciuitatum, in quibus mutationes politiarum & ſeditiones propter libidines extiterunt. Præter has pœnas admonet Eccleſiam Paulus, accedere aliam pœnam, uidelicet, amentiam ſeu furorem, ut Rom. 1. & ad Epheſ. 4. capite ſcribitur. Ac fortaſſe iam gubernatores Eccleſiaſticos hæc pœna oppreſſit, qui magna ex parte palam ſunt Epi-

curæi, palam defendunt Idola propter opes & autoritatem, rident dicta cœlestia, quæ minantur pœnas Idolorum cultoribus, impudicis, parricidis. Omnia honeste fieri ā se prædicant regni causa, hos esse bonos ciues, amantes tranquillitatis, qui ut regni Pontificij maiestatem tueantur, comprobant errores & manifesta flagicia. Tota rerum natura testis est esse Deum, & punire turpitudines & tyrannides. Quare etiamsi nunc rident has conciones, tamen sciant se aliquando hæsuros in pœnis, ad quas ab ipsa etiam rerum natura deposcuntur.

Cum igitur constet Legem de cœlibatu pugnare cum mandato Dei, sentimus recte facere sacerdotes & alios, qui honesta coniugia contrahunt, sicut Paulus inquit, eligendum esse unius uxoris uirum. Sentimus & gubernatores posse ac debere legem Pontificiam abolere. Errant enim qui putant aut iure diuino prohiberi coniugium sacerdotibus, aut posse legem talem ā Regibus aut Episcopis ferri, prohibentem coniugium. Ac si nolint Ecclesiæ mederi gubernatores, tamen recte faciunt pij qui sequuntur regulam Apostolicam, quæ ait, Deo magis parendum esse quàm hominibus.

Deniq; cum legis Pontificiæ defensio multa peccata coniuncta habeat, confirmationem uagarum libidinum, superstitiones & neces piorum sacerdotum, manifestum est nostras Ecclesias rectè facere, quod legem illam Pontificiam abolent ac damnant. Rogamus etiam Inclytum Imperatorem, ne se defensione impuri cœlibatus, & cæde Sacerdotum polluat. Scriptum est enim: Beatus qui miseretur egeni & pauperis, In die mala liberabit eum Dominus.

DE VOTIS MONACHORVM.

QVid de uotis Monachorum apud nos doceatur, melius intelliget si quis meminerit qualis status fuerit Monasteriorum, quām multa cōtra Canones in ipsis Monasterijs quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia, postea corrupta disciplina, ubiq; addita sunt uota, ut tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur, Additæ sunt paulatim supra uota aliæ multæ obseruationes. Et hæc uincula multis ante iustam ætatem contra Canones iniecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc uitæ genus, quibus etiamsi non deerant anni, tamen iudicium de suis uiribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiamsi quidem beneficio Canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in Monasterijs uirginum quām Monachorum, cum sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis uiris ante hæc tempora, qui uidebant puellas & adolescentes in Monasteria detrudi propter uictum, uidebant quàm infeliciter succederet hoc consilium, quæ scandala pareret, quos laqueos conscientijs iniiceret. Dolebant autoritatem Canonum in re periculosissima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala, accedebat talis persuasio de uotis, quam constat etiam olim displicuisse ipsis Monachis, si qui paulò cordatiores fuerunt, docebant uota paria esse baptismo, docebant se hoc uitæ genere mereri remissionem peccatorum, & iustificationem coram Deo. Imò addebant uitam Monasticam non tantum iusticiam mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia seruaret non modo præcepta sed etiam consilia Euangelica.

Ita persuadebant Monasticam professionem longe meliorem esse Baptismo, uitam Monasticam plus mereri quām uitam Magistratuum, uitam pastorum

rum & similium, qui in mandatis Dei sine factitijs religionibus suæ uocationi seruiunt. Nihil horum negari potest, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in Monasterijs? Olim erant scholæ sacrarum literarum & aliarum disciplinarum, quæ sunt utiles Ecclesiæ, & sumebantur inde pastores, & Episcopi. Nunc alia res est, nihil opus est recitare nota. Olim ad discendum conueniebant, nunc fingunt institutum esse uitæ genus ad promerendam remissionem peccatorum & iustificationem, Imò prædicant esse statum perfectionis & longè præferunt omnibus alijs uitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideo recitauimus, nihil odiose exaggerantes, ut melius intelligi posset de hac re, doctrina nostrorum. Primum de his qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quod liceat omnibus qui non sunt idonei ad cœlibatum, contrahere matrimonium, quia uota non possunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei. Propter fornicationem habeat unusquisq; uxorem suam. Neq; mandatum solum, sed etiam creatio & ordinatio Dei, cogit hos ad coniugium, qui sine singulari Dei opere non sunt excepti, iuxta illud: Non est bonum hominem esse solum. Igitur non peccant isti qui obtemperant huic mandato & ordinationi Dei.

Quid potest contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem uoti quantum uolet, tamen non poterit efficere, ut uotum tollat mandatum Dei. Canones docent in omni uoto, ius superioris excipi, quare multo minus hæc uota contra mandata Dei ualent. Quod si obligatio uotorum, nullas haberet causas cur mutari possit, nec Romani Pontifices dispensassent. Neq; enim licet homini obligationem quæ simpliciter est iuris diuini rescindere. Sed prudenter iudicauerunt Romani Pontifices æquitatem in hac obligatione adhibendam esse, Ideo sæpe de uotis dispensasse leguntur. Nota est historia de Rege Arragonum reuocato ex Monasterio, & extant exempla nostri temporis.

Deinde, cur obligationem exaggerant aduersarij seu effectum uoti, cum interim de ipsa uoti natura sileant, quod debet esse in re possibili, quod debet esse uoluntarium, sponte & consulto conceptum. At quomodo sit in potestate hominis perpetua castitas, non est ignotum. Et quotusquisque sponte & consulto uouit? Puellæ & adolescentes priusquam iudicare possunt, persuadentur ad uouendum, interdum etiam coguntur. Quare non est æquum tam rigide de obligatione disputare, cum omnes fateantur contra uoti naturam esse, quod non sponte, quod inconsulto admittitur.

Plæriq; Canones rescindunt uota ante annum 15. contracta, quia ante illam ætatem non uidetur tantum esse iudicij, ut de perpetua uita constitui possit. Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, uetat enim ante annum 18. uotum fieri. Sed utrum sequemur, maxima pars habet excusationem, cur Monasteria deserant, quia plurimi ante hanc ætatem uouerunt. Postremo etiamsi uoti uiolatio reprehendi posset, tamen non sequitur, quod coniugia talium personarum, dissoluenda sint. Nam Augustinus negat debere dissolui 27. quæst. 1. cap. Nuptiarum, cuius non est leuis autoritas, etiamsi alij postea aliter senserunt.

Quanquam autem mandatum Dei de coniugio liberet plerosq; à uotis, tamen afferunt nostri & aliam rationem de uotis, quod sint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus sine mandato Dei institutus & electus ad promerendam remissionem peccatorum & iustificationem, impius est, sicut Christus

ait: Frustra colunt me mandatis hominum. Et Paulus ubiq; docet, iusticiam non esse quærendam ex nostris obseruationibus & cultibus, qui sint excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem, credentibus se habere Deum placatum & propicium propter Christum, non propter ulla nostra merita.

Constat autem Monachos docuisse, quod factitiæ religiones mereantur remissionem peccatorum & iustificationem, & quod pro peccatis satisfaciant. Quid hoc est aliud quam de gloria Christi detrahere & obscurare ac negare iusticiam fidei? Sequitur igitur ista uota usitata, impios cultus fuisse, quare sunt irrita. Nam uotum impium, & factum contra mandata Dei non ualet, neq; enim debet uotum uinculum esse iniquitatis, ut Canon dicit.

Paulus dicit: Euacuati estis ā Christo qui in Lege iustificamini, ā gratia excidistis, Id est, qui sentiunt quod mereantur propriis operibus remissionem peccatorum, & quod propter propriam Legis impletionem placeant Deo, nec sentiunt quod propter Christum gratis accipiant fide donatam remissionem peccatorum per misericordiam Dei, & quod propter Christum placeant Deo, hi amittunt Christū, quia fiduciam debitam Christo & promissioni Dei, transferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propiciatorem Christum, sed propria opera, quare honorem debitum Christo transferunt ad opera nostra. Constat autem Monachos hoc docere, quòd suis obseruationibus mereantur remissionem peccatorum, quod habeant Deum propitium propter has obseruationes. Quare docent confidere suis operibus, non propiciatione Christi. Hæc fiducia est impia, & cum Euangelio pugnat, & in iudicio Dei deprehendetur esse inanis. Non enim possunt opera nostra opponi iræ ac iudicio Dei. Tantum ita placatur ira Dei, quando gratuitam misericordiam propter Christum promissam fide apprehendimus. Amittunt igitur Christum, qui fiduciam non in Christum, sed in opera propria collocant.

Præterea Monachi docuerunt suum uitæ genus statum esse perfectionis, quia obseruarent non solum præcepta sed etiam consilia. Hic error maxime pugnat cum Euangelio, quod finxerunt se præceptis ita satisfacere, ut amplius etiam facerent. Et hinc natus est horribilis error, quod finxerunt se habere merita supererogationis. Hæc applicauerunt pro alijs, ut satisfactiones essent pro alienis peccatis. Hæc si quis odiose uelit exagitare, quàm multa commemorare posset, quorum iam ipsos Monachos pudet.

Non est leue scandalum in Ecclesia populo proponere, certum cultum ab hominibus excogitatum sine mandato Dei, & docere, quod talis cultus iustificet homines. Quia iusticia fidei in Christum, quam maximè oportet tradi in Ecclesia, obscuratur, cum illæ mirificæ religiones Angelorum, simulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus offunduntur oculis hominum.

Præterea obscurantur præcepta Dei, & uerus cultus Dei, cum audiunt homines, solos Monachos esse in statu perfectionis, quia perfectio Christiana est seriò timere Deum, & rursus concipere magnam fidem, & confidere propter Christum, quòd habeamus Deum placatum, petere ā Deo, & certò expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, iuxta uocationem. Interim foris diligenter facere bona opera, & seruire uocationi. In his rebus est uera perfectio, & uerus cultus Dei, non est in cœlibatu aut mendicitate, aut ueste sordida, Ac populus concipit multas pernicioſas opiniones ex illis falsis præconijs uitæ Monasticæ. Audit sine modo laudari cœlibatum, ideo cum offensione conscientiæ

uersatur

uersatur in coniugio. Audit solos mendicos esse perfectos, ideo cum offensione conscientiæ retinet possessiones, negociatur. Audit consilium Euangelicum esse de non uindicando, ideo alij in priuata uita non uerentur ulcisci, audiunt enim consilium esse, non præceptum. Alij omnes magistratus & ciuilia officia iudicant indigna esse Christianis.

Leguntur exempla hominum qui deserto coniugio, deserta reipub. administratione, abdiderunt se in Monasteria. Id uocabant fugere ex mundo, & quærere uitæ genus quod Deo magis placeret, nec uidebant Deo magis seruiendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum uitæ genus est, quod habet mandatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerson errorem Monachorum de perfectione, & testatur suis temporibus nouam uocem fuisse, quod uita Monastica sit status perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in uotis, quòd mereantur remissionem peccatorum & iustificationem, quod sint perfectio Christiana, quod seruent consilia et præcepta, & quod habeant opera supererogationis. Hæc omnia cum sint falsa & inania, faciunt uota irrita.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

MAgnæ disputationes fuerunt de potestate Episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem Ecclesiasticam, & potestatem gladij. Et ex hac confusione, maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices freti potestate clauium, nõ solum nouos cultus instituerunt, & reseruatione casuum, uiolentis excommunicationibus conscientias onerauerunt, sed etiam regna mundi transferre & Imperatorib. adimere Imperium conati sunt. Hæc uitia multõ ante reprehenderunt in Ecclesia homines pij & eruditi, Itaq; nostri ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen Ecclesiasticæ potestatis & potestatis gladij, & docuerunt utramq; propter mandatum Dei religiose uenerandam & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clauium, seu potestatem Episcoporum, iuxta Euangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto uos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Marci. 16. Ite prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.

Hæc potestas tantum exercetur docendo seu prædicando Euangelium, & porrigendo sacramenta, uel multis uel singulis iuxta uocationem, quia conferuntur non res corporales, sed res æternæ, iusticia æterna, Spiritus sanctus, uita æterna: Hæc non possunt contingere nisi per ministerium uerbi & Sacramentorum, sicut Paulus dicit, Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Itaq; cum potestas Ecclesiastica concedat res æternas, & tantum exerceatur per ministerium uerbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio uersatur circa alias res quãm Euangelium. Magistratus defendit

nõ mẽtes,ſed corpora et res corporales,aduerſus manifeſtas iniurias, & coẽrcet homines gladio,& corporalibus pœnis,ut iuſticiam ciuilem et pacem retineat.

Non igitur commiſcendæ ſunt poteſtates, Eccleſiaſtica & ciuilis, Eccleſiaſtica ſuum mandatum habet Euangelij docendi & adminiſtrandi ſacramenta. Non irrumpat in alienum officium,non transferat regna mundi, non abroget leges magiſtratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat iudicia de ullis ciuilibus ordinationibus aut contractibus, non præſcribat leges magiſtratibus de forma reipublicæ, ſicut dicit Chriſtus, Regnum meum non eſt de hoc mundo. Item, Quis conſtituit me iudicem aut diuiſorem ſuper uos? Et Paulus ait Philip.3. Noſtra politia in cœlis eſt. 2. Corinth. 10. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, ad deſtruendas cogitationes &c. In hunc modum diſcernunt noſtri utriuſq; poteſtatis officia, & iubent utramq; honore afficere & agnoſcere, utramq; Dei donum & beneficium eſſe.

Si quam habent Epiſcopi poteſtatem gladij, hanc non habent, ut Epiſcopi ex mandato Euangelij, ſed iure humano donatam ã Regibus & Imperatoribus, & adminiſtrationem ciuilem ſuorum bonorum. Hæc interim alia functio eſt quãm miniſterium Euangelij.

Cum igitur de iurisdictione Epiſcoporum quæritur, diſcerni debet imperium ab Eccleſiaſtica iurisdictione. Porrõ ſecundum Euangelium, ſeu ut loquuntur, de iure diuino,nulla iurisdictio competit Epiſcopis, ut Epiſcopis, hoc eſt, his quibus eſt commiſſum miniſterium uerbi & Sacramentorum, niſi remittere peccata. Item, cognoſcere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio diſſentientem reijcere, & impios, quorum nota eſt impietas, excludere ã communione Eccleſiæ,ſine ui humana,ſed uerbo. Hic neceſſariõ & de iure diuino, debent Eccleſiæ præſtare obedientiam,iuxta illud:Qui uos audit,me audit.

Verum cum aliquid contra Euangelium docent aut ſtatuunt, tunc habent Eccleſiæ mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matth. 7. Cauete ã Pſeudoprophetis. Galatas 1. Si Angelus de cœlo aliud Euangelium euangelizauerit,anathema ſit. 2. Corinth. 13. Non poſſumus aliquid contra ueritatem, ſed pro ueritate. Item, Data eſt nobis poteſtas ad ædificationem, non ad deſtructionem.Sic & Canones prȩcipiunt.2.quȩſt.7.cap.Sacerdotes,& cap. Oues. Et Auguſtinus contra Petiliani Epiſtolam inquit: Nec catholicis Epiſcopis conſentiendum eſt, ſicubi forte falluntur, aut contra Canonicas Dei ſcripturas aliquid ſentiunt.

Si quam habent aliam uel poteſtatem, uel Iurisdictionem in cognoſcendis certis cauſis,uidelicet matrimonij,aut decimarum etc.hanc habent humano iure. Vbi ceſſantibus ordinarijs, coguntur Principes uel inuiti, ſuis ſubditis Ius dicere, ut pax retineatur.

Præter hæc diſputatur, Vtrum Epiſcopi ſeu paſtores habeant ius inſtituendi ceremonias in Eccleſia,et leges de cibis,feriis,gradib.miniſtrorum, ſeu ordinibus &c. condendi. Hoc ius qui tribuunt Epiſcopis,allegant teſtimonium, Adhuc multa habeo uobis dicere,ſed non poteſtis portare modõ,cum aũt uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem.Allegant etiam exemplum Apoſtolorum, qui prohibuerunt abſtinere ã ſanguine,& ſuffocato. Allegant Sabbatum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, ut uidetur.Nec ullum exemplũ magis iactatur,quãm mutatio ſabbati. Magnam contendunt Eccleſiæ poteſtatem eſſe, quod diſpenſauerit de præcepto Decalogi.

Quoties

Quoties autem de hoc loco differimus, ſtatim clamitant aduerſarij, labefactata autoritate Epiſcoporum, fieri ἀταξίαν, non poſſe mores populi gubernari, non coherceri uulgi petulantiam, deniq; ſequi Cyclopicam uitam, qualis ab Euripide in hoc uerſu deſcribitur. Νόμαδες, ἀκόυει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδένος. Quæruntur & abrogatis aliquibus legibus uulgus exemplum transferre ad omnes leges, & excuſſis uinculis ac frenis diſciplinæ ſumere ſibi infinitam licentiam, quæ ſcandala innumera, diſtractiones Principum, diſſipationes Eccleſiarum, ſeditiones, bella, & uaſtitates parit. Deniq; oſtendunt quam ſit inimica generi humano ἀναρχία, & ex hoc fonte, quantum in omnem uitam uiciorum & calamitatum exundet.

Monent igitur ad hæc tanta mala uitanda, ſtabiliendam eſſe autoritatem Epiſcoporum, retinendas leges uſitatas, in quibus etiam ſiqua ſint incommoda, hæc docent condonanda eſſe communi hominum imbecillitati, & propter tranquillitatem diſſimulanda, præſertim cum nullus conſtitui ſtatus poſſit, qui prorſus ſit ſine uicio. Allegant huc uetus illud τὸ κακὸν ἔν κείμενον, μὴ κινητέον, Commemorant exempla, motis legibus, aut mutata politiæ forma in ciuitate Attica, Spartana, Romana & alijs, quæ clades ſecutæ ſint. Romæ diſſenſiones Conſulum & Tribunorum quoties ciuilia bella excitarunt?

Quanquam autem hæ Senatoriæ conciones admodum plauſibiles ſunt, et multorum animos aduerſus nos incendunt, tamen ueris & honeſtiſsimis argumentis refutari poſſunt. Primum igitur petimus, ut illi Accuſatores noſtri hiſtoriam Eccleſiæ omnium temporum intueantur, nec putent ſummos uiros Prophetas & Apoſtolos fuiſſe ſine ſenſu communi, ac adeo ferreos, ut tranquillitatem patriæ non amarint, aut adeo immanes, ut diſciplinam, leges, Regni εὐταξίαν non maximi fecerint, Hi uero ſapientiſsimi, optimi, & moderatiſsimi uiri, Eſaias, Ionas, Ieremias, Baptiſta, Chriſtus, Petrus, Iacobus, Paulus, & intelligebant quantum bonum ſit ciuilis concordia, & amabant ſuos, amabant patriam, magno cum dolore ſpectabant diſſidia & dilacerationem pulcherrimæ politiæ. Quoties illachrymat Chriſtus, loquens de diſcordijs & ſeditionibus gentis & urbis excidio. Quanquam igitur illa ciuilia officia & norant optime, & maxime amabant Prophetæ & Apoſtoli, tamen cogebantur diuino mandato belligerari cum regno diaboli, proponere cœleſtem doctrinam, colligere Deo Eccleſiam, & ſeruire ſaluti æternæ multorum hominum. Hæ ſunt primæ leges anteferendæ cæteris omnibus, Non habebis Deos alienos. Non uſurpabis nomen Dei uanè. Item de filio Dei, Hic eſt filius meus dilectus, Hunc audite. His legibus neceſſe eſt obtemperare, neceſſe eſt ueram de Deo doctrinam, ueros cultus amplecti, & fugere errores contumelioſos in Deum, uel ſi fractus illabatur orbis. Nulla res humana his Dei mandatis anteferenda eſt, non uita noſtra, non amici, non ciuium concordia.

Moyſes uir ſapientiſsimus & haud dubiè politicus, imponit tribui Leuiticæ munus docendi, ac ſciens qualia ſint doctorum certamina & pericula, præmonet de eo, quod iudicabant eſſe difficilimum, & iubet anteferri defenſionem ueræ doctrinæ. Sic enim ait Deut. 33. Hi cuſtodient eloquium tuum, qui parentes, liberos, fratres obliuiſcentur.

Experimur & ipſi non leue onus impoſitum eſſe docentibus, ſequitur in noſtros multis locis. Nos ipſi duriter premimur, Ipſa etiam patriæ diſcordia nobis ingentem dolorem adfert. Sed ut dictum eſt, neceſſe eſt his magnis incõmodis

anteferre mandatum Dei,de uera doctrina amplectenda, & abiiciendis erroribus. Nec nobis ignota sunt ea quæ à prudentibus de legum mutationibus scripta sunt. Meminimus illam Platonis uocem, ut delirantium parentum, ita desipientis patriæ mores ferendos esse. Sed hæc præcepta suas metas habent, Ferenda est seruitus sine impietate. Non probanda est Idolomania,non Euangelij lumen extinguendum.

Deinde cur nobis aduersarij nostri concionantur de hac moderatione, cum ipsi interim ciues, & membra Christi interficiant. Facile possent sarcire concordiam, & ordinis autoritatem tueri, si uicioſos cultus & iniustas leges abolerẽt. Nunc dimicant non de Ecclesiæ salute, sed de suis opibus & uoluptatibus. Nolunt reprehendi εἰδωλομανίας in Missa & inuocatione mortuorum,quia nolunt diminui quæstum, defendunt uagas libidines, quia cœlibatus est utilis retinendis opibus. Hæc nemo non uidet. Quare illas Senatorias conciones omittant,in quibus,ut uerbis utar Poëtæ ueteris,σεμνοῖς λογοῖσιν αἰσχρὰ μηχανώμενοι, Specioso prætextu non toleranda flagitia confirmare studeant.

Adiicio & alteram defensionis nostrę partem ueram & simplicem. Non facimus ἀναρχίαν. Docemus maximẽ uenerandum esse ministerium Euangelij, & obedientiam ei deberi, in his quæ iuxta Euangelium propria sunt eius ministerij. Impius & execrandus est, qui speciosos pedes euangelizantium pacem, non reuerenter excipit. Deinde & politica potestas, quæ gladium gerit, ornata est nostris literis. Itaqꝫ de Anarchia,falsum crimen est.

Nunc uenio ad quæstionem propositam de legibus Episcoporum, de quibus primum tenenda est regula certissima, quod nemini liceat condere leges pugnantes cum mandatis Dei: Nota est enim Pauli sententia: Si angelus cœlestis aliud Euangelium doceat,anathema sit. Ex hoc fundamento,quod firmum & immotum est, facile extrui cætera possunt. Iam tres ordines sunt decretorum Pontificiorum, Quædam decreta cogunt peccare,ut lex de cœlibatu, leges de priuatis Missis, in quibus fit oblatio & applicatio pro uiuis & mortuis, & opinio transsubstantiationis uicioſam adorationem parit, mandata de inuocatione mortuorum. De his legibus facile est iudicium, quia enim aperte pugnant cum mandatis Dei, regula sequenda est Apostolorum, Oportet Deo magis obedire quãm hominibus.

Secundus ordo est rituum, qui de his rebus sua natura mediis loquuntur, ut sunt leges de ciborum & dierum discrimine, & similibus rebus, Cum his rebus adduntur opiniones falsæ, iam non sunt mediæ. Assuunt autem aduersarij alij magis, alij minus absurdas opiniones,falsas tamen, propter quas & leges illæ abiiciendæ sunt, ne confirmentur uicioſi cultus. Plurimi fingunt opera humanarum traditionum, ut satisfactiones & similia,mereri remissionem peccatorum. Hæc opinio apertẽ falsa est, transfert enim beneficium Christi in humanas ceremonias, Nec opus est lõga refutatione, uno Pauli fulmine contenti simus. Euacuati estis à Christo qui in Lege iustificamini, excidistis ã Christo. Hæc sententia satis docet, homines non mereri remissionem peccatorum propriis operibus,uel diuinæ legis uel traditionum humanarum.

Alij admoniti, quantum primus hic error habeat absurditatis, incipiunt uerecundius loqui de traditionibus,Sed tamen errorẽ non tolerandũ retinent,

dicunt

dicunt hæc opera, etsi non merentur remissionem peccatorum, tamen esse cultus Dei, id est, opera, quorum finis sit immediatus, ut per ea Deus honore adficiatur. Acerrimè resistendum est & huic errori, Christus enim apertè dicit: Frustra colunt me mandatis hominum. Et Paulus expressè damnat ἐθελοθρησκίας ad Colossenses. Et cum oporteat cultus Dei in fide fieri, necesse est nos habere Dei uerbum, quod testetur opus Deo placere. Quomodo enim potest conscientia Deo offerre opus, si non extat uox Dei, quæ ostendat Deum sic uelle coli, uelle hoc honore adfici. Sed hanc de fide doctrinam impij homines non intelligentes, omnibus seculis horrenda audacia finxerunt cultus, sine mandato & uerbo Dei, quod si fieri licet, non potest dici causa, cur non placeant Deo, Ethnica sacrificia, mactationes canum, hostiæ lampsacenæ, & alia portenta. Quò ruit humana audacia non solum apud Ethnicos, in fingendis cultibus, sed etiam in Põtificio cœtu excogitatis subinde nouis & absurdis cæremonijs, in inuocatione mortuorum, in ueneratione sanctorum, in Monachorum θατπολογίαις. Simus igitur uigilantes hoc loco, nec sinamus Ecclesijs obtrudi leges, quæ proponunt opera sine mandato Dei, tanquam cultus & iusticias. Et cum hanc de cultibus opinionem assuant omnes aduersarij, etiam qui uerecundissimè loquuntur, sciamus pium opus esse, reclamare, & uiolatione talium traditionum exemplum ostendere, ex quo pij discant, quid sentiendum sit. Sicut de Attalo scribit Eusebius, diuinitus iussum esse, ut alteri cuidam diceret uescenti tantum pane, sale & aqua, ut cibis communibus uteretur, ne alijs errorem offunderet.

Porrò hic secundus error, de cultu, latè uagatus est. Multi enim in Ecclesia decepti sunt κακοζηλίᾳ Leuiticarum cæremoniarum, ac putauerunt in nouo Testamento oportere similes aliquos ritus esse, & hos esse cultus Dei, seu res per quas uelit Deus se honore adfici, & iusticias esse. Ideoq; tribuerunt Episcopis autoritatem tales ritus & cultus instituendi. Hunc Pharisaicum errorem Christus & Apostoli taxarunt, qui docent cultus in nouo Testamento esse pœnitentiam, timorem Dei, fidem, & opera decalogi, ut Paulus inquit, Regnum Dei non est esca & potus, sed iusticia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in his seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Monachi se Nazareos esse fingebant. Sacrificuli pro mortuis sacrificantes, fingebant se imitari Aharonem offerentem. Sed hæc exempla non conueniunt. Monachorum ritus, & uenditæ sacrificulorum Missæ nullum habent uerbum Dei, Imò admixtæ sunt multæ absurdæ opiniones, quas in Ecclesia taxari necesse est.

Tertius error est opinio necessitatis, qua imaginantur Ecclesiam esse similem cæteris politijs humanis, cogitant regnum esse, in quo Episcopi ut Reges, potestatem habeant condendi leges nouas extra Euangelium, & his necessariò obediendum esse, sicut Regum legibus necessario obediendum est, præsertim cum hæc uita hominum carere cæremonijs non possit. Et hæc opinio necessitatis sæpè excitauit certamina, dũ suos quisq; ritus humanos tanquam necessarios defendit. Sed Christus & Apostoli docent tales ritus, sine mandato propositos, non habendos esse pro rebus necessarijs. Contra hanc libertatem sancitam & constitutam autoritate diuina, non est recipienda opinio, quòd uiolatio traditionum mediarum extra casum scandali sit peccatum. Huc pertinet dictum Pauli, Nemo uos iudicet in cibo, potu, uicibus diei festi &c. Nam

iudicare

iudicare significat obligare conscientias,& damnare non obtemperantes. Item ad Galat.5.State in libertate,qua Christus uos liberauit &c.

Hactenus dictum est, quatenus non liceat aut condere traditiones aut adprobare. Quærat igitur aliquis, an uitam hanc hominum sine ordine, sine ritibus esse uelimus? Nequaquam.Sed docemus pastores ueros Ecclesiarum posse in Ecclesijs suis publicos ritus instituere, sed tantum ad finem corporalem, hoc est,boni ordinis causa,uidelicet ritus utiles ad docendam multitudinem, ut certos dies, certas lectiones, & si qua sunt similia,sed sine superstitione, & sine opinione necessitatis,ut ante dictum est. Et has ordinationes uiolare extra casum scandali, non ducatur esse peccatum: Sed si cum scandalo uiolentur, ubi Ecclesiæ rectè constitutæ sunt, nec error est in doctrina, sciat uiolans tali loco se peccare, quia Ecclesiæ recte constitutæ tranquillitatem perturbat, aut alios ā uero ministerio abducit. Hæc ratio satis munit autoritatem utilium traditionum,& non iniȝcit laqueum conscientijs.

Sic Ecclesia initio certos dies ordinauit, diem Dominicum, Natalem Christi,Pasca,Pentecosten &c. Nec dispensauit Ecclesia de decalogo, sed autoritas diuina ceremonias legis Mosaicæ abrogauit, & tamen populum scire oportet quando conueniendum sit,ad Euangelium, & ad Christi ceremonias. Ideo aliqui dies constituti sunt, sine illis opinionibus de quibus supra diximus. Ac manet in decalogo genus ut aliquibus temporibus conueniamus ad hæc pia exercitia, Species uerō quæ erat ceremonia,libera est, Ideo non retinuerunt Apostoli septimum diem, sed maluerunt uti primo, ut & de libertate & de resurrectione Christi pios admonerent.

Ea quæ obȝciuntur, facile dilui possunt. Apostolorum decretum de Idolothytis & scortatione est morale & perpetuum. Quod autem addiderunt de sanguine & suffocato, scandali ratio eo tempore habita est, Nam mos erat etiam ante Apostolos,ut domiti ā Iudæis abstinerent ā sanguine & suffocato. Nihil igitur noui adiunctis ad societatem suam imponebant, sed usitatum ritum ueterem & gratum utriusqȝ,Iudæis pijs & socijs, nondum mutarunt.

Quod Christus ait: Adhuc multa uobis dicere habeo, certe non de futilibus ceremonijs Pontificum intellexit,nec de nouis articulis fidei, sed de eo ipso Euangelio illustrando,qȝ iam tradiderat. Ideo postea addit de officio Spiritus sancti, non allaturum esse aliud doctrinæ genus, sed luce sua perfusurum mentes Apostolorum,ut Euangelium de uoluntate Dei iam traditum intelligerent. Ideo ait Ioan.14. Ille uos docebit omnia, & rediget uobis in memoriam omnia quæ dixi uobis. Item, Non loquetur ā seipso, sed quæ audit,loquetur.

Obȝciuntur & alia dicta quæ præcipiunt de obedientia. Obedite præpositis uestris. Toties respondimus maximè necessariam esse obedientiam in ijs quæ propria sunt ministerij diuinitus mandati. Nam hæc dicta non constituunt Episcopis regnum extra Euangelium. Christus dedit eis certa mandata, His iubet nos parere, Deinde etiam prohibuit instituí nouos cultus. His uetat parere. Metæ sunt constitutæ intra quas & autoritas pastorum & nostra obedientia consistere debet.Sed has metas audacissimē tollunt Episcopi,qui triplicem sibi arrogant potestatē,qua confirmant pernicioſissimos errores,uidelicet, Regiam prætoriam potestatem interpretandæ scripturæ, deinde potestatem instituendi cultus,tertiō,Regiam potestatem ferendarum legum. Ita transformant Ecclesiam in humanam politiam,imaginantur,ut in regno, Princeps aut

Prætor

Prætor est legis interpres, & ut Princeps habet potestatem ferendæ nouæ legis. Ita in Ecclesia oportere similem esse Episcoporum potestatem. Nec uolunt Ecclesiam mutis literis, ut dicunt, Prophetarum & Apostolorum gubernari, quæ cum interdum non satis explicent ea quæ proponunt, ambiguitas parit dissensiones ac discordias. Contendunt igitur opus esse uoce regia seu prætoria, scriptum ambiguum interpretante. Et nisi huic interpretationi necessario parendum esset, nullum fore controuersiarum & dissidiorum finem. Item, Nisi pro temporum ratione leges condere possent, qualis esset τάξις. Hæc uerbis ornantur, & sunt πιθανὰ, quia sunt imitatio humanarum politiarum, Et hæ imaginationes omnibus ætatibus inde usq; ab initio mundi nocuerunt Ecclesiæ & semper nocebunt. Ideo pij admonendi sunt, ne his præstigijs capiantur, Deus uult Ecclesiam regi suo uerbo tradito per Christum et Apostolos, Et hanc suam uocem uult sonare per ministros. Et quanquam sapientiam continet positam extra conspectum rationis, tamen ipse sermo Propheticus & Apostolicus certus est & non ambiguus, Ideo ait Petrus, Rectè facitis attendentes sermoni prophetico, tanquam lucernæ in tenebris. Habet etiam Ecclesia donum interpretationis, id est, intellectum cœlestis doctrinæ, Sed id donum non est alligatum ad Episcoporum titulum aut ordinem, Ideo nequaquam est potestas interpretandi similis regiæ & prætoriæ, sed eruditi in uerbo Dei & renati Spiritu sancto ubicunq; sunt, adsentiuntur uerbo Dei, & id intelligunt, alij magis, alij minus. Ergo prudenter de illis uallis pontificiæ potentiæ iudicandum est. De legibus prudenter dicit Petrus, Quid tentatis Deum, imponentes iugum &c.?

Complexi sumus summam doctrinæ Euangelicæ necessariam Ecclesijs, Nec dubitamus has ipsas sententias nostras uere esse doctrinam in scriptis Propheticis & Apostolicis traditam, & consensum catholicæ Ecclesiæ Christi, cui etiam eruditiores scriptores Ecclesiastici testimoniũ sæpe perhibent. Ac offerimus nos ad explicationem longiorem, ubicunq; opus erit. Oramus autem Deum Patrem domini nostri Iesu Christi, ut ipse Ecclesiam suam, sanguine Filij redemptam, gubernet, seruet, purget & augeat. Amen.

Cæsareæ Maiest. V.

Fideles & subditi.

Ioannes Dux Saxoniæ Elector.
Georgius Marchio Brandenburgensis.
Ernestus Dux Luneburgensis.
Philippus Landgrauius Hessorum.
Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ.
Franciscus Dux Luneburgensis.
VVolfgangus Princeps ab Anhalt.
Senatus Magistratusq; Nurnbergensis.
Senatus Reutlingensis.

APOLOGIA CONFESSIONIS.

PHILIPPVS MELANTHON LECTORI S. D.

POSTQVAM CONFESSIO PRINCIPVM NOSTRORVM PVBLICE prælecta est, Theologi quidam ac Monachi adornauerunt Confutationem nostri scripti, quàm cum Cæs: Maiest: curasset etiam in consessu Principum prælegi, postulauit à nostris Principibus, vt illi Confutationi assentirentur. Nostri autem quia audierant multos Articulos improbatos esse, quos abijcere sine offensione conscientiæ non poterant, rogauerunt sibi exhiberi exemplum Confutationis, vt & videre quid damnarent aduersarij, & rationes eorum reuellere possent. Et in tali causa, quæ ad religionem & ad docendas conscientias pertinet, arbitrabantur fore, vt non grauatim exhiberent suum scriptum aduersarij. Sed non potuerunt id impetrare nostri, nisi periculosissimis conditionibus, quas recipere non poterant, nisi vellent se in discrimen certum conijcere. Instituta est autem deinde pacificatio, in qua apparuit nostros nullum onus quamlibet incommodum derectare, quod sine offensione conscientiæ suscipi posset. Sed aduersarij obstinate hoc postulabant, vt quosdam manifestos abusus atq; errores approbaremus, quod cum non possemus facere, iterum postulauit Cæs: Maiest: vt Principes nostri assentirentur Confutationi. Id facere Principes nostri recusauerunt. Quomodo enim assentirentur in causa Religionis, scripto non inspecto? Et audierant Articulos quosdam damnatos esse, in quibus non poterant iudicia aduersariorum sine scelere comprobare. Iusserant autem me & alios quosdam parare Apologiam Confessionis, in qua exponerentur Cæs: Maiestati causæ, quare non reciperemus Confutationem, & ea quæ obiecerant aduersarij, diluerentur. Quidam enim ex nostris inter prælegendum capita locorum & argumentorum exceperant. Hanc Apologiam obtulerunt ad extremum Cæsareæ Maiest: vt cognosceret nos maximis & grauissimis causis impediri, quo minus Confutationem approbaremus. Verum Cæsarea Maiestas non recepit oblatum scriptum. Postea editum est decretum quoddam, in quo gloriantur Aduersarij, quod nostram Confessionem ex scripturis confutauerint. Habes igitur Lector nunc Apologiam nostram, ex qua intelliges, & quid Aduersarij iudicauerint, retulimus enim bona fide, & quod Articulos aliquot contra manifestam scripturam Spiritus sancti damnauerint, Tantum abest, vt nostras sententias per scripturas labefactauerint. Quanquam autem initio Apologiam instituimus communicato cum alijs consilio, tamen ego inter excudendum quædam adieci. Quare meum nomen profiteor, ne quis queri possit sine certo autore librum editum esse. Semper hic meus mos fuit in his controuersijs, vt quantum omnino facere possem, retinerem formam vsitatæ doctrinæ, vt facilius aliquando coire concordia posset. Neq; multo secus nunc facio, Etsi recte possem longius abducere huius ætatis homines ab Aduersariorum opinionibus. Sed Aduersarij sic agunt causam, vt ostendant se neq; veritatem, neq; concordiam quærere, sed vt sanguinem nostrum exorbeant. Et nunc scripsi quam moderatissime potui, ac si quid videtur dictum asperius, hic mihi præfandum est, me cum Theologis ac Monachis, qui scripserunt Confutationem litigare, non cum Cæsare aut Principibus, quos, vt debeo, veneror. Sed vidi nuper Confutationem, & animaduerti adeo insidiose & calumniose scriptam esse, vt fallere etiam cautos in certis locis posset. Non tractaui tamen omnes cauillationes.

tiones. Esset enim infinitum opus, sed præcipua argumenta complexus sum, vt extet apud omnes nationes, testimonium de nobis, quod rectè & piè sentiamus de Euangelio Christi. Non delectat nos discordia, Nec nihil nos mouemur periculo nostro quod quantum sit in tanta acerbitate odiorum, quibus intelligimus accensos esse aduersarios, facile intelligimus. Sed non possumus abijcere manifestam veritatem & Ecclesiæ necessariam. Quare incommoda & pericula propter gloriam Christi, & vtilitatem Ecclesiæ perferenda esse sentimus, & confidimus Deo probari hoc nostrum officium, & speramus æquiora de nobis iudicia posteritatis fore, neq; enim negari potest quin multi loci doctrinæ Christianæ, quos maximè prodest extare in Ecclesia, à nostris patefacti & illustrati sint, qui qualibus & quam periculosis opinionibus obruti olim iacuerint apud Monachos, Canonistas, & Theologos Sophistas, non libet hic recitare. Habemus publica testimonia multorum bonorum virorum, qui Deo gratias agunt pro hoc summo beneficio, quod de multis necessarijs locis docuerint meliora, quam passim leguntur apud aduersarios nostros. Commendabimus itaq; causam nostram Christo, qui olim iudicabit has controuersias, quem oramus, vt respiciat afflictas & dissipatas Ecclesias, & in concordiam piam & perpetuam redigat.

Consolatio profitentium piam doctrinam.

APOLOGIA CONFESSIONIS

PRimum articulum Confessionis nostræ, probant nostri aduersarij, in quo exponimus nos credere & docere, quod sit una essentia diuina, indiuidua &c. & tamen tres sint distinctæ personæ eiusdem essentiæ diuinæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Hunc articulum semper docuimus, & defendimus, Et sentimus eum habere certa & firma testimonia in scripturis sanctis, quæ labefactari non queant. Et constanter affirmamus aliter sentientes, extra Ecclesiam Christi, & Idolatras esse, & Deum contumelia afficere.

Tres personæ diuinitatis.

DE PECCATO ORIGINALI.

SEcundum articulum de peccato Originis probant aduersarij, Verum ita ut reprehendant tamen definitionem peccati Originalis, quam nos obiter recitauimus. Hic in ipso statim uestibulo deprehendet Cæs. Maiestas, non solum iudicium, sed etiam candorem istis defuisse, qui confutationem scripserũt. Nam cum nos simplici animo obiter recensere uoluerimus illa, quæ peccatum Originis complectitur, isti acerba interpretatione conficta, sententiam per se nihil habentem incommodi arte deprauant. Sic inquiunt, Sine metu Dei, sine fide esse, est culpa actualis. Igitur negant esse culpam originalem.

Cauillatio aduersariorum.

Has argutias satis apparet in scholis natas esse, non in consilio Cæsaris. Quanquam autem hæc cauillatio facillimè reuelli possit, tamen ut omnes boni uiri intelligant, nos nihil absurdi de hac causa docere. Primum petimus ut inspiciatur Germanica Confessio, hæc absoluet nos suspitione nouitatis, Sic enim ibi scriptum est, Weiter wird geleret / das nach dem fall Adæ alle Menschen / so natürlich geborn werden / in sünden empfangen vnd geborn werden / das ist / das sie alle von mutter leibe an / voll böser lust vnd neigung sind / keine ware Gottes forcht / keinen waren glauben an Gott / von natur haben kõnen. Hic locus testatur nos, non solum actus, sed potentiam seu dona efficiendi timorem & fiduci-

am erga Deum adimere propagatis secundum carnalem naturam, Dicimus enim ita natos habere concupiscentiam, nec posse efficere uerum timorem & fiduciam erga Deum. Quid hic reprehendi potest? Bonis uiris quidem arbitramur nos satis purgatos esse. Nam in hanc sententiam latina descriptio, potentiam naturæ detrahit, hoc est, dona & uim efficiendi timorem & fiduciam erga Deum, detrahit & in adultis actus. Vt cum nominamus concupiscentiam, non tantum actus seu fructus intelligimus, sed perpetuam naturæ inclinationem.

Materiale peccati originalis.

Sed postea ostendemus pluribus uerbis, nostram descriptionem consentire cum usitata ac ueteri definitione. Prius enim consilium nostrum aperiendum est, cur his potissimum uerbis hoc loco usi simus. Aduersarij in scholis fatentur materiale (ut uocant) peccati originalis esse concupiscentiam, quare in definiendo non fuit prætereunda, præsertim hoc tempore, cum de ea nonnulli parum religiose philosophantur.

Quidam enim disputant, peccatum originis non esse aliquod in natura hominis uitium, seu corruptionem, sed tantum seruitutem, seu conditionem mortalitatis, quam propagati ex Adam sustineant, sine aliquo proprio uitio, propter alienam culpam. Præterea addunt, neminem damnari morte æterna propter peccatum originis, Sicut ex ancilla serui nascuntur, & hanc conditionem sine naturæ uicijs, sed propter calamitatem matris sustinent. Nos, ut hanc impiam opinionem significaremus nobis displicere, concupiscentiæ mentionem fecimus, optimo animo morbos nominauimus, & exposuimus, quod natura hominum corrupta & uiciosa nascatur.

Doctores scholastici extenuant malum originis.

Neq; uero tantum concupiscentiam nominauimus, sed diximus etiam deesse timorem Dei, & fidem, Id hoc consilio adiecimus. Extenuant peccatum originis & scholastici doctores, non satis intelligentes definitionem peccati originalis, quam acceperunt ã Patribus. De fomite disputant, quod sit qualitas corporis, & ut suo more sint inepti, quærunt utrum qualitas illa, contagione pomi, an ex afflatu serpentis contracta sit, Vtrum augeatur medicamentis. Huiusmodi quæstionibus oppresserunt principale negocium, Itaq; cum de peccato originis loquuntur, grauiora uicia humanæ naturæ non commemorant, scilicet ignorationem Dei, contemptum Dei, uacare metu & fiducia Dei, odisse iudicium Dei, fugere Deum iudicantem, irasci Deo, desperare gratiam, habere fiduciam rerum præsentium &c. Hos morbos, qui maxime aduersantur legi Dei non animaduertunt scholastici, Imõ tribuunt interim humanę naturæ integras uires ad diligendum Deum super omnia, ad facienda præcepta Dei, quo ad substantiam actuum, nec uident se pugnantia dicere. Nam proprijs uiribus posse diligere Deum super omnia, facere præcepta Dei, quid aliud est quam habere iusticiam originis? Quod si has tantas uires habet humana natura, ut per sese possit diligere Deum super omnia, ut confidenter affirmant scholastici, quid erit peccatum originis? Quorsum autem opus erit gratia Christi, si nos possumus fieri iusti, propria iusticia? Quorsum opus erit Spiritu sancto, si uires humanæ per sese possunt Deum super omnia diligere, & præcepta Dei facere? Quis non uidet, quam præposterе sentiant aduersarij? Leuiores morbos in natura hominis agnoscunt, grauiores morbos non agnoscunt, de quibus tamen ubiq; admonet nos scriptura, & Prophetæ perpetuõ conqueruntur, uidelicet, de carnali securitate, de contemptu Dei, de odio Dei, & similibus uicijs nobiscum

Scholastici pugnantia dicunt.

cum natis,Sed poſtquam ſcholaſtici admiſcuerunt doctrinæ Chriſtianæ,Philoſophiam de perfectione naturæ, & plus quam ſatis erat,libero arbitrio & actibus elicitis tribuerunt, & homines philoſophica ſeu ciuili iuſticia, quam & nos fatemur rationi ſubiectam eſſe, & aliquo modo in poteſtate noſtra eſſe, luſtificari coram Deo docuerunt, non potuerunt uidere interiorem immundiciem naturæ hominum,Neqꝫ enim poteſt iudicari, niſi ex uerbo Dei, quod ſcholaſtici in ſuis diſputationibus non ſæpe tractant.

Hæ fuerunt cauſæ,cur in deſcriptione peccati originis,& concupiſcentiæ mentionem fecimus,& detraximus naturalibus uiribus hominis,timorem& fiduciam erga Deum, Voluimus enim ſignificare, quod peccatum originis hos quoqꝫ morbos contineat, ignorationem Dei, contemptum Dei, uacare metu Dei,& fiducia erga Deum,non poſſe diligere Deum. Hæc ſunt præcipua uitia naturæ humanæ, pugnantia proprie cum prima tabula Decalogi.

Neqꝫ noui quidquam diximus. Vetus definitio recte intellecta prorſus idem dicit,Cum ait peccatum originis carentiam eſſe iuſticiæ originalis. Quid eſt autem iuſticia? Scholaſtici hic rixantur de dialecticis quęſtionibus,nõ explicant quid ſit iuſticia Originalis. Porrõ iuſticia in ſcripturis, continet non tantum ſecundam tabulam Decalogi, ſed primam quoqꝫ, quæ præcipit de timore Dei, de fide, de amore Dei. Itaqꝫ iuſticia Originalis habitura erat non ſolum æquale temperamentum qualitatum corporis, ſed etiam hæc dona, noticiam Dei certiorem,timorem Dei, fiduciam Dei, aut certe rectitudinem, & uim iſta efficiendi. Idqꝫ teſtatur ſcriptura cum inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditum eſſe. Quod quid eſt aliud,niſi in homine hanc ſapientiam & iuſticiam effigiatam eſſe, quæ Deum apprehenderet, & in qua reluceret Deus,hoc eſt,homini dona eſſe data,noticiam Dei,timorem Dei,fiduciam erga Deum & ſimilia. Sic enim interpretantur ſimilitudinem Dei Irenæus & Ambroſius, qui cum alia multa in hanc ſententiam dicit, tum ita inquit: Non eſt ergo anima ad imaginem Dei, in qua Deusnon ſemper eſt. Et Paulus ad Epheſios & Coloſſenſes oſtendit imaginem Dei, noticiam Dei eſſe, iuſticiam & ueritatem. Nec Longobardus ueretur dicere, quod iuſticia originis,ſit ipſa ſimilitudo Dei,quæ homini indita eſt ã Deo. Recitamus ueterum ſententias,quæ nihil impediunt Auguſtini interpretationem de imagine.

Definitio uetus Anſhelmi.

De iuſticia originali.

Itaqꝫ uetus definitio, cum inquit, peccatum eſſe carentiam iuſticiæ, detrahit non ſolum obedientiam inferiorum uirium hominis, ſed etiam detrahit noticiam Dei, fiduciam erga Deum, timorem & amorem Dei, aut certe uim iſta efficiendi detrahit. Nam & ipſi Theologi in ſcholis tradunt iſta non effici ſine certis donis, & auxilio gratiæ. Nos ipſa dona nominamus, ut res intelligi poſsit, noticiam Dei, timorem & fiduciam erga Deum. Ex his appareret ueterem definitionem prorſus idem dicere quod nos dicimus, detrahentes metum Dei & fiduciam, uidelicet non actus tantum, ſed dona & uim ad hæc efficienda.

Eadem eſt ſententia definitionis, quæ extat apud Auguſtinum, qui ſolet definire, peccatum originis concupiſcentiam eſſe, ſignificat enim concupiſcentiam ſucceſſiſſe amiſſa iuſticia. Nam ægra natura quia non poteſt Deum timere & diligere,Deo credere, quærit & amat carnalia. Iudicium Dei, aut ſecura contemnit,aut odit perterrefacta, Ita & defectum complectitur Auguſtinus,

Definitio Auguſtini.

& uicioſum habitum qui ſucceſsit, Neq; uero concupiſcentia tantum corruptio qualitatum corporis eſt, Sed etiam praua conuerſio ad carnalia in ſuperioribus uiribus. Nec uident quid dicant, qui ſimul tribuunt homini concupiſcentiam non mortificatam ā Spiritu ſancto, & dilectionem Dei ſuper omnia.

Nos igitur rectè expreſſimus utrunq; in deſcriptione peccati Originalis, uidelicet defectus illos, non poſſe Deo credere, non poſſe Deum timere ac diligere. Item habere concupiſcentiam quæ carnalia quærit contra uerbum Dei, hoc eſt, quærit non ſolum uoluptates corporis, ſed etiam ſapientiam & iuſticiam carnalem, & confidit his bonis, contemnens Deum. Neq; ſolum ueteres, ſed etiam recentiores, Siqui ſunt cordatiores, docent ſimul iſta uere peccatum originis eſſe, defectus uidelicet, quos recenſui, & concupiſcentiam. Sic enim inquit Thomas, Peccatum originis habet priuationem originalis iuſticiæ, & cum hoc inordinatam diſpoſitionem partium animæ, unde non eſt priuatio pura, Sed quidam habitus corruptus. Et Bonauentura, Cum quæritur quid ſit originale peccatum, rectè reſpondetur, quod ſit concupiſcentia immoderata. Rectè etiam reſpondetur, quod ſit debitæ iuſticiæ carentia. Et in una iſtarum reſponſionum includitur altera. Idem ſenſit Hugo cum ait, Originale peccatum eſſe, ignorantiam in mente, & concupiſcentiam in carne. Significat enim nos naſcentes afferre ignorationem Dei, incredulitatem, diffidentiam, contemptum, odium Dei. Hæc enim complexus eſt, cum ignorantiam nominat. Et hę ſententiæ conſentiunt cum ſcripturis, Nam Paulus interdum expreſſe nominat defectum, ut 1. Corinth. 2: Animalis homo non percipit ea, quæ ſpiritus Dei ſunt. Alibi concupiſcentiam nominat efficacem in membris, & parientem malos fructus. Plures locos citare de utraq; parte poſſemus, ſed in re manifeſta nihil opus eſt teſtimonijs. Et facile iudicare poterit prudens lector, has non tantum culpas actuales eſſe, ſine metu Dei, & ſine fide eſſe. Sunt enim durabiles defectus in natura non renouata.

Thomæ, Bonauenturæ, & Hugonis dicta.

Nihil igitur de peccato Originis ſentimus alienum aut ā ſcriptura, aut ā catholica Eccleſia, ſed grauiſsimas ſententias Scripturę & Patrum obrutas Sophiſticis rixis theologorum recentium, repurgamus, & in lucem reſtituimus. Nam res ipſa loquitur, recentiores theologos non animaduertiſſe, quid uoluerint Patres de defectu loquentes. Eſt autem neceſſaria cognitio peccati originis. Neq; enim poteſt intelligi magnitudo gratiæ Chriſti, niſi morbis noſtris cognitis. Tota hominis iuſticia, mera eſt hypocriſis coram Deo, niſi agnoueri mus cor naturaliter uacare amore, timore, fiducia Dei. Ideo Propheta inquit, Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Item, Ego dixi in exceſſu meo, Omnis homo mendax, id eſt, non rectè ſentiens de Deo.

Cognitio peccati Originis neceſſaria.

Hic flagellant aduerſarij etiam Lutherum quod ſcripſerit, Peccatum originis manere poſt Baptiſmum, Addunt hunc articulum iure damnatum eſſe ā Leone X. Sed Cæſ. Maieſ. in hoc loco manifeſtam calumniam deprehendet. Sciunt enim aduerſarij in quam ſententiam Lutherus hoc dictum uelit, quod peccatum originis reliquum ſit poſt Baptiſmum, Semper ita ſcripſit, quod Baptiſmus tollat reatum peccati originalis, etiamſi materiale, ut iſti uocant, peccati maneat, uidelicet concupiſcentia. Addit etiam de materiali, quod Spiritus ſanctus datus per Baptiſmum, incipit mortificare concupiſcentiam, & nouos motus creat in homine. Ad eundem modum loquitur & Auguſtinus, qui ait, Peccatum in Baptiſmo remittitur, non ut non ſit, ſed ut non reputetur. Hic palam

An ſit in Baptiſmo tollatur peccatum.

faretur

fatetur esse,hoc est,manere peccatum, tametsi non imputetur. Et hæc sententia adeo placuit superioribus,ut recitata sit & in Decretis. Et contra Iulianum inquit Augustinus,Lex ista quæ est in membris,remissa est regeneratione spirituali,& manet in carne mortali. Remissa est,quia reatus solutus est sacramento quo renascuntur fideles. Manet autem quia operatur desideria, contra quæ dimicant fideles.Sic sentire ac docere Lutherum sciunt aduersarij, Et cum rem improbare non possint,uerba tamen calumniantur,ut hoc artificio innocentem opprimant.

At disputant concupiscentiam pœnam esse,non peccatum, Lutherus defendit peccatum esse. Supra dictum est Augustinum definire peccatum originis,quod sit concupiscentia,Expostulent cum Augustino,si quid habet incommodi hæc sententia. Præterea Paulus ait, concupiscentiam nesciebam peccatū esse,nisi Lex diceret.Non concupisces.Item uideo aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me legi peccati, quæ est in membris meis. Hæc testimonia nulla cauillatione euerti possunt. Clarē enim appellant cōcupiscentiam peccatum, Quod tamen his qui sunt in Christo, non imputatur, etsi res sit natura digna morte, ubi non condonatur. Sic Patres citra controuersiam sentiunt. Nam Augustinus longa disputatione reuellit opinionem istorum qui sentiebant concupiscentiam in homine non esse uicium, sed ἀδιάφορον,ut corporis color,aut aduersa ualetudo ἀδιάφορον dicitur. *Concupiscentia non tantum pœna peccati.*

Quod si contendent aduersarij, fomitem esse ἀδιάφορον reclamabunt non solum multæ sententiæ scripturæ,sed plane tota Ecclesia. Quis enim unquam ausus est dicere hæc esse ἀδιάφορα etiamsi perfectus consensus non accederet,dubitare de ira Dei, de gratia Dei, de uerbo Dei, irasci iudicijs Dei, indignari quod Deus non eripit statim ex afflictionibus, fremere quod impij meliore fortuna utuntur,quām boni, incitari ira, libidine,cupiditate gloriæ, opum &c. Et hæc agnoscunt in se homines pij,ut apparet in Psalmis ac Prophetis. Sed in Scholis transtulerunt huc ex Philosophia prorsus alienas sententias. Quod propter passiones nec boni nec mali simus, nec laudemur, nec uituperemur. Item nihil esse peccatum, nisi uoluntarium. Hæ sententiæ apud Philosophos de ciuili iudicio dictæ sunt, non de iudicio Dei. Nihilo prudentius assuunt & alias sententias, naturam non esse malam, Id in loco dictum non reprehendimus, sed non rectè detorquetur ad extenuandum peccatum originis, Et tamen hæ sententiæ leguntur apud Scholasticos, qui intempestiuè commiscent Philosophicam seu ciuilem doctrinam de moribus cum Euangelio. Neq; hæc in Scholis tantum disputabantur, sed ex scholis, ut fit, efferebantur ad populum. Et hæ persuasiones regnabant, & alebant fiduciam humanarum uirium & opprimebant cognitionem gratiæ Christi. Itaq; Lutherus uolens magnitudinem peccati originalis & humanæ infirmitatis declarare, docuit reliquias illas peccati originalis,non esse sua natura in homine ἀδιάφορα, sed indigere gratia Christi,ne imputentur,item Spiritu sancto ut mortificentur. *Philosophica dicta de peccato.*

Quanquam Scholastici utrunq; extenuant,peccatum & pœnam,cum docent hominem propriis uiribus posse mandata Dei facere. In Genesi aliter describitur pœna imposita pro peccato originis. Ibi enim non solum morti & alijs corporalibus malis subijcitur humana natura, sed etiam regno Diaboli.Nam ibi fertur hæc horribilis sententia, Inimicicias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius. Defectus & concupiscentia sunt *De pœnis peccati originis.*

pœnæ & peccata, Mors & alia corporalia mala, & tyrannis diaboli propriè pœnæ sunt. Est enim natura humana in seruitutem tradita, & captiua à diabolo tenetur, quia eam impijs opinionib. & erroribus dementat & impellit ad omnis generis peccata. Sicut autem Diabolus uinci non potest, nisi auxilio Christi, ita non possumus nos propriis uiribus ex ista seruitute eximere. Ipsa mundi historia ostendit, quanta sit potentia regni Diaboli. Plenus est mundus blasphemijs contra Deum, & impijs opinionibus, & his uinculis habet Diabolus irretitos sapientes & iustos coram mundo. In alijs ostendūt se crassiora uicia. Cum autem datus sit nobis Christus, qui & hæc peccata, & has pœnas aufferat, & regnum Diaboli, peccatum & mortem destruat, beneficia Christi non poterunt cognosci, nisi intelligamus mala nostra. Ideo de his rebus nostri concionatores diligenter docuerunt, & nihil noui tradiderunt, sed sanctam scripturam, & sanctorum patrum sententias proposuerunt.

Hæc arbitramur satisfactura esse Cæs. Maiestati, de puerilibus & frigidis cauillationibus, quibus aduersarij articulum nostrum calumniati sunt. Scimus enim nos rectè & cum catholica Ecclesia Christi sentire. Sed si renouabunt hanc controuersiam aduersarij, non defuturi sunt apud nos qui respondeant, & ueritati patrocinentur. Nam aduersarij in hac causa, magna ex parte quid loquantur non intelligunt, Sæpè dicunt pugnantia, Nec formale peccati originis, nec defectus quos uocant, rectè ac dialectice expediunt. Sed non hoc loco uoluimus istorum rixas nimis subtiliter excutere, Tantum sententiam sanctorum patrum, quam & nos sequimur communibus & notis uerbis duximus esse recitandam.

Tertium Articulum probant aduersarij, in quo confitemur duas in Christo naturas, uidelicet naturam humanam assumptam à uerbo in unitatem personæ suæ. Et quod idem Christus passus sit ac mortuus, ut reconciliaret nobis Patrem, & resuscitatus ut regnet, iustificet, & sanctificet credentes &c. iuxta Symbolum Apostolorum & Symbolum Nicænum.

Duæ naturæ in Christo.

DE IVSTIFICATIONE.

IN Quarto, Quinto, Sexto, & infra in articulo XX. damnant nos, quod docemus homines non propter sua merita, sed gratis propter Christum consequi remissionem peccatorum fide in Christum. Vtrunq; enim damnant, & quod negamus homines propter sua merita consequi remissionem peccatorum, & quod affirmamus homines fide consequi remissionem peccatorum, & fide in Christum iustificari. Cum autem in hac controuersia præcipuus locus doctrinæ Christianæ agitetur, qui rectè intellectus illustrat & amplificat honorem Christi, & affert necessariam & uberrimam consolationem pijs conscientijs, rogamus ut Cæsarea Maiestas de rebus tantis clementer nos audiat. Nam aduersarij, cum neq; quid remissio peccatorum, neq; quid fides, neq; quid gratia, neq; quid iusticia sit intelligant, misere contaminant hunc locum, & obscurant gloriam & beneficia Christi, & eripiunt pijs conscientijs propositas in Christo consolationes. Vt autem & confirmare confessionem nostram, & diluere ea quę aduersarij obijciunt possimus, initio quędam prędanda sunt, ut fontes utriusq; generis doctrinæ, & aduersariorum, & nostræ cognosci possint.

Vniuersa scriptura in hos duos locos præcipuos distribui debet, in Legem,

gem,& Promiſsiones. Alias enim Legem tradit, alias tradit promiſsionem de Chriſto,uidelicet,cum aut promittit Chriſtum uenturum eſſe, & pollicetur propter eum remiſsionem peccatorum, iuſtificationem, & uitam æternam, aut in Euangelio Chriſtus, poſtquam apparuit, promittit remiſsionem peccatorum,iuſtificationem,& uitam æternam. Vocamus autem Legem in hac diſputatione Decalogi præcepta, ubicunq; illa in ſcripturis leguntur. De ceremonijs & iudicialibus legibus Moyſi in præſentia nihil loquimur.

Duo loci præcipui ſcripturæ.

Ex his aduerſarij ſumunt Legem, quia humana ratio naturaliter intelligit aliquo modo Legem, Habet enim idem iudicium ſcriptum diuinitus in mente. Et per legem quærunt remiſsionem peccatorum & iuſtificationem. Decalogus autem requirit non ſolum externa opera ciuilia, quæ ratio utcunq; efficere poteſt,ſed etiam requirit alia longe ſupra rationem poſita,ſcilicet, uere timere Deum, uere diligere Deum, uere inuocare Deum, uere ſtatuere, quod Deus exaudiat,& expectare auxilium Dei in morte,in omnibus afflictionibus, denicq; requirit obedientiam erga Deum in morte & omnibus afflictionibus, ne has fugiamus,aut auerſemur, cum Deus imponit.

Decalogus quid requirat.

Hic Scholaſtici ſecuti Philoſophos, tantum docent iuſticiam rationis, uidelicet, ciuilia opera, & affingunt quod ratio ſine Spiritu ſancto poſsit diligere Deum ſuper omnia. Nam donec humanus animus, ocioſus eſt, nec ſentit iram, aut iudicium Dei, fingere poteſt quod uelit Deum diligere, quod uelit propter Deum benefacere. Ad hunc modum docent homines mereri remiſsionem peccatorum, faciendo quod eſt in ſe, hoc eſt, ſi ratio dolens de peccato, eliciat actum dilectionis Dei, aut bene operetur propter Deum. Et hæc opinio, quia naturaliter blanditur hominibus,peperit & auxit multos cultus in Eccleſia,uota Monaſtica,Abuſus Miſſæ, Et ſubinde alij alios cultus atq; obſeruationes hac opinione excogitauerunt. Et ut fiduciam talium operum alerent atq; augerent,affirmauerunt Deum neceſſariò gratiam dare ſic operanti,neceſſitate non coactionis, ſed immutabilitatis.

Iuſticia rationis.

In hac opione multi magni & pernicioſi errores hærent, quos longum eſſet enumerare. Tantum illud cogitet prudens lector, Si hæc eſt iuſticia Chriſtiana, quid intereſt inter Philoſophiam, & Chriſti doctrinam? Si meremur remiſsionem peccatorum his noſtris actibus elicitis, quid præſtat Chriſtus? Si iuſtificari poſſumus per rationem & opera rationis, quorſum opus eſt Chriſto aut regeneratione? Et ex his opinionibus iam eo prolapſa res eſt, ut multi irrideant nos, qui docemus aliam iuſticiam præter philoſophicam quærendam eſſe. Audiuimus quoſdam pro concione,ablegato Euangelio,Ariſtotelis ethica enarrare. Nec errabant iſti,ſi uera ſunt quæ defendunt aduerſarij. Nam Ariſtoteles de moribus ciuilibus adeo ſcripſit eruditè, nihil ut de his requirendum ſit amplius. Videmus extare libellos, in quibus conferuntur quædam dicta Chriſti, cum Socratis, Zenonis, & aliorum dictis, quaſi ad hoc uenerit Chriſtus,ut traderet leges quaſdam, per quas mereremur remiſsionem peccatorum, non acciperemus gratis propter ipſius merita. Itaq; ſi recipimus hic aduerſariorum doctrinam, quod mereamur operibus rationis remiſsionem peccatorum & iuſtificationem, nihil iam interit inter iuſticiam Philoſophicam, aut certè Phariſaicam,& Chriſtianam.

Nihil intereſt inter doctrinam philoſophicam et aduerſariorum de iuſtificatione.

Quanquam aduerſarij ne Chriſtum omnino prætereant, requirunt

Quid aduersarij intelligant esse primã gratiam.

noticiam historiæ de Christo, & tribuunt ei, quod meruerit nobis dari quendam habitum, siue ut ipsi uocant, primam gratiam, quam intelligunt habitum esse inclinantem, ut facilius diligamus Deum. Exiguum tamen est, quod huic habitui tribuunt, quia fingunt actus uoluntatis ante habitum illum, & post illum habitum eiusdem speciei esse, Fingunt uoluntatem posse diligere Deum, sed habitus ille tamen extimulat, ut idem faciat libentius. Et iubent mereri hũc habitum primum per præcedentia merita, deinde iubent mereri operibus Legis incrementum illius habitus & uitam æternam. Ita sepeliunt Christum, ne eo Mediatore utantur homines, & propter ipsum sentiant se gratis accipere remissionem peccatorum & reconciliationem, sed somnient se propria impletione Legis mereri remissionem peccatorum, & propria impletione Legis coram Deo iustos reputari, cum tamen legi nunquam satisfiat, cum ratio nihil faciat, nisi quædam ciuilia opera, Interim neq; timeat Deum, neq; uere credat se Deo curæ esse. Et quanquam de habitu illo loquuntur, tamen sine iustitia fidei, neq; existere dilectio Dei in hominibus, neq; quid sit dilectio Dei, intelligi potest.

Aduersarij sepeliunt Christum.

Doctrina aduersariorum de merito congrui & condigni.

Et quod fingunt discrimen inter meritum congrui, & meritum condigni, ludunt tantum, ne uideantur apertè πελαγιάνιζειν. Nam si Deus necessariò dat gratiam pro merito congrui, iam non est meritum congrui, sed meritum condigni. Quanquam quid dicant, non uident. Post habitum illum dilectionis fingunt hominem de condigno mereri. Et tamen iubent dubitare, utrum adsit habitus. Quomodo igitur sciunt, utrum de congruo an de condigno mereantur. Sed tota hæc res conficta est ab ociosis hominibus, qui non norant, quomodo contingat remissio peccatorum, & quomodo in iudicio Dei & terroribus conscientiæ, fiducia operum nobis excutiatur. Sicuti hypocritæ semper iudicant se de condigno mereri, siue adsit habitus ille, siue non adsit, quia naturaliter confidunt homines propria iustitia, sed conscientiæ perterrefactæ ambigunt & dubitant, & subinde alia opera quærunt & cumulant, ut acquiescant. Hæ nunquam sentiunt se de condigno mereri, & ruunt in desperationem, nisi audiant præter doctrinam Legis, Euangelium de gratuita remissione peccatorum, & iustitia fidei.

Aduersarij tantum docent iustitiam rationis.

Ita nihil docent aduersarij, nisi iustitiam rationis, aut certè legis in quam intuentur, sicut Iudæi in uelatam Moysi faciem, & in securis hypocritis, quia putant se Legi satisfacere, excitant præsumptionem & inanem fiduciam operum, & contemptum gratiæ Christi. Econtra pauidas conscientias adigunt ad desperationem, quæ operantes cum dubitatione nunquam possunt experiri quid sit fides, & quam sit efficax, ita ad extremum penitus desperant.

Doctrina nostrarum Ecclesiarum de disciplina.

Nos autem de iustitia rationis sic sentimus, quod Deus requirat eam, & quod propter mandatum Dei necessario sint facienda honesta opera, quæ Decalogus præcipit, iuxta illud, Lex est pædagogus. Item, Lex est iniustis posita. Vult enim Deus coherceri carnales illa ciuili disciplina, Et ad hanc conseruandam dedit Leges, literas, doctrinam, magistratus, pœnas. Et potest hanc iustitiam utcunq; ratio suis uiribus efficere, quanquam sæpe uincitur imbecillitate naturali, & impellente diabolo ad manifesta flagitia. Quanquam autem huic iustitiæ rationis libenter tribuimus suas laudes, Nullum.n. maius bonum habet hæc natura corrupta. Et rectè inquit Aristoteles, neq; Hesperum, neq; Lucife-

Luciferum formosiorem esse iusticia. Ac Deus etiam ornet eam corporalibus premijs, tamen non debet cum contumelia Christi laudari.

Falsum est enim, quod per opera nostra mereamur remissionem peccatorum. *Errores Aduersariorum.*

Falsum est & hoc, quod homines reputentur esse iusti coram Deo propter iusticiam rationis.

Falsum est & hoc, quod ratio proprijs uiribus possit Deum supra omnia diligere & legem Dei facere, uidelicet, uere timere Deum, uere statuere quod Deus exaudiat, uelle obedire Deo in morte & alijs ordinationibus Dei. Non concupiscere aliena &c, etsi ciuilia opera efficere ratio potest.

Falsum est & hoc & contumeliosum in Christum, quod non peccent homines facientes præcepta Dei sine gratia.

Huius nostræ sententiæ testimonia habemus, non solum in scripturis, sed etiam ex Patribus. Nam Augustinus copiosissimè disputat contra Pelagianos, gratiam non dari propter merita nostra, Et de natura & gratia inquit: Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoscendum quomodo uiuere debeat, & ad bene uiuendum sufficit, sibi ergo Christus gratis mortuus est. Ergo euacuatum est scandalum crucis. Cur non etiam ego hic exclamem? Imò exclamabo et istos increpabo dolore Christiano. Euacuati estis à Christo qui in natura iustificamini, à gratia excidistis. Ignorantes enim iusticiam Dei, & uestram uolentes constituere, iusticiæ Dei non estis subiecti. Sicut enim finis Legis, ita etiam naturæ humanæ uiciosæ saluator Christus est, ad iusticiam omni credenti. Et Iohannis 8. Si uos Filius liberauerit, uerè liberi eritis. Non igitur possumus per rationem liberari à peccatis, et mereri remissionem peccatorum. Et Iohannis tertio scriptum est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod si opus est renasci per Spiritum sanctum, iusticia rationis non iustificat nos coram Deo, non facit legem, Rom. 3. Omnes carent gloria Dei, id est, carent sapientia & iusticia Dei, quæ Deum agnoscit & glorificat. Item Roman. 8. Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum, Legi enim Dei non est subiectus, ac ne potest quidem ei subijci. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Hæc adeò sunt aperta testimonia, ut non desiderent acutum intellectorem, sed attentum auditorem, ut Augustini uerbis utamur, quibus ille in eadem causa usus est. Si sensus carnis est inimicicia aduersus Deum, certè caro non diligit Deum. Si non potest Legi Dei subijci, non potest Deum diligere. Si sensus carnis est inimicicia aduersus Deum, peccat caro etiam cum externa ciuilia opera facimus. Si non potest subijci Legi Dei, certè peccat, etiamsi egregia facta, & digna laude iuxta humanum iudicium habet. Aduersarij intuentur præcepta secundæ Tabulæ, quæ iusticiam ciuilem continent, quam intelligit ratio, Hac contenti putant se Legi Dei satisfacere. Interim primam Tabulam non uident, quæ præcipit, ut diligamus Deum, ut uerè statuamus, quod Deus irascatur peccato, ut uerè timeamus Deum, ut uerè statuamus, quod Deus exaudiat. At humanus animus sine Spiritu sancto, aut securus contemnit iudicium Dei, aut in pœna fugit & odit iudicantem Deum. Itaq; non obtemperat primæ Tabulæ. Cum igitur hæreant in natura hominis contemptus Dei, dubitatio de uerbo Dei, de minis, & promissionibus, uerè peccant homines, etiam cum honesta opera faciunt sine Spiritu sancto, quia faciunt ea impio corde, iuxta illud, Quidquid non est ex fide, peccatum *Augustini disputatio contra Pelagium.* *Prima Decalogi Tabula non intellecta aduersarijs.*

peccatum. Tales enim operantur, cum contemptu Dei, ſicut Epicurus non ſentit ſe Deo curæ eſſe, reſpici, aut exaudiri à Deo. Hic contemptus uiciat opera in ſpeciem honeſta, quia Deus iudicat corda.

Impudicia aduerſariorum.

Poſtremò hoc imprudentiſsimè ſcribitur ab aduerſarijs, quod homines rei æternæ iræ, mereantur remiſsionem peccatorum per actum elicitum dilectionis, cum impoſsibile ſit diligere Deum, niſi prius fide apprehendatur remiſsio peccatorum. Non enim poteſt cor uere ſentiens Deum iraſci, diligere Deum, niſi oſtendatur placatus. Donec terret et uidetur nos abijcere in æternam mortem, non poteſt ſe erigere natura humana, ut diligat iratum, iudicantem & punientem. Facile eſt ocioſis fingere iſta ſomnia de dilectione, quod reus peccati mortalis poſsit Deum diligere ſuper omnia, quia non ſentiunt, quid ſit ira, aut iudicium Dei. At in agone conſcientiæ & in acie experitur conſcientia, uanitatem illarum ſpeculationum philoſophicarum. Paulus ait: Lex iram operatur. Non dicit, per legem mereri homines remiſsionem peccatorum, Lex enim ſemper accuſat conſcientias, & perterrefacit. Non igitur iuſtificat, quia conſcientia perterrefacta lege, fugit iudicium Dei. Errant igitur qui per Legem, per opera ſua, mereri ſe remiſsionem peccatorum confidunt. Hæc de iuſticia rationis, aut Legis, quam aduerſarij docent, ſatis ſit dixiſſe. Nam paulò pòſt cum noſtram ſententiam de iuſticia fidei dicemus, res ipſa coget plura teſtimonia ponere, quæ etiam proderunt ad illos errores aduerſariorum, quos hactenus recenſuimus euertendos.

Tota res referenda ad luctam conſcientiarum.

Promiſsio Euangelij gratuita.

Quia igitur non poſſunt homines uiribus ſuis Legem Dei facere, & omnes ſunt ſub peccato, & rei æternæ iræ ac mortis. Ideo non poſſumus per Legem à peccato liberari, ac iuſtificari, ſed data eſt promiſsio remiſsionis peccatorum & iuſtificationis propter Chriſtum qui datus eſt pro nobis, ut ſatisfaceret pro peccatis mundi, & poſitus eſt Mediator ac propiciator. Et hæc promiſsio non habet conditionem meritorum noſtrorum, ſed gratis offert remiſsionem peccatorum & iuſtificationem, ſicut Paulus ait: Si ex operibus, iam non eſt gratia. Et alibi: Iuſticia Dei iam manifeſtatur ſine Lege, id eſt, gratis offertur remiſsio peccatorum. Nec pendet reconciliatio ex noſtris meritis. Quod ſi ex noſtris meritis penderet remiſsio peccatorum, & reconciliatio eſſet ex Lege, eſſet inutilis. Quia enim Legem non facimus, ſequeretur etiam promiſsionem reconciliationis nunquam nobis contingere. Sic argumentatur Paulus Rom. 4. Si ex lege eſſet hæreditas, inanis eſſet fides, & abolita promiſsio. Si enim promiſsio requiret conditionem meritorum noſtrorum, ac legem, cum legem nunquam faciamus, ſequeretur promiſsionem inutilem eſſe.

Promiſsio fide accipienda.

Fides ſpecialis.

Cum autem iuſtificatio continget per gratuitam promiſsionem, ſequitur quod non poſsimus nos ipſi iuſtificare, alioqui quorſum opus erat promittere? Cumq; promiſsio non poſsit accipi niſi fide, Euangelium, quod eſt propriè promiſsio remiſſionis peccatorum & iuſtificationis propter Chriſtum, prædicat iuſticiam fidei in Chriſtum, quam non docet Lex, necq; hæc eſt iuſticia legis. Lex enim requirit à nobis opera noſtra, & perfectionem noſtram, Sed promiſsio offert nobis oppreſſis peccato & morte gratis reconciliationem propter Chriſtum, quę accipitur non operibus, ſed ſola fide, Hæc fides non offert ad Deum fiduciam propriorum meritorum, ſed tantum fiduciam promiſſionis ſeu promiſſæ miſericordiæ in Chriſto. Hæc igitur fides ſpecialis, qua credit unuſquiſq; ſibi re-

sibi remitti peccata propter Christum, & Deum placatum & propicium esse propter Christum, consequitur remissionem peccatorum, & iustificat nos, & quia in pœnitentia, hoc est, in terroribus consolatur & erigit corda, & regenerat nos, & affert Spiritum sanctum, ut deinde legem Dei facere possimus, uidelicet, diligere Deum, uere timere Deum, uere statuere, quod Deus exaudiat, obedire Deo in omnibus afflictionibus, mortificat concupiscentiam &c.

Ita fides quæ gratis accipit remissionem peccatorum, quia opponit Mediatorem & propiciatorem Christum iræ Dei, non opponit nostra merita, aut dilectionem nostram, quia fides, est uera cognitio Christi, & utitur beneficijs Christi, & regenerat corda, & præcedit Legis impletionem. Et de hac fide nulla syllaba extat in doctrina Aduersariorum nostrorum. Proinde reprehendimus Aduersarios, quod tantum tradunt iusticiam Legis, non tradunt iusticiam Euangelij, quod prædicat iusticiam fidei in Christum.

QVID SIT FIDES IVSTIFICANS.

ADuersarij tantum fingunt fidem esse noticiam historiæ, Ideoq; docent eam cum peccato mortali posse existere. Nihil enim loquuntur de fide, qua Paulus toties dicit homines iustificari, quia qui reputantur iusti coram Deo, non uersantur in peccato mortali. Sed illa fides, quæ iustificat, non est tantum noticia historiæ, sed est assentiri promissioni Dei, in qua gratis propter Christum offertur remissio peccatorum & iustificatio. Et ne quis suspicetur, tantum noticiam esse, addemus amplius, est uelle & accipere oblatam promissionem remissionis peccatorum, & iustificationis. *Fides significat fiduciam misericordiæ.*

Ac facile potest cerni discrimen inter hanc fidem, & inter iusticiam legis, fides est λατρεία quæ accipit à Deo oblata beneficia. Iusticia Legis est λατρεία quæ offert Deo nostra merita. Fide sic uult coli Deus, ut ab ipso accipiamus ea, quæ promittit & offert.

Quod autem fides significet non tantum historiæ noticiam, sed illam fidem, quæ assentitur promissioni, apertè testatur Paulus qui ait, Iusticiam ideo ex fide esse, ut sit firma promissio. Sentit enim promissionem non posse accipi nisi fide, Quare inter se correlatiuè comparat & connectit promissionem & fidem. Quanquam facile erit iudicare, quid sit fides, si Symbolum consideremus, ubi certè ponitur hic articulus: Remissionem peccatorum. Itaq; non satis est credere, quod Christus natus, passus, resuscitatus sit, nisi addimus & hunc articulum, qui est causa finalis historiæ: Remissionem peccatorum. Ad hunc articulum referri cætera oportet, quod uidelicet propter Christum, non propter nostra merita donetur nobis remissio peccatorum. Quid enim opus erat Christum dare pro peccatis nostris, si nostra merita pro peccatis nostris possunt satisfacere. *Paulus copulat fidem & promissionem ut correlatiua.*

Quoties igitur de fide iustificante loquimur, sciendum est hæc tria obiecta concurrere, promissionem, & quidem gratuitam, & merita Christi tanquam precium & propiciationem. Promissio accipitur fide, Gratuitum excludit nostra merita, & significat tantum per misericordiam offerri beneficium. Christi merita sunt precium, quia oportet esse aliquam certam propiciationem pro peccatis nostris. Scriptura crebro misericordiam implorat, Et sancti patres sæpe dicunt, nos per misericordiam saluari. Quoties igitur fit mentio misericordiæ, *Obiecta fidei.* *Particula gratis quid excludat.*

ricordiæ, sciendum est, quod fides ibi requiratur, quæ promissionem misericordiæ accipit, Et rursus quoties nos de fide loquimur, intelligi uolumus obiectum, scilicet misericordiam promissam, Nam fides non ideo iustificat, aut saluat quia ipsa sit opus per sese dignum, sed tantum quia accipit misericordiam promissam.

Et hic cultus, hæc λατρεία in Prophetis & Psalmis passim præcipue laudatur, cum tamen Lex non doceat gratuitam remissionem peccatorum, Sed Patres norant promissionem de Christo, quod Deus propter Christum uellet remittere peccata. Igitur cum intelligerent Christum fore precium pro nostris peccatis, sciebant opera nostra non esse precium rei tantæ. Ideo gratuitam misericordiam et remissionem peccatorum fide accipiebant, sicut sancti in nouo testamento. Huc pertinent illæ crebræ repetitiones misericordiæ & fidei in Psalmis & Prophetis, ut hic: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis substinebit? Hic confitetur peccata, nec allegat merita sua. Addit, Quia apud te propiciatio est. Hic erigit se fiducia misericordiæ Dei. Et citat promissionē: Sustinuit anima mea in uerbo eius. Sperauit anima mea in Domino, id est, quia promisisti remissionem peccatorum, hac tua promissione sustentor. Et Paulus citat de Abraham: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam, hoc est, Abraham sensit se habere Deum propicium, tantum propter ipsius promissionē. Assensus est promissioni Dei, nec passus est se ab ea abstrahi, etiamsi uidebat se immundum atq; indignum esse. Sentiebat Deum præstare promissum propter ueritatem suam, non propter opera aut merita nostra. Nec possunt acquiescere perterrefacta corda, si sentire debent, se propter opera propria, aut propriam dilectionem, aut Legis impletionem placere, quia hæret in carne peccatum, quod semper accusat nos. Tunc autem acquiescunt corda, quando in illis terroribus statuunt nos ideo placere Deo, quia promisit, & Deum præstare promissum propter suam ueritatem, non propter dignitatem nostram. Ita Abraham audiuit hanc uocem: Noli timere, Ego enim sum protector tuus &c. Hic erexit se & sensit Deum sibi propicium esse, non quia ipse meritus esset, Sed quia necesse esset Dei promissionem ueram iudicari. Hæc igitur fides imputatur ei pro iusticia, hoc est, quia assentitur promissioni, & accipit oblatam reconciliationem, iam uere est iustus & acceptus Deo, non propter dignitatem suam, sed quia gratuitam promissionem Dei accipit. Nō frustra placuit Paulo hoc testimonium Geneseos. Videmus quomodo exaggerat, quām diligenter in eo commoratur, quia uidebat naturam fidei in hoc loco facile perspici posse, Videbat disertè addi testimonium de imputatione iusticiæ, Videbat adimi operibus laudem promerendę iustificationis et pacandę conscientię, cùm Abraham ideo pronuncietur iustus, quia assentitur promissioni, & accipit oblatam reconciliationem, non opponit iræ Dei merita aut opera. Quare hic locus diligenter consideratus, copiose de tota re pias mentes docere poterit, qui quidem ita intelligi poterit, si proponant eum sibi perterrefactæ mentes, & statuant ad eundem modum se debere assentiri gratuitæ promissioni. Neq; enim possunt aliter acquiescere, nisi statuant se habere Deum placatum, quia promiserit, non quia nostra natura, uita & opera digna sint.

Repetitiones misericordiæ & fidei crebræ in scriptura.

Itaq; et Patres iustificabantur, non per Legem, sed per promissionem, et fidem. Ac mirum est aduersarios adeo extenuare fidem, cum uideant ubiq; pro præcipuo cultu laudari, ut Psal: 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Ita

Quomodo patres iustificati.

te. Ita uult innotescere Deus, ita uult se coli, ut ab ipso accipiamus beneficia, & quidem accipiamus propter ipsius misericordiam, non propter merita nostra. Hæc est amplissima consolatio in omnibus afflictionibus. Et huiusmodi consolationes abolent Aduersarij, cum fidem extenuant, & uituperant, et tantum docent homines per opera & merita cum Deo agere.

QVOD SOLA FIDES IN CHRISTVM IVSTIFICET.

PRimum, ne quis putet nos de ociosa notitia historiæ loqui, dicendum est quomodo contingat fides. Postea ostendemus & quod iustificet, & quomodo hoc intelligi debeat, & diluemus ea quæ aduersarij obijciunt. Christus Lucæ ultimo iubet prædicari pœnitentiam in nomine suo, & remissionem peccatorum. Euangelium enim arguit omnes homines, quod sint sub peccato, quod omnes sint rei æternæ iræ ac mortis, & offert propter Christum remissionem peccatorum, & iustificationem, quæ fide accipitur. Prædicatio pœnitentiæ quæ arguit nos, perterrefacit cõscientias ueris & serijs terroribus. In his corda rursus debent concipere consolationem. Id fit, si credant promissioni Christi, quod propter ipsum habeamus remissionem peccatorum. Hæc fides in illis pauoribus erigens & consolans, accipit remissionem peccatorum, iustificat, & uiuificat. Nam illa consolatio est noua & spiritualis uita. Hæc plana & perspicua sunt, & à pijs intelligi possunt, & habent Ecclesiæ testimonia, Aduersarij nusquam possunt dicere, quomodo detur Spiritus sanctus. Fingunt Sacramenta conferre Spiritum sanctum ex opere operato, sine bono motu accipientis, quasi uerõ ociosa res sit donatio Spiritus sancti.

Summa Euangelij.

De modo regenerationis.

Cum autem de tali fide loquamur, quæ non est ociosa cogitatio, sed quæ à morte liberat, & nouam uitam in cordibus parit, & est opus Spiritus sancti, non stat cum peccato mortali, Sed tantisper dum adest, bonos fructus parit, ut postea dicemus. Quid potest dici de conuersione impij, seu de modo regenerationis, simplicius & clarius? Proferant unum commentarium in sententias, ex tanto Scriptorum agmine, qui de modo regenerationis dixerit. Cum loquuntur de habitu dilectionis fingunt homines Spiritum sanctum per opera mereri, non docent per uerbum accipi, sicut & hoc tempore Anabaptistæ docent. At cum Deo non potest agi, Deus nõ potest apprehendi, nisi per uerbum. Ideo iustificatio fit per uerbum, sicut Paulus ait: Euangeliũ est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Fides est ex auditu. Et uel hinc argumentum sumi potest, quod fides iustificet, quia si tantum fit iustificatio per uerbum, & uerbum tantum fide apprehenditur, sequitur quod fides iustificet. Sed sunt aliæ maiores rationes. Hæc diximus hactenus, ut modum regenerationis ostenderemus, & ut intelligi possit, qualis sit fides, de qua loquimur.

Quomodo contingat fides.

Nunc ostendemus, quod fides iustificet. Vbi primum hoc monendi sunt lectores, quod sicut necesse est hanc sententiam tueri, quod Christus sit Mediator, ita necesse sit defendere, quod fides iustificet. Quomodo enim erit Christus Mediator, si in iustificatione non utimur eo Mediatore, si non sentimus, quod propter ipsum iusti reputemur? Id autem est credere, confidere meritis Christi, quod propter ipsum certõ uelit nobis Deus placatus esse. Item, sicut oportet defendere, quod præter legem, necessaria sit promissio Christi, ita necesse est defendere quod fides iustificet. Lex enim non docet gratuitam remissionem peccatorum. Item, Lex non potest fieri, nisi prius accepto Spiritu sancto. Necesse

Fides intuetur Mediatorem.

est igitur defendere, quod promissio Christi necessaria sit, Ad hæc non potest accipi nisi fide. Itaq; qui negant fidem iustificare, nihil nisi Legem abolito Euangelio, & abolito Christo docent.

Fides iustificat nõ tantum præparatiue.

Sed nonnulli fortassis, cum dicitur, quod fides iustificet, intelligunt de principio, quod fides sit initium iustificationis, seu præparatio ad iustificationem, ita, ut non sit ipsa fides, illud quo accepti sumus Deo, sed opera quæ sequuntur. Et somniant fidem, ideo ualde laudari, quia sit principium. Magna enim uis est principij, ut uulgo dicunt: ἀρχὴ ἥμισυ πάντος, ut si quis dicat, quod Grammatica efficiat omnium artium doctores, quia præparat ad alias artes, etiamsi sua quenq; ars uerè artificem efficit. Non sic de fide sentimus, sed hoc defendimus, quod propriè ac uerè ipsa fide propter Christum iusti reputemur, seu accepti Deo simus. Et quia iustificari significat ex iniustis iustos effici, seu regenerari, significat & iustos pronunciari seu reputari. Vtroq; enim modo loquitur scriptura. Ideo primum uolumus hoc ostendere, quod sola fides ex iniusto iustum efficiat, hoc est, accipiat remissionem peccatorum.

Iustifica ri quid significat.

De exclusiua sola fide.

Offendit quosdam particula, sola, cum & Paulus dicat: Arbitramur hominem iustificari fide, non ex operibus. Item Ephesios 2. Dei donum est, non ex uobis, neq; ex operibus, ne quis glorietur. Item Rom 3. Gratis iustificati. Si displicet exclusiua, sola, tollant etiam ex Paulo, illas exclusiuas, gratis, non ex operibus, donum est &c. Nam hæ quoq; sunt exclusiuæ. Excludimus autem opinionem meriti. Non excludimus uerbum aut sacramenta, ut calumniantur aduersarij. Diximus enim supra fidem ex uerbo concipi. Ac multo maximè ornamus ministerium uerbi. Dilectio etiam & opera sequi fidem debent, quare non sic excluduntur, ne sequantur, sed fiducia meriti dilectionis aut operum in iustificatione excluditur. Idq; perspicuè ostendemus.

QVOD REMISSIONEM PECCATORVM *sola Fide in Christum consequamur.*

FAteri etiam aduersarios existimamus, quod in iustificatione primum necessaria sit remissio peccatorum. Omnes enim sub peccato sumus. Quare sic argumentamur.

Iustificari est accipere remissionem peccatorum.

Consequi remissionem peccatorum, est iustificari, iuxta illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates.

Sola fide in Christum, non per dilectionem, non propter dilectionem aut opera, consequimur remissionem peccatorum, etsi dilectio sequitur fidem.

Igitur sola fide iustificamur, intelligendo iustificationem, ex iniusto iustum effici, seu regenerari.

Minor ita facile poterit declarari, si sciamus, quomodo fiat remissio peccatorum. Aduersarij frigidissimè disputant, Vtrum sint una mutatio remissio peccatorum, & infusio gratiæ, Ociosi homines quid dicerent, non habebant. In remissione peccatorum oportet in cordibus uinci terrores peccati & mortis æternæ, sicut Paulus testatur 1. Corinth. 15. Aculeus mortis peccatum est. Potentia uero peccati Lex. Gratia autem Deo, qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Id est, peccatum perterrefacit conscientias. Id fit per Legem, quæ ostendit iram Dei aduersus peccatum, sed uincimus per Christum. Quomodo? fide, cum erigimus nos fiducia promissæ misericordiæ propter Christum. Sic igitur probamus minorem, Ira Dei non potest placari,

si oppo-

si opponamus nostra opera, quia Christus propositus est propiciator, ut propter ipsum fiat nobis placatus Pater. Christus autem non apprehenditur tanquam Mediator, nisi fide. Igitur sola fide consequimur remissionem peccatorum, cum erigimus corda fiducia misericordiæ propter Christum promissæ. *Mediator fide apprehendendus.*

Item Paulus Rom. 5. ait: Per ipsum habemus accessum ad Patrem, & addit per fidem. Sic igitur reconciliamur Patri, & accipimus remissionem peccatorum, quando erigimur fiducia promissæ misericordiæ propter Christum. Aduersarij Christum ita intelligunt Mediatorem & Propiciatorem esse, quia meruerit habitum dilectionis, non iubent nunc eo uti Mediatore, sed prorsus sepulto Christo, fingunt nos habere accessum per propria opera, & per hæc habitum illum mereri, & postea dilectione habere pacem conscientiæ. An non est hoc prorsus sepelire Christum, & totam fidei doctrinam tollere? Paulus contra docet nos habere accessum, hoc est, pacem per Christum, Et ut ostenderet quomodo id fiat, addit quod per fidem habeamus accessum. Fide igitur propter Christum accipimus remissionem peccatorum. Non possumus iræ Dei opponere nostram dilectionem, & opera nostra.

Secundò. Certum est peccata remitti propter Propiciatorem Christum, Rom. 3. Quem posuit Deus propiciatorem. Addit autem Paulus per fidem. Itaq; nobis prodest hic propiciator, cum fide apprehendimus promissam in eo misericordiam, & opponimus eam iræ ac iudicio Dei. Et in eandem sententiam scriptum est ad Ebræos 4. Habentes Pontificem &c. accedamus cum fiducia. Iubet enim accedere ad Deum, non fiducia nostrorum meritorum, sed fiducia Pontificis Christi: Requirit igitur fidem. *Quomodo prosit Christus propiciator.*

Tertiò. Petrus in Actis cap. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Quomodo potuit clarius dicere? Remissionem peccatorum accipimus, inquit, per nomen eius, hoc est, propter eum. Ergo non propter nostra merita, non propter nostram contritionem, attritionem, dilectionem, cultus, opera. Et addit, cum credimus in eum: Requirit igitur fidem. Neq; enim possumus apprehendere nomen Christi, nisi fide. Præterea allegat consensum omnium Prophetarum. Hoc uerè est allegare Ecclesiæ autoritatem, sed de hoc loco infrà de Pœnitentia rursus dicendum erit. *Consensus omnium Prophetarum.*

Quartò. Remissio peccatorum est res promissa propter Christum. Igitur non potest accipi, nisi sola fide. Nam promissio accipi non potest, nisi sola fide. Roman. 4. Ideo ex fide, ut sit firma promissio secundum gratiam, quasi dicat, Si penderet res ex meritis nostris, incerta & inutilis esset promissio, quia nunquam constituere possemus, quando satis meriti essemus. Idq; facilè intelligere queunt peritæ conscientiæ. Ideo Paulus ait Galat. 3. Conclusit Deus omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus. Hic detrahit meritum nobis, quia dicit omnes reos esse, & conclusos sub peccatum, deinde addit promissionem, uidelicet remissionis peccatorum & iustificationis, dari, & addit, quomodo accipi promissio possit, uidelicet, fide. Atq; hæc ratio sumta ex natura promissionis apud Paulum præcipua est, & sæpè repetitur. Neq; excogitari, neque fingi quidquam potest, quo hoc Pauli argumentum euerti queat. Proinde non patientur, se bonæ mentes depelli ab hac sententia, quod tantum fide accipiamus remissionem propter Christum. In hac habent certam *Promißio sonitus inanis non credenti.*

& firmam consolationem aduersus peccati terrores,& aduersus æternam mortem, & aduersus omnes portas inferorum.

Correlatiue intelligenda propositio,Sola fide sumus iusti.

Cum autem sola fide accipiamus remissionem peccatorum & reconciliationem propter Christum,sola fides iustificat,quia reconciliati reputantur iusti & filij Dei,non propter suam mundiciem,sed per misericordiam propter Christum, si tamen hanc misericordiam fide apprehendant. Ideoq; scriptura testatur, quòd fide iusti reputemur. Adijciemus igitur testimonia, quæ clarè pronunciant, quod fides sit ipsa iusticia, qua coram Deo iusti reputamur, uidelicet, non quia sit opus per sese dignum, Sed quia accipit promissionem qua Deus pollicitus est, quod propter Christum uelit propicius esse credentibus in eum, seu quia sentit, quod Christus sit nobis factus à Deo,sapientia,iusticia, sanctificatio,& redemptio.

Paulus detractat iustificationem præcipuè legi Morali.

Paulus in Epistola ad Romanos præcipuè de hoc loco disputat,& proponit, quòd gratis iustificemur fide credentes nobis Deum placatum propter Christum. Et hanc propositionem capite tertio, quæ statum uniuersæ disputationis continet,tradit. Arbitramur hominem fide iustificari, non ex operibus Legis.Hic aduersarij interpretantur ceremonias Leuiticas,At Paulus non tantum de ceremonijs loquitur,sed de tota Lege. Allegat enim infra ex Decalogo: Non concupisces.Et si opera moralia mererentur remissionem peccatorum, & iustificationem,etiam nihil opus esset Christo,& promissione,et ruerent omnia illa,quæ Paulus de promissione loquitur. Male etiam scriberet ad Ephesios, gratis nos saluatos esse,& donum Dei esse,non ex operibus. Item Paulus allegat Abraham,allegat Dauidem.At hi de circumcisione habuerunt mandatum Dei,Itaq; si ulla opera iustificabant,necesse erat illa opera tunc cum mandatum haberent,etiam iustificasse. Sed rectè docet Augustinus,Paulum de tota Lege loqui, sicut prolixè disputat de Spiritu & Litera, ubi postremo ait: His igitur consideratis pertractatisq; pro uiribus, quas Dominus donare dignatur, colligimus non iustificari hominem præceptis bonæ uitæ, nisi per fidem Iesu Christi.

Et ne putemus temerè excidisse Paulo sententiam, quod fides iustificet, longa disputatione munit & confirmat eam in quarto capite ad Romanos. Et deinde in omnibus Epistolis repetit.

Mentio imputationis iusticiæ apud Paulum

Sic ait capite quarto ad Romanos: Operanti merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum, Ei autem qui nõ operatur,credit autem in eum qui iustificat impium,reputatur fides eius ad iusticiam. Hic Paulus clarè dicit fidem ipsam imputari ad iusticiam. Fides igitur est illa res, quam Deus pronunciat esse iusticiam,& addit,gratis imputari. Et negat posse gratis imputari, si propter opera deberetur. Quare excludit etiam meritum operum moralium.Nam si his deberetur iustificatio coram Deo,non imputaretur fides ad iusticiam sine operibus.

Et postea: Dicimus enim quòd Abrahæ imputata est fides ad iusticiam.

Capite 5. ait: Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum,id est, habemus conscientias tranquillas & lætas coram Deo.

Roman.4.Corde creditur ad iusticiam. Hic pronunciat fidem esse iusticiam cordis.

Ad Galat.2.Nos in Christo Iesu credimus,ut iustificemur fide Christi,& non ex operibus Legis.

Ad Ephes.2.

Ad Epheſ.2.Gratia enim ſaluati eſtis per fidem,& hoc non ex uobis, Dei enim donum eſt,non ex operibus,ne quis glorietur.

Iohannis primo : Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius,qui non ex ſanguinibus,neq; ex uoluntate carnis,neq; ex uoluntate uiri,ſed ex Deo nati ſunt.

Iohannis 3.Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis,ut omnis qui credit in ipſum non pereat.

Item, Non miſit Deus filium ſuum in mundum ut iudicet mundum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum,non iudicatur.

Actorum 13. Notum igitur ſit uobis uiri fratres, quod per hunc uobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus quibus non potuiſtis in Lege iuſtificari, in hoc omnis qui credit iuſtificatur. Quomodo potuit clarius de officio Chriſti & de iuſtificatione dici? Lex inquit non iuſtificabat. Ideo Chriſtus datus eſt, ut credamus nos propter ipſum iuſtificari. Apertē detrahit Legi iuſtificationem, Ergo propter Chriſtum iuſti reputamur, cum credimus nobis Deum placatum eſſe propter ipſum.

Actorum 4. Hic eſt lapis qui reprobatus eſt ā uobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, Et non eſt in aliquo alio ſalus. Neq; enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Nomen autem Chriſti tantum fide apprehenditur. Igitur fiducia nominis Chriſti non fiducia noſtrorum operum ſaluamur. Nomen enim hic ſignificat cauſam quæ allegatur propter quam contingit ſalus. Et allegare nomen Chriſti, eſt confidere nomine Chriſti,tanquam cauſa, ſeu precio propter quod ſaluamur.

Actorum 5. Fide purificans corda eorum. Quare fides illa de qua loquuntur Apoſtoli, non eſt ocioſa noticia, ſed res accipiens Spiritum ſanctum & iuſtificans nos.

Abacuc primo : Iuſtus ex fide uiuet. Hic primum dicit homines fide eſſe iuſtos,qua credunt Deum propicium eſſe, & addit, quod eadem fides uiuificet, quia hæc fides parit in corde pacem & gaudium,& uitam æternam.

Eſaiæ 53. Noticia eius iuſtificabit multos. Quid eſt autem noticia Chriſti, niſi noſſe beneficia Chriſti,promiſſiones,quas per Euangelium ſparſit in mundum? Et hæc beneficia noſſe propriè & uerē eſt credere in Chriſtum, credere quod quæ promiſit Deus propter Chriſtum,certo præſtet.

Sed plena eſt Scriptura talibus teſtimonijs, quia alibi Legem, alibi Promiſsiones de Chriſto, & de remiſſione peccatorum, & de gratuita acceptatione propter Chriſtum tradit. Extant & apud S. Patres ſparſim ſimilia teſtimonia. Ambroſius enim inquit in Epiſtola ad Irenæum quendam, Subditus autem mundus eo per Legem factus eſt,quia ex præſcripto Legis omnes conueniuntur,& ex operibus Legis nemo iuſtificatur, id eſt, quia per Legem peccatum cognoſcitur, ſed culpa non relaxatur. Videbatur Lex nocuiſſe, quæ omnes faceret peccatores,ſed ueniens Dominus Ieſus,peccatum omnibus quod nemo poterat euitare, donauit, & chirographum noſtrum ſui ſanguinis effuſione deleuit. Hoc eſt, quod ait : Abundauit Peccatum per Legem, Superabundauit autem gratia per Ieſum. Quia poſtquām totus mundus ſubditus factus eſt, totius mundi peccatum abſtulit,ſicut teſtificatus eſt Ioannes,dicens : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et ideo nemo glorietur in operibus,quia nemo factis ſuis iuſtificatur. Sed qui iuſtus eſt,donatum habet,quia poſt lauacrum iuſtificatus

Ambroſij dictum.

ſtificatus eſt. Fides ergo eſt, quæ liberat per ſanguinem Chriſti, quia beatus ille cui peccatum remittitur, & uenia donatur. Hæc ſunt Ambroſij uerba, quæ apertè patrocinantur noſtræ ſententiæ, detrahit operibus iuſtificationem, & tribuit fidei, quod liberet per ſanguinem Chriſti. Conferantur in unum acer-uum Sententiarij omnes, qui magnificis titulis ornantur. Nam alij uocantur angelici, alij ſubtiles, alij irrefragabiles, Omnes iſti lecti & relecti non tantum conferent ad intelligendum Paulum, quantum confert hæc una Ambroſij ſententia.

Auguſtini ſententia.

In eandem ſententiam multa contra Pelagianos ſcribit Auguſtinus. De Spiritu & litera ſic ait: Ideo quippe proponitur iuſticia Legis, quod qui fecerit eam, uiuat in illa, ut cum quiſq; infirmitatem ſuam cognouerit, non per ſuas uires, neq; per literam ipſius Legis, quod fieri non poteſt, Sed per fidem concilians iuſtificatorem, perueniat, & faciat, & uiuat in ea, Opus rectum quod qui fecerit, uiuet in eo, non fit, niſi in iuſtificato, Iuſtificatio autem ex fide impetratur. Hic clarè dicit iuſtificatorem fide conciliari, & iuſtificationem fide impetrari. Et paulo pōſt: Ex Lege timemus Deum, ex fide ſperamus in Deum, ſed timentibus pœnam abſconditur gratia, ſubquo timore anima laborans ꝛc. per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, utdet quod iubet. Hic docet Lege terreri corda, fide autem conſolationem capere, & docet prius fide apprehendere miſericordiam, quàm Legem facere conemur. Recitabimus paulo pōſt & alia quædam.

Sophiſma aduerſariorum de fide formata.

Profectō mirum eſt aduerſarios tot locis ſcripturæ nihil moueri, quæ apertē tribuunt iuſtificationem fidei, & quidem detrahunt operibus. Num fruſtra exiſtimant toties idem repeti? Num arbitrantur excidiſſe Spiritui ſancto non animaduertenti has uoces? Sed excogitauerunt etiam cauillum quo eludunt, dicunt de fide formata accipi debere, hoc eſt, non tribuunt fidei iuſtificationem, niſi propter dilectionem, imō prorſus non tribuunt fidei iuſtificationem, ſed tantum dilectioni, quia ſomniant fidem poſſe ſtare cum peccato mortali. Quorſum hoc pertinet, niſi ut promiſsionem iterum aboleant, & redeant ad legem. Si fides accipit remiſſionem peccatorū propter dilectionem, ſemper erit incerta remiſsio peccatorum, quia nunquam diligimus tantum, quantum debemus, imō non diligimus, niſi certò ſtatuant corda, quod donata ſit nobis remiſsio peccatorum. Ita aduerſarij dum requirunt fiduciam propriæ dilectionis in remiſsione peccatorum & iuſtificatione, Euangelium de gratuita remiſsione peccatorum prorſus abolent, cum tamen dilectionem illam neq; præſtent, neq; intelligant, niſi credant gratis accipi remiſsionem peccatorum.

Fides non nititur dilectione ſequente.

Nos quoq; dicimus, quod dilectio fidem ſequi debeat, ſicut & Paulus ait, In Chriſto Ieſu neq; circumciſio aliquid ualet, neq; præputium, ſed fides per dilectionem efficax. Neq; tamen ideo ſentiendum eſt, quod fiducia huius dilectionis, aut propter hanc dilectionem accipiamus remiſsionem peccatorum & reconciliationem, ſicut neq; accipimus remiſsionem peccatorum propter alia opera ſequentia. Sed ſola fide & quidem fide propriè dicta accipitur remiſſio peccatorum, quia promiſsio non poteſt accipi niſi fide. Eſt autem Fides propriè dicta, quæ aſſentitur promiſsioni, de hac fide loquitur ſcriptura. Et quia accipit remiſsionem peccatorum & reconciliat nos Deo, prius hac fide iuſti reputamur propter Chriſtum, quām diligimus, ac Legem facimus, etſi neceſſariō

ceſſariò ſequitur dilectio. Neq; uero hæc fides eſt ocioſa noticia, nec poteſt ſtare cum peccato mortali, ſed eſt opus Spiritus ſancti, quo liberamur à morte, quo eriguntur & uiuificantur perterrefactæ mentes. Et quia ſola hæc fides accipit remiſsionem peccatorum, & reddit nos acceptos Deo, & reddit conſcientias pacatas ac tranquillas rectius uocari gratia gratum faciens poterat, quàm effectus ſequens, uidelicet dilectio.

Hactenus ſatis copioſe oſtendimus & teſtimonijs ſcripturæ, & argumentis ex ſcriptura ſumptis, ut res magis fieret perſpicua, quod ſola fide conſequimur remiſsionem peccatorum propter Chriſtum, & quod ſola fide iuſtificemur, hoc eſt, ex iniuſtis iuſti efficiamur, ſeu regeneremur: Facile autem iudicari poteſt, quàm neceſſaria ſit huius fidei cognitio, quia in hac una conſpicitur Chriſti officium, hac una accipimus Chriſti beneficia, hæc una affert certam & firmam conſolationem pijs mentibus. Et oportet in Eccleſia extare doctrinam, ex qua concipiant pij certam ſpem ſalutis. Nam aduerſarij infœliciter conſulunt hominibus dum iubent dubitare, Vtrum conſequantur remiſſionem peccatorum. Quomodo in morte ſuſtentabunt ſe iſti, qui de hac fide nihil audierunt, qui putant dubitandum eſſe, Vtrum conſequantur remiſsionem peccatorum. Præterea neceſſe eſt retineri in Eccleſia Chriſti Euangelium, hoc eſt, promiſsionem, quod gratis propter Chriſtum remittuntur peccata. Id Euangelium penitus abolent, qui de hac fide, de qua loquimur, nihil docent. At Scholaſtici ne uerbum quidem de hac fide tradũt. Hos ſequuntur aduerſarij noſtri, & improbant hanc fidem. Nec uident ſe totam promiſsionem gratuitæ remiſsionis peccatorum, & iuſticiæ Chriſti abolere improbata hac fide.

Neceßitas defendit excluſiuam.

DE DILECTIONE ET IMPLETIONE LEGIS.

Hic obijciunt aduerſarij. Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Item, Factores Legis iuſtificabuntur, & alia multa ſimilia de lege & operibus. Ad quæ priuſquàm reſpondemus dicendum eſt, quid nos de dilectione, & impletione Legis ſentiamus. Scriptum eſt apud Prophetam: Dabo Legem meam in corda eorum. Et Rom. 3. ait Paulus, Legem ſtabiliri non aboleri per fidem. Et Chriſtus ait: Si uis ingredi in uitam, ſerua mandata. Item, Si dilectionem non habeam, nihil ſum. Hæ ſententiæ & ſimiles teſtantur, quod oporteat legem in nobis inchoari, & magis magiſq; fieri. Loquitur autem non de ceremonijs, ſed de illa lege, quæ præcipit de motibus cordis, uidelicet de Decalogo. Quia uerò fides affert Spiritum ſanctum, & parit nouam uitam in cordibus, neceſſe eſt, quod pariat ſpirituales motus in cordibus. Et qui ſint illi motus oſtendit Propheta cum ait: Dabo Legem meam in corda eorum. Poſtquàm igitur fide iuſtificati & renati ſumus, incipimus Deum timere & diligere, petere & expectare ab eo auxilium, gratias agere & prædicare, & obedire ei in afflictionibus. Incipimus & diligere proximos, quia corda habent ſpirituales & ſanctos motus.

Neceſſe eſt fidem ſequi initium nouæ obedientiæ.

Hæc non poſſunt fieri, niſi poſtquàm fide iuſtificati ſumus & renati accipimus Spiritum ſanctum. Primum, quia lex non poteſt fieri ſine Chriſto. Item, Lex non poteſt fieri ſine Spiritu ſancto. At Spiritus ſanctus accipitur fide, iuxta illud Pauli Gal. 3. Vt promiſsionẽ Spiritus accipiamus per fidem. Item, quo-

modo potest humanum cor diligere Deum, dum sentit eum horribiliter irasci, & opprimere nos temporalibus, & perpetuis calamitatibus. Lex aũt semper accusat nos, semper ostendit irasci Deum. Non igitur diligitur Deus, nisi postquàm apprehendimus fide misericordiam. Ita demum fit obiectum amabile.

Virtutes primæ tabulæ decalogi non inchoantur sine Spiritu sancto.

Quanquam igitur ciuilia opera, hoc est, externa opera legis sine Christo, & sine Spiritu sancto aliqua ex parte fieri possint, tamen apparet ex his quæ diximus, illa quæ sunt propriè legis diuinæ, hoc est, affectus cordis erga Deum, qui præcipiuntur in prima Tabula, non posse fieri sine Spiritu sancto. Sed aduersarij nostri sunt suaues theologi, intuentur secundam Tabulam, & politica opera, primam nihil curant, quasi nihil pertineat ad rem, aut certè tantum externos cultus requirunt. Illam æternam legem, & longè positam supra omnium creaturarum sensum atq; intellectum, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, prorsus non considerant.

Effectus Spiritus sancti in credentibus.

At Christus ad hoc datus est, ut propter eum donentur nobis remissio peccatorum, & Spiritus sanctus, qui nouam & æternam uitam, ac æternam iustitiam in nobis pariat. Primum ostendat Christum, sicut Iohan. 16. scriptum est, Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit uobis. Deinde & alia dona afferat, dilectionem, inuocationem, gratiarum actionem, castitatem, patientiam &c. Quare non potest lex uerè fieri, nisi accepto Spiritu sancto per fidem. Ideo Paulus dicit, legem stabiliri per fidem, non aboleri, quia lex ita demum fieri potest, cum contingit Spiritus sanctus. Et Paulus docet 2. Corint. 3. uelamen quo facies Moysi tecta est, non posse tolli, nisi fide in Christum, qua accipitur Spiritus sanctus. Sic enim ait, sed usq; in hodiernum diem cum legitur Moyses, uelamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersi fuerint ad Deum, auferetur uelamen, Dominus autem spiritus est, Vbi aũt spiritus Domini, ibi libertas. Velamen intelligit Paulus, humanam opinionem de tota lege, Decalogo & ceremonijs, uidelicet q̃ hypocritæ putant externa & ciuilia opera satisfacere Legi Dei, & sacrificia & cultus ex opere operato iustificare coram Deo. Tunc autem detrahitur nobis hoc uelamen, hoc est, eximitur hic error, quando Deus ostendit cordibus nostris immundiciem nostram & magnitudinem peccati. Ibi primum uidemus nos longè abesse ab impletione Legis. Ibi agnoscimus quomodo caro secura atq; ociosa non timeat Deum, nec uerè statuat respici nos à Deo, sed casu nasci, & occidere homines. Ibi experimur nos non credere, quod Deus ignoscat & exaudiat. Cum autem audito Euangelio & remissione peccatorum fide erigimur, concipimus Spiritum sanctum, ut iam rectè de Deo sentire possimus, & timere Deum, & credere ei &c. Ex his apparet non posse Legem sine Christo, & sine Spiritu sancto fieri.

Calumnia aduersariorum.

Profitemur igitur, quòd necesse sit inchoari in nobis et subinde magis magisq; fieri legem. Et complectimur simul utrunq;, uidelicet spirituales motus & externa bona opera. Falso igitur calumniantur nos aduersarij, q̃ nostri non doceant bona opera, cum ea non solum requirant, sed etiam ostendant, quomodo fieri possint. Euentus coarguit hypocritas, qui suis uiribus conantur Legem facere, quòd non possint præstare, quæ conantur. Longè.n. imbecillior est humana natura, quàm ut suis uiribus resistere diabolo possit, qui habet captiuos omnes, qui non sunt liberati per fidem. Potentia Christi opus est aduersus diabolum, uidelicet, ut quia scimus nos propter Christum exaudiri, & habere promissionem, petamus, ut gubernet & propugnet nos Spiritus sanctus, ne decepti erre-

pti erremus,ne impulsi contra uoluntatem Dei aliquid suscipiamus,sicut Psalmus docet: Captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Christus enim uicit diabolum, & dedit nobis promissionem, & Spiritum sanctum, ut auxilio diuino uincamus & ipsi.Et 1.Iohan.3.Ad hoc apparuit filius Dei,ut soluat opera diaboli.Deinde non hoc tantum docemus,quomodo fieri Lex possit, sed etiam quomodo Deo placeat, si quid sit, uidelicet non quia Legi satisfaciamus,sed quia sumus in Christo,sicut paulò pòst dicemus. Constat igitur nos requirere bona opera. Imò addimus & hoc, quod impossibile sit dilectionem Dei, etsi exigua est, diuellere à fide, quia per Christum acceditur ad Patrem, & accepta remissione peccatorum, uerè iam statuimus nos habere Deum, hoc est, nos Deo curæ esse, inuocamus, agimus gratias, timemus, diligimus, sicut Iohannes docet in prima Epistola. Nos diligimus eum, inquit, quia prior dilexit nos,uidelicet,quia dedit pro nobis Filium, & remisit nobis peccata. Ita significat præcedere Filium,sequi dilectionem. Item fides illa, de qua loquimur, existit in pœnitentia,hoc est,concipitur in terroribus conscientiæ, quæ sentit iram Dei aduersus nostra peccata, & quærit remissionem peccatorum, & liberat à peccato. Et in talibus terroribus & aliis afflictionibus debet hæc fides crescere & confirmari. Quare non potest existere in his, qui secundum carnem uiuunt, qui delectantur cupiditatibus suis, & obtemperant eis. Ideo Paulus ait: Nulla nunc damnatio est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant,sed secundum Spiritum.Item:Debitores sumus non carni,ut secundum carnem uiuamus, Si enim secundum carnem uixeritis,moriemini, Sin autem Spiritu actiones corporis mortificabitis, uiuetis. Quare fides illa quæ accipit remissionem peccatorum in corde perterrefacto, & fugiente peccatum, non manet in his, qui obtemperant cupiditatibus, nec existunt cum mortali peccato.

Quomodo placeat inchoata obedientia.

Fides non existit cum malo proposito.

Ex his affectibus fidei excerpunt aduersarij unum, uidelicet dilectionem, & docent,quod dilectio iustificet. Ita manifestè apparet eos tantum docere Legem.Non prius docent accipere remissionem peccatorum per fidem, Non docent de Mediatore Christo, quod propter Christum habemus Deum propicium,sed propter nostram dilectionem. Et tamen qualis sit illa dilectio,non dicunt,necp dicere possunt,Prædicant se Legem implere,cum hæc gloria propriè debeatur Christo, & fiduciam propriorum operum opponunt iudicio Dei, dicunt enim se de condigno mereri gratiam & uitam æternam. Hæc est simpliciter impia & uana fiducia.Nam in hac uita nõ possumus legi satisfacere,quia natura carnalis non desinit malos affectus parere,etsi his resistit spiritus in nobis.

Si dilectio est impletio Legis cur non iustificat?

Sed quærat aliquis. Cum & nos fateamur dilectionem esse opus Spiritus sancti,cumcp sit iusticia, quia est impletio legis,cur non doceamus, quod iustificet? Ad hoc respondendum est. Primum hoc certum est, quod non accipimus remissionem peccatorum, necp per dilectionem, necp propter dilectionem nostram, sed propter Christum sola fide. Sola fides, quæ intuetur in promissionem, & sentit ideo certò statuendum esse, quod Deus ignoscat, quia Christus non sit frustra mortuus &c.uincit terrores peccati & mortis. Si quis dubitat, Vtrum remittantur sibi peccata, contumelia afficit Christum, cum peccatum suum iudicat maius,aut efficacius esse,quàm mortem et promissionem Christi, cum Paulus dicat, gratiam exuberare supra peccatum, hoc est, misericordiam ampliorem esse cp peccatum. Si quis sentit se ideo consequi remissionem peccatorum,

catorum,quia diligit,afficit contumelia Christum, & comperiet in iudicio Dei hanc fiduciam propriæ iusticiæ impiam & inanem esse. Ergo necesse est ꝙ fides reconciliet,& ex iniusto iustum efficiat. Et sicut non accipimus remissionem peccatorum per alias uirtutes legis, seu propter eas, uidelicet propter patientiam, castitatem,obedientiam erga Magistratus &c, & tamen has uirtutes sequi oportet: Ita necꝫ propter dilectionem Dei accipimus remissionem peccatorum, etsi sequi eam necesse est.

Synecdoche in locis operum.

Cæterum nota est consuetudo sermonis, ꝙ interdum eodem modo causam & effectus complectimur κατὰ συνεκδοχήν. Ita Lucæ septimo ait Christus: Remittuntur ei peccata multa,quia dilexit multum. Interpretatur enim seipsum Christus,cum addit,Fides tua saluam te fecit.Non igitur uoluit Christus,quòd mulier illo opere dilectionis merita esset remissionem peccatorum. Ideo enim clarè dicit,Fides tua saluam te fecit. At fides est, quæ apprehendit misericordiam propter uerbum Dei gratis. Si quis hoc negat fidem esse, prorsus non intelligit quid sit fides.Et ipsa historia hoc loco ostendit,quid uocet dilectionem. Mulier uenit hanc afferens de Christo opinionem,quòd apud ipsum quærenda esset remissio peccatorum. Hic cultus est summus cultus Christi, Nihil potuit maius tribuere Christo. Hoc erat uerè Messiam agnoscere, quærere apud eum remissionem peccatorum. Porrò sic de Christo sentire,sic colere, sic complecti Christum est uerè credere.Christus autem usus est uerbo dilectionis, non apud mulierem,sed aduersus Pharisæum, quia totum cultum Pharisæi,cum toto cultu mulieris comparabat. Obiurgat Pharisæum, quod non agnosceret ipsum esse Messiam, etsi hæc externa officia ipsi præstaret, ut hospiti, uiro magno & sancto, ostendit mulierculam, & prædicat huius cultum, unguenta, lachrymas &c. quæ omnia erant signa fidei, & confessio quædam, quòd uidelicet apud Christum quæreret remissionem peccatorum. Magnum profectò exemplum est, quod non sine causa commouit Christum, ut obiurgaret Pharisæum uirum sapientem,& honestum,sed non credentem. Hanc ei impietatem exprobrat, & admonet eum exemplo mulierculæ, significans turpe ei esse,quod cum indocta muliercula credat Deo, ipse legis Doctor, non credat, non agnoscat Messiam,non quærat apud eum remissionem peccatorum & salutem. Sic igitur totum cultum laudat,ut sæpè fit in scripturis,ut uno uerbo multa complectamur, ut infra latius dicemus in similibus locis,ut,Date eleemosynam & omnia erunt munda.Non tantum eleemosynas requirit,sed etiam iusticiam fidei. Ita hic ait, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, id est, quia me uerè coluit fide & exercitijs & signis fidei. Totum cultum comprehendit. Interim tamen hoc docet,quod propriè accipiatur fide remissio peccatorum, etsi dilectio, confessio & alij boni fructus sequi debeant. Quare non hoc uult,quod fructus illi sint precium, sint propiciatio propter quam detur remissio peccatorum, quæ reconciliet nos Deo. De magna re disputamus, de honore Christi, & unde petant bonæ mentes certam & firmam consolationem. Vtrum fiducia collocanda sit in Christum, an in opera nostra. Quod si in opera nostra collocanda erit,detrahitur Christo honos Mediatoris & propiciatoris.Et tamen comperiemus in iudicio Dei hanc fiduciam uanam esse,& conscientias inde ruere in desperationem.Quod si remissio peccatorum,& reconciliatio nõ contingit gratis propter Christũ, sed propter nostram dilectionẽ, nemo habiturus est remissionem peccatorum,nisi ubi totam legem fecerit,quia Lex nõ iustificat, donec nos

Christus tribuit credenti mulierculæ laudem implete Legis.

accusa-

accusare potest. Patet igitur, cum iustificatio sit reconciliatio propter Christum, quod fide iustificemur, quia certissimum est sola fide accipi remissionem peccatorum.

Nunc igitur respondeamus ad quæstionem supra propositam, quare dilectio non iustificet. Rectè cogitant aduersarij dilectionem esse Legis impletionem. Et obedientia erga legem esset iusticia, si legem faceremus. Hactenus aũt ostendimus, quod idco datæ sint promissiones, quia legem non possimus facere. Eamq; ob causam negat Paulus nos ex lege iustificari. Aduersarij falluntur, quia in hac tota controuersia, nihil nisi legem intuentur. Neq; enim potest, aliter iudicare ratio humana, quam ex lege quærendam esse iusticiam, quia obedientia erga legem sit iusticia. Sed Euangelium reuocat nos à lege ad promissiones, & docet, quod iusti reputemur, non propter obedientiam erga legem. Non enim satisfacimus legi, Sed propterea quia donatur nobis reconciliatio propter Christum, Et hanc tantum fide accipimus. Priusquam igitur legem facimus, oportet accipere fide remissionem peccatorum & reconciliationem. Bone Deus, quo ore audent nominare Christum, quo uultu audent aspicere ipsos Euangelij liberos, isti qui negant nos sola fide proter Christum consequi remissionem peccatorum?

Quare non iusti simus dilectione.

Secundò, hæc ipsa legis impletio quæ sequitur renouationem, est exigua & immunda. Quanquam enim renouatio inchoata est, tamen hærent adhuc in natura reliquiæ peccati, quæ semper accusant nos, nisi fide in Christum apprehendamus remissionem peccatorum, & sciamus nos habere accessum ad Deum, non propter nostram impletionem legis, sed propter Christum. Ideo illa legis impletio non est accepta propter seipsam, sed propter fidem.

Nostra dilectio procul abest à perfectione.

Quare cum Paulus ait legem stabiliri per fidem, non solum hoc intelligi oportet, quod fide renati concipiant Spiritum sanctum, & habeant motus consentientes legi Dei. Sed multo maximè refert & hoc addere, quod oportet nos sentire, quod procul à perfectione legis absimus. Quare non possumus statuere, quod coram Deo iusti reputemur propter nostram impletionem legis, Sed sentiendum est, quod iusti seu accepti reputemur propter Christum, non propter legem aut opera nostra, & quod hæc inchoata Legis impletio placeat Deo, quia sumus in Christo. Item q̃ propter fidem in Christum non imputetur nobis hoc quod deest impletioni legis. Hoc docet Paulus ad Galatas 3. cum ait: Christus redemit nos à meledictione legis, factus pro nobis maledictum, hoc est, lex damnat omnes homines. Sed Christus quia sine peccato subijt pœnam peccati et uictima pro nobis factus est, sustulit illud ius legis, ne accuset, ne damnet hos, qui credunt in ipsum, quia ipse est propiciatio pro eis, propter quam nunc iusti reputantur. In eandem sententiam scribit ad Colossenses: In Christo cõsummati estis, quasi dicat, Etsi adhuc procul abestis à perfectione legis, tamen non damnant uos reliquiæ peccati, quia propter Christum habetis reconciliationem certam & firmam, si creditis, etiamsi hæret peccatum in carne uestra. Longè enim supra nostram mundiciem, imo longè supra ipsam legem collocari debent mors & satisfactio Christi nobis donata, ut statuamus nos propter illam satisfactionem habere propitium Deum, non propter nostram impletionem legis. Impia fiducia est, quæ collocatur in nostram impletionem legis. Illa uero fiducia necessaria est, quæ collocatur in satisfactionem Christi.

Lex stabilitur fide nitente Mediatoris obedientia.

Credentes consummati imputatione & inchoatione.

Tertiò, Sola illa res iustificat coram Deo, quę reddit pacatas conscientias,

Donec

Donec enim conscientia fugit iudicium Dei, & irascitur Deo, non sumus iusti & iustificati.

Sola fide pacantur conscientiæ.

Porrō, sola fides reddit pacatas conscientias, iuxta illud: Iustificati ex fide pacem habemus. Item, Iustus ex fide uiuet, id est, fide uincit terrores mortis, fide erigitur & concipit gaudium & uitam. Idq; affert fides, non quia per se sit opus dignum, sed tantum quia accipit oblatam promissionem, nihil respiciens propriam dignitatem.

Sola igitur fides iustificat, & bona opera propter fidem placent. Quid contra hanc rationem aduersarij possunt afferre? Quid possunt contra manifestam ueritatem excogitare? Nam minor est certissima, quod opera nostra non possunt conscientiam reddere pacatam, quando Deus iudicat & arguit nos, & ostendit nobis immundiciem nostram. Idq; Scriptura sæpe inculcat, In Psalmo: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Hic simpliciter detrahit omnibus, & quidem Sanctis ac seruis Dei, gloriam iusticiæ, si non ignoscat Deus, sed iudicet & arguat corda eorum. Namq; quod alibi gloriatur de sua iustitia, loquitur de causa sua aduersus persecutores uerbi Dei, non loquitur de personali mundicie, & rogat causam & gloriam Dei defendi, ut Psalmo 7. Iudica me Domine secundum iustitiam meam &c. Et alibi, Iudica Domine causam meam. Rursus Psalmo 129. docet neminem posse sustinere iudicium Dei, si obseruet peccata nostra: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et Iob 9. Verebar omnia opera mea. Item, Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint uelut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me. Et Prouerb. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum? Et 1. Iohan. 1. Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Et in Oratione Dominica sancti petunt remissionem peccatorum. Habent igitur & sancti peccata. In Numeris: Et innocens non erit innocens. Et Zacharias ait: Sileat ā facie Domine omnis caro. Et Esaias: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri, Exiccatum est fœnum & cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflauit in eo, id est, caro & iusticia carnis non potest sustinere iudicium Dei. Et Ionas inquit capit. 2. Frustra obseruant uana, qui misericordiam relinquunt, id est, Omnis fiducia est inanis, præter fiduciam misericordiæ. Misericordia seruat nos, propria merita, proprij conatus non seruant nos. Hæ sententiæ & similes in scripturis testantur opera nostra immunda esse, & indigere misericordia. Quare non reddunt pacatas conscientias opera, sed misericordia apprehensa per fidem.

Quædam dicta loquuntur non de personæ sed de causæ iusticia.

Quartō. Christus non desinit Mediator esse postquam renouati sumus. Errant qui fingunt eum tantum primam gratiam meritum esse, nos postea nostra Legis impletione placere & mereri uitam æternam. Manet Mediator Christus, & semper statuere debemus, quod propter ipsum habeamus placatum Deum, etiamsi nos indigni simus, Sicut Paulus ait: Per hunc habemus accessum ad Deum per fidem. Nostra enim impletio Legis, ut diximus, est immunda, quia natura nostra horribiliter est corrupta, Ideo Psalmus inquit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Quare remissione peccatorum opus habemus, etiam cum bona opera habemus, Illa autem remissio semper apprehenditur fide, Ita Christus manet Pontifex & Mediator. Placet igitur illa Legis impletio non propter se, sed quia fide apprehendimus Christum, & sentimus,

In infinitum anteferenda obedientia Mediatoris nostris uirtutibus.

nos

nos habere Deum placatum, non propter Legem, sed propter Christum.

Quintō. Si sentiendum esset, quod pōst renouationem oporteat nos acceptos fieri, non fide propter Christum, sed propter nostram impletionem legis, nunquam acquiesceret conscientia, sed ad desperationem adigeretur. Lex enim semper accusat, cum legi nunquam satisfaciamus. Id quod tota Ecclesia confitetur. Paulus enim ait: Non quod uolo bonum hoc facio, sed quod nolo, malum. Item, Mente seruio Legi Dei, Carne autem seruio legi peccati. Quis enim satis diligit, aut satis timet Deum, quis satis patienter sustinet afflictiones ā Deo impositas, Quis non sæpè dubitat, utrum Dei consilio regantur res humanæ, Quis non sæpè dubitat, utrum ā Deo exaudiatur, quis non sæpè stomachatur, quōd impij fortuna meliore utuntur quām pij, quod pij ab impijs opprimūtur, quis non irascitur iudicio Dei, cum uidetur nos abijcere, quis satisfacit uocationi suæ, quis diligit proximum sicut seipsum, quis non irritatur ā concupiscentia? De his peccatis ait Psalmus: Pro hoc orabit ad te omnis sanctus. Hic sanctos ait petere remissionem peccatorum. Plus quām cæci sunt, qui malos affectus in carne, non sentiunt esse peccata, de quibus Paulus dicit: Caro concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus aduersus carnem. Caro diffidit Deo, confidit rebus præsentibus, quærit humana auxilia in calamitate, etiam contra uoluntatem Dei, fugit afflictiones, quas iuxta mandatum Dei tolerare debebat, dubitat de Dei misericordia. Cum talibus affectibus luctatur Spiritus sanctus in cordibus, ut eos reprimat ac mortificet, et inserat nouos ac spirituales motus. Et Augustinus ait, Omnia mandata Dei implentur, quando, quidquid non fit, ignoscitur. Requirit igitur fidem, etiam in bonis operibus, ut credamus nos Deo placere propter Christum, nec opera ipsa per se digna esse quæ placeant. Et Hieronymus contra Pelagianos: Tunc ergo iusti sumus, quando nos peccatores fatemur. Et iusticia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia. Oportet igitur adesse fidem in illa inchoāta legis impletione, quæ statuat nos propter Christum habere Deum placatum. Nam misericordia non potest apprehendi nisi fide. Itaq; prorsus est doctrina desperationis, docere quod non simus accepti fide propter Christum, sed propter propriam legis impletionem.

Promissio pendens ex conditione Legis est incerta.

Hieronymi dictum memorabile.

Ex his omnibus satis apparet, quod sola fides iustificat, id est, primum consequitur remissionem peccatorum & reconciliationem propter Christum, & quod sola fides regenerat. Nam sola fide spiritus sanctus concipitur. Deinde quod illa inchoata impletio legis non placeat per se coram Deo. Cum autem adhuc alibi, uidelicet in promissione Christi quærenda sit iustificatio, cumq; sola fides efficiat pacatam conscientiam, necesse est, quod sola fides iustificet. Semper enim sentire debemus quod non propter legem, sed propter Christum simus accepti. Non enim iustificamur ex lege, sed ex promissione. Et honos Christi non debet in legem transferri. Et cum initiō iusti reputemur propter Christum, cum in eum credimus, non est sentiendum quod abicto illo Mediatore, postea iusti simus nostra impletione legis, etsi necesse est renatos benè operari. Et uirtutes legis, quatenus obediunt legi, sunt iusticiæ & eatenus hæc obedientia legis, iustificat iusticia legis. Sed hæc imperfecta iusticia legis non est accepta nisi propter fidem, nec potest conscientias reddere pacatas. Id tantum efficit fides quæ statuit, quod propter Christum Pontificem habeamus Deum propitium. In hac promissione quærere debent piæ & perterrefactæ

Honos Christo debitus nō debet in Legem transferri.

conſcientiæ reconciliationem,& iuſtificationem,hac promiſſione debent ſe erigere ac ſuſtentare, ſicut docent hæc uerba:Iuſtus ex fide uiuet. Significat enim quod fides iuſtificet, & ita iuſtificet,ut ſimul uiuificet, hoc eſt, erigat & conſoletur conſcientias,& uitam æternam & gaudium in animo pariat.

RESPONSIO AD ARGVMENTA ADVERSARIORVM.

COgnitis his fundamentis cauſæ, uidelicet diſcrimine Legis, ac promiſſionum,ſeu Euangelij, facile erit diluere ea quæ aduerſarij obijciunt. Citant.n. dicta de lege & operibus,Dicta uero de promiſſionibus omittunt. Semel autem reſponderi poteſt ad omnes ſententias de lege, quod lex non poſſit fieri ſine Chriſto.Et ſi qua fiunt ciuilia opera ſine Chriſto, non placent Deo. Quare cum prędicantur opera,neceſſe eſt addere, quod fides requiratur,quod propter fidem prædicentur, & ſint fructus & teſtimonia fidei. Quid poteſt ſimplicius hac noſtra doctrina dici? Neceſſe eſt enim ad cognoſcenda beneficia Chriſti, diſcernere promiſſiones à Lege. Ambiguæ & periculoſæ cauſæ multas & uarias ſolutiones gignunt. Verum eſt enim illud ueteris Poëtæ: ὁ δὲ ἀδικὸς λόγος νοσῶν ἐν ἀυτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Fallacia compoſitionis & diuiſionis.

Diſcernenda promiſſio gratiæ à lege.

Sed in bonis & firmis cauſis, una atq; altera ſolutio ſumpta ex fontibus, corrigit omnia quæ uidentur offendere.Id fit & in hac noſtra cauſa. Nam illa regula quam modò recitaui, interpretatur omnia dicta, quæ de lege & operibus recitantur.

Alia dicta ſunt Legalia,alia Euangelica.

Fatemur enim ſcripturam alibi legem, alibi Euangelium ſeu gratuitam promiſſionem remiſſionis peccatorum propter Chriſtum tradere. Verum aduerſarij noſtri ſimpliciter abolent promiſſionem,cum negant, quod fides iuſtificet, cum docent quod propter dilectionem & opera noſtra accipiamus remiſſionem peccatorum & reconciliationem. Si enim pendet ex conditione operum noſtrorum remiſſio peccatorum,prorſus erit incerta. Nunquam enim facimus opera ſufficientia.Erit igitur abolita promiſſio,Proinde nos reuocamus pias mentes ad conſidenderandas promiſſiones,& de gratuita remiſſione peccatorum et reconciliatione,quæ fit per fidem in Chriſtum,docemus.Poſtea addimus & doctrinam legis,non quod lege mereamur remiſſionem peccatorum, aut quod propter legem iuſti reputemur,non propter Chriſtum. Sed quia Deus requirit bona opera. Oportet enim prudenter ὀρθοτομεῖν legem & promiſſiones. Videndum eſt quid legi,quid promiſſionibus ſcriptura tribuat. Sic enim & laudat & præcipit bona opera, ut non tollat gratuitam promiſſionem, nec tollat Chriſtum.

Diſcernenda iuſticia perſonæ ac operum.

Sunt enim facienda bona opera, quia Deus ea requirit, ideoq; ſunt effectus regenerationis, ſicut Paulus docet Epheſ. 2. Ipſius opus ſumus,conditi per Chriſtum Ieſum ad bona opera, quæ præparauit Deus,ut in eis ambularemus. Itaq; bona opera ſequi fidem debent,tanquam gratiarum actio erga Deum, Item,ut in eis fides & exerceatur,& creſcat & oſtendatur alijs, ut noſtra confeſſione alij inuitentur ad pietatem. Ita Paulus ait, Abraham accepiſſe circumciſionem, non quod propter illud opus reputaretur iuſtus, ſed ut haberet ſignum in corpore ſcriptum, quo commonefieret, & fidem ſubinde maiorem concipe-

bere propter misericordiam, Opus uerō illud faciebat, ut suam fidem exerceret,& alios exemplo & confessione sui inuitaret ad credendum.

Cum hoc modo bona opera sequi fidem debeant,longè aliter utuntur operib,homines qui nō possunt credere,ac statuere in corde sibi gratis ignosci propter Christum. Hi cum uident opera sanctorum, humano more iudicant sanctos operibus illis promeruisse remissionem peccatorum, & propter illa opera iustos reputatos esse coram Deo, ideo imitantur ea, & sentiunt se per opera similia mereri remissionem peccatorum,conantur placare iram Dei, & confidūt se propter talia opera iustos reputari. Has impias opiniones in operibus damnamus. Primō quia obscurant gloriam Christi, cum homines proponunt Deo hæc opera,tanquām precium,& propiciationem. Hic honos debitus uni Christo, tribuitur nostris operibus.Secundō,neq; tamen inueniunt conscientiæ pacem in his operibus, Sed alia supra alia in ueris terroribus cumulantes tandem desperant,quia cum nullum opus satis mundum inueniant, semper accusat lex, & parit iram. Tertiō, Tales nunquam assequuntur noticiam Dei, cum conscientiæ fugientes iram Dei, non possint pacem consequi, nec statuere unquam quod ā Deo exaudiantur. At cum accessit fides quæ credit, quod gratis reputemur iusti,hæc audet inuocare Deum,& sentit se exaudiri, & consequitur ueram noticiam Dei.

Quare iustificatio detrahatur operibus nostris.

Semper autem hæret in mundo impia opinio de operibus. Gentes habebant sacrificia sumpta ā Patribus, Horum opera imitabantur, fidem non tenebant, sed sentiebant opera illa propiciationem & precium esse, propter quod Deus reconciliaretur ipsis. Populus in Lege imitabatur hac opinione sacrificia, quod propter illa opera haberent placatum Deum, ex opere operato ut dici solet.Hic uidemus quām uehementer obiurgent populum Prophetæ. Psal. 49.Non in sacrificijs arguam te.Et Ierem. Non præcepi de holocaustis. Tales loci damnant non opera,quæ certè Deus pręceperat,ut externa exercitia in hac politia, sed damnant impiam persuasionem, quod sentiebant se per illa opera placare iram Dei, & fidem abijciebant, Et quia nulla opera reddunt pacatam conscientiam, ideo subinde noua opera excogitantur præter mandata Dei. Ac maximē mouent homines exempla sanctorum, horum imitatione sperant se perinde consecuturos esse reconciliationem,ut illi consecuti sunt.Populus Israël uiderat Prophetas in excelsis sacrificasse. Hoc opus mirabili studio cœpit imitari populus, ut per id opus placaret iram Dei. At Prophetæ sacrificauerant in excelsis, non ut per illa opera mererentur remissionem peccatorum, sed quia in illis locis docebant,ideo ibi testimonium fidei suæ proponebant. Populus audierat Abraham immolasse filium suum. Quare & ipsi,ut asperrimo ac difficillimo opere placarent iram Dei,mactauerunt filios. At Abraham non hac opinione immolabat filium,ut id opus esset precium & propiciatio propter quam iustus reputaretur. Sic in Ecclesia, instituta est Cœna Domini, ut recordatione promissionum Christi, qua re in hoc signo admonemur, confirmetur in nobis fides, & foris confiteamur fidem nostram & prædicemus beneficia Christi, sicut Paulus ait:Quoties feceritis,mortem Domini annunciabitis &c. Verum aduersarij nostri contendunt Missam esse opus quod ex opere operato iustificet,& tollat reatum culpæ & pœnæ in his, pro quibus fit.

Cacoziliæ impiæ damnantur à Prophetis.

Pius usus Cœnæ Domini.

Antonius,Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij sancti Patres elegerunt certum uitæ genus uel propter studium, uel propter alia utilia exercitia.

Interim sentiebant se fide propter Christum iustos reputari, & habere deum propicium propter Christum, non propter illa exercitia. Sed multitudo deinceps imitata est, non fidem Patrum, sed exempla sine fide, ut per illa opera mererentur remissionem peccatorum, ut propter illa opera reputarentur iusti coram Deo. Ita errat humanus animus de operibus, quia fidei iusticiam non intelligit. Et hunc errorem deprehendit Euangelium, quod docet homines iustos reputari, non propter Legem, sed propter solum Christum, Christus autem sola fide apprehenditur, Quare sola fide propter Christum iusti reputamur.

Responsio ad locum 1. Corinth. 13.

Sed obijciunt aduersarij locum ex Corinthijs: Si omnem fidem habeam &c. Dilectionem autem non habeam, nihil sum, & magnificè triumphant. Totam Ecclesiam, aiunt, certificat Paulus, quod non iustificet sola fides. Facile est autem respondere, Postquām supra ostendimus quid de dilectione & operibus sentiamus. Hic locus Pauli requirit dilectionem, hanc & nos requirimus, Diximus enim supra, oportere in nobis existere renouationem & inchoatam legis impletionem. Quare si quis dilectionem abiecerit, etiamsi habet magnam fidem, tamen non retinet eam. Non enim retinet Spiritum sanctum. Neqꝫ uerò sequitur, quod ideo dilectio iustificet, hoc est, quod propter dilectionem accipiamus remissionem peccatorum, quod dilectio uincat terrores mortis & peccati, quod dilectio debeat opponi iræ ac iudicio Dei, quod dilectio legi satisfaciat, quodqꝫ renati propter legis impletionem accepti Deo simus, non propter Christum gratis. Hæc non dicit Paulus, quæ tamen affingunt aduersarij nostri. Iam si nostra dilectione uincimus iram Dei, si nostra dilectione coram Deo meremur remissionem peccatorum, si nostra impletione legis sumus accepti, tollant aduersarij promissionem Christi, aboleant Euangelium, quod docet nos accessum habere ad Deum per propiciatorem Christum, quod docet nos non propter nostram Legis impletionem, sed propter Christum acceptos esse. Aduersarij corrumpunt pleraqꝫ loca, quia suas opiniones ad ea afferunt, nec sumunt ex ipsis scripturis sententiam. Quid enim habet hic locus incommodi, si detraxerimus interpretationem, quam aduersarij de suo affuunt, non intelligentes, quid sit iustificatio, aut quomodo fiat. Corinthij ante iustificati multa acceperant excellentia dona, & feruebant initia, ut fit, deinde cœperunt inter eos existere simultates ut significat Paulus, Cœperunt fastidire bonos Doctores. Ideo obiurgat eos Paulus reuocans ad officia dilectionis. Nec disputat hic de remissione peccatorum, de modo iustificationis, sed de fructibus loquitur. Et dilectionem intelligit erga proximum. Stultum est autem somniare, quod dilectio, qua agimus cum hominibus, iustificet coram Deo, cum in iustificatione agendum sit cum Deo, placanda ira eius, & conscientia erga Deum pacificanda. Horum nihil fit per illam dilectionem, Sed tantum ita si apprehendatur misericordia. Idqꝫ fit per fidem. Illud autem uerum est, amissa dilectione, amitti Spiritum sanctum, quo amisso & fides excutitur. Ideo ait: Si dilectionem non habeam, nihil sum, Non addit affirmatiuam, quod dilectio iustificet.

An dilectio iustificet, quia maxima uirtus.

Sed disputant præferri dilectionem fidei & spei. Paulus enim inquit: Maior horum dilectio. Consentaneum est autem maximam & præcipuam uirtutem iustificare. Quanquam hoc loco Paulus propriè loquitur de dilectione proximi, & significat dilectionem maximam esse, quia plurimos fructus habet. Fides & Spes tantum agunt cum Deo. At dilectio foris erga homines infinita habet

ta habet officia, tamen largiamur sanè aduersarijs dilectionem Dei & proximi, maximam uirtutem esse, quia hoc summum præceptum est: Diligas Dominum Deum tuum &c. Verum quomodo inde ratiocinabuntur quod dilectio iustificet, quia inquiunt, maxima uirtus iustificat. Imò sicut Lex maxima seu prima, minimè iustificat, ita nec maximè uirtus legis, Nulla enim lex est quę magis accusat nos, quæ magis faciat, ut conscientia nostra irascatur iudicio Dei, quàm hæc summa Lex: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Quis enim Sanctorum præter Christum gloriari ausit se huic legi satisfeciſſe? Non igitur iustificat uirtus legis. Sed illa uirtus iustificat, quæ accipit reconciliationem donatam propter Christum. Hæc uirtus fides est, nec iustificat propter suam dignitatem, sed tantum quia accipit misericordiam, qua propter Christum iusti reputamur. Sumus enim iusti, hoc est, accepti coram Deo, non propter nostram perfectionem, sed per misericordiam propter Christum. Si tamen hanc apprehendimus & opponimus iræ Dei.

Sed Aduersarij ideo tribuunt dilectioni iusticiam, quia legem docent, & cogitant iusticiam esse obedientiam erga Legem. Nam humana ratio tantum intuetur in Legem, nec intelligit aliam iusticiam nisi legis obedientiam. Et Scholastici, homines ingenioſi, quærentes Methodum, proposuerunt sibi Legem, perinde atq; Philosophi in Ethicis proponunt sibi præcepta de moribus. Sed Paulus reclamat, & docet aliud quiddam esse iusticiam, scilicet obedientiam erga promissionem reconciliationis donatæ propter Christum, hoc est, accipere misericordiam donatam propter Christum. Sic enim sumus accepti Deo, sic fiunt pacatæ conscientiæ, quando sentimus Deum nobis propter Christum propicium esse, Quare piæ mentes à Lege ad promissionem reuocandæ sunt, ut sæpè iam diximus, & paulò post latius exponemus, cum agitabimus argumenta Scholastica de uocabulo iusticiæ.

Paulo quid sit iusticia.

Aduersarij in confutatione & hunc locum contra nos citauerunt, ex Coloss: Caritas est uinculum perfectionis. Hinc ratiocinantur quod dilectio iustific et, quia perfectos efficit. Quanquam hic multis modis de perfectione responderi posset, tamen nos simpliciter sententiam Pauli recitabimus. Certum est Paulum de dilectione proximi loqui. Neq; uero existimandum est quod Paulus aut iustificationem, aut perfectionem coram Deo, tribuerit operibus secundæ Tabulæ potius, quàm primæ. Præterea si dilectio est perfecta Legis impletio & Legi satisfacit, nihil igitur erit opus propiciatore Christo. Paulus autem ideo docet nos acceptos esse propter Christum, non propter Legis impletionem, quia Legis impletio non est perfecta. Itaq; cum manifestè alibi detrahat nobis perfectionem, non est sentiendum, quod hic loquatur de personali singulorum perfectione, sed loquitur de integritate communi Ecclesiæ. Ideo enim ait, dilectionem esse uinculum seu colligationem, ut significet se loqui de colligandis & copulandis pluribus membris Ecclesiæ inter se. Sicut enim in omnibus familijs, in omnib. rebus publicis, concordia mutuis officijs alenda est, nec retineri tranquillitas potest, nisi quædam errata inter se dissimulent homines & condonent: Ita iubet Paulus in Ecclesia dilectionem existere, quæ retineat concordiam, quæ toleret, sicubi opus est, asperiores mores fratrum, quæ dissimulet quædam leuia errata ne dissiliat Ecclesia in uaria Schismata, & ex Schismatis oriantur odia, factiones & hæreses. Necesse est enim dissilire concordiam, quando aut Episcopi imponunt populo durio-

Responsio ad locum Col: 3.

ra onera, nec habent rationem imbecillitatis in populo. Et oriuntur diſſidia, quando populus nimis acerbè iudicat de moribus doctorum, aut faſtidit doctores propter quædam leuia incommoda, quæruntur enim deinde & aliud doctrinæ genus, & alij doctores. Econtrà perfectio, id eſt, integritas Eccleſiæ conſeruatur, quando firmi tolerant infirmos, quando populus boni conſulit quædam incommoda in moribus doctorum, quando Epiſcopi quædam condonant imbecillitati populi. De his præceptis æquitatis pleni ſunt libri omnium ſapientum, ut in hac uitæ conſuetudine multa condonemus inter nos, propter communem tranquillitatem, & de ea cum hic, tum aliàs ſæpè præcepit Paulus. Quare aduerſarij imprudenter ratiocinantur ex nomine perfectionis, quod dilectio iuſtificet, cum Paulus de integritate & tranquillitate communi loquatur. Et ſic interpretatur hunc locum Ambroſius, Sicut ædificium dicitur perfectum ſeu integrum, cum omnes partes aptè inter ſe coagmentatæ ſunt. Turpe eſt autem aduerſarijs tantopere prædicare dilectionem, cum nuſquàm præſtent eam. Quid nunc agunt? diſſipant Eccleſias, ſcribunt leges ſanguine, & has proponunt Cæſari clementiſsimo Principi, promulgandas, trucidant Sacerdotes, & alios bonos uiros, ſi quis leuiter ſignificauit ſe aliquem manifeſtum abuſum non omnino probare. Hæc non conueniunt ad iſta præconia dilectionis, quæ ſi ſequentur aduerſarij, Eccleſiæ tranquillæ eſſent, & res publica pacata. Nam hi tumultus conſileſcerent, ſi aduerſarij non nimis acerbe exigerent quaſdam traditiones inutiles ad pietatem, quarum pleraſq; nec ipſi quidem obſeruant, qui uehementiſſimè defendunt eas. Sed ſibi facile ignoſcunt, alijs non item, ut illæ apud Poëtam: Egomet mi ignoſco Meuius inquit. Id autem alieniſsimum eſt ab his encomijs dilectionis, quæ hic ex Paulo recitant, nec magis intelligunt, quàm parietes intelligunt uocem, quam reddunt.

Perfectio hic ſignificat coagmentationem.

Reſponſio ad locum 1. Petri 4.

Ex Petro citant & hanc ſententiam, Vniuerſa delicta operit caritas. Conſtat & Petrum loqui de dilectione erga proximum, quia hunc locum accommodat ad præceptum, quo iubet ut diligant ſe mutuo. Neq; uerò ulli Apoſtolo in mentem uenire potuit, quod dilectio noſtra uincat peccatum & mortem, quod dilectio ſit propiciatio propter quam Deus reconcilietur omiſſo Mediatore Chriſto, quod dilectio ſit iuſticia, ſine mediatore Chriſto. Hæc enim dilectio, ſi qua eſſet, eſſet iuſticia Legis, non Euangelij, quod promittit nobis reconciliationem, & iuſticiam, ſi credamus, quod propter Chriſtum propiciatorem Pater placatus ſit, quod donentur nobis merita Chriſti. Ideo Petrus paulò antè iubet, ut accedamus ad Chriſtum, ut ædificemur ſuper Chriſtum, Et addit: Qui crediderit in eum, non confundetur. Dilectio noſtra non liberat nos à confuſione, cum Deus iudicat & arguit nos, ſed fides in Chriſtum liberat in his pauoribus, quia ſcimus propter Chriſtum nobis ignoſci. Cæterum hæc ſenten tia de dilectione, ſumpta eſt ex Prouerbijs, ubi antitheſis clarè oſtendit, quomodo intelligi debeat: Odium ſuſcitat rixas, & uniuerſa delicta tegit dilectio.

Idem prorſus docet, quod illa Pauli ſententia ex Coloſſenſibus ſumpta, ut quæ diſſenſiones inciderint, mitigentur & componantur æquitate, & commoditate noſtra. Diſſenſiones inquit creſcunt odijs, ut ſæpè uidemus ex leuiſsimis offenſionibus maximas exoriri tragœdias. Inciderant quædam inter C. Cæſarem & Pompeium leues offenſiones, in quibus ſi alter alteri paululum

ceſſiſſet,

ceſſiſſet, non extitiſſet bellum ciuile, Sed dum utercꝫ morem gerit odio ſuo, ex re nihili, maximi motus orti ſunt. Et multæ in Eccleſia hæreſes ortæ ſunt tantum ex mutuis odijs doctorum. Itacꝫ non de propríjs delictis, ſed de alienis loquitur, cum ait, Dilectio tegit delicta, uidelicet aliena, & quidem inter homines, id eſt, Etiamſi quæ offenſiones incidunt, tamen dilectio diſſimulat, ignoſcit, cedit, non agit omnia ſummo iure. Petrus igitur non hoc uult, quod dilectio coram Deo mereatur remiſſionem peccatorum, quod ſit propiciatio, excluſo Mediatore Chriſto, quod propter dilectionem ſimus accepti, non propter mediatorem Chriſtum: Sed quod erga homines non ſit moroſa, non aſpera, non intractabilis, quod quædam errata amicorum diſſimulet, quod mores aliorum etiam aſperiores boni conſulat, ſicut uulgaris quædam ſententia præcipit: Mores amici noueris non oderis. Necꝫ temerè de hoc officio dilectionis toties præcipiunt Apoſtoli, quod Philoſophi uocant ἐπείκειαν. Neceſſaria eſt enim hæc uirtus ad publicam concordiam retinendam, quæ non poteſt durare, niſi multa diſſimulent, multa condonent inter ſe paſtores & Eccleſiæ.

Reſponſio ad locum Iacobi 2.

Ex Iacobo citant: Videtis igitur quod ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide ſola. Necꝫ alius locus ullus magis putatur officere noſtrę ſententię, ſed eſt facilis & plana reſponſio. Si non aſſuant aduerſarij ſuas opiniones de meritis operum, Iacobi uerba nihil habent incommodi. Sed ubicunꝫ fit mentio operum, aduerſarij adffingunt ſuas impias opiniones, quod per bona opera mereamur remiſſionem peccatorum, quod bona opera ſint propiciatio ac precium propter quod Deus nobis reconcilietur, quod bona opera uincant terrores peccati & mortis, quod opera coram Deo propter ſuam bonitatem ſint accepta, nec egeant miſericordia & propiciatore Chriſto. Horum nihil uenit in mentem Iacobo, quæ tamen omnia nunc defendunt aduerſarij prætextu ſententiæ Iacobi.

Primum igitur hoc expendendum eſt, q̃ hic locus magis contra aduerſarios facit, quàm cõtra nos. Aduerſarij. n. docent hominem iuſtificari dilectione, & operibus. De fide qua apprehendimus propiciatorem Chriſtum nihil dicunt, Imõ hanc fidem improbant, necꝫ improbant tantum ſententijs aut ſcriptis, ſed etiam ferro aut ſupplicijs conantur in Eccleſia delere. Quanto melius docet Iacobus, qui fidem non omittit, non ſubijcit pro fide dilectionem, ſed retinet fidem, ne propiciator Chriſtus excludatur in iuſtificatione, Sicut & Paulus cum ſummam tradit uitæ Chriſtianæ complectitur fidem & dilectionem. 1. Timoth. 1. Finis mandati caritas eſt de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta.

Secundõ, res ipſa loquitur, hic de operibus dici quæ fidem ſequuntur, & oſtendunt fidem nõ eſſe mortuam, ſed uiuam & efficacem in corde. Non igitur ſentit Iacobus, nos per bona opera mereri remiſſionem peccatorum et gratiam. Loquitur enim de operibus iuſtificatorum, qui iam ſunt reconciliati, accepti & conſecuti remiſſionem peccatorum. Quare errant aduerſarij cum hinc ratiocinantur, quod Iacobus doceat nos per bona opera mereri remiſsionem peccatorum & gratiam quod per opera noſtra habeamus acceſſum ad Deum, ſine propiciatore Chriſto.

Tertiõ. Iacobus paulõ antè dixit de regeneratione, quod fiat per Euangelium, Sic enim ait: Volens genuit nos uerbo ueritatis, ut nos eſſemus primiciæ

creaturarum eius. Cum dicit nos Euangelio renatos esse, docet quod fide renati ac iustificati simus, Nam promissio de Christo tantum fide apprehenditur, cum opponimus eam terroribus peccati & mortis. Non igitur sentit Iacobus nos per opera nostra renasci.

Ex his liquet, nõ aduersari nobis Iacobum, qui cũ ociosas & securas mentes, quę somniabant se habere fidẽ, cũ non haberent, uituperaret, distinxit inter mortuã fidem, ac uiuam fidem. Mortuam ait esse, quæ nõ parit bona opera. Viuam ait esse, quę parit bona opera. Porrõ nos sæpẽ iam ostẽdimus, quid appellemus fidem. Non, n, loquimur de ociosa notícia, qualis est etiam in diabolis, sed de fide quę resistit terroribus cõscientiæ, quę erigit & consolatur perterrefacta corda. Talis fides neq; facilis res est, ut somniant aduersarij, neq; humana potentia, sed diuina potentia, qua uiuificamur, qua Diabolum & mortem uincimus, sicut Paulus ad Colost. ait, quod fides sit efficax per potentiam Dei, & uincat mortem. In quo & resuscitati estis per fidem efficaciæ Dei. Hæc fides cum sit noua uita necessariò parit nouos motus & opera. Ideo Iacobus rectẽ negat nos tali fide iustificari, quæ est sine operibus. Quod autem dicit nos iustificari fide & operibus, certè non dicit nos per opera renasci. Neq; hoc dicet, quod partim Christus sit propiciator, partim opera nostra sint propiciatio. Nec describit hic modum iustificationis, sed describit quales sint iusti, postquãm iam sunt iustificati & renati. Et iustificari significat hic non ex impio iustum effici, sed usu forensi iustum pronunciari, Sicut hic, Factores legis iustificabuntur. Sicut igitur hæc uerba nihil habent incommodi, Factores Legis iustificabuntur, Ita de Iacobi uerbis sentimus, Iustificatur homo non solum ex fide, sed etiam ex operibus, quia certè iusti pronunciantur homines, habentes fidem & bona opera. Nam bona opera, in sanctis, ut diximus, sunt iusticiæ Legis, quæ sunt acceptæ propter fidem, nec sunt acceptæ, quia satisfaciant legi. Iustificantur igitur homines ex fide & operibus, non propter opera, sed propter fidem, quam tamen bona opera sequi necesse est. Iacobus enim loquitur de his operibus, quæ fidem sequuntur, sicut testatur cum ait, Fides adiuuat opera eius. Sic accipiendum est, Factores Legis iustificabuntur, hoc est, qui credunt & habent bonos fructus, iusti pronunciantur. Nam Lex ita fit, si credimus, & placet propter fidem, non quod opera Legi satisfaciant. Ita uidemus in his sententijs nihil esse uicij, sed aduersarij deprauant eas, qui de suo affingunt impias opiniones. Neq; enim dicunt opera mereri remissionem peccatorum, homines propter opera acceptos esse, seu iustos reputari, non propter Christum, opera pacare corda, & uincere iram Dei, opera non indigere misericordia. Horum nihil dicit Iacobus, quæ tamen aduersarij uerbis Iacobi affingunt.

Fides non est ociosa noticia, sed fiducia uiuificans.

Iustificari significat iustũ pronunciari.

Citantur contra nos & aliæ sententiæ de operibus. Danielis 4. Peccata tua eleemosynis redime. Et Esaiæ 58. Frange esurienti panem tuum, tunc inuocabis, & Dominus exaudiet. Luc. 6. Remittite, & remittetur uobis. Matth. 6. Beati misericordes, quia misericordiam consequentur.

Explicatio aliquot sententiarum quæ loquũtur de operibus.

Ad has sententias & similes de operibus, Primum hoc respondemus, quod supra dictum est, Legem non uerè fieri sine fide, nec placere nisi propter fidem in Christum, iuxta illud: Sine me nihil potestis facere. Item: Sine fide impossibile est placere Deo. Item: Per Christum habemus accessum per fidem. Itaq; quoties requiruntur & probantur opera, addendum est Euangelium de Christo.

Secundõ,

Secundò, hæ ſententiæ quas paulò antè commemoraui ferè ſunt concio-
nes pœnitentiæ. Conſtant enim ex duabus partibus, habent initio prædicatio-
nem Legis, quæ arguit peccata, & iubet bene operari. Deinde eſt addita pro-
miſſio. Certiſſimum eſt autem in prædicatione pœnitentiæ, non ſufficere præ-
dicationem Legis, quæ tantum terret & condemnat conſcientias, Sed neceſſe
eſt accedere Euangelium, quod peccata gratis remittantur propter Chriſtum,
& quod fide conſequamur remiſsionem peccatorum. Hæc ſunt adeo certa &
perſpicua, ut ſi diſſentiant aduerſarij, & excludant Chriſtum & fidem à prædi-
catione pœnitentiæ, meritò tanquam blaſphemi in Chriſtum reijciendi ſint.

Dictum Danielis de eleemoſynis.

Quare concio Danielis non tantum ad eleemoſynas detorqueri debet,
ſed fides etiam in ea requirenda eſt. Diſſimilis eſt concio Danielis orationi
Ariſtotelis, qui ad ſuum Regem ſcribens, etiam hortatur eum ad beneficenti-
am, & iubet eum potentiam ſuam conferre ad publicam utilitatem, & ſalutem
omnium gentium, non ad ſuperbiam. Sic enim ad Alexandrum ſcribit:
διὸ πειρῶ τὴν ἀρχὴν μὴ εἰς ὕβριν, ἀλλ' εἰς εὐεργεσίαν κατατίθεσθαι. Honeſtiſsima oratio eſt, neq;
de officio publico magni Principis aliud dici quidquam melius poteſt. Sed
Daniel non tantum de officio ſeu uocatione Regem ſuum docet, Sed de pœni-
tentia, de pietate erga Deũ, de remiſsione peccatorum, deq; illis magnis rebus
extra Philoſophiam poſitis. Non igitur tantum hic eleemoſynæ requirendæ
ſunt, ſed etiam fides. Idq; textus oſtendit Regem conuerſum eſſe non ſolum ad
eleemoſynas largiendas, ſed multo magis ad fidem. Extat enim egregia con-
feſſio Regis de Deo Iſraël: Non eſt alius Deus qui poſſit ita ſaluare.

Duæ partes in contritione Danielis.

Itaq; duæ partes ſunt in concione Danielis, Altera pars eſt prædicatio
pœnitentiæ, quæ arguit peccata, & præcipit de noua uita: Redime peccata tua
iuſticia, & iniquitates tuas beneficijs erga pauperes. Sic enim in ſua lingua lo-
quitur Daniel, ubi ſatis apparet eum non ſolum de eleemoſynis præcipere, ſed
de tota iuſticia, hoc eſt, de notitia Dei & fide. Ait enim, peccata redime per iu-
ſticiam. Iuſticia autem erga Deum eſt fides, qua credimus Deum nobis igno-
ſcere. Deinde præcipit Daniel de beneficijs erga pauperes, hoc eſt, ne ſuperbè,
nec crudeliter imperet, ſed conſulat utilitatibus ſubditorum. Altera pars con-
cionis promittit remiſsionem peccatorum: Ecce erit ſanatio delictorum tuo-
rum. Hieronymus hic præter rem adiecit dubitatiuam particulam. Et multò
imprudentius diſputat in commentarijs, incertam eſſe remiſsionem peccato-
rum, Sed nos meminerimus Euangelium certò promittere remiſſionem pec-
catorum. Iſq; abolere Euangelium cenſendus eſt, qui ſentit remiſsionem pecca-
torum incertam eſſe. Dimittamus igitur hoc in loco Hieronymum. Cum au-
tem clarè ponatur promiſsio, certè requiritur fides, quia promiſſio non poteſt
accipi, niſi fide. Quanquam & ibi indicauit remiſſionem contingere poſſe, cum
ait, Redime peccata. Atq; hæc promiſſio remiſsionis peccatorum uerè Prophe-
tica & Euangelica uox eſt, quam certè Daniel uolebat fide accipi. Norat enim
Daniel promiſſam eſſe remiſsionem peccatorum propter futurum ſemen, ui-
delicet Chriſtum non ſolum Iſraëlitis, ſed etiam omnibus gentibus. Alioqui
non potuiſſet Regi polliceri remiſsionem peccatorum. Non eſt enim homi-
nis, præſertim in terroribus peccati, ſtatuere de uoluntate Dei ſine certo uerbo
Dei, quod iraſci deſinat. Itaq; cum promiſsio ponatur, ſatis apparet requiri fi-
dem, quia promiſsio non poteſt accipi niſi fide. Si hæc fides ex conditione ope-
rum penderet, incerta eſſet remiſsio. Ideo talis fides requiritur quę confidit mi-
ſericordia

sericordia & uerbo Dei, non operibus nostris. Quod autem dicit, redime peccata per iusticiam & per eleemosynas, idem est ac si diceret, redime peccata per pœnitentiam, quia reatus tollitur per pœnitentiam. Neq; hic ratiocinandum est, quod ignoscat Deus propter opera sequentia, sed ignoscit propter promissionem his qui promissionem apprehendunt.

In cõcione Danielis requiritur fides.

Ostendimus clarè in concione Danielis fidem requiri, quare huic loco iniuriam faciunt, qui inde ratiocinantur, quòd remissio peccatorum contingat propter opera nostra, non fide propter Christum. Philosophicum est in concione Danielis, nihil requirere, nisi adhortationem de imperio rectè gerendo. Pharisaicum est affingere, quod propter opus illud contingat remissio peccatorum. Sed ita fit, opera naturaliter incurrunt hominibus in oculos, quia fidem nec intelligit, neq; considerat humana ratio. Ideo somniat opera illa mereri remissionem peccatorum. Hæc opinio naturaliter hæret in animis hominum, neque excuti potest nisi cum diuinitus docemur. Sed reuocare nos debemus ab hac carnali opinione ad Euangelium & promissionem misericordiæ, in qua gratis exhibetur remissio peccatorum propter Christum. Ita in omnibus locis de pœnitentia, fides requirenda est. Summa enim contumelia est in Christum, remissionem peccatorum sine Christo quærere.

Daniel non tantum loquitur de remissione pœnæ.

Quidam interpretantur Danielem de remissione pœnæ, cum ait: Redime peccata eleemosynis. Ita nihil contra nos faceret Daniel. Etsi dubium non est, quin loquatur de remissione culpæ. Frustra enim quæritur remissio pœnæ, nisi cor prius apprehenderit fide remissionem culpæ. Quod si illi concedent remissionem culpæ gratis contingere per fidem, nos postea facile largiemur pœnas, quibus castigamur, mitigari bonis operibus, & tota pœnitentia, iuxta illud: Si nos iudicaremus, non iudicaremur à Domino. Et Ierem. 15. Si conuersus fueris, conuertam te. Et Zach. 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Et Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis.

Dictum, Remittite & remittetur uobis.

Sic iudicandũ est & de hoc loco, Remittite & remittetur uobis. Est enim penè similis concio de pœnitentia. Prior particula requirit bona opera, Posterior addit promissionem. Neq; est ratiocinandum, quod nostra condonatio ex opere operato mereatur nobis remitti peccata. Non enim dicit hoc Christus, sed sicut alijs Sacramentis annectit Christus promissionem remissionis peccatorum, ita annectit & bonis operibus. Et sicut in Cœna Domini non consequimur remissionem peccatorum sine fide ex opere operato: Ita neq; in hoc opere, Imõ nostra condonatio non est bonum opus, nisi cum fit à reconciliatis. Ideo nostra condonatio, quæ quidem placet Deo, sequitur condonationem diuinam. Solet autem Christus hoc modo coniungere Legem & Euangelium, ut utrunq; tradat, doctrinam fidei & bonorum operum, ut moneat hypocrisin, & simulationem pœnitentiæ esse, nisi sequantur boni fructus. Item, Vt multa habeamus externa signa Euangelij, & remissionis peccatorum, quæ nos commonefaciant, & consolentur, & ut multipliciter exercere fidem possimus. Sic igitur necesse est tales locos accipi, ne aboleamus Euangelium de Christo, ne nostra opera opponamus Deo tanquam propiciationem & precium abiecto Christo. Item ne fiat incerta remissio peccatorum, si doceatur pendere ex conditione nostrorum operum.

Citatur & ex Tobia: Eleemosyna ab omni peccato & ã morte liberat. Non dicemus Hyperbolen esse, etsi sic accipi debet, ne detrahat de laudibus Christi,

Christi,cuius propria sunt officia,liberare à peccato & à morte. Sed recurrendum est ad regulam, quod lex sine Christo non prodest. Placent igitur eleemosynæ Deo quæ sequuntur reconciliationem, non quæ præcedunt. Itaq; liberant à peccato & à morte,non ex opere operato,sed sicut paulò ante de pœnitentia diximus, quod fidem cum fructibus complecti debeamus, ita de eleemosynis iudicandum est,quod placeat Deo fides cum fructibus. Tobias enim concionatur non tantum de eleemosynis, sed etiam de fide. Omni tempore benedic Deum,& pete ab eo ut dirigat uias tuas. Hoc autem propriè est illius fidei de qua loquimur, quæ sentit Deum esse propicium propter ipsius misericordiam,& petit ut seruet & gubernet nos. Ad hæc concedimus eleemosynas mereri multa beneficia Dei,& liberare nos à præsenti peccato. Non enim uincunt iram & iudicium Dei, nec reddunt pacatas conscientias, sed liberare à futuro peccato,hoc est,mereri ut defendamur in periculis peccatorum & mortis. Hæc est simplex sententia, reliquis scripturis consentiens. Sic enim accipienda sunt prœconia operum & legis,ne detrahant de gloria Christi & Euangelij.

Eleemosynæ merentur præmia.

Iactatur & dictum Christi apud Lucam: Date eleemosynam,& ecce omnia munda sunt uobis. Plane surdi sunt aduersarij. Toties iam dictum est, Legem sine Christo non prodesse,propter quem placent bona opera. Sed illi ubique,excluso Christo,docent mereri iustificationem per opera legis. Hic locus integer prolatus,ostendit & fidem requiri. Christus enim obiurgat Pharisæos sentientes se coram Deo mundari,hoc est,iustificari crebris ablutionibus, sicut Papa,nescio quis, de aqua sale conspersa inquit, q̃ populum sanctificet ac mundet.Et glosa ait,q̃ mundet à uenialibus. Tales erant & Pharisæorũ opiniones, quas reprehẽdit Christus,& opponit huic fictę purgationi duplicem mundiciẽ, Alterã internam, alteram externã, Iubet ut intus mundentur.Et addit de mundicie externa:Date eleemosynam de eo quod supereſt, & sic omnia erunt uobis munda.Aduersarij non rectẽ accommodant particulam uniuersalem.Christus enim addit hanc conclusionem utriq; membro. Tunc omnia erunt munda, uidelicet, si intus eritis mundi & foris eleemosynam dederitis. Significat enim q̃ externa mundicies collocanda sit in operibus à Deo præceptis,non in traditionibus humanis, ut tunc erant illæ ablutiones, & nunc est quotidiana aspersio aquæ, uestitus Monachorum,discrimina ciborum, & similes pompæ. Sed aduersarij corrumpunt sententiam, Sophisticè translata particula uniuersali ad unam partem, Omnia erunt munda, datis eleemosynis, ut si quis ratiocinetur, Andreas adest,igitur omnes Apostoli adsunt. Quare in antecedente utrumq; membrum coniungi debet, credite & date eleemosynas, Ita omnia erunt munda.Scriptura enim alibi dicit,fide purificari corda.Quod si corda sint mundata & deinde foris accedant eleemosynæ, hoc est, opera charitatis omnis generis, ita toti erunt mundi,hoc est,non solum intus,sed foris etiam.Ac tota illa concio Christi coniungi debet,cuius multę sunt partes,quarũ alię de fide,aliæ de operibus præcipiunt. Nec est candidi lectoris excerpere præcepta operum, omissis locis de fide. Sunt & nonnulli,qui Ironiam esse interpretantur,Date eleemosynas,& omnia sunt munda. Videtur enim Christus uanam persuasionem Pharisæorum falsè taxare, qui cum haberent animos pessimis cupiditatibus obnoxios,interim datis eleemosynis, confidebant se meros semideos esse. Hæc interpretatio non est absurda, neq; quidquam habet quod pugnet cum alijs scripturis.

Dictum apud Lucam, Date Eleemosynam, & omnia munda sunt uobis.

Adderemus

Adderemus & alios locos, nisi existimaremus ex his quos recensuimus atq; enarrauimus, similes iudicare facile posse. Sed adijciemus hoc Scholasticum argumentum. Iusticiam necesse est in uoluntate esse. Ergo cum fides sit intellectu, non iustificat. Hoc argumentum ideo recitamus, ut tota res magis fiat perspicua, quomodo fides iustificet, & quid Paulus appellet iustificationem. Primum autem propter morosos quosdam τεχνολογικῶς respondebimus, Constat ex Ethicis iusticiam, obedientiam appellari erga superiorem, quam is approbat. Fides autem est obedientia erga Euangelium, Quare fides rectè dicitur iusticia. Nam obedientia erga Euangelium imputatur pro iusticia, adeò ut obedientia erga Legem tantum propterea placeat, quia credimus nobis Deum gratis propicium esse propter Christum. Neq; enim Legi satisfacimus. Quanquam autem hęc fides est in uoluntate, est enim uelle & accipere promissionem, tamen hæc obedientia erga Euangelium, non propter nostram mundiciem imputatur pro iusticia, sed quia accipit oblatam misericordiam, & sentit nos propter Christum iustos reputari per misericordiam, non propter nostram implectionem Legis, non propter nostram mundiciem. Ita reuocanda mens est à conspectu Legis, ad Euangelium & Christum, & statuendum quod reputemur iusti, cum sentimus nos propter Christum acceptos esse, non propter dilectionem aut impletionem Legis.

Scholasticum argumentum de subiectis iusticiæ & fidei.

Fides est obedientia erga Euangelium.

Differt autes fides à spe, quia fides accipit in præsentia remissionem peccatorum & reconciliationem seu acceptationem nostri, propter Christum. Spes autem uersatur circa futura bona & liberationem futuram.

Discrimen inter spem et fidem.

Secundò. Iustificatio hic significat reputari iustum, Non autem reputat Deus hominem iustum, sicut in foro aut in philosophia reputatur homo iustus, propter proprij operis iusticiam, quæ rectè ponitur in uoluntate. Sed reputat hominem iustum per misericordiam propter Christum, si quis tamen hunc fidei apprehendat. Quare fides appellari iusticia potest, quia est illud quod imputatur ad iusticiam, ut cum Paulo loquamur, quacunq; tandem in parte hominis ponatur. Id enim nihil impedit imputationem diuinam. Etsi nos quidem hanc fidem in uoluntate ponimus. Est enim uelle & accipere promissionem Christi, Et hoc Scholastico argumento agitato, quia rem ad methodum reuocat, uidetur tota causa melius perspici posse.

Fides iustificans est in uoluntate.

Ex his omnibus etiam intelligi potest quid iudicandum sit de merito condigni, de quo fingunt aduersarij, homines iustos esse coram Deo propter dilectionem ac Legis impletionem. Hic nulla iusticiæ fidei mentio fit, & pro mediatore Christo ponitur, quod accepti simus propter nostram impletionem legis. Hæc nullo modo ferenda sunt, sed ut supra diximus, etsi necessariò sequitur renouationem dilectio, tamen gloria Christi non debet transferri in nostram impletionem legis, sed sentiendum est, quòd etiam post renouationem iusti reputemur propter Christum, quod Christus maneat Mediator & Propiciator, quod propter Christum habeamus accessum ad Deum, quod non satisfaciamus legi, sed habeamus opus misericordia, quod semper per misericordiam iusti reputemur.

Falsa est opinio aduersariorum de merito condigni.

Idq; confitetur uniuersa Ecclesia, quod iusti & salui fiamus per misericordiam. Sicut supra citauimus ex Hieronymo: Iusticia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia consistit. Hæc autem misericordia fide accipitur.

Ac uidete quid consequatur ex aduersariorum opinione. Si sentiendum est quòd

est quōd Christus tantum primam gratiam, ut uocant, meruerit, postea nos simus accepti nostra impletione Legis, & mereamur uitam æternam, quando erunt conscientiæ pacatæ? quando statuent, quod habeant Deum propicium? Lex enim semper accusat nos, ut Paulus ait, Lex iram operatur. Ita fiet, ut si senserint conscientiæ iudicium Legis, ruant in desperationem. Paulus ait: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Isti autem nihil unquam ex fide agent, si tunc demum sentient sibi Deum propicium esse, cum Legem impleuerint. Semper enim dubitabunt, utrū legi satisfactum sit, imō intelligent non esse satisfactum. Ideo nunquam statuent se habere Deum propicium, se exaudiri. Nunquām igitur diligent, nunquām uerè colent Deum. Talia pectora quid aliud sunt, nisi ipse infernus? cum sint plena desperationis & odij Dei, & in hoc odio tantum inuocant & colunt Deum, sicut Saul colebat. Hic prouocamus ad omnes pias mentes, & peritas rerum spiritualium: Hæ testari poterunt, hæc mala consequi ex illa impia persuasione aduersariorum, quæ sentit quod iusti reputemur coram Deo, propria impletione Legis, & iubet confidere non promissione misericordiæ propter Christum donatæ, sed nostra impletione Legis.

Absurda quæ sequuntur ex opinione aduersariorum.

Necesse est igitur statuere, quod certō post renouationem iusti, hoc est, accepti Deo simus, quod pacem habeamus coram Deo, per misericordiam propter Christum, & quod illa inchoatio legis in nobis non sit digna uita æterna, Sed quod sicut remissio peccatorum & iustificatio imputatur per misericordiam propter Christum, non propter Legem: Ita & uita æterna cum iustificatione, non propter legem & nostrorum operum perfectionem, sed per misericordiam propter Christum offeratur, sicut ait Christus: Hæc est autem uoluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui uidet Filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. Et alibi: Qui credit in Filium, habet uitam æternam. Ac quæramus aduersarios, quid cōsilij dent morituris, utrum iubeant eos sentire quod reputentur iusti, & expectare uitam æternam propter propria opera, an uerō per misericordiam propter Christum. Certè nec Paulus, nec Laurentius dicent se propter propriam mundiciem iustos reputandos esse, aut sibi deberi uitam æternam propter propria opera, aut Legis impletionem, sed sentient se reputari iustos, & accipere uitam æternam propter Christum per misericordiam. Nec possunt muniri piæ mentes contra desperationem, nisi sentiant q̄p per misericordiam propter Christū, certō habeant & iusticiam & uitam æternam, non propter Legem. Hæc sententia consolatur, erigit & saluat pias mentes. Quare aduersarij cum meritum condigni prædicant, abolent doctrinam de fide & mediatore Christo, & adigunt conscientias ad desperationem.

Sed dicat aliquis. Si per misericordiam saluandi sumus, quid interest inter hos quibus contingit salus, & quibus non contingit? Num pariter sperabunt misericordiam boni & mali? Hoc argumento uidentur moti Scholastici ad quærendum meritum condigni. Necesse est enim discrimen esse inter saluandos & damnandos. Primum autem illud dicimus, cum Iustificatione offerri uitam æternam, seu iustificatos esse filios Dei & cohæredes Christi, iuxta illud: Quos iustificauit, eosdem & glorificauit. Igitur nullis contingit salus, nisi iustificatis. Sicut autem iustificatio incerta esset, si penderet ex conditione operum nostrorum aut Legis, ac non gratis acciperetur propter Christum per misericordiam. Ita si spes niteretur operibus nostris, tunc uerō esset incerta, quia Lex semper accusat conscientias. Nec possunt conscientiæ reddi pacatæ, nisi fi-

Discrimen inter saluandos & damnandos facit fides.

de apprehendant misericordiam, Neq; uerò potest existere spes uitæ æternæ, nisi pacata conscientia. Nam conscientia dubitans fugit iudicium Dei ac desperat. Necesse est autem spem uitæ æternæ certam esse. Ideoq; ut sit certa, sentiendum est quod donetur uita æterna per misericordiam propter Christum, non propter nostram impletionem Legis. In foro ac iudicijs hominum, ius seu debitum certum est, Misericordia incerta est. Hic coram Deo alia res est. Nam misericordia habet clarum mandatum Dei. Nam Euangelium est hoc ipsum mandatum quod iubet credere, quod Deus uelit ignoscere & saluare propter Christum, iuxta illud: Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum, Qui credit in eum, non iudicatur. Quoties igitur de misericordia dicitur, intelligendum est fidem requiri. Et hæc fides discrimen facit inter saluandos & damnandos, inter dignos & indignos. Est enim uita æterna promissa iustificatis. Fides autem iustificat, quandocunq; & quocunq; tempore apprehendunt eam homines. Et per omnem uitam certare debemus, ut hanc uitam consequamur & confirmemus. Existit enim, ut supra diximus, hæc fides in pœnitentia, non in his qui secundum carnem ambulant. Ac debet inter pericula & tentationes per omnem uitam crescere. Et qui hanc fidem consecuti sunt, hi renati sunt, ut bene operentur, ut Legem faciant. Sicut igitur pœnitentiam per omnem uitam requirimus, ita & bona opera requirimus, etsi nostra opera non sunt talia, ut pro eis debeatur uita æterna. Sicut & Christus in hac sententia dixit: Cum feceritis omnia, dicite serui inutiles sumus. Et Bernardus rectè dicit: Necesse est primo credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Deinde, quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quod æternam uitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa. Et paulò pòst: Nemo itaq; se seducat, quia si bene cogitare uoluerit, inueniet procul dubio, quod nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum uiginti millibus uenit ad se &c. Nos igitur ut conscientiæ certam consolationem & spem teneant, reuocamus homines ad promissionem Christi, & docemus quod necesse sit credere, quod Deus propter Christum, non propter Legem remittat peccata, iustificet, & donet uitam æternam, iuxta illud: Qui habet filium, habet uitam.

Sed operę precium est audire, quomodo eludant aduersarij dictum Christi: Cum feceritis omnia, dicite serui inutiles sumus. In Confutatione sic corrumpunt, Primum faciunt Antistrephon, Multo magis inquiunt dici potest, Si credideritis omnia, dicite serui inutiles sumus. Deinde addunt, opera inutilia esse Deo, nobis uero non esse inutilia. Videte quàm delectet aduersarios puerile studium Sophistices, Et quanquam hæ ineptiæ indignæ sint quæ refutentur, tamen paucis respondebimus.

Refutatur elusio aduersariorum, quam inferunt ex dicto, Si feceritis omnia &c.

Antistrephon est uicioſum, quia decipiuntur aduersarij in uocabulo fidei, quod si significaret noticiam historiæ, aut si diceremus, quod fides propter suam dignitatem saluaret, ualeret similitudo, multo magis nos seruos inutiles esse, si crediderimus. Sed nos loquimur de fiducia promissionis & misericordiæ Dei. Et hæc fiducia fatetur nos esse seruos inutiles. Imo hæc est uera uox fidei, quod opera nostra sint indigna, quod simus serui inutiles. Et ob hanc unam causam de fide loquimur, & quærimus misericordiam, quia agnoscimus nos esse seruos inutiles. Fides enim ideo saluat, quia apprehendit misericordiam, seu

am,ſeu promiſſionem gratię,etiam ſi opera noſtra ſunt indigna.Et in hanc ſententiam,nihil lædit nos Antiſtrephon. Cum crediderítis omnia,dicite ſerui inutiles ſumus.Rectè dicitur,ſi tantum intelligatur operibus detrahi dignitas.

Sed ſi ſic intelligatur, quod etiam fides ſit inutilis, non ualet ſimilitudo. Cum feceritis omnia,nolite confidere operibus:Ita cum crediderítis,nolite confidere promiſſione Dei. Hæc non cohærent,ſunt enim diſſimilia, Diſſimiles cauſæ, diſſimilia obiecta fiduciæ ſunt in priore propoſitione, & in poſteriore. Fiducia in priore eſt fiducia noſtrorum operum. Fiducia in poſteriore eſt fiducia promiſsionis diuinæ.Chriſtus autem damnat fiduciam noſtrorum operum, non damnat fiduciam promiſsionis ſuæ. Non uult nos de gratia & miſericordia Dei deſperare. Arguit opera noſtra tanquam indigna, non arguit promiſſionem quæ gratis offert miſericordiam. Et præclarè hic inquit Ambroſius: Agnoſcenda eſt gratia, ſed non ignoranda natura. Promiſſioni gratiæ confidendum eſt,non naturæ noſtræ.Sed aduerſarij ſuo more faciunt,Sceleſtè detorquent ſententias pro fide traditas, contra fidei doctrinam. Nam hæc cauillatio totum Euangelium abrogat, Cum crediderítis omnia, dicite fidem inutilem eſſe. Nonne Euangelium pollicetur remiſſionem peccatorum & ſalutem, etiam his qui nulla prorſus habent bona opera, Si tamen conuertantur & non deſperent,ſed fide in Chriſtum conſequantur remiſsionem peccatorum? Num iubent aduerſarij deſperare hos quorum conſcientiæ nulla inueniunt bona opera,quę opponere iudicio Dei poſſint? Num his dicent,fidem inutilem eſſe? Malè pereant iſti Sophiſtę cum talibus calumnijs,quæ totum Euangelium euertũt, abrogant gratuitam remiſsionem peccatorum, eripiunt pijs conſcientijs firma ſolatia.

Refutatur cauillatio aduerſariorum opera Deo inutilia eſſe, nobis utilia.

Illa uero cauillatio planè puerilis eſt, cum interpretantur ſeruos inutiles, quia opera Deo ſint inutilia,nobis uerò ſint utilia. At Chriſtus de ea utilitate loquitur,quæ conſtituit nobis Deum debitorem gratiæ. Quanquãm alienum eſt hoc loco diſputare,de utili aut inutili. Nam ſerui inutiles ſignificant ſufficientes,quia nemo tantum timet,tantum diligit Deo,tantum credit Deo, quantum oportuit,nemo ſatisfacit Legi. Sed miſſas faciamus has frigidas cauillationes aduerſariorum, de quibus, quid iudicaturi ſint homines, ſi quando proferentur in lucem, facile poſſunt exiſtimare uiri prudentes. In uerbis maximè planis & perſpicuis repererunt rimam. At nemo non uidet in illo loco fiduciam noſtrorum operum improbari.

Reſponſio ad obiectionem de uocabulo mercedis.

Sed aduerſarij reclamant,quod uita æterna debeatur de condigno pro bonis operibus,quia uita æterna uocetur merces. Breuiter & planè reſpondemus. Paulus uitam æternam donũ appellat, quia cũ reputamur iuſti propter Chriſtũ,ſimul efficimur filij Dei,& cohæredes Chriſti. Alibi uero ſcriptũ eſt: Merces ueſtra copioſa erit in cœlis.Hæc ſi uidentur aduerſarijs inter ſe pugnare,ipſi expediant.Sed parum æqui iudices ſunt.Nam doni uocabulum omittunt,omittunt & fontes totius negocij, quomodo iuſtificentur homines, ꝙ perpetuò ſit mediator Chriſtus.Interim excerpunt uocabulum mercedis. Idq; acerbiſſimè interpretantur non ſolum contra ſcripturam,ſed etiam contra ſermonis conſuetudinem. Hinc ratiocinantur, quia merces nominatur, ideo opera noſtra ſunt eiuſmodi,quæ debeant eſſe precium,pro quo debetur uita æterna. Planè noua eſt hæc Dialectica. Vocabulum audimus Mercedis, Igitur opera noſtra legi ſatisfaciunt,igitur ſumus accepti Deo propter opera noſtra,nec indigemus miſe-

ricordia aut propiciatore Christo, aut fide apprehendente misericordiam. Ac ingentem Soriten Chrysippæo more cumulant. Bona opera sunt precium pro quo debetur uita æterna, Bona opera legi Dei satisfaciunt. Et præter hæc fieri possunt opera supererogationis. Non solum igitur legi Dei satisfacere homines possunt, sed etiam amplius facere. Et quia Monachi amplius faciunt, supersunt eis merita. Et quoniam liberalitas est largiri alijs, de eo quod supereſt, licet donare illa merita alijs. Affingunt & sacramentum huius donationis, mortuis circundant cucullos, ut testentur eis applicata esse aliena merita. Talibus coacernationibus beneficium Christi & iusticiam fidei obscurant aduersarij.

Non mouemus inanem λογομαχίαν de uocabulo. De magna re litigamus, Vnde debeant piæ mentes certam spem salutis concipere, Vtrum bona opera possint conscientias reddere pacatas, Vtrum sentire debeant, ita contingere uitam æternam, si bona opera opponant iudicio Dei, an uerò debeant sentire, quod propter Christum per misericordiam reputentur iusti, & consequantur uitam æternam. Hæc ueniunt in controuersiam, quam nisi dijudicet conscientia, non potest habere firmam & certam consolationem.

Nos autem satis clarè ostendimus quod bona opera non satisfaciant Legi Dei, quod habeant opus misericordia, quod fide simus accepti Deo propter Christum, quod bona opera non reddant pacatam conscientiam. Ex his omnibus sequitur, quod oporteat sentire, quod propter Christum per misericordiam, non propter legem, iustificati consequantur uitam æternam.

Cur uita æterna uocetur merces.

Quid igitur de mercede? Primum si diceremus, Vitam æternam dici mercedem, quia debetur iustificatis propter promissionem, nihil absurdi diceremus. Sunt enim ordinata inter se hæc dona. Sicut & Augustinus ait, Dona sua coronat Deus in nobis, Sed scriptura uitam æternam uocat mercedem, non quia propter opera debeatur, sed quia compenset afflictiones & opera, etsi propter aliam causam contingit. Sicut hæreditas uenit filiofamilias, non propter officia sua, & tamen est merces & compensatio officiorum filij. Satis est igitur nomen mercedis hac ratione conuenire uitæ æternæ, quia uita æterna compensat bona opera & afflictiones. Non est igitur uita æterna merces, quia opera sufficiant, quia debeatur pro operibus. Sed consecutiuè, quia cum propter aliam causam contigit, tamen compensat opera & afflictiones.

Opera merentur præmia corporalia & spiritualia.

Præterea concedimus opera uerè esse meritoria, non remissionis peccatorum, aut iustificationis. Non enim placent, nisi in iustificatis propter fidem, Nec sunt digna uita æterna. Sicut enim iustificatio, ita uiuificatio fide contingit propter Christum, sed sunt meritoria aliorum præmiorum corporalium & spiritualium, quæ redduntur tum in hac uita, tum post hanc uitam. Differt enim Deus pleraq; præmia, donec glorificet sanctos post hanc uitam, quia uult eos in hac uita exerceri ad mortificandum ueterem hominem. Euangelium gratis exhibet promissionem iustificationis & uiuificationis propter Christum. At in Lege non gratis, sed pro operibus offertur & debetur merces. Cum igitur opera sint quædam impletio Legis, rectè dicuntur meritoria, recte dicitur eis deberi merces. Et hæc merces parit gradus præmiorum, iuxta illud Pauli: Vnusquisq; accipiet mercedem iuxta suum laborem. Hi gradus sunt merces operum atq; afflictionum.

Sed contendunt aduersarij, uitam æternam propriè deberi pro operibus,

Paulus

quia Paulus ait: Reddet unicuiq; ſecundum opera eius. Iohan. 5. Qui bona fecerunt, in reſurrectionem uitæ. Matth. 25. Eſuriui & dediſtis mihi manducare. In his locis omnibus, in quibus opera laudantur, neceſſe eſt ad Canonem ſupra traditum recurrere, quod opera non placeant ſine Chriſto, quod non ſit excludendus mediator Chriſtus. Quare cum textus ait, operibus reddi uitam æternam, ſignificat reddi iuſtificatis, quia non placent Deo bona opera, niſi in iuſtificatis, hoc eſt, in his, qui ſentiunt ſe acceptos eſſe Deo propter Chriſtum. Et iuſtificati neceſſariō pariunt bona opera, ſeu bonos fructus, ut eſuriui & dediſtis mihi cibum. Hic cum dicitur reddi uita æterna his operibus, intelligitur reddi iuſticiæ. Fidem igitur complectitur cum nominat fructus. Porrō Scriptura nominat fructus, ut oſtendat requiri non hypocriſin, ſed iuſticiam quæ ſit efficax, & quædam noua uita, pariens bonos fructus.

Dicta de præmijs bonorum operum quomodo intelligenda.

Nec nos aliquam ocioſam ſubtilitatem hic affectamus. Sunt enim grauiſſimæ cauſæ propter quas hæc diſputamus. Etenim ſi largiamur aduerſarijs q̄ opera mereantur uitam æternam, mox attexunt illa abſurda, quod opera Legi Dei ſatisfaciant, quod non habeant opus miſericordia, quod ſimus iuſti, hoc eſt accepti Deo propter noſtra opera, non propter Chriſtum, quod pluſquam Legem facere homines poſſint. Ita tota doctrina de iuſticia fidei obruitur. Eſt autem neceſſarium retinere in Eccleſia puram doctrinam de iuſticia fidei. Quare cogimur Phariſaicas opiniones aduerſariorum reprehendere, & ut gloriam Chriſti illuſtremus, & ut conſcientijs firmas conſolationes proponamus. Quomodo enim concipiet conſcientia firmam ſpem ſalutis, cum in iudicio ſentiet opera indigna eſſe, niſi ſciet homines reputari iuſtos & ſaluari per miſericordiam, propter Chriſtum, non propter propriam Legis impletionem. An Laurentius in craticula ſentiebat ſe hoc opere Legi Dei ſatisfacere, ſe ſine peccato eſſe, ſe non indigere mediatore Chriſto, & miſericordia Dei? Ille uerō non diſſentit ā Propheta, qui ait: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur coram te omnis uiuens. Bernardus fatetur ſua opera non eſſe digna uita æterna, cum inquit, Perditè uixi, Sed erigit ſe, & ſpem ſalutis concipit inde, quod ſentit propter Chriſtum per miſericordiam donari remiſſionem peccatorum, & uitam æternam, ſicut Pſalmus docet, Beati quorū remiſſæ ſunt iniquitates. Et Paulus ait: Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus imputat iuſticiam ſine operibus. Hunc ait Paulus beatum eſſe, cui imputatur iuſticia per fidem in Chriſtum, etiamſi nulla habeat bona opera. Talibus conſolationibus erigendæ ſunt conſcientiæ, & confirmandæ, quod propter Chriſtum per fidem contingant remiſsio peccatorum, reputatio iuſticiæ, & uita æterna. Quōd ſi in locis de operibus hoc modo fides intelligetur, nihil officiunt noſtræ ſententiæ. Et profectō neceſſe eſt ſemper addere fidem, ne excludamus mediatorem Chriſtum. Fidem autem bona opera ſequi debent, quia fides ſine bonis operibus hypocriſis eſt.

Doctrina de iuſticia fidei neceſſaria eſt in Eccleſia.

Habent & in Scholis quædam apophtegmata conſentanea noſtræ ſententiæ, qualia ſunt, quod bona opera placeant Deo propter gratiam. Item quod ſit confidendum gratiæ Dei. Hæc dicta parum commodè interpretantur. Veteres enim ſentiebant confidendum eſſe gratiæ, hoc eſt, miſericordiæ Dei promittentis, quod propter Chriſtum ſimus accepti. At recentiores fiduciam transferunt ad noſtrum opus. Sentiunt confidendum eſſe gratiæ, hoc eſt, dilectioni, qua nos Deum diligimus. Hæc interpretatio eſt uicioſa. Non enim de-

Dicta quædam Scholaſticorum de fide et operibus.

bemus confidere noſtra dilectione, cum ſit immunda & exigua, ſed promiſſione miſericordiæ. lactatur & hoc, ꝙ bona opera ualeant uirtute paſsionis Chriſti. Rectè dictum eſt, ſed fidei mentionem fieri oportuit in his ſententijs. Non enim communicatur nobis meritum paſsionis Chriſti, niſi id fide apprehendamus & opponamus aduerſus terrores peccati & mortis. Paulus enim inquit: Chriſtus eſt propiciatio per fidem. Item, Eccleſia in omnibus precationibus addit, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Hic etiam admonendi ſunt homines de fide. Significat enim Eccleſia noſtra opera, & noſtras preces Deo placere, ſi credamus Deum nobis propicium, & nos exaudire propter Pontificem Chriſtum.

Hæc in præſentia ſufficiant de hoc loco. Scimus autem hanc ſententiam quam defendimus, Euangelio conſentaneam eſſe, & pijs cõſcientijs firmiſſimas conſolationes afferre. Ideo piæ mentes non patiantur ſe ab hac ſententia propter iniqua & calumnioſa iudicia aduerſariorum abduci. Scriptura prædicit futurum eſſe, ut in Eccleſia graſſentur mali doctores, qui oppreſſa iuſtitia fidei in Chriſtum, doceant mereri remiſsionem peccatorum per noſtros cultus & opera. Et res geſtæ in Iſraël ſunt imago futuri ſtatus in Eccleſia. Videmus autem Prophetas ubiꝙ taxare hanc perſuaſionem populi, qui ſomniabant ſe mereri remiſsionem peccatorum per ſacrificia Legis, & hac opinione cumulabant opera & cultus. Ita in Eccleſia multi exiſtunt qui falſam perſuaſionem de ſuis operibus & cultibus habent. Monuit autem nos Scriptura, ne multitudine impiorum perturbemur. Ac facile poteſt fieri iudicium de ſpiritu aduerſariorum. Videmus enim in multis articulis manifeſtam ueritatem ab eis damnari. Nec offendat quenquam ꝙ ſibi nomen Eccleſiæ uendicant. Nam Eccleſia Chriſti apud hos eſt, qui Euangelium Chriſti rectè docent, non apud illos, qui prauas opiniones contra Euangelium defendunt, ſicut inquit Dominus: Oues meæ uocem meam audiunt.

DE ECCLESIA.

SEptimum articulum confeſſionis noſtræ damnauerunt, in quo diximus, Eccleſiam eſſe congregationem ſanctorum. Et addiderunt longam declamationem, quod mali non ſint ab Eccleſia ſegregandi, cum Iohannes comparauerit Eccleſiam areæ, in qua triticum & paleæ ſimul coaceruata ſint. Et Chriſtus comparauerit eam ſagenæ, in qua piſces boni & mali ſunt etc. Profectõ uerũ eſt, ꝙ aiunt, Nullum remedium eſt aduerſus ſycophantæ morſum. Nihil tam circumſpectè dici poteſt, ut calumniam euitare queat. Nos ob hanc ipſam cauſam addiecimus octauum articulum, ne quis exiſtimaret nos ſegregare malos & hypocritas ab externa ſocietate Eccleſię, aut adimere ſacramentis efficaciam, quę per hypocritas, aut malos adminiſtrantur. Itaꝙ hic non eſt opus longa defenſione aduerſus hanc calumniam, Satis nos purgat articulus octauus. Concedimus enim quod hypocritæ & mali in hac uita ſint admixti Eccleſiæ, & ſint membra Eccleſiæ ſecundum externam ſocietatem ſignorum Eccleſiæ, hoc eſt uerbi, profeſſionis, & ſacramentorum, præſertim ſi non ſint excommunicati. Nec ſacramenta ideo non ſunt efficacia, quia per malos tractantur, Imo rectè uti poſſumus ſacramentis, quæ per malos adminiſtrantur. Nam & Paulus prædicit futurum, ut Antichriſtus ſedeat in templo Dei, hoc eſt, in Eccleſia dominetur, & gerat officia. At Eccleſia, non eſt tantum ſocietas externarum rerum ac ritu-

Hypocritæ & mali ſunt mẽbra Eccleſiæ ſecundum externam conſuetudinem.

um, ſicut

um, ſicut aliæ politiæ, Sed principaliter eſt ſocietas fidei & Spiritus ſancti, in cordibus, quæ tamen habet externas notas, ut agnoſci poſſit, uidelicet puram Euangelij doctrinam, & adminiſtrationem ſacramentorum conſentaneam Euangelio Chriſti. Et hæc Eccleſia ſola dicitur corpus Chriſti, quod Chriſtus Spiritu ſuo renouat, ſanctificat, & gubernat, ut teſtatur Paulus Ephe. 1. cum ait: Et ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ, quæ eſt corpus eius, uidelicet integritas, id eſt, tota congregatio ipſius qui omnia in omnibus perficit. Quare illi in quibus nihil agit Chriſtus, non ſunt membra Chriſti, Idcꝙ fatentur aduerſarij, malos eſſe mortua membra Eccleſiæ. Quare miramur, cur reprehenderint noſtram deſcriptionem, quæ de uiuis membris loquitur.

Eccleſiæ deſcriptio apud Paulum & in Symbolo.

Neꝙ noui quidquam diximus, Paulus omnino eodem modo definiuit Eccleſiam Ephe. 5. quod purificetur, ut ſit ſancta, Et addit externas notas, uerbum & ſacramenta. Sic enim ait, Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe tradidit pro ea, ut eam ſanctificet purificans lauacro aquæ, per uerbum, ut exhibeat eam ſibi gloriоſam Eccleſiam non habentem maculam, neꝙ rugam, aut aliquid tale, ſed ut ſit ſancta & inculpata. Hanc ſententiam penẽ totidem uerbis nos in confeſſione poſuimus. Sic definit Eccleſiam & articulus in Symbolo, qui iubet nos credere, quod ſit ſancta catholica Eccleſia, Impij uerõ non ſunt ſancta Eccleſia. Et uidetur additum quod ſequitur, ſanctorum communio, ut exponeretur quid ſignificet Eccleſia, nempe congregationem ſanctorum, qui habent inter ſe ſocietatem eiuſdem Euangelij, ſeu doctrinæ, & eiuſdem Spiritus ſancti, qui corda eorum renouat, ſanctificat, & gubernat. Et hic articulus neceſſaria de cauſa propoſitus eſt. Infinita pericula uidemus quæ minantur Eccleſiæ interitum. Infinita multitudo eſt impiorum in ipſa Eccleſia, qui opprimunt eam. Itaqꝫ ne deſperemus, ſed ſciamus Eccleſiam tamen manſuram eſſe. Item ut ſciamus, quamuis magna multitudo ſit impiorum, tamen Eccleſiam exiſtere, & Chriſtum præſtare illa quæ promiſit Eccleſiæ, remittere peccata, exaudire, dare Spiritum ſanctum. Has conſolationes proponit nobis articulus ille in Symbolo. Et Catholicam Eccleſiam dicit, ne intelligamus Eccleſiam eſſe politiam externam certarum gentium, ſed magis homines ſparſos per totum orbem, qui de Euangelio conſentiunt, & habent eundem Chriſtum, eundem Spiritum ſanctum, & eadem ſacramenta, ſiue habent eaſdem traditiones humanas, ſiue diſſimiles. Et in Decretis inquit gloſſa, Eccleſiam largè dictam complecti bonos et malos. Item malos nomine tantum in Eccleſia eſſe, non re, bonos uerõ re & nomine. Et in hanc ſententiam multa leguntur apud Patres. Hieronymus enim ait: Qui ergo peccator eſt aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubiectus dici.

Catholica Eccleſia.

Quanquam igitur hypocritæ & mali ſint ſocij huius ueræ Eccleſiæ, ſecundum externos ritus, tamen cum definitur Eccleſia, neceſſe eſt eam definiri, quæ eſt uiuum corpus Chriſti. Item, quæ eſt nomine & re Eccleſia, & multæ ſunt cauſæ. Neceſſe eſt enim intelligi quæ res principaliter efficiat nos membra, & uiua membra Eccleſiæ. Si Eccleſiam tantum definiemus externam politiam eſſe bonorum & malorum, non intelligent homines regnum Chriſti eſſe iuſticiam cordis, & donationem Spiritus ſancti, ſed iudicabunt tantum externam obſeruationem eſſe certorum cultuum ac rituum. Item quid intererit inter populum Legis, & Eccleſiam, ſi Eccleſia eſt externa politia? At ſic diſcernit Paulus Eccleſiam à populo Legis, quod Eccleſia ſit populus ſpiritualis, hoc eſt,

Eccleſia non eſt externa tantum politia.

non ciuilibus ritibus distinctus à gentibus, Sed uerus populus Dei renatus per Spiritum sanctum. In populo legis præter promissionem de Christo, habebat & carnale semen promissiones rerum corporalium, regni &c. Et propter has dicebantur populus Dei, etiam mali in his, quia hoc carnale semen Deos separauerat ab alijs gentibus per certas ordinationes externas, & promissiones. Et tamen mali illi non placebant Deo. At Euangelium affert non umbram æternarum rerum, sed ipsas res æternas, Spiritum sanctum, & iusticiam qua coram Deo iusti sumus. Igitur illi tantum sunt populus iuxta Euangelium, qui hanc promissionem Spiritus accipiunt. Ad hæc, Ecclesia est regnum Christi, distinctum contra regnum Diaboli. Certum est autem impios, in potestate Diaboli, & membra regni diaboli esse, sicut docet Paulus Ephes. 2. cum ait, diabolum efficacem esse in incredulis. Et Christus inquit ad Pharisæos, quibus certè erat externa societas cum Ecclesia, id est, cum sanctis in populo Legis, Prę erant enim, sacrificabant, & docebant: Vos ex patre Diaboli estis. Itaq; Ecclesia quæ uerè est regnum Christi, est propriè congregatio sanctorum. Nam impij reguntur à Diabolo, & sunt captiui Diaboli, non reguntur Spiritu Christi, Sed quid uerbis opus est in re manifesta? Si Ecclesia, quę uerè est regnũ Christi, distinguitur à regno Diaboli, necesse est impios, cum sint in regno diaboli, non esse Ecclesiam, quanquam in hac uita, quia nondum reuelatum est regnum Christi, sint admixti Ecclesiæ, & gerant officia in Ecclesia. Nec propterea impij sunt regnum Christi, quia reuelatio nondum facta est. Semper enim hoc est regnum Christi, quod spiritu suo uiuificat, siue sit reuelatum, siue sit tectum cruce. Sicut idem est Christus qui nunc glorificatus est, antea afflictus erat. Et conueniunt huc similitudines Christi, qui clarè dicit Matth. 13. Bonum semen esse filios regni. At Zizania filios diaboli, agrum dicit mundum esse, non Ecclesiam. Ita Iohannes de illa tota gente Iudæorum loquitur & dicit fore, ut uera Ecclesia separetur ab illo populo. Itaq; hic locus magis contra aduersarios facit, quàm pro eis, quia ostendit uerum & spiritualem populum, à populo carnali separandum esse. Et Christus de specie Ecclesiæ dicit, cum ait: Simile est regnum cœlorum sagenæ, aut decem uirginibus. Et docet Ecclesiam tectam esse multitudine malorum, ne id scandalum pios offendat. Item, ut sciamus uerbum & Sacramenta efficacia esse, etsi tractentur à malis. Atq; interim docet impios illos, quamuis habeant societatem externorum signorum, tamen non esse uerum regnum Christi, & membra Christi. Sunt enim membra regni Diaboli. Neq; uerò somniamus nos Platonicam ciuitatem, ut quidam impiè cauillantur, Sed dicimus existere hanc Ecclesiam, uidelicet, uerè credentes ac iustos sparsos per totum orbem. Et addimus notas, puram doctrinam Euangelij, & sacramenta. Et hæc Ecclesia propriè est columna ueritatis. Retinet enim purum Euangelium, & ut Paulus inquit, fundamentum, hoc est, ueram Christi cognitionem & fidem, etsi sunt in his etiam multi imbecilles, qui supra fundamentum ædificant stipulas perituras, hoc est, quasdam inutiles opiniones, quæ tamen, quia non euertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur, Ac sanctorum Patrum scripta testantur, q̃ interdum stipulas etiam ædificauerint supra fundamentum, sed quæ non euerterunt fidem eorũ. Verum plæraq; istorum quæ aduersarij nostri defendunt, fidem euertunt, ut quod damnant articulum de remissione peccatorum, in quo dicimus, fide accipi remissionem peccatorum. Manifestus item et pernicios̃us error est q̃ docent aduersarij, mereri homines

Impij non sunt uera membra Ecclesiæ.

Notæ Ecclesiæ ueræ.

mines remissionem peccatorū, dilectione erga Deum, ante gratiam. Nam hoc quoq; est tollere fundamentum, hoc est Christum. Item quid opus erit fide, si sacramenta ex opere operato sine bono motu utentis iustificant. Sicut autem habet Ecclesia promissionem, quod semper sit habitura Spiritum sanctum. Ita habet comminationes, quod sint futuri impij doctores, & lupi. Illa uero est proprie Ecclesia, quæ habet Spiritum sanctum. Lupi & mali doctores etsi grassantur in Ecclesia, tamen non sunt propriè regnum Christi. Sicut & Lyra testatur, cum ait, Ecclesia non consistit in hominibus ratione potestatis uel dignitatis Ecclesiasticæ uel secularis, quia multi Principes & summi Pontifices & alij inferiores inuenti sunt apostatasse à fide. Propter quod Ecclesia consistit in illis personis, in quibus est noticia uera & confessio fidei & ueritatis. Quid aliud diximus nos in confessione nostra, quàm quod hic dicit Lyra?

Sed fortassis aduersarij sic postulant definiri Ecclesiam, ꝙ sit Monarchia externa suprema totius orbis terrarum, in qua oporteat Romanum Pontificem habere potestatem ἀνυπεύθυνον, de qua nemini liceat disputare aut iudicare, condendi articulos fidei, abolendi scripturas quas uelit, instituendi cultus & sacrificia, Item condendi leges quas uelit, dispensandi & soluendi, quibus cuicq; legibus uelit diuinis, canonicis & ciuilibus, à quo Imperator & Reges omnes accipiant potestatem & ius tenendi regna, de mandato Christi, cui cum Pater omnia subiecerit, intelligi oporteat hoc ius in Papam translatum esse. Quare necesse sit Papam esse dominum totius orbis terrarum, omnium regnorum mundi, omnium rerum priuatarum & publicarum, habere plenitudinem potestatis in temporalibus & spiritualibus, habere utrumq; gladium, spiritualem & temporalem. Atq; hæc definitio non Ecclesiæ Christi, sed regni Pontificij habet autores non solum Canonistas, sed etiam Danielem cap. 11.

Ecclesia aduersarijs contra scripturam est Monarchia externa.

Quōd si hoc modo definiremus Ecclesiam, fortassis haberemus æquiores Iudices. Multa enim extant immoderatè & impiè scripta de potestate Romani Pontificis, propter quæ nemo unquam reus factus est. Nos soli plectimur, quia prædicamus beneficium Christi, quod fide in Christum consequamur remissionem peccatorum, non cultibus excogitatis à Pontifice. Porrō Christus, Prophetæ, & Apostoli, longè aliter definiunt Ecclesiam Christi, quàm regnum Pontificium. Nec est ad Pontifices transferendum, quod ad ueram Ecclesiam pertinet, quod uidelicet sint columnæ ueritatis, quod nō errent. Quotus quisq; enim curat Euangeliū aut iudicat dignum esse lectione? Multi etiam palam irridentreligiones omnes, aut si quid probant, probant illa quæ humanæ rationi consentanea sunt, Cętera fabulosa esse arbitrantur, & similia tragœdijs Poëtarum. Quare nos iuxta scripturas sentimus Ecclesiam propriè dictam esse congregationem sanctorum, qui uerè credunt Euangelio Christi, & habent Spiritum sanctum. Et tamen fatemur multos hypocritas & malos his in hac uita admixtos, habere societatem externorum signorum, qui sunt membra Ecclesiæ secundum societatem externorum signorum. Ideoq; gerunt officia in Ecclesia, Nec admittit Sacramentis efficaciam, quod per indignos tractantur, quia repræsentant Christi personam, propter uocationem Ecclesiæ, non repræsentant proprias personas ut testatur Christus: Qui uos audit me audit. Cum uerbum Christi, cum sacramenta porrigunt, Christi uice & loco porrigunt. Id docet nos illa uox Christi, ne indignitate ministrorum offendamur. Sed de hac re satis clarè diximus in Confessione, nos improbare Donatistas & Vigleuistas, qui senserunt homines

Non admittit Sacramentis efficaciam indignitas ministrorum.

homines peccare, accipientes sacramenta ab indignis in Ecclesia. Hæc in præsentia uidebantur sufficere ad defensionem descriptionis Ecclesiæ, quam tradidimus. Neq; uidemus, cum Ecclesia propriè dicta, appelletur corpus Christi, quomodo aliter describenda fuerit, quàm nos descripsimus. Constat enim impios ad regnum & corpus diaboli pertinere, qui impellit & habet captiuos impios. Hæc sunt luce meridiana clariora, quæ tamen si pergent calumniari aduersarij, non grauabimur copiosius respondere.

Damnant aduersarij & hanc partem Septimi articuli, q̃ diximus ad ueram unitatem Ecclesiæ satis esse consentire de doctrina Euangelij, & administratione sacramentorum, nec necesse esse, ubiq; similes traditiones humanas esse, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. Hic distinguunt uniuersales & particulares ritus, & probant articulum nostrum, si intelligatur de particularibus ritibus, de uniuersalibus ritibus, non recipiunt. Non satis intelligimus quid uelint aduersarij. Nos de uera, hoc est, spirituali unitate loquimur, sine qua nõ potest existere fides in corde, seu iusticia cordis coram Deo. Ad hanc dicimus non esse necessariam similitudinem rituum humanorum, siue uniuersalium, siue particularium, quia iusticia fidei, non est iusticia alligata certis traditionibus, sicut iusticia legis erat alligata Mosaicis ceremonijs, quia illa iusticia cordis, est res uiuificans corda. Ad hanc uiuificationem nihil conducunt humanæ traditiones, siue uniuersales, siue particulares, nec sunt effectus Spiritus sancti, sicut castitas, patientia, timor Dei, dilectio proximi, & opera dilectionis.

Non est necessaria similitudo rituum in Ecclesia.

Nec leues causæ fuerunt, cur hunc articulum proponeremus. Constat.n. multas stultas opiniones de traditionibus serpsisse in Ecclesiam. Nonnulli putauerunt humanas traditiones, necessarios cultus esse ad promerendam iustificationem. Et postea disputauerunt, qui fieret, q̃ tanta uarietate coleretur Deus, quasi uerõ obseruationes illæ essent cultus, & non potius externæ & politicæ ordinationes, nihil ad iusticiam cordis seu cultum Dei pertinentes, quæ alibi casu, alibi propter quasdam probabiles rationes uariant. Item aliæ Ecclesiæ, alias propter tales traditiones excommunicauerunt, ut propter obseruationem Pascatis, picturas & res similes. Vnde imperiti existimauerunt, fidem seu iusticiam cordis coram Deo, non posse existere sine his obseruationibus. Extant enim de hoc negocio multa inepta scripta Summistarum & aliorum.

Sed sicut dissimilia spacia dierum ac noctium non lædunt unitatem Ecclesiæ, Ita sentimus non lædi ueram unitatem Ecclesiæ dissimilibus ritibus institutis ab hominibus. Quanquam placet nobis, ut uniuersales ritus, propter tranquillitatem seruentur, sicut & nos in Ecclesijs, ordinem Missæ, diem Dominicum, & alios dies festos celebriores libenter seruamus. Et gratissimo animo amplectimur utiles ac ueteres ordinationes, præsertim cum contineant pædagogiã, qua prodest populũ & imperitos assuefacere ac docere. Sed nõ disputamus nunc, an conducat propter tranquillitatem aut corporalem utilitatem seruare. Alia res agitur, Disputatur.n, Vtrũ obseruationes traditionum humanarũ sint cultus necessarij ad iusticiam coram Deo. Hoc est κρινόμενον in hac controuersia, quo constituto, postea iudicari potest, utrum ad ueram unitatem Ecclesiæ necesse sit ubiq; similes esse traditiones humanas. Si enim traditiones humanæ non sunt cultus necessarij ad iusticiã coram Deo, sequitur posse iustos & filios Dei esse, etiamsi quas traditiones non habent, quæ alibi receptæ sunt. Vt si forma uestitus Germanici non est cultus Dei necessarius ad iusticiam coram Deo, sequitur

Ritus humana autoritate traditi non sunt necessarij ad iusticiam coram Deo.

quitur posse iustos ac filios Dei & Ecclesiam Christi esse, etiam si qui utantur non Germanico, sed Gallico uestitu. Hoc clarè docet Paulus ad Colossenses, cum ait: Nemo uos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Item: Si mortui estis cum Christo ab elemẽtis mundi, quid adhuc tanquam uiuentes mundo decreta facitis? Ne tetigeritis, neq; gustaueritis, neq; contrectaueritis, quæ omnia pereunt, usu consumpta, & sunt præcepta & doctrinæ hominum, speciem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate. Est enim sententia, cum iusticia cordis sit res spiritualis, uiuificans corda, & constet, quod traditiones humanæ non uiuificent corda, nec sint effectus Spiritus sancti, sicut dilectio proximi, castitas 2c. nec sint instrumenta per quæ Deus mouet corda ad credendum, sicut uerbum & sacramenta diuinitus tradita, sed sint usus rerum nihil ad cor pertinentium, quæ usu pereant, non est sentiendum q̃ sint necessariæ ad iusticiam coram Deo. Et in eandem sententiam inquit, Rom. 14. Regnum Dei non est esca & potus, sed iusticia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Sed non est opus citare multa testimonia, cum ubiq; sint obuia in scripturis, & nos plurima in Confessione congesserimus in posterioribus articulis. Et huius controuersiæ κρινόμενον infra paulõ post repetendum erit, uidelicet, Vtrum traditiones humanæ sint cultus necessarij ad iusticiam coram Deo, Vbi de hac re copiosius disputabimus. Aduersarij dicunt uniuersales traditiones, ideo seruandas esse, quia existimentur ab Apostolis tradita esse. O religiosos homines. Ritus ab Apostolis sumptos retineri uolunt. Non uolunt retinere doctrinam Apostolorum. Sic iudicandum est de ritibus illis, sicut ipsi Apostoli in suis scriptis iudicant. Non.n. uoluerunt Apostoli nos sentire, quod per tales ritus iustificemur, quod tales ritus sint res necessariæ ad iusticiam coram Deo. Non uoluerunt Apostoli tale onus imponere conscientijs, nõ uoluerunt iusticiam & peccatum collocare in obseruationibus dierum, ciborum & similium rerum. Imõ Paulus appellat huiusmodi opiniones, doctrinas dæmoniorum. Itaq; uoluntas & consilium Apostolorum ex scriptis eorum quæri debet, non est satis allegare exemplum. Seruabant certos dies, non quod ea obseruatio ad iustificationem necessaria esset, sed ut populus sciret, quo tempore conueniendum esset, seruabant & alios quosdam ritus, ordinem lectionum si quando conueniebant. Quædam etiam ex patrijs moribus, ut fit, retinebat populus, quæ Apostoli nonnihil mutata, ad historiam Euangelij accommodauerunt, ut Pascha, Pentecosten, ut non solum docendo, sed etiam per hęc exempla memoriam maximarum rerum traderent posteris. Quõd si hæc tradita sunt, tanquam necessaria ad iustificationem, cur in his ipsis postea multa mutarunt Episcopi? Quod si erant Iuris diuini, non licuit ea mutare autoritate humana. Pascha ante Synodũ Nicenam, alij alio tempore seruabant. Neq; hæc dissimilitudo læsit fidem. Postea ratio inita est, ne incideret nostrum Pascha in Iudaici Paschatis tempus. At Apostoli iusserant Ecclesias seruare Pascha, cum fratribus conuersis ex Iudaismo. Itaq; hunc morem quædam gentes pertinaciter post Synodum Nicenam retinuerunt, ut Iudaicum tempus obseruarent. Verum Apostoli decreto illo non uoluerunt Ecclesijs imponere necessitatem, id q̃ uerba decreti testantur, Iubent.n. ne quis curet, etiamsi fratres seruantes Pascha non rectè supputent tempus. Verba Decreti extant apud Epiphanium, ὑμεῖς μὴ φοβεῖσθε, ἀλλὰ ποιεῖτε, ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν, οἱ ἐκ περιτομῆς, μετὰ αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε κἂν τε πλανηθῶσι μηδὲν ὑμῖν μελέτω.

Ritus Apostolorum quo fine traditi & obseruati.

De obseruatione festi Paschæ.

Hæc

Hęc ſcribit Epiphanius uerba eſſe Apoſtolorũ in Decreto quodam poſita de Paſchate, in quibus prudens Lector facile poteſt iudicare, Apoſtolos uoluiſſe populo ſtultam opinionem de neceſſitate certi temporis eximere, cum prohibent curare, etiamſi in ſupputando erretur. Porrò quidam in oriente, qui Audiani appellati ſunt ab autore dogmatis, propter hoc decretum Apoſtolorum contenderunt Paſcha cum Iudæis ſeruandum eſſe. Hos reuellens Epiphanius laudat decretum, & inquit nihil continere quod diſſentiat ā fide, aut Eccleſiaſtica regula & uituperant Audianos, quod non rectè intelligant τὸ ῥητὸν, & interpretatur in hanc ſententiam in quam nos interpretamur, quod non ſenſerint Apoſtoli referre, quo tempore ſeruaretur Paſcha, Sed quia præcipui fratres ex Iudæis conuerſi erant, qui morem ſuum ſeruabant, horum exemplum propter concordiam uoluerint reliquos ſequi. Et ſapienter admonuerunt lectorem Apoſtoli, ſe neq; libertatem Euangelicam tollere, neq; neceſſitatem conſcientijs imponere, quia audiunt, non eſſe curandum etiamſi erretur in ſupputando.

Multa huius generis colligi poſſunt ex hiſtorijs, in quibus apparet diſſimilitudinem humanarum obſeruationum, non lædere unitatem fidei. Quanquam quid opus eſt diſputatione? Omnino quid ſit iuſtitia fidei, quid ſit regnum Chriſti, non intelligunt aduerſarij, ſi iudicant neceſſariam eſſe ſimilitudinem obſeruationum in cibis, diebus, ueſtitu, & ſimilibus rebus quæ non habent mandatum Dei. Videte autem religioſos homines, aduerſarios noſtros, Requirunt ad unitatem Eccleſiæ, ſimiles obſeruationes humanas, cum ipſi mutauerint ordinationem Chriſti, in uſu Cœnę, quæ certè fuit antea ordinatio uniuerſalis. Quòd ſi ordinationes uniuerſales neceſſariæ ſunt, cur mutant ipſi ordinationem Cœnæ Chriſti, quæ non eſt humana, ſed diuina? Sed de hac tota controuerſia infra aliquoties dicendum erit.

Hypocritæ & mali admixti ſunt Eccleſiæ.

Octauus articulus approbatus eſt totus, in quo confitemur, quod hypocritæ & mali admixti ſint Eccleſiæ, Et quod Sacramenta ſint efficacia, etiamſi per malos miniſtros tractentur, quia miniſtri funguntur uice Chriſti, non repręſentant ſuam perſonam. Iuxta illud: Qui uos audit, me audit, Impij doctores deſerendi ſunt, quia hi iam non funguntur perſona Chriſti, ſed ſunt Antichriſti. Et Chriſtus ait: Cauete à Pſeudoprophetis. Et Paulus: Si quis aliud Euangelium euangelizauerit, anathema ſit.

Sacerdotibus licet tenere proprium.

Cæterum monuit nos Chriſtus, in collationibus de Eccleſia, ne offenſi priuatis uicijs ſiue ſacerdotum, ſiue populi, ſchiſmata excitemus, ſicut ſceleratè fecerunt Donatiſtæ. Illos uerò qui ideo excitauerunt ſchiſmata, quia negabant Sacerdotibus licere, tenere poſſeſſiones aut proprium, planè ſeditioſos iudicamus. Nam tenere proprium ciuilis ordinatio eſt. Licet autem Chriſtianis uti ciuilibus ordinationibus, ſicut hoc aëre, hac luce, cibo, potu. Nam ut hæc rerum natura, & hi ſiderum certi motus, uerè ſunt ordinatio Dei, & conſeruantur à Deo, ita legitimæ politiæ uerè ſunt ordinatio Dei, & retinentur ac defenduntur à Deo aduerſus Diabolum.

Pueri baptiſandi ſunt.

Nonus articulus approbatus eſt, in quo confitemur, quod Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem, & quod pueri ſint baptizandi, & quod baptiſmus puerorum non ſit irritus, ſed neceſſarius, & efficax ad ſalutem. Et quoniam Euangelium pure ac diligenter apud nos docetur, Dei beneficio hunc quoq; fructum ex eo capimus, quod in Eccleſijs noſtris nulli extiterunt Anabaptiſtæ, quia populus

pulus uerbo Dei aduersus impiam & seditiosam factionem illorum latronum munitus est. Et cum plærosq; alios errores Anabaptistarum damnamus, tum hunc quoq;, quod disputant baptismum paruulorum inutilem esse. Certissimum est enim quod promissio salutis pertinet etiam ad paruulos. Neq; uero pertinet ad illos qui sunt extra Ecclesiam Christi, ubi nec uerbum, nec sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum uerbo & sacramentis existit. Igitur necesse est baptizare paruulos, ut applicetur eis promissio salutis, iuxta mandatum Christi, Baptizate omnes gentes, Vbi sicut offertur omnibus salus, ita offertur omnibus baptismus, uiris, mulieribus, pueris, infantibus. Sequitur igitur clarè, infantes baptisandos esse, quia salus cum baptismo offertur.

Secundo manifestum est, quod Deus approbat baptismum paruulorum. Igitur Anabaptistæ impie sentiunt, qui damnant baptismum paruulorum. Quod autem Deus approbat baptismum paruulorum, hoc ostendit, quod Deus dat Spiritum sanctum sic baptizatis. Nam si hic baptismus irritus esset, nullis daretur Spiritus sanctus, nulli fierent salui, denicq; nulla esset Ecclesia. Hæc ratio bonas & pias mentes, uel sola satis confirmare potest contra impias & fanaticas opiniones Anabaptistarum.

In Cœnâ corpus & sanguis uerè exhibentur cum pane & uino.

Decimus articulus approbatus est, in quo confitemur, nos sentire, quod in Cœna Domini uerè & substantialiter adsint, corpus & sanguis Christi, & uerè exhibeantur cum illis rebus, quæ uidentur pane & uino, his qui sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defenderunt nostri concionatores. Et comperimus non tantum Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiam Christi, sed idem & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Ecclesiam, ut testatur Canon Missæ apud Græcos.

Et extant quorundam scriptorū testimonia. Nam Cyrillus in Iohannem cap. 15. inquit, Christum corporaliter nobis exhiberi in Cœna, Sic. n. ait: Non tamen negamus recta nos fide caritateq; sincera, Christo spiritualiter coniungi. Sed nullam nobis coniunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, Idq; à diuinis scripturis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitauit Christum etiam sic uitem esse, nos uero palmites, qui uitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus. Omnes enim uno pane participamus. An fortasse putat ignotam nobis mysticæ benedictionis uirtutem esse? quæ cum in nobis fit, nonne corporaliter quoq; facit, communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Et paulo pōst: Vnde considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, uerum etiam participatione naturali, etc. Hæc recitauimus, non ut hic disputationem de hac re institueremus. Nō enim improbat hunc articulum Cæs. Maiestas, sed ut clarius etiam perspicerent, quicunq; ista legent, nos defendere receptam in tota Ecclesia sententiam, q; in Cœna Domini uerè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & uerè exhibeantur cum his rebus quæ uidentur, pane & uino, Et loquimur de præsentia uiui Christi, Scimus enim quod mors ei ultra non dominabitur.

Vndecimus Articulus de retinenda Absolutione in Ecclesia probatur, Sed de Confessione addunt correctionem, uidelicet obseruandam esse constitutionem Cap. Omnis utriusq;, ut & quotannis fiat confessio, & quamuis omnia peccata enumerari non queant, tamen diligentiam adhibendam esse, ut colli-

gantur,& illa quæ redigi in memoriam possunt,recensеantur. De hoc toto ar-
ticulo dicemus paulò post copiosius, cum sentẽtiam nostram de pœnitentia to-
tam explicabimus. Constat nos beneficium Absolutionis,& potestatem clauí-
um,ita illustrauisse & ornauisse, ut multæ afflictæ conscientiæ, ex doctrina no-
strorum, consolationem conceperint, postquãm audiuerunt mandatum Dei
esse,imò propriam Euangelij uocem,ut Absolutioni credamus,& certò statua-
mus nobis gratis donari remissionem peccatorum propter Christum, & senti-
amus uerè nos hac fide reconciliari Deo. Hæc sententia, multas pias mentes
erexit, & initiò commendationem maximam, apud omnes bonos uiros attu-
lit Luthero, cum ostendit certam & firmam consolationem conscientijs, quia
antea tota uis Absolutionis erat oppressa doctrinis operum,cum de fide, & gra
tuita remissione nihil docerent Sophistæ & Monachi.

Cęterum de tempore,certẽ in Ecclesijs nostris plurimi sępẽ in anno utun-
tur sacramentis,Absolutione,& Cœna Domini.Et qui docent,de dignitate, de
fructibus sacramentorum ita dicunt, ut inuitent populum, ut sæpẽ utantur Sa-
cramentis. Extant enim in hac re multa à nostris ita scripta,ut aduersarij,si qui
sunt bòni uiri,haud dubiẽ probent ac laudent. Denunciatur & excommunica-
tio flagitiosis & contemptoribus sacramentorum.Hæc ita fiunt, et iuxta Euan-
gelium, & iuxta ueteres Canones. Sed certum tempus non præscribitur, quia
non omnes pariter eodem tempore idonei sunt. Imò si accurrant eodem tem-
pore omnes,non possunt ordine audiri,et institui homines.Et ueteres Canones
Veteres Canones & Patres nullum constituunt certum tempus usui Cœnæ Dominicæ. ac Patres,non constituunt certum tempus, Tantum ita dicit Canon : Si qui in-
trant Ecclesiam Dei, & deprehenduntur nunquam communicare, admonean-
tur, Quod si non communicant, ad pœnitentiam accedant. Si communicant,
non semper abstineant,Si non fecerint, abstineant. Christus ait illos sibi iudi-
cium manducare qui manducant indignè. Ideo Pastores non cogunt hos, qui
non sunt idonei,ut sacramentis utantur.

De enumeratione peccatorum in Confessione, sic docentur homines, ne
Enumeratio peccatorum in confessione laqueos injcit conscientijs. laquei injciantur conscientijs. Etiamsi prodest rudes assuefacere, ut quædam
enumerent,ut doceri facilius possint. Verum disputamus nunc,quid sit neces-
sarium iure diuino. Non igitur debebant aduersarij nobis allegare constitutio-
nem, Omnis utriusqꝫ, quæ nobis non est ignota, Sed ex iure diuino ostendere,
qꝺ enumeratio peccatorum sit necessaria ad consequendam remissionem. Tota
Ecclesia per uniuersam Europam scit, quales laqueos iniecerit conscientijs illa
particula constitutionis,quæ iubet omnia peccata confiteri. Nec tantum habet
incommodi textus per se, quantum postea affinxerunt Summistę qui colligunt
circumstantias peccatorum. Quales ibi Labyrinthi,quanta carnificina fuit opti
marum mentium? Nam feros & prophanos ista terriculamenta nihil moue-
bant.

Postea quales tragœdias excitauit quæstio, de proprio sacerdote inter Pa
stores,& fratres,qui tunc minimẽ erant fratres,cum de regno confessionum bel
ligerabantur.Nos igitur sentimus enumerationem peccatorum non esse neces-
Enumeratio peccatorum non est necessaria. sariam Iure diuino,Idꝺꝫ placet Panormitano, & plærisqꝫ alijs eruditis Iurisconsul-
tis. Nec uolumus imponere necessitatem conscientijs nostrorum per constitu-
tionem illam,Omnis utriusqꝫ, de qua perinde iudicamus, ut de alijs traditio-
nibus humanis,de quibus sentimus,quòd non sint cultus ad iustificationem ne-
cessarij.Et hæc constitutio rem impossibilem præcipit, ut omnia peccata confi-
teantur.

teantur. Constat autem plurima nos nec meminisse, nec intelligere, iuxta illud: Delicta quis intelligit?

Si sint boni Pastores, scient quatenus prosit examinare rudes, sed illam carnificinam Summistarum confirmare non uolumus, quę tamen minus fuisset intolerabilis, si uerbum unum addidissent de fide consolante, & erigente conscientias. Nunc de hac fide consequente remissionem peccatorum, nulla est syllaba, in tanta mole constitutionum, glossarum, Summarum, Confessionalium: Nusquam ibi Christus legitur. Tantum leguntur supputationes peccatorum. Et maxima pars consumitur in peccatis, contra traditiones humanas, quæ est uaniſſima. Hæc doctrina adegit multas pias mentes ad desperationem, quæ non potuerunt acquiescere, quia sentiebant iure diuino necessariam esse enumerationem, & tamen experiebantur impossibilem esse. Sed hærent alia non minora uicia in doctrina aduersariorum de pœnitentia, quæ iam recensebimus.

DE POENITENTIA.

IN articulo duodecimo probant primam partem qua exponimus, Lapsis post Baptismum contingere posse remissionem peccatorum, quocunq; tempore, & quotiescunq; conuertuntur. Secundam partem damnant, in qua pœnitentiæ partes dicimus esse contritionem & fidem, Negant fidem esse alteram partem pœnitentiæ. Quid hic Carole Cæsar inuictissime faciamus? Hæc est propria uox Euangelij, quòd fide consequamur remissionem peccatorum. Hanc uocem Euangelij damnant isti scriptores confutationis. Nos igitur nullo modo assentiri confutationi possumus. Non possumus saluberrimam uocem Euangelij, & plenam consolationis damnare. Quid est aliud negare, quod fide consequamur remissionem peccatorum, quàm contumelia afficere sanguinem & mortem Christi? Rogamus igitur te Carole Cæsar Inuictissime, ut nos de hac re maxima, quæ præcipuum Euangelij locum, quæ ueram Christi cognitionem, quæ uerum cultum Dei continet, patienter ac diligenter audias & cognoscas. Comperient enim omnes boni uiri, nos in hac re præcipuè docuisse uera, pia, salubria, & necessaria uniuersæ Ecclesiæ Christi. Comperient ex scriptis nostrorum plurimum lucis accessisse Euangelio, & multos pernicioſos errores emendatos esse, quibus antea obruta fuit doctrina de pœnitentia, per Scholasticorum & Canonistarum opiniones.

Partes pœnitentiæ, contritio & fides.

Ac priusquam accedimus ad defensionem nostræ sententiæ, hoc præfandum est. Omnes boni uiri, omnium ordinum, ac Theologici ordinis etiam, haud dubiè fatentur, ante Lutheri scripta, confusissimam fuisse doctrinam pœnitentiæ. Extant libri Sententiariorum, ubi sunt infinitæ quæstiones, quas nulli Theologi unquam satis explicare potuerunt. Populus neq; rei summam cõplecti potuit, nec uidere quę præcipuè requirerentur in pœnitentia, ubi quęrenda esset pax conscientiæ. Prodeat nobis aliquis ex aduersarijs, qui dicat, quando fiat remissio peccatorum. Bone Deus, quantæ tenebræ sunt? Dubitant, utrum in attritione, uel in contritione fiat remissio peccatorum. Et si fit propter contritionem, quid opus est Absolutione, quid agit potestas clauium, si peccatum iam est remissum? Hic uerò multò magis etiam sudant, & potestatem clauium impiè extenuant. Alij somniant potestate clauium non remitti culpam, sed mutari pœnas æternas in temporales. Ita saluberrima potestas,

Labyrinthi aduersariorũ in doctrina pœnitentiæ.

esset ministerium non uitæ,& spiritus, sed tantum iræ,& pœnarum. Alij uidelicet cautiores fingunt potestate clauium, remitti peccata coram Ecclesia, non coram Deo. Hic quoq; pernicios̃us error est. Nam si potestas clauium non consolatur nos coram Deo, quæ res tandem reddet pacatam conscientiam? Iam illa sunt magis etiam perplexa. Docent nos contritione mereri gratiam. Vbi si quis interroget, quare Saul, Iudas, & similes non consequantur gratiam, qui horribiliter contriti sunt. Hic de fide, & de Euangelio respondendum erat, quod Iudas non crediderit, non erexerit se Euangelio & promissione Christi. Fides enim ostendit discrimen inter contritionem Iudæ & Petri. Verum aduersarij de lege respondent, quod Iudas non dilexerit Deum, sed timuerit pœnas. Quando autem territa conscientia, præsertim in seriis, ueris, & illis magnis terroribus, qui describuntur in Psalmis ac Prophetis, & quos certè degustant isti, qui uerè conuertuntur, iudicare poterit, Vtrum Deum propter se timeat, an fugiat æternas pœnas. Hi magni motus literis et uocabulis discerni possunt, re ipsa non ita diuelluntur, ut isti suaues Sophistæ somniant. Hic appellamus iudicia omnium bonorum & sapientum uirorum, Hi haud dubiè fatebuntur has disputationes apud aduersarios perplexissimas & intricatissimas esse. Et tamen agitur de re maxima, de præcipuo Euangelij loco, de remissione peccatorum. Tota hæc doctrina de his quæstionibus, quas recensuimus, apud aduersarios plena est errorum & hypocrisis, & obscurat beneficium Christi, potestatem clauium, & iusticiam fidei.

Errores de enumeratione delictorum.

Hæc fiunt in primo actu, Quid cum uentum est ad Confessionem? Quantum ibi negocij est in illa infinita enumeratione peccatorum, quæ tamen magna ex parte consumitur in traditionibus humanis, Et quò magis crucientur bonæ mentes, fingunt hanc enumerationem esse Iuris diuini, Et cum ipsam enumerationem exigant, prętextu Iuris diuini, interim de absolutione, quæ uerè est Iuris diuini, frigidè loquuntur. Fingunt ipsum sacramentum ex opere operato cõferre gratiam sine bono motu utentis, De fide apprehendente absolutionem & consolante conscientiam, nulla fit mentio. Hoc uerè est, quod dici solet ἀπιέναι πρὸ τῶν μυςηρίων. Restat tertius actus de satisfactionibus, Hic uerò habẽt cõfusissimas disputationes. Fingunt æternas pœnas, mutari in pœnas purgatorij. Et harum partem remitti potestate clauium, partem docent redimendam esse satisfactionibus. Addunt amplius, quòd oporteat satisfactiones esse opera supererogationis. & hæc constituunt in stultissimis obseruationibus, uelut in peregrinationibus, Rosarijs, aut similibus obseruationibus, quæ non habent mandata Dei, Deinde sicut purgatorium satisfactionibus redimunt, Ita excogitata est ars redimendi satisfactiones, quę fuit quæstuosissima. Vendunt enim indulgentias, quas interpretantur esse remissiones satisfactionum. Et hic quæstus non solum ex uiuis, sed multò amplior est ex mortuis. Neq; solum indulgentijs, sed etiam sacrificio Missæ redimunt satisfactiones mortuorum, deniq; infinita res est, de satisfactionibus inter hæc scandala, (non enim possumus enumerare omnia, & doctrinas dæmoniorum) iacet obruta doctrina de iusticia fidei in Christum, & de beneficio Christi. Quare intelligunt omnes boni uiri, utiliter & piè reprehensam esse doctrinam Sophistarum & Canonistarum, de pœnitentia. Nam hæc dogmata apertè falsa sunt, & non solum aliena à scripturis sanctis, sed etiam ab Ecclesiasticis patribus.

Figmenta aduersariorum de satisfactione.

Capita falsæ doctrinæ aduersariorum de pœnitẽtia.

I. Quòd per bona opera extra gratiam facta mereamur ex pacto diuino gratiam.

II. Quòd

II. Quòd per attritionem mereamur gratiam.
III. Quòd ad deletionem peccati, ſola deteſtatio criminis ſufficiat.
IIII. Quòd propter contritionem, non fide in Chriſtum, conſequamur remiſſionem peccatorum.
V. Quòd poteſtas clauium ualeat ad remiſſionem peccatorum, non coram Deo, ſed coram Eccleſia.
VI. Quòd poteſtate clauium non remittantur peccata coram Deo, ſed quod ſit inſtituta poteſtas clauium, ut mutet pœnas æternas in temporales, ut imponat certas ſatisfactiones conſcientijs, ut inſtituat nouos cultus, & ad tales ſatisfactiones & cultus obliget conſcientias.
VII. Quod enumeratio delictorum in Confeſſione de qua præcipiunt aduerſarij ſit neceſſaria lure diuino.
VIII. Quod Canonicæ ſatisfactiones, neceſſariæ ſint ad pœnam purgatorij redimendam, aut proſint tanquam compenſatio ad tollendam culpam. Sic enim imperiti intelligunt.
IX. Quòd ſuſceptio ſacramenti pœnitentię, ex opere operato, ſine bono motu utentis, hoc eſt, ſine fide in Chriſtum conferat gratiam.
X. Quòd poteſtate clauiũ per indulgentias liberentur animę ex purgatorio.
XI. Quòd in reſeruatione caſuum, non ſolum pœna Canonica, ſed etiam culpa reſeruari debeat, in eo, qui uerè conuertitur.

Nos igitur, ut explicaremus pias conſcientias ex his labyrinthis Sophiſtarum, conſtituimus duas partes pœnitentiæ, uidelicet contritionem & fidem. Si quis uolet addere tertiam, uidelicet, dignos fructus pœnitentiæ, hoc eſt, bona opera ſequentia conuerſionem, non refragabimur. Neq; ignoramus, q̃ uocabulum pœnitentiæ Grãmaticis ſignificet, improbare id q̃ antea probabamus, Id magis quadrat ad contritionem, quàm ad fidem. Sed nos hic docendi cauſa, pœnitentiam totam conuerſionem intelligimus, in qua duo ſunt termini mortificatio & uiuificatio. Nos uocamus uſitatis nominibus contritionem et fidem.

Partibus pœnitentiæ poteſt addi tertia. Noua obedientia.

De contritione præcidimus illas ocioſas & infinitas diſputationes, quando ex dilectione Dei, quando ex timore pœnæ doleamus. Sed dicimus contritionem eſſe ueros terrores conſcientiæ, quæ Deum ſentit iraſci peccato & dolet ſe peccaſſe. Et hæc contritio ita fit, quando uerbo Dei arguuntur peccata, quia hæc eſt ſumma prædicationis Euangelij, Arguere peccata, & offerre remiſſionẽ peccatorum, & iuſticiam propter Chriſtum, & Spiritũ ſanctum, & uitam æternam, & ut renati benefaciamus. Sic complectitur ſummam Euangelij Chriſtus, cum ait, Luc. ult: Prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum inter omnes gentes. Et de his terroribus loquitur ſcriptura, ut Pſal. 37. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, Sicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me etc. Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, rugiebam ã gemitu cordis mei. Et Pſal. 6. Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum, Sana me domine, quoniã conturbata ſunt oſſa mea, Et anima mea turbata eſt ualde, Et tu domine uſq; quo? Et Eſai. 38. Ego dixi in dimidio dierum meorum uadam ad portas inferi, Sperabã uſq; ad mane. Quaſi Leo ſic contriuit omnia oſſa mea. In his terroribus ſentit conſcientia iram Dei aduerſus peccatum, quæ eſt ignota ſecuris hominibus ſecundum carnem ambulantibus. Videt peccati turpitudinem, & ſeriò dolet ſe peccaſſe, etiam fugit interim horribilem iram Dei, quia nõ poteſt eam ſuſtinere humana natura, niſi ſuſtẽtetur uerbo Dei. Ita Paulus ait,

Contritio quid ſit & quomodo fiat.

lus ait, per legem legi mortuus sum. Lex enim tantum accusat & terret conscientias. In his terroribus aduersarij nostri nihil de fide dicunt. Ita tantum proponunt uerbum, quod arguit peccata. Quod cum solum traditur, doctrina legis est, non Euangelij. His doloribus ac terroribus dicunt homines mereri gratiam, si tamen diligunt Deum. At quomodo diligent Deum homines in ueris terroribus cum sentiunt horribilem & inexplicabilem humana uoce iram Dei? Quid aliud nisi desperationem docent, qui in his terroribus tantum ostendunt Legem?

Fides altera pars pœnitentiæ.

Nos igitur addimus alteram partem pœnitentiæ de fide in Christum, q̃ in his terroribus debeat conscientijs proponi Euangelium de Christo, in quo promittitur gratis remissio peccatorum de Christo. Debent igitur credere, q̃ propter Christum gratis remittuntur ipsis peccata. Hæc fides erigit, sustentat, & uiuificat contritos, iuxta illud: Iustificati ex fide pacem habemus. Hæc fides consequitur remissionem peccatorum. Hæc fides iustificat coram Deo, ut idem locus testatur: Iustificati ex fide. Hæc fides ostendit discrimen inter contritionem Iudæ & Petri, Saulis & Dauidis. Ideo Iudæ aut Saulis contritio non prodest, quia non accedit ad eam hęc fides apprehendens remissionem peccatorum donatam propter Christum. Ideo prodest Dauidis aut Petri contritio, quia ad eam fides accedit, apprehendens remissionem peccatorum donatam propter Christum: Nec prius dilectio adest, quàm sit facta fide reconciliatio. Lex enim non fit sine Christo, iuxta illud: Per Christum habemus accessum ad Deum. Et hæc fides paulatim crescit & per omnem uitam luctatur cum peccato, ut uincat peccatum & mortem. Cæterum fidem sequitur dilectio, ut supra diximus. Et

Timor filialis & seruilis.

sic clarè definiri potest filialis timor, talis pauor qui cum fide coniunctus est, hoc est, ubi fides consolatur, & sustentat pauidum cor. Seruilis timor, ubi fides non sustentat pauidum cor.

Porrò potestas clauium administrat & exhibet Euangelium per Absolutionem, quæ est uera uox Euangelij. Ita & absolutionem complectimur, cum de fide dicimus, quia fides est ex auditu, ut ait Paulus. Nam audito Euangelio, audita Absolutione, erigitur & concipit consolationem conscientia. Et quia Deus uerè per uerbum uiuificat, claues uerè coram Deo remittunt peccata, iuxta illud: Qui uos audit me audit. Quare uoci absoluentis, non secus ac uoci de cœlo sonanti credendum est. Et Absolutio propriè dici potest sacramentum

Absolutio Sacramentum est pœnitentiæ.

pœnitentiæ, ut etiam Scholastici theologi eruditiores loquuntur. Interim hæc fides in tentationibus multipliciter alitur per Euangelij sententias, & per usum sacramentorum. Hæc enim sunt signa noui Testamenti, hoc est, signa remissionis peccatorum, offerunt igitur remissionem peccatorum sicut clarè testantur uerba Cœnæ Domini. Hoc est corpus meum quod pro uobis traditur. Hic est calix noui Testamenti &c. Ita fides concipitur & confirmatur per absolutionem, per auditum Euangelij, per usum Sacramentorum, ne succumbat, dum luctatur cum terroribus peccati & mortis. Hæc ratio pœnitentiæ plana & perspicua est & auget dignitatem potestatis clauium, & sacramentorum, & illustrat beneficium Christi, docet nos uti Mediatore ac propiciatore Christo.

Sed quia Confutatio damnat nos, quod has duas partes pœnitentiæ posuerimus, ostendendum est, quod scriptura in pœnitentia, seu conuersione Impij ponat has præcipuas partes. Christus enim inquit Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam uos. Hic duo membra sunt,

Testimonia quod contritio et fides sint

labor

labor & onus significant contritionem, pauores & terrores peccati & mortis. Venire ad Christum, est credere, quòd propter Christum remittantur peccata, cum credimus, uiuificantur corda Spiritu sancto per uerbum Christi. Sunt igitur hic duæ partes præcipuæ, contritio & fides. Et Marci primo Christus ait: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Vbi in priore particula arguit peccata, in posteriore consolatur nos, & ostendit remissionem peccatorum. Nam credere Euangelio, non est illa generalis fides, quam habent & Diaboli, sed propriè est credere remissionem peccatorum propter Christum donatam. Hæc enim reuelatur in Euangelio. Videtis & hic duas partes coniungi, Contritionem, cum arguuntur peccata, Et fidem, cum dicitur, credite Euangelio. Si quis hic dicat, Christum complecti etiam fructus pœnitentię, seu totam nouam uitam, non dissentiemus. Nam hoc nobis sufficit, quòd hæ partes præcipuæ nominantur contritio, & fides. *præcipuæ partes pœnitentiæ.*

Paulus ferè ubiq; cum describit conuersionem seu renouationem, facit has duas partes. Mortificationem & Viuificationem, ut Coloss. 2. In quo circumcisi estis circumcisione non manu facta, uidelicet expolitione corporis peccatorum carnis. Et postea, in quo simul resuscitati estis per fidem efficaciæ Dei. Hic duæ sunt partes, Altera est expoliatio corporis peccatorum, Altera est resuscitatio per fidem. Neq; hæc uerba, mortificatio, uiuificatio, expoliatio corporis peccatorum, resuscitatio, Platonicè intelligi debent de simulata mutatione, Sed mortificatio significat ueros terrores, quales sunt morientium, quos sustinere natura non posset, nisi erigeretur fide. Ita hic expoliationem corporis peccatorum uocat, quam nos dicimus usitatè contritionem, quia in illis doloribus concupiscentia naturalis expurgatur. Et uiuificatio intelligi debet, non imaginatio Platonica, sed consolatio quæ uerè sustentat fugientem uitam in contritione. Sunt ergo hic duæ partes, contritio & fides. Quia enim conscientia non potest reddi pacata, nisi fide. Ideo sola fides uiuificat, iuxta hoc dictum: Iustus ex fide uiuet.

Et deinde in Colossensibus inquit, Christum delere Chirographum quod per Legem aduersatur nobis. Hic quoq; duæ sunt partes, Chirographum & deletio Chirographi. Est autem Chirographum conscientia arguens & condemnans nos, Porrò lex est uerbum quod arguit & condemnat peccata. Hæc igitur uox quæ dicit, Peccaui Domino, sicut Dauid ait, est Chirographum. Et hanc uocem impij & securi homines, non emittunt seriò, non enim uident, non legunt scriptam in corde sententiam legis. In ueris doloribus ac terroribus cernitur hæc sententia. Est igitur Chirographum ipsa contritio, condemnans nos. Delere Chirographum est tollere hanc sententiam condemnationis ex animo, & sententiam insculpere, qua sentiamus nos liberatos esse ex illa condemnatione. Est autem fides, noua illa sententia, quæ abolet priorem sententiam, & reddit pacem & uitam cordi.

Quanquam quid opus est multa citare testimonia, cum ubiq; obuia sint in scripturis. Psalm. 117. Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Psal. 118. Deficit anima mea præ angustia, Confirma me uerbo tuo. Vbi in priore membro continetur contritio, in secundo modus clarè describitur quomodo in cõtritione recreemur, scilicet uerbo Dei q̃ offert gratiam. Id sustentat & uiuificat corda. Et 1. Reg. 2. Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos, & reducit. Horum altero significatur contritio, altero significatur fides,

Et Esai.28.Dominus irascetur, ut faciat opus suum. Alienum est opus eius, ut operetur opus suum.Alienum opus Dei uocat, cum terret, quia Dei proprium opus est uiuificare & consolari. Verum ideo terret,inquit, ut sit locus consolationi, et uiuificationi,quia secura corda et non sentientia iram Dei fastidiunt consolationem. Ad hunc modum solet scriptura hæc duo coniungere, terrores & consolationem,ut doceat hęc prępcipua membra esse in pœnitentia,contritionẽ, & fidem consolantem & iustificantem.Neqꝫ uidemus quo modo natura pœnitentiæ clarius & simplicius tradi possit. Hæc.n. sunt duo præcipua opera Dei in hominib.perterrefacere & iustificare ac uiuificare perterrefactos. In hæc duo opera distributa est uniuersa scriptura. Altera pars lex est,quæ ostendit, arguit & condemnat peccata. Altera pars Euangeliũ,hoc est promissio gratię in Christo donatæ,& hæc promissio subinde repetitur in tota scriptura,primum tradita Adę,postea Patriarchis,deinde ā Prophetis illustrata. Postremò prædicata & exhibita ā Christo inter Iudæos, & ab Apostolis sparsa in totum mundum. Nam fide huius promissionis sancti omnes iustificati sunt, non propter suas attritiones,uel cõtritiones.Et Exempla ostendunt similiter has duas partes. Adā obiurgatur post peccatum,& perterrefit. Hæc fuit contritio. Postea promittit Deus gratiam,dicit futurum semen,quo destruetur regnũ diaboli,mors & peccatum, Ibi offert remissionem peccati. Hæc sunt præcipua. Nam etsi postea additur pœna,tamen hęc pœna non meretur remissionem peccati.Et de hoc genere pœnarum paulo pòst dicemus. Sic Dauid obiurgatur ā Nathan & perterrefactus inquit:Peccaui Domino.Ea est contritio.Postea ostendit absolutionem, Dominus sustulit peccatum tuum,Non morieris.Hæc uox erigit Dauidem, & fide sustentat,iustificat,& uiuificat eum,Additur & hic pœna,sed hæc pœna nõ meretur remissionem peccatorum.Nec semper adduntur peculiares pœnæ,sed hęc duo semper existere in pœnitentia oportet,cõtritionem & fidem,ut Luc.7. Mulier peccatrix uenit ad Christum lachrymans. Per has lachrymas agnoscitur contritio. Postea audit absolutionem, Remittuntur tibi peccata, Fides tua saluam te fecit,uade in pace.Hæc est altera pars pœnitentiæ, fides quæ erigit et consolatur eam. Ex his omnibus apparet pijs lectoribus, nos eas partes pœnitentiæ ponere, quæ propriè sunt in conuersione, seu regeneratione & remissione peccati. Fructus digni & pœnæ sequuntur regenerationem & remisſionem peccati. Ideoqꝫ has duas partes posuimus,ut magis conspici fides possit,quam in pœnitentia requirimus.Et magis intelligi potest,quid sit fides,quam prædicat Euangelium,cum opponitur contritioni ac mortificationi.

Exempla pœnitentiæ.

Et ut totus orbis terrarum uideat, quanta sit insciti a ueræ pietatis in nostris Criticis qui Confutationem scripserunt, addemus & Bernardi sententiam, qui prorsus ad eundem modum coniungit hæc duo membra in pœnitentia, contritionem & fidem, sicut nos coniungimus. Verba sunt hæc in sermone tertio de annunciatione: Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speraui Domine. Sola nimirum spes apud te miserationis locum obtinet, nec oleum misericordiæ, nisi in uase fiduciæ ponis. Sed est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax cum uidelicet in spe peccamus. Quanquam nec fiducia illa dicenda sit, sed insensibilitas quædam & dissimilitudo pernicioſa. Quæ enim fiducia est ei qui periculum non attendit? aut quòd ibi timoris remedium, ubi ne timor sentitur, nec materia ipsa timoris? Fiducia solatium est,nec eget ille solatio qui lætatur cum malè fecerit & in

pessimis

pessimis rebus magis exultat. Rogemus itaq; fratres responderi nobis quantas habeamus iniquitates & peccata, scelera nostra & delicta nobis desideremus ostendi. Scrutemur uias nostras & studia nostra periculaq; uniuersa uigili intentione pensemus. Dicat quisq; in pauore suo, uadam ad portas inferni, ut iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc uera hominis fiducia est, ã se deficientis, & innitentis domino suo. Hæc inquam uera fiducia est cui misericordia non denegatur, Propheta testante: Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in his qui sperant super misericordia eius. Nec parua utiq; suppetit nobis, in nobis quidem causa timoris, in ipso autem causa fiduciæ. Hactenus Bernardus, cuius sententiam propterea etiam non inuiti retulimus, ut uideant lectores, quomodo fidem hic intelligamus de fiducia misericordiæ, quæ erigit & consolatur perterrefactos, quam iste rectẽ fiduciam appellat. Et hæc clarè conspici potest, cum sit Antithesis terrorum & consolationis. Sicut hic Bernardus uult in hominibus existere cognitionem peccatorum, seu contritionem, seu terrores, Et uult accedere fiduciam quæ erigat in contritione.

Hominem fide consequi propria remissionem peccatorum & non aliter.

Sed quia aduersarij nominatim hoc damnant, quòd dicimus homines fide consequi remissionem peccatorum, addemus paucas quasdam probationes, ex quibus intelligi poterit, remissionem peccatorum contingere, non ex opere operato propter contritionem, sed fidè illa speciali, qua unusquisq; credit sibi propter Christum remitti peccata. Nam hic articulus præcipuus est, de quo digladiamur cum aduersarijs, & cuius cognitionem ducimus maximè necessariam esse Christianis omnibus. Cum autem supra de iustificatione, de eadem re satis dictum uideatur, hic breuiores erimus. Sunt enim loci maximè cognati, doctrina pœnitentiæ, & doctrina iustificationis.

Aduersarij, cum de fide loquuntur, & dicunt eam præcedere pœnitentiam, intelligunt fidem, non hanc quæ iustificat, Sed quæ in genere credit Deum esse, pœnas propositas esse impijs &c. Nos præter illam fidem, requirimus, ut credat sibi quisq; propter Christum remitti peccata. De hac fide speciali litigamus, & opponimus eã opinioni, quæ iubet confidere non in promissione Christi, sed in opere operato contritionis, confessionis & satisfactionum &c. Hæc fides ita sequitur terrores, ut uincat eos & reddat pacatam conscientiam, Huic fidei tribuimus, quòd iustificet & regeneret, dum ex terroribus liberat, & pacem, gaudium, & nouam uitam in corde parit. Hanc fidem defendimus uerè esse necessariam ad remissionem peccatorum, Ideo ponimus inter partes pœnitentiæ seu conuersionis. Nec aliud sentit Ecclesia Christi, etiamsi aduersarij nostri reclamant.

Principiò autem interrogamus aduersarios, Vtrum absolutionem accipere, pars sit pœnitentiæ nec ne? Quòd si à confessione separant, ut sunt subtiles in distinguendo, non uidemus quid prosit confessio sine absolutione. Sin autem non separant à confessione acceptionem absolutionis, necesse est eos sentire, quòd fides sit pars pœnitentiæ, quia absolutio nõ accipitur nisi fide. Quòd aũt absolutio non accipiatur nisi fide, ex Paulo probari potest, qui docet Rom. 4. quod promissio non possit accipi, nisi fide. Absolutio autem est promissio remissionis peccatorum. Igitur necessariò requirit fidem. Nec uidemus quomodo dicatur is accipere absolutionem qui non assentitur ei. Et quid aliud est non assentiri absolutioni, quàm Deum accusare mendacij, si cor dubitet, sentit incerta & inania esse quæ promittit Deus? Ideo 1. Iohannis 5. scriptum est: Qui

Absolutio non accipitur nisi fide.

est: Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.

Secundō fateri aduersarios existimamus remissionem peccatorum pœnitentiæ, seu partem, seu finem, seu, ut ipsorum more loquamur, terminum esse ad quem. Ergo id quo accipitur remissio peccatorum, rectè additur partibus pœnitentiæ. Certissimum est autem, etiamsi omnes portæ inferorum reclament, remissionem peccatorum non posse accipi, nisi sola fide quæ credit peccata remitti propter Christum, iuxta illud Roman. 3. Quem proposuit Deus propiciatorem per fidem, in sanguine ipsius. Item Roman. 5. Per quem accessum habemus per fidem in gratiam &c. Nam conscientia territa non potest opponere iræ Dei, opera nostra, aut dilectionem nostram, sed ita demum fit pacata, cum apprehendit Mediatorem Christum, & credit promissionibus propter illum donatis. Non enim intelligunt quid sit remissio peccatorum, aut quomodo nobis contingat, qui somniant corda pacata fieri, sine fide in Christum. Petrus citat ex Esaia: Qui crediderit in eum, non confundetur. Necesse est igitur confundi hypocritas, confidentes se accipere remissionem peccatorum propter sua opera, non propter Christum. Et Petrus ait in Actis Cap. 10: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Non potuit dici magis dilucidè, quām quòd ait per nomen eius, Et addit, omnes qui credunt in eum. Tantum igitur ita accipimus remissionem peccatorum, per nomen Christi, hoc est, propter Christum, non propter ulla nostra merita atq; opera. Et hoc ita fit, cum credimus nobis remitti peccata propter Christum. Aduersarij nostri uociferantur se esse Ecclesiam, se consensum Ecclesiæ sequi. At Petrus hic in nostra causa etiam allegat consensum Ecclesiæ, huic inquit omnes Prophetæ perhibent testimonium, remissionem peccatorum accipere per nomen eius &c. Profectō consensus Prophetarum, iudicandus est uniuersalis Ecclesiæ consensus esse. Nec Papę, nec Ecclesiæ concedimus potestatem decernendi contra hunc consensum Prophetarum. At Bulla Leonis apertè damnat hunc articulum de remissione peccatorum, damnant & aduersarij in Confutatione. Qua ex re appareret, qualis sit Ecclesia iudicanda istorum, qui non solū decretis improbant hanc sententiam, quòd remissionem peccatorum consequamur fide, nō propter opera nostra, sed propter Christum, sed etiam iubent eam ui ac ferro abolere. Iubēt omni genere crudelitatis perdere uiros bonos qui sic sentiunt. Sed habent magni nominis autores, Scotum, Gabrielem, & similes, dicta Patrum, quæ in Decretis truncata citantur. Certè si numeranda sunt testimonia, uincunt. Est. n. maxima turba nugacissimorum scriptorū in sententias, qui tanq; coniurati defendunt illa figmenta de merito attritionis & operum, & cætera quæ supra recitauimus. Sed ne quis multitudine moueatur, non magna autoritas est in testimonijs posteriorum, qui non genuerunt sua scripta, sed tantum complicatis superioribus, transfuderūt illas opiniones ex alijs libris in alios. Nihil iudicij adhibuerunt, sed ut pedanei senatores taciti comprobauerunt superiorum errores non intellectos. Nos igitur hanc Petri uocem non dubitemus opponere quamlibet multis legionibus Sententiariorum, quæ allegat consensum Prophetarū. Et accedit testimonium Spiritus sancti ad hanc concionem Petri. Sic. n. ait textus: Adhuc loquente Petro uerba hæc, Cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant uerbum. Sciant igitur piæ conscientiæ, hoc esse mandatum Dei, ut cre-

ut credant sibi gratis ignosci propter Christum, non propter opera nostra. Et hoc mandato Dei sustentent se aduersus desperationem, & aduersus terrores peccati & mortis. Et hanc sententiam sciant à principio mundi in Ecclesia extitisse apud sanctos. Petrus enim clarè allegat consensum Prophetarum, & Apostolorum scripta testantur eos idem sentire. Nec desunt Patrum testimonia. Nam Bernardus idem dicit uerbis minimè obscuris: Necesse est enim primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde adhuc, ut credas & hoc, quòd per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. Hæc Bernardi uerba mirificè illustrant causam nostram, quia non solum requirit, ut in genere credamus peccata remitti per misericordiam, sed iubet addere specialem fidem, qua credamus & nobis ipsis remitti peccata. Et docet quomodo certi reddamur de remissione peccatorum, uidelicet, cum fide corda eriguntur, & fiunt tranquilla per Spiritum sanctum. Quid requirũt amplius aduersarij? Num adhuc audent negare fide nos consequi remissionem peccatorum, aut fidem partem esse pœnitentiæ?

Tertiò, Aduersarij dicũt peccatum ita remitti, quia attritus seu contritus elicit actum dilectionis Dei, propter hunc actum meretur accipere remissionem peccatorum. Hoc nihil est nisi legem docere, deleto Euangelio, & abolita promissione de Christo. Tantum enim requirunt legem & nostra opera, quia Lex exigit dilectionem. Præterea docent confidere, quòd remissionem peccatorum consequamur propter contritionem & dilectionem. Hoc quid est aliud nisi collocare fiduciam in nostra opera, non in uerbum & promissionem Dei de Christo? Quòd si lex satis est ad consequendam remissionem peccatorum, quid opus est Euãgelio, quid opus est Christo, si propter nostrũ opus consequimur remissionem peccatorum? Nos contrà à Lege ad Euangelium reuocamus conscientias, & à fiducia propriorum operũ, ad fiduciam promissionis & Christi, quia Euangelium exhibet nobis Christum, & promittit gratis remissionem peccatorum propter Christum. Hac promissione iubet nos confidere, quòd propter Christum reconciliemur Patri, non propter nostram contritionem aut dilectionem. Non enim alius est Mediator aut Propiciator nisi Christus. Nec legem facere possumus, nisi prius per Christum reconciliati simus. Et si quid faceremus, tamen sentiendum est, quòd non propter illa opera, sed propter Christum Mediatorem & propiciatorem consequimur remissionem peccatorum. Imò contumelia Christi, & Euangelij abrogatio est, sentire, quòd remissionem peccatorum propter Legem aut aliter consequamur, quàm fide in Christum. Et hanc rationem supra tractauimus de iustificatione, cum diximus, quare profiteamur homines fide iustificari non dilectione. Itaq; doctrina aduersariorum, cum docent homines propter contritionem & dilectionem consequi remissionem peccatorum, & confidere hac contritione & dilectione, tantum est doctrina legis, & quidem non intellectæ, sicut Iudæi in uelatam Moysi faciem intuebantur. Fingamus enim adesse dilectionem, fingamus adesse opera, tamen neq; dilectio, neq; opera possunt esse propiciatio pro peccato. Ac ne possunt quidem opponi iræ & iudicio Dei, iuxta illud: Non intrabis in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Nec debet honos Christi transferri, in nostra opera.

Aduersarij legem docẽt deleto Euangelio.

Propter

Propter has causas contendit Paulus, quod non iustificemur ex Lege, & opponit Legi promissionem remissionis peccatorum, quæ propter Christum donatur, ac docet nos gratis propter Christum fide accipere remissionem peccatorum. Ad hanc promissionem reuocat nos Paulus à lege. In hanc promissionem iubet intueri, quæ certè irrita erit, si prius lege iustificamur, quàm per promissionem, aut si propter nostram iusticiam consequimur remissionem peccatorum. At constat, quod ideo nobis data est promissio, ideo exhibitus est Christus, quia legem non possumus facere. Quare necesse est prius nos promissione reconciliari, quàm legem facimus. Promissio autem tantum fide accipitur. Igitur necesse est contritos apprehendere fide promissionem remissionis peccatorum donatæ propter Christum, ac statuere quod gratis propter Christum habeant placatum Patrem. Hæc est sententia Pauli ad Roman. 4. ubi inquit: Ideo ex fide, ut secundũ gratiam firma sit promissio. Et ad Gal. 3. Conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi detur credentibus, Id est. omnes sunt sub peccato, nec possunt aliter liberari, nisi fide apprehendant promissionem remissionis peccatorum. Prius igitur oportet nos fide accipere remissionem peccatorum, quàm legem facimus, etsi ut supra dictum est, fidem dilectio sequitur, Quia renati Spiritum S. accipiunt, ideo legem facere incipiunt. Citaremus plura testimonia, nisi obuia essent cuilibet pio lectori in scripturis. Et nos non nimis prolixi esse cupimus, ut facilius hæc causa perspici possit. Neque uerõ dubium est, quin hæc sit sententia Pauli, quam defendimus, quod fide accipiamus remissionem peccatorum propter Christum, quod fide mediatorem Christum opponere debeamus iræ Dei, non opera nostra. Nec perturbentur pię mentes, etiamsi Pauli sententias calumnientur aduersarij. Nihil tam simpliciter dicitur quod non queat deprauari cauillando. Nos scimus hanc, quam diximus, ueram & germanam sententiam Pauli esse, scimus hanc nostram sententiam pijs conscientijs firmam consolationem afferre, sine qua nemo consistere in iudicio Dei queat. Itaq; repudientur illę Pharisaicæ opiniones aduersariorum, quod non accipiamus fide remissionem peccatorum, sed quod oporteat mereri dilectione nostra & operibus, q̃ dilectionem nostram & opera nostra iræ Dei opponere debeamus. Hæc doctrina legis est, non Euangelij, quæ fingit prius hominem lege iustificari, quàm per Christum reconciliatus sit Deo, Cum Christus dicat: Sine me nihil potestis facere. Item, Ego sum uitis uera, uos palmites. Verum aduersarij fingunt nos esse palmites nõ Christi, sed Moysi. Prius uolunt lege iustificari, dilectionem suam & opera offerre Deo, quàm reconcilientur Deo per Christum, quàm sint palmites Christi. Paulus contrà contendit Legem non posse fieri sine Christo. Ideo promissio prius accipienda est, ut fide reconciliemur Deo, propter Christum, quàm legem facimus. Hæc satis perspicua esse pijs conscientijs existimamus. Et hinc intelligent, Cur supra professi simus iustificari hominem fide, non dilectione, quia oportet nos opponere iræ Dei, non nostram dilectionem, aut opera, aut confidere nostra dilectione ac operibus, sed Christum Mediatorem. Et prius oportet apprehendere promissionem remissionis peccatorum, quàm Legem facimus.

Fingere quod homo prius lege iustificetur quam fide in Christum, legale est.

Postremõ, quando erit pacata conscientia, si ideo accipimus remissionem peccatorum, quia nos diligimus, aut legem facimus? Semper enim accusabit nos Lex, quia nunquam legi Dei satisfacimus, sicut inquit Paulus, Lex iram operatur. Chrysostomus quærit de pœnitentia, unde certi reddamur, peccata no-

cata nobis remissa esse. Quærunt & in sententijs eadem de re aduersarij. Hoc non potest explicari, non possunt conscientiæ reddi tranquillæ, nisi sciant manere datum Dei esse, & ipsum Euangelium, ut certò statuant propter Christum gratis remitti peccata, nec dubitent sibi remitti. Si quis dubitat, is, ut Ioannes ait, accusat promissionem diuinam mendacij. Hanc certitudinem fidei nos docemus requiri in Euangelio. Aduersarij relinquunt conscientias incertas & ambigentes. Nihil autem agunt conscientiæ ex fide, cum perpetuò dubitant, utrũ habeant remissionem. Quomodo possunt in hac dubitatione inuocare Deum? quomodo possunt statuere, quòd exaudiantur? Ita tota uita est sine Deo, & sine uero cultu Dei. Hoc est quod Paulus inquit, peccatum esse quidquid non fit ex fide. Et quia in hac dubitatione perpetuò uersantur, nunquam experiuntur quid sit fides. Ita fit ut ad extremum ruant in desperationem. Talis est doctrina aduersariorum, doctrina Legis, abrogatio Euangelij, doctrina desperationis. Nunc libenter omnibus bonis uiris permittimus iudicium de hoc loco pœnitentiæ, nihil enim habet obscuri, ut pronuncient, utri magis pia & salubria conscientijs docuerint, nos, an aduersarij. Profectò non delectant nos hæ dissensiones in Ecclesia, quare nisi magnas & necessarias causas haberemus dissentiendi ab aduersarijs, summa uoluntate taceremus. Nunc cum ipsi manifestam ueritatem damnant, non est integrum nobis deserere causam, non nostram, sed Christi & Ecclesiæ.

Certitudo doctrinæ de pœnitentia est ex Euangelio.

Diximus quas ob causas posuerimus has duas partes pœnitentiæ, contritionem & fidem. Idq; hoc fecimus libentius, quia circumferuntur multa dicta de pœnitentia quæ truncata citantur ex Patribus, quæ ad obscurandam fidem detorserunt aduersarij. Talia sunt, Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Item, Pœnitentia est quædam dolentis uindicta, puniens in se quod dolet se commisisse. In his dictis nulla fit mentio fidei. Ac ne in scolis quidem, cum interpretantur, aliquid de fide additur. Quare nos eam, ut magis conspici doctrina fidei posset, inter partes pœnitentiæ numerauimus. Nam illa dicta quæ contritionem aut bona opera requirunt, & nullam fidei iustificantis mentionem faciunt, periculosa esse, res ipsa ostendit. Et meritò desiderari prudentia in istis potest, qui centones illos sententiarum & decretorum congesserunt. Nam cum Patres aliàs de alia parte pœnitentiæ loquantur, non tantum de una parte, sed de utraq;, hoc est, de contritione & fide, excerpere & coniungere sententias profuisset. Nam Tertullianus egregiè de fide loquitur, amplificans iusiurandum illud apud Prophetam, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Quia enim iurat Deus, nolle se mortem peccatoris, ostendit requiri fidem, ut iuranti credamus, & certò statuamus eum nobis ignoscere. Magna debet esse autoritas apud nos promissionum diuinarum per seipsas. At hæc promissio etiam iureiurando confirmata est. Quare si quis non statuit sibi ignosci, is negat Deum uerum iurasse, qua blasphemia atrocior nulla excogitari potest. Sic enim ait Tertullianus: Inuitat premio salutem, iurans etiam, Viuo dicens, cupit sibi credi. O beatos quorum causa iurat Deus. O miserrimos, si nec iuranti Domino credimus. Atq; hic sciendum est, quòd hæc fides debeat sentire, quòd gratis nobis ignoscat Deus propter Christum, propter suam promissionem, non propter nostra opera, contritionem, confessionem, satisfactionem aut dilectionem. Nam si fides nitatur his operibus, statim fit incerta, quia conscientia pauida uidet hæc

Truncatæ definitiones pœnitentiæ.

det hæc opera indigna esse. Ideo præclarè ait Ambrosius de pœnitentia: Ergo & agendam pœnitentiam & tribuendam ueniam credere nos conuenit, ut ueniam tamen tanquam ex fide speremus, tanquam ex syngrapha fides impetrat. Item fides est quæ peccata nostra cooperit. Extant itaq; sententiæ apud Patres, non solum de contritione & operibus, sed etiam de fide. Verum aduersarij, cum neq; naturam pœnitentiæ intelligant neq; sermonem Patrum, excerpunt dicta de parte pœnitentiæ, uidelicet de operibus. Alibi dicta de fide, cum non intelligunt, prætereunt.

DE CONFESSIONE *ET SATISFACTIONE.*

BOni uiri facilè iudicare possunt, plurimum referre, ut de superioribus partibus, uidelicet contritione & fide, conseruetur uera doctrina. Itaq; in his locis illustrandis semper plus uersati sumus, de confessione & satisfactionibus non admodum rixati sumus. Nam & nos confessionem retinemus præcipuè propter Absolutionem, quæ est uerbum Dei, quòd de singulis autoritate diuina pronunciat potestas clauium. Quare impium esset ex Ecclesia priuatam absolutionem tollere. Neq; quid sit remissio peccatorum, aut potestas clauium intelligunt, si qui priuatam absolutionem aspernantur. Cæterum de enumeratione delictorum in Confessione supra diximus, quòd sentiamus eam non esse iure diuino necessariam. Nam quòd obijciunt quidam, Iudicem prius debere cognoscere causam, priusquam pronunciat, hoc nihil ad hanc rem pertinet, quia absolutio est executio alieni beneficij, non est iudicium. Christus. n. dedit mandatum remittendi, Id mandatum exequuntur ministri. Non habent mandatũ de cognoscendis occultis. Hoc intelligi potest ex eo, quia infinita peccata remittunt, quæ nec nos ipsi meminimus, quibus remittuntur. Et si penderet remissio ex cognitione, tota res esset incerta. Cæterum in his delictis quæ publicè nota sunt, qualem habeat Iurisdictionem Ecclesia, id non pertinet ad præsentem disputationem. Nam hæc, quia nota sunt, nominatim accusantur, & postea nominatim remittuntur, si autor uelit recipi ab Ecclesia. Et ridiculum est huc transferre dictum Salomonis, Diligenter cognosce uultum pecoris tui. Nihil enim dicit Salomon de Confessione, sed tradit Oeconomicum præceptum patrifamilias, ut utatur suo, & abstineat ab alieno, & iubet eum res suas diligenter curare, ita tamen, ne studio augendarum facultatum, occupatus animus, abijciat timorem Dei, aut fidem, aut curam uerbi Dei. Sed aduersarij nostri mirifica metamorphosi transformant dicta scripturæ, in quaslibet sententias. Hic cognoscere significat eis audire confessiones. Vultus non externam conuersationem, sed arcana conscientiæ. Pecudes significant homines. Sane bella est interpretatio, & digna istis contemtoribus studiorum eloquentiæ. Quòd si uelit aliquis per similitudinem transferre præceptum à patrefamilias ad pastorem Ecclesiæ, certè uultum debebit interpretari de externa conuersatione. Hæc similitudo magis quadrabit, Sed omittamus ista. Aliquoties fit in Psalmis mentio Confessionis, ut: Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Talis confessio peccati, quæ Deo fit, est ipsa contritio. Nam cum Deo fit confessio, corde fieri necesse est, non solum uoce sicut fit in scenis ab histrionibus. Est igitur talis confessio, contritio, in qua sentiens

Enumeratio delictorum nõ est iure diuino necessaria.

Confessionis nomen in Psalmis significat ipsam contritionem.

sentientes iram Dei, confitemur Deum iustè irasci, nec placari posse nostris operibus. Et tamen quærimus misericordiam propter promissionem Dei. Talis est hæc confessio: Tibi soli peccaui, ut tu iustificeris, & uincas cum iudicaris, id est, fateor me peccatorem esse, & meritum æternam iram, nec possum opponere meas iusticias, mea merita tuæ iræ. Ideo pronuncio te iustum esse cum condemnas & punis nos. Pronuncio te uincere, quando hypocritæ iudicant te, quòd sis iniustus, qui ipsos punias aut condemnes benè meritos. Imò nostra merita non possunt opponi tuo iudicio, sed ita iustificabimur, si tu iustifices, si tu reputes nos iustos per misericordiam tuam. Fortassis & Iacobum citabit aliquis, Confitemini uicissim delicta, Sed hic non loquitur de confessione Sacerdotibus facienda, sed in genere de reconciliatione fratrum inter se. Iubet enim mutuam esse confessionem. *Confessio in Epistola Iacobi.*

Porrò aduersarij nostri multos doctores receptissimos damnabunt, si contendent enumerationem delictorum in confessione necessariam esse iure diuino. Quanquam enim confessionem probamus, & quandam examinationem prodesse iudicamus, ut instituti homines melius possint, tamen ita moderanda res est, ne conscientijs injiciantur laquei, quæ nunquam erunt tranquillæ, si existimabunt se non posse consequi remissionem peccatorum, nisi facta illa scrupulosa enumeratione. Hoc certè falsissimum est quod aduersarij posuerunt in Cõfutatione, quòd confessio integra sit necessaria ad salutem. Est enim impossibilis. Et quales laqueos hic injiciunt conscientiæ, cũ requirunt integram confessionem? Quando enim statuet conscientia integram esse confessionem? Apud scriptores Ecclesiasticos fit mentio confessionis, sed hi non loquuntur de hac enumeratione occultorum delictorum, sed de ritu publicæ pœnitentiæ. Quia enim lapsi aut famosi non recipiebantur, sine certis satisfactionibus, ideo confessionem faciebant isti apud Presbyteros, ut pro modo delictorum præscriberentur eis satisfactiones. Hæc tota res nihil simile habuit huic enumerationi de qua nos disputamus. Confessio illa fiebat non quòd sine ea non posset fieri remissio peccatorum coram Deo, Sed ꝙ non poterant satisfactiones præscribi nisi prius cognito genere delicti. Nam alia delicta habebant alios Canones. *Falsissimum est confessionem integram esse necessariam ad salutem.*

Et ex illo ritu publicæ pœnitentiæ reliquum habemus etiam nomen satisfactionis. Nolebant enim sancti Patres recipere lapsos aut famosos, nisi prius cognita & spectata pœnitentia eorum quantum fieri poterat. Et huius rei multæ uidentur fuisse causæ. Nam ad exemplum pertinebat, castigare lapsos, sicut & glossa in Decretis admonet, Et indecorum erat, homines famosos statim admittere ad communionem. Hi mores diu iam antiquati sunt. Nec necesse est eos restituere, quia non sunt necessarij ad remissionem peccatorum coram Deo. Necꝫ hoc senserunt Patres, mereri homines remissionem peccatorum per tales mores, aut alia opera. Quanquam hæc spectacula imperitos solent fallere, ut putent se per hæc opera mereri remissionem peccatorum coram Deo. Verum si quis sic sensit, Iudaicè & gentiliter sensit. Nam & Ethnici habuerũt quasdam expiationes delictorum, per quas fingebant se reconciliari Deo. Nunc autem more antiquato, manet nomen satisfactionis, & uestigium moris, quòd in confessione præscribuntur certæ satisfactiones, quas definiunt esse opera non debita. Nos uocamus satisfactiones Canonicas. De his sic sentimus, sicut de enumeratione, quòd satisfactiones Canonicæ non sint necessariæ iure diuino ad remissionem peccatorum. Sicut necꝫ illa spectacula uetera satisfactionum *Ex ritu publicæ pœnitentiæ nomen satisfactionis.*

Satisfactiones Canonicæ uocantur opera non debita, & sunt impia commenta.

in pœnitentia publica, Iure diuino neceſſaria fuerunt ad remiſſionem peccarum. Retinenda eſt enim ſententia de fide, quòd fide conſequamur remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, non propter noſtra opera præcedentia aut ſequentia. Et nos ob hanc cauſam præcipuè de ſatisfactionibus diſputauimus, ne ſuſciperentur ad obſcurandam iuſticiam fidei, neue exiſtimarent homines ſe propter illa opera conſequi remiſſionem peccatorum. Et adiuuant errorem multa dicta quæ in Scholis iactantur, quale eſt quod in definitione ſatisfactionis ponunt, fieri eam ad placandam diuinam offenſam.

Sed tamen fatentur aduerſarij, quòd ſatisfactiones non proſint ad remiſſionem culpæ. Verum fingunt ſatisfactiones prodeſſe ad redimendas pœnas, ſeu purgatorij, ſeu alias. Sic enim docent in remiſſione peccati, Deum remittere culpam. Et tamen quia conuenit iuſticiæ diuinæ punire peccatum, mutare pœnam æternam in pœnam temporalem. Addunt amplius, partem illius temporalis pœnæ remitti poteſtate clauium, reliquum autem redimi per ſatisfactiones. Nec poteſt intelligi quarum pœnarum pars remittatur poteſtate clauium, niſi dicant partem pœnarum purgatorij remitti, qua ex re ſequeretur, ſatisfactiones tantum eſſe pœnas redimentes purgatorium. Et has ſatisfactiones dicunt ualere, etiamſi fiant ab his qui relapſi ſunt in peccatum mortale, quaſi uerò diuina offenſa placari queat ab his qui ſunt in peccato mortali. Hæc tota res eſt commentitia, recens conficta ſine autoritate ſcripturæ & ueterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Ac ne Longobardus quidem de ſatisfactionibus hoc modo loquitur. Scholaſtici uiderunt in Eccleſia eſſe ſatisfactiones, nec animaduerterunt illa ſpectacula inſtituta eſſe tum exempli cauſa, tum ad probandos hos qui petebant recipi ab Eccleſia. In ſumma, non uiderunt eſſe diſciplinam, & rem prorſus politicam. Ideo ſuperſtitioſè fixerunt eas, non ad diſciplinam coram Eccleſia, ſed ad placandum Deum ualere. Et ſicut aliàs ſæpè incommodè commiſcuerunt ſpiritualia & πολιτικὰ, idem accidit & in ſatisfactionibus. Atqui gloſſa in Canonibus aliquoties teſtatur has obſeruationes inſtitutas eſſe propter diſciplinam Eccleſiæ.

Videte autem quomodo in Confutatione, quam auſi ſunt obtrudere Cæſa. Maieſtati, probent hæc ſua figmenta. Multa dicta ex ſcripturis citant, ut fucum imperitis faciant, quaſi hæc res habeat autoritatem ex ſcripturis, quæ ad huc Longobardi tempore ignota erat. Allegant has ſententias: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Item, Exhibite membra ueſtra ſeruire iuſticiæ. Item Chriſtus prædicat pœnitentiam: Agite pœnitentiam. Item Chriſtus iubet Apoſtolos pœnitentiam prædicare. Et Petrus prædicat pœnitentiam Actor. 2. Poſtea citant quædam dicta Patrum & Canones. Et concludunt his uerbis, Satisfactiones in Eccleſia contra expreſſum Euangelium & Conciliorum & Patrum decreta abolendæ non ſunt, quin imò abſoluti à Sacerdote iniunctam pœnitentiam perficere debent, illud Pauli ſequentes: Dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.

Declaratio eorum quæ ad ſatisfactiones excuſandas ad uerſarij impiè detorquent.

Deus perdat iſtos impios Sophiſtas, tam ſceleſtè detorquentes uerbum Dei ad ſua ſomnia uaniſſima. Quis bonus uir non commoueatur indignitate tanta? Chriſtus inquit: Agite pœnitentiam. Apoſtoli prædicant pœnitentiam, Igitur pœnæ æternæ compenſantur ſatisfactionibus noſtris, Igitur claues habent mandatum remittendi partem pœnarum purgatorij, Igitur ſatisfactiones redi-

nes redimunt pœnas purgatorij. Quis docuit iſtos aſinos hanc Dialecticã? Sed hæc neq; Dialectica, neq; Sophiſtica eſt, ſed eſt Sycophantica. Ideo allegant hanc uocem: Agite pœnitentiam, ut cum tale dictum contra nos citatum imperiti audiunt, concipiant opinionem nos totam pœnitentiam tollere. His artibus alienare animos, & inflammare odia conantur, ut conclament contra nos imperiti, tollendos eſſe è medio tam peſtilentes hæreticos, qui improbant pœnitentiam.

Sed ſperamus apud bonos uiros has calumnias parum profecturas eſſe. Et Deus tantam impudentiam ac maliciam non diu feret. Nec utiliter conſulit ſuæ dignitati Romanus Pontifex, quòd tales Patronos adhibet, quòd rem maximam iudicio horum Sophiſtarum permittit. Nam cum nos in Confeſſione ferè ſummam doctrinæ Chriſtianæ uniuerſæ cõplexi ſimus, adhibendi fuerant iudices de tantis, tam multis, & tam uarijs negocijs pronunciaturi, quorum doctrina & fides bonis uiris probaretur. Idq; te Campegi pro tua ſapientia prouidere decebat, ne quid in tantis rebus iſti ſcriberent, quòd aut hoc tempore, aut ad poſteros uideatur poſſe minuere Romanæ ſedis exiſtimationẽ. Si Romana ſedes cenſet æquum eſſe, ut omnes gentes agnoſcant eam pro Magiſtra fidei, debet operam dare ut docti & integri uiri de religionibus cognoſcant. Quid. n. iudicabit mundus, ſi quando proferetur in lucem, ſcriptũ aduerſariorum, quid iudicabit poſteritas, de his calumnioſis iudicijs? Vides Campegi hæc eſſe poſtrema tempora, in quibus Chriſtus prædixit plurimum periculi fore religioni. Vos igitur qui tanquam in ſpecula ſedere, & gubernare religiones debetis, his temporibus oportuit ſingularem adhibere, tum prudentiam, tum diligentiam. Multa ſunt ſigna, quæ niſi prouideritis, minantur mutationem Romano ſtatui. Et erras, ſi tantum ui & armis exiſtimas Eccleſias retinendas eſſe. Doceri de religione poſtulant homines. Quãm multos eſſe exiſtimas, non tantum in Germania, ſed etiam in Anglia, in Hiſpania, in Gallijs, in Italia, deniq; in ipſa urbe Roma, qui quoniam uident exortas eſſe de maximis rebus controuerſias, dubitare alicubi incipiunt, & taciti indignantur, quòd has tantas res ritè cognoſcere & iudicare recuſatis, quòd non explicatis ambigentes conſcientias, quòd tantum iubetis nos armis opprimi ac deleri? Multi autem ſunt boni uiri, qui facilius mortem, & omnia genera ſuppliciorum ferrent, quàm ferunt hãc dubitationẽ. Nec ſatis expendis, quanta res ſit religio, ſi bonos uiros leuiter exiſtimas angi, ſicubi incipiunt ambigere de aliquo dogmate. Et hæc dubitatio non poteſt non parere ſummam odij acerbitatem, aduerſus illos, qui cum mederi conſcientijs debebant, obſiſtunt, quò minus explicari res poſſit. Non hic dicimus Dei iudicium uobis pertimeſcendum eſſe, Nam hoc leuiter curare Pontifices putant, qui cum ipſi teneant claues, ſcilicet patefacere ſibi cœlum, cum uolunt, poſſunt. De hominum iudicijs, deq; tacitis uoluntatibus omnium gentium loquimur, quę profectò hoc tempore requirunt, ut hæc negocia ita cognoſcantur, atq; conſtituantur, ut ſanentur bonæ mentes, & ã dubitatione liberentur. Quid enim futurum ſit, ſi quando eruperint odia illa aduerſus uos, pro tua ſapientia facilè iudicare potes? Verum hoc beneficio deuincire omnes gentes uobis poteritis, quòd omnes ſani homines, ſummum & maximum iudicãt, ſi dubitantes conſcientias ſanaueritis. Hæc non eò diximus quòd nos de noſtra confeſſione dubitemus. Scimus enim eam ueram, piam, & pijs conſcientijs utilem eſſe. Sed credibile eſt paſſim multos eſſe, qui nõ de leuibus rebus ambigũt,

Compellatio Campegij.

nec tamen audiunt idoneos doctores, qui mederi conscientijs ipsorum possint.

Sed redeamus ad propositum, scripturæ citatæ ab aduersarijs, prorsus nihil loquũtur de Canonicis satisfactionibus, et de opinionibus Scholasticorum, cum constet eas nuper natas esse. Quare mera calumnia est, quòd detorquent scripturas ad illas suas opiniones. Nos dicimus quòd pœnitentiam, hoc est, conuersionem seu regenerationem, boni fructus, bona opera, in omni uita sequi debeant. Nec potest esse uera conuersio, aut uera contritio, ubi non sequuntur mortificationes carnis & boni fructus. Veri terrores, ueri dolores animi, non patiuntur corpus indulgere uoluptatibus, & uera fides non est ingrata Deo, nec contemnit mandata Dei. Deniq; nulla est interior pœnitentia, nisi foris pariat etiam castigationes carnis. Et hanc dicimus esse sententiam Iohannis, cum ait: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Item Pauli, cum ait: Exhibete membra uestra seruire iusticiæ, sicut & alibi inquit: Exhibete corpora uestra, hostiam uiuam, sanctam, &c. Et cum Christus inquit, Agite pœnitentiam, certè loquitur de tota pœnitentia, de tota nouitate uitæ, & fructibus, non loquitur de illis hypocriticis satisfactionibus, quæ fingunt Scholastici tum quoq; ualere ad compensationem pœnæ purgatorij, aut aliarum pœnarum, cum fiunt ab his, qui sunt in peccato mortali.

Pœnitentiam sequi debent noui fructus in omni uita.

Refutatio commenti de satisfactionibus.

Ac multa colligi argumenta possunt, quòd hæc dicta scripturæ nullo modo pertineant ad Scholasticas satisfactiones. Isti fingunt satisfactiones esse opera indebita. Scriptura autem in his sententijs requirit opera debita. Nam hæc uox Christi est uox præcepti, Agite pœnitentiam. Item aduersarij scribunt confitentem, si recuset suscipere satisfactiones, non peccare, sed persoluturum esse has pœnas in purgatorio. Iam hæ sententiæ sine controuersia, præcepta sunt ad hanc uitam pertinentia, Agite pœnitentiam, facite fructus dignos pœnitentiæ, Exhibete membra uestra seruire iusticiæ. Quare non possunt detorqueri ad satisfactiones, quas recusare licet. Non enim licet recusare præcepta Dei. Tertiò, Indulgentiæ remittunt illas satisfactiones, ut docet Cap. Cum ex eo, de pœnitentijs & remissionibus. At indulgentiæ non soluunt nos illis præceptis, Agite pœnitentiam, facite fructus dignos pœnitentiæ. Itaq; manifestum est malè detorqueri illa dicta scriptura ad Canonicas satisfactiones. Videte porrò quid sequatur. Si pœnæ purgatorij sunt satisfactiones seu satispassiones, aut satisfactiones sunt redemptio pœnarum purgatorij, num etiam hæ sententiæ præcipiunt, ut animæ castigentur in purgatorio? Id cum sequi necesse sit ex aduersariorum opinionibus, hæ sententiæ nouo modo interpretandæ erunt, Facite fructus dignos pœnitentiæ, Agite pœnitentiam, hoc est, patiamini pœnas purgatorij post hanc uitam. Sed piget has ineptias aduersariorum pluribus reuellere. Constat enim scripturam loqui de operibus debitis, de tota nouitate uitæ, non de his obseruationibus operum non debitorum, de quibus loquuntur aduersarij. Et tamen his figmentis defendunt ordines, uenditionem Missarum & infinitas obseruationes, quòd scilicet sint opera, si non pro culpa, tamen pro pœna satisfacientia.

Cum igitur scripturæ citatæ non dicant, quòd operibus non debitis pœnæ æternę compensandę sint, temerè affirmant aduersarij, quòd per satisfactiones Canonicas pœnæ illæ compensentur. Præterea cum certissimum sit remissionem peccatorum gratuitam esse, seu gratis propter Christum donari, sequitur non requiri satisfactiones. Et Euangelium habet mandatum gratis remittendi

tendi peccata,nõ imponendi pœnas, & nouas leges,aut partem pœnarum imponendi parte remiſſa. Vbi enim leguntur hæc in ſcripturis? Chriſtus de remiſſione peccati loquitur, cum ait, Quidquid ſolueris &c. quo remiſſo ſublata eſt mors æterna, & reddita uita æterna. Neq; hic loquitur de imponendis pœnis, Quidquid ligaueris. Sed de retinendis peccatis illorum qui non conuertuntur. Sed dictum Longobardi de parte pœnarum remittenda, ſumtum eſt à Canonicis pœnis. Harum partem remittebant paſtores. Quanquam igitur ſentimus quòd pœnitentia debeat bonos fructus parere propter gloriam & mandatum Dei, & boni fructus habent mandata Dei, uera ieiunia, ueræ orationes, ueræ eleemoſynę etc. tamen hoc nuſquam reperimus in ſcripturis ſanctis, quòd pœnæ æternæ non remittantur, niſi propter pœnam purgatorij, aut ſatisfactiones Canonicas, hoc eſt, propter certa quædam opera non debita, aut quod poteſtas clauium habeat mandatum commutandi pœnas, aut partem remittendi. Hæc probanda erant aduerſarijs.

Præterea mors Chriſti non eſt ſolum ſatisfactio pro culpa, ſed etiam pro æterna morte, iuxta illud: Ero mors tua, ō mors. Quid eſt igitur monſtri, dicere quõd Chriſti ſatisfactio redimat culpam. Noſtrę pœnæ redimant mortẽ æternam, ut iam illa uox, Ero mors tua, intelligi debeat, non de Chriſto, ſed de noſtris operibus, & quidem non de operibus à Deo præceptis, ſed de frigidis quibuſdam obſeruationibus excogitatis ab hominibus. Et dicuntur mortem abolere, etiam cum fiunt in peccato mortali? Incredibile eſt, quanto cum dolore has ineptias aduerſariorum recitemus, quas qui expendit, non poteſt non ſuccenſere iſtis doctrinis dæmoniorum, quas ſparſit in Eccleſia Diabolus, ut opprimeret cognitionem Legis, & Euangelij, pœnitentiæ, & uiuificationis, & beneficiorum Chriſti. Nam de Lege ſic dicunt, Deus condeſcendens noſtræ infirmitati, conſtituit homini menſuram eorum ad quæ de neceſſitate tenetur, quæ eſt obſeruatio præceptorum, ut de reliquo, id eſt, de operibus ſupererogationis poſſit ſatisfacere de commiſſis. Hic fingunt homines Legem Dei ita facere poſſe, ut plus etiam quã Lex exigit, facere poſſimus. Atqui ſcriptura ubiq; clamat, & multũ abſimus ab illa perfectione, quam lex requirit. Sed iſti fingunt legem Dei contentam eſſe externa & ciuili iuſticia, non uident eam requirere ueram dilectionem Dei ex toto corde &c. damnare totam concupiſcentiam in natura. Itaq; nemo tantum facit, quantum Lex requirit. Ridiculum igitur eſt, quòd fingunt nos amplius facere poſſe. Quanquam enim externa opera facere poſſumus, non mandata legi Dei, tamen illa eſt impia fiducia, quõd legi Dei ſit ſatisfactum. Et ueræ orationes, ueræ eleemoſynæ, uera ieiunia, habent præcepta Dei. Et ubi habent præceptum Dei, non poſſunt ſine peccato omitti. Verum illa opera, quatenus non ſunt præcepta Lege Dei, ſed habent certam formam ex humano præſcripto, ſunt opera traditionum humanarum, de quibus Chriſtus dicit, Fruſtra colunt me mandatis hominum, ut certa ieiunia, inſtituta non ad carnem cohercendam, ſed ut per id opus reddatur honos Deo, ut ait Scotus, & compenſetur mors æterna. Item certus numerus precum, certus modus eleemoſynarum, cum ita fiunt, ut ille modus, ſit cultus ex opere operato, reddens honorem Deo, & compenſans mortem æternam. Tribuunt enim his ex opere operato ſatisfactionem, quia docent quõd ualeant etiam in his qui ſunt in peccato mortali. Iam illa longius recedũt à præceptis Dei, peregrinationes, & harum magna eſt uarietas, alius facit iter cataphractus, alius

Commenta aduerſariorum, quæ obſcurant Legem Dei.

facit iter nudis pedibus. Hæc uocat Christus inutiles cultus, quare non prosunt ad placandam offensam Dei, ut aduersarij loquuntur. Et tamen hæc opera magnificis titulis ornantur, uocãtur opera supererogationis. Tribuitur eis honos, quòd sint precium pro morte æterna. Ita præferuntur operibus præceptorum Dei. In hunc modum Lex Dei bifariam obscuratur, & quia putatur Legi Dei satisfactum esse, per externa & ciuilia opera, & quia adduntur traditiones humanæ, quarum opera præferuntur operibus legis diuinæ. Deinde obscuratur pœnitentia & gratia. Nam mors æterna redimitur illa compensatione operum, quia est ociosa, nec degustat in præsentia mortem. Alia res opponenda est morti cum tẽtat nos. Sicut enim ira Dei fide in Christum uincitur, ita uincitur mors fide in Christum, sicut Paulus ait: Deo gratia, qui dat nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum, Non inquit, qui dat nobis uictoriam, si aduersus mortem opponamus satisfactiones nostras. Aduersarij ociosas speculationes tractant de remissione culpæ, nec uident quomodo in remissione culpæ, liberetur cor ab ira Dei, & à morte æterna, per fidem in Christum. Cum igitur mors Christi sit satisfactio pro morte ęterna, & cum ipsi aduersarij fateantur, illa opera satisfactionum esse opera non debita, sed opera traditionum humanarum, de quibus Christus inquit, quòd sint inutiles cultus, tutò possumus affirmare, quòd satisfactiones Canonicæ non sint necessariæ Iure diuino, ad remissionem culpæ, aut pœnæ æternæ, aut pœnæ purgatorij.

De dicto Augustini, Pœnitentia est uindicta puniens.

Sed obijciunt aduersarij uindictam seu pœnam necessariam esse ad pœnitentiam, quia Augustinus ait, Pœnitentiam esse uindictam punientem &c. Sicut alibi quoties opera præcipiuntur, interpretantur ea aduersarij satisfactiones & propiciationes esse, ita hic, quia fit pœnæ mentio, detorquent eam ad satisfactionem. Augustinus non hoc sensit, dolorem in pœnitentia, precium esse propter quod debeatur remissio peccatorum, Sciebat enim gratis remitti peccata propter Christum, Sciebat Christi mortem sacrificium esse pro peccatis nostris. Quidquid igitur de uindicta, de pœnis citatur, semper ita accipi debet, ne gratuitam remissionem peccatorum euertat, ne obscuret meritum Christi, & abducat homines à fiducia Christi, ad fiduciam operum. Cæterum uindictam concedimus esse in pœnitentia, non ut precium, sed uindicta formaliter est in pœnitentia, quia ipsa regeneratio fit perpetua mortificatione uetustatis nostræ. Sunt terrores, sunt alij motus qui peccato irascuntur, sed his non debetur remissio. Imò si fides non accederet, hi dolores afferrent mortem æternam. Sit sanè bellè dictum à Scoto, pœnitentiam appellari quasi pœnæ tenentiam, modò ut pœna non intelligatur esse precium, pro quo debeatur remissio. Et Augustinus non loquitur de pœnis, quas remittunt claues, quare non rectè detorquetur hoc dictum ad satisfactiones. De ueris pœnis, hoc est, de terroribus, & ueris animi doloribus loquitur, qui existunt in pœnitentia. Neqs tamen excludimus externam carnis uexationem, hæc enim ueros animi dolores ultrò sequitur. Ac longè errant Aduersarij, si uerius pœnam esse iudicant satisfactiones Canonicas, quàm ueros terrores in corde. Stultissimum est nomen pœnæ detorquere ad has frigidas satisfactiones, non referre ad illos horribiles terrores conscientiæ, de quibus ait Dauid: Circumdederunt me dolores mortis &c. Quis non malit loricatus & cataphractus quærere templum Iacobi, Basilicam Petri, quàm sustinere illam ineffabilem uim doloris, quæ est etiam in mediocribus, si sit uera pœnitentia?

At inqui-

At, inquiunt, conuenit iusticiæ Dei punire peccatum. Primum quòd disputant, quòd conueniat punire peccatum, satis ostendunt se contemnere Christi beneficium. Constituit Deus precium pro nostris peccatis, non nostras pœnas, non nostras satisfactiones, sed mortem Filij sui. Quæ tandem insania est, præferre nostras satisfactiones, satisfactioni Christi? Deinde ut maximè puniat Deus, tamen sentiendum est remissionem peccatorum non deberi propter illam pœnam, & ne iniuria afficiatur beneficium Christi, & quia conscientia non potest reddi pacata, si remissio non contingat gratis. Postremò ut maximè Deus puniat, tamen pœnæ illæ nihil ad claues pertinent. Hæ nec de imponendis, nec de remittendis illis pœnis quæ sunt opera Dei mandatum habent.

Quomodo Deus puniat peccatum.

Cæterum concedimus Deum punire peccata, primum in contritione, cum in illis terroribus iram suam ostendit, sicut significat Dauid cum orat: Domine ne in furore tuo arguas me. Et Ierem: Corripe me Domine, ueruntamen in iudicio, non in furore, ne ad nihilum redigas me. Hic sanè de acerbissimis pœnis loquitur. Et fatentur aduersarij contritionem posse tantam esse, ut non requiratur satisfactio. Verius igitur contritio pœna est, quàm satisfactiones Canonicæ.

Secundò subiecti sunt Sancti morti & alijs communibus afflictionibus, sicut ait Petrus: Tempus est incipere iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, qualis erit finis istorum qui non credunt? Et ut hæ afflictiones plærunq; sint pœnæ peccatorum, tamen in pijs habent alium finem, infliguntur enim ad mortificandum præsens peccatum, quia in sanctis extinguũt & mortificant cõcupiscentiam. Mors enim ad hoc reliqua est in sanctis, ut aboleat hanc naturam immundam. Ideo Paulus ait: Corpus mortuum est propter peccatum, id est, mortificatur propter præsens peccatum quòd adhuc in carne reliquum est. Crux igitur non pœna, sed exercitium est, & præparatio ad renouationem. Nam cum mortificatur præsens peccatum, cumq; inter tentationes discimus quærere auxilium Dei, & experimur præsentiam Dei, magis magisq; agnoscimus diffidentiam cordium nostrorum, & erigimus nos fide. Ita crescit nouitas Spiritus, sicut Paulus ait: Etsi exterior homo corrumpitur, tamen interior renouatur de die in diem. Item Esaias ait: Angustia in qua clamant, disciplina tua est ipsis. Præterea mors tunc uerè pœna est, quando cor perterrefactum sentit iram Dei, iuxta illud: Aculeus mortis peccatum est. Postquam autem in sanctis, fide terrores peccati superati sunt, mors sine illo sensu iræ Dei propriè non est pœna. Porrò claues neq; imponunt, neq; remittunt has pœnas. Quare satisfactiones non pertinent ad has pœnas. Claues enim non remittunt aut mortem & partem afflictionum communium. Iam si has pœnas compensant satisfactionibus, quare iubent in purgatorio satisfacere?

Afflictiones communes piorũ nihil pertinent ad claues.

Obijciunt de Adam, de Dauide, qui propter adulterium punitus. Ex his exemplis faciunt uniuersalem regulam, quòd singulis peccatis respondeant propriæ pœnæ temporales, in imponenda potestate clauium. Prius dictum est sanctos sustinere pœnas quæ sunt opera Dei, sustinent contritionem seu terrores, sustinent & alias communes afflictiones. Ita sustinent aliqui proprias pœnas à Deo impositas, exempli causa. Et hæ pœnæ nihil pertinent ad claues, quia claues neq; imponere, neq; remittere eas possunt, sed Deus sine ministerio clauium imponit & remittit. Nec sequitur uniuersalis regula: Dauidi propria pœna imposita est. Igitur præter communes afflictiones, alia quædam

Pœnæ certorũ delictorum à Deo impositæ nihil pertinent ad claues.

purgato-

purgatorij pœna est, in qua singulis peccatis singuli gradus respondent. Vbi docet hoc scriptura, non posse nos à morte æterna liberari, nisi per illam compensationem certarum pœnarum præter communes afflictiones? At contra sępissimè docet remissionem peccatorum gratis contingere propter Christum, Christum esse uictorem peccati, & mortis, quare non est assuendum meritum satisfactionis. Et quamuis afflictiones reliquę sint, tamen has interpretatur præsentis peccati mortificationes esse, non compensationes æternæ mortis, seu precia pro æterna morte. Iob excusatur, quòd non sit afflictus propter præterita mala facta. Itaq; afflictiones non semper sunt pœnæ, aut signa iræ, Imò pauidæ conscientiæ docendæ sunt alios fines afflictionum potiores esse, ne sentiant se à Deo reijci, si in afflictionibus nihil nisi pœnam & iram Dei uideant. Alij fines potiores sunt considerandi, quòd Deus alienum opus faciat, ut suum opus facere possit &c. Sicut longa concione docet Esaias cap. 28. Et cum discipuli interrogarent de cœco, quis peccasset. Iohan. 9. respondet Christus causam cœcitatis esse, non peccatum, sed ut opera Dei in eo manifestentur. Et apud Ieremiam dicitur, Quibus non erat iudicium bibentes bibent &c. Sicut Prophetæ interfecti sunt, Iohannes Baptista, & alij sancti. Quare afflictiones non semper sunt pœnæ pro certis factis præteritis, sed sunt opera Dei destinata ad nostram utilitatem, & ut potentia Dei fiat conspectior in infirmitate nostra, Sic Paulus ait: Potentia Dei perficitur in infirmitate mea. Itaq; corpora nostra debent esse hostiæ, propter uoluntatem Dei, ad obedientiam nostram declarandam, non ad compensandam mortem æternam, pro qua aliud precium habet Deus, scilicet mortem Filij sui. Et in hanc sententiam interpretatur Gregorius ipsam etiam pœnam Dauidis, cum ait: Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio, cur dimisso peccato quòd erat ei comminatus impleuit? Respondetur, remissionem illam peccati factam esse, ne homo ad percipiendam uitam impediretur æternam. Subsecutum uerò illud comminationis exemplum, ut pietas hominis etiam in illa humilitate exerceretur atq; probaretur. Sic & mortem corporis propter peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam iusticiam non ademit, uidelicet, ut exerceatur & probetur iusticia istorum qui sanctificantur.

Afflictiones nõ semper sunt pœnæ aut signa iræ.

Neq; uero tolluntur communes calamitates propriè per illa opera satisfactionum Canonicarum, hoc est, per illa opera traditionum humanarum, quæ ipsi sic ualere dicunt, ex opere operato, ut etiamsi fiant in peccato mortali, tamen redimant pœnas. Et cum obijcitur illud Pauli: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur à Domino, uerbum iudicare intelligi debet de tota pœnitentia, & fructibus debitis, non de operibus non debitis. Aduersarij nostri dant pœnas contemptæ Grammatices, cum intelligunt iudicare, idem esse, quod cataphractum peregrè ire ad S. Iacobum, aut similia opera. Iudicare significat totam pœnitentiam, significat damnare peccata. Hæc damnatio uerè fit in contritione, & mutatione uitæ. Tota pœnitentia, contritio, fides, boni fructus, impetrant, ut mitigentur pœnæ, & calamitates publicæ & priuatæ, sicut Esaias capite primo docet: Desinite malè facere, & discite benè facere etc. Si fuerint peccata uestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Si uolueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Nec est ad satisfactiones & opera traditionum humanarum transferenda grauissima & saluberrima sententia à troa

Opera Canonicarum satisfactionum non tollunt calamitates.

pœniten-

pœnitentia, & operibus debitis, seu à Deo præceptis. Et hoc prodest docere, quòd mitigentur communia mala per nostram pœnitentiam, & per ueros fructus pœnitentiæ, per bona opera facta ex fide, non ut isti fingunt facta in peccato mortali. Et huc pertinet exemplum Niniuitarum, quia sua pœnitentia (de qua loquimur) reconciliati sunt Deo, & impetrauerunt, ne deleretur ciuitas.

Quòd autem Patres mentionem faciunt satisfactionis, quòd concilia fecerunt Canones, diximus supra disciplinam Ecclesiasticam fuisse, exempli causa constitutam. Nec sentiebant hanc disciplinam necessariam esse, uel ad culpæ, uel ad pœnæ remissionem. Nam si qui in his mentionem purgatorij fecerunt interpretantur esse non compensationem æternæ pœnæ, non satisfactionem, sed purgationem imperfectarum animarum, Sicut Augustinus ait uenialia concremari, hoc est, mortificari diffidentiam erga Deum, & alios affectus similes. Interdum Scriptores transferunt satisfactionis uocabulum ab ipso ritu, seu spectaculo, ad significandam ueram mortificationem. Sic Augustinus ait: Vera satisfactio est peccatorum causas excidere, hoc est, mortificare carnem. Item cohercere carnem non ut compensentur æternæ pœnæ, sed ne caro pertrahat ad peccandum. Ita Gregorius de restitutione loquitur, falsam esse pœnitentiam, si non satisfiat illis quorum res occupatas tenemus, Non enim uerè dolet se furatum esse, aut rapuisse is qui adhuc furatur. Tantisper enim fur aut prædo est, dum est iniustus possessor alienæ rei. Ciuilis illa satisfactio necessaria est, quia scriptum est, qui furatus est, deinceps non furetur. Item Chrysostomus inquit: In corde contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hoc nihil contra nos facit, debent sequi bona opera pœnitentiam, debet pœnitentia esse, non simulatio, sed totius uitæ mutatio in melius.

Satisfactiones ueteres Patrũ pertinuerunt ad disciplinam.

Item Patres scribunt satis esse, si semel in uita fiat illa publica seu solennis pœnitentia, de qua sunt facti Canones satisfactionum. Qua ex re intelligi potest, quòd sentiebant illos Canones, non esse necessarios ad remissionem peccatorum. Nam præter illam solennem pœnitentiam, sæpè aliàs uolunt pœnitentiam agi, ubi non requirebantur Canones satisfactionum.

Architecti confutationis scribunt non esse tolerandum, ut satisfactiones contra expressum Euangelium aboleantur. Nos igitur hactenus ostendimus Canonicas illas satisfactiones, hoc est, opera non debita, facienda propter compensationem pœnæ, non habere mandatum Euangelij. Res ipsa hoc ostendit, si opera satisfactionum sunt opera non debita, quare allegant expressum Euangelium? Nam si Euangelium iuberet compensari pœnas per talia opera, iam essent debita opera. Sed sic loquuntur, ut fucum faciant imperitis, & allegant testimonia, quæ de debitis operibus loquuntur, cum ipsi in suis satisfactionibus præscribant opera non debita. Imò ipsi concedunt in scholis sine peccato recusari posse satisfactiones. Falsò igitur hic scribunt, quòd expresso Euangelio cogamur satisfactiones illas Canonicas suscipere. Cæterum nos sæpè iam testati sumus, quòd pœnitentia debeat bonos fructus parere, & qui sint boni fructus docent mandata, uidelicet inuocatio, gratiarum actio, confessio Euangelij, docere Euangelium, obedire parentibus, & magistratibus, seruire uocationi, non occidere, non retinere odia, sed esse placabilem, dare egentibus quantum pro facultatibus possumus, non scortari, non mœchari, sed cohercere, & refrenare, castigare carnem, non propter compensationem pœnæ æternæ, sed ne

Qui debeant esse fructus pœnitentiæ.

sed ne obtemperet diabolo,ne offendat Spiritum sanctum,Item uera dicere. Hi fructus habent præcepta Dei, & propter gloriam & mandatum Dei fieri debent,habent & premia. Sed quòd non remittantur pœnæ æternæ, nisi propter compensationem certarum traditionum aut purgatorij, non hoc docet scriptura. Indulgentiæ olim erant condonationes publicarum illarum obseruationum,ne nimium grauerentur homines. Quòd si humana autoritate remitti satisfactiones & pœnę queunt, non igitur Iure diuino necessaria est illa compensatio.Nam Ius diuinum non tollitur humana autoritate. Porrò cum nunc per se antiquatus sit mos, & quidem dissimulantibus Episcopis, nihil opus est remissionibus illis. Et tamen mansit nomen indulgentiarum. Et sicut satisfactiones non intellectæ sunt de politica disciplina, sed de compensatione pœnæ, Ita indulgentiæ malè intellectæ sunt, quod liberent animas ex purgatorio. At clauis non habet potestatem, nisi super terram ligandi, & soluendi, iuxta illud: Quidquid ligaueris super terram,erit ligatum in cœlo. Quidquid solueris super terram,erit solutum in cœlo. Quanquam ut supra diximus,clauis potestatem habet non imponendi pœnas aut cultus instituendi,sed tantum habet mandatum remittendi peccata, his qui conuertuntur, & arguendi & excommunicandi istos qui nolunt conuerti. Sicut enim soluere significat remittere peccata, Ita ligare significat non remittere peccata. Loquitur enim Christus, de regno spirituali. Et mandatum Dei est, ut ministri Euangelij absoluant hos qui conuertuntur,iuxta illud:Potestas nobis data est ad ædificationem. Quare reseruatio casuum politica res est.Est.n.reseruatio pœnæ Canonicæ,non est reseruatio culpæ coram Deo in his qui uerè conuertuntur. Proinde rectè iudicant aduersarij cum fatentur, quòd in articulo mortis illa reseruatio casuum non debeat impedire absolutionem. Expositimus summam nostræ doctrinæ de pœnitentia,quam certò scimus piam,& salubrem bonis mentibus esse. Et boni uiri si contulerint nostram doctrinam cum confusissimis disputationibus aduersariorum, perspicient aduersarios omisisse doctrinam de fide iustificante, & consolante pia corda. Videbunt etiam multa fingere aduersarios, de merito attritionis, de illa infinita enumeratione delictorum, de satisfactionibus, οὔτε γῆς φασὶν οὔτε οὐρανοῦ ἁπτόμενα,quæ ne ipsi quidem aduersarij satis explicare possunt.

Clauium potestas quanta.

DE NVMERO ET VSV SACRAMENTORVM.

IN XIII. articulo probant aduersarij,quòd dicimus sacramenta non esse tantum notas professionis inter homines,ut quidam fingunt, sed magis esse signa & testimonia uoluntatis Dei erga nos, per quæ mouet Deus corda ad credendum. Sed hic iubent nos etiam septem Sacramenta numerare. Nos sentimus præstandum esse, ne negligantur res & ceremoniæ in scripturis institutæ,quotcunq; sunt. Nec multum referre putamus, etiamsi docendi causa alij numerant aliter, si tamen rectè conseruent res in scriptura traditas. Nec ueteres eodem modo numerauerunt.

Si Sacramenta uocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ,facilè est iudicare quæ sint propriè Sacramenta.Nam ritus ab hominibus instituti non erunt hoc modo propriè dicta Sacramenta. Non est enim autoritatis humanæ, promittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei

dato Dei instituta, non sunt signa gratiæ, etiamsi fortasse rudes docent, aut admonent aliquid. Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria noui Testamenti. Certò enim debent statuere corda, cum baptizamur, cum uescimur corpore Domini, cum absoluimur, quòd uerè ignoscat nobis Deus propter Christum, Et corda simul per uerbum, & ritum mouet Deus, ut credant, & concipiant fidem, sicut ait Paulus: Fides ex auditu est. Sicut autem uerbum incurrit in aures, ut feriat corda, Ita ritus ipse incurrit in oculos, ut moueat corda. Idem effectus est uerbi & ritus, sicut præclarè dictum est ab Augustino, Sacramentum est uerbum uisibile, quia ritus oculis accipitur, & est quasi pictura uerbi idem significans, quod uerbum. Quare idem est utriusq; effectus.

Quæ sunt uerè & propriè Sacramenta, quæ non.

Confirmatio & extrema unctio sunt ritus accepti à Patribus, quos ne Ecclesia quidem tanquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum Dei. Propterea non est inutile hos ritus discernere à superioribus, qui habent expressum mandatum Dei, & claram promissionem gratiæ.

Confirmatio & extrema unctio ritus Patrum.

Sacerdotium intelligunt aduersarij non de ministerio uerbi & sacramentorum alijs porrigendorum, sed intelligunt de sacrificio, quasi oporteat esse in nouo Testamento sacerdotium simile Leuitico, quod pro populo sacrificet, & mereatur alijs remissionem peccatorum. Nos docemus sacrificium Christi morientis in Cruce, satis fuisse pro peccatis totius mundi, nec indigere præterea alijs sacrificijs, quasi illud non satis fuerit pro peccatis nostris. Ideo iustificantur homines, non propter ulla reliqua sacrificia, sed propter illud unum Christi sacrificium, si credant illo sacrificio se redemptos esse. Ideo sacerdotes uocantur, non ut ad ulla sacrificia uelut in Lege pro populo facienda, ut per eam mereantur populo remissionem peccatorum, sed uocantur ad docendum Euangelium, & Sacramenta porrigenda populo. Nec habemus nos aliud sacerdotium, simile Leuitico, sicut satis docet Epistola ad Ebræos. Si autem ordo de ministerio uerbi intelligatur, nõ grauatim uocauerimus ordinem sacramentum. Nam ministerium uerbi habet mandatum Dei, Et habet magnificas promissiones, Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item Esaiæ 55. Verbum meum quod egredietur de ore meo, nõ reuertetur ad me uacuum, sed faciet quæcunq; uolui &c. Si ordo hoc modo intelligatur, neq; impositionem manuum uocare sacramentum grauemur. Habet enim Ecclesia mandatum de constituendis ministris, quòd gratissimum esse nobis debet, quòd scimus Deum approbare ministerium illud, & adesse in ministerio. Ac prodest quantum fieri potest, ornare ministerium uerbi, omni genere laudis, aduersus fanaticos homines, qui somniant Spiritum sanctum dari, non per uerbum, sed propter suas quasdam præparationes, si sedeant ocioſi, taciti, in locis obscuris, expectantes illuminationem, quemadmodum olim ἐνθουσιάσαι docebant, & nunc docent Anabaptistæ.

Sacerdotium.

Impositio manuum.

Matrimonium non est primum institutum in nouo Testamento, sed statim initiò creato genere humano. Habet autem mandatum Dei, habet & promissiones, non quidem propriè ad nouum Testamentum pertinentes, sed magis pertinentes ad uitam corporalem, quare si quis uolet sacramentum uocare, discernere tamen à prioribus illis debet, quæ propriè sunt signa noui Testamenti, & sunt testimonia gratiæ & remissionis peccatorum. Quòd si Matrimo-

Matrimoniũ.

nium propterea habebit appellationem Sacramenti, quia habet mandatum Dei, Etiam alij ſtatus ſeu officia quæ habent mandatum Dei, poterunt uocari Sacramenta, ſicut Magiſtratus. Poſtremò ſi omnes res annumerari ſacramentis debẽt quæ habent mandatum Dei, & quibus ſunt additæ promiſſiones, cur non addimus orationem, quæ ueriſſimẽ poteſt dici ſacramentum? Habet enim & mandatum Dei & promiſſiones plurimas. Et collocata inter ſacramenta, quaſi in illuſtriore loco, inuitat homines ad orandum. Poſſent hic numerari etiam Eleemoſynæ, Item afflictiones, quæ & ipſæ ſunt ſigna, quibus addidit Deus promiſſiones, ſed omittamus iſta. Nemo enim uir prudens de numero aut uocabulo magnopere rixabitur, ſi tamen illæ res retineantur, quæ habent mandatum Dei & promiſſiones.

Sacramenta nõ proſunt ex opere operato.

Illud magis eſt neceſſarium, intelligere quomodo ſit utendum ſacramentis. Hic damnamus totum populum Scholaſticorum doctorum, qui docent, ꝙ ſacramenta non ponenti obicem, conferant gratiam ex opere operato, ſine bono motu utentis. Hęc ſimpliciter ludaica opinio eſt, ſentire quòd per ceremoniam iuſtificemur, ſine bono motu cordis, hoc eſt, ſine fide. Et tamen hæc impia & pernicioſa opinio magna autoritate docetur, in toto regno Pontificio. Paulus reclamat & negat Abraham iuſtificatum eſſe circumciſione, ſed circumciſionem eſſe ſignum propoſitum ad exercendam fidem. Ita nos docemus, quòd in uſu ſacramentorum fides debeat accedere, quæ credat illis promiſſionibus, & accipiat res promiſſas, quæ ibi in Sacramento offeruntur. Et eſt ratio plana & firmiſſima. Promiſſio eſt inutilis niſi fide accipiatur. At ſacramenta ſunt ſigna promiſſionum. Igitur in uſu debet accedere fides, ut ſi quis utetur Cœna Domini, ſic utatur, Quia id eſt ſacramentum noui Teſtamenti, ut Chriſtus clarè dicit, Ideo ſtatuat ſibi offerri res promiſſas in nouo Teſtamento, ſcilicet gratuitam remiſſionem peccatorum. Et hanc fide accipiat, erigat pauidam conſcientiam, & ſentiat hæc teſtimonia, non eſſe fallacia, ſed tam certa, quãm ſi Deus nouo miraculo de cælo promitteret ſe uelle ignoſcere. Quid autem prodeſſent illa miracula & promiſſiones, non credenti? Et loquimur hic de fide ſpeciali quæ præſenti promiſſioni credit, non tantum quæ in genere credit Deum eſſe, ſed quæ credit offerri remiſſionem peccatorum. Hic uſus ſacramenti conſolatur pias & pauidas mentes. Quantum autem in Eccleſia abuſuũ peperit illa fanatica opinio, de opere operato ſine bono motu utentis, nemo uerbis conſequi poteſt. Hinc eſt illa infinita prophanatio miſſarum, ſed de hac infra dicemus. Neqꝫ ulla litera ex ueteribus Scriptoribus proferri poteſt, quæ patrocinetur hac in re Scholaſticis. Imò contrarium ait Auguſtinus, quòd fides Sacramenti, non ſacramentum iuſtificet. Et eſt nota Pauli ſententia, Corde creditur ad iuſticiam.

Articulum XIIII. in quo dicimus, nemini niſi ritè uocato concedendum eſſe adminiſtrationem Sacramentorum & uerbi in Eccleſia, ita recipiunt, ſi tamen utamur ordinatione Canonica. Hac de re in hoc conuentu ſæpè teſtati ſumus, nos ſumma uoluntate cupere conſeruare politiam Eccleſiaſticam, & gradus in Eccleſia factos humana autoritate. Scimus enim bono & utili conſilio à Patribus Eccleſiaſticam diſciplinam hoc modo, ut ueteres Canones deſcribũt, conſtitutam eſſe. Sed Epiſcopi ſacerdotes noſtros aut cogunt hoc doctrinæ genus quod confeſſi ſumus abijcere ac damnare, aut noua & inaudita crudelitate miſeros & innocentes occidunt. Hæ cauſæ impediunt quo minus agnoſcant hos

hos Episcopos, nostri sacerdotes. Ita sæuitia Episcoporum in causa est, quare alicubi dissoluitur illa Canonica politia, quã nos magnopere cupiebamus conseruare. Ipsi uiderint quomodo rationem Deo reddituri sint, quòd dissipant Ecclesiam. Nostræ conscientiæ hac in re nihil habent periculi, quia cum sciamus confessionem nostram ueram, piam & catholicam esse, non debemus approbare sæuitiam istorum, qui hanc doctrinam persequuntur. Et Ecclesiam esse scimus apud hos, qui uerbum Dei rectè docent, & rectè administrant Sacramenta, non apud illos, qui uerbum Dei non solum edictis delere conantur, sed etiam recta & uera docentes trucidant, erga quos, etiamsi quid contra Canones faciunt, tamen ipsi Canones mitiores sunt. Porrò hic iterum uolumus testatum, nos libenter conseruaturos esse Ecclesiasticam & Canonicam politiam, si modo Episcopi desinant in nostras Ecclesias sæuire. Hæc nostra uoluntas & coram Deo, & apud omnes gentes, ad omnem posteritatem excusabit nos, ne nobis imputari possit, quòd Episcoporum autoritas labefactatur, ubi legerint atq; audierint homines, nos iniustam sæuitiam Episcoporum deprecantes, nihil æqui impetrare potuisse.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS IN ECCLESIA.

IN articulo XV. recipiunt primam partem, in qua dicimus obseruandos esse ritus Ecclesiasticos, qui sine peccato obseruari possunt, & ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia prosunt. Alteram partem omnino damnant, in qua dicimus traditiones humanas institutas ad placandum Deum, ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, aduersari Euangelio. Quanquam in ipsa confessione de discrimine ciborum, satis multa diximus de traditionibus, tamen hic breuiter quædam repetenda sunt. Etiamsi arbitrabamur aduersarios, ex aliis causis defensuros esse traditiones humanas, tamen hoc non putauimus futurum, ut hunc articulum damnarent, Non mereri nos remissionem peccatorum, aut gratiam, obseruatione traditionum humanarum. Post quam igitur hic articulus damnatus est, facilem & planam causam habemus. Nunc apertè Iudaizant aduersarij, apertè obruunt Euangelium doctrinis dæmoniorum. Tunc enim scriptura uocat traditiones, doctrinas dæmoniorum quãdo docetur, quòd sint cultus utiles ad promerendam remissionem peccatorum & gratiam. Tunc enim obscurant Euangelium, beneficium Christi, & iustitiam fidei. Euangelium docet nos fide propter Christum gratis accipere remissionem peccatorum & reconciliari Deo.

Traditiones humanæ quando sint doctrina dæmoniorum.

Aduersarij contrà alium Mediatorem constituunt, scilicet has traditiones, Propter has uolunt consequi remissionem peccatorum, per has uolunt placare iram Dei. At Christus apertè dicit: Frustra colũt me mandatis hominum. Suprà copiosè disputauimus homines iustificari fide, cum credunt se habere Deum placatum, non propter nostra opera, sed gratis propter Christum. Hanc certum est Euangelij doctrinam esse, quia Paulus clarè dicit ad Ephes. 2. Gratis saluati estis per fidem, & hoc non ex uobis, Dei donum est, non ex hominibus. Nunc isti dicunt promereri homines remissionem peccatorum per has obseruationes humanas, Quid est hoc aliud quãm præter Christum, alium iustificatorem, alium mediatorem constituere? Paulus inquit ad Galatas, Euacuati estis

Commenta aduersariorum de traditionibus.

ti estis ā Christo, qui lege iustificamini, id est, Si sentitis uos mereri obseruatione legis, ut iusti coram Deo reputemini, nihil proderit uobis Christus, quia quorsum opus est Christo istis, qui sentiunt se iustos esse, sua obseruatione Legis? Deus proposuit Christum, quōd propter hunc mediatorem, non propter nostras iusticias uelit nobis esse propicius. At isti sentiunt Deum esse placatum, propicium, propter traditiones & non propter Christum. Adimunt igitur Christo honorem mediatoris. Nec interest inter nostras traditiones, et Mosaicas ceremonias, quòd ad hanc rem attinet. Paulus ideo damnat Mosaicas ceremonias, sicut traditiones damnat, quia existimabantur esse opera quæ mererentur iusticiam coram Deo. Ita obscurabatur officium Christi & iusticia fidei. Quare remota lege, remotis traditionibus, contendit, quōd non propter ista opera, sed propter Christū sit gratis promissa remissio peccatorum, modō ut fide accipiamus eam. Nam promissio non accipitur nisi fide. Cum igitur fide accipiamus remissionem peccatorum, cum fide habeamus propicium Deum, propter Christum, error & impietas est cōstituere, quòd per has obseruationes mereamur remissionem peccatorum. Si quis hic dicat non mereri nos remissionem peccatorum, sed iam iustificatos, per has traditiones mereri gratiam. Hic iterum reclamat Paulus, Christum peccati ministrum fore, si post iustificationem sentiendum sit, quōd deinde non propter Christum iusti reputemur, sed primum mereri debeamus per alias obseruationes, ut iusti reputemur. Item, hominis testamento nihil addi debet. Ergo nec Dei Testamento, qui promittit quòd propter Christum propicius nobis esse uelit, addi debet, quòd primum per has obseruationes debeamus mereri, ut accepti & iusti reputemur.

Patrum traditiones cur institutæ sint.

Quanquam, quid opus est longa disputatione. Nulla traditio à sanctis Patribus hoc consilio instituta est, ut mereatur remissionem peccatorum aut iusticiam, sed sunt institutæ propter bonum ordinem in Ecclesia, & propter tranquillitatem. Et ut uelit aliquis instituere certa opera ad promerendam remissionem peccatorum aut iusticiam, quomodo sciet illa opera Deo placere, cum non habeat testimonium uerbi Dei, quomodo de uoluntate Dei certos reddet homines, sine mandato & uerbo Dei? Nonne ubiq; in Prophetis prohibet instituere peculiares cultus, sine suo mandato? Ezechielis 20. scriptum est: In præceptis Patrum uestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis, nec in Idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus uester, In præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, & facite ea. Si licet hominibus instituere cultus, & per hos cultus merentur gratiam, iam omnium gentium cultus erunt approbandi, cultus instituti ā Ieroboam & alijs extra legem erunt approbandi. Quid enim interest, si nobis licuit instituere cultus utiles ad promerendam gratiam aut iusticiam, cur non licuit idem gentibus & Israëlitis? Ideo gentium & Israëlitarum cultus improbati sunt, quòd sentiebant sese per illos mereri remissionem peccatorum & iusticiam, & iusticiam fidei non norant. Postremō, unde reddimur certi, quòd cultus ab hominibus instituti sine mandato Dei iustificent, Siquidem de uoluntate Dei nihil affirmari potest sine uerbo Dei: Quid si hos cultus non approbat Deus? Quomodo igitur affirmant aduersarij quòd iustificent, cum id sine uerbo ac testimonio Dei non possit affirmari. Et Paulus dicat, Omne quod non est ex fide, peccatum esse. Cum autem hi cultus nullum habeant testimonium uerbi Dei, dubitare conscientiam necesse est, utrum placeant Deo.

Et quid

Et quid in re manifesta uerbis opus est? Si hos humanos cultus defendunt aduersarij nostri, tanquam promerentes iustificationem, gratiam, remissionem peccatorum, simpliciter constituunt regnum Antichristi. Nam regnum Antichristi, est nouus cultus Dei, excogitatus humana autoritate, reijciēs Christum, sicut regnum Mahometi habet cultus, habet opera, per quæ uult iustificari coram Deo, nec sentit homines coram Deo gratis iustificari fide propter Christum. Ita & Papatus erit pars regni Antichristi, si sic defendit humanos cultus, quòd iustificent. Detrahitur enim honos Christo, cum docent, quòd non propter Christum gratis iustificemur per fidem, Sed per tales cultus, maximeq; cum docent, tales cultus, non solum utiles esse ad iustificationem, sed necessarios etiam, sicut suprà in articulo octauo sentiunt, ubi damnant nos, quòd diximus, quòd non sit necessarium ad ueram unitatem Ecclesiæ, ubiq; similes esse ritus ab hominibus institutos. Daniel Capite undecimo, significat nouos cultus humanos, ipsam formam & πολίτειαν regni Antichristi fore. Sic enim inquit, Deum Maosim in loco suo colet, & Deum quem non nouerunt Patres eius, colet auro & argento, & lapidibus pretiosis, Hic describit nouos cultus, quia inquit talem Deum coli, qualem Patres ignorauerint. Nam S. Patres, Etsi habuerunt & ipsi ritus & traditiones, tamen non sentiebant has res utiles aut necessarias esse ad iustificationem, nō obscurabant gloriam & officiū Christi, sed docebant nos iustificari fide propter Christum, non propter illos humanos cultus. Cæterum ritus humanos obseruabant propter utilitatē corporalem, ut sciret populus quo tempore conueniendum esset, ut ordine & grauiter in templis exempli causa fierent omnia, deniq; ut uulgus etiam haberet quandam pœdagogiam. Nam discrimina temporum et uarietas rituum ualet ad admonendum uulgus. Has causas habebant Patres rituum seruandorum, ut apertè testatur Epiphanius in disputatione contra Encraticos, quòd genus simile fuit Monachorum nostrorum. Fuerunt enim sodalicia, quæ sibi certas traditiones imponebant, abstinebant à uino etiam in ipsa Cœna Domini, Nullis carnibus uescebantur, ne piscīu quidem, qua in re fratres Dominici longè superabant. A coniugio uerò uel maximè abhorrebant, etsi à consuetudine mulierum non abhorrebant. Id enim obijcit eis Epiphanius, habebant enim mulierc ularum greges idem uitæ genus sequentes, sicut hoc tempore ferè ubiq; habent Monachi uicina mulierum Monasteria, Et has obseruationes fingebant esse cultum Dei, & iusticiam propter quam Deo accepti essent, qua placarent iram Dei. Hanc opinionem improbat Epiphanius, & alios fines esse traditionum ostendit, dicit probandas esse traditiones, factas διὰ τὴν ἐγκράτειαν, ἢ διὰ τὴν πολίτειαν, hoc est, aut ad cohercendam carnem, propter disciplinam rudium, aut propter politicum ordinem. Et nos propter has causas rectè seruari posse traditiones iudicamus. Vt populus sobrius intersit sacris, sicut Iosaphat, & Rex Niniue ieiunia indixerūt. Item ut ordo & politia Ecclesiæ doceat imperitos, quid quo tempore gestum sit. Hinc sunt feriæ Natalis, Paschatis, Pentecostes, & similes. Hoc est quòd Epiphanius ait politiæ causa institutas esse traditiones, uidelicet ordinis causa, & ut ordo ille admoneat homines de historia, & de beneficijs Christi, Et enim multò efficacius admonent uulgus notæ rerum quasi pictæ in moribus ac ritibus, quàm literæ. Hos fines proderat ostendi populo, & illustrari, Sed his finibus affingunt aduersarij alium quadam Pharisaica persuasione, quòd uidelicet tales obseruationes mereantur remissionem peccatorum, quòd sint cultus ne-

Encratici similes Monachis.

Fines traditionum humanarum secundum Epiphanium.

tus neceſſarij ad iuſtificationem, quòd propter eos reputentur homines iuſti coram Deo. Hoc planè eſt, Deum colere auro, argento,& rebus precioſis,ſentire quòd Deus fiat placatus uarietate ueſtitus,ornamentorum, & ſimilibus rebus,quales ſunt infinitæ in traditionibus humanis, aut quòd eiuſmodi res, ſint cultus Dei,temporum,ciborum,uaſorum, ueſtitus diſcrimina.

Traditiones humanæ quomodo habeant ſpeciem ſapientiæ.

Paulus ad Coloſſenſes ſcribit,traditiones habere ſpeciem ſapientiæ. Et habent profectò, Nam ἐνταξία illa ualde decet in Eccleſia, eamq́ ob cauſam neceſſaria eſt, ſed humana ratio, quia non intelligit iuſticiam fidei naturaliter, affingit, quòd talia opera iuſtificent homines, quòd reconcilient Deum &c. Sic ſentiebat uulgus inter Iſraëlitas,& hac opinione augebant tales ceremonias, ſicut apud nos in Monaſterijs creuerunt. Sic iudicat humana ratio etiam de exercitijs corporis, de ieiunijs, quorum finis cum ſit cohercere carnem, ratio affingit finem,quòd ſint cultus, qui iuſtificent,ſicut Thomas ſcribit, Ieiunium ualere ad deletionem & prohibitionem culpæ. Hæc ſunt uerba Thomæ. Ita ſapientiæ ac iuſticiæ ſpecies in talibus operibus decipit homines. Et accedunt exempla Sanctorum,quos dum ſtudent imitari homines,imitantur plærunq́ externa exercitia,non imitantur fidem eorum.

Incommoda ex ſapientia humanarum traditionum.

Poſtquàm fefellit homines hæc ſpecies ſapientiæ, ac iuſticiæ, deinde ſequuntur infinita incommoda,obſcuratur Euangelium de iuſticia fidei in Chriſtum,& ſuccedit uana fiducia talium operum. Deinde obſcurantur præcepta Dei,hæc opera arrogant ſibi titulum perfectę & ſpiritualis uitæ, & longè præferuntur operibus præceptorum Dei, ut operibus ſuæ cuiuſq́ uocationis, adminiſtrationi reipublicæ, adminiſtrationi Oeconomiæ, uitæ coniugali, educationi liberorum.Hæc præillis ceremonijs iudicantur eſſe prophana, ita ut cum quadam dubitatione conſcientiæ à multis exerceantur. Conſtat enim multos deſerta adminiſtratione reipublicæ, deſerto coniugio, illas obſeruationes amplexos eſſe tanquam meliores & ſanctiores. Neq́ hoc ſatis eſt, ubi occupauit animos perſuaſio, quòd tales obſeruationes ad iuſtificationem neceſſariæ ſint, miſerè uexantur conſcientiæ, quia non poſſunt omnes obſeruationes exactè præſtare. Nam quotus quiſq́ numerare omnes potuit? Extant immenſi libri, imò Bibliothecæ totæ,nullam ſyllabam de Chriſto,de fide in Chriſtum, de bonis operibus ſuæ cuiuſq́ uocationis continentes, ſed tantum colligentes traditiones,& harum interpretationes, quibus interdum exacerbantur, interdum relaxantur. Quo modo torquetur uir optimus Gerſon,dum quærit gradus & latitudines præceptorum. Nec tamen poteſt conſtituere ἐπιείκειαν in gradu certo,interim grauiter deplorat pericula piarum conſcientiarum, quæ parit hæc acerba interpretatio traditionum.

Teſtimonia contra autoritatem traditionum humanarum.

Nos igitur contra illam ſpeciem ſapientiæ et iuſticiæ in humanis ritibus, quæ fallit homines muniamus nos uerbo Dei, & primum ſciamus eas neq́ remiſſionem peccatorum,neq́ iuſtificationem mereri coram Deo,neq́ ad iuſtificationem neceſſarias eſſe. Teſtimonia quædam ſuprà citauimus, Et plenus eſt Paulus, Ad Coloſſ.2.clarè dicit: Nemo uos iudicet in cibo, potu,aut ſtatuto feſto,aut nouilunio,aut ſabbatis,quę ſunt umbræ futurorum,corpus autem Chriſti. Atq́ hic ſimul & legem Moyſi, & traditiones humanas cõplectitur,ne aduerſarij eludant hæc teſtimonia, ut ſolent, quòd Paulus tantum de lege Moyſi loquatur. Ille uerò hic clarè teſtatur ſe loqui de traditionibus humanis. Quanq́ quid dicant aduerſarij non uident,ſi Euangelium negat ceremonias Moyſi, quę erant di-

rãt diuinitus inſtitutę, iuſtificare, quãtõ minus iuſtificant traditiones humanę?

Nec habent Epiſcopi poteſtatem inſtituendi cultus tanquam iuſtificantes, aut neceſſarios ad iuſtificationem. Imõ Apoſtoli Actor. 15. dicunt, Quid tentatis Deum, imponentes iugum &c? Vbi uelut magnum peccatum accuſat Petrus, hoc conſilium onerandæ Eccleſiæ. Et ad Galat. 5. uetat Paulus iterum ſeruituti ſubijci. Volunt igitur Apoſtoli in Eccleſia manere hanc libertatem, ne iudicentur ulli cultus legis aut traditionum neceſſarij eſſe, ſicut in lege fuerunt neceſſariæ ceremoniæ ad tempus, ne obſcuretur iuſticia fidei, ſi iudicent homines, cultus illos mereri iuſtificationem, aut ad iuſtificatiouem neceſſarios eſſe. Multi uarias ἐπιεικείας quærunt in traditionibus, ut conſcientijs medeantur, neq; ta men certos gradus reperiunt, per quos explicent conſcientias ex his uinculis. Verum ſicut Alexander ſoluit Gordium nodum, quem cum explicare non poſſet, gladio ſemel diſſecuit, ita Apoſtoli ſemel liberant conſcientias traditionibus, præſertim ſi tradantur ad promerendam iuſtificationem. Huic doctrinæ cogunt nos Apoſtoli aduerſari docendo, & exemplis, Cogunt nos docere, quòd traditiones non iuſtificent, quòd non ſint neceſſariæ ad iuſtificationem, quòd nemo debeat condere aut recipere traditiones hac opinione, quõd mereantur iuſtificationã. Tũc etiamſi quis obſeruat, obſeruet ſine ſuperſtitione tanq; politicos mores, ſicut ſine ſuperſtitione aliter ueſtiuntur milites, aliter Scholaſtici. Apoſtoli uiolant traditiones, & excuſantur ã Chriſto. Erat enim exemplum oſtendendum Phariſæis, quòd illi cultus eſſent inutiles. Et ſi quas traditiones parum cõmodas omittunt noſtri, ſatis nunc excuſati ſunt, cum requiruntur tanquam promereãtur iuſtificationem. Talis.n. opinio in traditionibus eſt impia.

Cæterum traditiones ueteres factas in Eccleſia utilitatis & tranquillitatis cauſa libenter ſeruamus, eaſq; interpretamur πρὸς τὸ ἐυφημότερον excluſa opinione quæ ſentit quòd iuſtificent. Ac falſõ nos accuſant inimici noſtri, quòd bonas ordinationes, quõd diſciplinam Eccleſiæ aboleamus. Verè enim prædicare poſſumus publicam formam Eccleſiarũ apud nos honeſtiorem eſſe, quàm apud aduerſarios. Et ſi quis rectè expendere uelit, Verius ſeruamus Canones, quàm aduerſarij. Apud aduerſarios Miſſas faciunt ſacrificuli inuiti, & mercede conducti, & plærunq; tantum mercedis cauſa, canunt Pſalmos, non ut diſcant, aut orent, Sed cultus cauſa, quaſi illud opus ſit cultus, aut certè mercedis cauſa. Apud nos utuntur Cæna Domini multi ſingulis dominicis, ſed prius inſtituti, explorati, & abſoluti, Pueri canunt Pſalmos ut diſcant, canit & populus, ut uel diſcat, uel oret. Apud aduerſarios nulla prorſus eſt κατήχησις puerorum, de qua quidem præcipiunt Canones. Apud nos coguntur paſtores & miniſtri Eccleſiarum publicè inſtituere & audire puericiam. Et hæc ceremonia optimos fructus parit. Apud aduerſarios in multis regionibus toto anno nullæ habentur conciones, præterquam in quadrageſima. Atqui præcipuus cultus Dei eſt, docere Euangelium. Et cum concionantur aduerſarij, dicunt de traditionibus humanis, de cultu ſanctorum & ſimilibus nugis, quas iure faſtidit populus. Itaq; deſerũtur ſtatim initio poſtq; recitatus eſt Euangelij textus. Pauci quidam meliores nunc de bonis operibus dicere incipiunt, De iuſticia fidei, de fide in Chriſtum, de conſolatione cõſcientiarum nihil dicunt, Imõ hanc ſaluberrimam Euangelij partem lacerant conuicijs. Econtra in noſtris Eccleſijs oẽs conciones in his locis conſumuntur, de pœnitentia, de timore Dei, de fide in Chriſtum, de iuſticia fidei, de conſolatione cõſcientiarum per fidem, de exercitijs fidei, de ora-

Diſcrimen rituum in noſtris Eccleſijs & apud aduerſarios.

tione qualis esse debebat, & quòd certò statuendum sit, quòd sit efficax, quòd exaudiatur, de cruce, de dignitate magistratuum & omnium ciuilium ordinationum, de discrimine regni Christi, seu regni spiritualis & politicarum rerum, de coniugio, de educatione & institutione puerorum, de castitate, de omnibus officijs caritatis. Ex hoc statu Ecclesiarum iudicari potest, nos disciplinam Ecclesiasticam, & pias ceremonias, & bonos mores Ecclesiasticos diligenter conseruare.

Ac de mortificatione carnis, & disciplina corporis ita docemus, sicut narrat Confessio, quòd uera & non simulata mortificatio fiat per crucem & afflictiones, quibus Deus exercet nos. In his obediendum est uoluntati Dei, sicut ait Paulus: Exhibete corpora uestra hostiam &c. Et hæc sunt spiritualia exercitia timoris & fidei. Verum præter hanc mortificationem quæ fit per crucem, est & uoluntarium quoddam exercitij genus necessarium, de quo Christus ait: Cauete ne corda uestra grauentur crapula. Et Paulus: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo &c. Et hæc exercitia suscipienda sunt, non quòd sint cultus iustificantes, sed ut coherceant carnem, ne saturitas obruat nos, & reddat securos & ocioſos, qua ex re fit, ut affectibus carnis indulgeant & obtemperent homines. Hæc diligentia debet esse perpetua, quia habet perpetuum mandatum Dei, Et illa præscripta forma certorum ciborum, ac temporum, nihil facit ad cohercendam carnem. Est enim delicatior & sumptuosior quàm reliqua conuiuia. Et ne aduersarij quidem obseruant formam in Canonibus traditam.

Multas & difficiles disputationes habet hic locus de traditionibus, ac nos re ipsa experti sumus, traditiones uerè esse laqueos conscientiarum. Cum exiguntur tanquam necessariæ, miris modis cruciant conscientias prætermittentes aliquam obseruationem. Rursus abrogatio sua habet incommoda, suas quæstiones. Sed nos facilem & planam causam habemus, quia aduersarij damnant nos, quòd docemus traditiones humanas non mereri remissionem peccatorum. Item requirunt uniuersales traditiones, quas sic uocant, tanquam necessarias ad iustificationem. Hic habemus Patronum constantem Paulum, qui ubiq; contendit has obseruationes neq; iustificare, neq; necessarias esse supra iusticiam fidei. Et tamen usum libertatis in his rebus, ita moderandum esse docemus, ne imperiti offendantur, & propter abusum libertatis fiant iniquiores ueræ doctrinæ Euangelij, neue sine probabili causa mutetur aliquid in usitatis ritibus, sed ut propter alendam concordiam seruentur ueteres mores, qui sine peccato, aut sine magno incommodo, seruari possunt. Et in hoc ipso conuentu satis ostendimus, nos propter caritatem ἀδιάφορα non grauatim obseruaturos esse cum alijs, etiamsi quid incommodi haberent, sed publicam concordiam, quæ quidem sine offensione conscientiarum fieri posset, iudicauimus omnibus alijs commodis anteferendam esse. Sed de hac tota re paulò pòst etiam dicemus, cum de uotis, & de potestate Ecclesiastica disputabimus.

Quid de traditionibus ex Paulo sentiendum sit.

Articulum XVI. recipiunt aduersarij sine ulla exceptione, in quo confessi sumus, quòd liceat Christiano gerere magistratus, exercere iudicia ex Imperatoris legibus, seu alijs præsentibus legibus, supplicia iure constituere, iure bella gerere, militare, iure contrahere, tenere proprium, iusiurandum postulantibus Magistratibus dare, contrahere matrimonium, Denicq; quòd legitimæ ordinationes ciuiles, sint bonæ creaturæ Dei, & ordinationes diuinæ, quibus tu-

bus tutò Christianus uti potest. Hic totus locus de discrimine regni Christi, & regni ciuilis, literis nostrorum utiliter illustratus est, quòd regnum Christi sit spirituale, hoc est, in corde noticiam Dei, timorem Dei, & fidem, iusticiam ęternam, & uitam æternam inchoans. Interim foris sinat nos uti politicis ordinationibus legitimis, quarumcunq; gentium inter quas uiuimus, sicut sinit nos uti medicina, aut Architectonica, aut cibo, potu, aëre. Nec fert Euangelium nouas leges de statu ciuili, sed præcipit, ut præsentibus legibus obtemperemus, siue ab ethnicis, siue ab alijs conditæ sint, & hac obedientia caritatem iubet exercere. Insaniebat enim Carolostadius, qui nobis imponebat leges iudiciales Moysi. De his rebus ideo copiosius scripserunt nostri, quia Monachi multas pernicioſas opiniones sparserunt in Ecclesiam. Vocauerunt politiam Euangelicam, communionem rerum, dixerunt esse consilia, non tenere proprium, non ulcisci. Hæ opiniones ualdè obscurant Euangelium & regnum spirituale, & sunt periculosæ rebus publicis. Nam Euangelium non dissipat politiam aut Oeconomiam, sed multò magis approbat, et non solum propter pœnam, sed etiam propter conscientiam iubet illis parere, tanquam diuinæ ordinationi.

Discrimen regni Christi & regni politici.

Euangelium non abolet politias.

Iulianus Apostata, Celsus & plærique alij, obiecerunt Christianis, quòd Euangelium dissiparet res publicas, quia prohiberet uindictam, & alia quædam traderet parum apta ciuili societati. Et hæ quæstiones mirè exercuerunt Origenem, Nazianzenum & alios, Cum quidem facilimè explicari possint, si sciamus Euangelium non ferre leges de statu Ciuili, sed esse remissionem peccatorum, & inchoationem uitæ æternæ in cordibus credentium. Cæterum non solum externas politias approbare, sed nos etiam subijcere illis, sicut necessariò subditi sumus legibus temporum, uicibus hyemis & æstatis tanquam diuinis ordinationibus. Euangelium prohibet uindictam priuatam, Idq; hoc consilio Christus toties inculcat, ne Apostoli putarent se Imperia debere istis eripere, qui alioqui tenebant, sicut Iudæi de regno Messiæ somniabant, Sed ut scirent se de regno spitituali docere oportere, non mutare ciuilem statum. Ita q; priuata uindicta, non consilio, sed præcepto prohibetur. Matth. quinto, & Rom. 12. Publica quæ fit ex officio magistratus, non dissuadetur, sed præcipitur, & est opus Dei, iuxta Paulum Rom. 13. Iam publicæ uindictæ species sunt, iudicia, supplicia, bella, militia. De his rebus quàm malè iudicauerint multi scriptores, constat, quia in hoc errore fuerunt, Euangelium externam quandam nouam & Monasticam politiam esse, nec uiderunt Euangelium cordibus afferre iusticiam æternam, foris autem probare statum ciuilem.

Vanissimum est & hoc, quòd sit perfectio Christiana, non tenere proprium. Nam perfectio Christiana est sita, non in contemtu ciuiliū ordinationum, sed in motibus cordis, in magno timore Dei, in magna fide, sicut Abraham, Dauid, Daniel, etiam in magnis opibus atq; imperijs non minus perfecti erant, quàm ulli Eremitę. Sed Monachi illam externam hypocrisin offuderunt oculis hominum, ne uideri posset in quibus rebus sit uera perfectio. Quibus laudibus uexerunt communionem rerum, quasi Euangelicam? At hæ laudes plurimum habent periculi, præsertim cum longè dissentiant à scripturis. Scriptura enim non præcipit, ut res sint communes, sed Lex decalogi, cum inquit, Non furtum facies, dominia distinguit, & suum quenq; tenere iubet. Planè furebat Vuiglefus, qui negabat licere sacerdotibus tenere proprium. Sunt infinitæ disputationes de contractibus, de quibus nunq; satisfieri bonis conscientijs

Opinio quòd perfectio sit non tenere proprium uanissima est.

potest,

potest,nisi sciant hanc regulam, quòd Christiano liceat uti ciuilibus ordinationibus ac legibus. Hæc regula tuetur conscientias, cum docet eatenus licitos esse contractus coram Deo,quatenus eos magistratus seu leges approbant.

Hic totus locus rerum politicarum à nostris ita patefactus est, ut plurimi boni uiri,qui uersantur in republica, & in negocijs,prædicauerint se magnopere adiutos esse,qui antea Monachorum opinionibus uexati dubitabant,utrum illa ciuilia officia et negocia Euangelium permitteret. Hæc ideò recitauimus, ut etiam exteri intelligant,hoc doctrinę genere,q̃ nos sequimur,non labefactari,sed multò magis muniri autoritatem magistratuum, & dignitatem omnium ordinationum ciuilium,quarũ rerum magnitudo fatuis illis opinionib. monasticis, mirificè antea fuit obscurata, quæ longè præferebant politiæ & Oeconomiæ,ridiculam & uanissimam hypocrisin paupertatis & humilitatis,Cum quidem politia & Oeconomia habeant mandata Dei. Illa Platonica communio non habeat mandatum Dei.

Articulum XVII. recipiunt aduersarij sine exceptione, in quo confitemur Christum in consummatione mundi appariturum esse, ac mortuos omnes resuscitaturum, & pijs æternam uitam & æterna gaudia daturum, Impios uerò condemnaturum esse, ut cum diabolo sine fine crucientur.

Articulum XVIII.recipiunt aduersarij de libero arbitrio. Etsi quædam addunt testimonia parum apta ad eam causam. Addunt & declamationem, quòd non sit nimium tribuendum libero arbitrio,cum Pelagianis,neq; omnem ei libertatem adimendam esse,cum Manichæis.Præclarè sanè,sed quid interest inter Pelagianos & aduersarios nostros? cum utriq; sentiant homines sine spiritu sancto posse Deum diligere, & præcepta Dei facere, quò ad substantiam actuum,mereri gratiam ac iustificationem operibus,quæ ratio per se efficit sine spiritu sancto. Quàm multa absurda sequuntur ex his Pelagianis opinionibus, quæ in scholis magna autoritate docentur. Has Augustinus, sequens Paulum, magna contentione refutat. Cuius sententiam suprà in articulo de iustificatione recitauimus.Neq; uerò adimimus humanæ uoluntati libertatem.Habet humana uoluntas libertatem in operibus et rebus deligendis,quas ratio per se cõprehendit. Potest aliquo modo efficere iusticiam ciuilem,seu iusticiam operum,potest loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, obedire magistratibus, parentibusin, opere externo eligẽdo, potest continere manus à cæde,ab adulterio, furto. Cum reliqua sit in natura hominis ratio & iudicium de rebus sensui subiectis reliquus est etiam delectus earum rerum, & libertas & facultas efficiendæ iusticiæ ciuilis. Id enim uocat scriptura iusticiam carnis, quam natura carnalis, hoc est, ratio per se efficit sine Spiritu sancto. Quanquam tanta est uis concupiscentiæ, ut malis affectibus sæpius obtemperent homines,quàm recto iudicio. Et diabolus qui est efficax in impijs, ut ait Paulus,non desinit incitare hanc imbecillem naturam ad uaria delicta. Hæ causæ sunt, quare & ciuilis iusticia rara sit inter homines, sicut uidemus, ne ipsos quidem Philosophos eam consecutos esse, qui uidentur eam expetiuisse. Illud autem falsum est,non peccare hominem qui facit opera præceptorum extra gratiam. Et addunt amplius, talibus operibus necessariò deberi remissionem peccatorum ad iustificationem. Nam humana corda sine Spiritu sancto, sunt sine timore Dei,sine fiducia erga Deum,non credunt se exaudiri, sibi ignoici,se

Aduersarij nihil differunt à Pelagianis in doctrina de libero arbitrio.

sci,se iuuari & seruari à Deo. Igitur sunt impia. Porrò arbor mala non potest ferre bonos fructus. Et sine fide impossibile est Deo placere.

Igitur etiamsi concedimus libero arbitrio libertatem & facultatem externa opera Legis efficiendi, tamen illa spiritualia non tribuimus libero arbitrio, scilicet uerè timere Deum, uerè credere Deo, uerè statuere ac sentire quòd Deus nos respiciat,exaudiat,ignoscat nobis &c. Hæc sunt uera opera primæ Tabulæ, quæ non potest humanum cor efficere, sine Spiritu sancto, sicut ait Paulus: Animalis homo,hoc est, homo tantum naturalibus uiribus utens, non percipit ea quæ Dei sunt. Et hoc iudicari potest,si considerent homines, quomodo corda de uoluntate Dei sentiant, Vtrum uerè statuant se respici & exaudiri à Deo. Hanc fidem difficile est & sanctis retinere, tantum abest ut sit in impijs. Concipitur autem,ut suprà diximus, cum corda perterrefacta Euangelium audiunt, & consolationem concipiunt.

Cor sine Spiritu sancto nõ efficit opera spiritualia.

Prodest igitur iusta distributio,in qua tribuitur libero arbitrio iusticia ciuilis,& iusticia spiritualis gubernationi Spiritus sancti in renatis. Ita enim retinetur pædagogia, quia omnes homines pariter debent scire, & quòd Deus illam ciuilem iusticiam requirat,& quòd aliquo modo præstare eam possimus. & tamen ostenditur discrimen inter iusticiam humanam & spiritualem, inter Philosophicam, & doctrinam Spiritus sancti, & intelligi potest ad quid opus sit Spiritu sancto. Neq; hæc distributio à nobis inuenta est, sed scriptura clarissimè tradit eam. Tractat eam & Augustinus, & est recens egregiè tractata à Guilielmo Parisiensi, sed scelestè obruta est ab istis,qui somniauerunt homines Legi Dei obedire posse sine Spiritu sancto, dari autem Spiritum sanctum, ut accedat respectus meritorij.

Iusticia ciuilis et iusticia spiritualis differunt causis.

Articulum XIX. recipiunt aduersarij, in quo confitemur, quòd etsi unus ac solus Deus condiderit uniuersam naturam, & conseruet omnia quæ existunt, tamen causa peccati sit uoluntas in Diabolo & hominibus auertens se à Deo,iuxta dictum Christi,de diabolo: Cum loquitur mendacium, ex propris loquitur.

Causæ peccati.

In Articulo XX. disertè ponunt hæc uerba,quòd reijciant & improbent hoc quod dicimus,quòd non mereantur homines remissionem peccatorum bonis operibus. Hunc articulum clarè prædicant se reijcere & improbare. Quid in re tam manifesta dicendum est? Hic apertè ostendunt architecti confutationis, quo spiritu agantur. Quid est enim certius in Ecclesia quàm quòd remissio peccatorum contingat gratis propter Christum, quòd Christus sit propiciatio pro peccatis,non nostra opera? sicut Petrus inquit:Huic omnes Prophetæ perhibent testimonium, in nomine ipsius accipere remissionem peccatorum omnes qui credunt in eum. Huic Ecclesiæ Prophetarum assentiamur potius quàm istis perditis Scriptoribus Confutationis, qui tam impudenter blasphemant Christum. Nam etiamsi qui fuerint scriptores, qui senserunt post remissionem peccatorum homines iustos esse coràm Deo,non fide,sed ipsis operibus, tamen hoc non senserunt, quòd ipsa remissio peccatorum contingat propter opera nostra, non gratis propter Christum. Non ferenda est igitur blasphemia, tribuere honorem Christi nostris operibus. Nihil pudet iam istos theologos,si talem sententiam in Ecclesia audent ferre,neq; dubitamus quin optimus Imperator, ac plæriq; Principum, hunc locum nullo modo fuerint in Confutatione relicturi,si essent admoniti. Infinita hoc loco testimonia ex Scriptura, ex Patribus,

Non mereri homines remissionẽ peccatorum propris operibus.

tribus, citare possemus. Verum & suprà satis multa de hac re diximus, Et nihil opus est pluribus testimonijs, illi, qui scit quare Christus nobis donatus sit, qui scit Christum esse propiciationem pro peccatis nostris. Esaias inquit: Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Aduersarij contra docent, Deum ponere iniquitates nostras, non in Christo, sed in nostris operibus. Neq; hic dicere libet qualia opera doceant. Videmus horribile decretum contra nos compositum esse, quod magis terreret nos, si de ambiguis, aut leuibus rebus contenderemus. Nunc cum conscientiæ nostræ intelligant damnari ab aduersarijs manifestam ueritatem, cuius propugnatio Ecclesiæ necessaria est, & amplificat gloriam Christi, facilè terrores mundi contemnimus, & ingenti animo, si quid erit patiendum, propter gloriam Christi, propter utilitatem Ecclesiæ feremus. Quis non gaudeat mori in confessione horum articulorum, quòd remissionem peccatorum fide consequamur gratis propter Christum, quòd operibus nostris non mereamur remissionem peccatorum? Nullam habebunt satis firmam consolationem conscientiæ piorum aduersus terrores peccati & mortis, & aduersus Diabolum sollicitantem ad desperationem, si non sciant se debere statuere, quòd gratis propter Christum habeant remissionem peccatorum. Hæc fides sustentat, & uiuificat corda in illo asperrimo certamine desperationis. Digna igitur causa est, propter quam nullum recusemus periculum. Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito, quisquis assentiris confessioni nostræ, cum aduersarij terroribus, cruciatibus, supplicijs, conantur excutere tibi tantam consolationem, quæ uniuersæ Ecclesiæ in hoc nostro articulo proposita est. Non deerunt quærenti testimonia Scripturæ, quæ confirmabunt animum. Nam Paulus tota uoce (ut dicitur) clamitat Rom. 3. & 4. gratis remitti peccata propter Christum. Ideo inquit ex fide iustificamur, & gratis, ut firma sit promissio. Id est, Si ex nostris operibus penderet promissio, non esset firma. Si propter nostra opera daretur remissio peccatorum, quando sciremus eam nos consecutos esse, quando reperiret opus conscientia territa, quod statueret ad placandam iram Dei sufficere? Sed supra de tota re diximus, Inde lector sumat testimonia. Nam hanc, non disputationem, sed querelam indignitas rei nobis expressit, quòd hoc loco disertè posuerunt, se improbare hunc nostrum articulum, quòd remissionem peccatorum consequamur, nõ propter opera nostra, sed fide & gratis propter Christum. Aduersarij etiam addunt testimonia suæ condemnationi, Et operæ precium est unum atq; alterum recitare. Allegant ex Petro, Studete firmam facere uocationem uestram &c. Iam uides lector, aduersarios nostros non perdidisse operam in discenda Dialectica, sed habere artificium ratiocinandi ex scripturis prorsus quidquid libet. Facite firmam uocationem uestram, per bona opera. Igitur opera merẽtur remissionem peccatorum. Sanè concinna erit argumentatio, Si quis sic ratiocinetur de reo capitalis pœnæ, cui pœna remissa est. Magistratus præcipit, ut in posterum abstineas ab alieno. Igitur per hoc meritus es condonationem pœnæ, quòd nunc ab alieno abstines, Sic argumentari est ex non causa, causam facere. Nam Petrus loquitur de operibus sequentibus remissionem peccatorum, & docet quare sint facienda, scilicet, ut sit firma uocatio, hoc est, ne uocatione sua excidant, si iterum peccent. Facite bona opera, ut perseueretis in uocatione, ne amittatis dona uocationis, quæ prius contigerunt, non propter sequentia opera, sed iam retinentur fide, Et fides non manet in his qui amittunt Spiritum sanctum, qui abijciunt pœnitentiam,

De dicto Petri, Studete firmam facere uocationem.

tiam,ſicut ſuprã diximus, fidem exiſtere in pœnitentia. Addunt alia teſtimonia non melius cohærentia. Poſtremõ dicunt hanc opinionem ante mille annos Auguſtini tempore damnatam eſſe. Id quoq; falſiſſimum eſt. Semper enim Eccleſia Chriſti ſenſit remiſſionem peccatorum gratis contingere. Imõ Pelagiani damnati ſunt,qui gratiam propter opera noſtra dari contendebant. Cæterum ſuprã ſatis oſtendimus, quõd ſentiamus bona opera neceſſariõ ſequi debere fidem. Non enim abolemus Legem, inquit Paulus,ſed ſtabilimus,quia cum fide accipimus Spiritum ſanctum, neceſſariõ ſequitur Legis impletio,quæ ſubinde creſcit,dilectio, patientia, caſtitas & alij fructus ſpiritus.

Mendacium aduerſariorum.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

ARticulum XXI. ſimpliciter damnant, quõd inuocationem Sanctorum non requirimus. Nec ullo in loco prolixius rhetoricantur. Neq; tamen aliud quicquam efficiunt, quam ſanctos honorandos eſſe, Item ſanctos qui uiuũt orare pro alijs, quaſi uerõ propterea neceſſaria ſit inuocatio mortuorum ſanctorum. Allegant Cyprianum,quõd uiuum Cornelium rogauerit,ut diſcedens pro fratribus oret. Hoc exemplo probant mortuorum inuocationem. Citant & Hieronymum contra Vigilantium,In hac arena,inquiunt,ante mille et centum annos uicit Hieronymus Vigilantium. Sic triumphant aduerſarij, quaſi iam ſit debellatum. Nec uident iſti aſini apud Hieronymum contra Vigilantium,nullam extare ſyllabam de inuocatione. Loquitur de honoribus ſanctorum, non de inuocatione. Neq; reliqui ueteres Scriptores ante Gregorium, fecerunt mentionem inuocationis. Certè hæc inuocatio cum his opinionibus, quas nunc docent aduerſarij de applicatione meritorum,non habet teſtimonia ueterum Scriptorum.

Inuocationis ſanctorum non fit mentio ante Gregorium.

Confeſſio noſtra probat honores Sanctorum,Nam hic triplex honos probandus eſt. Primus eſt gratiarum actio. Debemus enim Deo gratias agere, quõd oſtenderit exempla miſericordiæ, quõd ſignificauerit ſe uelle ſaluare homines,quõd dederit Doctores,aut alia dona Eccleſiæ, Et hæc dona,ut ſunt maxima,amplificanda ſunt,& laudandi ipſi Sancti, qui his donis fideliter uſi ſunt, ſicut Chriſtus laudat fideles negociatores. Secundus cultus eſt confirmatio fidei noſtræ, cum uidemus Petro condonari negationem, erigimur & nos, ut magis credamus, quõd uerè gratia exuberet ſupra peccatum. Tertius honos eſt imitatio, primum fidei, deinde cæterarum uirtutum, quas imitari pro ſua quiſq; uocatione debet. Hos ueros honores non requirunt aduerſarij. Tantum de inuocatione, quæ etiamſi nihil haberet periculi, tamen non eſt neceſſaria, rixantur.

Triplex honos ſanctorum.

Præterea & hoc largimur, quõd Angeli orent pro nobis. Extant enim teſtimonia Zachariæ 1. ubi Angelus orat: Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis Ieruſalem &c. De Sanctis etſi concedimus, quõd ſicut uiui orant pro Eccleſia uniuerſa in genere, ita in cœlis orent pro Eccleſia in genere,tametſi teſtimonium nullum de mortuis orantibus extat in ſcripturis,prẽter illud ſomnium ſumtum ex libro Maccabæorum poſteriore.

Angeli orant pro Eccleſia.

Porrõ ut maximè pro Eccleſia orent Sancti,tamen non ſequitur quõd ſint inuocandi. Quanquam Confeſſio noſtra hoc tantum affirmat, quõd ſcriptu-

Sanctos non esse inuocandos.

ra non doceat sanctorum inuocationem, seu petere à sanctis auxilium. Cum autem neq; præceptum, neq; promissio, neq; exemplum ex scripturis de inuocandis sanctis afferri possit, Sequitur conscientiam nihil posse certi de illa inuocatione habere. Et cum oratio debeat ex fide fieri, quomodo scimus, quòd Deus approbet illam inuocationem? Vnde scimus sine testimonio scripturæ, quòd sancti intelligant singulorum preces? Quidam planè tribuunt diuinitatem sanctis, uidelicet quòd tacitas cogitationes mentium in nobis cernant. Disputant de matutina & uespertina cognitione, fortassis, quia dubitant, utrum mane aut uesperi audiant. Hæc comminiscuntur, non ut sanctos honore afficiant, sed ut quæstuosos cultus defendant. Nihil afferri potest ab aduersarijs contra hanc rationem, quòd cum inuocatio non habeat testimonium ex uerbo Dei, non possit affirmari, quòd sancti intelligant inuocationem nostram, aut, ut maximè intelligant, quòd Deus eam approbet. Quare aduersarij non debebant nos ad rem incertam cogere, quia oratio sine fide non est oratio. Nam quòd allegant Ecclesiæ exemplum, constat nouum hunc in Ecclesia morem esse, Nam ueteres orationes etsi mentionem sanctorum faciunt, non tamen inuocant sanctos. Quanquam etiam illa noua inuocatio in Ecclesia, dissimilis est inuocationi singulorum.

Aduersarij in sanctos transferunt honorem Christi proprium.

Deinde aduersarij non solum inuocationem in cultu sanctorum requirunt, sed etiam applicant merita sanctorum pro alijs, & faciunt ex sanctis non solum deprecatores, sed etiam propiciatores, Id nullo modo ferẽdum est. Nam hic prorsus transfertur in sanctos proprius honor Christi. Faciunt enim eos mediatores, & propiciatores, & quanquam distinguunt de mediatoribus intercessionis & mediatoribus redemtionis, tamen planè faciunt ex sanctis mediatores redemtionis. Atq; etiam illud dicunt sine testimonio scripturę, quòd sint mediatores intercessionis, quòd, ut uerecundissimè dicatur, tamen obscurat officium Christi & fiduciam misericordiæ debitam Christo, transfert in sanctos. Fingunt enim homines, Christum duriorem esse, et sanctos placabiliores, & magis confidunt misericordiæ sanctorum, quàm misericordiæ Christi, & fugientes Christum, quærunt sanctos. Ita faciunt ex eis reipsa mediatores redemtionis.

In propiciatore duo cõcurrunt, promissio & donatio meritorum.

Itaq; ostendemus, quòd uerẽ faciant ex sanctis non tantum deprecatores sed propiciatores, hoc est, mediatores redemtionis. Nondum recitamus hic uulgi abusus. De doctorum opinionibus adhuc loquimur. Reliqua etiam imperiti iudicare possunt. In propiciatore hæc duo concurrunt. Primum, oportet extare uerbum Dei, ex quo certò sciamus, quòd Deus uelit misereri, & exaudire inuocantes per hunc propiciatorem. Talis extat de Christo promissio: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. De sanctis nulla extat talis promissio, qua conscientiæ non possunt certò statuere, quòd per sanctorum inuocationem exaudiamur. Itaq; inuocatio illa non fit ex fide. Deinde mandatum etiam habemus, ut inuocemus Christum, iuxta illud, Venite ad me qui laboratis &c. quòd certè nobis quoq; dictum est. Et Esaias ait cap. 9. In die illa stabit radix Iesse, in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. Et Psal. 43. Vultum tuum deprecabuntur oẽs diuites plebis. Et Psal. 71. Et adorabũt eum omnes reges terræ. Et paulò pòst, Orabunt coram eo iugiter. Et Ioh. 5. inquit Christus, Vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Et Paulus 1. Thess. 2. orans inquit, Ipse autem Dominus noster Iesus Christus &

Deus,

Deus, & Pater noſter, exhortetur corda ueſtra, & confirmet uos &c. At de ſanctorum inuocatione, quod poſſunt aduerſarij præceptum, quod exemplum ex ſcripturis afferre? Alterum eſt in propiciatore, quòd merita ipſius propoſita ſunt, ut quæ pro alijs ſatisfacerent, quæ alijs donentur imputatione diuina, ut propter ea, tanquam propriis meritis iuſti reputentur, ut ſi quis amicus pro amico ſoluit æs alienum, debitor alieno merito tanquam proprio liberatur. Ita Chriſti merita nobis donantur, ut iuſti reputemur fiducia meritorum Chriſti cum in eum credimus, tanquam propria merita haberemus.

Et ex utroq; , nempe ex promiſſione, & donatione meritorum, oritur fiducia miſericordiæ. Talis fiducia promiſſionis diuinæ, Item meritorum Chriſti debet afferri ad orandum. Verè enim ſtatuere debemus, et quòd propter Chriſtum exaudiamur, & quòd ipſius meritis habeamus placatum Patrem. Hic aduerſarij primum iubent inuocare ſanctos, cum neq; promiſſionem Dei, neq; mandatum, neq; exemplum ſcripturæ habeant. Et tamen faciunt, ut maior fiducia miſericordiæ ſanctorum concipiatur quàm Chriſti, cum Chriſtus ad ſe uenire iuſſerit, non ad ſanctos. Secundò applicant merita ſanctorum alijs, ſicut merita Chriſti. Iubent confidere meritis ſanctorum, quaſi reputemur iuſti propter merita ſanctorum, ſicut iuſti reputamur meritis Chriſti. Nihil hic fingimus, In indulgentijs dicunt ſe applicare merita ſanctorum. Et Gabriel interpres Canonis Miſſæ confidenter pronunciat, nos ordine inſtituto à Deo, debere ad auxilia ſanctorũ confugere, ut ſaluemur eorum meritis & uotis. Hæc ſunt uerba Gabrielis. Et tamen paſſim in libris & concionibus aduerſariorum leguntur abſurdiora. Quid eſt facere propiciatores, ſi hoc non eſt? Prorſus æquantur Chriſto ſi cõfidere debemus, quòd meritis eorum ſaluemur. Vbi aũt inſtitutus eſt ille ordo à Deo, quem dicit iſte, quòd debeamus ad auxilia ſanctorum confugere? proferat exemplum ex ſcripturis, aut præceptum, Fortaſſis ex aulis Regum ſumunt hunc ordinem, ubi amicis interceſſoribus utendum eſt. At ſi Rex conſtituerit certum interceſſorem, non uolet ad ſe cauſas per alios deferri. Ita cum Chriſtus ſit conſtitutus interceſſor & Pontifex, cur quærimus alios? Paſſim uſurpatur hæc forma abſolutionis: Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, merita beatiſſimæ uirginis Mariæ, & omnium ſanctorum, ſint tibi in remiſſionem peccatorum. Hic pronunciatur abſolutio, quòd non ſolum meritis Chriſti, ſed meritis aliorum ſanctorum reconciliemur & iuſti reputemur. Quidam è nobis uiderunt morientem doctorem Theologiæ, ad quem conſolandum adhibitus erat Monachus quiſpiam Theologus. Is morienti nihil inculcabat, niſi hanc precationem, Mater gratiæ, nos ab hoſte protege, in hora mortis ſuſcipe. Vt largiamur quòd beata Maria oret pro Eccleſia, Num ipſa ſuſcipit animas in morte, num uincit mortem, num uiuificat? Quid agit Chriſtus? ſi hęc facit beata Maria, quę etſi eſt digniſſima ampliſs: honoribus, tamen nõ uult ſe æquari Chriſto, ſed potius exempla ſua nos intueri & amplecti uult. At res loquitur ipſa, quòd publica perſuaſione beata uirgo prorſus in locum Chriſti ſucceſſerit. Hanc inuocauerunt homines, huius miſericordia confiſi ſunt, per hanc uoluerunt placare Chriſtum, quaſi is non eſſet propiciator, ſed tantum horrendus Iudex & ultor. Nos autem ſentimus, nos tantum fiducia meritorum Chriſti iuſtificari, non fiducia meritorum Beatæ Virginis aut aliorum ſanctorum. De alijs ſanctis dictum eſt: Vnuſquiſq; recipiet mercedem ſecundum ſuum laborem, id eſt, ipſi inter ſe donare ſua merita alij alijs non poſ-

Quæ propiciatoris ſunt, aduerſarij Sanctis tribuunt.

sunt, sicut Monachi uendunt suorum ordinum merita. Et Hilarius ait de fatuis uirginibus: Et quia prodire obuiam fatuæ extinctis lampadibus non possunt, deprecantur eas quę prudentes erant, ut oleum mutuent, quibus responderunt, non posse se dare, quia non sit fortè, quòd omnibus satis sit, alienis scilicet operibus ac meritis neminem adiuuandum, quia unicuiq; lampadi suæ emere oleum necesse sit. Cum igitur aduersarij doceant fiduciam collocare in inuocationem sanctorum, cum neq; uerbum Dei, neq; exemplum scripturæ habeant, cum applicent merita sanctorum pro alijs, non secus ac merita Christi, & proprium Christi honorem in sanctos transferant, neq; opiniones eorum de cultu sanctorum, neq; consuetudinem inuocationis recipere possumus. Scimus enim fiduciam in Christi intercessionem collocandam esse, quia hæc sola habet promissionem Dei. Scimus solius Christi merita propiciationem pro nobis esse. Propter Christi merita reputamur iusti, cum credimus in eum, sicut textus ait: Omnes qui confidunt in eum, non confundentur. Nec iustificamur fiducia meritorum Beatæ Virginis, aut aliorum sanctorum.

Error aduersariorũ, quòd singulis sanctis certæ procurationes sint commissæ.

Hæret & hic error apud doctos, quòd singulis sanctis certæ procurationes commissæ sint, ut Anna diuitias largiatur, Sebastianus arceat pestilentiam, Valentinus medeatur morbo comitiali, Georgius tueatur equites. Hæ persuasiones planè sunt ortæ ex ethnicis exemplis. Sic enim apud Romanos putabatur Iuno ditare, Febris arcere febrim, Castor & Pollux defendere equites &c. Et fingamus moderatissimè tradi inuocationem sanctorum, tamen cum exemplum sit periculosissimum, quorsum opus est eam defendere, cum nullum habeat mandatum aut testimonium ex uerbo Dei? Imò nec ueterum Scriptorum testimonium habet. Primum, quia, ut suprà dixi, cum alij mediatores præter Christum quæruntur, collocatur fiducia in alios, obruitur tota noticia Christi, Idq; res ostendit. Videtur initiò mentio sanctorum, qualis est in ueteribus orationibus, tolerabili consilio recepta esse. Postea secuta est inuocatio, inuocationem prodigiosi & plus quàm ethnici abusus secuti sunt. Ab inuocatione ad imagines uentum est, hæ quoq; colebantur, & putabatur eis inesse quædam uis, sicut magi uim inesse fingunt imaginibus signorum cœlestium certo tempore sculptis. Vidimus in quodam monasterio simulachrum beatæ Virginis, quòd quasi αὐτόματον aptè mouebatur, ut uideretur aut auersari petentes, aut annuere. Et tamen omnium statuarum atq; picturarum portenta superant fabulosæ historiæ de sanctis, quæ magna autoritate publicè tradebantur. Barbara petit inter tormenta præmium, ne quis inuocans ipsam, moriatur sine eucharistia. Alius totum Psalterium, stans pede in uno, quotidie recitauit. Christophorum pinxit aliquis uir prudens, ut significaret per allegoriam, magnum oportere robur animi esse in his, qui ferrent Christum, hoc est, qui docerent Euangelium, aut confiterentur, quia necesse sit subire maxima pericula. Deinde stolidi Monachi apud populum docuerunt inuocare Christophorum, quasi talis Polyphemus aliquando extitisset. Cumq; sancti maximas res gesserint, uel reipublicæ utiles, uel continentes priuata exempla, quorum commemoratio, tum ad fidem confirmandam, tum ad imitationem in rebus gerendis multum conduceret, has nemo ex ueris historijs cõquisiuit. At uerò prodest audire, quomodo sancti uiri administrauerint respublicas, quos casus, quæ pericula subierint, quomodo sancti uiri regibus auxilio fuerint in magnis periculis, quomodo docuerint Euangelium, quas habuerint cum hæreticis dimicationes.

Superstitiones & fabellæ natæ ex cultu sanctorum.

Prosunt

Prosunt & exempla misericordiæ, ut cum uidemus Petro condonatam esse negationem, cum uidemus Cypriano condonatum esse, quòd magus fuisset, cum uidemus Augustinum in morbo expertum uim fidei, constanter affirmare, quòd uerè Deus exaudiat preces credentium. Huiusmodi exempla, quæ uel fidem, uel timorem, uel administrationem reipublicæ continent, proderat recitari. Sed histriones quidam nulla neq; fide, neq; Rerumpublicarum regendarum scientia præditi, confinxerunt fabulas imitatione Poëmatum, in quibus tantum insunt superstitiosa exempla, de certis precibus, certis ieiunijs, & addita sunt quædam ad quæstum facientia. Cuiusmodi sunt miracula de Rosarijs, & similibus ceremonijs conficta. Neq; opus est hic recitare exempla. Extant enim Legendæ ut uocant, & specula exemplorum, & Rosaria, in quibus plærag; sunt non dissimilia ueris narrationibus Luciani. His prodigiosis & impijs fabulis applaudunt Episcopi, Theologi, Monachi, quia faciunt πρὸς τὰ ἀλφίτα, nos non ferunt, qui, ut Christi honos & officium magis conspici possit, non requirimus inuocationem Sanctorum, & abusus in cultu sanctorum taxamus. Cumq; omnes boni uiri ubiq; desiderent in his abusibus corrigendis uel Episcoporum autoritatem, uel diligentiam concionantium, tamen aduersarij nostri in Confutatione omnino dissimulant, etiam manifesta uicia, quasi recepta Confutatione, uelint nos cogere ut etiã notissimos abusus approbemus. Ita infidioscè scripta est Confutatio, non tantum in hoc loco, sed ferè ubiq;, Nullus est locus in quo à dogmatibus suis discernant manifestos abusus, Et tamen apud ipsos, si qui sunt saniores, fatentur, multas falsas persuasiones hærere in doctrinis Scholasticorum & Canonistarum, multos præterea abusus in tanta inscitia & negligentia pastorum irrepsisse in Ecclesiam. Neq; enim primus fuit Lutherus qui de publicis abusibus quereretur. Multi docti & præstantes uiri longè ante hæc tempora deplorauerunt abusus Missæ, fiduciam obseruationum Monasticarum, quæstuosos cultus sanctorum, confusionem doctrinæ de pœnitentia, quam uel maximè oportebat perspicuam & explicatam extare in Ecclesia. Ipsi audiuimus excellentes Theologos desiderare modum in Scholastica doctrina, quæ multò plus habet rixarum philosophicarum, quàm pietatis. Et tamen in his ueteres ferè propiores sunt scripturæ, quàm recentiores. Ita magis magisq; degenerauit istorum theologia. Nec alia causa fuit multis bonis uiris, qui initiò amare Lutherum cœperunt, quàm quòd uidebant eum explicare animos hominum, ex illis labyrinthis confusissimarum & infinitarum disputationum, quæ sunt apud Scholasticos, Theologos, & Canonistas, & res utiles ad pietatem docere. Quare non fecerunt candidè aduersarij, quòd cum uellent nos assentiri Confutationi, dissimulauerunt abusus. Ac si uellent Ecclesiæ consultum, maximè isto in loco, in hac occasione, debebant hortari optimum Imperatorem, ut de corrigendis abusibus consilium caperet, quem quidem non obscurè animaduertimus cupidissimum esse benè constituendæ, & sanandæ Ecclesiæ. Sed aduersarij non hoc agunt, ut honestissimam & sanctissimam uoluntatem Imperatoris adiuuent, Sed ut nos quoquo modo opprimant. De statu Ecclesiæ multa signa ostendunt eos parum sollicitos esse. Non dant operam, ut extet apud populum certa quædam summa dogmatum Ecclesiasticorum. Manifestos abusus noua & inusitata crudelitate defendunt. Nullos patiuntur in Ecclesijs idoneos doctores. Hæc quò spectent, boni uiri facilè iudicare possunt. Sed hac uia neq; suo regno, neq; Ecclesiæ suæ consulunt. Nam inter-

Multi ante Lutherum improbarunt errores in doctrina aduersariorum & abusus.

fectis bonis doctoribus,oppreſſa ſana doctrina, poſtea exiſtent fanatici ſpiritus,quos non poterunt reprimere aduerſarij, qui & Eccleſiam impijs dogmatibus perturbabunt, & totam Eccleſiaſticam politiam euertent, quã nos maximẽ cupimus conſeruare. Quare te optime Imperator Carole propter gloriam Chriſti, quam nihil dubitamus te cupere ornare atq; augere, oramus, ne uiolentis conſilijs aduerſariorum noſtrorum aſſentiaris, ſed ut quęras alias honeſtas uias concordiæ ita conſtituendæ,ne piæ conſcientiæ grauentur, neue ſæuitia aliqua in homines innocẽtes,ſicut hactenus fieri uidimus, exerceatur,neue ſana doctrina in Eccleſia opprimatur. Hoc officium Deo maximẽ omnium debes, ſanam doctrinam conſeruare & propagare ad poſteros, & defendere recta docentes. Id enim poſtulat Deus cum Reges ornat nomine ſuo & Deos appellat, inquiens, Ego dixi, Dij eſtis, ut res diuinas, hoc eſt, Euangelium Chriſti in terris conſeruari & propagari curent, &tanquam uicarij Dei uitam & ſalutem innocentum defendant.

Apoſtrophe ad Carolum Imperatorem.

DE VTRAQVE SPECIE
COENÆ DOMINI.

Quod ſit utraq; pars cœnæ Dominicæ inſtituta pro tota Eccleſia.

NOn poteſt dubitari,quin pium ſit, & conſentaneum inſtitutioni Chriſti,& uerbis Pauli, uti utraq; parte in Cœna Domini. Chriſtus enim inſtituit utranq; partem,& inſtituit non pro parte Eccleſiæ,ſed pro tota Eccleſia. Nam non Presbyteri ſolum, ſed tota Eccleſia, autoritate Chriſti, non autoritate humana utitur Sacramento. Idq; fateri aduerſarios exiſtimamus. Iam ſi Chriſtus inſtituit pro tota Eccleſia,cur altera ſpecies adimitur parti Eccleſiæ, Cur prohibetur uſus alterius ſpeciei? Cur mutatur ordinatio Chriſti? præſertim, cum ipſe uocet eam teſtamentum ſuum. Quod ſi hominis teſtamentum reſcindere non licet, multõ minus Chriſti teſtamentum reſcindere licebit. Et Paulus inquit ſe à Domino accepiſſe,quòd tradidit. Tradiderat aũt uſum utriuſq; ſpeciei,ſicut clarè oſtendit textus 1. Cor. 11. Hoc facite, inquit, primum de corpore, poſtea eadem uerba de poculo repetit.Et deinde: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane comedat,& ex poculo bibat. Hæc ſunt uerba diſponentis. Et quidem præfatur,ut qui ſunt uſuri Cœna Domini,ſimul utantur.Quare conſtat pro tota Eccleſia ſacramentum inſtitutum eſſe. Et manet mos adhuc in Eccleſijs Græcis,Et fuit quondam etiam in Latinis Eccleſijs,ſicut Cyprianus et Hieronymus teſtantur. Sic enim inquit Hieronymus in Sophoniam: Sacerdotes qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinem Domini populis eius diuidunt &c. Idem teſtatur Synodus Toletana.Nec difficilẽ fuerit magnum aceruum teſtimoniorum congerere. Hic nihil exaggeramus,tantum relinquimus prudenti lectori expendendum, quid ſentiendum ſit de diuina ordinatione.

Aduerſarij in Confutatione non hoc agunt, ut excuſent Eccleſiam, cui ademta eſt altera pars ſacramenti. Id decuit bonos & religioſos uiros. Erat quęrenda firma ratio excuſandæ Eccleſiæ, & docendarum conſcientiarum, quibus non poteſt contingere,niſi pars ſacramenti, Nunc ipſi defendunt rectẽ prohiberi alteram partem, & uetant concedere uſum utriuſq; partis. Primum fingunt initiò Eccleſiæ alicubi morem fuiſſe, ut una pars tantum porrigeretur. Neq; tamen exemplum huius rei uetus ullum afferre poſſunt. Sed allegant locos,in

cos,in quibus fit mentio panis,ut apud Lucam,ubi ſcriptum eſt, quōd diſcipuli agnouerint Chriſtum in fractione panis. Citant & alios locos de fractione panis. Quanquam autem non ualde repugnamus, quō minus aliqui de Sacramento accipiantur, tamen hoc non conſequitur unam partem tantum datam eſſe, quia partis appellatione reliquum ſignificatur communi conſuetudine ſermonis. Addunt de Laica communione, quæ non erat uſus alterius tantum ſpeciei,ſed utriuſq;. Et ſi quando Sacerdotes Laica communione uti iubentur, ſignificatur, quōd à miniſterio conſecrationis remoti fuerint. Neq; hoc ignorant aduerſarij, ſed abutuntur inſcitia imperitorum, qui cum audiunt Laicam communionem,ſtatim ſomniant morem noſtri temporis,quo datur Laicis tantum pars Sacramenti. Ac uidete impudentiam, Gabriel inter cæteras cauſas recitat, cur non detur utra pars, quia fuerit diſcrimen inter Laicos & Presbyteros faciendum. Et credibile eſt hanc præcipuam cauſam eſſe, cur defendatur prohibitio unius partis,ut dignitas ordinis religione quadam fiat commendatior. Hoc eſt conſilium humanum, ut nihil dicamus inciuilius, quōd quō ſpectet facilè iudicari poteſt. Et in Confutatione allegant de filijs Heli, quōd amiſſo ſummo Sacerdotio, petituri ſint unam partem ſacerdotalem. 1. Regum. 2. Hic dicunt uſum unius ſpeciei ſignificatum eſſe. Et addunt, Sic ergo & noſtri Laici una parte Sacerdotali,una ſpecie contenti eſſe debent. Planè ludunt aduerſarij, cum ad ſacramentum transferunt hiſtoriam de poſteris Heli. Ibi deſcribitur pœna Heli. Num hoc quoq; dicent, Laicos propter pœnam remoueri ab altera parte? Sacramentum inſtitutum eſt, ad conſolandas, & erigendas territas mentes, cum credunt carnem Chriſti, datam pro uita Mundi, cibum eſſe,cum credunt ſe coniunctos Chriſto,uiuificari. Verum aduerſarij argumentantur Laicos remoueri ab altera parte pœnæ cauſa. Debent,inquiunt,eſſe contenti, Satis pro imperio. Cur autem debent? Non eſt quærenda ratio, ſed Lex eſto,quidquid dicunt Theologi,Hæc eſt ἐωλοκρασία Ecciana. Agnoſcimus enim iſtas Thraſonicas uoces, quas ſi exagitare uellemus non defutura nobis eſſet oratio. Videtis enim quanta ſit impudentia, Imperat tanquam aliquis tyrannus in Tragœdijs, Quōd nolint,uelint, debent eſſe contenti. Num hæ rationes quas citat excuſabunt hos in iudicio Dei,qui prohibent partem Sacramenti,qui ſæuiunt in homines bonos, utentes integro Sacramento. Si hac ratione prohibent, ut ſit ordinis diſcrimen, hæc ipſa ratio mouere debeat, ne aſſentiamur aduerſarijs, uel ſi alioqui morem cum ipſis ſeruaturi eramus. Alia ſunt diſcrimina ordinis Sacerdotum & Populi, ſed non eſt obſcurum, quid habeant conſilij, cur hoc diſcrimen tantopere defendant. Nos ne de uera dignitate ordinis detrahere uideamur, de hoc callido conſilio plura non dicemus.

Cauſa apud Gabrielem, cur non detur Laicis utraq; pars.

Exemplum filiorum Heli falsò allegatum.

Allegant & periculum effuſionis, & ſimilia quædam ,quæ non habent tantam uim, ut ordinationem Chriſti mutent. Et fingamus ſanè liberum eſſe, uti una parte aut ambabus, quomodo poterit prohibitio defendi? Quanquam Eccleſia non ſumit ſibi hanc libertatem, ut ex ordinationibus Chriſti, faciat res indifferentes. Nos quidem Eccleſiam excuſamus, quæ hanc iniuriam pertulit, cum utraq; pars ei contingere non poſſet, ſed autores qui defendunt rectè prohiberi uſum integri ſacramenti,quiq; nunc non ſolum prohibent,ſed etiam utentes integro ſacramento excōmunicant,& ui perſequuntur,non excuſamus. Ipſi uiderint,quomodo Deo rationem ſuorum conſiliorum reddituri ſint. Neq; ſtatim iudicandum eſt Eccleſiam conſtituere aut probare, quidquid Pontifices

De periculo effuſionis.

constituunt, præsertim cum Scriptura de Episcopis & Pastoribus uaticinetur in hanc sententiam, ut Ezechiel ait, Peribit lex à sacerdote.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

Impudentia aduersariorũ qui dixerunt cõiugia sacerdotum pertinere ad infamiam Imperij.

IN tanta infamia inquinati cœlibatus, audent aduersarij non solum defendere legem Pontificiam impio & falso prætextu nominis diuini, sed etiam hortari Cæsarem ac Principes, ne tolerent coniugia sacerdotum ad ignominiam & infamiam Romani Imperij, Sic enim loquuntur: Quæ maior impudentia unq; ulla in historia lecta est, quàm hæc est aduersariorum? Nam argumenta, quibus utuntur, postea recensebimus. Nunc hoc expendat prudens lector, quid frontis habeant isti nihil homines, qui dicunt coniugia parere infamiam & ignominiam Imperio, quasi uerò Ecclesiam ualde ornet ista publica infamia flagitiosarum ac prodigiosarum libidinum, quę flagrant apud istos S. Patres, qui Curios simulant, & Bacchanalia uiuunt. Ac plæraq; ne uerecundè quidem nominari queunt, quæ isti summa licentia faciunt. Et has suas libidines castissima dextra tua Carole Cæsar, quẽ etiam uetera quædam uaticinia appellant regem pudica facie: De te enim dictum apparet: Pudicus facie regnabit ubiq;, propugnari postulant. Postulant ut contra Ius diuinum, contra Ius gentium, contra Canones conciliorum dissipes matrimonia, ut in homines innocentes, propter coniugium atrocia supplicia constituas, ut Sacerdotes trucides, quibus religiosè parcunt etiam barbari, ut in exilium agas, extorres mulieres, orbes pueros. Tales leges tibi ferunt optime & castissime Imperator, quas nulla barbaria, quamlibet immanis ac fera posset audire, Sed quia nulla cadit in hos tuos mores uel turpitudo, uel sæuitia, speramus te, & in hac causa clementer nobiscum actu rum esse, præsertim ubi cognoueris nos grauissimas habere causas nostræ sententiæ sumtas ex uerbo Dei, cui aduersarij nugacissimas & uanissimas persuasiones opponunt. Et tamen non tuentur seriò cœlibatum. Neq; enim ignorant quam pauci præstent castitatem, sed prætexunt speciem religionis regno suo, cui prodesse cœlibatum putant, ut intelligamus Petrum rectè monuisse, futurum ut Pseudoprophetæ fictis uerbis decipiant homines. Nihil enim uerè, simpliciter & candidè in hac tota causa dicunt, scribunt, aut agunt aduersarij, sed reipsa dimicant de dominatione, quam falsò putant periclitari, & hanc impio prætextu pietatis munire conantur.

Quòd Lex de cœlibatu sit contra Ius diuinum, naturale & Canonum.

Nos hanc legem de cœlibatu, quam defendunt aduersarij, ideo non possumus approbare, quia cum iure diuino, & naturali pugnat, & ab ipsis Canonibus conciliorum dissentit, Et constat superstitiosam & periculosam esse. Parit enim infinita scandala, peccata, & corruptelam publicorum morum. Aliæ controuersiæ nostræ aliquam disputationem doctorum desiderant. In hac ita manifesta res est, in utraq; parte, ut nullam requirat disputationem. Tantum requirit iudicem uirum bonum & timentem Dei. Et cum defendatur à nobis manifesta ueritas, tamen aduersarij calumnias quasdam architectati sunt, ad cauillanda argumenta nostra.

I. Argumẽtum ex historia creationis.

Primum. Genesis docet homines conditos esse, ut sint fœcundi, & sexus recta ratione sexum appetat. Loquimur enim non de concupiscentia quæ peccatum est, sed de illo appetitu qui in integra natura futurus erat, quem uocant

sopyn

στοργὴν φυσικὴν. Et hæc στοργὴ est uerè ordinatio diuina sexus ad sexum. Cum autem hæc ordinatio Dei sine singulari opere Dei tolli non possit, Sequitur Ius contrahendi matrimonij non posse tolli statutis, aut uotis. Hæc cauillantur aduersarij, dicunt initiõ fuisse mandatum ut repleretur terra, nunc repleta terra non esse mandatum coniugium. Videte quãm prudenter iudicent. Natura hominum formatur illo uerbo Dei, ut sit fœcunda, non solum initio creationis, sed tantisper dum hæc corporum natura existet. Sicut hoc uerbo terra fit fœcunda, Germinet terra herbam uirentem. Propter hanc ordinationem, non solum initiõ cœpit terra producere germina, sed quotannis uestiuntur agri, donec existet hæc natura. Sicut igitur legibus humanis, non potest natura terræ mutari: Ita neqꝫ uotis, neqꝫ lege humana potest natura hominis mutari sine speciali opere Dei.

Inepta cauillatio aduers.

Secundõ. Et quia hæc creatio, seu ordinatio diuina in homine, est ius naturale, ideõ sapienter & rectè dixerunt Iurisconsulti, coniunctionem maris & fœminæ esse iuris naturalis. Cum autem ius naturale sit immutabile, necesse est semper manere Ius contrahendi coniugij. Nam ubi natura non mutatur, necesse est & illam ordinationem manere, quam Deus indidit naturæ, nec potest legibus humanis tolli. Ridiculum igitur est, quòd aduersarij nugantur initiõ fuisse mandatum coniugium, nunc non esse. Hoc perinde est, ac si dicerent, Olim nascentes homines secum attulerunt sexum, nunc non afferunt. Olim secum attulerunt Ius naturale nascentes, nunc non afferunt. Nullus Faber fabrilius cogitare quidquam posset, quãm hæ ineptiæ excogitatæ sunt ad eludendum Ius naturæ. Maneat igitur hoc in causa, quod & Scriptura docet, & Iurisconsultus sapienter dixit, coniunctionem maris & fœminæ esse Iuris naturalis. Porrõ Ius naturale uerè est Ius diuinum, quia est ordinatio diuinitus impressa naturæ. Quia autem hoc Ius mutari non potest, sine singulari opere Dei, necesse est manere Ius contrahendi coniugij, quia ille naturalis appetitus, est ordinatio Dei in natura sexus ad sexum, & propterea Ius est, alioqui quare uterqꝫ sexus conderetur? Et loquimur, ut supra dictum est, non de concupiscentia quæ peccatum est, sed de illo appetitu quem uocant στοργὴν φυσικὴν, quem concupiscentia non sustulit ex natura, sed accendit, ut nunc remedio magis opus habeat, & coniugium non solum procreationis causa necessarium sit, sed etiam remedij causa. Hæc sunt perspicua, & adeo firma, ut nullo modo labefactari queant.

II. Argumentum à Iure naturæ.

Nugæ aduersar.

Ius naturæ uerè est Ius diuinum.

Tertiõ. Paulus ait: Propter fornicationem unusquisqꝫ habeat uxorem suam. Hoc iam expressum mandatum est ad omnes pertinens, qui non sunt idonei ad cœlibatum. Aduersarij iubent sibi ostendi præceptum, quod præcipit Sacerdotibus uxores ducere, quasi Sacerdotes non sint homines. Nos quæ de natura hominum in genere disputamus, profectõ etiam ad sacerdotes pertinere iudicamus. An non præcipit hic Paulus, ut ducant uxorem isti qui non habent donum continentiæ? Interpretatur enim seipse paulõ põst, cum ait: Melius est nubere, quãm uri. Et Christus clarè dixit: Non omnes capient hoc uerbum, sed quibus datum est. Quia nunc post peccatum concurrunt hæc duo, naturalis appetitus & concupiscentia, quæ inflammat naturalem appetitum, ut iam magis opus sit coniugio quãm in natura integra. Ideõ Paulus de coniugio tanquam de remedio loquitur, & propter illa incendia iubet nubere, Neqꝫ hanc uocem, Melius est nubere, quãm uri, ulla humana autoritas, ulla lex, ulla uota tollere possunt,

III. Argumentum à testimonio Pauli.

Generale mãdatum de non fornicando pertinet etiam ad sacerdotes.

possunt,quia hæc non tollunt naturam aut concupiscentiam. Retinent igitur lus ducendi,omnes qui urũtur. Et tenentur hoc mandato Pauli,Propter fornicationem unusquisq; habeat uxorem suam, omnes qui non uerẽ continent, de qua re iudicium ad conscientiam cuiusq; pertinet. Nam quõd hic iubent petere à Deo continentiam, iubent corpus laboribus & inedia conficere, cur sibi quoq; non canunt hæc magnifica præcepta? Sed ut suprã diximus, Tantum ludunt aduersarij,nihil agunt seriõ. Si continentia esset omnibus possibilis, non requireret peculiare donum. At Christus ostendit eam peculiari dono opus habere, quare non contingit omnibus, Reliquos uult Deus uti communi lege naturæ quam instituit. Non enim uult Deus contemni suas ordinationes,suas creaturas,Ita uult illos castos esse,ut remedio diuinitus proposito utantur, sicut ita uult uitam nostram alere,si cibo,si potu utamur. Et Gerson testatur multos fuisse bonos uiros,qui conati domare corpus, tamen parum profecerunt. Ideo rectè ait Ambrosius: Sola uirginitas est, quæ suaderi potest, Imperari non potest,res magis uoti, quãm præcepti est. Si quis hic obiecerit, Christum laudare hos qui se castrant propter regnum cœlorum, is hoc quoq; consideret,quõd tales laudat, qui donum continentiæ habent. Ideõ enim addit, Qui potest capere capiat. Non enim placet Christo immunda continentia. Laudamus & nos ueram continentiam,Sed nunc de lege disputamus, & de his qui non habent donum continentiæ. Res debebat relinqui libera, non debebant iniici laquei imbecillibus per hanc legem.

IIII. Argumentum à canonum constitutione.

Quartõ. Dissentit lex Pontificia à Canonibus conciliorum. Nam ueteres Canones non prohibent coniugium, nec contracta coniugia dissoluunt, etsi hos qui in ministerio contraxerunt,remouent ab administratione. Hæc missio istis temporibus beneficij loco erat,Sed noui Canones qui non sunt in Synodis conditi,sed priuato consilio Pontificum facti, & prohibent contrahere matrimonia,& contracta dissoluunt, Idq; palãm est, fieri contra mandatum Christi: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Aduersarij uociferantur in Confutatione, cœlibatum præceptum esse à Conciliis. Nos non accusamus decreta Conciliorum, Nam hæc certa conditione permittunt coniugium, Sed accusamus leges quas post ueteres Synodos Romani Pontifices contra autoritatem Synodorum condiderunt. Adeò Pontifices contemnunt autoritatem Synodorum,quam alijs uolunt uideri sacrosanctam. Propria igitur est hæc lex de perpetuo cœlibatu, huius nouæ Pontificiæ dominationis. Neq; id abs re, Daniel enim tribuit hanc notam regno Antichristi, uidelicet contemtum mulierum.

V. A superstitione, Quòd aduersarij cõiugium falsò uocent rem immundã aut peccatum.

Quintò. Etsi aduersarij non defendunt legem superstitionis causa, cum uideant non solere obseruari, tamen superstitiosas opiniones serunt, dum prætexũt religionem. Cœlibatum ideò prædicant se requirere,quòd sit mundicies, quasi coniugium sit immundicies ac peccatum, aut quasi cœlibatus mereatur remissionem peccatorum & reconciliationem, Coniugium uerò non mereatur remissionem peccatorum &c. Et huc allegant ceremonias legis Mosaicæ,quòd cum in Lege, tempore ministerij sacerdotes separati fuerint ab uxoribus, in nouo Testamento sacerdotes,cum semper orare debeant, semper debeant continere. Hæc inepta similitudo allegatur tanquam demõstratio,quæ cogat sacerdotes ad perpetuum cœlibatum, cum quidem in ipsa similitudine coniugium concedatur,tantum ministerij tempore cõsuetudo interdicitur. Et aliud est orare, aliud ministrare. Orabant sancti tunc quoq; cum non exercebant publicum

ministerium,nec consuetudo cum coniuge prohibebat, ne orarent, Sed respondemus ordine ad hæc figmenta. Primum, hoc fateri necesse est aduersarios, quòd coniugium sit mundum in credentibus, quia est sanctificatum uerbo Dei,hoc est,res licita & approbata uerbo Dei,sicut copiosè testatur Scriptura. Christus enim uocat coniugium coniunctionem diuinam,cum ait: Quos Deus coniunxit. Et Paulus de coniugio, de cibis,& similibus rebus inquit:Sanctificantur per uerbum & orationem,hoc est, per uerbum,quo conscientia fit certa, quòd Deus approbet, & per orationem,hoc est,per fidem, quæ cum gratiarum actione tanquam dono Dei utitur.Item 1.Cor.7. Sanctificatur uir infidelis per uxorem fidelem &c.id est, usus coniugalis licitus & sanctus est, propter fidem in Christum, sicut licitum est uti cibo &c. Item 1. Timoth. 2. Saluatur mulier per filiorum generationem &c. Si talem locum aduersarij de cœlibatu proferre possent,tum uerò miros triumphos agerent. Paulus dicit,saluari mulierem per filiorum generationem. Quid potuit dici contra hypocrisin cœlibatus honorificentius, quàm, mulierem saluari ipsis coniugalibus operibus, usu coniugali, pariendo, & reliquis Oeconomicis officijs? Quid autem sentit Paulus? Lector obseruet addi fidem,nec laudari officia Oeconomica sine fide,si manserint inquit in fide. Loquitur enim de toto genere matrum. Requirit igitur præcipuè fidem,qua mulier accipit remissionem peccatorum & iustificationem.Deinde addit certum opus uocationis, sicut in singulis hominibus fidem sequi debet bonum opus certæ uocationis. Id opus placet Deo propter fidem. Ita mulieris officia placent Deo propter fidem,& saluatur mulier fidelis,quę in talibus officijs uocationis suæ piè seruit. Hæc testimonia docent coniugium rem licitam esse. Si igitur mundicies significat id quod coram Deo licitum & approbatum est, Coniugia sunt munda, quia sunt approbata uerbo Dei. Et Paulus ait,de rebus licitis: Omnia munda mundis, hoc est, his qui credunt Christo,& fidei iusti sunt.Itaqꝫ ut uirginitas in impijs est immunda, ita coniugium in pijs est mundum propter uerbum Dei & fidem. I. Argumentum.

Deinde si mundicies propriè opponitur concupiscentiæ, significat mundiciem cordis,hoc est, mortificatam concupiscentiam, quia Lex non prohibet coniugium, sed concupiscentiam,adulterium, scortationem. Quare cœlibatus non est mundicies. Potest enim maior esse mundicies cordis in coniuge, uelut in Abraham, aut Iacob, quàm in plerisqꝫ etiam uerè continentibus. II. Argumentum.

Postremò. Si ita intelligunt cœlibatum mundiciem esse,quod mereatur iustificationem magis quàm coniugium,maximè reclamamus. Iustificamur.n. neqꝫ propter uirginitatem, neqꝫ propter coniugium, sed gratis propter Christum,cum credimus nos propter eum habere Deum propicium. Hic exclamabunt fortassis,louiniani more, æquari coniugium uirginitati. Sed propter hæc conuicia non abijciemus ueritatem de iusticia fidei, quam suprà exposuimus. Neqꝫ tamen æquamus coniugio uirginitatem. Sicut enim donum dono præstat. Prophetia præstat eloquentiæ, Scientia rei militaris præstat agriculturæ, Eloquentia præstat architectonicæ, Ita uirginitas donum est præstantius coniugio. Et tamen sicut Orator nõ est magis iustus coram Deo propter Eloquentiam, quàm Architectus propter Architectonicam, ita uirgo non magis meretur iustificationem uirginitate, quàm coniunx coniugalibus officijs, sed unusquisqꝫ in suo dono fideliter seruire debet,ac sentire, quòd propter Christum fide consequatur remissionem peccatorum, & fide iustus coram Deo reputetur. III. Argumentum.

Nec

Virginitas laudatur propter meditationem & ſtudium.

Nec Chriſtus aut Paulus laudant uirginitatem ideo quòd iuſtificet, ſed quia ſit expeditior, & minus diſtrahatur domeſticis occupationibus in orando, docendo, ſeruiendo. Ideò Paulus ait: Virgo curet ea quæ ſunt Domini. Laudatur igitur uirginitas propter meditationem & ſtudium. Sic Chriſtus non ſimpliciter laudat hos qui ſe caſtrant, ſed addit, propter regnum cœlorum, hoc eſt, ut diſcere aut docere Euangelium uacet. Non enim dicit uirginitatem mereri remiſſionem peccatorum aut ſalutem. Ad exempla Sacerdotum Leuiticorum reſpondemus, quòd non efficiunt, oportere perpetuum cœlibatum imponi ſacerdotibus. Deinde immunditiæ Leuiticæ non ſunt ad nos transferendæ. Conſuetudo contra Legem tunc erat immunditia, Nunc non eſt immunditia, quia Paulus dicit, Omnia munda mundis. Liberat enim nos Euangelium ab illis immunditijs Leuiticis. Ac ſi quis hoc conſilio legem cœlibatus defendit, ut illis obſeruationibus Leuiticis grauet conſcientias, huic perinde aduerſandum eſt, ut Apoſtoli in Actis cap. 15. aduerſantur his qui circumciſionem requirebant, & Legem Moyſi Chriſtianis imponere conabantur. Interim tamen boni ſcient moderari uſum coniugalem, præſertim cum ſunt occupati publicis miniſterijs, quæ quidem ſæpē tantum faciunt negocij bonis uiris, ut omnes domeſticas cogitationes animis excutiant. Sciunt boni & hoc, quòd Paulus iubet uaſa poſſidere in ſanctificatione. Sciunt item, quòd interdum ſecedendum ſit ut uacent orationi, Sed Paulus hoc ipſum non uult eſſe perpetuum. Iam talis continentia facilis eſt bonis & occupatis, ſed illa magna turba ocioſorum ſacerdotum, quæ in collegijs eſt, in his delicijs, ne quidem hanc Leuiticam continentiam præſtare poteſt, ut res oſtendit. Et nota ſunt poëmata: Deſidiam puer ille ſequi ſolet, odit agentes, &c.

Reſponſio de exemplo Sacerdotum Leuiticorum.

Encratitæ Monachis ſaniores.

Multi hæretici malē intellecta Lege Moyſi, contumelioſē ſenſerunt de coniugio, quales fuerunt Encratitæ, de quibus ſuprà diximus. Et conſtat Monachos paſſim ſolitos eſſe de cœlibatu ſuperſtitioſos ſermones ſerere, quia multas pias conſcientias propter legitimum uſum coniugij perturbauerunt, Nec difficile nobis eſſet exempla commemorare. Nam etſi non damnabant coniugium in totum propter procreationem, tamen uituperabant tanquam uitæ genus, quod uix unquam Deo placeret, aut certē non placeret, niſi propter procreationem. Cœlibatum uerò efferebant, tanquam angelicum uitę genus, hunc prædicabant gratiſſimum Deo ſacrificium eſſe, mereri remiſſionem peccatorum, mereri aureolos, ferre centeſimum fructum, & alia infinita. Has religiones Angelorum Paulus ualdē improbat ad Coloſſ. Opprimunt enim cognitionem Chriſti, cum ſentiunt homines ſe iuſtos reputari propter tales obſeruationes, non propter Chriſtum, deinde opprimunt cognitionem præceptorum Dei, cum præter Dei præcepta excogitantur noui cultus, & præferūtur præceptis Dei. Quare ſedulò aduerſandum eſt in Eccleſia his ſuperſtitioſis perſuaſionibus de cœlibatu, & ut piæ conſcientiæ ſciant coniugium Deo placere, & ut intelligant quales cultus approbet Deus.

Sed aduerſarij noſtri non requirunt cœlibatum per ſuperſtitionem. Sciunt enim non ſolere præſtari caſtitatem. Verum prætexunt ſuperſtitioſas opiniones, ut imperitis fucum faciant. Magis igitur odio digni ſunt, quām Encratitæ, qui quadam ſpecie religionis lapſi uidentur, Illi Sardanapali conſultò abutuntur prætextu religionis.

VI. Argumentum à pericu-

Sextò. Cum habeamus tot cauſas improbandæ legis de perpetuō cœlibatu, ta-

batu, tamen præter has accedunt etiam pericula animarum, & publica ſcanda-
la, quæ etiamſi lex non eſſet iniuſta, tamen abſterrere bonos uiros debent, ne ap-
probent tale onus, quod innumerabiles animas perdidit. Diu omnes boni uiri
de hoc onere queſti ſunt, uel ſua, uel aliorum cauſa, quos periclitari uidebant,
ſed has querelas nulli Pontifices audiunt. Neq; obſcurum eſt, quantum hæc
lex noceat publicis moribus, quæ uicia, quàm flagicioſas libidines pepererit.
Extant Romanæ Satyræ, in his etiamnum agnoſcit mores Roma, legitq; ſuos.
Sic ulciſcitur Deus contemtum ſui doni, ſuæq; ordinationis, in iſtis qui con-
iugium prohibent. Cum autem hoc fieri in alijs legibus conſueuerit, ut muten-
tur, ſi id euidens utilitas ſuaſerit, cur idem non fit in hac lege, in qua tot graues
cauſæ concurrunt, præſertim his poſtremis temporibus, cur mutari debeat?
Natura ſeneſcit, & fit paulatim debilior, & creſcunt uicia, quò magis remedia
diuinitus tradita adhibenda erant. Videmus quòd uicium accuſet Deus ante
diluuium, quòd accuſet ante conflagrationem quinq; urbium. Similia uicia
præceſſerunt excidia aliarum urbium multarum, ut Sybaris, Romæ. Et in his
imago temporum propoſita eſt, quæ proxima erunt rerum fini. Ideò in pri-
mis oportuit hoc tempore ſeueriſſimis legibus atq; exemplis munire coniugi-
um, & ad coniugium inuitare homines. Id ad magiſtratus pertinet, qui debent
publicam diſciplinam tueri. Interim doctores Euangelij utrũq; faciant, horten-
tur ad coniugium incontinentes, hortentur alios ut donum continentiæ non
aſpernentur. Pontifices quotidiè diſpenſant, quotidiè mutant illas leges opti-
mas, in hac una lege cœlibatus, ferrei & inexorabiles ſunt, cum quidem conſtet
eam ſimpliciter humani luris eſſe. Et hanc ipſam legem nunc exacerbant mul-
tis modis. Canon iubet ſuſpendere Sacerdotes. Iſti parum commodi interpre-
tes, ſuſpendunt non ab officio, ſed ab arboribus. Multos bonos uiros crudeliter
occidunt, tantum propter coniugium. Atq; hæc ipſa parricidia oſtendunt hanc
legem doctrinam eſſe dæmoniorum. Nam diabolus, cum ſit homicida, legem
ſuam defendit his parricidijs. Scimus aliquid offenſionis eſſe in Schiſmate,
quòd uidemur diuulſi ab his qui exiſtimantur eſſe ordinarij Epiſcopi, Sed no-
ſtræ conſcientiæ tutiſſimæ ſunt, poſtquàm ſcimus, nos ſummo ſtudio concor-
diam conſtituere cupientes, non poſſe placare aduerſarios, niſi manifeſtam ue-
ritatem proijciamus, deinde niſi cum ipſis conſpiremus, quòd uelimus hanc in-
iuſtam legem defendere, contracta matrimonia diſſoluere, interficere Sacerdo-
tes, ſi qui non obtemperent, in exilium agere miſeras mulieres, atq; orbos pue-
ros. Cum autem certum ſit has conditiones Deo diſplicere, nihil doleamus nos
non habere συμμαχίαν tot parricidiorum cum aduerſarijs.

lis animarum & ſcandalis.

Pontifices parricidijs legem cœlibatus ſtabiliunt.

Expoſuimus cauſas, quare non poſſimus bona conſcientia aſſentiri ad-
uerſarijs, legem Pontificiam de perpetuo cœlibatu defendentibus, quia pugnet
cum iure diuino & naturali, ac diſſentiat ab ipſis Canonibus, & ſit ſuperſtitio-
ſa, & plena periculi. Poſtremò quia tota res ſit ſimulata. Non enim imperatur
lex religionis cauſa, ſed dominationis cauſa, & huic impiè prætexitur religio.
Neq; quidquam à ſanis hominibus, contra has firmiſſimas rationes afferri po-
teſt. Euangelium permittit coniugium his, quibus opus eſt. Neq; tamen hos
cogit ad coniugium, qui continere uolunt, modò ut uerè contineant. Hanc li-
bertatem & ſacerdotibus concedendam eſſe ſentimus, nec uolumus quenquam
ui cogere ad cœlibatum, nec contracta matrimonia diſſoluere.

Obiter etiam dum recenſuimus argumenta noſtra, indicauimus quomo-

Confutatio obiectionum aduersariorum.

do aduersarij unum atq; alterum cauillentur, et calumnias illas diluimus. Nunc breuissimè commemorabimus, quàm grauibus rationibus defendant Legem. Primum dicunt à Deo reuelatam esse. Videtis extremam impudentiam istorum nebulonum, Audent affirmare, quòd diuinitus reuelata sit lex de perpetuo cœlibatu, cum aduersetur manifestis Scripturæ testimonijs, quæ iubent, ut unusquisq; habeat uxorem suam propter fornicationem. Item, quæ uetant dissoluere contracta matrimonia. Paulus admonet, quem autorem habitura fuerit ista lex, cum uocat eam doctrinam dæmoniorum. Et fructus indicant autorem, tot monstrosæ libidines, tot parricidia, quæ nunc suscipiuntur prætextu illius legis.

I. Obiectio, quòd lex cœlibatus sit à Deo reuelata.

II. Obiectio aduersariorũ, quòd sacerdotes debeant esse mundi.

Secundum argumentum aduersariorum est, quòd sacerdotes debeant esse mundi, iuxta illud, Mundamini qui fertis uasa Domini. Et citant in hanc sententiam multa. Hanc rationem quam ostentant uelut maximè ἐυπρόσωπον suprà diluimus. Diximus enim uirginitatem sine fide non esse mundiciem coram Deo. Et coniugium propter fidem mundum esse, iuxta illud: Omnia munda mundis. Diximus & hoc externas mundicias & ceremonias legis non esse huc transferendas, quia Euangelium requirit mundiciem cordis, non requirit ceremonias legis. Et fieri potest, ut cor mariti uelut Abrahæ, aut Iacob, qui fuerunt πολύγαμοι, mundius sit, & minus ardeat cupiditatibus quàm, multarum uirginum, etiam uerè continentium. Quòd uerò Esaias ait: Mundamini qui fertis uasa Domini, intelligi debet de mundicie cordis, de tota pœnitentia. Cæterum Sancti in externo usu scient, quatenus conducat moderari usum coniugalem, & ut Paulus ait, Possidete uasa in sanctificatione. Postremò cum coniugium sit mundum, rectè dicitur his qui in cœlibatu non continent, ut ducant uxores, ut sint mundi. Ita eadem lex, Mundamini qui fertis uasa Domini, præcipit, ut immundi cœlibes, fiant mundi coniuges.

III. Obiectio aduersariorũ, quòd sit hæresis Iouiniani coniugium sacerdotum.

Tertium argumentum horribile est, quòd sit hæresis Iouiniani, coniugium sacerdotum, bona uerba. Nouum hoc crimen est, coniugium esse hęresin Iouiniani tempore nondum norat mundus legem de perpetuo cœlibatu. Impudens igitur mendacium est, coniugium sacerdotum, Iouiniani hæresin esse, aut ab Ecclesia tunc id coniugium damnatum esse. In huiusmodi locis est uidere quid consilij habuerint aduersarij in scribenda Confutatione. Iudicauerunt ita facilimè moueri imperitos, si crebrò audiant conuicium hæresis, si fingant nostram causam multis antè iudicijs Ecclesiæ confossam & damnatam esse. Itaq; sæpè falsò allegant Ecclesiæ iudicium, Id quia non ignorant, exhibere nobis exemplum Apologiæ noluerunt, ne hęc uanitas, ne hę calumniæ coargui possent. Quòd uerò ad Iouiniani causam attinet, de collatione uirginitatis & coniugij suprà diximus, quid sentiamus. Non enim æquamus coniugium & uirginitatem, etsi neq; uirginitas, neq; coniugium meretur iustificationem. Talibus argumentis tam uanis, defendunt legem impiam, et pernicioſam bonis moribus. Talibus rationibus muniũt Principum animos aduersus iudicium Dei, in quo Deus reposcet rationem, cur dissipauerint coniugia, cur cruciauerint, cur interfecerint Sacerdotes. Nolite enim dubitare, quin ut sanguis Abel mortui clamabat, ita clamat etiam sanguis multorum bonorum uirorum, in quos iniustè sæuitum est, Et ulciscetur hanc sæuitiam Deus. Ibi comperietis, quàm sint inanes hæ rationes aduersariorum, & intelligetis in iudicio Dei nullas calumnias aduersus uerbum Dei consistere, ut ait Esaias: Omnis caro fœnum, & omnis gloria

gloria eius quasi flos fœni. Nostri Principes, quidquid acciderit, consolari se conscientia rectorum consiliorum poterunt, quia etiamsi quid Sacerdotes in contrahendis coniugijs mali feciſſent, tamen illa diſſipatio coniugiorum, illæ proscriptiones, illa sæuitia manifestè aduersatur uoluntati & uerbo Dei. Nec delectat nostros Principes nouitas aut diſſidium, sed magis fuit habenda ratio uerbi Dei, præsertim in causa non dubia, quàm aliarum rerum omnium.

DE MISSA.

INitiò hoc iterum præfandum est, nos non abolere Missam, sed religioſè retinere ac defendere. Fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis, & alijs festis, in quibus porrigitur Sacramentum, his, qui uti uolunt, postquàm sunt explorati atq; absoluti. Et seruantur usitatæ ceremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, ueſtitus, & alia similia. Aduersarij longam declamationem habent, de usu Latinæ linguæ in Missa, in qua suauiter ineptiunt, quomodo prosit auditori indocto in fide Ecclesiæ, Missam non intellectam audire, uidelicet fingunt ipsum opus audiendi cultum esse, & prodesse sine intellectu. Hæc nolumus odioſè exagitare, sed iudicio lectorum relinquimus. Nosq; ideò commemoramus, ut obiter admoneamus, & apud nos retineri latinas lectiones atq; orationes. Cum autem ceremoniæ debeant obseruari, tum ut discant homines Scripturam, tum ut uerbo admoniti concipiant fidem, timorem, atq; ita orent etiam, nam hi sunt fines ceremoniarum, Latinam linguam retinemus propter hos qui latinè discunt atq; intelligunt, Et admiscemus Germanicas cantiones, ut habeat & populus, quod discat, & quo excitet fidem & timorem. Hic mos semper in Ecclesijs fuit. Nam etsi aliæ frequentius, aliæ rarius admiscuerunt Germanicas cãtiones, tamen ferè ubiq; aliquid canebat populus sua lingua. Illud uerò nusquam scriptum aut pictum est, hominibus prodesse opus audiendi lectiones non intellectas, prodesse ceremonias, non quia doceant, uel admoneant, sed ex opere operato, quia sic fiant, quia spectentur. Malè ualeant istæ Pharisaicæ opiniones.

Ineptæ declamatio aduersariorum de latina Missa.

Quòd uerò tantum fit apud nos publica Missa, seu communis, nihil fit contra catholicam Ecclesiam. Nam in Græcis parochijs ne hodiè quidem fiunt priuatæ Missæ, sed fit una publica Missa, idq; tantum Dominicis diebus, & Festis. In Monasterijs fit quotidiè Missa, sed tantum publica. Nec sunt uestigia morum ueterum. Nusquam enim ueteres Scriptores ante Gregorium, mentionem faciunt priuatarum Missarum. Qualia fuerint initia nunc omittimus, hoc constat, quòd postquàm Monachi mendicantes regnare cœperũt ex falsissimis persuasionibus, & propter quæstum ita auctæ sunt, ut omnes boni uiri diu iam eius rei modũ desiderauerint. Quanquam S. Franciscus rectè uoluit ei rei prospicere, qui constituit ut singula collegia quotidiè unica communi Missa contenta essent. Hoc postea mutatum est siue per superstitionem, siue quæstus causa. Ita ubi commodum est, instituta maiorum mutant ipsi, postea nobis allegant autoritatem maiorum. Epiphanius scribit in Asia Synaxin ter celebratam esse singulis septimanis, nec quotidianas fuisse Missas. Et quidem ait hunc morem ab Apostolis traditum esse. Sic enim inquit: Συνάξεις δὲ ἐπιτελούμεναι ταχθεῖσαι εἰσὶν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων, τετράδι, καὶ προσαββάτῳ, καὶ κυριακῇ.

Priuatæ Missæ non fuerũt ante Gregorium.

Etsi autem aduersarij in hoc loco multa congerunt ut probent Missam esse sacrificium, tamen ille ingens tumultus uerborũ prolata hac unica responsione

Missa non est sacrificium.

sione conſileſcet,quòd hæc quamuis longa coaceruatio autoritatum, rationum, teſtimoniorum, non oſtendat quòd Miſſa ex opere operato conferat gratiam, aut applicata pro alijs mereatur eis remiſſionem uenialium & mortalium peccatorum, culpæ & pœnæ. Hæc una reſponſio euertit omnia quæ aduerſarij obijciunt, non ſolum in hac Confutatione, ſed in omnibus ſcriptis, quæ de Miſſa ediderunt. Et hic cauſæ ſtatus eſt, de quo ita nobis admonendi ſunt lectores, ut Aeſchines admonebat ludices, ut perinde ac pugiles de ſtatu inter ſe certant, ita cum aduerſario dimicarent ipſi de ſtatu controuerſiæ, nec ſinerent eum extra cauſam egredi. Ad eundem modum hic aduerſarij noſtri cogendi ſunt, ut de re propoſita dicant. Et cognito controuerſiæ ſtatu facilima erit dijudicatio de argumentis in utraq; parte. Nos enim in Confeſſione noſtra oſtendimus, nos ſentire, quòd Cœna Domini non conferat gratiam ex opere operato, nec applicata pro alijs uiuis aut mortuis mereatur eis ex opere operato remiſſionem peccatorum, culpæ aut pœnæ. Et huius ſtatus clara & firma probatio eſt hæc, quia impoſſibile eſt conſequi remiſſionem peccatorum propter opus noſtrum ex opere operato, ſed fide oportet uinci terrores peccati & mortis, cum erigimus corda cognitione Chriſti, & ſentimus nobis ignoſci propter Chriſtum, ac donari merita & iuſticiam Chriſti. Rom. 5. Iuſtificati ex fide, pacem habemus. Hæc tam certa, tam firma ſunt, ut aduerſus omnes portas inferorum conſiſtere queant. Si quantum opus eſt, dicendum fuit, iam cauſa dicta eſt. Nemo enim ſanus illam Phariſaicam & Ethnicam perſuaſionem de opere operato probare poteſt. Et tamen hæc perſuaſio hæret in populo, hæc auxit in infinitum Miſſarum numerum. Conducuntur enim Miſſæ ad iram Dei placandam, & hoc opere remiſſionem culpæ & pœnæ conſequi uolunt, uolunt impetrare quidquid in omni uita opus eſt, Volunt etiam mortuos liberare. Hanc Phariſaicam opinionem docuerunt in Eccleſia Monachi & Sophiſtæ.

Cœna Domini non prodeſt ex opere operato.

Quanquam autem cauſa iam dicta eſt, tamen quia aduerſarij multas ſcripturas ineptè detorquent ad defenſionem ſuorum errorum, pauca ad hunc locum addemus. Multa de ſacrificio in Confutatione dixerunt, cum nos in Confeſſione noſtra conſultò id nomen, propter ambiguitatem uitauerimus. Rem expoſuimus, quid ſacrificium iſti nunc intelligant, quorum improbamus abuſus. Nunc ut malè detortas ſcripturas explicemus, neceſſe eſt initiò, quid ſit ſacrificium, exponere. Toto iam decennio infinita penè uolumina ediderunt aduerſarij de ſacrificio, neq; quiſquam eorum definitionem ſacrificij hactenus poſuit. Tantum arripiunt nomen ſacrificij, uel ex ſcripturis, uel ex Patribus. Poſtea affingunt ſua ſomnia, quaſi uerò ſacrificium ſignificet, quidquid ipſis libet.

Perſuaſio de opere operato auxit numerum Miſſarũ.

QVID SIT SACRIFICIVM, ET QVÆ SINT SACRIFICII SPECIES.

SOcrates in Phædro Platonis ait, ſe maximè cupidum eſſe diuiſionum, quòd ſine his nihil neq; explicari dicendo, neq; intelligi poſſit, ac ſi quem deprehenderit peritum diuidendi, hunc inquit ſe aſſectari, eiuſq;, tanquam Dei, ueſtigia ſequi, Et iubet diuidentem in ipſis articulis membra ſecare, ne quod membrum mali coqui more quaſſatum frangat. Sed hæc præcepta aduerſarij magnificè contemnunt, ac uerè ſunt iuxta Platonem κακοὶ μάγειροι, ſacrificij membra corrumpentes, quemadmodum intelligi poterit, cum ſpecies ſacrificij recenſuerimus.

Aduerſarij membra ſacrificij corrumpunt.

Theologi

Theologi rectè solent distinguere sacramentum & sacrificium. Sit igitur genus horum, uel ceremonia, uel opus sacrum. Sacramentum est ceremonia, uel opus, in quo Deus nobis exhibet hoc quod offert annexa ceremoniæ promissio, ut Baptismus est opus, non quod nos Deo offerimus, sed in quo Deus nos baptizat, uidelicet, minister uice Dei, & hic offert & exhibet Deus remissionem peccatorum &c. iuxta promissionem, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Econtra, Sacrificium est ceremonia, uel opus quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus. Sunt autem sacrificij species proximæ duæ, nec sunt plures. Quoddam est sacrificium propiciatorium, id est, opus satisfactorium pro culpa, & pœna, hoc est, reconcilians Deum, seu placans iram Dei, seu quod meretur alijs remissionem peccatorium. Altera species est sacrificium εὐχαριστικὸν, quod non meretur remissionem peccatorum, aut reconciliationem, sed fit â reconciliatis, ut pro accepta remissione peccatorum, & pro alijs beneficijs acceptis, gratias agamus, seu gratiam referamus.

Sacramentum quid?

Sacrificium quid?

Sacrificium propiciatorium.

εὐχαριστικὸν.

Has duas species sacrificij magnopere oportet & in hac controuersia, & in alijs multis disputationibus in conspectu, & ab oculos positas habere, & singulari diligentia cauendum est, ne confundantur. Quòd si modus huius libri pateretur, rationes huius diuisionis adderemus. Habet enim satis multa testimonia in Epistola ad Ebræos & alibi. Et omnia sacrificia Leuitica ad hæc membra referri tanquam ad sua domicilia possunt. Dicebantur enim in Lege propiciatoria sacrificia propter significationem, seu similitudinem, non quod mererentur remissionem peccatorum coram Deo. Sed quia merebantur remissionem peccatorum secundum iusticiam legis, ne illi pro quibus fiebant excluderentur ab ista politia. Dicebãtur itaq; propiciatoria, pro peccato, pro delicto, holocaustum. Illa uerò erant εὐχαριστικὰ, oblatio, libatio, retributiones, primiciæ, decimæ.

Sacrificia propiciatoria in Lege.

εὐχαριστικὰ quæ.

Sed reuera unicum tantum in mundo fuit sacrificium propiciatorium, uidelicet mors Christi, ut docet Epistola ad Ebræos, quæ ait: Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Et paulò pòst de uoluntate Christi: In qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Et Esaias interpretatur Legem, ut sciamus mortem Christi uerè esse satisfactionem pro peccatis nostris, seu expiationem, non ceremonias Legis, quare ait: Postquãm posuerit animam suam, hostiam pro delictis, uidebit semen longæuum &c. Nam uocabulum אשם quo hic usus est, significat hostiam pro delicto, quæ in lege significauit, quòd uentura esset hostia quædam satisfactura pro peccatis nostris & recõciliatura Deum, ut scirent homines, quõd non propter nostras iusticias, sed propter aliena merita, uidelicet Christi, uelit Deus nobis reconciliari. Paulus idem nomen אשם interpretatur peccatum, Rom. 8. De peccato damnauit peccatum, id est, peccatum puniuit de peccato, id est, per hostiam pro peccato. Significantia uerbi facilius intelligi potest ex moribus gentium, quos uidemus ex patrum sermonibus malè intellectis acceptos esse. Latini uocabant piaculum hostiam, quæ in magnis calamitatibus, ubi insigniter uidebatur Deus irasci, offerebatur ad placandam iram Dei, & litauerunt aliquando humanis hostijs, fortassis quia audierant quandam humanam hostiam placaturam esse Deum toti generi humano. Græci alibi καθάρματα, alibi περιψήματα appellauerunt. Intelligunt igitur Esaias & Paulus Christum factum esse hostiam, hoc est, piaculum, ut ipsius meritis, non nostris reconciliaretur Deus. Maneat ergo hoc in causa, quõd sola mors Christi est uerè propicia-

Vnicum sacrificium propiciatorium.

torium ſacrificium. Nam Leuitica illa ſacrificia propiciatoria, tantum ſic appellabantur ad ſignificandum futurum piaculum. Propterea ſimilitudine quadam erant ſatisfactiones redimentes iuſticiam Legis, ne ex politia excluderentur iſti qui peccauerant. Debebant autem ceſſare poſt reuelatum Euangelium. Et quia ceſſare in Euangelij reuelatione debebant, non erant uerè propiciationes, cum Euangelium ideò promiſſum ſit, ut exhibeat propiciationem.

εὐχαριστικὰ ſacrificia in nouo teſtamento qualia?

NVnc reliqua ſunt ſacrificia εὐχαριστικὰ, quæ uocantur ſacrificia laudis, prædicatio Euangelij, fides, inuocatio, gratiarum actio, confeſſio, afflictiones ſanctorum, Imò omnia bona opera ſanctorum. Hæc ſacrificia non ſunt ſatisfactiones pro facientibus, uel applicabiles pro alijs, quæ mereantur eis ex opere operato remiſſionem peccatorum, ſeu reconciliationem. Fiunt enim à reconciliatis. Et talia ſunt ſacrificia noui teſtamenti, ſicut docet Petrus, 1. Pet. 2. Sacerdotium ſanctum, ut offeratis hoſtias ſpirituales. Opponuntur autem hoſtiæ ſpirituales, non tantum pecudibus, ſed etiam humanis operibus, ex opere operato oblatis, quia ſpirituale ſignificat motus Spiritus ſancti in nobis. Idem docet Paulus Rom. 12. Exhibete corpora ueſtra, hoſtiam uiuentem, ſanctam, cultum rationalem. Significat autem cultus rationalis, cultum in quo Deus intelligitur, mente apprehenditur, ut fit in motibus timoris, & fiduciæ erga Deum. Opponitur igitur non ſolum cultui Leuitico, in quo pecudes mactabantur, ſed etiam, cultui in quo fingitur opus ex opere operato offerri. Idem docet Epiſtola ad Ebræos cap. 13. Per ipſum offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo. Et addit interpretationem, id eſt, fructū labiorum confidentium nomini eius. Iubet offerre laudes, hoc eſt, inuocationem, gratiarum actionem, confeſſionem & ſimilia. Hæc ualent non ex opere operato, ſed propter fidem. Id monet particula, per ipſum offeramus, hoc eſt, fide in Chriſtum.

Cultus noui teſtamenti ſpiritualis.

In ſumma cultus noui teſtamenti eſt ſpiritualis, hoc eſt, eſt iuſticia fidei in corde, & fructus fidei. Ideoq; abrogat Leuiticos cultus. Et Chriſtus ait Ioh. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & ueritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Deus eſt Spiritus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & ueritate oportet adorare. Hæc ſententia clarè damnat opiniones de ſacrificijs, quæ fingunt ex opere operato ualere, Et docet, quòd oporteat ſpiritu, id eſt, motibus cordis, & fide adorare. Ideò & Prophetæ damnant in ueteri teſtamento opinionem populi de opere operato, & docent iuſticiam, & ſacrificia ſpiritus, Ieremiæ 7. Non ſum locutus cum Patribus ueſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de holocauſtis & uictimis, Sed hoc uerbum præcepi eis dicens, Audite uocem meam, & ero uobis Deus &c. Quomodo exiſtimemus Iudæos hanc concionem excepiſſe, quæ uidetur palām pugnare cum Moyſe. Conſtabat enim Deum præcepiſſe Patribus de holocauſtis ac uictimis, ſed Ieremias opinionem de ſacrificijs damnat, hanc non tradiderat Deus, uidelicet, quòd illi cultus ex opere operato placarent eum. Addit autem de fide, quòd hoc præceperit Deus, Audite me, hoc eſt, credite mihi, quòd ego ſum Deus ueſter, quòd uelim ſic innoteſcere, cum miſereor & adiuuo, nec habeam opus ueſtris uictimis, confidite, quòd ego uelim eſſe Deus, iuſtificator, ſaluator, non propter opera, ſed propter uerbum & promiſſionem meam, à me uerè & ex corde petite, & expectate auxilium.

Prophetæ damnant opinionem de opere operato.

Pſalmi teſtimonia contra opus operatum

Damnat opinionem de opere operato & Pſal. 49. Qui repudiatis uictimis, requirit inuocationem. Nunquid manducabo carnes taurorum &c? Inuoca me

ca me in die tribulationis tuæ,& eripiam te,et honorificabis me. Teſtatur hanc eſſe ueram λατρείαν,hunc eſſe uerum honorem,ſi ex corde inuocemus ipſum. Item Pſal.39.Sacrificium & oblationem noluiſti,Aures autem aperuiſti mihi, id eſt, uerbum mihi propoſuiſti, quod audirem, & requiris, ut credam uerbo tuo, & promiſſionibus tuis,quõd uerè uelis miſereri,opitulari &c. Item Pſal.50. Holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus,cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.Item Pſal.4. Sacrificate ſacrificium iuſticiæ,& ſperate in Domino. Iubet ſperare, & dicit id eſſe iuſtum ſacrificium, ſignificans cætera ſacrificia non eſſe uera,& iuſta ſacrificia. Et Pſal. 115. Sacrificabo hoſtiam laudis,& nomen Domini inuocabo. Vocat inuocationem hoſtiam laudis,Sed plena eſt Scriptura talibus teſtimonijs quæ docent,quòd ſacrificia ex opere operato non reconcilient Deum, Ideoq; in nouo Teſtamento abrogatis cultibus Leuiticis docet fore,ut noua & munda ſacrificia fiant,uidelicet, fides,inuocatio,gratiarum actio,confeſſio,& prædicatio Euangelij,afflictiones propter Euangelium,& ſimilia.

Et de his ſacrificijs loquitur Malachias: Ab ortu ſolis uſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & oblatio munda. Hunc locum detorquent aduerſarij ad Miſſam, & allegant autoritatem Patrum. Facilis eſt autem reſponſio,quòd ut maximè loqueretur de Miſſa, non ſequatur,Miſſam ex opere operato iuſtificare,aut applicatam alijs mereri remiſſionem peccatorum &c. Nihil horum dicit Prophe-ta, quæ Monachi & Sophiſtæ, impudenter affingunt. *Malachiæ locus male detortus ad Miſſam.*

Cæterum ipſa Prophetæ uerba offerunt ſententiam. Primum enim hoc proponunt, magnum fore nomen Domini, Id fit per prædicationem Euangelij,Per hanc enim innoteſcit nomen Chriſti, & miſericordia Patris in Chriſto promiſſa cognoſcitur. Prædicatio Euangelij parit fidem in his, qui recipiunt Euangelium,Hi inuocant Deum, hi agunt Deo gratias, hi tolerant afflictiones in confeſſione,hi benè operantur propter gloriam Chriſti. Ita fit magnum nomen Domini in gentibus. Incenſum igitur & oblatio munda,ſignificant non ceremoniam ex opere operato, ſed omnia illa ſacrificia, per quæ fit magnum nomen Domini, ſcilicet fidem, inuocationem, prædicationem Euangelij, confeſſionem, &c. Et facilè patimur, ſi quis hic uelit complecti ceremoniam, modõ neq; intelligat ſolam ceremoniam,neq; doceat ceremoniam ex opere operato prodeſſe.Sicut enim inter ſacrificia laudis, hoc eſt, inter laudes Dei complectimur prædicationem uerbi, ita laus eſſe poteſt,ſeu gratiarum actio, ipſa ſumtio Cœnæ Domini, ſed non ex opere operato iuſtificans aut applicanda alijs, ut mereatur eis remiſſionem peccatorũ. Sed paulò pòſt exponemus, quomodo et ceremonia ſacrificium ſit. Verũ quia Malachias de omnibus cultib.noui teſtamenti,non ſolũ de cœna Domini loquitur,item quia non patrocinatur Phariſaicę opinioni,de opere operato,ideo nihil contra nos facit,ſed magis adiuuat nos,Requirit enim cultus cordis, per quos uerè fit magnum nomen Domini.

Citatur ex Malachia & alius locus, Et purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſticia. Hic locus apertè requirit ſacrificia iuſtorum, quare non patrocinatur opinioni de opere operato. Sunt autem ſacrificia filiorum Leui, hoc eſt, docentium in Nouo teſtamento, prædicatio Euangelij, & boni fructus prædicationis, ſicut Paulus ait Rom. 15. Sacrifico Euangelium Dei,ut oblatio *Alius Malachiæ locus male accommodatus ad Miſſam.*

gentium fiat accepta, sanctificata Spiritu sancto, id est, ut gentes fiant hostiæ, acceptæ Deo per fidem &c. Nam illa mactatio in Lege, significabat, & mortem, & prædicationem Euangelij, qua hanc uetustam carnis mortificari oportet, & inchoari nouam & æternam uitam in nobis. Sed aduersarij ubicq; sacrificij nomen ad solam ceremoniam detorquent, prædicationem Euangelij, fidem, inuocationem, & similia omittunt, cum ceremonia propter hæc instituta sit. Et nouum testamentum debeat habere sacrificia cordis, non ceremonialia pro peccatis facienda more Leuitici sacerdotij.

Obiectio aduersariorum de iuge sacrificio.

Allegant & iuge sacrificium, quòd sicut in Lege fuit iuge sacrificium, ita Missa debeat esse iuge sacrificium noui Testamenti. Benè cum aduersarijs agitur, si patimur nos uinci allegorijs. Constat autem quòd allegoriæ non pariunt firmas probationes. Quanquam nos quidem facilè patimur Missam, intelligi iuge sacrificium, modo ut tota Missa intelligatur, hoc est, ceremonia cum prædicatione Euangelij, fide, inuocatione, & gratiarum actione. Nam hæc simul coniuncta, sunt iuge sacrificium noui testamenti, quia ceremonia propter hæc instituta est, nec ab his diuellenda est, Ideò Paulus ait: Quoties comedetis panem hunc, & poculum Domini bibetis, annunciate mortem Domini. Illud uerò nullo modo sequitur ex hoc typo Leuitico, quòd ceremonia sit opus ex opere operato iustificans, aut applicandum pro alijs, ut mereatur eis remissionem peccatorum &c.

Cuius rei typus fuerit iuge sacrificiũ.

Et typus aptè pingit nõ ceremoniam solam, sed etiam prædicationẽ Euangelij. In Nume. cap. 28. tres ponuntur partes illius quotidiani sacrificij, crematio agni, libatio, & oblatio similæ. Lex habebat picturas seu umbras rerum futurarum. Ideò in hoc spectaculo Christus, & totus cultus noui testamenti pingitur. Crematio agni significat mortem Christi. Libatio significat ubicq; in toto mundo credentes illius agni sanguine aspergi per Euangelij prædicationem, hoc est, sanctificari, sicut Petrus loquitur, In sanctificationem spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi. Oblatio similæ, significat fidem, inuocationem, & gratiarum actionem in cordibus. Vt igitur in ueteri testamentò umbra cernitur, ita in nouo res significata quærenda est, non alius typus tanquam ad sacrificium sufficiens. Quare etiamsi ceremonia est memoriale mortis Christi, tamen sola non est iuge sacrificium, sed ipsa memoria est iuge sacrificium, hoc est, prædicatio, & fides, quæ uerè credit Deum morte Christi reconciliatum esse. Requiritur libatio, hoc est, effectus prædicationis, ut per Euangelium aspersi sanguine Christi, sanctificemur, mortificati, ac uiuificati. Requirumtur & oblationes, hoc est, gratiarum actiones, confessiones & afflictiones. Sic abiecta Pharisaica opinione de opere operato intelligamus significari cultum spiritualem, & iuge sacrificium cordis, quia in nouo testamento corpus bonorum, hoc est, Spiritus sanctus, mortificatio & uiuificatio, requiri debent. Ex his satis apparet typum de iuge sacrificio nihil cõtra nos facere, sed magis pro nobis, quia nos omnes partes significatas iuge sacrificio requirimus. Aduersarij falsõ somniant solam ceremoniam significari, non etiam prædicationem Euangelij, mortificationem & uiuificationem cordis &c.

Nunc igitur boni uiri facilè iudicare poterunt, falsissimam hanc criminationem esse, quòd iuge sacrificium aboleamus. Res ostendit qui sint Antichi illi, qui regnum tenent in Ecclesia, qui prætextu religionis trahunt ad se regnũ mundi, & abiecta cura religionis & docendi Euangelij, dominantur, belli-

gerantur

gerantur uelut reges mundi, qui nouos cultus instituerunt in Ecclesia. Nam aduersarij in Missa solum retinent ceremoniam, eamq; cõferunt publicè ad sacrilegum quæstum. Postea fingunt hoc opus applicatum pro alijs, mereri eis gratiam, & omnia bona. In concionibus non docent Euangelium, non consolantur conscientias, non ostendunt gratis remitti peccata propter Christum, sed proponunt cultus sanctorum, satisfactiones humanas, traditiones humanas, per has affirmant homines coram Deo iustificari. Et harum quædam cum sint manifestè impiæ, tamen ui defenduntur. Si qui concionatores uolunt perhiberi doctiores, tradunt quæstiones Philosophicas, quas neq; populus, neq; ipsi qui proponũt, intelligunt. Postremõ qui sunt tolerabiliores, legem docent, de iusticia fidei nihil dicunt. Aduersarij in Confutatione miras tragœdias agunt de desolatione templorum, quòd uidelicet, stent inornatæ aræ, sine candelis, sine statuis. Has nugas iudicant esse ornatum Ecclesiarum. Longè aliam desolationem significat Daniel, uidelicet ignorationem Euangelij. Nam populus obrutus multitudine & uarietate traditionum atq; opinionum, nullo modo potuit complecti summam doctrinæ Christianæ. Quis enim unquam de populo intellexit doctrinam de pœnitentia, quam aduersarij tradiderunt? Et hic præcipuus locus est doctrinæ Christianæ. Vexabantur conscientiæ enumeratione delictorum & satisfactionibus. De fide qua gratis consequimur remissionem peccatorum, nulla prorsus fiebat ab aduersarijs mentio, de exercitijs fidei luctantis cum desperatione, de gratuita remissione peccatorum propter Christum omnes libri, omnes conciones aduersariorum mutæ erant. Ad hæc accessit horribilis prophanatio Missarum, & alij multi impij cultus in templis. Hæc est desolatio, quam Daniel describit.

Aduersarij dolent: Nostræ Ecclesiæ retinent iuge sacrificium.

Desolatio Danielis uerè est in templis aduersariorum.

Econtrà Dei beneficio apud nos seruiunt ministerio uerbi Sacerdotes, docent Euangelium de beneficijs Christi, ostendunt remissionem peccatorum gratis contingere propter Christum. Hæc doctrina affert firmam consolationem conscientijs. Additur & doctrina bonorum operum quæ Deus præcipit. Dicitur de dignitate atq; usu sacramentorum. Quòd si iuge sacrificium esset usus sacramenti, tamen nos magis retineremus, quàm aduersarij, quia apud illos sacerdotes mercede conducti utuntur sacramento. Apud nos crebrior & religiosior usus est. Nam populus utitur, sed prius institutus atq; exploratus. Docentur enim homines de uero usu sacramenti, quòd ad hoc institutum sit, ut sit sigillum, & testimonium gratuitæ remissionis peccatorum. Ideoq; debeat pauidas conscientias admonere, ut uerè statuant & credant sibi gratis remitti peccata. Cum igitur & prædicationem Euangelij & legitimum usum sacramentorum retineamus, manet apud nos iuge sacrificium. Et si de externa specie dicendum est, frequentia in templis apud nos maior est, quàm apud aduersarios. Tenentur enim auditoria utilibus & perspicuis concionibus. Verum aduersariorum doctrinam, nunquam neq; populus, neq; doctores intellexerunt. Et uerus ornatus est Ecclesiarum, doctrina pia, utilis & perspicua, usus pius sacramentorum, oratio ardens, & similia. Candelæ, uasa aurea, & similes ornatus decent, sed non sunt proprius ornatus Ecclesiæ. Quòd si aduersarij in talibus rebus collocant cultus, non in prædicatione Euangelij, in fide, in certaminibus fidei, sunt in istis numerandi, quos Daniel describit colere Deum suum auro & argento.

Quid fiat in nostris Ecclesijs.

Allegant & ex Epistola ad Ebrços: Omnis Pontifex ex hominibus assumtus, pro

Obiectio aduersariorum ex Epistola ad Hebræos de Missæ sacrificio.

tus, pro hominibus, constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Hinc ratiocinantur, cum in nouo Testamento sint Pontifices & Sacerdotes, sequitur quòd sit & sacrificium aliquod pro peccatis. Hic locus uel maximè mouet indoctos, præsertim cum illa pompa sacerdotij & sacrificiorum ueteris testamenti offunditur oculis. Hæc similitudo decipit imperitos, ut iudicent oportere ad eundem modum apud nos existere aliquod ceremoniale sacrificium, applicandum pro peccatis aliorum, sicut in ueteri Testamento. Neq; aliud est ille cultus Missarum, & reliqua politia Papæ, quã

Politia Papæ κακοζηλία Leuiticæ malè intellectæ.

κακοζηλία Leuiticæ politiæ malè intellectæ.

Et cum sententia nostra habeat præcipua testimonia in Epistola ad Ebræos, tamen aduersarij locos ex illa Epistola truncatos contra nos detorquent, ut in hoc ipso loco, ubi dicitur Pontificem constitui, ut offerat sacrificia pro peccatis, Scriptura ipsa statim attexit Christum pontificem, Verba præcedentia de Leuitico sacerdotio loquuntur, & significat Leuiticum Pontificatum fuisse imaginem Pontificatus Christi. Nam sacrificia Leuitica pro peccatis, non merebantur remissionem peccatorum coram Deo, tantum erant imago sacrificij Christi, quod unum futurum erat propiciatorium sacrificium, ut suprã diximus. Itaq; Epistola magna ex parte, consumitur in hoc loco, quòd uetus Pontificatus et uetera sacrificia non fuerint ad hoc instituta, ut mererentur remissionem peccatorum coram Deo, seu reconciliationem, sed tantum ad significandum futurum sacrificium, unius Christi. Oportuit enim sanctos in ueteri testamento iustificari fide, ex promissione remissionis peccatorum, donandæ propter Christum, sicut & sancti in nouo testamento iustificantur. Omnes sanctos ab initio mundi sentire oportuit, hostiam & satisfactionem fore pro peccato Christum, qui promissus erat, sicut Esaias docet cap. 53. Cum posuerit animam suam hostiam pro peccato &c. Cum igitur in ueteri testamento sacrificia non mererentur reconciliationem, nisi similitudine quadam, merebantur enim reconciliationem politicam, sed significarent uenturum sacrificium, Sequitur unicum esse sacrificium Christi, applicatum pro aliorum peccatis. Nullum igitur reliquum est in nouo testamento sacrificium, applicandum pro peccatis aliorum, præter unum Christi sacrificium in cruce.

Præcipua pars doctrinæ in Epistola ad Hebræos.

Leuitica sacrificia nõ meruerũt remissionem peccatorum.

Tota uia errant qui fingunt sacrificia Leuitica coram Deo meruisse remissionem peccatorum, Et hoc exemplo sacrificia applicanda pro alijs in nouo testamento requirunt, præter mortem Christi. Hæc imaginatio simpliciter obruit meritum passionis Christi, & iusticiam fidei, & corrumpit ueteris & noui testamẽti doctrinam, & pro Christo alios mediatores & propiciatores nobis efficit, Pontifices & sacrificulos, qui quotidiè uendũt operam suam in templis.

In nouo Testamento unus Pontifex Christus.

Quare si quis ita argumentatur, oportere in nouo testamento Pontificem esse, qui pro peccatis offerat, tantum de Christo concedendum est. Et hanc solutionem confirmat tota Epistola ad Ebræos. Et id prorsus esset alios mediatores constituere præter Christum, si aliam satisfactionem applicandam pro peccatis aliorum & reconciliantem Deum, præter mortem Christi requiremus. Deinde quia sacerdotium noui testamenti est ministerium Spiritus, ut docet Paulus 2. Corinth. 3. Ideò unicum habet sacrificium Christi satisfactorium & applicatum pro peccatis aliorum. Cæterum nulla habet sacrificia similia Leuiticis, quæ ex opere operato applicari pro alijs possint, sed exhibet alijs Euangelium & sacramenta, ut per hæc concipiant fidem & Spiritum sanctũ, & mortificem-

mortificentur & uiuificentur, quia ministerium Spiritus pugnat cum applicatione operis operati. Est enim ministerium Spiritus, per quod Spiritus sanctus efficax est in cordibus, quare habet tale ministerium, quod ita prodest alijs, cum in eis efficax est, cum regenerat & uiuificat eos. Id non fit applicatione alieni operis, pro alijs ex opere operato.

Ostendimus rationem, quare Missa non iustificet ex opere operato, nec applicata pro alijs mereatur eis remissionem, quia utrumcp pugnat cum iustitia fidei. Impossibile est enim remissionem peccatorum contingere, uinci terrores peccati & mortis, ullo opere, aut ulla re, nisi fide in Christum, iuxta illud: Iustificati ex fide pacem habemus. Ad hæc ostendimus scripturas quæ contra nos citantur, minimè patrocinari impię opinioni aduersariorum de opere operato. Idcp iudicare omnes boni uiri apud omnes gentes possunt. Quare repudiandus est error Thomæ, qui scripsit corpus Domini semel oblatum in cruce, pro debito originali, iugiter offerri pro quotidianis delictis in altari, ut habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum. Repudiandi sunt & reliqui communes errores, quòd Missa conferat gratiam ex opere operato facienti. Item, quòd applicata pro alijs etiam iniustis non ponentibus obicem, mereatur eis remissionem peccatorum culpæ & pœnæ. Hæc omnia falsa & impia sunt, nuper ab indoctis Monachis conficta, & obruunt gloriam passionis Christi & iusticiam fidei.

Errores Thomæ & aliorũ de Missa & oblatione atq; applicatione & alijs.

Et ex his erroribus infiniti alij nati sunt, quantum Missæ ualeant applicatæ simul pro multis, quantum ualeant singulæ pro singulis. Sophistæ habent descriptos gradus meritorum, sicut argentarij gradus ponderum in auro aut argento. Deinde uendunt Missam, tanquam precium ad impetrandum quod quisq; expetit, Mercatoribus, ut fœlix sit negociatio, uenatoribus, ut fœlix sit uenatio, Et alia infinita. Postremõ transferunt eam & ad mortuos, liberant animas applicatione sacramenti ã pœnis purgatorij, cum sine fide nec uiuis Missa prosit. Neq; ex scripturis aduersarij afferre uel unam syllabam possunt ad defensionem istarum fabularum, quas in Ecclesia magna autoritate docent, Neq; Ecclesiæ ueteris, neq; Patrum testimonia habent.

QVID PATRES DE SACRIFICIO SENSERINT.

ET quoniam loca Scripturæ quæ contra nos citantur explicauimus, de Patribus etiam respondendum est. Non ignoramus Missam à Patribus appellari sacrificium, sed hi non uolunt Missam ex opere operato, conferre gratiam, & applicatam pro alijs mereri eis remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ. Vbi leguntur hæc portenta uerborum apud Patres? sed apertè testantur se de gratiarum actione loqui. Ideoq; uocant εὐχαριστίαν. Diximus autem suprã sacrificium εὐχαριστικὸν non mereri reconciliationem, sed fieri ã reconciliatis, sicut afflictiones non merentur reconciliationem, sed tunc sunt sacrificia εὐχαριστικὰ, quando reconciliati sustinent eas. Et hoc responsum in genere ad Patrum dicta, satis tuetur nos contra aduersarios. Certum est enim illa figmenta de merito operis operati nusquãm extare apud Patres. Sed ut tota causa magis perspici possit, dicemus & nos de usu Sacramenti, ea quæ certum est consentanea esse Patribus & Scripturæ.

Patribus Missa sacrificium εὐχαριστικὸν.

DE

DE VSV SACRAMENTI, *ET DE SACRIFICIO.*

Error quorũdam de fine Cœnæ Dominicæ.

QVidam belli homines fingunt Cœnam Domini inſtitutam eſſe propter duas cauſas. Primum, ut ſit nota & teſtimonium profeſſionis, ſicut certa forma cuculli eſt ſignum certæ profeſſionis. Deinde cogitant præcipuè talem notam Chriſto placuiſſe, uidelicet conuiuium, ut ſignificaret mutuam inter Chriſtianos coniunctionem atq; amicitiam, quia ſympoſia ſunt ſigna fœderum & amicitiæ. Sed hæc opinio eſt ciuilis, nec oſtendit præcipuum uſum rerum ā Deo traditarum, Tantum de caritate exercenda loquitur, quam homines prophani et ciuiles, utcunq; intelligunt, De fide non loquitur, quæ quid ſit pauci intelligunt.

Sacramenta quid ſint propriè.

Sacramenta ſunt ſigna uoluntatis Dei erga nos, non tantum ſigna ſunt hominum inter ſeſe. Et rectè definiunt Sacramenta in nouo Teſtamento, eſſe ſigna gratiæ, Et quia in Sacramento duo ſunt, Signum & Verbum. Verbum in nouo Teſtamento eſt promiſſio gratiæ addita ſigno. Promiſſio noui Teſtamenti eſt promiſſio remiſſionis peccatorum, ſicut Textus hic dicit, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur, Hic eſt calix noui Teſtamenti, cum ſanguine meo, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Verbum igitur offert remiſſionem peccatorum. Et ceremonia eſt quaſi pictura uerbi ſeu ſigillum, ut Paulus uocat, oſtendens promiſſionem. Ergo ſicut promiſſio inutilis

Sacramenta non proſunt ſine fide.

eſt, niſi fide accipiatur, ita inutilis eſt ceremonia, niſi fides accedat, quæ uerè ſtatuat hic offerri remiſſionem peccatorum. Et hæc fides erigit contritas mentes. Et ſicut uerbum ad hanc fidem excitandam traditum eſt, Ita Sacramentum inſtitutum eſt, ut illa ſpecies incurrens in oculos moueat corda ad credendum.

Principalis uſus Cœnæ Dominicæ.

Per hæc enim, uidelicet per uerbum & ſacramentum operatur Spiritus ſanctus. Et talis uſus ſacramenti, cum fides uiuificat perterrefacta corda, cultus eſt noui teſtamenti, quia nouum teſtamentum habet motus ſpirituales, mortificationem & uiuificationem. Et ad hunc uſum inſtituit Chriſtus, cum iubet facere in ſui commemorationem. Nam meminiſſe Chriſti, non eſt ocioſa ſpectaculi celebratio, aut exempli cauſa inſtituta, ſicut in Tragœdijs celebratur memoria Herculis, aut Vlyſſis, Sed eſt meminiſſe beneficia Chriſti, eaq; fide accipere, ut per ea uiuificemur. Ideò Pſalmus ait: Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus, Eſcam dedit timentibus ſe. Significat enim uoluntatem & miſericordiam Dei agnoſcendam eſſe in illa ceremonia. Illa autem fides, quæ agnoſcit miſericordiam, uiuificat. Et hic principalis uſus eſt ſacramenti, in quo apparet, qui ſint idonei ad ſacramentum, uidelicet perterrefactæ conſcientiæ, & quomodo uti debeant.

Plures fines Cœnæ Dominicæ.

Accedit & ſacrificium. Sunt enim unius rei plures fines, Poſtquàm conſcientia fide erecta ſenſit ex qualibus terroribus liberetur, tum uerò ſeriò agit gratias pro beneficio & paſſione Chriſti, & utitur ipſa ceremonia ad laudem Dei, ut hac obedientia gratitudinem oſtendat, & teſtatur ſe magnificare dona Dei, Ita fit ceremonia ſacrificium laudis. Ac Patres quidem de duplici effectu loquuntur, de conſolatione conſcientiarum, & de gratiarum actione ſeu laude. Horum effectuum prior ad ſacramenti rationem pertinet, poſterior pertinet ad ſacrificium. De conſolatione ait Ambroſius: Accedite ad eum & abſoluimini, quia eſt remiſſio peccatorum. Qui ſit iſte quæritis? Audite ipſum dicentem: Ego ſum panis uitæ, qui uenit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet

fitiet unquam. Hic teſtatur in Sacramento offerri remiſſionem peccatorum, teſtatur & fide accipi debere. Infinita teſtimonia leguntur in hanc ſententiam apud Patres, quæ omnia detorquent aduerſarij ad opus operatum & applicandum pro alijs, cum Patres apertè requirant fidem, & de propria cuiuſcp conſolatione loquantur, non de applicatione. Præter hæc leguntur & ſententiæ de gratiarum actione, qualis illa eſt ſuauiſſimè dicta ā Cypriano, de piè communicantibus. Pietas, inquit, inter data & condonata ſe diuidens, gratias agit tam uberis beneficij largitori, id eſt, pietas intuetur data & condonata, hoc eſt, confert inter ſe magnitudinem beneficiorum Dei, & magnitudinem noſtrorum malorum, mortis & peccati, & agit gratias &c. Et hinc extitit appellatio εὐχαριστίας in Eccleſia. Necp uerò ceremonia ipſa eſt gratiarum actio ex opere operato applicanda pro alijs, ut mereatur eis remiſſionem peccatorum &c. ut liberet animas defunctorum, Hæc pugnant cum iuſticia fidei, quaſi ceremonia, ſine fide proſit, aut facienti, aut alijs.

DE VOCABVLIS MISSÆ.

ADuerſarij reuocant nos etiam ad Grammaticam, ſumunt argumenta ex appellationibus Miſſæ, quæ non habent opus longa diſputatione. Non enim ſequitur Miſſam, etiamſi uocatur ſacrificium, opus eſſe ex opere operato gratiam conferens, aut applicatum pro alijs, mereri eis remiſſionem peccatorum etc. λειτουργία inquiunt, ſignificat ſacrificium. Et Græci Miſſam appellant liturgiam. Cur hic omittunt appellationem ueterem Synaxis, quæ oſtendit Miſſam olim fuiſſe multorum communicationem? Sed dicamus de Liturgia. Ea uox non ſignificat propriè ſacrificium, ſed potius publicum miniſterium, & aptè quadrat ad noſtram ſententiam, quōd uidelicet unus miniſter conſecrans, reliquo populo exhibet corpus & ſanguinem Domini, ſicut unus miniſter docens exhibet Euangelium populo, ſicut ait Paulus: Sic nos exiſtimet homo, tanquam miniſtros Chriſti & diſpenſatores ſacramentorum Dei, hoc eſt, Euangelij, & ſacramentorum. Et 2. Corint. 5. Propter cauſam Chriſti legatione fungimur tanquam Deo per nos adhortante, rogamus Chriſti cauſa, reconciliamini &c. Ita aptè quadrat nomen λειτουργία ad miniſterium. Eſt enim uetus uerbum uſurpatum in publicis miniſterijs ciuilibus, ac ſignificat Græcis, onera publica, ſicut tributum, ſumtum inſtruendæ claſſis, aut ſimilia, ut teſtatur Oratio Demoſthenis πρὸς λεπτίνην, quæ tota conſumitur in diſputatione de publicis muneribus & immunitatibus φήσει δέ ἀναξίως τινὰς ἀνθρώπους εὐπορηκότας ἀτελείαν, ἐκλελυκέναι τὰς λειτουργίας, id eſt, dicet indignos quoſdam homines inuenta immunitate, detrectare publica onera. Et ſic Romanis temporibus locuti ſunt, ut oſtendit ſcriptum Pertinacis. ff. de iure immunitatis. L. Semper εἰ καὶ μὴ πάσῶν λειτουργιῶν τοὺς πατέρας ὁ τέκνων ἀριθμὸς ἀνεῖ). Etſi nō liberat parentes omnib. onerib. publicis numerus natorum. Et commentarius Demoſthenis ſcribit λειτουργίαν genus eſſe tributorum, ſumtus ludorum, ſumtus inſtruendarum nauium, curandi gymnaſij, et ſimilium publicarum curationum. Et Paulus pro collatione uſurpauit. 2. Corint. 9. Officium huius collationis non ſolum ſupplet ea, quæ deſunt ſanctis, Sed etiam efficit, ut plures Deo ubertim agant gratias &c. Et Philippenſes 2. appellat Epaphroditum λειτουργὸν miniſtrum neceſſitatis ſuæ, ubi certè non poteſt intelligi ſacrificulus. Sed nihil opus eſt pluribus teſtimonijs, cum exempla ubicp obuia

Vocabulum liturgia.

Liturgia uetus nomen.

sint legẽtibus Græcos scriptores, in quibus λειτουργία usurpatur pro publicis oneribus ciuilibus, seu ministeriis. Et propter diphthongum Grammatici non deducunt à λιτὴ, quod significat preces, Sed à publicis bonis, quæ uocant λειτὰ, ut sit λειτουργέω curo, tracto publica bona.

Argumẽta aduersariorum à mentione altaris.

Illud est ridiculum, quòd argumentantur altaris mentionem fieri in sacris literis, quare necesse sit Missam esse sacrificium, cum parabola altaris per similitudinem ã Paulo citetur. Et Missam fingunt dictum ab altari מזבח. Quorsum opus erat tam procul accersere etymologiam, nisi uolebant ostentare scientiam Ebraicæ linguæ? Quorsum opus est procul quærere etymologiam? cum extet nomen Missa Deut. 16. ubi significat collationes, seu munera populi, non oblationem sacerdotis. Debebant enim singuli uenientes ad celebrationem Paschæ aliquod munus, quasi symbolam afferre. Hunc morem initiõ retinuerunt & Christiani. Conuenientes afferebant panes, uinum & alia, ut testantur Canones Apostolorum. Inde sumebatur pars quæ consecraretur. Reliquum distribuebatur pauperibus, Cum hoc more retinuerunt & nomen collationum, Missa. Et propter tales collationes apparet etiam alicubi Missam dictã esse ἀγάπην, nisi quis mauult ita dictam esse propter commune conuiuium, sed omittamus has nugas. Ridiculum est enim aduersarios in re tanta, adeo leues coniecturas afferre. Nam etiamsi Missa dicitur oblatio, quid facit uocabulum ad illa somnia de opere operato & applicatione, quam fingunt aliis mereri remissionem peccatorum? Et potest oblatio dici, propterea, quia ibi offeruntur orationes, gratiarum actiones, & totus ille cultus, sicut & εὐχαριστία dicitur, Verum neq; ceremoniæ, neq; orationes ex opere operato sine fide prosunt. Quanquam nos hic non de orationibus, sed propriè de Cœna Domini disputamus.

Missæ uocab: Deut: 16. quid significet.

Græci Canonis uerba de oblatione.

Græcus Canon etiam multa dicit de oblatione, sed palãm ostendit se non loqui propriè de corpore & sanguine Domini, sed de toto cultu, de precibus & gratiarum actionibus. Sic enim ait, καὶ ποίησον ἡμᾶς ἀξίους γενέσθαι τοῦ προσφέρειν σοὶ δεήσεις καὶ ἱκεσίας καὶ θυσίας ἀναιμάκτους ὑπὲρ πάντος λαοῦ, Nihil offendit rectè intellectum. Orat enim nos dignos effici, ad offerendas preces, & supplicationes & hostias incruentas pro populo. Nam ipsas preces uocat hostias incruentas. Sicut & paulò pòst ἔτι προσφέρομεν σοὶ τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν. Offerimus inquit hunc rationalem & incruentum cultum. Ineptè enim exponunt, qui hic rationalem hostiam malunt interpretari, & transferunt ad ipsum corpus Christi, cum Canon loquatur de toto cultu, & λογικὴ λατρεία à Paulo dicta sit, contra opus operatum, uidelicet, de cultu mentis, de timore, de fide, de inuocatione, de gratiarum actione &c.

Contra applicationem Missæ pro mortuis.

Quòd uerò defendunt aduersarij nostri applicationem ceremoniæ pro liberandis animabus defunctorum, qua ex re quæstum infinitum faciunt, nulla habent testimonia, nullum mandatum ex scripturis. Neq; uerò est leue peccatum, tales cultus sine mandato Dei, sine exemplo scripturæ in Ecclesia instituere, & Cœnam Domini institutam ad recordationem & prædicationem inter uiuos, transferre ad mortuos. Hoc est abuti nomine Dei contra secundum præceptum. Primum enim contumelia est Euangelij, sentire quòd ceremonia, ex opere operato, sine fide sit sacrificium reconcilians Deum, & satisfaciens pro peccatis. Horribilis oratio est, tantundem tribuere operi sacerdotis, quantum morti Christi. Deinde peccatum & mors non possunt uinci nisi fide in Christum,

ſtum, ſicut Paulus docet, Iuſtificati ex fide pacem habemus, quare non poteſt uinci pœna purgatorij, applicatione alieni operis.

Omittemus iam qualia habeant aduerſarij teſtimonia de purgatorio, quales exiſtiment pœnas eſſe purgatorij, quales habeat cauſas doctrina ſatisfactionum, quam ſuprà oſtendimus uaniſſimam eſſe. Illud tantum opponemus, Certum eſt Cœnam Domini inſtitutam eſſe propter remiſſionem culpæ. Offert enim remiſſionem peccatorum, ubi neceſſe eſt uerē culpam intelligere. Et tamen pro culpa nō ſatisfacit, alioqui Miſſa eſſet par morti Chriſti. Nec remiſſio culpæ accipi poteſt aliter niſi fide. Igitur Miſſa nō eſt ſatisfactio, ſed promiſſio & ſacramentum requirens fidem. Ac profectō neceſſe eſt omnes pios acerbiſſimo dolore affici, ſi cogitent Miſſam magna ex parte ad mortuos & ad ſatisfactiones pro pœnis translatam eſſe. Hoc eſt, tollere iuge ſacrificium ex Eccleſia. Hoc eſt Antiochi regnum, qui ſaluberrimas promiſſiones de remiſſione culpæ, de fide, tranſtulit ad uaniſſimas opiniones de ſatisfactionibus. Hoc eſt Euangelium contàminare, corrumpere uſum ſacramentorum. Hi ſunt quos Paulus dixit reos eſſe corporis & ſanguinis Domini, qui oppreſſerunt doctrinam de fide, & remiſſionem culpæ, & corpus & ſanguinem Domini ad ſacrilegum quæſtum prætextu ſatisfactionum contulerunt. Et huius ſacrilegij pœnas aliquando dabunt. Quare cauendum eſt nobis & omnibus pijs conſcientijs, ne approbent aduerſariorum abuſus.

Contra figmentum de pœnis purgatorij.

Sed redeamus ad cauſam. Cum Miſſa non ſit ſatisfactio, nec pro pœna, nec pro culpa, ex opere operato, ſine fide, Sequitur applicationem pro mortuis inutilem eſſe. Neq; hic opus eſt longiore diſputatione. Conſtat enim quōd illæ applicationes pro mortuis nulla habeant ex ſcripturis teſtimonia. Nec tutum eſt in Eccleſia cultus inſtituere, ſine autoritate ſcripturæ. Et ſi quando opus erit, prolixius de tota re dicemus. Quid enim nunc rixemur cum aduerſarijs, qui neq; quid ſacrificium, neq; quid ſacramentum, neq; quid remiſſio peccatorum, neq; quid ſit fides, intelligunt.

Veteres loquūtur de oratione, non de oblatione & applicatione.

Nec Græcus Canon applicat oblationem tanquam ſatisfactionem pro mortuis, quia applicat eam pariter beatis omnibus Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis. Apparet igitur Græcos tanquam gratiarum actionem offerre, non applicare tanquam ſatisfactionem pro pœnis. Quanquam etiam loquuntur non de ſola oblatione corporis & ſanguinis Domini, Sed de reliquis Miſſæ partibus, uidelicet, orationibus, & gratiarum actionibus. Nam poſt conſecrationem precantur, ut ſumentibus proſit, non loquuntur de alijs. Deinde addunt ἔτι προσφέρομεν σοὶ τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων, προπατόρων, πατέρων, πατριάρχων, προφητῶν, ἀποστόλων &c. At λογικὴ λατρεία non ſignificat ipſam hoſtiam, Sed orationes & omnia quæ ibi geruntur. Quōd uerō allegant aduerſarij Patres de oblatione pro mortuis, Scimus ueteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus, ſed applicationem Cœnæ Domini pro mortuis ex opere operato, improbamus. Nec patrocinantur aduerſarijs Veteres de opere operato. Et ut maximē Gregorij aut recentiorum teſtimonia habeant, nos opponimus clariſſimas & certiſſimas ſcripturas. Et Patrum magna diſſimilitudo eſt. Homines erant & labi ac decipi poterant. Quanquam ſi nunc reuiuiſcerent, ac uiderent ſua dicta prætexi luculentis illis mendacijs, quæ docent aduerſarij de opere operato, longē aliter ſe ipſi interpretarentur.

Falſō etiam citant aduerſarij contra nos damnationem Aërij, quem di-

Contra obiectionem de hæreſi Aërij.

cunt propterea damnatum esse, quòd negauerit in Missa oblationem fieri pro uiuis & mortuis. Sæpè hoc colore utuntur, allegant ueteres hæreses, & cum his falsò comparant nostram causam, ut illa collatione prægrauent nos. Epiphanius testatur Aërium sensisse, quòd orationes pro mortuis sint inutiles, Id reprehendit. Neq; nos Aërio patrocinamur, sed uobiscum litigamus, qui hæresin manifestè pugnantem cum Prophetis, Apostolis, & sanctis Patribus, scelestè defenditis, uidelicet, quòd Missa ex opere operato iustificet, quòd mereantur remissionem culpæ et pœnæ, etiam iniustis, pro quibus applicatur, si non ponant obicem. Hos pernicioſos errores improbamus, qui lædunt gloriam passionis Christi, & penitus obruunt doctrinam de iusticia fidei. Similis fuit persuasio impiorum in lege, quòd mererentur remissionem peccatorum per sacrificia ex opere operato, non acciperent gratis per fidem. Itaq; augebant illos cultus & sacrificia, instituebant cultum Baal in Israël. In Iuda etiam sacrificabant in lucis. Quare Prophetæ dãnata illa persuasione, belligerabantur non solum cum cultoribus Baal, sed etiam cum alijs sacerdotibus, qui sacrificia ã Deo ordinata cum illa opinione impia faciebant. Verum hæret in mundo hæc persuasio, & hærebit semper, quòd cultus & sacrificia sint propiciationes. Non ferunt homines carnales soli sacrificio Christi tribui hunc honorem, quòd sit propiciatio, quia iusticiam fidei non intelligunt, sed parem honorem tribuunt reliquis cultibus & sacrificijs. Sicut igitur in Iuda hæsit apud impios Pontifices falsa persuasio de sacrificijs, sicut in Israël Baalitici cultus durauerunt, Et tamen erat ibi Ecclesia Dei, quæ impios cultus improbabat: Ita hæret in regno Pontificio cultus Baaliticus, hoc est, abusus Missæ, quam applicant, ut per eam mereantur iniustis remissionem culpæ & pœnæ. Et uidetur hic Baaliticus cultus unà cum regno Pontificio duraturus esse, donec ueniet Christus ad iudicandum, & gloria aduentus sui perdet regnum Antichristi. Interim omnes qui uerè credunt Euangelio, debent improbare illos impios cultus, excogitatos contra mandatum Dei, ad obscurandam gloriam Christi, & iusticiam fidei.

Persuasio de opere operato in usu ceremoniæ similis illi, quæ fuit in lege.

Abusus Missæ cultus Baalit:

Hæc de Missa breuiter diximus, ut omnes boni uiri ubiq; gentium intelligere queant, nos summo studio dignitatem Missæ tueri, & uerum usum ostendere, & iustissimas habere causas, quare ab aduersarijs dissentiamus. Ac uolumus admonitos esse omnes bonos uiros, ne adiuuent aduersarios defendentes prophanationem Missæ, ne grauent se societate alieni peccati. Magna causa, magna res est, nec inferior illo negocio Eliæ Prophetæ, qui cultum Baal improbabat. Nos modestissimè causam tantam proposuimus, & nunc sine contumelia respondimus, Quòd si commouerint nos aduersarij, ut omnia genera abusuum Missæ colligamus, non tam clementer erit agenda causa.

DE VOTIS MONASTICIS.

APud nos in oppido Thuringiæ Isenaco Frãciscanus quidam fuit ante annos 30. Iohannes Hilten, qui à suo sodalicio coniectus est in carcerem, propterea q; quosdam notissimos abusus reprehenderat. Vidimus. n. eius scripta, ex quibus satis intelligi potest, quale fuerit ipsius doctrinę genus. Et qui norunt eum, testantur fuisse senem placidum, & sine morositate grauem. Is multa prædixit, quę partim euenerunt hactenus, partim iam uidentur impendere, quæ nõ uolumus recitare, ne quis interpretetur ea aut odio cuiusq;, aut in gratiam alicuius narrari. Sed postremõ cum uel propter ætatem, uel propter squalorem carceris in mor-

Vaticinium Iohannis Hilten.

in morbū incidisset, accersiuit ad se Guardianum, ut suam ualetudinem illi indicaret, cumq; Guardianus accensus odio Pharisaico, duriter obiurgare hominem propter doctrinæ genus, quod uidebatur officere culinę, cœpisset, tum iste omissa iam mentione ualetudinis ingemiscens inquit, se has iniurias æquo animo propter Christum tolerare, cum quidem nihil scripsisset aut docuisset, quōd labefactare statum Monachatus posset, tantum notos quosdam abusus reprehendisset. Sed alius quidam, inquit, ueniet anno Domini 1516. qui destruet uos, nec poteritis ei resistere. Hanc ipsam sententiam de inclinatione regni Monachorum, & hunc annorum numerū, postea etiam repererunt eius amici perscriptum ab ipso in commentarijs suis, inter annotationes quas reliquerat in certos locos Danielis. Quanq; autem quantum huic uoci tribuendum sit, euentus docebit, tamen extant alia signa, quæ minantur mutationem regno Monachorum, non minus certa, quām oracula. Constat enim quantum sit in Monasterijs hypocrisis, ambitionis, auariciæ, quanta inscitia, & indoctissimi cuiusq; sæuitia, quanta uanitas in concionibus, in excogitādis subinde nouis aucupijs pecuniæ. Et sunt alia uicia, quæ non libet commemorare. Cumq; fuerint olim Scholę doctrinæ Christianæ, nunc degenerauerunt uelut ab aureo genere in ferreum, seu ut cubus Platonicus in malas harmonias degenerat, quas Plato ait exitium afferre. Locupletissima quęq; Monasteria tantum alunt ociosam turbam, quæ ibi falsō prætextu religionis helluatur de publicis eleemosynis Ecclesiæ, Christus autem admonet de sale insipido, quōd soleat effundi, & conculcari. Quare ipsi sibi Monachi his moribus fata canunt. Et accedit nunc aliud signum, quōd passim autores sunt interficiendorum bonorum uirorum. Has cædes Deus haud dubiè breui ulciscetur. Neq; uerò accusamus omnes, Arbitramur enim passim aliquos uiros bonos in Monasterijs esse, qui de humanis cultibus moderatè sentiunt, nec probant sæuitiam, quam exercent hypocritæ apud ipsos.

Vicia et scelera quæ regnāt in Monasterijs.

Sed de genere doctrinæ disputamus, q̄ nunc defendunt Architecti Confutationis, non utrū uota seruāda sint. Sentimus. n. licita uota seruari debere, sed utrū cultus illi mereantur remissionē peccatorum et iustificationem, utrum sint satisfactiones pro peccatis, utrum sint pares baptismo, utrum sint obseruatio præceptorum & consiliorum, utrum sint perfectio Euāgelica, utrum habeant merita supererogationis, utrum merita illa applicata alijs saluent eos, utrū sint licita uota his opinionibus facta, utrum licita sint uota, quæ prętextu religionis tantum uentris & ocij causa suscepta sunt, utrum uerē sint uota, quę sunt extorta aut inuitis, aut his qui per ætatem nondum iudicare poterant de genere uitæ, quos parentes aut amici intruserunt in Monasteria, aut de publico alerentur, sine patrimonij priuata iactura. Vtrum licita sint uota, quæ palam uergunt ad malum exitum, uel quia propter imbecillitatem non seruantur, uel quia hi qui sunt in illis sodalicijs, coguntur abusus Missarum, impios cultus sanctorum, consilia sæuiendi in bonos uiros, approbare & adiuuare. De his quæstionibus disputamus, Et cum nos in Confessione plæraq; diximus de eiusmodi uotis, quæ etiam Canones Pontificum improbant, tamen aduersarij iubent omnia quæ produximus reijcere. His enim uerbis usi sunt, Ac operæprecium est audire, quo modo cauillentur nostras rationes, & quid offerant ad munidendam suam causam. Ideō breuiter percurremus pauca quædam argumenta nostra, & diluemus in his obiter cauillationes aduersariorum. Cum autem hæc tota causa diligenter & copiosē à Luthero tractata sit, in libro cui titu-

Status controuersiæ de uotis monasticis.

lum fecit, De uotis Monasticis, uolumus hic librum illum pro repetito habere.

Vota cum opinione meriti nõ sunt licita.

Primum hoc certissimum est, non esse licitum uotum, quo sentit is qui uouet, se mereri remissionem peccatorum coram Deo, aut satisfacere pro peccatis coram Deo. Nam hæc opinio est manifesta contumelia Euangelij, quod docet nobis gratis donari remissionem peccatorum propter Christum, ut suprã copiosè dictum est. Rectè igitur citauimus Pauli locum ad Galatas, Euacuati estis ã Christo, qui in Lege iustificamini, ã gratia excidistis. Qui quęrunt remissionem peccatorum, non fide in Christum, sed operibus Monasticis, detrahunt de honore Christi, & iterum crucifigunt Christum. Audite autem, audite, quomodo hic elabantur Architecti Confutationis. Pauli locum tantum de Lege Moysi exponunt, & addunt Monachos omnia propter Christum obseruare, et conari propius secundum Euangelium uiuere, ut mereantur uitam æternam. Et addunt horribilem epilogum, his uerbis: Quare impia sunt, quæ hic contra Monasticen allegantur. O Christe, quãm diu feres has contumelias, quibus Euangelium tuum afficiunt hostes nostri? Diximus in Confessione remissionem peccatorum gratis accipi, propter Christum per fidem. Si hæc non est ipsa Euangelij uox, si non est sententia Patris æterni, quam tu qui es in sinu Patris, reuelasti mundo, iure plectimur. Sed tua mors testis est, tua resurrectio testis est, Spiritus s. testis est, tota Ecclesia tua testis est, uerè hanc esse Euangelij sententiam, quòd consequamur remissionem peccatorum, non propter merita, sed propter te, per fidem. Paulus cum negat homines Lege Moysi mereri remissionem peccatorum, multò magis detrahit hanc laudem traditionibus humanis, Idq; apertè ad Colossenses testatur. Si Lex Moysi quæ erat diuinitus reuelata, non merebatur remissionem peccatorum, quantò minus istæ fatuæ obseruationes, abhorrẽtes ã ciuili consuetudine uitæ merentur remissionem peccatorum. Aduersarij fingunt Paulum abolere Legem Moysi, & Christum ita succedere, ut non gratis donet remissionem peccatorum, Sed propter opera aliarum legum, si quæ nunc excogitentur. Hac impia & fanatica imaginatione obruunt beneficium Christi. Deinde fingunt inter hos qui obseruant illam Legem Christi, Monachos propius obseruare quãm alios propter hypocrisin paupertatis, obedientiæ, & castitatis, cum quidem omnia sint plena simulationis. Paupertatem iactant in summa copia rerum omnium, Obedientiam iactant, cum nullum genus hominum libertatem habeat maiorem, quãm Monachi, De cœlibatu non libet dicere, qui quãm purus sit in plærisq; qui studeant continere, Gerson indicat. Et quotus quisq; continere studet. Scilicet hac simulatione propius secundum Euangelium uiuunt Monachi. Christus non ita succedit Moysi, ut propter nostra opera remittat peccata, sed ut sua merita, suam propiciationem opponat iræ Dei pro nobis, ut gratis nobis ignoscatur. Qui uerò præter Christi propiciationem propria merita opponit iræ Dei, & propter propria merita consequi remissionem peccatorum conatur, siue afferat opera Legis Mosaicæ, siue Decalogi, siue Regulæ Benedicti, siue regulæ Augustini, siue aliarum Regularum, is abolet promissionem Christi, abiecit Christum, & excidit gratia. Hæc est Pauli sententia. Vide autem Carole Cæsar, Imperator clementissime, uidete Principes, uidete omnes ordines, quanta sit impudentia aduersariorum, cum Pauli locum in hanc sententiam citauerimus, ipsi adscripserunt: Impia sunt quæ hic contra Monasticen allegantur. Quid est autem certius, quãm quòd remissionem peccatorum consequuntur homines fide, propter

Si non Lex Moysi, multò minus hypocritica obseruatio Monachorum meretur remissionẽ peccatorum.

Impudẽtia aduersariorum in reijciendis ijs, quæ contra Monasticen dicta sunt.

propter Christum? Et hanc sententiam audent isti nebulones impiam uocare. Nihil dubitamus quin si admoniti fuissetis de hoc loco, eximi ē Confutatione tantam blasphemiam curassetis. Cum autem supra copiosē ostensum sit, impiam opinionem esse, quòd propter opera nostra consequamur remissionem peccatorum, breuiores in hoc loco erimus. Facilè enim inde prudens lector ratiocinari poterit, quòd non mereamur remissionem peccatorum per opera Monastica. Itaq; & illa blasphemia nullo modo ferenda est, quæ apud Thomam legitur, professionem Monasticam parem esse baptismo. Furor est, humanam traditionem, quæ neq; mandatum Dei, neq; promissionem habet, æquare ordinationi Christi, quæ habet & mandatum & promissionem Dei, quæ continet pactum gratiæ & uitæ æternæ.

Secundò. Obedientia, paupertas, & cœlibatus, si tamen non sit impurus, exercitia sunt ἀδιάφορα. Ideoq; sancti uti eis sine impietate possunt, sicut usi sunt Bernardus, Franciscus & alij sancti uiri. Et hi usi sunt propter utilitatem corporalem, ut expeditiores essent ad docendum, & ad alia pia officia, non quòd opera ipsa per se sint cultus, qui iustificent, aut mereantur uitam æternam. Deniq; sunt ex illo genere, de quo Paulus ait: Corporalis exercitatio parumper utilis est. Et credibile est alicubi, nunc quoq; esse bonos uiros in Monasterijs, qui seruiunt ministerio uerbi, qui illis obseruationibus sine impijs opinionibus utuntur. At sentire, quòd illæ obseruationes sint cultus, propter quos coram Deo iusti reputentur, & per quos mereantur uitam æternam, hoc pugnat cum Euangelio de iusticia fidei, quod docet, quòd propter Christum donetur nobis iusticia, & uita æterna. Pugnat & cum dicto Christi: Frustra colunt me mandatis hominum. Pugnat & cum hac sententia: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quomodo autem possunt affirmare quòd sint cultus quos Deus approbet, tanquam iusticiam coram ipso, cum nullum habeant testimonium uerbi Dei?

Paupertas, cœlibatus ἀδιάφορα sunt.

Sed uidete impudentiam aduersariorum. Non solum docent, quòd obseruationes illæ sint cultus iustificantes, sed addunt perfectiores esse cultus, hoc est, magis merentes remissionem peccatorum & iustificationem, quàm sint alia uitæ genera. Et hic concurrunt multæ falsæ ac pernicioſæ opiniones, fingunt se seruare præcepta & consilia. Postea homines liberales, cum somnient se habere merita supererogationis, uendunt hæc alijs. Hæc omnia plena sunt Pharisaicæ uanitatis. Extrema enim impietas est sentire, quòd Decalogo ita satisfaciant, ut supersint merita, Cum hæc præcepta omnes Sanctos accusent. Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item, Non concupiscas. Propterea ait: Omnis homo mendax, id est, non rectè de Deo sentiens, non satis timens, non satis credens Deo, quare falsò gloriantur Monachi, in obseruatione Monasticæ uitæ præceptis satisfieri, ac plus quàm præcepta fieri.

Impudētia aduersariorum, obseruationes Monasticas perfectiores esse alijs uitæ generibus.

Deinde falsum & hoc est, quòd obseruationes Monasticæ sint opera consiliorum Euangelij. Nam Euangelium non consulit discrimina uestitus, ciborū, abdicationem rerum propriarum. Hæ sunt traditiones humanę, de quibus omnibus dictum est. Esca non commendat Deo, Quare neq; cultus iustificantes sunt, neq; perfectio. Imò cum his titulis fucatæ proponuntur, sunt meræ doctrinæ dæmoniorū. Virginitas suadetur, sed his qui donū habent, ut suprà dictum

Obseruationes Monasticæ nō sunt opera cōsiliorum Euangelij.

est. Error est autem pernicioſissimus ſentire, quõd perfectio Euangelica ſit in traditionibus humanis. Nam ita etiam Mahometiſtarum Monachi gloriari poſſent, ſe habere perfectionem Euangelicam. Neqꝫ eſt in obſeruatione aliorum quæ dicuntur ἀδιάφορα, ſed quia regnum Dei eſt iuſticia & uita in cordibus, ideõ perfectio eſt, creſcere in timorem Dei, fiduciam miſericordiæ promiſſæ in Chriſto, & curam obediendi uocationi, ſicut & Paulus deſcribit perfectionem, Transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. Non ait, alium ſubinde cucullum accipimus, aut alios calceos, aut alia cingula. Miſerabile eſt in Eccleſia tales Phariſaicas, imõ Mahometicas uoces legi atqꝫ audiri, uidelicet perfectionem Euangelij, regni Chriſti, quõd eſt uita ęterna, in his ſtultis obſeruationibus ueſtium & ſimilium nugarum collocari.

Nunc audite Areopagitas noſtros, quàm indignam ſententiam poſuerint in Confutatione. Sic aiunt SACRIS LITERIS EXPRESSVM eſt Monaſticam uitam, debita obſeruatione cuſtoditam, quam per gratiam Dei, quilibet Monaſtici cuſtodire poſſunt, mereri uitam æternam, & quidem multõ auctiorem Chriſtus eis promiſit, qui reliquerint domum aut fratres &c. Hæc ſunt uerba aduerſariorum, in quibus hoc primum impudentiſſimè dicitur, quõd ſacris literis expreſſum ſit, uitam Monaſticam mereri uitam æternam. Vbi enim loquuntur ſacræ literæ de Monaſtica? Sic agunt cauſam aduerſarij, ſic citant ſcripturas nihili homines, cum nemo neſciat Monaſticam recens excogitatam eſſe, tamen allegant autoritatem ſcripturæ, & quidem dicunt hoc ſuum decretum expreſſum eſſe in ſcripturis. Præterea contumelia afficiunt Chriſtum, cum dicunt homines per Monaſticam mereri uitam æternam. Deus ne ſuæ quidem legi hunc honorem tribuit, quõd mereatur uitam æternam, ſicut clarè dicit apud Ezechielem cap. 20. Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non uiuent. Primum hoc certũ eſt, quõd uita Monaſtica non meretur remiſſionem peccatorum, ſed hanc fide gratis accipimus, ut ſuprà dictũ eſt. Deinde propter Chriſtum, per miſericordiam donatur uita æterna, his qui fide accipiunt remiſſionem, nec opponunt merita ſua iudicio Dei, ſicut & Bernardus grauiſſimè dicit: Neceſſe eſt primõ omniũ credere, quõd remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam Dei. Deinde, quõd nihil prorſus habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremõ, quõd æternam uitam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & illa. Cætera quæ in eandem ſententiã ſequuntur, ſuprà recitauimus. Addit autem in fine Bernardus: Nemo ſe ſeducat, quia ſi benẽ cogitare uoluerit, inueniet procul dubio, quõd nec cum decem millibus poſſet occurrere ei, qui cum uiginti millibus uenit ad ſe. Cum autem nec diuinæ leges operibus mereantur remiſſionem peccatorum aut uitam æternam, ſed neceſſe ſit quærere miſericordiam promiſſam in Chriſto, multõ minus obſeruationibus Monaſticis, cum ſint meræ traditiones humanæ, tribuendus eſt hic honor, quõd mereantur remiſſionem peccatorum, aut uitam æternam. Ita ſimpliciter obruunt Euangelium de gratuita remiſſione peccatorum, & de apprehendenda miſericordia promiſſa in Chriſto, qui docent Monaſticam uitam mereri remiſſionem peccatorum, aut uitam æternam, & fiduciam debitam Chriſto transferunt in illas ſtultas obſeruationes. Pro Chriſto colunt ſuos cucullos, ſuas ſordes. Cum autem & ipſi egeant miſericordia, impiè faciunt, quõd fingunt merita ſupererogationis, eaqꝫ alijs uendunt. Breuiùs de his rebus dicimus, quia ex his quæ ſuprã de iuſtificatione, de pœnitentia, de traditionibus

Dictum Chriſti, Qui reliquerit domum etc. impudenter trãslatum ad Monaſticẽ.

Vita Monaſtica non meretur remiſſionem peccatorum, nec eſt perfectio.

Commenta de Monaſtica prorſus obruunt Euangelium.

tionibus humanis diximus, satis constat uota monastica non esse precium, propter quod detur remissio peccatorum, & uita æterna. Et cum Christus uocet traditiones cultus inutiles, nullo modo sunt perfectio Euangelica.

Verum aduersarij uideri uolunt astutè moderari uulgarem persuasionem de perfectione. Negant Monasticam uitam perfectionem esse, sed dicunt statū esse acquirendę perfectionis. Bellè dictū est, et meminimus hanc correctionem extare apud Gersonē. Apparet, n. prudentes uiros offensos immodicis illis encomijs uitæ Monasticę, cum nō auderent in totū detrahere ei laudem perfectionis, addidisse hanc ἐπαυρθωσιν, ꝙ sit status acquirendæ perfectionis. Hoc si sequimur, nihilo magis erit monastica status perfectionis, quàm uita agricolę aut fabri. Nam hi quoq; sunt status acquirendę perfectionis. Oēs, n. homines in qua cunq; uocatione perfectionē expetere debent, hoc est, crescere in timore Dei, in fide, in dilectione proximi, & similib. uirtutib. spiritualibus. Extant in historijs Eremitarū exempla, Antonij & aliorū, quę exęquāt genera uitæ. Scribitur Antonio petēti, ut Deus sibi ostēderet, quantū in hoc uitæ genere proficeret, quendam in urbe Alexandria sutorem monstratū esse per somniū, cui comparetur. Postridiè Antonius ueniens in urbem, accedit ad sutorem, exploraturus illius exercitia & dona, collocutus cum homine, nihil audit, nisi mane eum pro uniuersa ciuitate paucis uerbis orare, deinde arti suæ operam dare. Hic intellexit Antonius, nō esse iustificationem tribuendam illi uitæ generi, quod susceperit.

Aduersarij bella ἐπαυρθώσει monasticē dicunt esse statum acquirendæ perfectionis.

Sed aduersarij, etsi nunc moderantur laudes de perfectione, tamen aliter reipsa sentiunt. Vendunt enim merita, & applicant pro alijs hoc prætextu, ꝙ obseruent præcepta & consilia, quare reipsa sentiūt sibi superesse merita. Quid est autem arrogare sibi perfectionem, si hoc non est? Deinde in ipsa Confutatione positum est, quòd Monastici contendant propius secundum Euangelium uiuere. Tribuit igitur perfectionem traditionibus humanis, si ideò propius secundum Euangelium uiuunt Monachi, quia non habent proprium, quia sunt cœlibes, quia obediunt Regulæ in uestitu, cibis & similibus nugis.

Aduersi uerbis moderantur quod reipsa faciunt.

Item Confutatio dicit, Monachos mereri uitam æternam auctiorem, & allegant scripturam: Qui reliquerit domum etc. scilicet hic quoq; perfectionem arrogat facticijs religionibus, Sed hic locus Scripturæ, nihil facit ad uitam monasticam. Non enim hoc uult Christus, quòd deserere parentes, coniugem, fratres, sit opus ideò faciendum, quia mereatur remissionem peccatorum, & uitam æternam. Imò maledicta est illa desertio, Fit, n. cum contumelia Christi, si quis ideò deseret parentes, aut coniugem, ut hoc ipso opere mereatur remissionem peccatorum, & uitam æternam. Duplex aūt desertio est, quædam fit sine uocatione, sine mandato Dei, hanc non probat Christus. Nam opera à nobis electa, sunt inutiles cultus. Clarius autem hic apparet, Christum non probare hanc fugam, quia loquitur de deserenda uxore, & liberis. Scimus autem quōd mandatum Dei prohibet deserere uxorem & liberos. Alia desertio est, quæ fit mandato Dei, uidelicet, cum cogit nos potestas aut Tyrannis cedere, aut negare Euangelium. Hic habemus mandatum, ut potius sustineamus iniuriam, potius eripi nobis patiamur, non solum facultates, coniugem, liberos, sed uitam quoq;. Hanc desertionem probat Christus, Ideoq; addit, propter Euangelium, ut significet se de his loqui, non qui faciunt iniuriam uxori & liberis, sed qui propter cōfessionem Euangelij sustinent iniuriam. Corpus nostrum etiam deserere debemus propter Euangelium. Hic ridiculum fuerit sentire,

Duplex est desertio.

quōd

quòd cultus Dei sit, seipsum occidere & relinquere corpus sine mandato Dei. Ita ridiculum est sentire quòd cultus Dei sit, deserere possessiones, amicos, coniugem, liberos, sine mandato Dei. Constat igitur malè detorqueri dictum Christi ad uitam Monasticam. Nisi fortassis hoc quadrat, quòd centuplum in hac uita recipiunt. Plurimi enim fiunt Monachi non propter Euangelium, sed propter culinam & ocium, qui pro exiguis patrimonijs inueniunt amplissimas opes. Sed ut tota res Monastica, simulationis plena est, ita falsò prætextu testimonia scripturæ citant, ut dupliciter peccent, hoc est, ut fallant homines, & fallant prætextu nominis diuini.

Monachi non propter Euangeliũ, sed propter culinam.

Citatur & alius locus de perfectione, Si uis perfectus esse, uade, uende quę habes, & da pauperibus & ueni, & sequere me. Hic locus exercuit multos qui finxerunt perfectionem esse possessiones ac dominia rerum abijcere. Sinamus Philosophos Aristippum prędicare, qui magnum auri pondus abiecit in mare. Talia exempla nihil pertinent ad Christianam perfectionem. Rerum diuisio, dominia & possessio, sunt ordinationes ciuiles approbatæ uerbo Dei, in præcepto: Non furtum facies. Desertio facultatum non habet mandatum, aut consilium in Scripturis. Nam Euangelica paupertas non est desertio rerum, sed nõ esse auarum, non confidere opibus, sicut Dauid pauper erat, in ditissimo regno. Quare cum desertio facultatum sit merè traditio humana, est inutilis cultus. Et immodica sunt illa Encomia in extrauagante, quæ ait abdicationem proprietatis omnium rerum propter Deum, meritoriam & sanctam, & uiam perfectionis esse. Et periculosissimum est rem pugnantem cum ciuili consuetudine, talibus immoderatis laudibus efferre. At Christus hic perfectionem uocat. Imõ, iniuriam faciunt textui, qui truncatum allegant. Perfectio est in hoc, quod addit Christus, sequere me. Exemplum obedientiæ in uocatione propositum est, Et quia uocationes dissimiles sunt, ita hæc uocatio non est omnium, sed propriè ad illam personam, cum qua ibi loquitur Christus, pertinet, sicut uocatio Dauidis ad regnũ, Abraham ad mactandum filium, nõ sunt nobis imitandæ. Vocationes sunt personales, sicut negocia ipsa uariant temporibus & personis, Sed exemplum obedientiæ est generale. Perfectio erat futura illi iuueni, si huic uocationi credidisset & obediuisset. Ita perfectio nobis est, obedire unumquenq; uera fide suæ uocationi.

Quomodo intelligendus locus Christi, Si uis perfectus esse &c.

Vocationes personales sunt. Exemplum obedientiæ generale.

Tertiò. In uotis Monasticis promittitur castitas, Suprã autem diximus de coniugio Sacerdotum, non posse uotis aut legibus tolli lus naturæ in hominibus. Et quia non omnes habent donum continentiæ, multi propter imbecillitatem infœliciter continent. Neq; uerò ulla uota, aut ullæ leges possunt abolere mandatum Spiritus sancti. Propter fornicationem unusquisq; habeat uxorem suam. Quare hoc uotum non est licitum in his qui non habent donum continentiæ, sed propter imbecillitatem contaminantur. De hoc toto loco satis suprã dictum est, in quo profectò mirum est, cum uersentur ob oculos pericula & scandala, tamen aduersarios defendere suas traditiones, cõtra manifestum Dei præceptum. Nec commouet eos uox Christi, qui obiurgat Pharisæos, qui traditiones contra mandatum Dei fecerant.

Votum castitatis nõ tollit ius naturæ.

Quartò. Liberant hos qui uiuunt in Monasterijs impij cultus, quales sunt prophanatio Missæ ad quæstum collatæ pro mortuis, cultus Sanctorum, in quibus duplex uicium est, & quòd Sancti in locum Christi subrogantur, & impiè coluntur, sicut finxerunt Dominicastri Rosarium B. Virginis, quod est mera

Impij cultus in Monasterijs liberãt à uotis.

est mera καταλογία non minus stulta, quām impia, uanissimam fiduciam alens. Deinde hæ ipsæ impietates, tantum conferuntur ad quæstum. Item Euangelium de gratuita remissione peccatorum propter Christum, de iusticia fidei, de uera pœnitentia, de operibus quæ habent mandatum Dei, neq; audiunt, neq; docent. Sed uersantur aut in Philosophicis disputationibus, aut in traditionibus ceremoniarum quæ obscurant Christum. Non hic dicemus de illo toto cultu ceremoniarum, de lectionibus, cantu, & similibus rebus quæ poterant tolerari, nisi haberentur pro exercitijs, sicut lectiones in Scholis, quarum finis est docere audientes, & inter docendum aliquos commouere ad timorem aut fidem. Sed nunc fingunt has ceremonias esse cultus Dei, qui mereantur remissionem peccatorum ipsis & alijs. Ideō enim augent has ceremonias. Quōd si susciperent ad docendos, & adhortandos auditores, breues & accuratæ lectiones plus prodessent, quām illæ infinitæ καταλογίαι. Ita tota uita Monastica plena est hypocrisi, & falsis opinionibus. Ad hæc omnia accedit & hoc periculum, quōd qui sunt in illis collegijs coguntur assentiri persequentibus ueritatem. Multæ igitur graues & magnæ rationes sunt, quæ liberant bonos uiros ab hoc uitæ genere.

Canones liberant multos à uotis.

Postremō multos liberant ipsi Canones, qui aut illecti artibus Monachorum sine iudicio uouerunt, aut coacti ab amicis uouerunt. Talia uota ne Canones quidem pronunciant esse uota. Ex his omnibus apparet plurimas esse causas, quæ docent uota Monastica, qualia hactenus facta sunt, non esse uota, quare tutō deseri potest uitæ genus plenum hypocrisis & falsarum opinionum.

Nazaræorum ritus quales fuerunt.

Hic obijciunt ex lege Nazaræos. Sed hi non suscipiebant uota sua cum his opinionibus, quas hactenus diximus nos reprehendere in uotis Monachorum. Nazaræorum ritus erat exercitium, aut protestatio fidei coram hominibus, non merebatur remissionem peccatorum coram Deo, non iustificabat coram Deo. Deinde sicut nunc circumcisio, aut mactatio uictimarum non esset cultus, ita ne ritus Nazaræorum, nunc debet proponi tanquam cultus, sed debet iudicari simpliciter ἀδιάφορον. Non igitur rectē confertur Monachatus sine uerbo Dei excogitatus, ut sit cultus, qui mereatur remissionem peccatorum, & iustificationem, cum ritu Nazaræorum, qui habebat uerbum Dei, nec traditus erat in hoc, ut mereretur remissionem peccatorum, sed ut esset exercitium externum, sicut aliæ ceremoniæ Legis. Idem de alijs uotis in lege traditis dici potest.

De Rechabitarum exemplo.

Allegantur & Rechabitę, qui nec possessiones habebant ullas, nec uinum bibebant, ut scribit Ieremias cap. 35. Scilicet pulchrē quadrat exemplum Rechabitarum ad Monachos nostros, quorū Monasteria superant palatia regum, qui lautissimē uiuunt. Et Rechabitæ in illa omnium rerum penuria, tamen erant coniuges. Nostri Monachi cum affluant omnibus delitijs profitentur cœlibatum. Cæterum exempla iuxta regulam, hoc est, iuxta scripturas certas & claras, non contra regulam, seu contra scripturas interpretari conuenit. Certissimum est autem obseruationes nostras non mereri remissionem peccatorum, aut iustificationem. Quare cum laudantur Rechabitæ, necesse est eos morem suum non ideo seruasse, quōd sentirent se per eum mereri remissionem peccatorum, aut opus ipsum cultum esse iustificantem, aut propter quem consequerentur uitam æternam, non per misericordiam Dei, propter semen promissum. Sed quia habuerunt mandatum parentum, laudatur obedientia, de qua extat præceptum Dei: Honora Patrem & Matrem. Deinde, mos habebat

finem

finem proprium, quia peregrini erant, non Israëlitæ, apparet patrem uoluisse eos certis notis discernere à suis popularibus, ne relaberentur ad impietatem popularium. Volebat his notis eos admonere doctrinæ fidei & immortalitatis. Talis finis est licitus. At fines Monasticæ longè alij traduntur. Fingunt opera Monastices cultus esse, fingunt ea mereri remissionem peccatorum ac iustificationem. Est igitur dissimile Monasticæ exemplum Rechabitarum, ut omittamus hic alia incommoda, quæ hærent in præsenti Monastica.

De uiduis in priore ad Timotheum.

Citant & ex priore ad Timotheum cap. 5. de uiduis, quæ seruientes Ecclesiæ, alebantur de publico, ubi ait: Nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Primum hic fingamus Apostolum de uotis loqui, tamen hic locus non patrocinabitur Monasticis uotis, quæ fiunt de impijs cultibus, & hac opinione, ut mereantur remissionem peccatorum, & iustificationem. Paulus enim tota uoce damnat omnes cultus, omnes leges, omnia sipera, si ita obseruentur, ut mereantur remissionem peccatorum, aut ut propter ea consequamur uitam æternam, non propter Christum per misericordiam. Ideò necesse est uota uiduarum, si qua fuerunt, dissimilia fuisse uotis Monasticis. Præterea si non desinant aduersarij detorquere locum ad uota, detorquendum erit eodem hoc quoq; quòd uetat eligi uiduam minorem annis sexaginta. Ita uota ante eam ætatem facta erunt irrita. Sed nondum norat Ecclesia hæc uota. Itaq; damnat Paulus uiduas, non quia nubunt, Iubet enim nubere iuniores, sed quia publico sumtu alitæ lasciuiebant, ideoq; fidem abijciebant. Hoc uocat primam fidem, scilicet, non uoti Monastici, sed Christianismi. Et hoc modo fidem accipit in eodem Cap. Si quis proprios, & maximè domesticos non curat, fidem abnegauit. Aliter enim de fide loquitur quàm Sophistæ. Non tribuit fidem his qui habent peccatum mortale. Ideò dicit hos abijcere fidem, qui non curant propinquos. Et ad eundem modum dicit mulierculas petulantes fidem abijcere.

Percurrimus aliquot nostras rationes, & obiter diluimus ea quæ aduersarij obijciunt. Et hæc collegimus non solum propter aduersarios, sed multò magis propter pias mentes, ut habeant in conspectu causas, quare improbare debeant hypocrisin & fictos cultus Monasticos, quos quidem totos hæc una uox Christi abrogat, cum ait: Frustra colunt me mandatis hominum. Quare uota ipsa, & obseruationes ciborum, lectionum, cantuum, uestitus, calceorum, cingulorum, inutiles cultus sunt coram Deo. Et certò sciant omnes pię mentes, simpliciter Pharisaicam & damnatam opinionem esse, quòd illæ obseruationes mereantur remissionem peccatorum, quòd propter eas iusti reputemur, quòd propter eas consequamur uitam æternam, non per misericordiam propter Christum. Et necesse est sanctos uiros qui in his uitæ generibus uixerunt, abiecta fiducia talium obseruationum, didicisse, quòd remissionem peccatorum propter Christum gratis haberent, quòd propter Christum per misericordiam consecuturi essent uitam æternam non propter illos cultus, quòd Deus tantum approbet cultus suo uerbo institutos, qui ualeant in fide.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

VEhementer hic uociferantur aduersarij de priuilegijs & immunitatibus Ecclesiastici status, Et addunt Epilogum, Irrita sunt omnia quæ in præsenti articulo

ticulo contra immunitatem Ecclesiarum & Sacerdotum inferuntur. Hæc est mera calumnia, Nos enim de rebus alijs in hoc articulo disputauimus. Cæterum sæpe testati sumus, nos politicas ordinationes, & donationes Principum et priuilegia non reprehendere. Sed utinam uicissim audirent aduersarij querelas Ecclesiarum & piarū mentium. Dignitates & opes suas fortiter tuentur aduersarij, Interim statum Ecclesiarum negligunt, non curant rectè doceri Ecclesias, & Sacramenta ritè tractari. Ad Sacerdotium admittunt quoslibet sine discrimine, Postea imponunt onera intolerabilia, quasi delectentur exitio aliorum, suas traditiones longè accuratius seruari postulant, quām Euangelium. Nunc in grauissimis & difficilimis controuersijs, de quibus populus miserè cupit doceri, ut habeat aliquid certi quod sequatur, non expediunt mentes, quas dubitatio acerbissimè cruciat, tantum conclamant ad arma. Præterea in rebus manifestis decreta sanguine scripta proponunt, quæ minantur horrenda supplicia hominibus, nisi manifestè contra mandata Dei faciant. Hic uicissim oportebat uos uidere lacrymas miserorum, & audire miserabiles querelas multorum bonorum hominum, quas haud dubiè respicit, & exaudit Deus, cui aliquando rationem procurationis uestræ reddituri estis.

Non reprehendi politicas ordinationes & donationes Principum.

Cum autem nos in Confessione, in hoc articulo, uarios locos complexi simus, aduersarij nihil respondent, nisi Episcopos habere potestatem regiminis & cohercitiuę correctionis, ad dirigendū subditos in finem beatitudinis ęternę. Et ad potestatem regiminis, requiri potestatem iudicandi, definiendi, discernendi, & statuendi ea quæ ad præfatum finem expediunt aut conducunt. Hæc sunt uerba Confutationis, in quibus docent nos aduersarij, quōd Episcopi habeant autoritatem condendi leges utiles ad consequendam uitam ęternam. De hoc articulo controuersia est.

Status controuersiæ in articulo de potestate Ecclesiæ.

Oportet autem in Ecclesia retinere hanc doctrinam, quōd gratis propter Christum fide accipiamus remissionem peccatorum. Oportet & hanc doctrinam retineri, quōd humanæ traditiones sint inutiles cultus, quare nec peccatum, nec iustitia in cibo, potu, uestitu, & similibus rebus collocanda est, quarum usum uoluit Christus liberum relinqui, cum ait: Quod intrat in os, non coinquinat hominem. Et Paulus, Regnum Dei nō est esca, aut potus. Itaq; nullum habent ius Episcopi condendi traditiones extra Euangelium, ut mereantur remissionem peccatorum, ut sint cultus, quos approbet Deus tanquam iustitiam, & qui grauent conscientias, ita ut peccatum sit eos omittere. Hæc omnia docet uel unus Locus in Actis, ubi Apostoli dicunt: Fide purificari corda. Et deinde prohibent imponere iugum, & ostendunt quantum periculi sit, exaggerant peccatum istorum qui onerant Ecclesiam. Quid tentatis Deum, inquiunt? Hoc fulmine nihil terrentur aduersarij nostri, qui ui defendunt traditiones & impias opiniones. Nam ut suprā damnauerunt articulum XV. in quo posuimus, quōd traditiones non mereantur remissionem peccatorum, et hic dicunt traditiones conducere ad uitam æternam. Num merentur remissionem peccatorum? num sunt cultus quos approbat Deus, tanquam iusticiam? num uiuificant corda? Paulus ad Colossenses, ideo negat prodesse traditiones ad iusticiam æternam & uitam æternam, quia cibus, potus, uestitus & similia sint res usu pereuntes. At uita æterna, in corde, rebus æternis, hoc est, uerbo Dei & Spiritu sancto efficitur. Expediant igitur aduersarij, quomodo conducant traditiones ad uitam æternam.

In traditionibus humanis non collocanda est iusticia æterna coram Deo.

Cum autem Euangelium clarē teſtetur, quòd non debeant imponi Eccleſiæ traditiones, ut mereantur remiſſionem peccatorum, ut ſint cultus quos approbet Deus tanquam iuſticiam, ut grauent conſcientias, ita ut omittere eas iudicetur eſſe peccatum, nunquam poterunt aduerſarij oſtendere, quòd Epiſcopi habeant poteſtatem tales cultus inſtituendi.

Quæ ſit poteſtas Epiſcoporum ſecūdum Euangelium.

Cæterum quam poteſtatem tribuat Euangelium Epiſcopis, diximus in Confeſſione. Qui nunc ſunt Epiſcopi, non faciunt Epiſcoporum officia iuxta Euangelium, ſed ſint ſanè Epiſcopi iuxta politiam Canonicam, quam non reprehendimus, Verum nos de Epiſcopo loquimur, iuxta Euangelium. Et placet nobis uetus partitio poteſtatis, in poteſtatem ordinis & poteſtatem iuriſdictionis. Habet igitur Epiſcopus poteſtatem ordinis, hoc eſt, miniſterium uerbi & ſacramentorum, habet & poteſtatem Iuriſdictionis, hoc eſt, autoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rurſus abſoluendi eos, ſi conuerſi petant abſolutionem. Neq; uerò habent poteſtatem tyrannicam, hoc eſt, ſine certa lege: neq; regiam, hoc eſt, ſupra legem, ſed habent certum mandatum, certum uerbum Dei, quod docere, iuxta quod exercere ſuam Iuriſdictionem debent. Quare non ſequitur, etiamſi habeant aliquam Iuriſdictionem, quòd poſſint nouos cultus inſtituere. Nam cultus nihil pertinent ad Iuriſdictionem. Et habent uerbum, habent mandatum, quatenus exercere Iuriſdictionem debeant, ſcilicet, Si quis commiſerit aduerſus illud uerbum, q̄ acceperunt à Chriſto.

Quanq̄ nos in Confeſſione addidimus etiam quatenus liceat eis condere traditiones, uidelicet, non tanquam neceſſarios cultus, ſed ut ſit ordo in Eccleſia propter tranquillitatem. Et hæ non debent laqueos iniicere conſcientijs, tanquam præcipiant neceſſarios cultus, ſicut Paulus docet, cum ait: In libertate qua Chriſtus uos liberauit, ſtate, nec iterum iugo ſeruitutis ſubijciamini. Oportet igitur liberum uſum talium ordinationum relinqui, modò ut ſcādala uitentur, ne iudicentur eſſe cultus neceſſarij, ſicut pleraq; ordinauerunt ipſi Apoſtoli, quæ tempore mutata ſunt. Neq; ita tradiderunt, ut mutare non liceret. Non enim diſſentiebant à ſuis ſcriptis, in quibus magnopere laborant, ne Eccleſiam opprimat opinio, quòd ritus humani ſint neceſſarij cultus.

Hæc eſt ſimplex ratio traditionū interpretandarum, uidelicet, ut ſciamus eas non eſſe neceſſarios cultus, & tamen propter uitanda ſcandala in loco ſine ſuperſtitione obſeruemus. Et ſic multi docti & magni uiri in Eccleſia ſenſerunt, Nec uidemus quid opponi poſſit. Certum eſt enim ſententiam illam, Qui uos audit, me audit, non loqui de traditionibus, ſed maximè contra traditiones facere. Non eſt enim mandatum cum libera, ut uocant, ſed cautio de rato, de ſpeciali mandato, hoc eſt, teſtimonium datum Apoſtolis, ut eis de alieno uerbo, non de proprio credamus. Vult enim Chriſtus nos confirmare, quemadmodum opus erat, ut ſciremus uerbum traditum per homines efficax eſſe, nec quærendum eſſe aliud uerbum de cœlo. De traditionibus non poteſt accipi, qui uos audit, me audit. Requirit enim Chriſtus, ut ita doceant, ut ipſe audiatur, quia dicit, Me audit. Igitur ſuam uocem, ſuum uerbum uult audiri, non traditiones humanas. Ita dictum quòd maximè pro nobis facit, & grauiſſimam conſolationem & doctrinam continet, detorquent iſti aſini ad res nugaciſſimas, diſcrimina ciborum, ueſtitus, & ſimilia.

De dicto, Qui uos audit etc.

De dicto, Obedite præpoſitis ueſtris.

Citant & hoc: Obedite præpoſitis ueſtris. Hæc ſententia requirit obedientiam erga Euangelium. Non enim conſtituit regnum Epiſcopis extra Euangelium.

angelium. Nec debent Episcopi traditiones contra Euangelium condere, aut traditiones suas contra Euangelium interpretari. Idq; cum faciunt, obedientia prohibetur, iuxta illud: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

De dicto, Quidquid dixerint facite.

Idem respondemus ad hunc locum. Quidquid dixerint, facite, quod constet, non uniuersaliter præcipi, ut omnia recipiamus, quia alibi iubet scriptura plus obedire Deo, quàm hominibus. Quando igitur impia docent non sunt audiendi. Hæc autem impia sunt, quòd traditiones humanæ sint cultus Dei, quòd sint necessarij cultus, quòd mereantur remissionem peccatorum & uitam æternam.

Responsio de scandalis.

Obijciunt & scandala publica, & motus qui exorti sunt prætextu nostræ doctrinæ. Ad hæc breuiter respondemus. Primum, constat Dei beneficio Principes nostros habere obedientem populũ in suis ditionibus. Et hoc ipsum doctrinæ genus quod sequimur, quia amplissimis laudibus ornat autoritatem magistratuum, auget reuerentiam erga eos. Ea res etiam plurimum conducit ad tranquillitatem retinendam. Deinde si conferantur in unum scandala omnia, tamen hi duo articuli, uidelicet, quòd gratis consequamur remissionem peccatorum propter Christum per fidem, et quòd iusti propter Christum reputemur fide, non propter nostram impletionem legis: Et alter, quòd magistratus leges & tota politia sint ordinationes diuinæ, quibus Christianus sanctè uti potest, tantum habent boni, ut incommoda omnia obruant. Nullam enim firmam consolationem pauidę conscientiæ habere possunt aduersus iram Dei, nisi cognito altero articulo. Alter articulus ualde munit tranquillitatem rerumpublicarum. Porrò quàm perniciosis opinionibus ante hæc tempora, utrumq; doctrinæ genus oppressum fuerit, nemo ignorat, & libri aduersariorum testantur, qui nusquam fidei mentionem faciunt, cum de remissione peccatorum loquuntur. Nusquam docent de dignitate rerum ciuilium, Nusquam docent quomodo Euangelium tradat iusticiam æternam, Interim in uita corporali uelit nos uti politicis legibus ac moribus. Hæ res patefactæ, initiò fauorem conciliauerunt Luthero, non solum apud nos, sed etiam apud multos, qui nunc atrocissimè nos oppugnant: παλαῖα γὰρ ἔυδηα χάρις, ἀμνάμονες ἢ ἔροτοὶ, inquit Pindarus. Iam si qui tumultus extiterunt, iure conferri culpa potest in aduersarios, qui primum iniusta condemnatione Lutheri Schisma excitarunt, & Ecclesias dissipauerunt. Et nũc miram sæuitiam exercent in uiros bonos & pia docentes. Irritant hominum animos & alijs modis, quos hic non libet recitare. Neq; uerò adeò ferrei, adeò sine sensu sumus, ut offensiones publicæ nihil perturbent nos. Sed meminimus à Christo dictum esse: Beatus qui in me non fuerit scandalizatus. Hoc enim agit diabolus, tum ut opprimat, tum ut deformet Euangelium infinitis modis. Alibi tyrannos contra Euangelij professores inflammat, alibi bella, alibi seditiones, alibi hæreses excitat, ut reddat inuisum hoc doctrinæ genus, quod uidetur occasionem præbere talibus motibus. Ac uerò prudentibus uiris facilius est sua pericula negligere, quàm illa scandala publicorum motuum. Verum aduersus hæc quoq; oportet Christianam mentem præmunitam esse, ne propter ea uerbum Dei abijciat.

Vtramq; doctrinam de Ecclesiasticis & politicis reb. illustrauit Lutherus.

Vicia & prophanationes quæ sunt apud aduersarios.

Quanquam autem non delectat nos comparatio, tamen quia aduersarij hac criminatione prægrauant nos, non sunt dissimulanda ipsorum uicia. Quantum mali est apud aduersarios in sacrilega prophanatione Missarum? quantum turpitudinis habet cœlibatus eorum? Cultus sanctorum plenus apud eos

est manifesta Idolatria. Nihil ne scandali est in ambitione Pontificum, qui iam annis amplius quadringentis belligerantur cum nostris Imperatoribus? Plerunq; in Italia, interdum etiam in ipsa Germania, ubi inter se filium & patrem, cognatos ac ciues commiserunt. Quōd si bellorum istorum causæ requirantur ex historijs, nihil inuenietur dignum Pontificibus, dicemus enim moderatissimè. Quantum est mali, quōd in ordinandis Sacerdotibus non deligunt idoneos? quid in mercatu Sacerdotiorum? Item in periculosis disputationibus nihil ne est uicij? Sed hæc uicia utcunq; condonari possent, si tamen conseruassent puram doctrinam in Ecclesijs. Hæc uerō quomodo contaminata sit impijs opinionibus ac traditionibus, testantur Canonistarum scripta, testantur libri Theologorum, pleni disputationum prophanarum, quæ partim sint inutiles ad pietatem, partim etiam dissident ab Euangelio. Deinde in interpretatione scripturæ ludunt, & comminiscuntur quidquid libet.

Hæc doctrinæ confusio præcipuum est scandalum, & maximè pernicio-sum, de quo præcipuè queritur Iohannes in Apocalypsi, cum describit Pontificium regnum. Quid cum uentum est ad Monachorum superstitiones, quæ fuerunt infinitæ, quantum ibi est pernicioſarum offensionum? Qualis fuit applicatio meritorum, si cadaueri circumdaretur cucullus? &c. Porrō, nihil ne scandali est, quōd hoc tempore manifestam ueritatem Euangelij opprimere conantur? quōd crudeliter occidunt bonos uiros pia docentes, quōd prohibent ne rebus cognitis sanentur ambigentes conscientiæ, quōd Reges hortantur ad crudele latrocinium, scilicet hæ non sunt scandala iudicanda, sed mera κατορθώματα Pontificia. Neq; uerō libet nobis hic quidquam pro magnitudine rerum exaggerare, ne quis delectari nos ista commemoratione putet, quam extorserunt nobis inuitis scriptores Confutationis. Nam hæc causa non ex hominum moribus, aut ex fortuna, sed ex uerbo Dei iudicari debet, quod utinam adhiberent in consilium omnes, qui de his controuersijs pronunciant. Iterum autem hic dicendum est, quōd sæpè iam diximus. Nos maximè cupidi sumus publicæ concordiæ, pacisq;, quam certē Christianos maximè inter se colere decet. Deinde inuiti dissentimus ab optimo Imperatore, quem non solum propter Imperij fastigium, sed etiam propter uirtutes uerè heroicas, quibus cognouimus eum præditum esse ueneramur, sed aduersarij non patiuntur coire concordiam nisi hac lege, ut nos assentiamur condemnantibus manifestam ueritatem Euangelij, & Ecclesiæ necessariam. Id facere non possumus. Oportet enim Deo magis obedire, quām hominibus. Quare aduersarij rationem Schismatis reddituri sunt Deo, qui Ecclesias noua & inusitata sæuitia dissipant. Neq; dubium est, quin hæc sæuitia mutationem aliquam rebus publicis allatura sit. Hæc pro tempore respondimus ad Confutationem, ac iudicium pijs omnibus permittimus, utra pars rectē sentiat. Et offerimus nos nostram sententiam de singulis locis, si quid alicubi desiderabitur, copiosius declaraturos esse.

Nostri concordiæ publicæ cupidi.

τέλος.

SEQVI

SEQVITVR

CONFESSIO DOCTRINÆ *SAXONICARVM ECCLESIARVM,*

SCRIPTA ANNO DOMINI M. D. LI. VT SYNODO TRIDENTINÆ EXHIBERETVR.

PSALM. CXIX.

Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.

PHILIPPVS MELANTHON

CANDIDO LECTORI S. D.

NEQVAQVAM VOLVIMVS DISSIDIA IN NOSTRIS ECCLESIIS *accẽdere, ſed ſummã doctrinæ, quæ ſonat in Eccleſijs omnibus, quæ Reuerendi D. Lutheri confeſſionem amplectuntur, ſimpliciter & fideliter recitare voluimus, ac repetimus ſententiam Confeſſionis, quæ Imperatori Carolo exhibita eſt in Conuentu Auguſtano, Anno* M. D. XXX. *etſi quædam hîc narrantur plenius. Oramus igitur omnes Lectores, vt in iudicando candorem adhibeant, conuenientem bonis & doctis viris. Facilè eſt excerpere mutilata dicta, & ea cauillari, ac delectat nunc multos hic ludus. Sed Thucydidæum illud meminiſſe nos præſertim in Eccleſia decebat,* Διαβολὰς οὐ σῶφρον οὔτε λέγειν οὔτε ἀκόουν- ταας ἀπεδέχεσθαι. *Ac ſperamus, iudicia piorum & eruditorum, qui ſine maleuolentia iudicant æquiora fore. Cumq; velit Deus eſſe in Eccleſia iudices, ad tales viros, qui intelligunt controuerſias, nec amant Sophiſmatum præſtigias, prouocamus, ac optamus talium colloquia. Oramus autem Filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, qui verè ſibi in genere humano æternam Eccleſiam colligit, vt nos doceat & gubernet, & efficiat, vt quàm plurimi in IPSO vnum ſimus. Benè vale candide Lector.*

CONFESSIO DOCTRINÆ SAXONICARVM ECCLESIARVM, SCRIPTA ANNO DOMINI M. D. LI. VT SYNODO TRIDENTINÆ EXHIBERETVR.

NEceſſe eſt interrogatos recitare doctrinam, præſertim cum accuſantur Eccleſiæ, quõd uel errore falſa dogmata ſparſerint, aut receperint: uel petulantia moueant ſeditiones, & à communi conſenſu temerè diſcedant propter ambitionem, odia, auaritiam, cupiditatem uindictæ, aut alios prauos affectus. Itaq; & nos iuſſi, uerè & bona fide iterum recitabimus doctrinam in Eccleſijs noſtris ſonantem: quam etſi alij magis, alij minus eruditè aut perſpicuè tradunt, tamen ſine diſcordia in fundamento omnes paſtores in Eccleſijs noſtris amplectuntur.

Cauſæ cur inſtituta ſit hæc repetitio doctrinæ.

Quanquam autem ſcimus periculoſam eſſe ueritatis confeſſionem, tamen propter multas honeſtas cauſas eam non grauatim repetimus. Primum, quia cum multa falſa crimina apud Reges & exteras nationes in nos conferantur, & odia contra nos uarijs calumnijs accenſa ſint, hæc commemoratio mendacia

illa refutabit, & aliquorum iracundiam leniet. Deinde sæpius repetere ueram doctrinæ explicationem, Deo gratum est: & aliqui cognitis fontibus ad ueritatem inuitantur.

Necesse est nos etiam ad posteros relinquere publica testimonia, digna fide, opposita falsis criminationibus, ne posteritas de nobis secus iudicet: & ut aliqui his nostris testimonijs commonefacti, ueritatem inquirant, & in ueris sententijs confirmentur.

Speramus etiam, eos qui considerabunt historiæ seriem, & initia horum certaminum, intellecturos esse, nos nec errore, nec ulla praua cupiditate hanc doctrinam amplexos esse, & tueri.

Nullum maius scelus est, quām agnitæ ueritati aduersari, Sicut scriptum est: Blasphemia spiritus non remittetur.

Nos igitur cum audiuissemus perspicuam ueritatem de rebus necessarijs, de pœnitentia, de fide accipiente remissionem peccatorum, de lege, de gratia, de uera inuocatione, de discrimine uerorum & falsorum cultuum, de usu sacramentorum, & alijs necessarijs doctrinæ partibus: adsentiri, & Deo gratias agere pro hoc immenso beneficio oportuit, quod reddita Euangelij luce plures ad se conuertit.

Cum enim scriptum sit, Pater sanctifica eos in ueritate tua, Sermo tuus est ueritas: Ecclesia colligitur non falsis opinionibus & superstitionibus, sed incorrupta Euangelij uoce. Itaq; si constabit genus doctrinæ, quōd amplexi sumus, uerum & necessarium esse Ecclesiæ, non sophisticum, non seditiosum: non existimemur aut errore lapsi, aut curiositate, aut odio disciplinæ, ac leuitate, & licentiæ dulcedine, aut alijs prauis cupiditatibus impulsi, ut nouis opinionibus applauderemus.

Occasio harū disputationum extitit à contentione de indulgentijs.

Initium autem his disputationibus præbuit, contentio de indulgentijs, quas cum Monachus Tecelius in his regionibus uenales circumferret, et in earum præconijs multa tetra mendacia scurrili impudentia spargeret, officij ratio pios doctores cogebat, hos furores taxare & reprimere.

Edidit igitur D. Lutherus propositiones piē & modestē scriptas, ad eruditendas & commonefaciendas Ecclesias de tota doctrina pœnitentiæ. Hic pugnare Tecelius incepit, non solum clamosis concionibus, & suorum satellitum scriptis, sed etiam fulminibus condemnationum & excommunicationum.

Magister Palatij Romæ, & Eccius socij Tecelij.

Ac citō ex Germania Romam perlata est fama horū certaminum, et duos statim belli socios habuit Tecelius: Roma, Magistrum Palatij: & in Germania Eccium, qui Leonis bullam Romæ attulit. Lutherus, quia ueritatis defensionem abijcere non potuit, & tot modis irritabatur, edidit Defensiones copiosē scriptas, in quibus ut causarum magnitudo & uarietas poscebat, de multis partibus doctrinæ Ecclesiasticæ dici necesse fuit.

Errores & abusus aduersariorum multi simul reprehensi sunt.

Cum igitur multi errores & abusus in Ecclesia multis iam seculis hærerant, quos multi docti & pij etiam ante hæc tempora & deplorarunt & taxauerunt, fieri non potuit, quin hi errores & abusus reprehenderentur, cum de fontibus harum controuersiarum dicendum esset.

Quanquam autem & fuerunt, & sunt, & erunt dissimilia hominum iudicia: tamen res ostendit, Deum uoluisse depulsis tenebris apud multos restituere ministerium Euangelij, & ueram inuocationem, & hac repurgatione doctrinæ passim sibi æternam Ecclesiam colligere. Nec uerò dici potest, nullos fuisse

los fuisse, aut esse errores in doctrina & traditionibus aduersariorum.

Maximè necessarium est in Ecclesia extare doctrinam de pœnitentia, & de fide accipiente remissionem peccatorum incorruptam & perspicuam. Manifestum est autem, de hac præcipua parte doctrinæ Ecclesiasticæ, multos pernicioſos errores & labyrinthos tradi & confirmari ab aduersarijs. Extant enim libri, qui inde usq; à trecentis annis in multorum manibus sunt.

Errores aduersariorum de doctrina et cultibus.

Quanta contumelia est aduersus Filium Dei, quòd dicunt homines mereri remissionem peccatorum proprijs operibus, & iustos esse impletione Legis? Deinde cumulant errores, cum nemo sciat, quando satis habeat operum, iubent homines perpetuò dubitare, an habeant remissionem peccatorum, & an placeant Deo.

De iustificatione.

Hic de Mediatore filio Dei, & de fide accipiente gratuitam remissionem peccatorum, & uincente dubitationem silentium est in aduersariorum scriptis. Hi errores prorsus ethnica somnia sunt, & complectuntur aliud magnum chaos errorum.

Errores de peccato & lege.

Fingunt deprauationem in natura humana, quæ nominatur mala concupiscentia, non esse peccatum, id est, non esse malum pugnans cum lege Dei. Fingunt obedientiam, quæ præstari potest in hac uita, esse impletionem Legis, & hominem hac impletione legis coram Deo iustum esse. Postea in doctrina pœnitentiæ finxerunt inextricabilia deliramenta, oportere contritionem sufficientem esse, & hanc mereri gratiam.

Errores de pœnitentia.

De confessione.

De confessione, flagitant enumerationem singulorum delictorum, quę est carnificina conscientiarum, impediens fidem & inuocationem.

De satisfactionibus.

Nomen satisfactionum non intellectum, falsò transtulerunt ad compensationes pro peccatis: & finxerunt opera non debita cultus Dei esse, & compensationes.

Postea res ad quæstum translata est. Excogitatæ sunt indulgentiæ, ne ab ipsis quidem intellectæ, qui uenales circumferebant. Et hæ præstigiæ obscurabant doctrinam de filio Dei, de uera conuersione, de fide, de inuocatione, de ueris cultibus.

Erat ignota tota hæc consolatio, necessaria omnibus, quomodo conuersus ad Deum sit iustus, & placeat Deo; qua de re in scriptis Monachorum leguntur tantũ Pharisaicę opiniones, nec ostenditur discrimen iusticię, fidei et disciplinę.

Conciones apud aduers. aut nullæ fiunt aut constant ineptijs.

Præterea in multis regionibus aut silent conciones ferè toto anno, aut si quæ fiunt, plenæ sunt uanitatis. Non enim cõtinent doctrinam de beneficijs filij Dei: sed indocti recitant fabulosas historias de sanctis, aut superstitiosas nænias traditionum. Doctiores ostentant philosophiam: nunc utriq;, docti & indocti, tantum conuiciantur Lutheranis, & damnant incognita.

Inuocatio mortuorũ & cultus statuarũ.

Præterea intueantur oculi ea quæ fiunt in ipsorum templis. Omnia plena sunt inuocatione mortuorum hominum. In multis locis adhuc prostrati ad statuas, inuocant alij alia numina, & alijs de causis: Ab Anna petuntur diuitiæ, ut à Iunone: à Georgio uictoriæ, ut à Marte: denicq; ab alijs alia. Hi furores manifestè contumelioſi sunt contra Deum. Quantum manifestæ turpitudinis oritur ex lege de cœlibatu? Quàm multi homines tot seculis, alioqui amantes uirtutem, polluti sunt horrendis peccatis, propter hoc uinculum, qui tandem desperatione & æternis pœnis oppressi sunt.

Vita Monastica plena est falsarum opinionum, & superstitionũ, et multę

Falsæ opiniones & superstitiones Monasticæ.

bonæ mentes pereunt ibi, ignorantes Euangelium, & implicitæ laqueis stultarum & impiarum traditionum. Ita & in reliqua Ecclesia, multæ falsæ opiniones de humanis traditionibus ā Monachis & sparsæ sunt antea, & confirmauerunt, quæ fidem, inuocationem, & ueros cultus alios à Deo mandatos obscurauerunt.

Prophanatio Cœnæ Domini in Missa.

In templis etiam palām cernitur, multiplex prophanatio Cœnæ Domini, quam summa reuerentia administrari oportuit. Legunt Missas, & offerunt, ut loquuntur, plurimi sacrificuli, prorsus ignorantes quid agant, tantum consuetudini obtemperant, aut seruiunt uentri.

Alij superstitiosi, qui plus cogitant de hoc suo opere, fingunt se opus facere toti Ecclesiæ necessarium, quod mereatur facienti & alijs remissionem peccatorum. Postea fit aucupium maximi quæstus, fiunt sacrificia pro mortuis. Et templa magis occupata sunt funerum ceremonijs, quām uoce concionum, aut exercitijs uiuentium.

Circumgestatio & adoratio panis.

Nec populus rectè docetur apud aduersarios de usu Sacramenti: quia docent Monachi, sumentes ex opere operato, ut loquuntur, accipere remissionem peccatorum. Et una pars Sacramenti populo adimitur: altera pars etiam extra usum institutum circumfertur, & adoratur contra rationem Sacramenti: & additæ sunt falsæ opiniones multæ. Nihil dicunt hic de iusticia fidei, & de uero usu Sacramentorum: quæ non sunt merita, sed testimonia confirmantia fidem, ut suo loco dicemus.

Hos morbos in Ecclesia si quis aut dissimulare, aut excusare uult, facit iniustè: & inter eos est, de quibus dicitur: Væ uobis qui dicitis malum bonum &c. Sunt enim publicè noti omnibus, non fascinatis tetra hypocrisi.

Episcoporum negligentia in suo munere.

Diximus pauca de erroribus doctrinæ, & cultuum. Iam & Episcoporum aulæ aspiciantur, ubi non de communibus aularum uicijs & miserijs querimur quales sunt in omnibus etiam paruis familijs, sed de neglectione præcipui officij: ut est, Ordinatio ministrorum, inspectio Ecclesiarum, gubernatio studiorum doctrinæ, cura disciplinæ, legitima dijudicatio controuersiarum coniugalium. Hæ summæ res initiò commendatæ fuerunt Episcopis, quas ferè ubiq; ab eis negligi manifestum est. Ita tenebræ, idola, disciplinæ laxatio peruaserunt in Ecclesiam, Episcopis negligentibus sui muneris officia. Nunc magis negligunt quàm antea: & addunt tyrannidem aduersus homines innocentes, ut idola & impias leges stabiliant.

Vanæ constitutiones de autoritate Romani Pontificis.

Est & omnibus doctis nota uanitas constitutionum & opinionum, quæ tribuunt Romano Episcopo etiam autoritatem regiam: qua opinione inflati Pontifices, sæpè magna bella accenderunt.

Non igitur nobis obijci potest, nos falsò queri de Ecclesiastica gubernatione, & seditiosè aduersari gubernatoribus, sine iustis causis, ac nos potius serere nouas ac pernicioſas opiniones.

A manifestis erroribus & abusib. necesse est pios dissentire.

Multi enim tetri errores, & multi abusus adeò manifesti sunt, ut facilimè agnosci & iudicari ab omnibus communi sensu præditis possint. In talibus cum regulæ seruandæ sint, Non habebis Deos alienos. Item, Blasphemia spiritus non remittitur: Item, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit: necesse est nos dissentire ab ijs, qui mendacia & idola stabiliunt, & sonare nostram confessionem: qua in re & intra iustas metas manſimus, Fideliter uniuersam Ecclesiæ doctrinam, inquisitis fontibus, tradidimus, & tantum docendo eam propagauimus.

pagauimus. Non fuimus tubę seditionum: imō scriptis Lutheri magis illustrata & ornata est politica potestas, quām ullis scriptis aliorum post Apostolos.

Vt autem antea in multis scriptis, sine ulla ambiguitate simpliciter recitauimus doctrinam & ceremonias Ecclesiarum nostrarum, ita & nunc eandem commemorationem, sine ambiguitate & sine corruptelis exhibemus: in qua satis conspicient omnes uerē iudicantes hoc tempore, & ad posteros, nos fideliter retinere consensum Ecclesiæ catholicæ, Domini nostri Iesu Christi, & illustrare doctrinam necessariam ad agnitionem filij Dei, & ad salutem hominum: & nō mouere curiosas aut inutiles quæstiones. Et offerimus nos ad piam declarationem, in quacunq; parte flagitabitur.

DE DOCTRINA.

CVm certissimum sit, Deum sibi in genere humano, propter Filium, & per eum, colligere æternam Ecclesiam uoce doctrinæ, quæ scripta est in libris Prophetarum & Apostolorum: adfirmamus clarē coram Deo & uniuersa Ecclesia, in cœlo & in terra, nos uera fide amplecti omnia scripta Prophetarum & Apostolorum: & quidem in hac ipsa natiua sententia, quæ expressa est in Symbolis, Apostolico, Niceno, & Athanasiano.

Quæ scripta amplectantur nostræ Ecclesiæ.

Et hæc ipsa Symbola, & eorum natiuam sententiam sine corruptelis semper constanter amplexi sumus, & Deo iuuante, perpetuō amplectemur. Et in hac fide uerum Deum, qui se patefecit in Ecclesia sua missō Filio, & additis illustribus testimonijs inuocamus, coniuncta precatione nostra cum omnibus sanctis in cœlo & in terra.

Et extant nostræ enarrationes in symbola, comprehendentes totum doctrinæ corpus & fundamentum, quæ ostendunt hanc nostram asseuerationem uerissimam esse.

Damnamus etiam constantissimē omnes furores qui pugnant cum symbolis: ut sunt Ethnicorum, Iudæorum, Mahometistarum, Marcionis, Manichæorum, Samosateni, Arij, Pneumatomachorum, portentosæ opiniones, & aliæ, condemnatæ ueris Ecclesiæ iudicijs.

Quos furores damnent Ecclesiæ nostræ.

Cum autem controuersiæ quæ exortæ sunt, præcipuē pertineant ad duos articulos symboli, uidelicet ad articulum, Credo remissionem peccatorum. Item, Credo Ecclesiam sanctam catholicam. Ostendemus fontes harum controuersiarum, quibus consideratis, intelligi poterit, nostras declarationes ipsam Euangelij uocem esse, & ab aduersarijs corruptelas in Ecclesia sparsas esse. Ac primum de Articulo:

Controuersiæ motæ pertinent ad duos articulos Symboli.

Credo remissionem peccatorum.

Hic multæ & magnæ corruptelæ adfinguntur ab aduersarijs, Credo, imō dubito, inquiunt. Item, Tunc credam, cum satis habeo meritorum. Item non dicunt, Credo remissionem propter filium Dei certō dari gratis, non propter nostra ulla merita, aut ullam dignitatem nostram: Item non rectè enarrant peccatum, & fingunt hominem legi Dei satisfacere posse, & legis impletione iustum esse coram Deo in hac uita. Ideō primum de peccato, & de causa peccati, fideliter retinemus doctrinam ueræ Ecclesiæ Dei.

Errores Ad: de articulo, Credo remissionem peccatorum.

Cū essentia diuina sit unica, æternus Pater, coæternus Filius, imago patris, & coæ-

& coæternus Spiritus sanctus, à Patre & Filio procedens, immensæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis, uerax, iusta, benefica, casta, liberrima, sicut ipsa describit se in Lege sua: & condiderit angelos & homines ideò, ut suam lucem, sapientiam & bonitatem in omni æternitate eis communicaret, & essent templa Dei, in quibus Deus habitaret, ut esset Deus omnia in omnibus, ut Paulus loquitur: condidit initiò eos bonos & iustos, id est, congruentes cum mente & uoluntate diuina, & placentes ipsi: ac dona tribuit, uidelicet illustrem noticiam de Deo, & de uoluntate eius, ut intelligerent se conditos esse à Deo, & ad obedientiam ipsi præstandam: attribuit & libertatem uoluntatis ut nominant: & reuera uoluit obedientiam, sicut scriptum est Psal. 5. Non Deus uolens iniquitatem tu es. Sed diaboli & homines libertate suæ uoluntatis abusi, defecerunt à Deo, & hac inobedientia facti sunt rei iræ Dei, & amiserunt rectitudinem, in qua conditi erant.

Angeli & homines quales sint conditi à Deo.

Itaq; libera uoluntas in diabolis & hominibus causa fuit eius lapsus, non uoluntas Dei, qui nec uult peccatum, nec approbat, nec adiuuat, sicut scriptum est. Cum mendaciũ loquitur diabolus, ex proprio loquitur, & pater est mendacij. Et 1. Ioh. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat.

Causæ peccati.

Est autem peccatum, quicquid est contrarium iusticiæ Dei, quæ est ordo in mente diuina, quem & postea sua uoce in Lege & in Euangelio expressit: siue sit inobedientia Originalis, siue actualis, propter quam & rea est persona iræ Dei, & damnatur æterna pœna, nisi fiat remissio in hac uita propter Filium mediatorem.

Peccatũ quid sit.

Damnamus etiam furores Marcionis, Manichæorum, & similes pugnantes cum uero consensu Ecclesiæ Dei in hac tota quæstione.

DE PECCATO ORIGINIS.

DE peccato originis perspicuè etiam adfirmamus, nos retinere consensum ueræ Ecclesiæ Dei inde usq; à primis Patribus, Prophetis, Apostolis, & ab Apostolorum discipulis usq; ad Augustinum & deinceps traditum: & expressè damnamus Pelagium, & omnes qui similia deliramenta Pelagianorum in Ecclesiam sparserunt. Ac dicimus omnes homines post lapsum primorum parentum, qui nascuntur ex commixtione maris & fœminæ, nascentes secum adferre peccatum originis, sicut Paulus inquit Rom. 5. Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors. Et Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.

Consensus ueræ Ecclesiæ de peccato originis quis sit.

Nec nobis displicet definitio usitata, dextrè intellecta: Peccatum originis est carentia iusticiæ originalis, debitæ inesse, quia iusticia originalis non tantum fuit acceptatio generis humani coram Deo, sed etiam in ipsa natura hominum lux in mente, qua firmiter adsentiri uerbo Dei poterat: & conuersio uoluntatis ad Deum, & obedientia cordis congruens cum iudicio legis Dei, quæ menti insita erat. Ac fuisset homo templum Dei, ut antea dictum est.

Vsitata definitio peccati originis.

Hæc omnia complexam esse iusticiam originis, potest ex hoc dicto intelligi: Homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei, quod interpretatur Paulus, inquiens: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusticia & sanctitate uera: Vbi certè intelligit sanctitatem ueram, omnes uirtutes fulgentes in natura nostra diuinitus, non arte ascitas, aut disciplina comparatas: ut nunc umbræ uirtutum qualescunq; sunt in hominibus ascitæ,

aſcitæ. Cum autem conſideratur quid ſignificet iuſtícia originalis, deinde minus obſcura eſt oppoſita priuatio.

Eſt itaq; peccatum originis, & propter lapſum primorum parentum, & propter hanc deprauationem quæ lapſum ſecuta eſt, naſcentes reos eſſe irę Dei, & dignos æterna damnatione, niſi fiat remiſſio propter Mediatorem. Et hæc deprauatio eſt carere iam luce Dei ſeu præſentia Dei, quæ in nobis fuiſſet: & eſt auerſio uoluntatis noſtræ ā Deo, & contumacia cordis repugnans legi mentis, ut Paulus loquitur: & hominem, non eſſe templum Dei, ſed miſeram maſſam, ſine Deo, & ſine iuſtícia. *Peccatum originis quid ſit.*

Hos defectus, & hanc totam deprauationem, dicimus eſſe peccatum, non tantum pœnam peccati, & rem indifferentem, Sicut multi ſententiarij dicunt, hæc mala tantum pœnam eſſe, & rem indifferentem, & non peccatum: & extenuant malum originis, & fingunt poſtea, homines poſſe Legi Dei ſatisfacere, & propria legis impletione iuſtos eſſe.

Vitandæ ſunt in Eccleſia ambiguitates. Ideō expreſſè nominamus hæc mala deprauationem, quæ ſæpè nominatur ab antiquis ſcriptoribus mala concupiſcentia.

Diſcernimus autem appetitiones in natura conditas, ā confuſione ordinis, quæ poſt lapſum acceſſit, ſicut Hierem. 17. dicitur, Prauum eſt cor hominis. Et Paulus inquit, Senſus carnis inimicicia eſt aduerſus Deum. Hanc malam concupiſcentiam dicimus eſſe peccatum: & adfirmamus hanc totam doctrinam de peccato, ſicut in Eccleſijs noſtris proponitur & declaratur, perpetuum eſſe ueræ Eccleſiæ Dei conſenſum. *Differunt natura condita à Deo, & confuſio ordinis quæ acceſſit.*

DE REMISSIONE PECCATORVM, *ET DE IVSTIFICATIONE.*

Dictum eſt ſuprà, has controuerſias pertinere ad explicationem duorum articulorum ſymboli: Credo remiſſionem peccatorum: & Credo Eccleſiam ſanctam catholicam. Nec de rebus non neceſſarijs, aut leuibus dicimus. Maximè neceſſarium eſt, in Eccleſia rectè proponi doctrinam de peccato, & intelligi, quid ſit peccatum, & conſpici diſcrimen inter iudicia politica & iudicium Dei.

Cum autem non rectè oſtendant aduerſarij quid ſit peccatum, ut iam dictum eſt, confirmant malam ſecuritatem in hominibus, & multas falſas opiniones. Poſtea etiam quid eſt triſtius, quàm hoc ſummum beneficium, Remiſſionem peccatorum, & liberationem ā morte æterna, uel obſcurare, uel ignorare? Cumq; nec diſcrimen ſit inter Eccleſiam & alios homines, extincta luce de gratuita remiſſione peccatorum propter Filium, & de fide qua accipi remiſſionem oportet, nec conſolatio alia ſit retrahens nos ex morte æterna, nec inuocatio uera ſine hac conſolatione fieri poſſit, & Deus ipſe toties præceperit audiri Filium, & cuſtodiri Euangelium, quod eſt mirandum decretum prolatum ex arcano conſilio diuinitatis, cum ignotum eſſet omnibus creaturis, maximè neceſſarium eſt, ueram de remiſſione doctrinam retineri incorruptam. *Doctrina de remiſſione peccatorū neceſſaria eſt.*

Sed omnibus ætatibus inde uſq; ā primis patribus ſparſæ ſunt præſtigiæ à Diabo-

Doctrina de filio Dei omni ætate fuit obnoxia præstigijs.

à Diabolis, contra ueram doctrinam de filio Dei: præsertim in hoc articulo: quos tamẽ subinde refutauit Deus, excitatis rursus bonis doctoribus, ne funditus interiret Ecclesia. Ostenderunt Adam, Seth, Nohe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph & alij deinceps uerum discrimen Ecclesiæ Dei, & aliorum hominum, & docuerunt Ecclesiæ traditam esse promissionem de filio Mediatore, & de remissione peccatorum, & hanc fide accipiendam esse gratis, propter Mediatorem.

Et alligauerunt inuocationem ad hunc Deum, qui se patefecerat edita promissione de Mediatore: & habuerunt externos ritus diuinitus traditos, qui erant signa promissionis, & nerui publicæ congregationis.

Ethnici amissa doctrina, retinuerunt ritus patrum.

Hos ritus, omissa doctrina promissionum & fidei, magna pars multitudinis imitata est: & cum adfingerent hanc persuasionem, homines his ritibus mereri remissionem peccatorum, cumulauit ritus, & paulatim processit audacia, ut fit, ut alij alia numina fingerent.

Ita discesserunt Ethnici à uera Dei Ecclesia, & ab agnitione ueri Dei, & promissione redemtoris. Idem accidit post Mosen. Institutæ erant ceremoniæ hanc ipsam ob causam, ut essent commonefactiones de Mediatore, sed multitudo oblita promissionis de Mediatore, de doctrina fidei, de gratuita remissione propter Mediatorem, finxit remitti peccata propter sacrificia, & ritus illos: & hac superstitione cumulauit sacrificia, & oblita est Mediatoris, & fuit sine uera consolatione, & sine uera inuocatione.

Post Apostolos amissa doctrina, excogitatæ sunt nouæ superstitiones.

Idem accidit post Apostolos amissa luce Euãgelij, in qua proponitur gratuita remissio propter Mediatorem accipienda fide: quæsita est remissio per exercitia Monastica, per cœlibatum, per uarias obseruationes, per oblationem in Missa, per intercessionem hominum mortuorum, & multæ monstrosæ superstitiones excogitatæ sunt, ut historiæ totius Ecclesiæ post Apostolos ostendunt.

Aduersus hos errores immensa misericordia Deus subinde uocem Euangelij restituit: ac ut in populo Israël subinde Prophetas excitauit, qui doctrinam repurgarent: ita in Ecclesia, post Apostolos, cum scripta Origenica, & Pelagiana, & populi superstitio puritatem Euangelij corrupissent, tamen uelut in caligine rursus accensa est lux ab Augustino, & hunc secuti sunt Prosper, Maximus, & alij, qui falsas opiniones in hoc articulo taxauerunt.

Postea natis Monachis, cũ rursus latè uagaretur opinio, quæ fingit homines mereri remissionẽ operibus, fuerũt tamen aliqui rectius sentientes, etiamsi fundamento stipulas adderent, ut Hugo, Bernhardus, Gilibertus, Guilhelmus Parisiensis, Taulerus, Drandorfius, Vuesselus, & alibi alij. Et nunc uoce Lutheri magis perspicuè restituta & illustrata est Euangelij doctrina, & monstratus agnus, sicut Baptista inquit: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Qui credit in filium habet uitam æternam, qui non credit, manet ira Dei super eum.

Nostræ Ecclesiæ discernunt disciplinam et iusticiam fidei.

Hanc ipsam uocem Euangelij incorruptam sonant & Ecclesiæ nostræ: & expressè discernimus disciplinam, seu iusticiam, quam potest efficere homo non renatus, à iusticia fidei, & nouitate, de qua concionatur Euangelium.

Disciplina est necessaria.

Dicimus, omnes homines disciplina cohercendos esse, id est, illa iusticia, quam etiam non renati præstare debent, & utcunq; possunt, quæ est obedientia in externis actionibus, iuxta omnia præcepta Dei ad omnes homines pertinens.

Quia

Quia Deus in homine post lapsum reliquit hanc libertatem, ut rationi & uoluntati possint utcunq; obedire externa membra, in externis motibus ciendis uel omittendis: ut Achilles potest gladium stringere, aut recondere in uaginam: Scipio potest cohercere membra, ne attingant alterius sponsam: ut hæc suo loco rectè & copiosè declarantur.

Hanc disciplinam à Deo præceptam esse, & puniri eius uiolationem præsentibus pœnis & æternis, in his qui non conuertuntur ad Deum, certissimum est; iuxta illa dicta, Lex est posita iniustis. Item, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item, Væ qui spolias, quia spoliaberis.

Etsi autem omnes homines hac disciplina suos mores regere debent, & Deus imperia seuerè hanc disciplinam tueri iubet, & ipse horribilibus pœnis declarat iram suam aduersus hanc externam contumaciam: tamen hæc externa disciplina etiam sicubi est honestissima, nequaquàm est impletio Legis, nec meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia illa qua coram Deo accepti sumus: nec lux illa fulgens in natura hominum, sicut fulsit iusticia nobis indita in creatione, aut sicut fulgebit noua iusticia in uita æterna.

Disciplina nõ est impletio legis, nec iusticia coram Deo.

Sed tota hæc disciplina est qualiscunq; externa gubernatio, similis folio ficus, quo tegunt nuditatem suam primi parentes post lapsum. Nec magis tollit peccatum, & naturæ corruptionem, & mortem, quàm tollebant illæ frondes fici.

Ideò Paulus toties clamat, non tolli peccatum lege. Rom. 3. Ex operibus legis, non iustificabitur omnis caro coram eo, Et Rom. 8. Cum legi impossibile esset iustificare &c. Et Gal. 2. Si per legem iusticia est, frustra Christus est mortuus. Et ad Tit. 3. Non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluauit nos.

Et contumelia est filij Dei, fingere ulla nostra opera merita esse, seu precium remissionis peccatorum, & esse propiciationes pro peccato. Ideò Pharisaica illa & Pelagiana deliramenta clarè damnamus, qui fingunt disciplinam illam esse impletionem Legis Dei, Item mereri remissionem, seu de congruo, seu de condigno, uel esse iusticiam qua homines coram Deo sint accepti.

Pharisaicũ est et Pelagianum tribuere operibus meritũ.

Sed filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, qui est imago æterni Patris, constitutus est Mediator, Propiciator, Redemtor, Iustificator & Saluator. Huius unius obedientia & merito placatur ira Dei, ut Rom. 3. dicitur, Quem posuit propiciatorem per fidem in sanguine eius. Et Heb. 10. Impossibile est sanguine taurorum tolli peccata. Ipse autem unicam pro peccatis offerens hostiam, in perpetuum sedet ad dexteram Dei &c.

Obedientia et merito Filij placatur ira Dei.

Etsi autem causas huius mirandi consilij, cur hoc modo redimendum fuerit genus humanum, nondum in hac infirmitate cernimus: sed postea discendæ erunt in omni æternitate, tamen hæc initia nunc discenda sunt.

Conspiciuntur in hac uictima, iusticia Dei & ira, aduersus peccatum, & immensa misericordia erga nos, & amor in filio erga genus humanum. Tanta est iusticiæ seueritas, ut non sit facta reconciliatio, nisi pœna persolueretur. Tanta est iræ magnitudo, ut æternus Pater non sit placatus, nisi deprecatione & morte filij. Tanta misericordia, ut filius pro nobis datus sit.

Temperamentum iusticiæ & misericordiæ in Deo.

Tantus amor in Filio erga nos, ut hanc ueram & ingentem iram in se deriuauerit, Harum maximarum & arcanarum rerum considerationem in pectoribus

ribus accendito tu FILI DEI, Spiritu tuo sancto, ut uerè expauescamus agnitione iræ, & rursus uera consolatione erigamur, & te in omni æternitate celebremus.

Premissio remissionis peccatorum cur edita sit & repetita.

Vt autem beneficia huius mediatoris nota essent generi humano, & nobis applicarentur, edita est promissio statim initiò post lapsum primorum parentum, & deinceps sæpius repetita, & uoce Prophetarum declarata: sed clarissimè recitata per ipsum filium, & deinde per Apostolos: & institutum est ministerium docendi & propagandæ promissionis, & condita Ecclesia, & subinde instaurata hac ipsa uoce de Filio Dei propiciatore.

Christus efficax per ministerium Legis & Euangelij.

Per hoc ministerium semper fuit, est & erit efficax filius Dei in credentibus, sicut Roman. 1. dicitur: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Et instaurat ipse hoc ministerium, cum inquit: Sicut misit me pater, ita ego mitto uos. Ite prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo.

Vult argui peccatum in toto genere humano, sicut inquit: Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me. Et Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniusticiam hominum. Vult Deus agnosci iram suam aduersus peccata omnia, & præcipuè aduersus contemtum filij, sicut & in Psalmo inquit: Osculamini filium, ne irascatur, & pereatis de uia etc. Vult nos uerè expauescere agnitione tenebrarum, & horrendæ prauitatis, & contumaciæ nostræ. Et quidem ipse Deus iræ suæ sensu corda opprimit, ut inquit Esaias: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea.

Calamites humanæ sunt uox Legis.

Et ad hoc iudicium non solum uoce ministerij legis & Euangelij utitur, sed etiam omnes calamitates humanæ sunt quasi uox legis, de ira Dei nos admonens, & omnes ad pœnitentiam inuitans. Cum autem hac uoce arguente peccata mens perterrefacta est, audiat promissionem Euangelij propriam de Filio Dei, & statuat sibi remitti peccata gratis propter Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum propiciatorem, per misericordiam, non propter contritionem aut dilectionem nostram.

Quomodo fide contingat remissio peccatorum.

Hac fide cum erigitur, certum est donari remissionem peccatorum, reconciliationem & imputationem iusticiæ, propter ipsius Christi meritum: & Christum in nobis efficacem esse, & Spiritu suo sancto uiuificare credentes, & ex æterna morte nos liberare, & facere nos simul hæredes uitæ æternæ.

Ita inquit Paulus Rom. 3. Decernimus fide iustificari hominem, sine operibus legis. Item, Iustificamur gratis ipsius gratia, per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius. Et Act. 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum.

Fides quid significat.

Sunt autem nota uocabula. Fides significat non tantum historiæ noticiam, qualis & in diabolis est, de quibus dicitur, Dæmones credunt & contremiscunt: sed significat amplecti omnes articulos fidei, & in his hunc articulum, Credo remissionem peccatorum: Nec tantum alijs dari eam credo, sed mihi quoq;.

Hæc fides simul est fiducia acquiescens in Mediatore, iuxta illud: Iustificati fide, pacem habemus. Ita loquitur Paulus de fide, quæ adsentiens omnibus articulis fidei, promissionem intuetur & amplectitur: copulat enim fidem & promissionem, Rom. 4. Ideo ex fide, ut sit firma promissio.

In de-

In declaratione uocabuli iuſtificari,uſitatè dicitur: Iuſtificari ſignificat,ex iniuſto iuſtum fieri: quòd rectè intellectum,huc quoq; quadrat. Ex iniuſto,id eſt,reo & inobediente,& non habente Chriſtum,fieri iuſtum,id eſt, abſolutum à reatu, propter filium Dei, & apprehendentem fide ipſum Chriſtum, qui eſt iuſticia noſtra,ut dicunt Hiere.& Paulus:quia eius iuſticia nobis imputatur,& quia dato Spiritu ſuo ſancto nos uiuificat,& regenerat,ſicut & Iohan.5. dicitur: Hæc eſt uita in filio eius. Qui habet filium, habet uitam æternam: qui non habet filium Dei,uitam non habet. *Iuſtificari quid ſignificat.*

Quanquam autem ſimul inchoatur nouitas, tamen non dicimus perſonam iuſtam eſſe in hac uita propter nouas qualitates,ſed propter ipſum Mediatorem paſſum, reſuſcitatum, regnantem, deprecantem pro nobis, nos obumbrantem & uiuificantem.

Et quanquam ſunt inchoatæ uirtutes, tamen adhuc ſunt imperfectæ, & hærent in nobis reliquiæ peccati.Ideo tenenda eſt hæc conſolatio, placere perſonam propter filium Dei,imputata nobis ipſius iuſticia, ſicut Rom.4.dicitur: Credidit Abraham Deo,& imputatum eſt ei ad iuſticiam.Item, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata.

Itaq; & correlatiuè intelligenda eſt hæc oratio, Fide iuſtificamur, hoc eſt, fiducia filij Dei iuſtificamur,non propter noſtram qualitatem, ſed quia ipſe eſt propiciator, quo cor acquieſcit fiducia promiſſæ miſericordiæ propter eum, quam fiduciam ipſe Spiritu ſuo ſancto exuſcitat,ſicut inquit Paulus: Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, quo clamamus,Abba pater. *Oratio fide iuſtificamur correlatiua eſt.*

Hic & de particula excluſiua dicendum eſt. Toties repetit Paulus uocabulum Gratis, qua uoce certiſſimum eſt excludi conditionem meritorum noſtrorum.Ideo in Eccleſijs noſtris dicitur,Fide ſola iuſtificamur, quod ſic intelligimus,& declaramus:Gratis propter ſolum Mediatorem,nõ propter noſtram contritionem, ſeu alia noſtra merita, donamur remiſſione peccatorum, & reconciliatione. *Declaratio excluſiuæ Gratis & ſola fide.*

Etſi enim contritio & aliæ uirtutes multæ cum fide, ſeu hac fiducia ſimul accenduntur,tamen hæ uirtutes non ſunt cauſa,ſeu meritum remiſſionis peccatorum,nec propter eas perſona placet,iuxta illud, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens: ſed habet remiſſionem, & placet perſona certò propter Mediatorem, quem fide apprehendi oportet: ut ad Epheſ. cap. 3. dicitur, Per quem audemus accedere in fiducia,quæ eſt per fidem in eum.

Hæc tota doctrina fit illuſtrior in uera conuerſione & quotidiana inuocatione piorum. Cum expaueſcimus agnitione iræ Dei, hæc una eſt firma conſolatio,confugere ad filium Dei,qui inquit, Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam uos. Item, Viuo ego,nolo mortem peccatoris,ſed ut conuertatur & uiuat. Item, Gratia exuberat ſupra peccatum.

In his doloribus ſi doceas hominem, dubitandum eſſe de remiſſione peccatorum,uincet dolor, & ſequentur triſtiſſimi fremitus aduerſus Deum, & deſperatio,& mors æterna,Sed ſi doceas,fide uincendam eſſe dubitationem,intelliget iam uocabulo fidei non tantum ſignificari noticiam hiſtoriæ, intelliget fiduciam niti ſolo Mediatore, intelliget quid dicatur his uerbis, Gratis propter Mediatorem,ſola fide accipitur remiſſio,& placet perſona. *Fides eſt fiducia.*

Hæc lucta omnibus temporibus aliquos erudijt, ut has ueras conſolationes aliquo modo intelligerent. Etſi enim Origenes,& multi ſcriptores & ſen-

Augustini de fide iustificante testimoniũ.

tentiarij, aliud genus doctrinæ insincerum pepererunt: tamen Augustino, & aliis quibusdam leguntur dicta quæ ostendunt, eos ex his ueris fontibus etiam hausisse consolationes.

Quanquam autem interdum impropriẽ loquuntur, aut dissimilia dicunt, quia in loquendo negligentiores fuerunt: tamen quæ fuerit eorum perpetua sententia si dextrẽ iudicare uolumus, animaduerti potest. Augustinus in Psal. 31. inquit: Qui sunt beati? Non illi, in quibus non inueniet peccatum: nam in omnibus inuenit. Omnes enim peccauerunt, & carent gloria Dei, Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet quòd non sunt beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam.

Hic certè Augustinus fidem intelligit fiduciam, quæ accipit remissionem peccatorum: & dictum in Genesi, & in Paulo, prorsus intelligit sicut nos enarramus. Alibi de spiritu & litera inquit, Ex lege timemus Deum, & fide confugimus ad misericordiam.

Bernhardus.

Bernhardus in concione de Annunciatione: Necesse est primum omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per Indulgentiam Dei, Sed adde, ut credas & hoc, quòd per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens, dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. In hoc dicto perspicuè & propriè citatur sententia Ecclesiarum nostrarum, & extant similia testimonia apud hunc scriptorem.

Basilius.

Basilius etiam proprijssimè recitat nostram sententiam, in concione de Humilitate, his uerbis: Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens quòd Christus nobis factus sit sapientia à Deo, iusticia & sanctificatio, & redemtio, sicut scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio, in Deo, quando neq; propter suam iusticiam quisquam effertur, sed agnoscit sese indigere uera iusticia, fide autem sola in Christum iustificari.

Cum igitur ex his quæ dicta sunt, manifestum sit, quid significet uocabulum fidei, in hac propositione, Fide iustificamur: hinc intelligi potest pernicioſẽ errare Monachos, & alios, qui iubent conuersos ad Deum dubitare an placeant Deo.

Testimonia contra errorẽ de dubitatione.

Hunc uulgarem errorem de dubitatione manifestè refutant hæc dicta: Iustificati fide pacem habemus. Item, Ideo ex fide ut sit firma promissio. Donec enim excruciamur dubitatione, corda fugiunt Deum, non acquiescunt in Deo, non inuocant. Et promissio fit eis inanis sonitus, quia non assentiuntur ei.

Postremò Dei mandatum est æternum & immotum, ut credamus filio Dei, iuxta hoc dictum, Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me. Item 1. Iohan. 5. Qui non credit Deo, accusat eum mendacij.

Cauillatio aduersariorum quòd sit dubitandum propter nostram indignitatem.

Est autem insulsa cauillatio, quòd dicunt, dubitandũ esse propter nostram indignitatem, non propter misericordiam. Ideo enim edita est promissio, ideo filius Dei mediator constitutus est, quia nos indigni sumus: et ut Pater propter ipsum passum, resuscitatum & deprecantem pro nobis, ac uestientem nos sua iusticia, certò sit propicius huic miseræ massæ, indignæ & plenæ sordium, iuxta illud, Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

Absurdum est etiam, quòd dicunt, nostræ indignitatis causa dubitandum esse,

esse. Non enim dubitandum est, an displiceat indignitas, sed ueris gemitibus fateamur nos indignos esse,& apponamus promissionem,cui adsentiri mandatum Dei est.

Nec rectè accommodatur ad hanc dubitationem,sententia in Ecclesiaste: Nescit homo an amore uel odio dignus sit. Amentia est fingere Salomonem hoc uelle, nec iustos, nec iniustos debere statuere, an placeant, aut displiceant Deo: cum certissimum sit, perseuerantes in sceleribus contra conscientiam, displicere Deo. *De sententia Eccles. Nescit homo &c.*

Sed abducit nos Salomon ā spectaculis externis ad uerbum Dei,quasi dicat, Ex rebus secundis non statuas te placere Deo, nec propter res aduersas displicere. Non ideo placet Alexander, quia uincit, & magno imperio potitur. Iob in calamitate,Dauid in exilio,non ideo statuant se abiectos esse à Deo,quia sunt ærumnosi. Non ex his euentibus, seu externis spectaculis iudicent, sed ex uerbo Dei.Etiam in media calamitate offertur consolatio Ezech.18. Viuo ego, nolo mortem peccatoris &c. Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit,ut omnis qui credit in eum,non pereat. Iohan.3. Denicꝫ error de dubitatione, prorsus Ethnica imaginatio est, ac Euangelium abolet, & in conuersione ueram consolationem ijs, qui iram Dei sentiunt,adimit.

Docendi sunt potius homines, hanc certō uocem Euangelij esse, ut filio Dei credamus, ac statuamus gratiam exuberare supra peccatum: ideoꝙ repugnemus dubitationi,& eluctemur,et fide eam uincamus,ut accedere ad Deum, inuocare eum,& ei gratias agere possimus. Hi summi cultus horribiliter impediuntur, quandocunꝙ animi concutiuntur fluctibus dubitationum, ut experientia ostendit. Hinc perspicuum est,quare decretum Tridentinæ synodi,quod confirmat errorem de dubitatione,taxari necesse sit.

Ex his omnibus etiam intelligi potest, iustè reprehendi synecdochen eorum,qui sic interpretantur Paulum: Fide iustificamur,scilicet formata dilectione, ut ipsi loquuntur. Nam uocabulum fidei intelligunt tantum de notitia, & cogitant hanc esse sententiam: Fide iustificamur, id est, præparamur ad iustitiam,id est,ad cæteras uirtutes,quæ sunt obedientia & impletio legis. Ita tantum hoc dicunt,Hominem esse iustum propter proprias uirtutes;deinde iubent dubitare, an sit ornatus illis habitibus, de quibus loquuntur. *Iustè reprehenditur Synecdoche in propositionibus de fide iustificante.*

Ostendimus autem suprā,fide significari fiduciam acquiescentem in filio Dei propiciatore, propter quem recipimur & placemus, non propter nostras uirtutes, aut legis impletionem. Cum autem in hac ipsa consolatione, fiducia, qua acquiescimus in filio Dei, uerè sit motus accensus ā Spiritu sancto, quo uiuificatur cor, & liberatur ex æterna morte, dicitur hæc conuersio, regeneratio, Iohan.3.Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu. *Conuersio dicitur regeneratio.*

Et fit homo iam uerè domicilium Dei, qui est in eo efficax, ut Ioh. 14. dicitur:Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, et ueniemus ad eum,et mansionem apud eū faciemus. Aeternus Pater,et Filius, spiritu suo sancto uiuificant,et renouant corda,In hac consolatione cum fide eriguntur,sicut Paulus inquit Gal.3. Vt promissionē spiritus accipiatis per fidem. *Conuersus fit domicilium Dei.*

Non igitur loquimur de ociosa notitia,& errant imperiti,qui existimant, remissionem peccatorum contingere ociosis,sine aliquo motu animi,sine certamine,& sine sensu consolationis in ueris doloribus,in ea ætate, quæ iam intelligere uocem doctrinæ potest, iuxta illud, Rom. 10. Fides ex auditu est, auditus *Fides non est ociosa notitia.*

per uerbum Dei, & quia conſcientijs in pœnitentia conſolationem proponimus, non addimus hic quæſtiones de prædeſtinatione, ſeu de electione: ſed deducimus omnes lectores ad uerbum Dei, & iubemus ut uoluntatem Dei ex uerbo ipſius diſcant, ſicut æternus Pater expreſſa uoce præcipit Matth. 17. Hunc audite. Non quærant alias ſpeculationes.

Prædicatio pœnitentiæ et promiſſio ſunt uniuerſales.

Certiſſimum eſt, prędicationem pœnitentiæ ad omnes homines pertinere, & accuſare omnes homines. Ita & promiſſio uniuerſalis eſt, & omnibus offert remiſſionem peccatorum, iuxta illa dicta uniuerſalia: Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Item Iohan. 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat. Rom. 10. Omnis qui credit in eum non confundetur. Item, Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum. Roman. 11. Concluſit Deus omnes ſub inobedientiam, ut omnium miſereatur.

In hanc uniuerſalem promiſſionem ſinguli ſe includant, & non indulgeant diffidentiæ, ſed luctentur ut aſſentiantur uerbo Dei, & obſequantur Spiritui ſancto, & iuuari ſe petant, ſicut dictum eſt Luc. 11. Quantō magis dabit Spiritum ſanctum petentibus?

DE LIBERO ARBITRIO.

IAm hic nota ſit etiam doctrina de libero arbitrio. Semper in Eccleſia homines rectē eruditi diſtinxerunt diſciplinam & nouitatem ſpiritus, quæ eſt initium uitæ æternæ: & docuerunt, in homine libertatem uoluntatis talem eſſe, ad regendos externos motus membrorum, qua etiam non renati utcunq; diſciplinam, quæ eſt externa obedientia iuxta legem, præſtare poſſint.

Eſt aliqua libertas uoluntatis in præſtanda diſciplina.

Sed homo nequaquam poteſt ſe liberare à peccato, & morte æterna, uiribus naturalibus: ſed hæc liberatio & conuerſio hominis ad Deum, & nouitas ſpiritualis, fit per filium Dei uiuificantem nos Spiritu ſuo ſancto, ut dictum eſt Rom. 8. Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Et uoluntas, accepto Spiritu ſancto, iam non eſt ocioſa.

Conuerſio ad Deum fit per Filium Dei & Spiritum ſanctum.

Ac Deo gratias agimus pro hoc immenſo beneficio, quōd nobis propter Filium, & per eum dat Spiritum ſanctum, & nos ſuo Spiritu regit: & damnamus Pelagianos & Manichæos, ut hæc ſuo loco copioſius explicamus.

DE NOVA OBEDIENTIA.

TOtum beneficium filij Dei conſiderandum eſt, Ita enim uult peccatum & mortem tollere, & nos ex regno Diaboli eripere, ut prorſus abolito peccato, & deleta morte, reſtituat in nobis æternam uitam, in qua Deus nobis communicet ſapientiam, iuſticiam, & lætitiam ſuam, & in qua ſit Deus omnia in omnibus.

Totum beneficium filij Dei inchoatur in hac uita.

Hoc ſummū beneficium inchoat in hac miſera maſſa, in hac uita, ſicut ſcriptum eſt 2. Cor. 5. Superinduemur ſi tamen non nudi reperiemur. Item Matth. 10. Qui perſeuerauerit uſq; in finem, hic ſaluus erit. Itaq; cum accipimus remiſſionem peccatorum, & reconciliati ſumus, & obſignati Spiritu ſancto, hæc bona effundere horrendus furor eſt: ſicut deſcribuntur effundentes in parabola de domo mundata. Et in 2. Epiſtola Petri 2. dicitur, Si hi qui effugerunt contaminationes mundi, per agnitionem Domini & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus impliciti ſuccumbunt, fiunt eis poſtrema deteriora prioribus.

Effunduntur autem hæc bona, ſi quis non retinet fundamentum, id eſt, articulos

ticulos fidei,siue sciens,siue deceptus, impia dogmata, seu idola recipit. Item,si quis alioqui contra conscientiam ruit.Hæ regulæ sæpē repetitæ sunt, ut Gal. 5. Qui talia faciunt,regnum Dei non possidebunt. Necessaria est igitur cura uitandi tales lapsus.

Effunditur beneficium filij Dei peccatis contra conscientiam.

Hæc manifesta necessitas,proposita summa pœna,uidelicet amissione uitæ æternæ,si quos non mouet ad benē operandum,hi sunt iam ex his de quibus dicitur 1. Iohan. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Item, Si quis Spiritum Christi non habet,hic non est eius.Et sunt necessitatis causæ plures. Debitum, id est, ordo immutabilis, ut creaturæ Deo obtemperent: Ideō Paulus inquit Rom.8.Debitores estis. Item,Ne Spiritus sanctus & fides excutiantur. Accedat et cura uitandi pœnas præsentes.Quia certissimum est,plurimos etiam electorum lapsus horribiliter puniri in hac uita, ut inquit Ecclesia apud Micheam cap.7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei.

Necessitas nouæ obedientiæ.

Debitum.

Cura uitandi pœnas.

Et omnium temporum historiæ horrenda exempla pœnarum continent, ut Dauid,Salomon, Manasses, Iosias, Nabuchodonosor,& alij innumerabiles duriter castigati sunt. Qua in re hoc tristissimum est, quòd in ipsis pœnis multa noua peccata cumulantur,ut in seditione mota contra Dauidem,in dilacerationē regni propter delictum Salomonis. Et de necessitate benè operandi,inquit Dominus Matth.5.Nisi abundauerit iustitia uestra plus quām Pharisæorum,non intrabitis in regnum cœlorum. Considerata autem necessitate, quæ multiplex est, sequuntur hæ quæstiones: Quæ opera sint facienda, quomodo fieri possint, quomodo placeant Deo: Quæ habeant præmia, Quod sit discrimen peccatorum:quæ excutiant Spiritum sanctum,& quæ non excutiant.

QVÆ OPERA FACIENDA SINT.

VVlt Deus & fidem & opera regi suo uerbo. Ideō tenenda est norma de bonis operibus,interioribus & exterioribus,quæ in istis præceptis Dei continetur,quæ ad nos pertinent: sicut Ezechielis 23. dicitur, In præceptis meis ambulate.Et hæc opera interiora & exteriora fiunt cultus Dei,cum fiunt in fide,& referuntur ad hunc finem, ut Deus hac obedientia celebretur.

Norma de bonis operibus continetur in præceptis diuinis, & placent cum fiunt in fide.

Dictum est autem suprā, externam obedientiam, seu disciplinam præstare posse etiam non renatos:ut,honestē uiuit Cicero,& benē meretur de toto genere humano laboribus gubernationis: sed mens plena est dubitationum de prouidentia, nec nouit, nec alloquitur uerum Deum in inuocatione, nec nouit promissiones,& semper dubitat an exaudiatur,præsertim in calamitatibus: in quibus etiam Deo irascitur,cogitat iniustē se adfligi, cum fuerit ciuis honestus, & utilis Reipublicæ. Tales tenebræ in mente sunt magna peccata,quæ ratio sine luce diuina non satis iudicare potest.

Oportet igitur in renatis etiam interiorem obedientiam inchoari,ueram Dei agnitionem,timorem Dei, dolores in pœnitentia, fiduciam misericordiæ propter filium Dei promissæ, inuocationem, spem, dilectionem, læticiam in Deo, & alias uirtutes: & oportet eas referre ad debitum finem, scilicet, ut Deo præstetur obedientia.

Hi ueri cultus non possunt præstari sine luce Euangelij, & sine fide: quos aduersarij,qui uolunt uideri eximij præcones bonorum operum,nec intelligūt, nec flagitant,cum omittunt doctrinam de fide,quæ est fiducia misericordiæ,acquiescens in filio Dei, quæ est præcipuum opus, & summus cultus Dei.

Regula de operibus nõ mandatis.

De operibus non mandatis à Deo infrà dicemus. Et regula tenenda est Matth.15.Frustra colunt me mandatis hominum.Sæpè autem in Ecclesia accidit,ut maiori cura seruentur humani ritus, quàm præcepta Dei: imò ut autoritas Pharisaicarum,& iniustarum traditionum anteferatur mandatis diuinis, ut multis seculis, propter iniustam & impiam legem de cœlibatu, præceptum Dei de uera castitate,horribiliter uiolatum est.Considerandum est igitur discrimen legis, de quo rursus infrà dicemus.

QVOMODO POSSINT FIERI BONA OPERA.

Imbecillitas hominum magna et diaboli odium.

MAgna est infirmitas hominum, & Diabolus est acerrimus hostis, qui odio Dei grassatur in humanum genus,ac prẹsertim Ecclesiam Dei conatur dissipare, quantum potest, ut scriptum est à Petro, Vigilate, quia aduersarius uester Diabolus, tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Ideò quanquam externam disciplinam homines naturalibus uiribus utcunq; præstare possunt,tamen sæpè uincuntur hac communi infirmitate.Sæpè etiam diabolus non feros homines impellit in tetra scelera,ut decepit Euam;impulit fratres Ioseph, Dauidem,& alios innumerabiles. Quæ igitur potest esse diligentia,uel circumspectio, par astutissimo hosti?

Filius Dei depulsis diabolis sustentat nos, & regit corda Spiritu sancto

Hic teneamus dulcissimam consolationem: Apparuit filius Dei,ut destruat opera diaboli, 1.Iohan. 3. Custos est filius Dei Ecclesiæ suæ, sicut inquit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Ipse protegit nos, & simul Spiritu suo sancto confirmat mentes in ueris sententijs: & ut inchoat æternam uitam, ita motus bonos, fidem, dilectionem Dei, ueram inuocationem, spem, castitatem,& alias uirtutes in cordibus accendit.

Nequaquam sumus Pelagiani, sed reuerenter gratias agimus Deo æterno, Patri Domini nostri Iesu Christi, & filio eius Iesu Christo, & Spiritui sancto, cum pro toto beneficio restitutæ salutis hominum, tum uerò pro hoc ipso beneficio, quòd in Ecclesia habitat filius Dei, & eam sua dextra contra furores diabolorum & hominum protegit,& depellit à nobis diabolos, & in hac tanta infirmitate postea nos sustentat, & regit mentes & corda Spiritu suo sancto,ut luceat in nobis uera Dei agnitio,& excitetur uera inuocatio.

Hæc beneficia nobis præstari certò scimus, sicut dulcissimè dictum est apud Zachariam cap.12. Effundam super domum Dauid, & habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ & precum. Nominat spiritum gratiæ, quia in hac consolatione testificatur filius Dei, obsignans nos Spiritu sancto, quòd simus in gratia,& quòd liberemur ex doloribus inferorum. Deinde nominat spiritum precum,quia cum agnouimus remissionem peccatorum, iam non fugimus Deum,non fremimus aduersus Deum:sed accedimus ad eum uera fide & spe,petimus & expectamus ab eo auxilium, diligimus eum,& nos ei subijcimus: ita fit inchoatio obedientiæ.

Voluntas non est ociosa accepto Spiritu sancto.

Eodem modo inquit Dominus Iohan. 14. Ego rogabo Patrem,& alium Paracletum dabit uobis,Spiritum ueritatis. Accendit Spiritus sanctus lucem ueritatis in mentibus,& nouos motus in cordibus, congruentes cum lege Dei. Hoc tantum donum agnoscamus,& grati retinere studeamus, & assiduè nos in tantis uitæ periculis iuuari petamus. Nec est ociosa uoluntas,accepto Spiritu sancto.

QVOMODO PLACEAT NOVA OBEDIENTIA.

PHarisæus apud Lucam cap. 18. admiratus sese, & sibi placet, fascinatus hac persuasione, quòd legi satisfaciat, & propter hanc qualemcunq; disciplinam Deo placeat. Tales sunt multi in genere humano, securi propter qualemcunq; umbram disciplinæ. *Arrogantia Pharisæi apud Lucam & aduersariorum.*

Sed horum arrogantiam sæpè accusat uox diuina, ut inquit Dominus Lucæ 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et apud Iohannem, Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus, mendaces sumus. Ideò inanis est imaginatio, fingentium obedientiam placere sua indignitate, & esse meritum condigni, ut loquuntur, & iusticiam coram Deo, quæ sit meritum uitæ æternæ.

Postea tamen addunt, semper dubitandum esse, an placeat obedientia: quia manifestum est, in singulis multum sordium esse multa peccata ignorantię & omissionis, multos næuos non paruos.

Hic necesse est rectè erudiri conscientias de utraq; re, de infirmitate nostra, & de consolatione. Necesse est in renatis esse iusticiam bonæ conscientiæ & inchoatam obedientiam, ut dictum est. Et tamen in hac uita, in nostra natura, in animo & in corde, adhuc ualde multum est sordium, quas illi magis cernunt & deplorant, qui plus lucis habent, ut Prophetæ & Apostoli, ut nota est Pauli querela Rom. 7. Video aliam legem in membris meis, quæ repugnat legi mentis meæ, & me captiuum facit legi peccati. *Vtrumq; uerũ est, & magnã esse infirmitatem nostram, & oportere inchoari obedientiam.*

Magna adhuc in singulis caligo est, multiplex ignorantia, & multæ tristissimæ dubitationes, errores in consilijs, orti ex diffidentia, ex falsis opinionibus, & inani spe: multæ uicioſæ flammæ cupiditatum, multæ neglectiones officij, fremitus & indignationes aduersus Deum, in pœnis. Deniq; stupor & insania est nolle fateri timorem et dilectionem Dei multò frigidiorem esse, quàm esse debebat.

Hæ confessiones repetitæ sunt in Prophetarum & Apostolorum concionibus. Psal. 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et in 1. Iohan. 1. Si dicimus quòd peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, & ueritas non est in nobis. Hæc confessio necessaria est, & arrogantia taxanda.

Reprehendendus est etiam error aduersariorum, qui fingunt, homines in hac uita mortali legi Dei satisfacere posse. Item qui dicunt, Malum concupiscentiæ nobiscum nascens non esse peccatum, nec malum pugnans cum lege, seu uoluntate Dei. Hos errores manifestè refutat Paulus Rom. 7. & 8. Postea etiam consolatio addenda est. *Errores Aduersariorum de Lege & de peccato.*

Primum statuat renatus, se reconciliatum esse Deo sola fide, id est, fiducia Mediatoris, & personam iustam reputari propter filium Dei mediatorem, gratis, propter ipsius Meritum. Et manet Christus Deus & homo, postea quoq; propiciator & summus Sacerdos, assiduè pro nobis interpellans. *Summa doctrinæ Pauli de iustificatione & noua obedientia.*

Secundò, confiteatur uero dolore, adhuc in renato multa peccata & magnas sordes esse, dignas ira Dei.

Tertiò, Et tamen sciat oportere inchoari obedientiam & iusticiam bonæ conscientiæ: & hanc, quanquàm procul abest à perfectione Legis, tamen in reconciliatis Deo placere, propter Mediatorem deprecantem pro nobis, & suo merito

merito tegentem noſtras ingentes & inenarrabiles miſerias. Ita propter eum & perſona recipitur, & poſtea placent opera, & in utroq; fides lucet. Ideo Petrus inquit, Offerte hoſtias ſpirituales, acceptas Deo per Ieſum Chriſtum. Hæc conſolatio propoſita eſt in capite 8. ad Rom. Nulla nunc condemnatio eſt his, qui in Chriſto Ieſu ambulant. Et Rom. 6. Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.

Quomodo placeat inchoata obedientia.

Ibi hoc ipſum quæritur, an placeat obedientia, cum legi non ſatisfaciat? Reſpondet Paulus, Placere, quia nõ ſimus ſub lege, id eſt, damnati lege; ſed ſub gratia, id eſt, reconciliati, ſeu recepti in gratiam. Rom: 8. Quis condemnabit? Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, & pro nobis interpellat, id eſt, Placent ſancti propter Filium, qui obtulit pro nobis ſuam obedientiam, & pro nobis interpellat.

Hæc dicta opponenda ſunt dubitationi, ne fides & inuocatio extinguantur. Nam dubitatio languefacit inuocationem.

Poſtquam igitur ſcimus, & neceſſariam eſſe nouam obedientiam, et auxilium nobis certõ donari, & placere hanc, quanquam mutilam & mendicam obedientiam, agnoſcamus immenſam Dei miſericordiam, & pro ea gratias agamus, & ſit maior cura regendi omnes actiones, quia ſcimus, & iuuari nos, & Deo hanc obedientiam propter Filium placere. Et ſemper in conſpectu ſit hæc neceſſitas: Si effunduntur beneficia Dei, iuſtificatio & regeneratio amitti uitam æternam, iuxta illud 2. Corinth. 5. Superinduemur, ſi tamen non nudi reperiemur. Et Rom. 8. Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Ac ſemper in iuſtificatione ſimul fit inchoatio nouitatis.

Latro pendẽs in cruce habet bona opera.

Latro pendens in cruce, habet bona opera interiora & exteriora, dolet ſe peccaſſe, & fatetur ſe iuſtè puniri. Deinde & fide agnoſcit Saluatorem, & petit ab eo ſalutem: ideoq; audit expreſſam abſolutionem, & concionem de uita æterna, & promiſſionem, & acquieſcit in hac uoce Meſſiæ, & ſe Deo ſubijcit, & non impatienter fert ſupplicium, ſed lætatur agnitione Meſſiæ, & ſpe uitæ æternę, & Deo gratias agit, præterea ut extet ſignum confeſſionis, refutat maledicentem Chriſto.

Hęc in eo fiunt, ipſo Chriſto ſocio ſupplicij effundente Spiritum ſanctum in cor eius, qui nouam lucem & agnitionem ueram Meſſiæ, ueram fidem, inuocationem, & ueros pœnitentiæ motus dilectionem Dei, ſpem uitæ æternæ, & alias uirtutes in eo accendit.

DE PRÆMIIS.

Vita æterna donũ Dei per Chriſtum, & accipitur fide ac ſpe.

PAulus inquit Rom. 6. Donum Dei eſt uita æterna per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, & reconciliati ſeu iuſtificati, ſimul ſunt cohæredes filij Dei propter ipſum, non propter propria merita: nituntur filio Dei mediatore, non noſtris meritis: & fides accipiens remiſſionem peccatorum ac iuſtificationem, & ſpes uitæ æternæ, ut expreſſè dictum eſt Iohan. 6. Hæc eſt uoluntas Patris, ut omnis credens in Filium, habeat uitam æternam. Et Rom. 5. Iuſtificati fide pacem habemus apud Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem acceſſum habemus fide in gratiam hanc, in qua ſtamus, & gloriamur ſpe uitæ æternæ.

Coniungit fidem & ſpem, & adfirmat utramq; niti Mediatore, & manifeſtum eſt, ſpem non debere niti noſtris operibus, quia dictum eſt Pſal. 142. Nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens: ſed ut propter ſolum filium Dei

agentes

agentes pœnitentiam reputantur iusti fide, & propter eam & per eam uiuificantur: ita propter eum, & non propter nostra merita, donatur uita æterna: sicut latro in cruce audit hanc promissionem, Hodie eris mecum in Paradiso, Lucæ 23.

Filius Dei non tantũ est præparatio ad uitam æternam.

Nec somniandum est, filium Dei tantum præparationem ad uitam æternam nobis meruisse, aut dare, & nos postea nostris operibus mereri uitam æternam: sed sit in conspectu dictum dulcissimum, Oseæ 13. O mors ero mors tua, & pestis tua ò inferne. Propter filium Dei, & per eum liberamur à morte æterna, & transferimur in uitam æternam: sicut ipse inquit, Ego uitam æternam do eis. Et 1. Iohan. 5. Qui habet Filium, habet uitam. Ac sit spes certa & firma, sicut Petrus inquit, Perfectè sperate, id est, non dubia opinione, sed firma spe expectate uitam æternam, uidelicet propter Mediatorem. Et rectè Augustinus inquit in libro meditationum: Totius fiduciæ certitudo est in sanguine Christi.

Vtrunq; certissimum sit, agentem pœnitentiam propter filium Dei gratis, fide accipere remissionem peccatorum, & iustificationem, & hunc esse hæredem uitæ æternæ, sicut Paulus inquit Rom. 8. Quicunq; spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: Si autem filij, hæredes Dei &c.

Perseuerantes in peccatis cõtra conscientiam non fiunt hæredes uitæ æternæ.

Et tamen simul uerum est, eos qui effundunt Spiritum sanctum, deficientes à fide, aut ruentes contra conscientiam, nec redeunt ad Deum per pœnitentiam, non esse hæredes, sicut dicitur ad Gal. 5. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Et 1. Tim. 1. Milita bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerunt. Et Matthæi 25. Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam.

Vita æterna datur gratis & simul est merces.

Cæterum etsi uita æterna datur propter filium Dei renatis, tamen simul etiam est merces bonorum operum, sicut dicitur Matth. 5. Merces uestra copiosa est in cœlis. Vt patrimonium est merces laborum filij, etiamsi propter aliam causam filio attribuitur.

Promissiones bonorum operum.

Præterea addidit Deus bonis operibus suas quasdam promissiones: quare & pro bonis operibus sanctorum tribuit Deus etiam in hac uita multa spiritualia & corporalia bona, aliàs aliter, ut ipsi sua inenarrabili sapientia uidetur. 1. Tim. 4. Pietas habet promissiones præsentis & futuræ uitæ. Marci 10. Recipient centuplum in hac uita, sed cum tribulatione, & post hanc uitam, uitam æternam. Matt. 11. Qui dederit potum uni ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem. Luc. 6. Date & dabitur uobis. Exod. 20. Honora patrem & matrem, ut sis longæuus supra terram. Esai. 33. Panis ei dabitur, aquæ eius erunt certæ: Regem in decore uidebunt, id est, pro obedientia & bonis operibus Deus dat tranquillas politias, honestam & placidam gubernationem &c. Esai. 58. Frange esurienti panem tuum, & eris sicut hortus irriguus &c.

Et notum est exemplum uiduæ Sareptanæ, 3. Regum. 17. Et Psaltes dicit Psalmo 112. Opes & diuitiæ in domo eius. Quia enim in hac mortali & ærumnosa uita Deus Ecclesiam colligit, & uult eam esse honestam congregationem: præbet ei aliqua hospitia mediocria, præbet nidos pijs familijs, puerperis, educationi puerorum, propagationi doctrinæ, denicq; uult conseruare generis humani societatem, œconomias & politias: & quidem ideõ, ut colligi Ecclesia possit.

Quare

Sanctorũ preces efficaces.

Quare propter sanctorum preces,& propter eorum diligentiam,& propter communem necessitatem, tribuit aliquando gubernationem minus turbulentam,pacem,fœcunditatem agrorum,et alia bona,ut propter Ioseph,Naaman,Danielem,regna illa feliciora erant.Et Ieremias cap. 19. præcipit, ut exules in Babylone petant hospitio pacem, & salutarem gubernationem. Sicut etiam sæpè propter Ecclesiæ delicta cumulantur pœnæ: ut in pœna tribus Beniamin,Dauidis,& alijs conspicitur. Vult autem Deus intelligi hæc beneficia corpori necessaria,& sciri uult ea diuinitus tribui, Vult in eis petendis exerceri fidem,ut suo loco copiosius dicimus. Nunc ideò hæc pauca addidimus, ut in hac confessione etiam extet testimonium in nostris Ecclesijs, doctrinam de bonis operibus ueram & necessariam fideliter proponi.

DE DISCRIMINE PECCATORVM.

CVm dictum sit,in renatis manere peccata,necesse est tradi discrimen. Nam ex dicto,Luc.11. Vadit & adsumit septem alios spiritus nequiores se,& ingressi habitant ibi, etc. & ex similibus dictis, manifestum est, aliquos renatos contristare & excutere Spiritum sanctum, & rursus abijci à Deo, ac fieri reos iræ Dei,& æternarum pœnarum.Et Ezechielis 33.scriptum est: Cum recesserit iustus à iusticia sua,& fecerit iniquitatem,morietur in ea: & cum recesserit impius ab impietate sua,& fecerit iudicium & iusticiam,uiuet in ea.

Peccatum regnans & non regnans.

Necesse est igitur discerni peccata, quæ in sanctis in hac mortali uita manent,nec excutiunt Spiritum sanctum,ab alijs peccatis, propter quę homo rursus fit reus iræ Dei & æternarum pœnarum. Et Paulus Rom.5. discernit peccatum regnans,& non regnans. Et alibi inquit Rom. 8. Si secundum carnem uiuetis,moriemini: si actiones carnis spiritu mortificabitis,uiuetis.

Regula Pauli de discrimine peccatorum.

Tradit autem regulam in Epistola ad Timotheum, 1. Tim. 1. Milita bonam militiam,retinens fidem & bonam conscientiam. Cum igitur homo non retinet fidem,sed aliquam fundamenti partem, id est, aliquem articulum fidei, siue sciens, siue errore amittit, aut Idola adprobat: ut multi qui falsis dogmatibus decipiuntur,aut non sustentant se consolatione fidei, sed superantur dubitatione aut desperatione, aut uiolant ullum præceptum Dei contra conscientiam,effundunt Spiritum sanctum, & rursus fiunt rei iræ Dei, & pœnæ æternæ: & nisi fiat conuersio,tales morientes abijciuntur in æternas pœnas.

De his inquit Paulus Rom. 8. Si secundum carnem uiuetis, moriemini. Et 1.Corinth.6.Nec scortatores,nec adulteri,nec Idolatræ &c. possidebunt regnum Dei.Et iuramentum Ezech.18.clarè dicit: Viuo ego,dicit Dominus,nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. In iuramento partes duæ copulatæ sunt,conuersio & uita. Postulat Deus & quidem iuramento,conuersionem,Quare non placent ei, retinentes propositum peccandi.

Complectimur aũt in hoc numero,et peccata omissionis adfectatæ,id est, adfectatam negligentiam in officio,quæ pugnat cum dicto: Hoc requiritur,ut fideles simus: & ignorantiam adfectatam,qualis est Pharisaica,& infinitæ multitudinis, quæ ueram Ecclesiæ doctrinam non studet inquirere, & ignara retinet idola,aut etiam sæuitiam adiuuat in defensione idolorum.

Peccata in renatis.

Dictum est de lapsibus, quibus excutitur Spiritus sanctus, alia sunt peccata in renatis,retinentibus fidem & bonam conscientiam,quæ non sunt corruptelæ fundamenti, nec sunt delicta contra conscientiam; sed sunt reliquiæ peccati ori-

cati originis, caligo, dubitationes, carnalis securitas, errantes flammæ uicioso-
sorum adfectuum, & omissionis, uel ignorantiæ non adfectatæ.

Hæc mala extenuant quidam, & nominant deformitates præter Legem Dei. Sed hæc cœcitas ualdè reprehendenda est, & utrunq; considerandum: magnitudo mali in hac tota immundicie, quæ est contraria legi & uoluntati Dei, & rursus magnitudo misericordiæ & beneficij filij Dei, tegentis hæc tristia & magna uulnera in hac misera natura.

Iubet autem Paulus his malis repugnare spiritu, id est, Atticus, Scipio, frenant uicioso affectus, ratione: sed Ioseph, Paulus, frenant spiritu, id est, Spiritus sancti motibus, uero dolore, uera fide, timore Dei, & inuocatione.

Dolet Paulus sentiens dubitationes, aut alios errantes motus: & fide statuit, hanc immundiciem tegi à Mediatore, & timore Dei se reprimit, ne obtemperet iræ, aut alijs errantibus motibus: Et simul inuocat Deum, & petit auxilium: Cor mundum crea in me Deus, Psal. 51.

Cum hoc modo repugnamus prauitati, quæ adhuc reliqua est in renatis, teguntur hæc mala, & dicitur peccatum non regnans, seu ueniale: & non effunditur Spiritus sanctus. Hanc doctrinam de discrimine peccatorum, ueram, perspicuam, & Ecclesiæ necessariam esse, manifestum est. De qua tamen quales labyrinthi disputationum sint in libris aduersariorum, multi norunt.

Postquam uerò breuiter exposuimus summam doctrinæ de iustificatione, nunc & argumenta, quæ contra hanc sententiam obijciuntur, explicanda & refutanda erant. Sed quia alij alia obijciunt, confessionem nostram recitauimus, & offerimus nos ad longiores explicationes in singulis membris confessionis.

DE ECCLESIA.

VVlt Deus intelligi, genus humanum non casu nasci, sed à Deo conditum esse; & conditum non ad æternum exitium, sed ut colligat sibi in genere humano Ecclesiam, cui in omni æternitate communicet suam sapientiam, bonitatem & lætitiam. Et uult conspici Filium, propter quem & per quem inenarrabili sapientia & immensa misericordia hanc miseram naturam hominum restituit. Ideo semper in genere humano cœtum esse uoluit, cui tradidit doctrinam de Filio, & in quo Filius ipse instituit & conseruauit ministerium custodiendæ & propagandæ eius doctrinæ, per quam & efficax fuit, est & erit. Et multos ad se conuertit, sicut manifestè inquit Paulus Roman. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Genus humanum conditum ut ex eo colligatur Ecclesia.

Sed mirandum & dolendum est, maximam partem generis humani, horribili furore contemnere uocem & testimonia Dei, & filium Dei: & in ipso cœtu, qui nomen habet Ecclesiæ, multas dilacerationes semper factas esse, & ueram Ecclesiam ab externis & domesticis hostibus oppugnatam esse. Hæc dissidia cum homines intuentur, & quidem uident imperijs, multitudine & gloria antecellere eos, qui alias doctrinas pugnantes cum Euangelio amplectuntur, dubitant an sit aliqua Dei Ecclesia, quæ nam, & qualis, & ubi sit.

Ac prophanis dijudicatio difficilis est: sed uera Ecclesia scit ex testimonijs diuinis, unde sint tanti hominum furores, & inter eos tamen seruari Ecclesiam Dei; & discernit eam à cæteris gentibus, & scit quænam, qualis, & ubi sit.

Vt igitur contra has dubitationes magis confirmarentur omnes sancti,

articulus in Symbolo propositus est: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam. Hac professione adfirmamus, non abiectum esse totũ genus humanum à Deo, sed esse, & mansuram esse aliquam ueram Ecclesiam, ratas esse Dei promissiones, adhuc regnare filium Dei, recipere & saluare inuocantes. Et hac erecti consolatione, Deo gratias agimus, & eum inuocamus: & petimus, accipimus, & expectamus æterna bona.

Semper est & erit aliqua uera Ecclesia.

Propter hanc commonefactionem & consolationem articulus in symbolo recitatur, cum quidem hæc ipsa doctrina de conseruatione Ecclesiæ, sæpissimè repetita sit in concionib. diuinis: ut Esaiæ 59. Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in sempiternum. Et Dominus inquit Matth. 28. Ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Est & hęc dulcis consolatio, quòd non alibi sint hæredes uitæ æternæ, nisi in cœtu uocatorum, iuxta illud Rom. 8. Quos elegit, hos & uocauit.

Non uagentur animi, intuentes hoc lacerum corpus Ecclesię, & somniantes fortassis alibi aliquos qui ignorant Euangelium, tamen esse sanctos & domicilium Dei, Fabium, Scipionem, Aristidem, & similes. Sed huc refer oculos. In hoc cœtu uocatorum certò scias aliquos electos esse, & ad hunc cœtum te adiungito, confessione & inuocatione. Sicut dicit Psalm. 26. Vnum petij à Domino, hoc requiro, ut habitem in domo Domini, omnibus diebus uitæ meæ, ut uideam uoluntatem Domini, & uisitem templum eius.

Ecclesia non est Idea Platonica.

Non igitur de Ecclesia, tanquam de Idea Platonica loquimur: sed Ecclesiam monstramus, quæ conspici & exaudiri potest, iuxta illud Psalm. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum. Vult exaudiri Filium æternus Pater, in toto genere humano, sicut inquit Matth. 17. Hunc audite. Et Psalm. 2. Ego constitui Regem meum in monte Sion, prædicabo præceptum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, Ego hodie genui te, Et nunc reges intelligite &c.

Ecclesia uisibilis quæ sit, & qualis & ubi sit.

Dicimus igitur, Ecclesiam uisibilem in hac uita cœtum esse amplectentium Euangelium Christi, & rectè utentium Sacramentis, in quo Deus per ministerium Euangelij est efficax, & multos ad uitam æternam regenerat. In quo cœtu tamen multi sunt non sancti, sed de uera doctrina consentientes: ut Mariæ tempore erant Ecclesia, Zacharias, Simeon, Ioseph, Elisabeth, Maria, Anna, Pastores, & alij multi, qui de pura doctrina consentiebant, & audiebant non Saducæos aut Pharisæos, sed Zachariam, Simeonem, Annam, Mariam, & similes &c. Nam etiam cum ualde exiguus cœtus est, tamen Deus aliquas reliquias seruat, quarum uox & confessio exauditur, & subinde ministerium instaurat, iuxta illud Esaiæ 1. Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma esemus &c.

Itaq; quæ sit Ecclesia, & qualis sit, & ubi sit, hæc descriptio indicat, sumta ex manifestis testimonijs diuinis. Nihil dubium est, Ecclesiam alligatam esse ad Euangelium, ut Paulus inquit Galat. 1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Et Ioh. 10. Oues meæ uocem meam audiunt. Et Ioh. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Et Ioh. 17. Sanctifica eos in sermone tuo, sermo tua est ueritas.

Non sunt igitur membra Ecclesię Dei, etiamsi titulum et imperia tenent, Saducæi,

Saducei, Phariſei, & ſimiles, Pontifices, et alij, qui aliam doctrinam proponunt, diſſentientem ab Euangelio, & ſtabiliunt idola pertinaciter.

Non ſunt membra Eccleſiæ hoſtes doctrinæ.

Manifeſtum eſt autem, aliud genus doctrinæ, diſſentiens ab Euangelio, aduerſarios tradere & propugnare, qui docent legem Dei impleri obedientia noſtra in hac uita, & hanc obedientiam mereri remiſſionem peccatorum. Item, hac obedientia homines iuſtos eſſe coram Deo: Item, prauam concupiſcentiam non eſſe peccatum, nec malum pugans cum lege Dei.

Doctrina aduerſariorum contraria Euangelio.

Item, dubitandum eſſe conuerſis, an ſint in gratia, & hanc dubitationem non eſſe peccatum. Item, Inuocandos eſſe homines mortuos. Item, Cultus Dei eſſe diſcrimina ciborum, uota Monaſtica & alios ritus ſine mandato Dei electos. Item, Oblationem in Miſſa mereri facienti & alijs, uiuis & mortuis, remiſſionem peccatorum & alia. Item alias prophanationes Sacramenti multiplices & horrendas.

Item, Epiſcopos poſſe inſtituere cultus Dei, & peccata mortalia eſſe uiolationem cultuum, qui ab eis inſtituuntur. Item, Poſſe legem de cœlibatu imponere ulli ordini hominum. Item, Enumerationem ſingulorum delictorum neceſſariam eſſe ad remiſſionem peccatorum. Item, Satisfactiones Canonicas, compenſationes eſſe pœnarum purgatorij.

Item, Synodos, in quibus ſoli Epiſcopi dicunt ſententias, non poſſe errare. Item, Qui conſecrant olea, & alias res ſine mandato diuino, & tribuunt eis uim diuinam contra peccata & diabolos, & morbos. Item, Qui inuocationes ad certas ſtatuas adprobant, quaſi ibi plus ſit auxilij. Item, Qui interficiunt homines honeſtos, tantum quia hos errores improbant, & ueritatem profitentur.

Hæc cum ſint palãm Ethnica & Idolatrica, manifeſtum eſt, defenſores eorum non eſſe membra Eccleſiæ, ſed dominari, ſicut Phariſæi & Saducæi dominabantur. Interea tamen fuerunt, ſunt & erunt Eccleſia Dei, homines retinentes fundamentum, etiamſi alij plus, alij minus lucis habuerunt, habent, & habebunt, 1. Corint. 3. Et interdum etiam ſancti ſtipulas extruunt ſupra fundamentum, cum præſertim in hac temporum miſeria multis, qui habent initia fidei, non concedatur, ut erudiri, & cum doctioribus colloqui poſſint. Hi ſunt tamen in eorum numero, quibus iubet Deus parci: Ezech. 9. Qui gemunt & dolent, propterea quòd errores ſtabiliuntur.

Præcipuè igitur ex uoce doctrinæ iudicandum eſt, & iudicari poteſt, quæ & ubi ſit uera Eccleſia, quæ uoce ueræ doctrinæ, deinde & legitimo uſu Sacramentorum ab alijs gentibus diſcernitur: & quæ ſit uox ueræ doctrinæ, oſtendũt ipſa ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & Symbola. In his non eſt ambigua doctrina de fundamento, uidelicet de articulis fidei, de eſſentia & uoluntate Dei, de Filio redemtore, de Lege, de promiſſionibus, de uſu Sacramentorum, de miniſterio. Et manifeſtum eſt, nulli creaturæ, non angelis, non hominibus conceſſum eſſe, mutare doctrinam ã Deo traditam.

Vox diuina oſtendit quæ ſit uera Eccleſia.

Qualis autem ſit Eccleſia oſtendit filius Dei inquiens Iohan. 18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Item, Sicut Pater meus miſit me, ſic ego mitto uos. Colligitur uoce miniſtrorum Euangelij æterna Eccleſia Deo. Hoc immenſum beneficium Dei agnoſcere, & grati celebrare debemus.

Quanquam autem Eccleſia eſt cœtus, qui conſpici & exaudiri poteſt, tamen diſcernendus eſt ab imperijs politicis, ſeu gerentibus gladium. Nec iure diuino Epiſcopi habent poteſtatem gladio puniendi non obedientes, nec im-

Eccleſia diſcernenda à politijs.

perio mundi occupandi,& tamen in ea ordo est,iuxta illud: Ascendit,dat dona hominibus,Apostolos,Prophetas,Euangelistas,Pastores & Doctores, Eph.4.

Filius Dei summus Sacerdos Ecclesiæ.

Filius Dei est summus Sacerdos,unctus ab æterno Patre, qui ut non funditus intereat Ecclesia, ministros Euangelij ei attribuit, partim ā se immediatē uocatos,ut Prophetas & Apostolos,partim uocatione humana electos. Nam & Ecclesiæ electionem adprobat,& immensa bonitate efficax est, etiam sonante Euangelio per electos suffragijs,aut nomine Ecclesiæ.

Retinemus igitur & in nostris Ecclesijs publicum ritum ordinationis, quo commendatur ministerium Euangelij uiris electis, quorum mores & doctrinam prius exploramus.

Et de dignitate ministerij fideliter docemus Ecclesias. Nihil dici maius potest, quām quōd filius Dei inquit Iohan.6. Sicut Pater meus misit me, sic & ego mitto uos. Ostendit & quæ mandata det,prædicate Euangelium: & adfirmat, se per uocem illorum efficacem fore, sicut Pater ostendit se efficacem esse per Filium.

Proponimus & mandata Dei Lucæ 10. Qui uos audit,me audit: qui uos spernit &c. Item Hebr.13. Obedite præpositis uestris. Nec tamen hæc dicta regnum cōstituunt extra Euangelium, sed obedientiam præcipiunt,debitam uoci Euangelij: & ad ministerium hæc pertinent,docere Euangelium,administrare Sacramenta, uocem Absolutionis impertire petentibus, qui non perseuerant in manifestis delictis, ordinare ministros Euangelij ritè uocatos & exploratos,exercere iudicia Ecclesiæ legitimo modo: de ijs qui manifestorum criminum in moribus aut doctrina rei sunt,et contra contumaces,sententiam excommunicationis ferre,& conuersos rursus absoluere & recipere. Hæc ut ritè fiant, etiam Consistoria in Ecclesijs nostris constituta sunt.

Diximus autem in descriptione Ecclesiæ, multos in hac uisibili Ecclesia esse non sanctos, qui tamen externa professione ueram doctrinam amplectuntur: quia Donatistas improbamus, qui finxerunt, ministerium eorum qui non sunt sancti, non esse efficax.

Contra Donatistas.

Improbamus & colluuiem Anabaptisticam, quæ finxit Ecclesiam uisibilem,in qua omnes sint sancti, Aç fatemur,de Ecclesia uisibili in hac uita sentiendum esse,sicut inquit Dominus Matth.13. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, qua boni & mali pisces colliguntur. Sed tamen hi qui fiunt hostes ueræ doctrinæ,desinunt esse membra huius uisibilis congregationis, iuxta hoc dictum Galat.1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

Contra Anabaptistas.

DE SACRAMENTIS.

Sacramenta.

Discernunt Ecclesiam à cæteris gentibus, & ritus quidam diuinitus institui, qui nominantur usitatē Sacramenta: ut Baptismus, & Cœna Domini: quæ tamen non sunt tantum signa professionis, sed multō magis (ut uetustas dixit) signa gratiæ, id est, sunt ceremoniæ additæ promissioni Euangelij de gratia,id est, de gratuita remissione peccatorum, & de reconciliatione,& de toto beneficio redemtionis: quæ ita instituta sunt, ut singuli eis utantur,quia sunt pignora & testimonia,quæ ostendunt,ad singulos pertinere beneficia in Euangelio promissa. Nam uox Euangelij generalis est. Hanc testatur hic usus,pertinere ad singulos,qui Sacramentis utuntur.

DE BAPTISMO.

BAptismus est integra actio, uidelicet mersio & uerborum pronunciatio: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In his uerbis summam doctrinæ Euangelij comprehensam, sæpè enarramus. Ego baptizo te, id est, ego testificor hac mersione te ablui à peccatis, et recipi iam à uero Deo, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, qui te per Filium Iesum Christum redemit, & sanctificat te Spiritu sancto. In huius ueri Dei nomen, id est, inuocationem, te baptizo, quem agnosces & inuocabis, & discernes ab omnibus commentitijs numinibus: & certò statues tibi tribui beneficia, quæ in Euangelio promisit, te esse membrum Ecclesiæ Dei, quæ per Filium redemta est, & sanctificatur à Spiritu sancto. *Baptismus qualis actio.*

Hunc intellectum huius fœderis teneant hi, quorum ætas iam doctrinæ capax est: & hac testificatione confirmati, credant sibi remitti peccata, & se uerè esse membra Ecclesiæ Dei, & uera fide uerum Deum inuocent: sicut Abraham cogitans de Circumcisione, intuebatur promissionem uenturi Seminis. Intelligebat se membrum esse Ecclesiæ Dei, & tolli maledictionem à se quoq; per hoc semen, de quo dictum erat in promissione Gen. 12. In semine tuo benedicentur omnes Gentes.

Sic & Petrus docet, Baptismum esse stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est ad dexteram Dei. Nominatim ait esse stipulationem, qua Deus tecum fœdus facit, & te sanatis uulneribus tuę conscientiæ recipit: & tu uicissim cum Deo facis fœdus, ut hunc uerum Deum inuoces, & credas te per filium Dei resuscitatum ex morte, & regnantem, saluari. *Testimonium Petri de Baptismo.*

Ita efficax est in te hic Filius Dei, sedens ad dexteram æterni Patris, sicut & Paulus inquit ad Galat: 3. Qui baptizati estis, Christum induistis. Et dari Spiritum sanctum in baptismo, adfirmat ad Titum 3. cum ait, Per lauacrum regenerationis, & renouationis per Spiritum sanctum. Et in Iohanne capite 3. dicitur, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum cœlorum. *Christus efficax per baptismum.*

Docemus igitur, necessarium esse baptismum: & semel tantum baptizamus singulos, sicut circumcisio semel tantum in singulis fiebat: sed doctrinam de significatione & fœdere mutuo utilissimam, sæpè commemoramus. *Necessarius est baptismus.*

Retinemus & infantium baptismum: quia certissimum est, promissionem gratiæ ad infantes etiam pertinere, & ad eos tantum qui Ecclesiæ inseruntur. Quia de his dictum est Matth. 10. Sinite paruulos ad me uenire, quia talium est regnum cœlorum. Et Origenes scribit in 6. capite ad Romanos, Ecclesiam ab Apostolis accepisse morem baptizandi infantes. Nec iudicamus hunc morem tantum ociosam ceremoniam esse, sed uerè tunc à Deo recipi & sanctificari infantes: Quia tunc inseruntur Ecclesiæ, ac ad tales promissio pertinet. Extant autem de hac re multa scripta in nostris Ecclesijs edita, quibus refutantur Anabaptistæ.

DE COENA DOMINI.

ET Baptismus, & Cœna Domini sunt pignora & testimonia gratiæ, ut antea dictum est, quæ de promissione & tota redemtione nos commonefaci-

unt, & ostendunt beneficia Euangelij ad singulos pertinere, qui his ritibus utuntur. Sed tamen hoc discrimen est: per baptismum singuli inseruntur Ecclesiæ, sed cœnam Domini simul etiam uoluit Dominus esse neruum publicæ congregationis. Vult enim Deus ministerium Euangelij publicum esse, non uult in latebris tantum inclusam teneri Euangelij uocem, sed exaudiri eam, uult se agnosci & inuocari à toto genere humano: Ideò uult publicos & honestos esse congressus, & in his uult sonare Euangelij uocem, uult se ibi inuocari & celebrari. Vult etiam hos ipsos congressus, testes esse confessionis & seiunctionis Ecclesiæ Dei, ab aliarum gentium sectis & opinionibus.

Discrimen Baptismi & Cœnæ Domini.

Conuenit Ioannis Ephesi cum suo cætu, & docet Euangelium, & usu sacramenti totus cœtus ostendit se hanc doctrinam amplecti, & hunc Deum inuocare, qui Euangelium tradidit, & seiunctum se esse à Dianę, Iouis, & aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conspici & audiri suam Ecclesiam in mundo, & uult seiunctam esse multis publicis signis à reliquis gentibus. Sic haud dubiè suos cœtus habuerunt primi parentes, Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem, Abraham: & deinceps politia Israël habuit multos ritus, ut seiunctio illa à gentibus esset conspectior.

Addidit etiam Dominus peculiarem promissionem congregationi Matth. 18: Vbi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ero in medio eorum. Item Matth. 18: Quidquid petent consentientes, fiet eis. Et in Psal. 149: Laus eius in Ecclesia sanctorum.

Promissio congregationi addita.

Sintq; promissiones, in quibus Deus adfirmat se Ecclesiam seruaturum esse, eò dulciores, quia intelligimus eum publicum ministerium in congressibus honestis conseruare & restituere: sicut & in ipsis uerbis cœnæ inclusa est hæc promissio, cum iubet annunciari mortem Domini & hanc cœnam distribui donec uenerit. Matth. 26.

Vt igitur reuerentia maior sit in huius Sacramenti usu, ueræ causæ institutionis cogitentur, quæ ad publicam congregationem, & ad singulorum consolationem pertinent.

Quatuor causæ, cur Cœnæ Dominicæ sumtio debeat esse publica.

Prima causa est: Filius Dei uult in publica & honesta congregatione sonare uocem Euangelij. Huius congregationis uinculum uult esse hanc sumtionem, quæ summa reuerentia facienda est, cum ibi testimonium exhibeatur mirandæ societatis Domini & sumentium, de qua reuerentia Paulus loquitur 1. Corinth. 11. inquiens, Qui sumit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Secunda, uult & concionem, & ipsum ritum prodesse ad conseruationem & propagationem memoriæ passionis, resurrectionis, & beneficiorum suorum.

Tertia, uult quemlibet sumentem hoc testimonio singulariter confirmare, ut statuat ad se pertinere beneficia Euangelij, cum concio sit communis, & hoc testimonio, hac sumtione ostendit te ipsius membrum esse, & te ablutum esse sanguine suo, & facere se hoc fœdus tecum, Manete in me, & ego in uobis. Item, Ego in eis, & tu in me.

Quarta, uult hanc publicam sumtionem, confessionem esse, qua ostendas quod doctrinæ genus amplectaris, cui cœtui te adiungas. Vult & gratias agi publicè & priuatim in hac ipsa ceremonia Deo æterno Patri, Filio, & Spiritui sancto,

ſancto, cum pro cęteris beneficijs, tum nominatim pro hoc immenſo beneficio redemtionis & ſaluationis. Vult & ipſis Eccleſię membris inter ſeſe uinculum eſſe mutuæ beneuolentiæ. Ita multi fines concurrunt.

Harum maximarum cauſarum commemoratione inuitantur homines ad ſacramenti reuerentiam & uſum. Et docemus, quomodo profit uſus. Apertē damnamus portentoſum errorem Monachorum, qui ſcripſerunt, ſumtionem mereri remiſſionem peccatorum, & quidem ex opere operato, ſine bono motu utentis. Hæc Phariſaica imaginatio pugnat cum dicto Habacuc 2. Iuſtus fide ſua uiuet. Sic igitur erudimus Eccleſiam, acceſſuros ad Cœnam Domini oportere pœnitentiam, ſeu conuerſionem adferre, & accenſa iam fide in cogitatione de morte & reſurrectione, & beneficijs filij Dei, quærere hic confirmationem huius fidei: quia in uſu Sacramenti fit teſtificatio, quæ oſtendit, ad te quoq; pertinere beneficia filij Dei. Fit & teſtificatio, quōd te ſibi membrum adiungat, & quōd ſit in te, ſicut dicit: Ego in uobis &c. Iohan: 17.

Errores Monachorum de ſumtione Cœnæ.

Monemus etiam, ne exiſtiment propter hoc opus, ſeu hanc obedientiam remitti peccata, ſed ut fiducia intueantur mortem & meritum filij Dei, & reſurrectionem eius. Et ſtatuant propter ipſum nobis peccata remitti, & uelle eum hanc fidem hac commonefactione & teſtificatione confirmari. Cum hoc modo fides, conſolatio, gaudium conſcientiæ, & gratiarum actio creſcunt, prodeſt ſumtio. Nec admittuntur ulli ad communionem, niſi prius ā Paſtore aut collegis eius auditi ſunt, & abſoluti. In hac exploratione interrogantur, & ſæpē eruditiuntur rudiores, de tota doctrina: & deinde abſolutio promulgatur.

Docentur etiam homines, Sacramenta eſſe actiones diuinitus inſtitutas, & extra uſum inſtitutum res ipſas non habere rationem Sacramenti, ſed in uſu inſtituto in hac communione uerē & ſubſtantialiter adeſſe Chriſtum, & uerē exhiberi ſumentibus corpus & ſanguinem Chriſti: Chriſtum teſtari quōd ſit in eis, & faciat eos ſibi membra, & quōd abluerit eos ſanguine ſuo, ſicut & Hilarius inquit: Hæc accepta & hauſta efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.

Sacramenta ſunt actiōes diuinitus inſtitutæ.

In ipſo autem ritu ſeruamus morem uſitatum uniuerſæ Eccleſiæ ueteris, Latinæ & Græcæ. Non fiunt priuatæ Miſſæ, hoc eſt, tales in quibus non fiat diſtributio corporis & ſanguinis Chriſti: ſicut nec uetus Eccleſia aliquot ſeculis poſt Apoſtolos, tales Miſſas habuit: ut deſcripriones ueteres apud Dionyſium, Epiphanium, Ambroſium, Auguſtinum, & apud alios oſtendunt. Et Paulus 1. Corint. 11. expreſsē iubet, ſimul fieri multorum communionem.

Ritus quos Eccleſiæ noſtræ ſeruant in diſtributione Cœnæ.

Itaq; in publica & honeſta congregatione recitantur aut canuntur precationes, & Symbolum & lectiones diſtributæ in dies feſtos uſitato more. Deinde fit concio de beneficijs Filij Dei, & de aliqua doctrinæ parte, ut ſeries temporum præbet argumentum. Poſtea recitat Paſtor gratiarum actionem, & precationem pro uniuerſa Eccleſia, pro poteſtatibus, & de præſenti neceſſitate: & orat Deum, ut propter Filium, quem uoluit fieri uictimam pro nobis, remittat nobis peccata, & nos ſaluet, & colligat & ſeruet Eccleſiam.

Deinde recitat uerba Chriſti, de Cœnæ inſtitutione, & ſumit ipſe, diſtribuit ſumentibus integrum Sacramentum: Qui reuerenter accedunt, antea explorati & abſoluti, & ibi ſuas preces ad publicas adiungunt. Ad extremum rurſus recitatur gratiarum actio.

Hunc ritum & hanc communionem plurimum congruere cum ſcriptis Apoſtolorum,& cum conſuetudine ueteris Eccleſiæ,ferè uſq; ad Gregorij ætatem, norunt omnes non prorſus ignari antiquitatis: quod cum ita ſit, probanda, non improbanda eſt noſtrarum Eccleſiarum conſuetudo: ſed aduerſarij improbantes noſtram conſuetudinem, defendunt multos errores, alij magis teteros,alij nouis iam artificijs fucatos.

Opinio de oblatione in Miſſa Phariſaica & Ethnica.

Multi ante hoc tempus ſcripſerunt, fieri oblationem in Miſſa pro uiuis & mortuis, & mereri eam facienti & alijs remiſſionem peccatorum ex opere operato. Et hæc plurimorum perſuaſio fuit,& adhuc eſt ſimilis Phariſaicæ & Ethnicæ. Nam eodem modo Phariſæi & Ethnici ſomniabant ſe ex opere operato mereri ſibi & alijs remiſſionem peccatorum, pacem, & alia multa bona. Aut etiãſi qui minus cœci uerecundius loquebantur,& dicebant mereri ea non ſine bono motu ſacrificantis, tamen ſacrificia ipſa fingebant eſſe merita & precium. Hac opinione cumulabantur ſacrificia, & creſcebant aucupia quæſtus, Talis eſt Miſſarum mercatus,& prophanatio Cœnæ Domini,ferè in toto orbe terrarum.

Obedientia filij Dei unicum fuit ſacrificiũ propiciatorium.

Vult autem Deus uicioſos cultus taxari & aboleri. Ideõ uocem diuinam ſimpliciter &uerè proponimus,quæ errores illos damnat. Ac toto pectore adfirmamus coram Deo & tota Eccleſia,in cœlo & in terra,tantum fuiſſe unicum ſacrificium propiciatorium, ſeu quo ira æterni Patris aduerſus genus humanum placata eſt: ſcilicet, Totam filij Dei domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi & reſuſcitati obedientiam. Hic unicus eſt agnus, qui tollit peccata mundi, Ioh: 1. De hoc unico ſacrificio dictum eſt Hebr.10. Vnico ſacrificio conſummauit in perpetuum eos,qui ſanctificantur.

Fides ſingulis applicat ſacrificiũ Chriſti.

Et hoc ſacrificium ſingulis ſua fide applicatur, cũ audiũt Euangelium,& ſacramentis utuntur, ut Paulus inquit Rom.3. Quem poſuit propiciatorem in ſanguine per fidem.Et Habac.2. Iuſtus fide ſua uiuet. Et in 1.Pet.1. Sanctificati ſpiritu,ad obedientiam & conſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti. Cætera ſacrificia in ueteri Teſtamento fuerunt typica, de quibus ſuo loco copioſius dicitur.

Typica & εὐχαριστικὰ ſacrificia.

Et nequaquam merebantur remiſſionem peccatorum: & omnes iuſtitiæ ſanctorum omnibus temporibus, fuerunt, ſunt, & erunt ſacrificia laudis, ſeu εὐχαριστικὰ, quæ non merentur facienti aut alijs remiſſionem, ſed ſunt cultus debiti in ſingulis,& placent propter Mediatorem & ſummum Sacerdotem filium Dei: ut dicitur ad Hebræos capite decimo tertio: Per ipſum offerimus ſacrificium laudis ſemper Deo. Hanc eſſe immotam & æternam ueritatem, manifeſtiſſimum eſt.

Quõd uerõ citantur contra tam claram lucem ueritatis, centones, quos nominant Canones Miſſæ,etiam manifeſtum eſt diſſimiles eſſe Canones Græcos &Latinos.Et Græcos ipſos diſſentire inter ſeſe de re maxima, & in Latino Canone apparet,paulatim adſutas eſſe lacinias ab ignotis autoribus.

Veteri Eccleſiæ quid ſacrificium ſit & oblatio.

Vetus Eccleſia utitur nominibus ſacrificij & oblationis: ſed intelligit totam actionem,precationes,ſumtionem, recordationem,fidem, confeſſionem,& gratiarum actionem. Hæc tota actio interior & exterior, in quolibet conuerſo ad Deum, & in tota Eccleſia, eſt reuera ſacrificium laudis, ſeu εὐχαριστικὸν, & λογικὴ λατρεία. Et cum inquit Dominus Iohannis quarto: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate: adfirmat in nouo Teſtamento non præcipi

cipi externa sacrificia, quæ fieri necesse sit, etiamsi in corde nulli sint motus Spiritus sancti, sicut in lege necesse erat ceremoniam paschatos seruari.

Sed de Cœna Domini dicitur 1. Corinth. 11. Probet se unusquisq; &c. Ita prodest utenti Cœna Domini, cum adfert pœnitentiam & fidem, & non prodest ei alienum opus. Præterea de mortuis manifestum est, totum hoc spectaculum pugnare cum uerbis institutionis Cœnę, in quibus dicitur: Accipite, manducate &c. Hoc facite in mei recordationem. Quid hoc ad mortuos, uel absentes? Et tamen in magna parte Europæ plurimum Missarum fit pro mortuis. Magna etiam multitudo prorsus ignorans quid agat, legit Missas propter mercedem.

Cœna Domini non pertinet ad mortuos.

Cum autem hæc omnia manifestè sint impia, facere oblationem, ut loquuntur, ut mereatur uiuis & mortuis: aut facere nescientem quid agat: horribiliter peccant, qui hæc scelera retinent & defendunt. Et cum ritus extra usum institutum non habeat rationem Sacramenti, qualis ibi fiat idolorum cultus, cogitent pij & eruditi.

Est & manifesta prophanatio, partem Cœnæ Domini circumgestare, & adorare: ubi prorsus transfertur pars ad usum, toto genere diuersum ab institutione, cum textus dicat: Accipite, manducate: cum quidem & recens sit hoc spectaculum.

Prophanatio Cœnæ in adoratione & circumgestatione panis.

Postremò quales sunt mores plurimorum sacrificulorum & Monachorum in tota Europa, qui non curant hoc dictum: Probet se unusquisq;? Item, Quicunq; indignè sumit, reus erit corporis & sanguinis Domini, 1. Cor. 11. Hęc cuiq; per se nota sunt.

Mores sacrificulorum offerentium.

Etsi autem Pontifices & hypocritæ, qui præstigias quærunt ad hæc mala stabilienda, rident has querelas, tamen certissimum est, Deum horribiliter irasci his sceleribus: sicut in Israël irascebatur sacrificiorum profanationibus. Et uidemus iræ exempla manifesta. Tot regnorum ruinas, uastationem orbis terrarum quam faciunt Turcæ, confusiones opinionum, & multas tristissimas dissipationes Ecclesiarum.

Deus horribiliter irascitur sceleribus in prophanatione Cœnæ.

Te autem fili Dei, Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis, & resuscitate, summe Sacerdos Ecclesiæ tuæ, ueris gemitibus oramus, ut propter tuam & æterni Patris tui gloriam, deleas Idola, errores & abominationes: & sicut ipse precatus est, sanctifices nos in ueritate tua, & in pectoribus plurimorum accendas lucem Euangelij tui, & ueram inuocationem, et corda nostra ad ueram obedientiam flectas, ut grati te in omni æternitate celebremus.

Omnium angelorum & hominum eloquentiam superat magnitudo peccatorum, quæ prophanatio Cœnæ Domini tot iam seculis parit. Et nos, cum par oratio tantæ rei nulla esse possit, breuiores sumus: & in hoc ingenti dolore filium Dei oramus, ut ipse hæc mala emendet: & simul ad declarationem copiosiorem nos apud eos offerimus, qui eam audire uolunt. Sed in hac quæstione præcipuè fieri cernimus hoc, quod ait Salomon: Perinde facere canentem carmina prauo cordi, ac si acetum fundat supra nitrum.

Magnitudo peccatorum in prophanatione Cœnæ inexplicabilis.

Has de sacrificio persuasiones, sciunt aduersarij neruos esse suæ potentiæ & opum, Ideò contrariam orationem audire nolunt. Quidam astutè iam lenire absurda discunt. Non est, inquiunt, meritum oblatio, sed applicatio; struunt insidias uerbis, & eosdem abusus retinent.

Diximus

Diximus autem etiam antea, unumquemlibet fide sua facere sibi applicationem sacrificij Christi,& cum audit Euangelium, & cum utitur sacramentis. Et scriptum est 1.Corinth.11.Probet unusquisq; seipsum. Non igitur sentit Paulus ceremoniam alteri non utenti prodesse: & filius Dei ipse sese obtulit, ingrediens in Sanctum Sanctorum, id est, in arcanum consilium diuinitatis, cernens uoluntatem æterni Patris, & ingentem iram sustinens, & causas huius mirandi consilij intelligens. Hæ res magnæ significantur, cum dicit textus ad Hebræos 9.Sese obtulit.Et cum inquit Esaias cap. 53. Ponet animam suam hostiam pro peccato.

Ceremonia nõ prodest alteri non utenti.

Quid igitur nunc intelligunt sacrificuli, qui dicunt se offerre Christum? nec antiquitas hoc modo locuta est. Sed atrocissima oratione nos accusant: dicunt nos delere iuge sacrificium: sicut faciebat Antiochus, qui typus est Antichristi.

Respondimus etiam antea, nos retinere totum ritum Ecclesiæ Apostolicæ:& iuge sacrificium est sonare doctrinam incorruptam Euangelij,& rectè inuocare Deum: denicq; ut Dominus inquit Iohannis 4. est adorare Patrem in spiritu & ueritate.Complectimur etiam hic uerum usum sacramentorum. Hęc omnia cum fidelissimè retineamus, summa reuerentia retinemus iuge sacrificium: illi abolent, qui ueram inuocationem & ipsam Cœnam Domini multis modis corrumpunt, qui iubent inuocare homines mortuos,qui Missas uenales habent, qui iactitant se oblatione sua alijs mereri, qui doctrinæ de pœnitentia & remissione peccatorum multos tetros errores immiscent: qui iubent dubitare agentes pœnitentiam,an sint in gratia, qui libidinibus & idolis Ecclesiam polluunt.Hi sunt Antiochi similes,non nos,qui obedire filio Dei studemus,dicenti: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, Iohan.14.

Iuge sacrificium retinent nostræ Ecclesiæ.

Postremõ & de usu integri Sacramenti pauca quædam dicenda sunt. Removeatur sophistica à iudicijs Ecclesiæ.Norunt omnes,Cœnam Domini ita instituta esse,ut detur populo integrum Sacramentum,sicut scriptum est: Bibite ex hoc omnes. Nota est & consuetudo ueteris Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ. Ideõ fatendum est,prohibitionem unius partis iniustam esse. Legitima hominum testamenta uiolare iniustum est: cur Filij Dei testamentum,sanguine ipsius obsignatum,Episcopi uiolant? Dolendum est autem tantam esse impudentiam quorundam,ut contra hoc grauissimum argumentum, fingant sophismata, ad stabiliendam prohibitionem: quorum refutationem in re manifesta omittimus.

Populo debetur integrum Sacramentum ex institutione.

DE POENITENTIA.

DEi beneficio hęc pars doctrinę in primis magna perspicuitate in nostris Ecclesijs illustrata est, cũ sententiarij eam inextricabilibus labyrinthis inuoluerint. Primum clarè damnamus Catharos & Nouatianos,qui finxerunt,nec labi posse electos in delicta contra conscientiam, nec lapsos post emendationem recipiendos esse.Et extant nostræ refutationes contra hos furores.

Doctrina de pœnitentia in nostris Ecclesijs perspicua est.

Nolumus autem de uocabulo pœnitentiæ ferere λογομαχίας. Si quis mauult utatur nomine conuersionis,quo & Prophetæ sæpè usi sunt: Libenter etiam retinemus usitatum uocabulum contritionis, & dicimus partem pœnitentiæ, seu conuersionis primam esse contritionem, quæ est uerè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata, & dolere quòd Deum offenderimus. Et dicimus

Contritio prima pars conuersionis.

dicimus in his qui conuertuntur, aliquos tales ueros pauores & dolores esse oportere, nec agere pœnitentiam eos, qui manent securi & sine dolore, ut 2. Corinth. 7. Contristati estis ad pœnitentiam. Et Ezech. 20. Et displicebitis uobis in conspectu uestro, agnoscetis uos dignos esse pœna & exitio. Et hi ueri dolores sunt sensus iræ Dei, ut suo loco copiosius dicitur.

Contritio non meretur remissionem, & nunquam est sufficiens contra aduers.

Hic autem taxamus aduersarios, qui fingunt contritionem mereri remissionem peccatorum, & oportere contritionem sufficientem esse. In utroq; errore magnæ tenebræ sunt. Nam remissio datur propter Mediatorem gratis, & quæ potest esse contritio sufficiens? Imò quò magis crescit dolor sine fiducia misericordiæ, eò magis corda fugiunt Deum, & sustinere nulla natura hanc magnitudinem doloris potest, de qua dicitur Esa. 38. Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Sed illa ociosa somnia scriptorum ostendunt in ipsis & uitæ securitatem, & insciti am Euangelij.

Fiunt autem hi ueri dolores, cum arguitur peccatũ, ut in Euangelio ostenditur contemtus filij Dei: Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me, Iohan. 16. Et uoce legis moralis arguuntur alia peccata, ut inquit Paulus Rom. 3. Per legem cognitio peccati.

Enumeratio delictorũ nec mandata diuinitus, nec possibilis est.

De Confessione priuata facienda pastoribus, adfirmamus ritum priuatæ absolutionis in Ecclesia retinendum esse: et constanter retinemus, propter multas graues causas. Sed simul docemus, non præcipiendam neq; postulandam esse enumerationem delictorum, in illo priuato colloquio: quia nec diuinitus mandata est illa delictorum recitatio, nec possibilis est: & adducit pias mentes in dubitationem, & fidem languefacit.

Aduersarij nõ faciunt mentionem fidei in doctrina de pœnitentia.

Magis uerò hoc taxamus, quòd nusquam aduersarij in doctrina de pœnitentia uel conuersione, mentionem faciant fidei iustificantis, de qua suprà dictum est: qua sola uerè accipitur remissio peccatorum, & cor in sensu iræ Dei erigitur, & liberamur ex doloribus inferorum, sicut scriptum est Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Sine hac fide, dolores fiunt pœnitentia Saulis, Iudæ, Orestis, & similium in Tragœdijs.

Aduersarij nõ docent Euangelium.

Nec docent Euangelium, sed Legem & humanas traditiones aduersarij, hãc fidem uel omittentes, uel etiam oppugnantes. Cum autem in uera conuersione fiant hæ mutationes, mortificatio & uiuificatio, ut Romanorum 6. & sæpè aliãs dicitur: docendi causa distribuimus conuersionem, uel pœnitentiam, in tria membra: in contritionem, fidem, & nouam obedientiam. Nam has res complectitur uera conuersio, ut uox diuina & uera Ecclesiæ experientia ostendunt.

Conuersionis tria membra.

Nec tamen de modis loquendi, aut numero partium contentiones mouemus, sed res necessarias in conspectu omnibus esse uolumus. Et maximè necessarium est Ecclesiæ extare doctrinam ueram, planam, maximè perspicuam de tota conuersione, quæ quidem & in concionibus diuinis summa perspicuitate, & sine ullis labyrinthis sæpissimè repetita est, ut Baptista & Christus inquiunt Matth. 8. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Item, Agite pœnitentiam. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Iohan. 1. Et Paulus Romanorum 3. Omnes carent gloria Dei. Hic de contritione concionatur, postea de remissione: Iustificamur autem gratis, ipsius gratia, per redemtionem in Christo per fidem.

Testimonia de contritione & fide.

Necesse est igitur, in doctrina de conuersione seu pœnitentia, fieri mentionem fidei.

Fidei mentio necessaria in doctrina de pœnitentia.

nem fidei. Nec satis est quòd dicunt aduersarij, se quoq; de fide loqui, & hanc anteire pœnitentiam. Loquuntur enim de noticia doctrinæ: Credo remissionem peccatorum, scilicet alijs dari, sicut & diaboli norunt symbolum: sed Euangelium postulat hanc ueram fidem, quæ est fiducia misericordię propter filium Dei promissæ, & acquiescens in filio Dei, quæ inquit, Credo remissionem peccatorum mihi quoq; dari, & quidem gratis, non propter meam contritionem, non propter ulla mea merita, sed propter filium Dei, qui immensa bonitate & sapientia diuinitatis constitutus est Mediator & propiciator.

Quam fidem postulet Euangelium.

Mandatũ immutabile, ut credamus nos recipi propter Filium.

Scio mandatum Dei esse immutabile, ut singuli in his doloribus statuant se certò propter eum recipi. Hæc est propria uox Euangelij, hoc decretum ex sinu æterni Patris prolatum est per Filium, & sanguine & resurrectione eius obsignatum est. Huic uoluntati & decreto nolle adsentiri, est contemnere Filium Dei. Et de hoc peccato inquit Iohannes cap. 3. Qui non credit Filio, manebit ira Dei super eum. Sed qui credit sibi remitti peccata propter hunc Mediatorem, iam certò accipit remissionem peccatorum, propter Christum, qui efficax est in eo, uiuificat & sanctificat eum Spiritu suo sancto: & reconciliatus iam, certò reputatur iustus, propter Mediatorem, & est hæres uitæ æternæ.

Hanc necessariam consolationem in doctrina de conuersione uel omittere, uel corrumpere, uel improbare, est manifestè delere Euangelium.

Absolutio requirit fidem.

De hac fide & commonefacere nos Absolutio debet, & eam confirmare. Sicut confirmabatur Dauid audita absolutione, 2. Regum. 12. Dominus abstulit peccatum tuum. Ita tu scias uocem Euangelij tibi quoq; annunciare remissionem, quæ in absolutione tibi nominatim proponitur. Non fingas, nihil ad te pertinere Euangelium, sed scias ideò editum esse, ut hoc modo saluentur homines, fide amplectentes Euangelium: & mandatum Dei æternum & immotum esse, ut ei credas, Qui non hac fide amplectitur Euangelium, sed manet in dubitatione, frustra audit absolutionem.

Noua obedientia fructus fidei.

Cum hac consolatione corda uiuificantur, & sunt iam domicilium Dei, certè & nouam obedientiam inchoari necesse est, ut suprà dictum est. At redire ad scelera, est excutere Deum, & rursus amittere iusticiam & uitam, sicut Ioan. inquit, Qui facit iusticiam iustus est: qui facit peccatum, ex diabolo est. Recitauimus autem suprà summam doctrinæ de noua obedientia.

DE SATISFACTIONE.

QVale uerò chaos sit doctrinæ de satisfactionibus, quas nominant opera indebita, indicta ab Ecclesia, longum esset recensere, & pauci ante hæc tempora intellexerunt. Non dubitamus autem, in Ecclesijs nostris & totam hanc partem uerè & perspicuè expositam esse. Fuit mos primis patribus, eos qui homicidijs, idolis, aut incestis libidinibus polluti fuerunt, arcere à sua consuetudine, & præcipuè à sacrificijs. Hunc morem & Synagoga retinuit, & retinuerunt in Asia & Græcia, aliæ gentes non prorsus efferæ. Interea polluti uagabantur, circumdati signis reatus: ut uagati sunt Orestes, Adrastus, & alij multi. Hunc morem initiò & Ecclesia retinuit. Pollutos arcebat à communione. Deinde agentes pœnitentiam, ut intelligi posset, seriò eos petere ueniam, & ut exemplum alijs prodesset, non subitò recipiebat, sed aliquot diebus absolutio differebatur, ut publicè petentes conspicerentur. Ita Corinthius incestus arcetur, & postea non sine deliberatione recipitur. 1. Corinth. 15.

Mos ueteris Ecclesiæ in pollutis homicidio aut alijs sceleribus.

Hic totus

Hic totus mos exempli causa institutus est,& politicus est, nihil omnino pertinens ad remissionem peccatorum. Creuit autem deinde superstitione,ut indicerentur ieiunia,abstinentia à coniuge multis annis. Hæc onera cum nimium creuissent, Episcopi rursus ea laxarunt. Hæc laxatio talium rituum,nominabatur Indulgentia. *Indulgentia.*

Harum rerum historiam cum Monachi non considerarent,finxerunt fieri compensationem pœnæ æternæ in pœnas purgatorij, & in alias pœnas huius uitæ. Et addiderunt satisfactiones indici ab Ecclesia, ut illæ pœnæ mitigentur. Et quidem oportere satisfactiones esse opera non debita lege Dei. Has fabulas Monachorum, quas ne ipsi quidem intellexerunt, reijcimus, & retinemus regulas firmissimas: Pœnæ æternæ simul cum culpa remittuntur propter filium Dei,non propter ullas nostras cõpensationes,iuxta illud Hos.13. O mors, ero mors tua;ô inferne,ero pestis tua. Item Roman.5. Iustificati fide pacem habemus. *Figmenta Monachorum de satisfactionib.*

Secundõ: Dicimus opera indebita,de quibus isti loquuntur,non esse cultus Dei,aut compensationes, sed pertinere ad hoc dictum Matth.15. Frustra colunt me mandatis hominum. Et certẽ potestas clauium non habet mandatum indicendi tales pœnas.

Dicimus etiam hanc applicationem Indulgentiarum, qua Papa alijs applicat merita Sanctorum commentitiam esse: & Indulgentias olim nihil aliud fuisse,nisi laxationes Canonum, quæ nihil pertinebant ad eas compensationes, de quibus Monachi loquuntur.

Aliud autem est, loqui de satisfactione debita: ut de restitutione furti, usurarum,alienæ coniugis, famæ. Hæc restitutio est opus debitum,pertinens ad nouam obedientiam,ut Paulus inquit Ephes.4. Qui furatus fuerat,iam non furetur. Qui retinet alterius coniugem,nec contritionem,nec fidem,nec nouam obedientiam habet. Nec miscenda sunt illis nænijs satisfactionum, præcepta Dei de restitutione debita, quam dicimus esse faciendam. *Satisfactio debita alia à Canonica.*

Fatemur & hoc, plurimas horrendas pœnas in hac uita uagari per Ecclesiam,per imperia,per familias propter certa delicta multorum hominum etiam electorum: ut seditio mota contra Dauidem non leuiter adflixit totam illam politiam,& multas sanctas familias. *Pœnæ uagantur per Ecclesiam.*

Discernimus igitur pœnam æternam, & pœnam huius uitæ. Et dicimus pœnam æternam, tantum propter filium Dei remitti, cum fide iustificamur & uiuificamur. Etsi autem & pœnæ temporales, præcipuè propter filium Dei mitigantur, qui est umbraculum Ecclesiæ, quia magnitudinem iræ Dei hæc infirma natura sustinere non posset,sicut Daniel cap.9. orat,Propter Dominum exaudi nos,& respice nostrum exilium &c. *Interest inter pœnam æternam & huius uitæ.*

Tamen & hoc docemus,propter ipsam conuersionem quoq; mitigari pœnas: quia in sanctis promissiones legales additæ operibus,non sunt irritæ, sed habent sua præmia, qualis est, Date & dabitur uobis. Et cum Paulus inquit 1.Corinth.11. Si iudicaremus nos ipsi,non iudicaremur. Loquitur de tota pœnitentia, non de illis uanissimis umbris, quas disputant etiam ualere si quis relapsus sit in peccatum mortale. *Pœnæ mitigantur propter cõuersionem.*

Excogitantur autem in hac materia nouæ prestigiæ. Fatentur satisfactiones non esse compensationes, sed dicunt admittendas esse satisfactiones castigatorias, sicut Paulus Corinthium punit 1.Corin.5. Ea Castigatio erat excom- *Nouæ præstigiæ de satisfactionib. castigatorijs.*

municatio,& fatemur reos manifestorum scelerum, legitimo iudicio & ordine excommunicandos esse,nec est inane fulmen iusta excommunicatio.

Pœnæ corporum pertinent ad politicos gubernatores.

Sed tamen potestas Ecclesiæ non punit ui corporali, carcere, aut inedia, tantum pronunciat sententiam.Carcer & supplicia publica ad politicos gubernatores pertinent.Tanta est autem peruersitas quorundam, ut quanquam euidentia ueritatis conuinci se intelligant,tamen quærant sophismatum ludos, ne si cederent,prodidisse socios existimentur. Deus,qui est inspector cordium, scit nos simplici studio ueritatem quæsiuisse.

DE CONIVGIO.

In sola Ecclesia lex de coniugio mansit incorrupta.

SEmper in sola Ecclesia Dei mansit incorrupta ueritas de coniugio. Scit enim Ecclesia, Deum in genere humano uagas libidines seueriſſimè prohibere, & uelle intelligi & præstari castitatem,sicut ipse eam ordinat, ut ipsum quoq; sciamus mentem puram & castam esse: & à diabolis discernamus, qui odio Dei delectantur confusionibus libidinum. Et hanc infirmam naturam hominum impellunt, ut horribiliter contaminetur.

Quare & ubiq; Ethnici quædam tetra exempla admiserunt, et semper hæretici portentosas opiniones de coniugio sparserunt,ut narrant Clemens Alexandrinus & Epiphanius. Et magnam deformitatem in hac extrema mundi senecta fecerunt Turcici mores,& lex Papæ de cœlibatu. Affirmat autem Paulus 1.Timoth.4.signum esse malorum spirituum, prohibere coniugia.

Quare summa cura doctrinam Dei de coniugio incorruptam conseruamus, & Dei beneficio magistratus politici in sua gubernatione iudicia coniugiorum instituerunt & tuentur: & seuerè puniunt scelera pugnantia cum lege Dei: & sciunt mandato diuino præcipi sibi curam tuendæ castitatis, & coniugij. Tenemus autem ueram definitionem, mandatis diuinis & consuetudini Ecclesiæ Apostolicæ congruentem:

Coniugium quid.

COniugium est legitima indissolubilis coniunctio tantum unius maris & unius fœminæ,obseruanda propter mandatum Dei, qui uult hoc modo cõsociatum esse genus humanum, & castitatem intelligi, & non uagari libidines.

Deus sanxit ordinem coniugij.

Hunc ordinem sanxit Deus initiõ in hoc dicto Gene.2,Erunt duo in carnem unam, uidelicet, unicus mas, & unica fœmina inseparabiliter iuncti. Et rursus sancita est hæc prima norma à Christo,Matth.19. Vt autem sit legitima coniunctio, seruamus personarum discrimina immutabiliter: Ne concedatur commixtio personarum, quibus iure diuino non concessa est commixtio. Seruantur & regulæ Iuris Canonici,de alijs propioribus gradibus, ut extant ordinationes graui deliberatione traditæ Consistorijs.

Scimus autem uoluntatem Dei esse, ne prohibeatur coniugium ullis personis, quæ sunt idoneæ ad coniugium: & quæ extra coniugium non uiuerent sine periculo conscientiæ,sicut Genes.2. Matth.19. 1.Corinth.7.scriptum est. Ideõ conceditur apud nos coniugium Sacerdotibus, & personis alijs, quæ piè in coniugio uiuere malunt, quàm in cœlibatu habere sauciatas conscientias, ne Deum inuocare & piè uiuere possint.

Voluntas parentum in desponsationibus.

In desponsationibus, etiam iuxta uetera iura, parentum consensum accedere uolumus,cum probabili ratione parentes mouentur.

Regula de diuortijs.

De diuortijs firmissimè tenetur regula: Peccare eos, qui uel adulterio, uel desertione initium faciunt

unt distractionis, & adulteri & adulteræ: & desertores & desertrices condemnamus uoce docentium in Ecclesijs & iudicum in Consistorijs, & à Magistratibus seuerè puniuntur.

Sed personæ innocenti, cum re cognita pronunciatur esse libera, non prohibetur coniugium, ut Deum inuocare & piè uiuere possit. Cum enim expressè Dominus liberet personam innocentem, Matth. 19. cum altera polluta est adulterio, intelligenda est liberatio, non tantum nomine, sed re, & Paulus eodem modo loquitur, in casu desertionis. Hæc nostra consuetudo, & cum ueteri Ecclesia congruit. Cæteræ leges in Consistorijs nostris congruunt cum iure Canonico, & populo rectè proponimus totam doctrinam de coniugio & de castitate.

Adfirmamus peccata esse damnata à Deo, mortalia, & expellentia Spiritum sanctum, omnes commixtiones, seu seminis effusiones extra coniugium: & multas tristes pœnas in hac uita uagari per genus humanum propter libidines, sicut scriptum est Hebr. 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Et de his pœnis extat comminatio Leuit. 18. *Commixtiones extra coniugium peccata damnata à Deo.*

Castitatem uerò nominamus, & in uita cœlibe puritatem, & seruare iura coniugij: Et coniugium, ut antea descripsimus, adfirmamus esse societatem à Deo institutam & sancitam, & placere Deo hanc ipsam societatem & officia uitæ coniugalis: damnamus fanaticos omnes, Basilidem, Tacianum, Carpocratem, & alios, quorum alij alijs modis uel damnarunt coniugium, uel tetras confusiones adprobauerunt. Damnamus & legem Pontificiam, quæ prohibet Sacerdotibus coniugia, & causam præbet exitij magnæ multitudini hominum, & ob eandem causam uota cœlibatus in ijs improbamus, qui non sunt idonei ad uitam cœlibem, quia hæc omnia pugnant cum decreto diuino. Genes. 2. dixit Dominus, Non est bonum homini esse solum. Dixit, id est, sua inenarrabili sapientia decreuit, genus humanum hoc modo condere, ut ex societate maris & fœminæ propagetur. Et duos condidit, & essent Ecclesia: & sanxit has metas ne uagerentur libidines. Vult enim intellectum castitatis esse in genere humano. *Castitas.* *Fanatici hostes coniugij.* *Lex Pontificia prohibens coniugium.*

Hęc cum dixerit ac decreuerit Deus, dicunt contrarium, Tacianus, Papa, Monachi: qui cum prohibent coniugium, causam præbent multis hominibus, alioqui ad uirtutem idoneis, cumulandi multa & horrenda peccata, propter quæ plurimi in æternum exitium ruunt, & ira Dei aduersus totum genus humanum magis irritatur.

Lex humana pugnans cum decreto diuino, & ipso Dei opere in creatione instituto & condito: deinde & cum præceptis diuinis, & quæ fons est magnorum scelerum, propter quæ & multi pereunt, & ira Dei magis accenditur, imò quam legem Spiritus sanctus oriri à diabolo adfirmat, nequaquam Ecclesię imponenda est, sed omnium piorum consensu abolenda est. *Non imponenda Ecclesiæ lex diuinæ contraria.*

Non rarò autem his triginta annis accidit, ut Sacerdotes, quorum mores inculpati fuerunt, & modesti, præcipuè propter coniugium, interfecti sint. Ita diabolus suam legem etiam parricidijs stabilire conatur: & habet organa, scriptores impudentissimos, Eccium, Fabrum, Pygium, qui expressè scripsit, minus peccare sacerdotem si sit mœchus, quàm si ducat uxorem. Talia scribi & dici ab ijs, qui nominari Christiani uolunt, indignum est.

Vident ſapientes, in hac mundi ſenecta et naturam hominum languidiorem eſſe, & paulatim maiores diſciplinæ laxationes & confuſiones fieri, & ſemper ante excidia urbium & ruinas regnorum proximè anteceſſit licentia in hoc genere. Ideò gubernatores debebant eſſe uigilantiores, & ſeueriores in tuenda diſciplina, in muniendis cõiugij legibus, in puniendis & prohibendis uagis libidinibus: de qua re, extare noſtras commonefactiones ad omnem poſteritatem, gaudemus.

Simul etiam oramus filium Dei, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cuſtodem Eccleſiæ, uerè amantem caſtitatis, ut Spiritu ſuo caſto in plurimorum cordibus accendat caſtitatem, & flectat mentes gubernatorum ad ſalutaria conſilia, & reprimat diabolum, flammas libidinum accendentem, & impediat ne turpia exempla latè uagentur.

Exempla libidinum & pœnarũ quæ ſequutæ ſunt.

Expaueſcant omnium piorum animi & pectora, cum tetra & horrenda exempla Ethnica legunt, uel audiunt, quæ quidem deinceps & cœcitas in mentibus, & alij furores exitioſi totis gentibus comitati ſunt, ut in hiſtorijs omnibus obuia ſunt exempla.

Scedaſi filias duo Spartani ſtupratas in puteum abiecerant: poſtea quaſi in illo ipſo ueſtigio trucidatus eſt exercitus Laconicus, & imperij mutatio facta eſt. Sed multa ſunt omnium ætatum exempla. Meminimus ipſi, Epiſcopos aliquot præſtantes nobilitate & ingenijs, in adulterijs interfectos eſſe.

Sed oramus filium Dei, ut ob hanc ipſam cauſam plurimos cuſtodiat, & ad caſtitatem flectat, ut à pluribus rectè inuocari poſſit. Quæ uerò pro defenſione cœlibatus ab aduerſarijs citantur, perinde ad cauſam accommodata ſunt, ut quod Tacianus citabat, ex Euangelio ſecundum Aegyptios dictum Chriſti ad Salomen: Veni ſoluere opera mulieris. Id interpretabatur Tacianus, Veni ſoluere, id eſt, abolere coniugium, cum Chriſti uerba loquerentur de Heuæ lapſu, & miſerijs ſecutis eum lapſum, ſicut & Iohannes ſcribit, 1. Iohan. 3. Venit filius Dei, ut deſtruat opera diaboli.

DE CONFIRMATIONE ET VNCTIONE.

NOtum eſt, formas conſecrandi oleum, magicas & execrandas eſſe: ideõ nec unctiones illæ, in quibus uſus eſt eius olei, tolerandæ ſunt. Et uetuſtas hos ritus longè aliter exercuit, quàm nunc exercentur. In ritu confirmationis, fiebat exploratio doctrinæ, in qua ſinguli recitabant ſummam doctrinæ, & palàm profitebantur ſe improbare furores Ethnicos & hæreticos, & uelle ſe eſſe & manere uerè Eccleſiæ membra, & non diſceſſuros à uera ſententia, quam tunc profitebantur. Hic mos erat utilis ad erudiendos homines, & retinendos in uera agnitione Dei. Ac in Eccleſijs noſtris ſimilia fiunt in Catecheſi iuniorum, & in priuata confeſſione, in qua paſtores doctrinam populi explorant.

Ritus confirmationis antiquus et recẽs.

Sed ritus confirmationis, quem nunc Epiſcopi retinent, quid eſt, niſi inanis umbra? Præterea Vnctio, quæ nunc extrema nominatur, fuit olim medicatio, ut ex Iacobi Epiſtola capite 5. perſpicuum eſt. Nunc ſpectaculum eſt plenum ſuperſtitionis. Dicunt remitti peccata, per iſtas unctiones, & addunt inuocationem mortuorum, quam etiam neceſſe eſt improbare.

Vnctio olim medicatio, nũc ſuperſtitio.

Ideò hi ritus non ſeruantur in noſtris Eccleſijs, nec ante hæc tempora Eccleſia

cleſia ſenſit eſſe neceſſarios. Cæterum pro ægrotis fiunt publicè & priuatim piæ precationes, ſicut promiſit Deus ſe etiam corporales ærumnas petentibus mitigaturum eſſe, iuxta illud Pſal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te.

Fiunt & funera, honeſta congregatione, & pijs commonefactionibus, & canticis.

DE TRADITIONIBVS, ID EST, RITIBVS IN ECCLESIA INSTITVTIS, AVTORITATE HVMANA.

NAtura rationalis ordinem intelligit, & intellectus ordinis non obſcurum teſtimonium eſt de Deo, nec uiuere homines ſine aliquo ordine poſſunt, ſicuti in familijs uidemus, oportere diſtincta eſſe tempora laborum, quietis, cibi, ſomni, & optima quæq; natura in tota uita maximè eſt amans ordinis. Ac iubet Paulus 1. Cor. 14. omnia in Eccleſia fieri decorè & ordine.

Semper fuit in Eccleſia aliquis ordo publicorum congreſſuum.

Fuit igitur ſemper inde uſq; ab initio generis humani, ordo aliquis publicorum congreſſuum: fuit aliqua temporum & aliorum quorundam rituum diſtinctio, haud dubiè plena grauitatis & elegantiæ, apud illa excellentia lumina generis humani, quando in eodem horto aut tugurio conſederunt Sem, Abraham, Iſaac, & horum familiæ: & audita concione Sem, de uero Deo, de filio Dei, de diſtinctione Eccleſiæ, & aliarum gentium, poſtea ſimul fecerunt inuocationem.

Homines facilè deprauant ritus.

Quanquam igitur eſſe ritus aliquos honeſtos ordinis cauſa oportet, tamen homines proni ad ſuperſtitionem, facilè deprauant hos ritus, affingunt tales obſeruationes eſſe merita remiſſionis peccatorum, & iuſticiam coram Deo: uertunt ſigna in numina, ſicut multi ſtatuis tribuerunt numen, & multi uel ſuperſtitione uel tyrannide cumulant ritus: ut ſuperſtitio in Eccleſia auxit ritus ſatisfactionum, ut nominant. Nabuchodonoſor, Antiochus, quia iudicant conſenſum in religione prodeſſe ad regni concordiam & tranquillitatem, cultus inſtituunt, quos pariter à ſubditis obſeruari uolunt.

Ibi non ſuperſtitione, ſed tyrannide nouæ leges & noua numina propoſita ſunt. Hæc ita fieri in genere humano, turbari & mutari ueras & falſas religiones uidemus, & cauſas miramur, cur non conſtanter perſeuerent homines in ueritate à Deo monſtrata.

Sed uox diuina adfirmat, à diabolis impelli homines, ut à Deo deficiant: & natura hominum cœca, curioſa, leuis, amat ludos uariarum opinionum.

Aduerſus hæc magna mala, præmunit & confirmat Eccleſiam Deus: dedit ei doctrinam expreſſam & certam, quæ quidem comprehenſa eſt in libris Prophetarum & Apoſtolorum, & ſymbolis. Quare neceſſe eſt conſiderare, quales ſint leges ſeu ritus, & unde ſint.

Prima Regula de traditionibus humanis.

Eſt igitur prima Regula: Nulli creaturæ, non Angelis, non hominibus, non Regibus, nõ Epiſcopis licet condere leges, aut ritus pugnantes cum uerbo Dei. Vt horribiliter peccauit Rex Babylonicus, quanquam excellens ſapientia & uirtute, iubens adorari ſtatuam. Et peccant omnes homines, qui talibus edictis aut legibus obtemperant: ſicut Heua peccabat, diſcedens à mandato diuino propter diaboli mendacium. Sed uniuerſaliter Regula ſeruanda eſt Act. 5. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.

Talia ſunt edicta, quæ præcipiunt inuocari homines mortuos, aut amplecti falſam doctrinam, aut obſeruare impios cultus. De his omnibus tenenda eſt regula primi præcepti 1. Cor. 10. Fugite idola. Talis eſt & lex de cœlibatu ſacerdotum, quem plurimi ſine peccato obſeruare non poſſunt. Etſi autem ſcimus, quid de legum mutationibus uiri politici iudicent: tamen Deus ſic ordinauit obedientiam, ut uelit nos cum ipſo copulatos eſſe, et congruere cum ſua ſapientia & iuſticia; unde hæ regulæ ſunt immotæ & æternæ. Exod. 20. Non habebis Deos alienos. Item Act. 5. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Item Galat. 1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema ſit.

Secunda Regula de traditionibus.

Secunda Regula: Cum uſitatum ſit, ſuperſtitiones addere operibus, quæ alioqui ſuo genere erant indifferentia, ut ueſci carnibus, aut non ueſci carnibus, neceſſe eſt ſuperſtitiones & errores qui adduntur taxare, & in uſu libertatis modeſtè oſtendi poſſunt doctrinæ exempla.

Primus error ex ijs qui adduntur traditionibus de remiſſione culpæ & pœnæ.

Eſt autem error non obſcurus, quem ſtulticia multorum docentiũ, & populi plærunq; addit, quòd docent & exiſtimant, ieiunia & ſimilia opera mereri remiſſionem peccatorum, tum culpæ, tum pœnæ: ut & Thomas ſcribit de ſatisfactionibus, & plurimi ſic loquuntur.

Hæc Phariſaica imaginatio facilè capit animos, & obſcurat lucem doctrinæ de beneficijs Chriſti propriis, & de gratuita remiſſione, & de fide. Cum .n. putant homines mereri ſe remiſſionem peccatorum, his ſuis ritibus transferunt honorem debitum Chriſto, in hos ritus, & aliquantiſper inani fiducia tument, Poſtea tamen in ueris doloribus ruunt in dubitationes, quæ ſunt eis exitio. Et per ſeſe magnum peccatum eſt, non noſſe beneficia filij Dei.

Propter hanc cauſam Paulus tam acriter dimicat de abrogatione circumciſionis, & aliarum ceremoniarum legis Moſaicæ, ne uera agnitio Mediatoris extingueretur, ſi exiſtimarent ſe mereri remiſſionem peccatorum, & iuſtos eſſe hac obſeruatione legis & ceremoniarum Moyſi, ſicut Phariſæi contendebant. Et ſæpè monet Paulus, ut caueamus, ne nouis ceremonijs humanis lux Euangelij obſcuretur.

Secundus error Phariſaicus de cultu Dei.

Secundus error minus conſpicuus eſt, ſed tamen perniciosus. Poſtq; uident aliqui, non poſſe defendi hunc Phariſaicum errorem, delabuntur huc: Etſi inquiunt non merentur hæc ceremonię remiſſionem peccatorum, tamen quia ſunt bona opera & cultus Dei, defenduntur hæ traditiones: ut in Lege Moyſi Nazaræorum abſtinentia, etſi non merebatur remiſſionem peccatorum, tamen Deo placebat, & erat cultus Deo gratus.

Hoc fuco recens quidam pingere traditiones didicerunt, qui tamen non de his mediis rebus dimicant, ſed alios tetros errores & opinionem de poteſtate Epiſcoporum ſtabilire conantur.

Differunt opera à Deo mandata & opera excogitata humano conſilio.

Neceſſe eſt autem, pios hic cauere doctrinæ inſidias. Magnus error in hoc ipſo fuco ineſt, Non rectè citatur exemplum ex Moyſe. Longè differunt opera à Deo inſtituta & ordinata, ab operibus non mandatis & non ordinatis à Deo, ſed tantum conſilio humano excogitatis. Erant cultus Dei opera in lege Dei ordinata, etſi remiſſionem peccatorum non merebantur. At ἐθελοθρησκείαι excogitatæ ab hominibus ſine mandato Dei, nec fuerunt, nec ſunt cultus Dei. Nequaquam probat Deus hanc audaciam hominum, quæ tamen ſemper uſitata fuit, fingendi cultus, id eſt, opera, quorum finis immediatus ſit, ut Deus per ea honore adficiatur. Ideò exclamat uox diuina Matth. 15. Fruſtra colunt

colunt me mandatis hominum. Et passim in Prophetis & apud Paulum taxatur hæc audacia.

Sed ueri cultus sunt opera à Deo mandata, quæ fiunt in agnitione & fiducia Mediatoris, hoc fine, ut Deo præstetur obedientia, & profiteamur hunc uerè esse Deum, quem sic colimus. Ita Ezech. 20. reuocat nos ad præcepta diuina, inquiens: In præceptis patrum uestrorum nolite incedere, sed in præceptis meis ambulate. Et sæpè repetitæ sunt hæ conciones. Et in Psalm. 119. Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Et in Nume: cap. 15. Non sequantur cogitationes suas.

Tertius error est: Hypocritæ fingunt talia opera perfectionis esse, ut Monachi sua uota plena uanitatis anteferunt uitæ politicæ & œconomicæ: cum Deus mirando consilio sic consociauerit genus humanum, & in his laboribus & periculis uelit conspici fidem, inuocationem, confessionem, mutuam beneficentiam, tolerantiam, & alias uirtutes. III. Error hypocriticus Monachorum.

Quartus error est opinio necessitatis, ut scribunt quidam ieiunium quadragesimæ necessarium esse: Alia arbitria sunt. Nec tantum carnificina est conscientiæ, iudicare non esse Christianum, non esse membrum Ecclesiæ Dei, comedentem carnes die sexta, aut non seruantem ieiunium quadragesimæ. Sed error est obscurans res maximas, doctrinam de iusticia Euangelij, & de Ecclesia, qualis sit, & quomodo discernenda sint membra Ecclesiæ, non cibo & potu, sed fide, inuocatione, & cæteris uirtutibus. Ac contra opinionem necessitatis expressè dicitur Coloss. 2. Nemo uos iudicet in cibo & potu. Et Gal. 5. In libertate qua Christus uos liberauit, state, ne rursus iugo seruitutis implicemini. Et opinio necessitatis magnas discordias semper peperit: ut olim contentiones fuerunt de die Pascatos, de fermento, & nunc similes contentiones multæ exortæ sunt. IIII. Error, opinio necessitatis.

Quintus error. Accedit ad priores opiniones & hic error, quòd Episcopi sibi sumunt potestatem instituendi nouos cultus, & obligandi conscientias, ut Gregorius constituit, ut mariti translati ad ordinem presbyterorum, relinquerent consuetudinem coniugum, & constitutio de confessione præcipit enumerationem, & decreta facta sunt de discrimine ciborum & ieiunio &c. V. Error, audacia instituendi nouos cultus.

De talibus traditionibus etiam libri extant recentes pleni labyrinthorum, in quibus scribitur, Peccata mortalia esse uiolationes talium rituum, etiam extra casum scandali. Gerson quæsiuit ἐπιεικείας: sed uera consolatio est uox Euangelij, quæ uult hunc intellectum libertatis in Ecclesia notum esse & conseruari, uidelicet remotis illis erroribus, de quibus dictum est.

Ritus humanos honestos, ordinis causa factos seruari posse sine opinione meriti, cultuum & necessitatis: ut supra dictum est ex Coloss. cap. 2. Nemo uos iudicet in cibo aut potu &c. Et Petrus inquit Act. 15. Quid tentatis Deum, imponentes iugum ceruicibus discipulorum, quod neq; patres uestri, neq; nos portare potuimus? Ritus humani quatenus seruandi.

Tertia Regula: Remotis erroribus illis, de quibus doceri Ecclesiam necesse est, postea ritus aliquos honestos, boni ordinis causa factos, & seruamus, et seruandos esse docemus: Nam sine ordine homines uiuere non possunt. Et Paulus inquit 1. Cor. 14. Omnia fiant decorè & ordine. Tertia Regula de traditionibus.

Et extat Athanasij dictum: Vtiles sunt ceremoniæ, sed cum cognitione ueritatis & mediocritate. Hanc uocem apparet oppositam esse superstitioni,

quæ tunc quoq; augebat ceremonias,& obscurabat ueritatem,& onerabat conscientias & Ecclesias.

Agimus autem gratias Deo, æterno Patri Domini nostri Iesu Christi, qui propter Filium, & per eum,æternam Ecclesiam colligit, quòd inde usq; ab initio generis humani conseruauit publicum ministerium Euangelij, & honestos congressus, qui ipse etiam distinxit quædam tempora: & oramus eum, ut deinceps seruet & regat Ecclesiam.

Et studiosè docemus,ut omnes adiuuent conseruationem publici ministerij, & uitent scandala & dissipationes,ut suo loco copiosius dicitur.

DE VITA MONASTICA.

OMittimus longiorem commemorationem de ueteribus historijs, eorum qui uel in solitudinem secesserunt,ut Antonius: uel collegia similia scholis instituerunt, extra ciuitatum frequentiam, ut Basilius. Aliæ enim alijs causæ fuerunt secedendi.De præsentibus Monachis iam loquamur, qui minimè sunt in solitudine.Collegia sunt hominum,uel doctorum,uel indoctorum,in media luce & frequentia commodius uiuentium,quàm uiuunt alij homines. Habent uoluptates quas expetunt, alij aliàs: Et multò plus ocij, quàm cæteri homines in uita politica & œconomica.

Collegia Monachorũ quæ nũc sunt,qualia sunt.

Ne ipsi quidem iam illa ridicula encomia de perfectione, & de uita contemplatiua ad se transferunt,ut olim aliqui fecerunt.Et cum magna sit dissimilitudo hominum in illis sodalitijs,non uolumus concionari malis, qui propter culinas & licentiam illas latebras amant: sed sanabiles obtestamur propter gloriam Dei & suam salutem, ut cogitent hæc dicta Exod. 20. Non habebis Deos alienos. Fugite idola, 1.Cor. 10. Qualis nunc est uita Monastica? Plurimum habet impiorum cultuum & uanitatis: Missas habent uenales pro uiuis & mortuis,& hic quæstus est in plærisq; Monasterijs maximus.

Vsitata est ibi & mortuorum inuocatio, cumulata multis tetris superstitionibus,statuarum adorationibus,indulgentijs,& alijs impostur is. Studia doctrinæ aut nulla sunt,aut corrupta.

Hæ solæ causæ satis magnæ sunt, cur homines non prophani ex illis sodalitijs discedere debeant.Quia uota quæ implicant te generi uitæ, in quo est cultus Idolorum, sunt haud dubiè irrita, iuxta primum mandatum, quòd est immotum & æternum, & regula omnium aliorum præceptorum: Non habebis Deos alienos Exod.20.

Locus Pauli de Viduis ad Timotheum.

Citant ex Paulo 1. Timoth.5. de uiduis: Primam fidem irritam fecerunt. Sed responsio firma & perspicua est. Etiamsi loqueretur Paulus de uotis,tamen talia uota nullo modo probaret, quæ coniuncta sunt cum cultu idolorum, & multis erroribus. Sunt autem & alia multa mendacia in uotis. Promittunt castitatem & paupertatem: quàm multi uerò sint idonei ad uitam cœlibem, ipsi norunt. Deinde de paupertate, sciunt multò plures quærere ibi culinas instructas, quàm inopiam & famem.

Iam hoc quoq; considerandum est: Excusent & laudent uitam Monasticam homines diserti ut uolent,tamen semper hęc opinio in hominibus non profanis hoc exemplo confirmatur: Quòd talia opera electa humano consilio sint cultus Dei, id est, opera per quæ Deus iudicet se honore adfici. Hæc opinio taxanda est, & hominum mentibus euellenda est, & retrahendi sunt homines ad

Perpetua & immota Regula contra Monachatum.

nes ad mandata Dei, iuxta hoc dictum Matth.15. Fruſtra colunt me mandatis hominum. Item, Non in præceptis patrum ueſtrorum, ſed in præceptis meis ambulate. Hæc reprehenſio uitæ Monaſticæ uera & illuſtris eſt.

Opiniones de meritis et perfectione Monachorum obſcurant iuſticiam fidei.

Iam ſi adfingunt merita & perfectiones, magis obſcuratur Euangelium de iuſticia fidei, et ueris cultibus. Quia tetrum & horribile mendaciũ eſt, obſeruationes Monaſticas mereri remiſſionem peccatorum, aut tantundem ualere quantum ualet Baptiſmus: ſicut Thomas expreſſè dicit. Nec fuit ignota antiquitati hæc reprehenſio. Extat enim narratio ſeu uera, ſeu docendi cauſa ſcripta, quæ tamen iudicia piorum indicat.

Hiſtoria de Antonio.

Scribunt, Antonio cupienti ſcire quantum apud Deum profeciſſet in illis exercitijs ſolitudinis, monſtratam eſſe domum ſutoris Alexandrini, uicinam portæ. Ingreſſus igitur, alloquitur Patremfamilias, interrogat de doctrina & de exercitijs pietatis. Hic rectè de doctrina reſpondit. Poſtea ait, ſe manè breui precatione Deo gratias agere, & pro cæteris beneficijs, & quòd Filium miſerit. Deinde petere ſe remiſſionem peccatorum propter Filium, & orare ut Eccleſiam ſeruet & ſuam familiam: orare & Filium, ut pro nobis intercedat, et hac fide acquieſcere, & lætum facere domeſticas operas, & curare ut filij rectè doceantur. Non alia inquit Antonius, habes exercitia duriora? Parum ne ſuſtinet laboris, inquit iſte, qui familiæ uictum quærit? & multa ſubinde incidunt, quæ patremfamilias duriter excruciant, & accedunt onera communia ciuium. Non uides, quantum ſit priuatarum & publicarum miſeriarum in uita? quas rectè ferre, & in his exercere fidem & patientiam, ſatis ne duram militiam eſſe exiſtimes? Abijt Antonius, & intellexit ſe commonefieri, ne anteferret ſua exercitia officijs uitæ communis. Tales narrationes, & aliæ, leguntur: quæ etiamſi docendi cauſa ita ſcripta ſunt, tamen oſtendunt eruditorum iudicia.

Nec iam longiorem diſputationem addere opus eſt, præſertim cum nemo in illis locis, ubi ſunt Monachi, ignoret, plurimum eſſe prauarum ſuperſtitionum in Monaſterijs, & ſtudia doctrinæ uel nulla, uel corrupta eſſe. Deliberationem uerò de modo emendationis, relinquimus ijs qui præſunt.

Abuſus bonorum Eccleſiaſticæ in Monaſterijs.

In multis locis deſunt paſtores Eccleſijs, aut deeſt uictus paſtoribus. His primum opitulandum erat ex reditibus Monaſteriorum locupletium. Poſtea pauperum quoq; ſtudia inde iuuanda ſunt, & in aliquibus ſcholę conſtitui poſſunt, præſertim cum neceſſe ſit Eccleſiam multis pauperibus præbere ſumtus ad diſcendum, ut ex numero legantur Paſtores & miniſtri, qui doceant Eccleſias. Hoſpitalia etiam inde iuuanda ſunt, in quibus pauperes, qui diuturnis morbis laborant, ali neceſſe eſt.

Ad tales uſus uerè pios, ad alendos Paſtores, pauperes & ſcholaſticos, ad conſtituendas ſcholas, adiuuanda hoſpitalia magna pars reditum in Monaſterijs, in his regionibus Dei beneficio translata eſt. Reliquum in œconomiam, in quolibet Monaſterio impenditur: & ſtultitia eſt, exiſtimare œconomias non eſſe ſumtuoſas.

Abbates uerò ditiores hoc tempore, in quales uſus profundant reditus, exempla multorum oſtendunt, quos nominare poſſemus: qui pariter literas, religionem & uirtutem oderunt, & helluantur de his eleemoſynis, & aut nullos paſtores Eccleſijs ſuis præficiunt: aut ſi quos habent, eſurire ſinunt.

DE IN-

CONFESSIO DOCTRINÆ
DE INVOCATIONE HOMINVM
PIORVM, QVI EX HAC VITA DISCESSERVNT.

IN capite Esaiæ 42. scriptum est: Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. Est autem Gloria Dei proprijssima, inuocatio, ut Matth. 4. inquit Dominus: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et immotum ac æternum decretum est primi præcepti Exod. 20. Non habebis Deos alienos. Necesse est igitur in Ecclesia doctrinam de Inuocatione purissimam extare, ad quam corrumpendam inde usq; ab initio generis humani diabolus uarijs modis semina sparsit, & semper sparget: Quare uigilantiores esse debemus, & maiori cura retinere modum inuocationis seu adorationis, propositum in uerbo Dei, iuxta dictum Iohan. 14. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciet. In his uerbis sancitus est modus, quem constantissimè tueri debemus: non miscere alios modos, pugnantes cum uoce diuina, aut qui nullo exemplo probato in scripturis confirmati sunt.

Puritas in doctrina de inuocatione maximè necessaria.

Modus inuocationis sancitus à Christo.

Nulla maior uirtus est, nulla efficacior consolatio, quàm uera inuocatio. Necesse est igitur taxare eos, qui ueram inuocationem uel negligunt, uel corrumpunt: & sunt corruptelæ uariæ. Multi non discernunt suam inuocationem ab Ethnica, ac ne cogitant quidem, quid alloquantur.

Inuocatio præcipua est consolatio.

De his inquit Dominus in capite 4. Iohannis. Vos adoratis quod nescitis. Vult Ecclesiam cogitare quid alloquatur, inquiens: Nos adoramus quod scimus. Multi non cogitant, an, & quare exaudiantur. Recitant precationes, & dubitant tamen, cum scriptum sit: Postulet in fide, nihil hæsitans, Iacob. 1.

De his materijs alibi dicemus. Hoc loco reprehendimus hanc corruptelam Ethnicam, quòd defenditur consuetudo alloquentium homines, qui ex hac uita discesserunt, & petitur ab eis uel auxilium, uel intercessio. Talis inuocatio aberrat à Deo, & tribuit uel efficaciam creaturis, uel auxilium, uel intercessionem. Nam qui uerecundius locuti sunt, de sola intercessione dixerunt. Sed humana superstitio longius procedit, & efficaciam tribuit, sicut multæ cantiones publicæ ostendunt: Maria mater gratiæ, Tu nos ab hoste protege, In hora mortis susci pe. Hos uersiculos audiuimus doctorem Theologiæ Monachum præfari morienti, & sæpè repetere, cum quidem nullam Christi mentionem faceret: & possent exempla multa recitari.

Consuetudo inuocandi mortuos quos errores complectatur.

Accedunt & alij furores. Alij apud alias statuas existimantur esse magis propicij. Hi furores cum palàm similes sint Ethnicorum, & haud dubiè ualde irritent iram Dei, & à docentibus taxandi sunt, & à pijs Magistratibus seuerè puniendi.

Reprehensio autem perspicua argumenta hæc tria continet. Creaturis tribuere omnipotentiam, est impietas: Inuocatio creaturæ, quæ est extra hanc uitæ consuetudinem, tribuit ei omnipotentiam: Quia confessio est, quòd intueatur omnium corda, & discernat gemitus ueros à simulatis. Hæc tantum tribuenda sunt æterno Patri, & Filio eius Domino nostro Iesu Christo, & Spiritui sancto.

Primum argumentum contra inuocationem mortuorum hominũ.

Nequaquam igitur inuocatio ad homines, qui ex hac uita discesserunt, facienda est. Dolendum est, hæc mala non intelligi. Sed teipsum aspice, & considera quid agas. In hac inuocatione discedis à Deo, nec cogitas quid inuoces,

ces: & scis illos opitulatores, quos quæris, Annam, aut Georgium, non uidere motus tui cordis: qui quidem si scirent se inuocari, etiam cohorrescerent, nolent hunc honorem Deo debitum, tribui ullis creaturis. Qualis autem est inuocatio ad surdos?

Etsi scimus quid respondeant aduersarij (finxerunt enim sophismata, ad eludendam ueritatem) tamen diuina testimonia ipsorum responsioni desunt. Et precatio quæ est sine fide, hoc est, ubi non potes statuere, an talem inuocationem adprobet ac recipiat Deus, inanis est.

Testimoniū diuinitatis Christi est inuocatio.

Meminimus Lutherum sæpè dicere: In Veteri Testamento illustre testimonium esse diuinitatis Messiæ, quòd adfirmat eum inuocari. Et hac proprietate Messias ibi à cæteris Prophetis discernitur. Id grauissimum testimonium querebatur obscuratum & labefactum esse, translata inuocatione ad alios homines. Ac propter hanc solam causam dicebat, consuetudinem alios inuocandi improbandam esse.

Secundum argumentū contra inuocationem mortuorum.

Secundum argumentum: Irrita est inuocatio sine fide, & nullus cultus in Ecclesiam sine mandato diuino inuehendus est. Nulla autem extat sententia, quæ ostendat inuocationem hanc, quam defendunt, ad homines factam, Deo placere & efficacem esse. Est igitur irrita inuocatio. Qualis est enim precatio, hoc modo accedere ad Annam, aut Georgium? Inuoco, sed dubito utrum tua intercessio mihi prosit, dubito an me audias, an mihi opem feras.

Si homines hæc arcana peccata intelligerent, execrarentur tales precationes: ut reuera sunt execrandæ, & sunt Ethnicæ. Postea ex talibus initijs quanti furores sequuntur? concursus & inuocationes ad certas statuas, petitio certorum beneficiorum à singulis: Ab Anna, ut à Iunone, petuntur diuitiæ: à Georgio, ut à Marte, uictoriæ: à Sebastiano, Rocho, depulsio pestilentiæ: Ab Antonio defensio porcorum &c. Hæc etiamsi aduersarij dicunt se non probare, tamen lucri causa retinent, ut manifestum est.

Tertium argumentū contra eandem.

Adiungamus & Tertium argumentum. Expressè scriptum est 1. Timoth. 1. Vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Hunc in omni inuocatione intueri nos oportet, & Euangelij doctrinam de eo nosse: Quòd nemo accedere ad Deum possit, nisi fiducia huius Mediatoris, qui simul interpellat pro nobis, ut ipse inquit Iohan. 13. Nemo uenit ad Patrem, nisi per Filium. Et iubet ipse nos ad se confugere, inquiens Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et modum inuocationis ipse docet, cum ait Iohannis 16. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Patrem nominat, ut seiungas tuam inuocationem ab Ethnica, & cogites quid alloquaris. Cogites hunc uerum Deum esse, qui se patefecit missso Filio. Non uagetur animus, ut Ethnica mulier in tragœdia dicit: Inuoco te Deus, quicquid es &c.

Quis Deus inuocandus.

Sed hunc esse uerum Deum scias, qui se patefecit missso Filio, crucifixo & resuscitato, & talem agnoscas, sicut se patefecit. Deinde scias, hunc ita certò recipere & exaudire inuocantes, cum ad Mediatorem filium, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, confugimus, & petimus nos propter eum recipi, exaudiri, iuuari & saluari. Nec alio modo ullus homo recipitur à Deo, uel exaudiri.

Inuocatio debet fieri fide.

Nec incerta est hæc inuocatio, sed iubet sic inuocantes firma fide statuere, hunc cultum Deo placere, & sic inuocantes certò recipi & exaudiri. Ideò inquit

inquit Iohan.14. Quicquid petieritis in nomine meo, id est, me agnoscentes, & nominantes seu inuocantes tanquam redemtorem, summum Sacerdotem & intercessorem.

Solus hic summus Sacerdos ingreditur in sanctum Sanctorũ, id est, in arcanum consilium diuinitatis, & cernit pectus æterni Patris, & pro nobis interpellat, & nostros dolores, gemitus & preces ad eum perfert, scrutans corda nostra.

Doctrina de Mediatore corrupta est ab aduersarijs:

Hanc doctrinam de Mediatore obscuratam & corruptam esse, manifestum est, cum confugerent homines ad matrem uirginem, tanquãm magis propiciam, & alij alios Mediatores quærerent.

Compellatio fit ad Deũ Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Ac manifestum est, nullum extare exemplum in Prophetis, aut Apostolis, ubi fiat compellatio ad homines. Exaudi me Abraham, uel, exaudi me Deus propter Abraham. Sed compellatio fit ad Deum, qui se patefecit: uidelicet ad æternum Patrem, filium Iesum Christum, & Spiritum sanctum, ut recipiat, exaudiat & saluet propter filium.

Fit & expressẽ ad Filium, ut 2. Thess. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, confirmet uos &c. Et Genes. 48. nominat Iacob Deum, & Mediatorem Filium, cum ait, Deus, coram quo ambulauerunt patres mei, & Angelus qui eripuit me de cunctis malis (id est, promissus saluator) benedicat pueris istis. Vtimur igitur his formis:

Inuoco te omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ, & omnium creaturarum, unã cum filio tuo, domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sanctu tuo, sapiens, uerax, bone, iuste, liberrime, caste, & misericors, miserere mei, & iustifica me per & propter Iesum Christum, filium tuum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, exaudi & sanctifica me Spiritu sancto tuo.

Inuoco te Iesu Christe, fili Dei, crucifixe pro nobis, & resuscitate, miserere mei, intercede pro me, apud æternum Patrem, & sanctifica me Spiritu tuo sancto.

In his formis scimus quid alloquamur. Et cum extent testimonia uerbi Dei, quæ ostendunt hanc inuocationem Deo placere, & exaudiri, talis inuocatio fide fieri potest.

Sancti nõ propterea inuocandi, quia orant pro Ecclesia.

Hæc non sunt in inuocatione quæ fit ad homines. Colligunt nonnulli testimonia ex Augustino, & alijs, ut ostendant beatis in cœlo curæ esse res humanas. Potest hoc illustrius ostendi ex colloquio Moysi & Eliæ cum Christo. Et non dubium est, beatos orare pro Ecclesia, sed tamen inde non sequitur, inuocandos esse.

Quæ de Sanctis proponantur populo in nostris Ecclesijs.

Etsi autem docemus, non inuocandos esse homines: tamen historias beatorum populo proponimus. Quia necesse est omnibus aliquo modo notam esse Ecclesiæ historiam, quibus testimonijs uocata & condita sit Ecclesia, & quomodo seruetur, & quod genus doctrinæ per Patres, Prophetas, Apostolos & Martyres propagatum sit. In his historijs iubemus, ut omnes agant gratias Deo, quòd se patefecit, quòd colligit Ecclesiam per filium, quòd doctrinam nobis tradidit, & quòd misit doctores, & in eis testimonia de se ostendit.

Iubemus, ut doctrinam eorum considerent, & ut testimonijs quæ Deus in eis ostendit, fidem confirment. Considerent item exempla iudicij & pœnarum, ut excitetur in eis timor Dei: iubemus imitari fidem, patientiam, & cæteras uirtutes

uirtutes. Discant in Deo non esse προσωποληψίαν, & petant se quoq; recipi, exaudiri, regi, saluari & iuuari: sicut Deus recipit Dauidem, Manassem, Magdalenam, Latronem in cruce.

Monemus etiam, quomodo exempla cuilibet in sua uocatione imitanda sint. Quia error in imitatione & κακοζηλία, sæpē ingentium malorum causa est. Laudamus etiam ipsorum sanctorum diligentiam, qui curarunt ne effunderent dona Dei. Denicq; non stulti amplissimam doctrinam ex his historijs promere possunt, quam proponi populo remota superstitione utilissimum est.

DE MAGISTRATV POLITICO.

DEI beneficio in Ecclesijs nostris & hæc pars doctrinæ de dignitate Magistratus, qui gerit gladium, & de dignitate legum, iudiciorum & totius ordinis politici, piē illustrata est, & magno labore ac multis scriptis refutati sunt Anabaptistarum & aliorum fanaticorum hominum multi & magni furores.

Docemus igitur, in tota doctrina Dei, per Prophetas & Apostolos tradita, adfirmari ordinem politicum, magistratus, leges, iudicia, & legitimam societatem hominum nequaquam casu existere in genere humano. Et quanquam multum est horribilium confusionum, quæ ā Diabolo & ab hominum furoribus oriuntur, tamen à Deo institutam esse legitimam gubernationem, & societatem hominum: & quantum ordinis reliquum manet, immensa bonitate Dei propter Ecclesiam conseruari. Sicut Rom. 13. dicitur, & in Psalm. 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam &c. Sunt igitur res suo genere bonæ, gerere magistratus, esse iudicem, esse ministrum iudiciorum, legitimē uti iudicijs, gerere bella legitima, & esse militem in bellis legitimis &c. *Ordo politicus institutus est à Deo.*

Et potest his rebus uti homo Christianus, sicut utitur cibo, potu, remedijs, emptione, uenditione. Nec peccat gerens magistratus iuxta uocationem, exercens iudicia, militans, legitimo supplicio adficiens condemnatos &c. Et magistratui politico subditi debent obedientiam, sicut Paulus inquit Rom. 13. Non solum propter iram, id est, metu pœnæ corporalis, qua adficiuntur contumaces ab ipsis magistratibus: sed etiam propter conscientiam, id est, contumacia est peccatum offendens Deum, & auellens conscientiam ā Deo. *Gerens Magistratum non peccat.*

Hanc sententiam diuinam Ecclesijs proponimus, quæ munit potestatem legitimam, & totum ordinem politicum: & ostendimus discrimen Euangelij & politicæ gubernationis. Vult Deus regi & coherceri politica gubernatione omnes homines, etiam non renatos: ac lucent in hac gubernatione quoq; sapientia & iusticia Dei, & bonitas erga genus humanum. Sapientiam ostendit ordo, qui est discrimen uirtutum & uiciorum, & consociatio hominum per legitima imperia, & contractus miranda sapientia ordinatos.

Deinde iusticia Dei conspicitur in politica gubernatione. Quia uult puniri manifesta scelera ā magistratibus: & cum ipsi qui præsunt, non sumunt supplicia de sontibus, Deus ipse mirabiliter rapit eos ad pœnas, & regulariter atrocia delicta punit atrocibus pœnis in hac uita, ut dicitur Matth. 26. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Hebræ. 13. Scortatores & adulteros *Iusticia Dei conspicitur in politica gubernatione.*

iudicat Deus &c. Vult in his pœnis conſpici diſcrimen uirtutum & uiciorum, & uult diſci Deum ſapientem, iuſtum, ueracem & caſtum eſſe. Conſpicitur & bonitas Dei erga genus humanum: quia hoc modo ſocietatem hominum conſeruat. Ideò autem conſeruat, ut inde Eccleſia colligi poſſit: & uult politias eſſe hoſpitia Eccleſiæ.

Aliud politica gubernatio, aliud iuſticia in cordibus.

Et aliud eſt politica gubernatio, quæ cohercet omnes etiam non renatos: aliud remiſſio peccatorum & iuſticia in cordibus, quæ eſt inchoatio uitæ & ſalutis æternæ, quæ uoce Euangelij fit in credentibus.

Vtrunq; bonum tribuit Deus generi humano, & diſcrimina iuſticiæ politicæ, & lucis in cordibus uult intelligi. Nec Euangelium damnat, aut diſſipat politias aut œconomias. Etſi autem non pertinet ad docentes in Eccleſia, leges particulares ferre de politica gubernatione: tamen in genere de officio poteſtatis hoc tradit uox diuina.

I. Officium poteſtatis politicæ.

Primum: Vult Deus ſine ulla dubitatione magiſtratus ſonare uocem legis moralis in genere humano, quòd ad diſciplinam attinet, iuxta Decalogum ſeu Legem naturalem, hoc eſt, uult magiſtratuum uoce primum proponi ſummas & immutabiles leges, prohibentes cultum idolorum, blaſphemias, periuria, iniuſtas cædes, uagas libidines, uiolationem coniugij, furta & fraudes in pactis, contractibus & iudicijs.

II. Officiũ poteſt. politicæ.

Secundum officium: Harum legum diuinarum & immutabilium, quæ ſunt teſtimonia de Deo, & ſummæ normæ morum, ſit cuſtos magiſtratus, in puniendis omnibus qui eas uiolant. Nam uox Legis ſine pœna & ſine executione, parum ualet ad frenandos & cohercendos homines, Ideõ dictum eſt ã Paulo Rom. 13. Poteſtas ſit terrori malo operi, & honori bono. Et antiquitas rectè dixit: Magiſtratus eſt cuſtos legis, ſcilicet primæ & ſecundæ tabulæ, quòd ad diſciplinam attinet.

III. Officium Magiſtratus politici.

Tertium officium eſt magiſtratus politici etiam addere legi naturali aliquas leges, quæ ſunt determinationes circumſtantiarum legis naturæ. Sitq; harum legũ cuſtos in puniendo: ſed nequaq; ferat aut defendat leges pugnantes cum iure diuino & naturali, ſicut ſcriptum eſt Eſai. 10. Væ ijs, qui condunt leges iniquas. Quia imperia ſunt ordinatio diuina, in qua ſapientia & iuſticia Dei, id eſt, leges iuſtæ dominari debent, ſicut inquit rex ſapiens & Deum timens Ioſaphat 2. Paral. 19. Non hominum exercetis iudicium, ſed Dei, qui uobiſcum eſt in iudicio: Sit timor Dei uobiſcum, & cum diligentia omnia agite.

Quanquam autem multi in imperijs negligunt gloriam Dei, tamen hæc præcipua cura eſſe debebat, audire & amplecti ueram doctrinam de filio Dei, & Eccleſias fouere, ſicut Pſalm. 2. inquit, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Item Pſal. 23. Aperite portas Principes ueſtras, id eſt, Aperite imperia Euangelio, & præbete hoſpitium filio Dei. Et Eſai. 49. Et reges erunt nutritores tui, & reginæ, id eſt, Reſpublicæ ſint nutrices Eccleſiæ, præbeant hoſpitia Eccleſiæ & pijs ſtudijs.

Reges & Principes debent eſſe membra Eccleſiæ.

Sint membra Eccleſiæ ipſi quoq; reges & Principes, & doctrinam rectè intelligant, non adiuuent eos qui falſam doctrinam ſtabiliunt, & iniuſtam ſæuitiam exercent, ſed ſint memores huius dicti: Glorificantes me glorificabo. Et Daniel cap. 4. regem Babylonicum hortatur ad agnitionem iræ Dei, & ad clementiam erga exulantem Eccleſiam, cum ait: Redime peccata tua cum iuſticia & clementia erga pauperes, & erit ſanatio delictorum tuorum.

Et cum

Et cum sint inter præcipua Ecclesiæ membra, uideant, ut iudicia in Ecclesia rectè exerceantur: sicut Constantinus, Theodosius, Arcadius, Marcianus, Carolus Magnus, & multi pij reges curauerunt rectè exerceri iudicia Ecclesiæ. Cæterum de discrimine utriusq; gradus ministerij Euangelici & politicæ potestatis, extant scripta in Ecclesijs nostris multa, quæ ostendunt, nos neq; fanaticas neq; seditiosas opiniones docere, sed monstrare necessariam doctrinam in Euangelio traditam de utroq; gradu, utilem pietati & paci communi.

DEO GRATIA.

HAEC est summa doctrinæ, quam in Ecclesijs nostris, Dei beneficio una uoce sonamus: quam quidem esse incorruptam sententiam doctrinæ diuinitus traditæ, in scriptis Propheticis & Apostolicis, & symbolis, nequaquam dubitamus: & ex uetustis scriptoribus sincerioribus intelligi potest, congruere eam cum ueteri & puriore Ecclesia. *Conclusio.*

Ostendit autem res ipsa, nos non curiositate nouas aut argutas disputationes quæsiuisse, nec de potentia aut opibus contendere, sed tantum necessariam doctrinam ad ueram inuocationem Dei, & ad ueros cultus & ad ueram cognitionem Filij Dei ad salutem animarum, ex magna caligine traditionum & opinionum euoluere, et simplicissimè ac planissimè eam Ecclesijs proponere. Necesse est enim omnes sanos fateri, magnas fuisse doctrinæ tenebras, & multos errores in doctrina monachorum, & laqueos conscientiarum multiplices in Pontificijs traditionibus. Et utra doctrina sit uera, plana, perspicua, utilis conscientijs & moribus, ostendit collatio. Non enim defugimus iudicia piorum: imò semper ueram Dei Ecclesiã, hoc est, omnes pios & eruditos, ubicunq; sunt, uolumus hæc quæ dicimus cognoscere: quos non dubitamus testes fore, hanc doctrinam esse ueræ Ecclesiæ Dei Catholicæ consensum.

Offerimus etiam nos, quocunq; tẽpore, ad copiosiorem declarationem, in singulis partibus: & hanc commemorationem doctrinæ nunc factam congruere cum confessione Augustæ exhibita, Anno 1530, sentimus.

Cum igitur doctrina, quam recitamus, uera sit, & Ecclesiæ necessaria, oramus ne damnentur Ecclesiæ nostræ, quasi aut errores amplectantur, aut sine graui causa stolidè & seditiosè tumultuentur. Veritas & rerum magnitudo, hac iniusta criminatione nos liberent.

Deinde ipsam Synodum piè monemus: uident ueteres abusus, & errores multos & magnos hærere in Ecclesia. Quia omnibus ætatibus inde usq; ab initio generis humani, diabolus errorum semina spargit: & postea multa, inscitia hominum, aut superstitione confirmantur aut repullulant. *Compellatio ad Synodum.*

Cum autem iam uanitas multarum superstitionum nota sit, tempore flagitant emendationem: & nisi gubernatores curabunt extare illustratam ueritatem magnæ distractiones opinionum secuturæ sunt, præsertim cum in hac postrema mundi senecta plus confusionum impendeat. Ideò synodus uideat, ne manifestam ueritatem damnet. Et si piè deliberatura est, quomodo consulendum sit Ecclesijs, & à nobis declaratio copiosior petetur: eligendi sunt uiri eruditi, intelligentes & amantes ueritatem, & timentes Deum, qui de his tantis rebus simul deliberent. Nec tantum numero suffragiorum nobiscum certetur: cum manifestum sit ex multis præiudicijs, quid Rom. Pontifex & plurimi Episcopi ei addicti sentiant, qui tot iam annos non solũ edicta contra nos sanguine

ſcripta ediderunt, ſed etiam multos nobiſcum ſentientes interfecerunt: & multi doctrinam nec intelligant, nec curent, ſed prophanis perſuaſionibus imbuti, exiſtiment hoc præcipuè dignum eſſe politicis uiris, defendere præſentem formam, & tueri autoritatem ſuam. Et ad hanc rem quærunt miniſtros idoneos, qui ſophiſmatum præſtigijs ueritatem eludant.

Quare iam teſtamur, nos ueritatem non abiecturos eſſe, etiamſi talium hominum iudicijs condemnata fuerit: & palàm teſtamur, nos Tridentinæ Synodo, quæ antea edidit decreta partim palàm falſa, partim ambigua & ſophiſtica, non adſentiri: ſed flagitare, ut de ijſdem rebus & audiamur & errores antea confirmati decretis Tridentinis emendentur.

Compellatio ad Carolum Imp.

Et reuerenter oramus inuictiſsimum Imp. Carolum Auguſtum, ne permittat aduerſarijs, ut ueritatem ſua audacia opprimant, & crudelitatem quæ aduerſus innocentes exercetur, confirment, & maiora diſſidia iniuſtis decretis excitent.

Commendamus autem & Eccleſiam & nos ipſos, filio Dei, domino noſtro Ieſu Chriſto, quem ſcimus uoce Euangelij colligere ſibi æternam Eccleſiam: & eum oramus, ut nos regat, nec ſinat extingui lucem Euangelij ſui, nec deleri ſinat cœtus ipſum uerè inuocantes.

FINIS.

NOs, quorum nomina aſſcripta ſunt, qui nunc in Eccleſijs & Academijs quarũ infrà fit mentio, docemus, affirmamus in hoc ſcripto, quòd dextrè & non calumnioſè intelligi uolumus, recitatam eſſe doctrinam communem, quæ ſonat in Eccleſijs & Academijs, in quibus Euangelium docemus. Et ſentimus uerè hanc eſſe puram & incorruptam doctrinam Eccleſiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, congruentem cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis & Symbolis, ac neceſſariam Eccleſijs, & oramus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, ut has Eccleſias clementer regat & protegat. Offerimus etiam nos ad declarationem in ſingulis articulis.

Hæc ſcripta ſunt Anno M. D. L I. die X. Iulij, in oppido Viteberga, vbi vicinarum Eccleſiarum Paſtores conuenerant.

Ego Iohannes Bugenhagen Pomeranus, Doctor, Paſtor Eccleſiæ Vitebergenſis & Superintendens in Electoratu Saxoniæ, ſubſcripſi hac mea manu.

Iohannes Pfeffinger Doctor Theologię, Paſtor Eccleſię Chriſti in urbe Lipſia, & Superintendens manu propria ſubſcripſit.

Eraſmus Sarcerius Paſtor Eccleſiæ Lipſenſis apud D. Thomam, manu mea ſubſcripſi.

Vuolfgangus Pfentnerus Doctor, Paſtor Eccleſiæ Annæmontanæ m. p. ſ.

Caſpar Zeunerus Paſtor Fribergæ m. p. ſ.

Daniel Greſſerus Paſtor & Superintendens Eccleſiæ Dreſdenſis m. p. ſ.

Antonius Lauterbach Eccleſiæ Pyrnenſis Paſtor & Superintendens m. p. ſ.

Nicolaus Picus Paſtor & Superintendens Eccleſiæ Kemnicenſis m. p. ſ.

Georgius Hala Paſtor Zuiccauienſis.

Iohannes Schreiner Paſtor & Superintendens Eccleſiæ Grymmenſis m. p. ſ.

Auguſtinus Hymmel Paſtor & Superintendens Eccleſiæ Aldenburgenſis m. p. ſ.

Iacobus Vueigant Paſtor & Superintendens Vueiſſenfeldenſis, m. p. ſ.

Iohannes

Iohannes Buchner Pastor & Superintendens Oschatziensis m. p. s.
Ego Iohannes Rutilius Saltzo in Thuringia Superintendens, hanc Confessionem approbo ut Christianam, in huius signum me subscripsi.
Iohannes Voitlender Pastor & Superintendens in Eccersberg m. p. s.
Iacobus Klapius Ecclesiæ Haynensis Pastor & Superattendens m. p. s.
Georgius Mohr Pastor & Superintendens Torgau.
Martinus Vuolfius Pastor & Superintendens Coldicensis m. p. s.
Valentinus Braun Pastor in Döbeln subscripsit.
Sebastianus Froschelius Minister Ecclesiæ Vuitebergensis s.
Lucas Hetzer Minister & Concionator Ecclesiæ Vuitebergensis s.
Alexander Alesius Scotus D. Theologiæ & Decanus Collegij Theologici in Academia Lipsica.
Bernardus Ziglerus D. Theologiæ.
Nicolaus Herco S. Theologiæ D.
Georgius Zeeler D. Theologiæ.
Iohannes Mencelius D. Theologiæ.
Ioachimus Camerarius Pabepergensis studiorum liberalium Professor Lipsię.
οὕτω φρονῶ καὶ γράφω.
Iohannes Forsterus S. Theologiæ Doctor & Professor Vuitebergensis.
Georgius Maior S. Theologiæ Doctor & Professor in Academia Vuitebergensi.
Philippus Melanthon Professor in Academia Vuitebergensi.
Paulus Eberus Kitthingensis Professor artium in Academia Vuitebergensi.

L. D.

SEQVVNTVR ALIARVM ECCLESIARVM ET REGIONVM, APPROBATORIA SCRIPTA, QVIBVS EADEM CONFESSIO ET APPROBATVR ET CONFIRMATVR.

SCRIPTVM LEGATORVM ILLVstrissimi Principis, Domini Iohannis Marchionis Brandeburgensis &c.

AVs befelh vnd abfertigung des Durchlauchtigen Hochgebornen Fürsten vnd Herren / Herrn Johansen Marggraffen zu Brandenburg etc. vnsers G. F. vnd H. Seind wir Caspar Marsilius *Licentiatus* vnd Hoffprediger zu Cüstrin / vnd M. Henricus Hamme *Superintendēs* des orts zu Königsberg / alhie zu Wittemberg bey den Ehrwirdigen hochgelarten Hern *Domino D. Iohanne Bugenhagen Pastore. D. Philippo Melanthone. D. Iohanne Forster. D. Georgio Maiore etc.* gehorsamlich erschienen / Aldo von jren Achtbarkeiten ein Schrifft oder Notel einer gefasseten *Confession*, gegen das vieleicht zukünfftig *Concilium* empfangen / mit ermanung / solches zum treulichsten zuerlesen vnd expendiren / jren Achtbarkeiten dorzumal vnd folgents V. G. F. vnd Herren vnser meinung daruon widerumb zu referiren.

Welchs also von vns/ vnsers verstands vnd vermögens zum fleissigsten fürgenomen/vnd ist solche Schrifft allenthalben von vns/an Worten vnd Sententzen nicht allein Christlich / rein/recht/ vñ vnser H. Augspurgischen *Confession* vnd *Locis Communibus* gemess / sondern auch etwas klerer vnd mechtiger befunden / Das wir darob Gott gebürlich lob vnd danck gesagt/Mit obernanten Herrn Doctorn vnsern lieben Herrn Vetern sempt lich allerley weiter conferiret/ vnd entlich also eintrechtiglick vorlassen / Alleine noch V.G.F. vnd Hern meinung / wo solchs confitiren annemlich befunden / möchte zu gleich mit vnd neben der Augspurgischen Confession dem *Concilio* vberantwortet werden / begeret mit erbietung im fall der noturfft/ durch sonderliche geschickten für dem *Concilio* weiter zu erkleren vñ zu confirmiren etc. Actum Wittemberg / *in ædibus Domini Philippi, die XXVI. Iunij. Anno M. D. LI.*

SCRIPTVM LEGATORVM GENEROSI COMITIS GEBHARDI A MANSFELT &c.

NAch dem der Wolgeborne Edle Herr Graff Gebhard/ Graff vnd Herr zu Mansfelt / vnser Gnediger Herr / vns anher gen Wittemberg zu dem Ehrwirdigen/Hochgelarten Herren *Philippo Melanthone*, vnserm lieben Preceptoren/mit befelch vnd brieffen abgefertiget / bericht zu empfahen / von wegen der Schrifft / die man auff dem *Concilio*, wo eines werden solte / vberantworten würde / So haben wir M. Johannes Wigandus/ vnd M. Andreas Theobaldus / seiner gnaden vnderthenige Diener in Gottes Wort / dieselbige gestelte Schrifft/vnserm geringen verstande nach/ fleissig vnd trewlich durchlesen/ Befinden Gott lob / vnd bekennen für vns / das dieselbige Schrifft der Augspurgischen Confession gemes sey/ vñ fasse grüntlich vñ klar die Lehre von den höchsten Artickeln des Christlichen Glaubens/vnd Sacramenten von Christo eingesetzt / welche durch Gottes gnade in Kirchen dieser Lande bisher eintrechtig geleret vnd bekant worden ist / Welche Lehre wir auch für die ewige vnwandelbare Warheit Gottes halten / durch den eingebornen Son Gottes Jhesum Christum vom Himel geoffenbaret / vnd in der Propheten vñ Apostel Schrifften begriffen. Dancken derhalben Gott dem Vater vnsers Heilands Jhesu Christi / sampt dem Son / vnserm einigen Ertzhirten vnd Erlöser / vnd dem heiligen Geiste / der in alle Warheit leitet/für solche gaben/reiner/warhafftiger/heilsamer Lehre/wündschen vnd bitten von hertzen / das Gott solche richtige / ware / nützliche vnd nötige Lehre vnter vns erhalten wölle / vnd dieselbige ausbreiten/ auch in andere Lande / auff das seine Gemeine / welche jn hie vnd dort ewig erkennen/ loben vnd ehren sol/ grosz vnd herrlich werde/ Amen. *Actum Vitebergæ, Calendis Augusti, Anno M. D. LI.*

SCRI-

SCRIPTVM LEGATORVM ILLV-
STRISSIMI PRINCIPIS, DOMINI GE-
orgij Friderici Marchionis Brande-
burgenſis &c.

EGO M. Georgius Karg Paſtor Suabacenſis, & Iohannes Serranus, aliàs Seger, Paſtor Rosfeldenſis, ab Illuſtriſsimi Principis & Domini, D. Georgij Friderici Marchionis Brandeburgenſis &c. domini noſtri clementiſſimi Senatu ablegati Vitebergam, ad reuerendos Patres & Præceptores noſtros, D. Magiſtrũ Philippũ Melanthonẽ, & cęteros S. Theologię Doctores, ut cognoſceremus Confeſſionem fidei, recens à D. Philippo Melanthone, ſcriptam exhibendam Concilio Tridenti congregato, Teſtamur nos accuratè legiſſe hoc ſcriptum, & affirmamus in eo doctrinam Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti, prout in ſacra Scriptura utriuſq; Teſtamenti, & in Symbolis continetur, ſincerè & ſine Sophiſtica, modõ dextrè intelligatur, propoſitam, quæ & in noſtris Eccleſijs aliquot iam annis prædicata, nunc etiam docetur, auditur & approbatur ab omnibus uerè pijs & Spiritu Dei ſancto illuminatis. Et oramus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, propter peccata noſtra à Deo Patre traditum, & propter iuſtificationem noſtram reſuſcitatum, ut Eccleſias quoque noſtras cum omnibus alijs clementer regat & protegat, Noſq; in ea fide & libertate, in qua ſtamus, confirmet, adeoq; conſtantes ad finem uſq; uitæ noſtræ per Spiritum ſuum ſanctum confirmet, Amen. Actum Vitebergæ, Die XII. Septembris. Anno M.D.LI.

Ego M. Georgius Karg, Paſtor Eccleſiæ Suabacenſis, manu propria ſubſcripſi.

Ego Iohannes Serranus, aliàs Seger, Paſtor Rosfeldenſis, manu mea ſubſcripſi.

SCRIPTVM LEGATORVM GENEROSORVM
COMITVM A MANSFELT.

CVm noſtrorum Comitũ nomine Vitebergam ablegati eſſemus, ad petendum conſiliũ de Concilio indicto, à Reuerendis uiris D. Philippo Melanthone, cæteriſq; Præceptoribus noſtris obſeruandiſsimis, forma eius ſcripti, quod in Concilio offerendum eſſet, nobis exhibita eſt. Summa igitur qua potuimus attentione, pro ingeniorum noſtrorum tenuitate, & pro temporis ratione id ſcriptum legimus & conſiderauimus. Teſtamur itaq; in iſto ſcripto, ſummam eius doctrinæ, quæ Dei beneficio in Eccleſijs harum regionum incorruptè hactenus ſonuit & ſonat adhuc, perſpicuè comprehenſam eſſe. Iudicamus autem eam cum ſcriptis & perpetuo conſenſu Prophetarum & Apoſtolorum congruere, neq; ulla ſophiſtica labefactari poſſe. Agimus igitur Deo Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti gratias, pro patefacta luce Euangelij, & precamur ardentibus uotis, ut hanc ſinceram doctrinam aduerſus omnes inſidias & impetus Diaboli tueatur & conſeruet, & colligat ſibi inter nos & alias quoq; gentes Eccleſiam ſe perpetuò agnoſcentem, inuocantem & celebran-

tem. Vt igitur huic scripto suffragium & testimonium nostrum adderemus. Nomina nostra subscribere uoluimus.

Michaël Cælius Inclytorum ac Generosorum Comitum à Mansfelt Concionator, m.p.s.

Iohãnes Vuigandus Minister uerbi Dei in oppido Mãsfelt.

Iohannes Prætorius Minister Verbi Dei in arce Stolberg, m. p. s.

Valẽtinus Sifridi, Minister uerbi Dei in oppido Ortenberg, in Comitatu Königsteinensi, manu propria subscripsi.

SCRIPTVM MINISTRORVM ECCLESIÆ IN INCLYTA VRBE ARGENTORATO.

S. D.

SCriptum D. Philippi Melanthonis, carissimi Præceptoris nostri, quõd dilectus frater & symnista noster D. Iohannes Marbachius attulit, uidimus, legimus, & exoscultati sumus, Bonaq; fide de eo testamur, quisq; sua manu, quõd consonum sit unicæ & ueræ doctrinæ de Dei essentia & uoluntate, quæ à Deo patefacta est, & commendata primis Patribus & Prophetis, postea illustrata uoce filij Dei domini nostri Iesu Christi, crucifixi pro nobis & resuscitati, & uoce Apostolorum ac Apostolicorum uirorum: Ac nequaquam recipiendas esse ullas opiniones pugnantes cũ illa prima Prophetica doctrina, & uoce filij Dei.

Caspar Hedio Doctor Theologiæ, docens Euangelium in Ecclesia Dei in inclyta urbe Argentorato, manu propria subscripsit, ut una sit uox multarum Ecclesiarum.

Iohannes Marbachius Theologiæ Doctor, & Pastor Ecclesiæ ad S. Nicolaum Argentorati, manu propria subscripsit.

Beatus Geringus Minister Euangelij Christi ueteranus, Pastor Ecclesiæ Dei, quæ apud D. Thomam Argentorati conuenit, manu propria subscripsit.

Theobaldus Nigri, Minister in Euangelio Christi Ecclesiæ Argentoratensis, agnosco Chirographo meo, hanc Confessionem uerè Christi & Apostolorũ doctrinam esse, quæ uirtus est ad saluandum credentes, præter quam nullam aliam esse iudico.

Lucius Kyberus, ad S. Aureliam Pastor, præsentibus testor, huic piæ Confessioni solidæ & consummatæ nihil addendum, neq; in ea aliquid desiderari posse, quam & ego libenter confiteor, & Domino pro reuelata sua uoluntate, gratias ago.

Iohannes Lenglinus, Pastor Ecclesiæ Iesu Christi ad S. Guilhelmum Argentorati, m. p. s.

Ludouicus Rabus, Ecclesiæ Christi apud Argentoratum Minister, hanc Confessionem & doctrinam Ecclesiæ Vuitembergensis, & coniunctarum, quæ sine ulla dubitatione consensus est Ecclesię Catholicæ Christi, ex animo amplectitur, manuq; propria subscripsit.

Christophorus Sœllius sst.

Chunradus Hubertus, manu mea subscribere uolui.

Leonhardus Fontanus, Minister & Diaconus Ecclesiæ S. Nicolai Argentinæ, idem quod Fratres & Præceptores testantur, manus propriæ subscriptione confirmatum uolo.

SCRI-

SCRIPTVM MINISTRORVM ECCLESIARVM CITERIORIS POMERANIÆ.

Salutem & pacem in Christo.

QVum Illustrissimus Princeps Philippus, Dux Stetinensium, Pomeraniæ, Cassubiorum &c. Dominus noster clementissimus, ã nobis peteret, ut iuxta edictum inuictissimi Imperatoris Caroli, summam doctrinæ, quæ in Ecclesijs & Scholis nostris magno consensu traditur, breui scripto comprehensam, congruentibus omnium suffragijs, Tridentinæ Synodo offerremus: non grauatim id negocij, quòd pietati, iusticiæ, & præcepto Dei maximẽ consentaneum erat, suscepimus. Sed quum id etiam temporis uestra Confessio Illustrissimi Principis iussu nobis exhiberetur, ac animaduerteremus recitari in ea doctrinam ueram, piam & salutarem Ecclesiæ, planẽ congruentem cum scriptis Propheticis & Apostolicis: uisum est omnibus Ministris & Doctoribus Ecclesiarum, qui Grypsuualdæ conuenerant, ut instituto labore supersedentes, uestram Confessionem nostris omnium suffragijs comprobaremus, ac ut nostram & Illustrissimo Principi, & Tridentinæ Synodo offerremus. Quare hic palãm testamur et affirmamus coram Deo & omnibus Sanctis in cœlo & in terra, doctrinam, quæ in uestra Confessione proponitur, uerum & perpetuum esse consensum Catholicæ Ecclesiæ filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, noscq; eam toto pectore amplecti, ac sonare in nostris Ecclesijs, Academijs & Scholis, ac Deo iuuante, ad omnem æternitatem cõstanter professuros ac defensuros esse. Quod quum ita sit, reuerenter oramus, ut pro commemorabili uestra erga nos pietate & beneuolentia, nostras Ecclesias, & eos qui harum Ecclesiarum nomine isthuc emittuntur, doctrina, consilio & omni genere officij iuuetis, uobiscq; commendatos & coniunctos esse sinatis, ac omnino statuatis, nos, cum de sacris ceremonijs in Euangelio institutis, tum uerõ de uniuersa doctrina cœlesti, decq; ritibus ad eutaxiam Ecclesię pertinentibus, planẽ idem uobiscum sentire, nec Deo dante passuros, ut ullis unquam temporibus ab hac sententia depellamur. Commendamus etiam filio Dei, domino nostro Iesu Christo uestram salutem, eumcq; toto pectore & ardentibus uotis oramus, ut actiones & conatus uestros regat & fortunet ad gloriam sanctissimi sui nominis, & ad utilitatem Ecclesiæ. Benè & fœliciter ualeat V. E. in Christo, cui nostras Ecclesias & honesta studia pijs uotis commendamus. Datæ Grypsuualdæ in Synodo prouinciali, Anno M. D. LII. die XXI. Ianuarij.

Vestræ excellentiæ

addictissimi

Rector Academiæ Grypsuualdensis, Superattendens, Doctores, Pastores et Ministri Ecclesiarum citerioris Pomeranię.

LOCORVM THEOLOGICO-
RVM POSTREMA EDITIO ABSO-
LVTA VITEBERGÆ ANNO M. D. XLIII.

PHILIPPVS MELANTHON
PIO LECTORI S. D.

PRODEST FIRMA ET PERSPICVA TESTIMONIA DE SINGVLIS articulis doctrinæ Christianæ, ordinè distributa, velut in tabella habere proposita, vt cùm disputant animi secum, aut anguntur, sententiæ certæ in conspectu sint, quæ trepidantes erudiant, erigant, confirment, consolentur. Hæc enim sint exercitia fidei pys & necessaria, & non ignota, de quibus Propheta inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Ad hunc vsum domesticum initiò mihi hos locos institui, & cùm viderem his turbulentis temporibus interdum aliqua explicatione opus esse, addidi interdum aliquas descriptiones aut partitiones. Hæc cùm postea circumferrentur in manibus multorum, recognoscenda & augenda fuerunt. Non ambitione, non φιλονικείᾳ, non æmulatione, non vt sererem rixas, hæc & instituì & collegi, sed primùm vt meipsum erudirem, deinde vt aliquorum, qui hæc legebant, honesta & pia studia adiuuarem. Sed de voluntate mea nihil dicam amplius, quàm quòd Deo probatam esse spero, ac meæ conscientiæ testimonium antefero criminationibus Eccij, Cochlei, Alfonsi, & multorum qui illis applaudunt. Cùm autem reipsa cognouerim, explicationem dogmatum Ecclesiæ propter multas causas opus esse difficilimum, & quanquam necessarium est, tamen plenum esse ingentium periculorum, attentè audiui interpretes eruditos καὶ θεοδιδάκτους, & mediocri cura & solicitudine inquisiui Ecclesiæ doctrinam, & conatus sum res veras quanta potui perspicuitate recitare. Non gigno nouas opiniones, nec aliud maius scelus esse in Ecclesia Dei sentio, quàm ludere fingendis nouis opinionibus, & discedere à Prophetica & Apostolica scriptura, & consensu vero Ecclesiæ Dei. Sequor autem & amplector doctrinam Ecclesiæ Vitebergensis & coniunctarum, quæ sine vlla dubitatione consensus est Ecclesiæ catholicæ Christi, id est, omnium eruditorum in Ecclesia Christi. Vult autem Paulus esse iudicia doctrinæ in Ecclesia, vt veritas seruetur incorrupta, & non temerè labefactetur concordia: Et agnosco ipse meorum scriptorum maciem & squalorem. Quanquam igitur propriè & planè loqui studeo, tamen fieri potest, præsertim in tanta mole rerum, & in tanta breuitate, vt interdum aliquid dictum sit obscurius, aut parum commodè. Ideò non defugio iudicia Ecclesiarum nostrarum: Nam has censeo verè esse Dei Ecclesiam, & vera animi pietate eas veneror, nec me ab eis seiungam, meaq́ dicta, scripta & facta, earum iudicio permitto. Sæpè etiam optaui alios, qui antecellunt eruditione & iudicio, communicato consilio, & collatis sententijs de rebus ipsis & de formis loquendi, graui autoritate tale aliquod opus condere, quod ordine præcipuas materias doctrinæ Ecclesiasticæ complecteretur. Dicerem hanc rem curæ esse debere pys & sapientibus Principibus, præsertim in tanta temporum confusione, Sed videmus Ecclesiã non regi humanis consilijs. Oro igitur Deũ æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt propter filium suum dominum nostrum Iesum Christum, quem voluit esse victimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, Ecclesiam sibi colligat, regat & seruet, & docentium & discentium mentes gubernet, studia adiuuet, & ad veritatem & concordiæ amorem multos flectat. Id cùm Christus in agone suo precatus sit, nostra vota & nostros gemitus ad huius nostri Pontificis petitionem adiungamus, qui dixit: Pater, sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas: Ne si-

nas ex-

nas extingui lucem ueritatis, id est, Euangelij tui, Et addit: sint unum, sicut & nos unum sumus, Primum nobiscum coniuncti sint, deinde inter sese sint concordes, & consulant paci ueræ Ecclesiæ iustis officijs. Hortor & Scholasticum gregem, ut cogitent, qua in statione à Deo collocati sint, & sciant se Ecclesiæ Dei seminaria esse. Nam ex hoc numero filius Dei regnans ad dextram æterni Patris, ac dona dans hominibus, uidelicet Pastores & Doctores, sumit Euangelij ministros, quos præparari uult in Scholis. Hos esse custodes librorum Propheticorum & Apostolicorum & uerorum dogmatum Ecclesiæ uoluit. Quare diligentiam & fidem in re omnium maxima Deo, Ecclesiæ, & posteritati præstemus, ueritatem inquiramus, amemus, tueamur, & ad posteros incorruptam transmittamus. Vitebergæ Anno M. D. XLIII.

LOCI THEOLOGICI COLLECTI
A PHILIPPO MELANTHONE.

ITA conditi sunt homines à Deo, ut numeros & ordinem intelligãt, & in discendo multum utraq; re, numeris & ordine adiuuentur. Quare in artibus tradendis singulari cura monstratur ordo partium, & indicantur initia, progressiones & metæ. Hanc explicandi formam in Philosophia uocant methodum, sed hæc in ijs artibus, quæ demonstrationibus extruuntur, aliter quàm in doctrina Ecclesię, instituitur. Nam demonstratiua methodus progreditur ab ijs quæ sensui subiecta sunt, & à primis noticijs, quæ uocantur principia. Hic in doctrina Ecclesiæ tantum ordo quæritur, non illa methodus demonstratiua. Nam hæc doctrina Ecclesiæ non ex demonstrationibus sumitur, sed ex dictis, quæ Deus certis & illustribus testimonijs tradidit generi humano, per quæ immensa bonitate se & suam uoluntatem patefecit.

Quid interfit inter Methodum in doctrina Ecclesiæ, et in Philosophia

Ac ut in philosophia quæruntur certa, & discernuntur ab incertis, et causæ certitudinis sunt. Experientia uniuersalis, principia, & demonstrationes: ita in doctrina Ecclesiæ certitudinis causa est reuelatio Dei, & considerandum est, quæ sententiæ à Deo traditæ sint. Vt certa est cuilibet sano hæc sententia: bis quatuor sunt octo, est enim naturalis noticia ut principiorum: ita sint certi nobis & immoti articuli fidei, comminationes & promissiones diuinæ, ita certum sit agenti pœnitentiam remitti peccata propter filium Dei, exaudiri se, & fieri hæredem uitæ æternæ. Sed causæ certitudinis diuersæ sunt: Sententiam de numeris mens suo iudicio uidet. At articuli fidei certi sunt propter reuelationẽ, quę certis et illustribus testimonijs Dei cõfirmata est, ut resuscitatione mortuorum, & multis alijs miraculis. Sed quia res suntextra iudicium humanæ mentis positæ, languidior est assensio, quæ fit, quia mens mouetur illis testimonijs & miraculis, & iuuatur à Spiritu sancto ad assentiendum.

Etsi autem Philosophia docet dubitandum esse de his, quæ non sunt sensu comperta, nec sunt principia, nec sunt demonstratione confirmata, ut hic licet dubitare seu ἐπέχειν, an sola nubis cauitas, sit causa cur Iris sit arcus: tamen doctrinam Ecclesiæ à Deo traditam sciamus certam & immotam esse, etiamsi nec sensu deprehenditur, nec nobiscum nata est ut principia, nec demonstrationibus inuenitur, sed causa certitudinis est, reuelatio Dei, qui est uerax.

Quare

Quare illam dubitationem Philoſophicam ſeu ἐποχὴν nequaquam admitamus ad doctrinam Eccleſiæ à Deo traditam. Hæret alioqui in mentibus in hac naturæ humanæ corruptione, ingens confuſio dubitationum de Deo, quibus repugnandum eſt, & opponendæ ſunt ſententiæ à Deo traditæ. Non aleanda eſt hic aut laudanda dubitatio, ſed ſit fides certa aſſenſio, ἔλεγχος, id eſt, certitudo, qua mens conuicta diuinis teſtimonijs, firmiſsimè amplectitur uocem diuinam, de rebus non apparentibus, ut loquitur Epiſtola ad Hebræos.

ἐποχὴ Philoſophica excludenda ab Eccleſiæ doctrina.

Hæc præfari neceſſe eſt, ut initiõ cogitemus res certas, firmas & immotas in Eccleſia doceri, ſicut inquit filius Dei: Cœlum & terra tranſibunt, uerba autem mea non præteribunt. Deinde etiam cogitemus, fidem eſſe firmam aſſenſionem, amplectentem integram Euangelij doctrinam, non eſſe, ut in Academia Arceſilæ, ludos ambiguos opinionum & diſputationum, ſicut multa petulantia ingenia, & multi ſuperbi homines ſemper iudicarunt, iudicant & iudicabunt, quorum blaſphemias punit Deus & præſentibus & æternis ſupplicijs.

Ordo partium in doctrina Eccleſiæ.

Nunc de ordine partium doctrinæ aliquid præfandum eſt, ipſi libri Prophetici & Apoſtolici optimo ordine ſcripti ſunt, et articulos fidei aptiſſimo ordine tradunt. Eſt enim hiſtorica ſeries in libris Propheticis & Apoſtolicis, ordiuntur à prima rerum creatione & conditione Eccleſiæ, & deinceps omnium temporum ſeries à conditione rerum, uſq; ad Cyri Monarchiam continetur in his libris Propheticis. In hac ſerie multæ narrantur inſtaurationes Eccleſiæ, & inſparguntur narrationibus doctrina Legis, & promiſsio Euangelij. Deinde Apoſtoli teſtes ſunt de Chriſto exhibito, nato, crucifixo, reſuſcitato. Hæc ſunt hiſtorica. Et in concionibus Chriſti continentur articuli fidei, explicatio Legis & Euangelij. Accedunt & Pauli diſputationes, qui ut artifex inſtituit diſputationem in Epiſtola ad Romanos, de diſcrimine Legis & Euangelij, de peccato, de Gratia, ſeu Reconciliatione, qua reſtituimur ad uitam æternam.

Munus piorum interpretum quod ſit.

Etſi autem hunc ordinem animaduertenti, non multum opus eſt commentarijs, aut noſtris libellis, aut ſimilibus, tamen quia uult Deus in Eccleſia uocem docentium ſonare, ut dicitur, de miniſterio Euangelij, Epheſ. 4. Non fruſtra labor docendi ſuſcipitur. Non gignimus nouas res, ſeu materias, ut Heſiodus aliud tradidit quàm patres, Sem, Iaphet, & Hæretici res nouas comminiſcuntur, non traditas ab Apoſtolis, ſed pij interpretes acceptas à Deo ſententias in Prophetica & Apoſtolica narratione, bona fide recitant. Et quia rudes non ubiq; genus ſermonis intelligunt, non ſtatim uident ordinem rerum, commonefaciendi ſunt uoce interpretum de genere ſermonis, & de rerum ordine. Et quia multæ corruptelæ ſubinde excogitatæ ſunt, & excogitabuntur, pij Paſtores & doctores ſunt teſtes ueræ ſententiæ certa autoritate acceptæ, & refutatores falſarum interpretationum. Propter has cauſas Deus miniſterium Euangelij, & ſtudia in Templis & in Scholis ſua ope ſeruat, & ſubinde reſtituit, ut ſimus cuſtodes librorum Propheticorum & Apoſtolicorum, & teſtes ueræ interpretationis, & refutemus omnes opiniones pugnantes cum doctrina tradita per Prophetas, Chriſtũ, et Apoſtolos, ne extinguatur lux Euangelij, ac ut Epheſ. 4. dicitur, ne Eccleſiæ tanquam uentis agitatæ & diſſipatæ, amiſſa ueritate, implicentur uarijs erroribus, ut ſæpẽ accidit. Ethnici amiſſa luce doctrinæ Patrum, horrendis & uarijs furoribus agitati ſunt, mactarunt humanas hoſtias, coluerunt Priapos, proſtituerunt coniuges & uirgines, ut idola placarent. Sed quàm uaria genera furorum fuerunt in Marcionis & Manichęi ſecta, quantum blaſphe-

Cur inſtitutum ſit miniſterium.

Qui furores ſemper extiterint amiſſa doctrina.

blasphemiarum, libidinum, seditionum? Quàm uarij furores nunc sunt Anabaptistarum, qui multum habent contagij Manichæorum? Ab Ario furores Mahometici orti sunt. Quales furores sunt in inuocatione Mortuorum & cultu statuarum, in uenditione Missarum, in defensione legis de Cœlibatu, & multis alijs quæ defendunt Eccius, Pygius, & similes parasyti Pontificum.

Hæc exempla furorum omnium ætatum considerent pij, & commonefacti uoce rectè docentium, amplectantur utraq; manu et toto pectore libros Propheticos & Apostolicos à Deo traditos, & adiungãt enarrationes & testimonia purioris Ecclesiæ, ut Symbola, Apostolicum & Nicenum, ut lucem Euangelij retineant, nec in furores tales incidant, quales ut dixi, sequuntur extincta luce Euangelij. Qui uerõ pio studio legent Propheticos & Apostolicos libros, & Symbola, & quærent purioris Ecclesię sententiam, facilè iudicabunt quibus humanis enarrationibus deinde adiuuari possint, & intelligent quid utilitatis adferant piorum explicationes rectè & dextrè scriptæ, & ex fontibus sumta testimonia. Hos, si uoluntates erunt piæ, in hoc studio, & hac dijudicatione Deus reget Spiritu sancto, ne Diaboli præstigijs fallantur, sed flectantur ad agnoscendas, amplectendas, & retinendas ueras sentẽtias. Sicut Paulus inquit: Deus est qui cum effecerit ut uelitis, efficiet etiam ut perficiatis. Cum accenderit uoluntatem, ut pio studio quærat ueritatem, adiuuabit etiam eam, & gubernabit, ut labor sit nobis & alijs felix.

DE DEO.

IDeõ conditum est genus humanum, ac deinceps ideõ redemtum est, ut sit imago & templum Dei, Deum celebrans. Vult enim Deus agnosci & celebrari, & fulsisset illustris & firma notitia Dei in mentibus hominum, si natura hominum mansisset integra: nec deinde postquam recepti sunt in gratiam Adam & Heua, aliud est maius ac melius opus hominis, quàm uera Dei agnitio, inuocatio ac prædicatio, ut Psal. 149. Laus eius in Ecclesia Sanctorum. Et Psalm. 118. Non moriar, sed uiuam, & narrabo opera Domini. Sit igitur prima & summa cura hominis, ueram de Deo doctrinam discere, sicut et primum præceptum hoc officium præcipuè postulat. Sed humanæ mentes in hac corruptione naturæ in magna & tristi caligine uagantur, quærentes an sit Deus, an sit prouidentia, & quæ sit Dei uoluntas. Et quanquam esse Deum, & præcipere obedientiam iusta discrimen honestorum & turpium impressum humanis mentibus, & regulariter puniri atrocia scelera atrocibus supplicijs in hac uita, multa illustria & firma testimonia ostendunt, tamen horrenda dubitatione cruciantur animi: Quia uident sæpè opprimi pariter bonos & malos ingentibus calamitatibus.

Finis hominis præcipuus agnitio Dei.

Caligo & dubitationes in humanis mentibus.

Et quanquam utcunq; mens humana agnoscit Deum punire sontes, tamen de reconciliatione nihil nouit sine reuelatione diuinæ promissionis: Ideò cum pœnis obruimur, aut disputant homines casu eas accidere, aut mirantur, cur Deus hanc infirmam naturam tantis miserijs oneret: Pericles putat casu uel ex materiæ contagijs principaliter oriri pestilentiam Atticam, non agnoscit pœnam esse diuinam. Oedipus agnoscit se à Deo puniri, sed prorsus nihil scit de remissione peccatorum.

Cum igitur tantæ sint tenebræ humanæ mentis, agnoscamus ingens beneficium esse, quòd Deus sese patefecit ipse, clara uoce & certis testimonijs, in-

Patefactio diuina ingens beneficium.

de usq; ab initio post conditum genus humanum, & post conditam Ecclesiam suam, quod tradidit sua uoce legem & promissionem reconciliationis, & addidit ingentia miracula, ut seruationem in diluuio, deletionem Sodomorum, eductionem populi Israël ex Aegypto, & multas resuscitationes mortuorum.

His illustribus testimonijs quæramus Deum patefactum, & seiungamus nos ab Ethnicis, & omnibus ignaris Euangelij, & in nostra inuocatione cogitemus, quem Deum inuocemus, ubi & cur se Deus patefecerit: non uagemur animis, ut Ethnici, aut qui ad statuas currunt, non negligenter aut frigidè cogitemus de patefactione Dei, sed agnoscamus esse ingens beneficium, & certum testimonium, quòd uelit nobis opitulari. Sic deducit nos ad patefactionem Paulus 1. Corinth. 1. Cum mundus Deum sapientem non nosset per sapientiam, placuit Deo, per stultam prædicationem saluos facere credentes, id est, Quia uagantur animi, & intuentes hunc pulcerrimum ordinem in creaturis sapientissimè institutum, & nos de opifice commonefaciẽtem, tamen dubitant, an sit prouidentia, an recipiamur à Deo, exaudiamur, iuuemur, edita est uox Euangelij, qua se Deus patefecit, & tamen hanc quoq; maxima pars hominum ut fabulosam deridet: Sed aliqui amplectuntur, discunt rectè agnoscere, & rectè inuocare Deum, & donantur æterna uita, iusticia, gloria, &c.

Testimonia ducentia animos ad patefactionem.

Sic Christus deducit nos ad patefactum Deum. Cum peteret Philippus monstrari Patrem, grauiter obiurgat eum, & ab illa speculatione reuocat, ac inquit: Qui uidet me, uidet Patrem. Non uult uagabundis speculationibus quęri Deum, sed uult oculos nostros defixos esse in hunc exhibitum Filium, & inuocationem dirigi ad hunc Deum æternum Patrem, qui se patefecit misso hoc Filio, & dato Euangelio, & qui propter hunc Filium Mediatorem recipit nos, & exaudit.

Ita semper Deus ab initio, procedens ex sua arcana sede propter salutem nostram, & sese patefaciens, ac familiariter nobiscum colloquens, tradidit aliquod uerbum ac testimonium, ad quod alligauit mentes hominum ita, ut hunc uerè esse Deum æternum conditorem statuerent, qui se patefecerat hac uoce, & hoc testimonio. Sic in primo præcepto alligat populum ad uerbum, quod sonuit in monte Sina, & ad eductionem ex Aegypto: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Complectitur omnia miranda facta in eductione, quæ fuerũt testimonia præsentiæ Dei. Hic idem Deus dedit promissiones de Mediatore, propter quem inde usq; ab initio Patres exaudiri se sciebãt. Ita alligata erat eorum inuocatio ad hunc Deum, qui se in eductione ex Aegypto patefecerat, & dederat promissiones de Mediatore, ut Dauid inquit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, Tu es Sacerdos in æternum &c. Ita nos iam exhibito, crucifixo & resuscitato Christo, & Euangelij luce agnita, hoc ipsum testimonium nobis proponamus, in hunc Filium intueamur, ac discamus hæc duo, Quis sit Deus, & quæ sit uoluntas eius, & nostram inuocationem ab Ethnica, Turcica, Iudaica, prudenter & ardenter seiungamus. Præcipuè enim duabus grauissimis quæstionibus differt uera inuocatio à falsa: Quęstione de essentia, & quęstione de uoluntate. Turci etsi dicunt se inuocare unum Deum, conditorem cœli & terræ, tamen à uero Deo aberrant. Quia negant hunc esse Deum, qui misit Filium Mediatorem: Non igitur rectè inuocant. Est enim æterna & immota regula Iohan. 5. Qui non honorat Filium, non honorat

Mentes humanæ alligatæ sunt ad uerbũ & testimonia patefacta.

Inuocatio uera à falsa differt quæstione de essentia & de uoluntate Dei.

norat Patrem. Primum igitur Turci de essentia Dei errant, quia fingunt sibi suum Deum, qui non sit Pater Iesu Christi.

Secundò errant de uoluntate. Cum promissiones ignorent, & negent Filium esse Mediatorem, manent in perpetua dubitatione, nec possunt statuere se recipi à Deo, & exaudiri. Qui uerò manent in ea dubitatione, non inuocant sed fugiunt Deum, & ruunt uel in contemtum Dei, uel in æternas desperationes & in blasphemias.

Econtra Ecclesia Dei affirmat hunc esse Deum conditorem rerum, qui se patefecit misso hoc Filio, & dato Euangelio, & editis testimonijs ingentibus, quæ recensentur in historia Prophetica & Euangelica. Ita primum de essentia Dei iudicat, non ex humanis imaginationibus, sed ex uerbo Dei, certis testimonijs tradito. Deinde de uoluntate certò scimus Filium Dei Mediatorem constitutum esse mirabili & inenarrabili consilio, & certò recipi & exaudiri nos petentes propter hunc Mediatorem. His discriminibus initiò consideratis, quæ quidem in inuocatione quotidiè cogitanda sunt, rectius intelligetur, quomodo quærendus, agnoscendus & inuocandus sit Deus, quàm ex ociosis speculationibus, quas multi cumularunt sine modo in commentarijs Longobardi.

Definitio Dei apud Platonem.

Vt autem descriptionem aliquam Dei teneamus, conferam duas. Alteram mutilam Platonis, alteram integram, quæ in Ecclesia tradita est, & ex Baptismi uerbis discitur. Platonica hæc est: DEVS EST MENS ÆTERNA CAVSA BONI IN NATVRA. Quanquam autem hæc Platonica descriptio adeò eruditè composita est, ut difficile sit iudicare parum exercitatis, quid desit, tamen quia nondum ita describit Deum, ut se patefecit ipse, requirenda est alia illustrior & propior descriptio. Verba sunt hæc: Deum esse mentem æternam, id est, essentiam spiritualem, intelligentem, æternam, causam boni in natura, id est, ueracem, bonam, iustam, omnipotentem, conditricem bonarum rerum omnium, & totius ordinis in natura, & humanæ naturæ ad certum ordinem, id est, ad certam obedientiam. Hæc omnia complexus est Plato. Sed hæ sunt adhuc humanæ mentis cogitationes, quæ etsi ueræ & eruditæ sunt, & ex firmis demonstrationibus natæ, tamen addendum est, qualem se Deus ipse patefecerit. Sit igitur hæc altera descriptio:

Definitio Dei in Ecclesia.

DEVS EST ESSENTIA SPIRITVALIS, INTELLIGENS, ÆTERNA, VERAX, bona, pura, iusta, misericors, liberrima, immensæ potentiæ & sapientiæ, Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius imago Patris coæterna, & Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, sicut patefacta est diuinitas certo uerbo, quòd Pater æternus cum Filio & Spiritu sancto condiderit & seruet cœlum & terram, & omnes creaturas, & in genere humano condito ad imaginem suam, & certam obedientiam elegerit sibi Ecclesiam, ut ab ea, hæc una & uera diuinitas patefacta certis testimonijs, & per uerbum traditum Prophetis & Apostolis, agnoscatur, inuocetur, & colatur iuxta uerbum illud diuinitus traditum, & damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, & hæc uera diuinitas in uita æterna celebretur.

Declaratio partium definitionis, cur sit essentia intelligens &c.

Hæc descriptio propius recitat quis sit Deus, & deducit nos ad patefactionem diuinam, Sicut in Ecclesia semper hæc doctrina tradita est. Primum caput Geneseos testatur Deum esse essentiam intelligentem, ait enim, Dixit Deus. Constat autem dicere esse intelligentis essentiæ, non brutæ, & esse bonam essentiam, puram, iustam, & liberrimæ uoluntatis, testatur creatio hominis, cui

ad imaginem diuinam condito impressit Deus noticias, quæ præcipiunt bona, iusta et ordinata, & addidit libertatem uoluntatis, etsi hęc bona post lapsum primorum parentum deformata sunt. Præterea quòd sit essentia æterna & omnipotens, creatio ipsa testatur, de qua dicitur: In principio creauit Deus cœlum & terram.

Personæ tres in una essentia.

Personæ uerò tres, etsi in eodem capite obscurius monstrantur, tamen paulatim clarius reuelatæ sunt. Pater dicens genuit Verbum, quod est imago æterni Patris, Et de Spiritu sancto expresè dicitur: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Sed postea Patribus & Prophetis exhibita est doctrina illustrior. Dauid & Esaias clarè supra angelos & omnes creaturas collocant Messiam, & Deum nominant, ut Psalm. 2. Filius meus es tu, &c. Et Psalm. 45. Et concupiscet rex decorem tuum, Quoniam ipse est Deus tuus, & adorabis ipsum. Et Esai. 9. Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & uocabitur nomen eius Deus fortis, Pater æternæ uitæ.

Tandem in Nouo Testamento clarissimè patefactæ sunt tres personæ, ut in baptismo Christi. Pater inquit: Hic est filius meus dilectus. Filius conspicitur palàm stans in flumine. Spiritus sanctus uerò manifesta specie insidet Filio. In hanc reuelationem intueamur, & nostras cogitationes de Deo, & inuocationem nostram ab Ethnica, Turcica, Iudaica seiungamus, & hunc æternum Patrè, qui se ibi patefecit misso Filio suo Iesu Christo, & ostenso Spiritu sancto inuocemus, unà cum Filio & Spiritu sancto conditorem rerum & opitulatorem. Hæc sæpè cogitanda sunt inter inuocandum. Quomodo autem personæ discernendæ sint, postea dicetur, prius enim aliquo modo reliqua pars descriptionis declaranda est.

Creaturæ conditæ à Patre, Filio et Spiritu sancto.

Dixi creaturas conditas esse à Patre, Filio, & Spiritu sancto. Id quoq; passim in ueteri & nouo Testamento traditum est, ut Iohan. 1. de Verbo: Omnia per ipsum facta sunt. Et de Spiritu sancto: Spiritus Domini fouebat aquas. Semper igitur regula teneatur infixa menti, creationem rerum & conseruationem, opera esse totius Trinitatis, æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti.

Deus se patefecit Ecclesiæ.

Postremò in descriptione Dei fit mentio Ecclesiæ, ut mentes nostræ sint alligatæ ad hunc Deum, qui se patefecit in Ecclesia, & sciant hunc uerè esse conditorem rerum, qui se dato hoc suo uerbo, certis testimonijs ab initio mundi patefecit. Sciant item, sic de eo sentiendum esse, sicut se patefecit. Ethnici & Turci se quoq; iactitant inuocare illum DEVM, qui condidit cœlum & terram, sed falsò id iactitant, quia uagantur animis, nec uolunt audire conditorem se patefacientem uerbo suo, & misso Filio: Aberrant ergo à uero conditore, & fingunt sibi conditores suis speculationibus. Quare in omni cogitatione de Deo, & omni inuocatione mentes intueantur Christum missum in carne, crucifixum & resuscitatum, & statuant hunc uerè esse Deum conditorem, qui hunc Filium misit, & dedit Ecclesiæ suæ Euangelium.

Virtutes in Deo non sunt accidentia, nec discerni debẽt ab essentia.

Percurri utcunq; particulas descriptionis, in quibus hoc quoq; sciamus, has uirtutes, quas Deo tribuimus, in eo non esse accidentia, ut in homine seu angelo sapientia, iusticia, bonitas, sunt accidentia & res mutabiles: sed sicut potentia Dei non discernenda est ab essentia, nec aliud est, sic non sunt aliæ res, sapientia, ueritas, iusticia, bonitas Dei, sed sunt ipsa essentia, quæ est quiddam uiuum per se subsistens, intelligens, æternum, omnipotens, bonum, iustum.

Hanc

Hanc Dei descriptionem ut teneret Ecclesia in conspectu & ob oculos, distinctam ab Ethnicis opinionibus, commendauit eam nobis Christus in prima & notissima ceremonia: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, id est, Ego hac mersione mandato Christi testificor, te recipi à Deo creatore omnium rerum, Patre æterno, Filio eius Iesu Christo, & Spiritu sancto, quem Deum agnosces placatum esse per Iesum Christum Filium æterni Patris, & hac fiducia inuocabis, qui te Spiritu sancto reget & uiuificabit ad uitam æternam, sicut promissiones diuinæ pollicentur: Effundam de meo Spiritu super omnem carnem, &c. Et Christus inquit Iohan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit uobis, Spiritum ueritatis.

Descriptio Dei commendata est in Baptismo.

Quare de Deo cogitantes, siue in docendo, siue in inuocando, Baptismi doctrinam, & testimonium nobis proponamus, nec tantum de numero speculemur, sed de causis, cur Filius missus sit, de promissione reconciliationis, de gubernatione miranda sanctorum, qui à Christo defenduntur contra Diabolum, & Spiritu sancto mirabiliter uiuificantur. Etsi enim Diabolus, qui est homicida, mirabilibus insidijs oppugnat singulos, ut auulsos à Deo euertat, tamen Christus econtra propugnat oues suas, quamlibet imbecilles & ærumnosas, sicut inquit: Oues meæ uocem meam audiunt, & nemo rapiet eas de manu mea. Simul ergo de admirandis beneficijs Dei propter Filium donatis, cogitemus, quoties uerba Baptismi recitamus.

Doctrina & testimonium Baptismi semper sit ante oculos.

TESTIMONIA DE VNITATE DEI.

VNA est æterna essentia diuina, iuxta descriptionem positam, æternus Pater, Filius imago Patris, & Spiritus sanctus. Ac personæ discernuntur, quoties diuinitas intra sese describitur: Sed cum opponitur creaturis, mentio fit unius æternæ essentiæ, ut Deut. 6. Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Ac pij obseruent appellationem. Dixi discernendam esse inuocationem Ecclesiæ ab Ethnica. Ideò populus Israël peculiarem appellationem Iehoua tribuit Deo, ut discernat Deum uerum conditorem, qui se in hoc populo patefecit, ab idolis & commentitijs numinibus Ethnicorum.

Quòd sit una essentia diuina.

Deut. 4. Vt scias quòd Dominus est Deus, & non est alius præter eum, id est, Hic Deus patefactus in hoc populo Israël, solus est Deus. Deut. 32. Videte quod ego sim solus, & non est alius præter me. Esai. 44. Hæc dicit Dominus rex Israël, & redemtor eius, Dominus exercituum. Ego sum primus & nouissimus, & præter me non est Deus. Esai. 45. Ego sum Deus, & non est ullus præterea, præter me non est Deus. Ego Deus, & non est alius, formans lucem, & creans tenebras. Item, Non est alius Deus præter me, Deus iustus & saluans, non est præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ, quia ego sum Deus, & non est alius. 1. Corinth. 8. Scimus quòd nihil est Idolum in mundo, & quòd nullus est alius Deus nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra, sicuti sunt dij multi & domini multi, nobis tamen unus est Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per eum. Ephes. 4. Vnus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia.

DE TRIBVS PERSONIS DIVINITATIS.

Persona in hoc articulo quid significet.

IN hoc articulo necesse est constitui quid uocabulum Personæ significet. Primum igitur trado hanc definitionem, conuenientem huic articulo: PERSONA, ut Ecclesia in hoc articulo loquitur, EST SVBSTANTIA INDIVIDVA, INTELLIGENS, ET INCOMMVNICABILIS. Satis constat ueteres scriptores Ecclesiæ sollitos hæc duo uocabula discernere οὐσίαν & ὑπόστασιν, & dicere unam esse οὐσίαν, id est, essentiam æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti, sed tres ὑποστάσεις, id est, tres uerè subsistentes, non commentitios, non caducos, non confusos, sed distinctos, seu singulares intelligentes. Pro hac uoce Latini usi sunt nomine Personæ, & quanquam Græca uox ὑπόστασις, est illustris, tamen quia ingeniorum petulantia sæpè conturbat rectè dicta, rixæ etiam de uocabulo ὑπόστασις ortæ sunt. Cesserunt igitur Græci, & Latinos secuti, cœperunt etiam hoc loco dicere tria πρόσωπα. Sed nos omissis rixis uocabulorum, Ecclesiæ sententiam fideliter retineamus, & uerbis iam in Ecclesia usitatis & receptis sine ambiguitate utamur.

Differentia inter οὐσίαν et ὑπόστασιν.

Ludus Serueti de uocabulo persona.

Lusit homo fanaticus, Seruetus, de uocabulo Personæ, & disputat olim Latinis significasse habitum aut officij distinctionem, ut dicimus, Roscium aliàs sustinere personam Achillis, aliàs sustinere personam Vlyssis, seu alia est persona consulis, alia serui, ut Cicero inquit: Magnum est in Repub. tueri personam Principis, Et hanc ueterem significationem uocabuli Sycophanticè detorquet ad articulum de tribus personis Diuinitatis. Sed has impias præstigias fugiamus, & execremur, & sciamus in hoc articulo aliter loqui Ecclesiam, & personam dici substantiam indiuiduam, intelligentem, & incommunicabilem.

Tres personæ monstratæ in baptismo Christi.

Ac prodest in hac cogitatione sæpè mente intueri baptismum Christi, ubi tres Personæ illustri discrimine monstrantur. Pater sonat hanc uocem: Hic est Filius meus dilectus. Filius stans in flumine conspicitur, & Spiritus sanctus specie uisibili demittitur. Ad hanc monstrationem accommodentur & firma testimonia, quæ narrant, quis & qualis sit Filius, quis & qualis sit Spiritus sanctus.

Discrimen trium personarum.

Primum ergo hoc discrimen teneatur, Pater æternus est, persona non nata, sed quæ genuit ab æterno Filium imaginem sui. Filius est imago Patris genita ab æterno à Patre: Qui postea certo tempore in utero Mariæ assumsit humanam naturam, ut infrà dicetur. Spiritus sanctus est agitator, procedens à Patre & Filio, & mittitur ad sanctificandas mentes, id est, nouam lucem, iustitiam & uitam Deo placentem, & æternam accendendam in his, qui fiunt hæredes uitæ æternæ. Sunt itaq; tres personæ diuinitatis, immensæ, coæternæ,

Tres personæ ὁμοούσιοι.

ὁμοούσιοι, Pater Domini nostri Iesu Christi, Filius qui dicitur λόγος & imago æterni Patris, & Spiritus sanctus. Nec sunt plures personæ diuinitatis.

De Deo sentiendum sicut se patefecit.

Etsi autem omnes Angelicæ & humanæ mentes obstupescunt admiratione huius arcani, quòd Deus Filium genuit, & quòd à Patre & Filio procedit sanctificator Spiritus, tamen sic sentire necesse est, Quia, ut toties iam dictum est, de Deo sentiendum est, sicut se patefecit. Ethnici uagabantur animis, quærentes Deum, suis speculationibus: At Ecclesia agnoscit Deum æternum & omnipotentem conditorem talem, sicut se patefecit: & quanquam hæc arcana non penitus perspicimus, tamen in hac uita Deus incoarauit hanc agnitionem, & inuocationem nostram à falsa discerni, & reuelationem certis testimonijs in uerbo suo proposuit, in quo ceu fœtus in aluo matrino nutrimentum attrahens ex umbilico & cotylidonibus, nos quoq; sedemus

incluſi,

incluſi, & attrahimus agnitionem Dei, & uitam ex uerbo Dei, ut eum inuocemus, ſicut ſe patefecit.

DE FILIO.

SIC autem deſcribitur Filius. Iohan. 1. nominatur λόγος. In Epiſt. ad Coloſſ. nominatur Imago Dei. In Epiſtola ad Hebræos uocatur ſplendor gloriæ, id eſt, effigies ſeu imago ſubſtantiæ Patris. Ac loqui textum de natura diuina Filij, manifeſtum eſt, Quia inquit: Omnia per eum condita eſſe. In Symbolo dicitur Lumen de Lumine. Harum appellationum collatio declarat eas. Filius dicitur Imago & λόγος. Eſt igitur imago cogitatione Patris genita, quod ut aliquo modo conſiderari poſſit, à noſtra mente exempla capiamus.

Filius uocatur imago & λόγος.

Voluit enim Deus in homine conſpici ueſtigia ſua, & ſi hominis natura retinuiſſet primam lucem, ſpeculum eſſet diuinæ naturæ minus obſcurum. Nunc in hac caligine, tamen aliqua notari ueſtigia poſſunt. Mens humana cogitando mox pingit imaginem rei cogitatæ, ſed nos non transfundimus noſtram eſſentiam in illas imagines, ſuntq; cogitationes illæ ſubitæ & euaneſcentes actiones. At Pater æternus ſeſe intuens, gignit cogitationem ſui, quæ eſt imago ipſius, non euaneſcens, ſed ſubſiſtens communicata ipſi eſſentia.

Filius cogitando gignitur.

Hæc igitur imago eſt ſecunda perſona, & conueniunt appellationes. Dicitur λόγος, Quia cogitatione generatur. Dicitur Imago, Quia cogitatio eſt imago rei cogitatæ. Dicitur ſplendor gloriæ, quod Græcè ſignificantius ſcriptum eſt ἀπαύγασμα, id eſt, ab alia luce ſplendor editus. Sic Filius eſt ſplendor à luce paterna editus, ſicut in Symbolo legitur, Lumen de Lumine. Item, Effigies ſubſtantiæ Patris: id eſt, imago non euaneſcens, ſed ſubſiſtens communicata eſſentia, Vt igitur in natura hominum, filium dicimus genitum de ſubſtantia patris, ſimilem patri: Ita ſecunda perſona Filius dicitur, quia de ſubſtantia Patris natus eſt, & eſt eius imago. Proprietas ergo diſcernens Filium à cæteris perſonis, hæc eſt, genitum eſſe, & imaginem eſſe: Et fit illuſtrius diſcrimen cum addimus, hanc ſecundam perſonam aſſumſiſſe certo tempore humanam naturam, in aluo Mariæ. Pater enim non aſſumſit humanam naturam, nec Spiritus ſanctus aſſumſit humanam naturam, ſed Filius eſt Chriſtus, id eſt, promiſſus Redemtor, una perſona duabus naturis mirabiliter unitis, ſcilicet illa æterna Patris imagine ſeu λόγῳ, & natura humana. Nam uerbo Vnionis in hoc articulo communis conſuetudo Eccleſiæ utitur.

Cur uocetur imago & λόγος.

ἀπαύγασμα.

Effigies ſubſtantiæ Patris.

Genitum eſſe & imaginem eſſe ſunt Filij propria.

Mira ſunt hæc, & longè ſupra omnem creaturarum captũ poſita. Sed ſcimus hæc arcana Eccleſiæ patefacta eſſe, ut Deum rectè inuocemus, & cauſas cogitemus huius mirandi beneficij, quòd Deus æternus fœdere ſibi naturam humanam copulauit. Verè igitur eam curat ac diligit, & hunc Filium miſit, ut eſſet Redemtor, & iram aduerſus peccata placaret, ut poſtea ſæpius dicendum eſt.

Spiritus ſancti propriũ eſt procedere à Patre et Filio.

Tertia Perſona Spiritus ſanctus, dicitur procedere à Patre & à Filio. Hæc proprietas huic tertiæ perſonæ tribuitur. Tribuitur & hæc proprietas, ꝙ ſit perſona, quæ mittitur in corda renaſcentium, id eſt, qua Perſona Pater & Filius accendunt nouam lucem, nouos motus Deo placentes, iuſticiam & uitam in cordibus renaſcentium: Et reuera tunc adeſt Spiritus ſanctus in cordibus, cum ea regit, mouet & accendit, ut 1. Corinth. 3. dicitur: Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in uobis. Hæc gubernatio & ſanctificatio uocatur actio

ſpecialis Dei. Vt autem Filius naſcitur cogitatione, Ita Spiritus ſanctus procedit ā uoluntate Patris & Filij: uoluntatis enim eſt agitare, diligere, ſicut & cor humanum non imagines, ſed ſpiritus ſeu halitus gignit.

Spiritus ſanctus procedit à uoluntate Patris & Filij.

TESTIMONIA.

MAtth. ultimo. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Hic nominatim tres perſonas recenſet, & tribuit eis parem potentiam & honorem. Voluit enim Chriſtus in hac prima ceremonia complecti ſummam Euangelij. Quare ſimul & teſtificatur recipi nos ā Deo, & docet quis ſit Deus, quem Deum inuocemus, & quid nobis donet. Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, id eſt, Ego teſtificor te recipi ā Patre æterno, & ā Filio, & ā Spiritu ſancto, ut miſericordia & potentia horum libereris ā peccato & ā morte æterna, & doneris iuſticia & uita æterna. Inuocabis igitur non ut Ethnici aberrantes ā uero Deo, qui ſe patefecit, ſed hunc ſtatues eſſe Deum conditorem rerum, qui ſe hoc uerbo certis teſtimonijs ab initio mundi patefecit, tecum in baptiſmo fœdus facit, affirmat ſe eſſe Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & conſtituiſſe Filium placatorem, & mittere Spiritum ſanctum ad incoandum in te iuſticiam & uitam æternam.

Declaratio uerborum baptiſmi.

Agnoſcis ſummam Euangelij eruditē comprehenſam eſſe in uerbis Baptiſmi, & oſtendi, quis ſit Deus, Ego baptizo te in nomine, id eſt, in inuocatione, item in mandato: Item in agnitionem & inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Inuoco Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ſuper te, teſtificans, te recipi, te exaudiri, &c. Hæc eſt ſententia uerborum baptiſmi.

Cumq; uerba illa profiteantur Patrem eſſe Deum, eſſe omnipotentem, eſſe inuocandum, & ad huius honoris ſocietatem addantur Filius & Spiritus ſanctus, neceſſe eſt parem potentiam eſſe. Cumq; par ſit potentia, ſunt ὁμοούσιοι. Præterea conſtat Patrem & Filium Chriſtum perſonas diſtinctas eſſe: Quare & nomine Spiritus ſancti perſona diſtincta ſignificatur. Nam ſi Spiritus tantum ſignificaret ipſum Patrem agitantem aut mouentem res, bis nominaſſet Patrem, & eſſet otioſa ταυτολογία. In hanc ſententiam & Baſilius prudenter & grauiter ratiocinatur ex hoc dicto Chriſti, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum ὁμοσεβεῖς eſſe. Baptizari nos oportet, ſicut accepimus, credere autem, ſicut baptiſamur, glorificamur autem ſicut credimus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum.

Sed quia paſſim ſparſæ ſunt in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis probationes, quarum aliæ de Filio tantum loquuntur, aliæ de Spiritu ſancto, colligenda erunt primo teſtimonia de Filio. Eſt autem præcipua probatio in primo capite Iohannis, quem quidem ferunt eō ſcripſiſſe Euangelium ſuum, quōd Ebion & deinde Cerinthus ſparſerant Iudaicam opinionem, & detraxerant Chriſto diuinam naturam, ac fixerant eum tantum habere humanam naturam.

Teſtimonia q̄ Filius ſit uerè Deus & Patri ὁμοούσιος.

Priuſquam autem ad Iohannem accedo, ponam duas rationes, ſumtas ex ſcriptura, quæ meo iudicio utiliter & docent & conſolantur pios. Primō neceſſe eſt fateri Chriſtum eſſe natura Filium Dei. Quia Euangelium diſcernit filios adoptionis ā Filio Chriſto. Iohannes enim uocat Chriſtum unigenitum Filium, Iohan. 1. Vidimus gloriam eius tanquam unigeniti ā Patre. Porrō cum haud dubiē ſit natura Filius, neceſſe eſt in eo diuinam naturam eſſe ſubſtantialiter: Quicquid autem eſt extra perſonam Patris, in quo eſt diuina natura, id neceſſe

Chriſtus filius Dei natura.

id necesse est personam esse. Ita Paulus inquit de Christo, In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, id est, qui Christus est persona diuina. q. d. habitare in eo diuinitatem, non tantum ut in Dauide, effectiuē, seperabiliter, Sed ita, ut ipsa Christi ὑπόστασις sit diuina. Nam Græci σῶμα dicunt, ut nos uulgō personam.

Secunda ratio. Vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica magno consensu præcipit Christum adorari & inuocari, ac iubet in eum confidere, ergo tribuit ei potentiam infinitam, quōd ubicq; adsit, corda inspiciat, exaudiat, quōd det iusticiam & uitam æternam: Necesse est igitur in Christo diuinam naturam esse. *Scriptura præcipit Christū adorari.*

Extāt autem clara testimonia de inuocando Christo, & de fiducia in Christum. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Iohan. 3. Qui credit in Filium, habet uitam æternam. Esai. 11. In die illa radix Iessæ stabit in signum populorum, gentes ipsum deprecabuntur. Psal. 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus, & adorabunt eum. Psalm. 72. Et timebunt eum donec erunt Sol & Luna. Item, Deprecabuntur coram ipso semper. Actor. 7. Domine Iesu suscipe spiritum meum. 1. Thess. 3. Ipse Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus, dirigat uiam nostram ad uos. 2. Thess. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratiam, confirmet uos. Genes. 48. Deus Abraham, & Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris illis. *Testimonia adorationis Christi.*

In his & similibus testimonijs dicitur de inuocatione perpetua Christi, etiam cum non uersatur cum hominibus uisibiliter. Quare hæc adoratio non potest intelligi, ut Iudæi cauillantur, de externa significatione honoris, quæ præsenti uelut regi tenenti ciuile imperium exhibetur: Sed concionantur hæ sententiæ de Messia exaudiente, opitulante & seruante Ecclesiam suam ubicq; terrarum, & omnibus temporibus. Hæc propria sunt naturæ omnipotentis. Vtile est igitur hanc doctrinam in Prophetis de inuocatione Messiæ considerare. Et apparet Patres, Prophetas, ac alios pios ueteris Testamenti diuinitatem Messiæ ipsa inuocatione professos esse, & nos dicta illa non solum erudiunt de natura Filij, sed etiam consolantur, & ad inuocationem excitant. *Adoratio tribuit omnipotentiam ei qui inuocatur.*

Semper ergo sit in conspectu hæc ratio, cum de inuocatione Christi toties præcipiatur. Fatendum est in Christo esse naturam diuinam. Quia inuocatio absentis, qui non conspicitur uisibiliter, tribuit omnipotentiam. Sentit enim illum uidere motus cordium omnium hominum ubicq; terrarum. Hic & Ecclesiæ exemplum meminerimus, quæ sæpē repetit precationem χριστὲ ἐλέησον. Hæc precatio est professio diuinitatis Christi. *Precatio Ecclesiæ.*

Nunc ad Iohannem accedo, qui descripturus naturas in Christo, orditur à diuina. In principio erat λόγος. Sic uocat Filium Dei, qui postea assumsit humanam naturam, ut ubi inquit, Et Verbum Caro factum est. Primum autem de illa natura loquens, quæ fuit ante incarnationem, affirmat λόγον esse æternum. Quia inquit fuisse ante creationem, & ait, Omnia per illum facta esse. *λόγος apud Ioh: nomen filij Dei.*

Et hunc λόγον nominat Deum, inquiens, Et Verbū erat Deus. Nam Græcus arti-

Nomen Dei in concione Ioh: περὶ λόγου, nomen essentiæ.

cus articulus testatur, λόγον collocandum esse loco subiecti, & Deum loco prædicati. Nec ambiguitas est hic in appellatione Dei. Narratio enim instituta est ad descriptionem de essentia diuina. Ideò intelligatur nomen Dei non de officijs diuinis, quæ gerunt homines, ut alibi dicitur, Ego dixi Dij estis, sed propriissimè de æterna, omnipotente, intelligente, bona essentia, conditrice, sicut & postea Iohannes affirmat, Omnia per hunc λόγον esse condita: dicit ergo λόγον esse æternum Deum & conditorem.

Refutatio Samosateni, Photini & Serueti.

Hoc testimonium firmum esse, bonæ mentes intelligunt, quæ acquiescunt in uoce Euangelij, & non accersunt cauillationes & corruptelas Euangelij. Sed astuti quidam & impij, ut Samosatenus, & postea Photinus, & recens Seruetus, scelerate eludere & corrumpere ausi sunt dictum Iohannis, ac contenderunt λόγον non significare personam, sed sicut in homine cogitatione hominis aut sermonem non dicimus esse personam, sed qualitatem aut motum transeuntem: Ita uoluerunt in Iohanne intelligi λόγον non esse personam, sed cogitationem seu propositum Patris, quod sit ipse Pater, sicut dicimus, mentem aut bonitatem Patris esse ipsum Patrem.

Deniq; narrationem Iohannis accommodabant ad exemplum hominis architecti: ut in architecto est Idea futuri operis, quæ non est persona, sed propositum & cogitatio in architecti mente: sic in conditore Deo dixerunt fuisse Ideam & propositum, quòd se patefacere uoluerit per conditionem mundi, & per Doctorem excellentem Christum, traditurum doctrinam salutis, & edidurum testimonia de Deo: Hanc cogitationem seu propositum dixerunt fuisse ipsum Patrem, et de hac cogitatione aiunt in Genesi scriptum esse, Dixit Deus, id est, Decreuit, proposuit. Et in Iohanne, Omnia per ipsum facta sunt, id est, Omnia condita sunt per hanc architecti cogitationem, seu per sermonem iubentem ut res fieret.

Quòd uerò Iohannes inquit, Verbum Caro factum est, sic corruperunt, tandem iuxta id propositum natum esse ex uirgine Christum, atq; ita Iohannem exorsum esse inquiunt, ut moneret Euangelium non esse inuentum humanum, sed æternum Dei propositum fuisse, mittere hunc doctorem Christum, & per eum edere testimonia doctrinæ.

Quòd λόγος significet personam apud Iohannem.

Hæc Sycophantica corruptela, quia alludit ad humanum exemplũ, propter concinnitatem impijs ingenijs blanditur, & sæpè magnas ruinas traxit: Ideò firma testimonia colligenda sunt, quæ ostendunt oportere hic λόγον intelligi personam: Estq; præcipua in narratione Iohannis controuersia, an λόγος hic significet personam, sicut Ecclesia Dei catholica semper sensit & defendit. Nam & tunc cũ Samosatenus tumultuaretur, conuenerunt senes Episcopi Antiochiam ex uicinis regionibus, qui discipulos Apostolorum audierant, & Samosatenum refutarunt, ac damnatum eiecerunt ex Ecclesia.

Gregorius Neocæsariensis.

Ad eam cognitionem profectus Gregorius Neocæsariensis Episcopus senex, cuius doctrinam Ecclesia eius temporis purissimam esse iudicauit, reliquit scriptam confessionem multò ante Nicenam Synodum. Hæc confessio extat lib. 7. Euseb. pag. 173.

Vnus Deus Pater uerbi uiuentis, sapientiæ subsistentis, & imaginis suæ integer integræ genitor, Pater filij unigeniti, Vnus Dominus solus ex solo, imago Patris, uerbum efficax, filius sempiternus ex sempiterno, Vnus Spiritus sanctus,

ſanctus, ex Deo ſubſtantiam habens, qui per Filium apparuit, ſanctificans, per quem Deus ſuper omnia, & in omnibus cognoſcitur.

Hanc confeſſionem non ſolum eò recitaui, quia illuſtre teſtimonium continet ueteris & purioris Eccleſiæ, ſed etiam quia diſertè tradit diſcrimina perſonarum: Filium ait eſſe imaginem: Spiritum ſanctum ait eſſe ſanctificatorem, per quem Deus cognoſcitur, id eſt, incoantem nouam lucem in cordibus, ut 2. Corinth. 3. dicitur: Transformamur in eandem imaginem, tanquam à Domini ſpiritu.

Quod autem in narratione Iohannis λόγος ſignificet perſonam, Primum ex illa ipſa narratione oſtenditur, quia poſtea dicit Iohannes de Chriſto, In mũdo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Conſtat autem mundum non eſſe conditum per humanam naturam Chriſti: ergo neceſſe eſt in Chriſto nato ex uirgine, & eſſe & manere alteram naturam, conditricem cum Patre. *Teſtimonia oſtendentia q. λόγος ſignificet perſonã.*

Sic & alibi ſimilia dicta oſtendunt in Chriſto duas eſſe naturas. Coloſſ. 1. Omnia per ipſum & in ipſum condita ſunt, & ipſe eſt ante omnia, omnia conſiſtunt per ipſum. Et Hebr. 1. Per Filium, quem poſuit hæredem omnium, per quem & ſecula fecit: qui eſt fulgor claritatis, & effigies ſubſtantiæ eius, ferens omnia uerbo potentiæ ſuæ. Hæc dicta manifeſtè teſtantur, eſſe & manere in Chriſto diuinam naturam conditricem cum Patre. Quare λόγος non ſignificat propoſitum ſeu cogitationem extra Chriſtum, nec ſignificat uocem tranſeuntem, ſed naturam manentem in Chriſto, conditricem cum Patre. Eſt igitur λόγος perſona.

Sic & in Epiſtola Iohannis dicitur, Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus, quod manus noſtræ contrectarunt, uerbum uitæ, id annunciamus. Hic quoq; teſtatur, in ipſo Chriſto nato ex uirgine, eſſe & manere uerbũ illud, quod initiõ fuit. Idem oſtendunt infrã plura teſtimonia, quę de diuina natura in Chriſto loquuntur, ut, Priuſquam Abraham natus eſt, Ego ſum.

Piæ mentes quæ ſciunt, de Deo, ſicut ſe patefecit, ſentiendum eſſe, cum uideant hæc teſtimonia Euangelij perſpicua eſſe, agnoſcunt hanc ſententiam conſtantiſſimè amplectendam eſſe, quõd in Chriſto ſit natura diuina, et quòd λόγος in hac narratione perſonam ſignificet, & intuentes in hæc teſtimonia, Filium Dei inuocant.

Nunc & ueterum ſcriptorum dicta quæramus, qui fuerunt ante Nicenam Synodum, de quibus Seruetus perfidioſè fucum facit lectoribus, citat mutilata dicta ex Irenęo & Tertulliano, quaſi uelint λόγον non eſſe perſonam ſeu ὑπόσασιν, antequam Chriſtus naſcitur ex uirgine, ſed manifeſtam iniuriam utriq; facit. *Teſtimonia ueterum ante Synodum Nicenam.*

Nam Tertullianus aduerſus Praxeam expreſsè mouet hanc quæſtionem, an λόγος ſit natura ſubſiſtens, ſeu (ut nunc dicimus) perſona, & reſpõdet affirmans eſſe perſonam ſeu ὑπόσασιν, & hanc ſententiam longa oratione exponit, in qua hæc ſunt uerba: Quæcunq; ergo ſubſtantia ſermonis fuit, illam dico perſonam, & illi nomen Filij uendico, & eum Filium agnoſco, & ſecundum à Patre defendo. *Tertullianus.*

Irenæus etiam apertè affirmat, λόγον fuiſſe perſonam, antequam aſſumſit humanam naturam. Sic enim inquit cap. 2. lib. 3. Oſtenſo manifeſtè q; in principio λόγος exiſtens apud Deum, per quem omnia facta ſunt, qui & ſemper aderat humano generi, hunc nouiſſimis temporibus ſecundum prędefinitum tempus à Patre, unitum ſuo plaſmati, paſsibilem hominem factum miſit. *Irenæus.*

Affirmat

Origenes.

Affirmat & Origenes περὶ ἀρχῶν diſertè λόγον perſonam eſſe: Nemo putet, inquit, nos ἀνυπόστατον quiddam dicere cum Dei ſapientiam nominamus. Et poſtea, Si ergo ſemel rectè receptum eſt unigenitum filium Dei, ſapientiam eius eſſe ſubſtantialiter ſubſiſtentem. Idem poſtea affirmat cum diſputat de incarnatione: Sed illuſtriora ſunt teſtimonia & firmiora Gregorij Neocæſarienſis, et Irenæi, quæ ſuprà citaui.

Verbum Caro factum eſt. Ergo Pater et Filius non ſunt una perſona.

Redeo autem ad Iohannem, qui cum inquit, Verbum caro factum eſt, primum teſtatur Patrem & Verbum non eſſe eandem perſonam: Pater enim non induit humanam naturam, Nam diſcernit ſe à Filio, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus. Deinde cum dicitur, Verbum fit caro, perſonam intelligi neceſſe eſt. Nam ut ſuprà oſtendi, in Chriſto nato ex uirgine, manet natura diuina conditrix. Eſt igitur λόγος perſona. Item, ſi λόγος tantum eſſet cogitatio, quæ eſt ipſe Pater, hæc cogitatio non fieret caro. Nam Pater non fit caro, nec de uoce tranſeunte dici poteſt quod fiat Caro, præterijt enim & euaneſcit: At λόγος manet in Chriſto nato ex uirgine.

In Chriſto nato ex Virgine ſunt duæ naturæ, ſed perſona eſt una.

Sunt igitur in Chriſto, nato ex uirgine Maria, duæ naturæ, λόγος, & humana natura ſic unitæ, ut Chriſtus ſit una perſona. Eſt enim uſa Eccleſia hoc uocabulo Vniendi, cuius ſermonem nos quoq; ſequimur. Quòd enim ueteres interdum uſi ſunt uocabulo Permiſcendi, id prudenter intelligendum eſt, ne confuſio naturarum cogitetur. Origenes, etſi ſimilitudinem huius coniunctionis propriam afferri poſſe negat, tamen comparat eam ferro ignito. Sicut ignis penetrat ferrum, & undiq; ei miſcetur. Sic λόγος aſſumens humanam naturam, lucet in ea tota, & natura humana, uelut accenſa lumine, λόγῳ unita eſt.

Origenis ſimilitudo de Vnione naturarũ in Chriſto.

Refutatio Arij negãtis perſonam Chriſtum eſſe naturam Deum.

Satis clarè refutauimus, Samoſateni, Photini, & Serueti furorem, cum conſtituimus oportere λόγον perſonam intelligi. Deinde facilis eſt Arij refutatio, qui concedit λόγον ſignificari perſonam apud Iohannem, at poſtea pugnat, hanc perſonam non eſſe natura Deum. Sed Iohãnes firmiſſimè refutat Arium, cum affirmet expreſsè λόγον eſſe Deum, & ne in uocabulo Dei ſit ambiguitas, attribuit λόγῳ, quòd per eam perſonam omnia condita ſint. Ergo cum ſit perſona conditrix, & omnipotens, uerè Deus eſt natura, non tantum nuncupatione.

Adiuuatur autem utraq; refutatio, Samoſateni, & Arij, ſequentibus teſtimonijs, quæ oſtendunt in Chriſto nato ex uirgine, duas eſſe & manere naturas, diuinam conditricem rerum, & humanam.

Teſtimonia quòd in Chriſto ſint duæ naturæ ex Nouo Teſtamento.

Iohan. 20. Thomas uocat Chriſtum apertè Deum, inquiens, Dominus meus, & Deus meus, quòd uſitata Hebraica phraſi dictum eſt, qua iungitur nomen Dei proprium, diſcernens inuocationem ueram ab Ethnica, ut Pſalm. 19. Nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. Mira igitur & noua lux fuit in Thoma tribuente Chriſto ueri Dei nomen, & agnoſcente in eo non tantum humanam naturam eſſe, ſed etiam diuinam.

Rom. 9. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus, benedictus in ſecula. Et ne quis cauilletur nomen Dei, hic metaphoricè uſurpari, addantur teſtimonia, quæ tribuunt Chriſto ea quæ ſunt propria naturæ diuinæ, ſcilicet creare, uitam reddere mortuis, ſanctificare, exaudire, dare uitam æternam, & ſimilia. Iohan. 5. Pater meus uſq; modò operatur, & ego operor. Quæ ille facit, & Filius ſimiliter facit. Item, Sic Pater exuſcitat mortuos, & uiuificat, ſic & Filius, quos uult, uiuificat. In hac concione clarè affirmat Chriſtus, ſe unà cum Patre creare, ſuſtentare creaturam, ſeruare Eccleſiam, reddere uitam

re uitam mortuis,quæ ſine ulla dubitatione ſunt omnipotentis naturæ propria.

Iohan:10. Ego uitam æternam do eis, & nemo rapiet eas ex manu mea. Iohan:14. Quicquid petieritis in nomine meo,hoc faciam. Hic apertè teſtatur ſe & exaudire,& facere ea quæ petimus, quorum utrunq; proprium eſt diuinæ & immenſæ naturæ. Iohan:15. Sine me nihil poteſtis facere. Hæc ſententia teſtatur Chriſtum adeſſe, protegere,iuuare, gubernare inuocantes, quæ ſunt Dei propria. Matth:18. Vbicunq; ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Adeſſe ubiq;,exaudire & opitulari ubiq;,propria ſunt diuinæ naturæ. Iohan:20. Chriſtus dat Spiritum ſanctum, q̃ etiam ſolius diuinæ naturæ proprium eſt. Iohan:10. Ego ponam animam meam, & rurſus ſumam eam. Iohan. 6. Ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Item, Si uideritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius.

Iohan: 8. Priuſquam Abraham natus eſt ego ſum: Hic teſtatur ſe fuiſſe, antequam aſſumeret humanam naturam. Iohan: 17. Glorifica me Pater apud te ea gloria,quam habui apud te antequam eſſet mundus. Coloſſ:1. Omnia per ipſum & in ipſum condita ſunt,& omnia per eum conſiſtunt. Eſt ergo in Chriſto natura diuina, conditrix rerum. Ideō poſtea cap:2.dicitur, In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,quaſi dicat,in alijs habitat Deus Spiritu ſuo, nouam lucem, & nouos motus accendens, ſed in Chriſto habitat non ſolum Spiritu, ſed etiam ut perſonali unione humana natura diuinæ unita ſit. Nam ut nos dicimus nunc uſitatè perſonas, ita ueteres Græci dixerunt σώματα, Ad Hebr:1. Quem poſuit hæredem omnium, per quem & ſecula fecit, qui eſt fulgor gloriæ,& effigies ſubſtantiæ eius,ſuſtentans omnia,&c. Act:7. Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Hæc petitio tribuit Chriſto, quōd morientium animas cuſtodiat,& rurſus coniungat animas & corpora. 1. Theſſ:3. Ipſe Deus & Pater noſter, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus dirigat uiam noſtram. 2. Theſſ:2. Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus,& Deus,& Pater noſter confirmet uos.

EX VETERI TESTAMENTO.

Teſtimonia de duabus naturis in Chriſto ex ueteri Teſtamento.

Ierem:33. Eſt hoc eſt nomen quod uocabunt eum Dominus, iuſtificator noſter. Hic tribuit Chriſto nomen Dei proprium, & affirmat eſſe iuſtificatorem,ergo tribuit ei gloriam,quæ ſoli Deo competit. Item iuſtificare,tollere peccatum, & iram Dei, & reddere iuſticiam, & uitam æternam, nemo poteſt, niſi Deus. Etſi autem Iudæi hoc teſtimonium ueteratoriè eludunt, tamen facilis eſt eorum refutatio: Clarè dicit Propheta, ipſum Meſſiam uocandum, id eſt, inuocandum eſſe hac fide, quōd ipſe ſit Deus iuſtificator noſter. Appellatio ad hanc ipſam Perſonam Meſsiæ pertinet. Eſai:7. Vocabitur nomen eius Emanuel,id eſt,nobiſcum Deus,ſed firmius eſt quod ſequitur cap:9. Vocabitur nomen eius admirabilis,conſiliarius,Deus fortis,Pater uitæ perpetuæ. Hic quoq; Iudæi cauillantur uocabulum EL, ſed certum eſt hac uoce ſignificari Deum. Et præſtigias eorum refutat ipſe textus qui ſequitur, Pater uitæ perpetuæ. Cum Chriſtus ſit autor & donator uitæ perpetuæ poſt hanc uitam,Sicut inquit,Ego uitam æternam do eis,neceſſe eſt eum natura Deum eſſe. Mich:5. Egreſſus eius ab initio ante dies mundi. Hoc teſtimonium quanquam breue eſt,tamen affirmat Meſſiam fuiſſe ante conditionem mundi. Eſt igitur æternus, ac Deus. Ideoq; Patres eum ab initio norunt,& ſciuerunt eum adeſſe Eccleſiæ,ſicut oſten-

dit dictum Iacob suprã citatum, & Daniel cum eo colloquitur, & perterrefactus confirmatur, & noua luce & uita ab eo perfunditur. Et 1. Corint: 10. dicitur affuisse populo in deserto, Bibebant ex spirituali comitante eos Petra, Petra autem erat Christus. Psalm: 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus. Hic proprium Dei nomen tribuit regi Messiæ. Estq; dulcis promissio. Etsi Ecclesia in hac uita deformatur ingentibus ærumnis, & adhuc est imbecillis, tamen rex Messias eam amat, & formosam esse pronunciat. Hac promissione piæ mentes luctantes cum imbecillitate sua se sustentent.

Psalm: 72. dicit Messiam sempiternum esse, & semper adorandum. Fuit nomen eius semper, ante Solem manebit nomen eius, & benedicentur in eo omnes gentes. Item, Timebunt eum donec erit Sol & Luna. Adoratio tribuit diuinitatem. Certum est enim dici de perpetua adoratione, qua inuocatur Messias etiam non conspectus oculis, nec dicitur tantum de gestu, quo præsentibus regibus honos tribuitur. Describitur ibidem & æternitas, Ante Solem erat nomen eius, id est, antequam Sol conditus est, erat hic Filius. Nam Hebraicus Psalmus hic insigni uerbo usus est, significans haud dubiẽ natum esse filium ante conditionem Solis.

Psalm. 110. Dixit Dominus Domino meo. Inde Christus argumentatur, se non tantum esse filium Dauidis, sed Dominum quoq;. Iam in eodem regno politico & eadem natura Filius seu successor nunquam est dominus Patris, aut aui regis, ut Augustus, nequaquam est dominus Iulij Cæsaris. Quare Messiæ regnum erit non politia peritura, sed æterna uita, & iustitia æterna, & in Christo erit diuina natura, reddens uitam æternam. Sicut & reliqua membra Psalmi docent, quæ omnia complectenda sunt. Tu es Sacerdos in æternum. Ait esse perpetuum sacerdotem, ducentem nos ad Patrem, & dantem uitam æternam. Sede à dextris meis, id est, regnato pari potentia cum æterno Patre. Cum autem potentia sit infinita, necesse est in Christo diuinam naturam esse.

Psalm. 2. Ego hodie genui te. Hoc de solo Christo dicitur. Sicut à Iohanne Christus uocatur unigenitus Dei filius, id est, non adoptione, sed natura Filius. Est autem natura filius is, in quem substantia patris propagata est.

Christus mortuus est, quomodo debeat intelligi.

Quod si obijcitur, Naturam diuinam non pati, non mori, Christum autem mortuum esse, usitata, uera & necessaria responsio est. Cum in Christo duæ naturæ sint, quædam propria uni naturæ, non impediunt quo minus adsit altera natura. Propria autem sunt hæc humanæ naturæ, lacerari membra, pati, mori. Ideò Petrus disertè dixit, Christum passum esse carne. Et Irenæus eruditè & piè inquit, pag: 185. Christum crucifixum & mortuum esse requiescente uerbo, ut crucifigi & mori posset, id est, natura diuina non est quidem lacerata aut mortua, sed fuit obediens Patri, quieuit, cessit iræ æterni Patris aduersus peccatum generis humani, nõ est usa sua potentia, non exeruit suas uires. Si expendes dictum Irenæi, intelliges piè declarari naturarum discrimina, & simul illustrari magnitudinem iræ Dei aduersus peccatum, effusæ in Christum, & admirandam humilitatem Filij quiescentis & obedientis Patri, nec exerentis suam potentiam.

ἡσυχάζοντος μὲν τῆ λόγῳ τῷ θεῷ πάθεσι θεὸς ὢν σαρκὶ ἠδυνήσκειν. συγχινομένου δὲ τῷ θεῷ ἀνθρώπῳ τῷ θεῷ υἱκῶς καὶ ὑπομένοντος θεοῦ σεσεσθαι καὶ ἀνίσασθαι καὶ ἀναλαμβάνεσθαι.

Conuenit autem hoc dictum ad illud Philip: 2. Qui cum esset in forma Dei, id est, sapientia & potentia æqualis Patri, non rapuit æqualitatem Dei, id est, cum missus esset ut obediret Deo in passione, non fecit contra uocationem,

non est

non est usus sua potentia contra suam uocationem, sed seipsum exinaniuit, id est, non exeruit potentiam suam, & humiliauit se, formam serui accipiens, id est, induens cum humana natura mortalitatem, habitu inuentus ut homo, id est, affectibus, pauore, tristicia, dolore. Teneatur ergo discrimen naturarum, sed simul illud sciatur, propter unionẽ personalem ueras esse has propositiones, Deus est passus, crucifixus, mortuus, non cogites humanam naturam solam esse redemtricem, & non totum Filium Dei, Nam etsi natura diuina non laceratur, non moritur, tamen scias uerẽ hunc ipsum Filium coæternum Patri redemtorem esse. Ideõ traduntur regulæ in hac doctrina de communicatione idiomatum, id est, de prædicatione proprietatum, quæ de utraq; natura communiter, sed in concreto dicuntur, uidelicet, ut intelligantur proprietates personę tribui.

Tenẽda et discrimina naturarũ in Christo, & Regulæ de communicatione Idiomatum.

Regula Theodoreti, ὅταν τοὺς περὶ τοῦ προσώπου προιώμεθα λόγους κοινὰ χρὴ ποιεῖν τὰ τῆς φύσεως ἴδια καὶ ταῦτα κἀκεῖνα περὶ σωτῆρι προσαρμόττειν χρὴ σῷ.

Diligentia digna est pijs, propter concordiam loqui cum Ecclesia, & non sine eruditis causis. Ecclesia uetus alios modos comprobauit, alios reiecit. Fugiamus autem studium cauillandi, & formas receptas graui & uera autoritate retineamus. Hæc propositio non est uera, Natura diuina est humana. Sed hæc est uera, Deus est homo, Verbum est homo, Christus est homo, Christus est Deus, Deus est natus ex uirgine, passus: Quia hæc persona, in qua unione personali unita est humanæ naturæ diuina, nascitur, crucifigitur. Hanc loquendi formam in concreto uocant, communicationem idiomatum, id est, prædicationem, in qua proprietates naturarum personæ rectè attribuuntur, ut Filius Dei sit redemtor, non tantum natura humana sit redemtrix. Item ueræ & receptæ sunt hæ propositiones: Verbum factum est caro, Verbum factum est homo. Deus incœpit esse homo. Econtrà uerò reiectæ sunt hæ propositiones: Verbum est creatura, Christus est creatura, Christus incœpit esse, Christus factus est. Prudenter enim uitata est ambiguitas, & uitatæ sunt insidiæ. Nam Ariani sic loquentes, non de humana natura Christi assumta loquebantur, sed alteram naturam in Christo priorem humana contendebant ex nihilo conditam esse, non esse imaginem æterni Patris, genitam de substantia eius, ὁμοούσιον & coæternam Patri.

Quæ propositiões receptæ, quæ reiectæ sint ab Ecclesia.

Verbum est homo, recepta est, quia intelligitur Verbum assumsisse humanam naturam. Verbum est creatura, reiecta est, quia non intelligitur assumtio alterius naturę, sed prędicatum significat λόγον esse creatum, quod falsum est. Hæc recensui, ut moneam studiosos, ut in loquendo diligentiam adhibeant, dignam pijs mentibus, ac orthodoxæ Ecclesiæ sermonem imitentur.

Est & illa responsio tenenda: Quædam dicta de essentia loquuntur, quædam de officijs. Ariani citabant hoc dictum: Pater maior me est. Quod manifestè loquitur de discrimine mittentis & missi, non de essentia. Cum enim Iudæi accusarent Christum, quòd doceret contra autoritatem Dei, necesse fuit Christo allegare autoritatem Patris, à quo affirmat se missum esse, & traditam sibi doctrinam & mandatum docendi, ac Patrem maiorem esse dicit, tanquam mittentem, fontem doctrinę, approbatorem & defensorem huius doctrinæ & Ecclesiæ suæ. Filius missus hic subit crucem, & Ecclesia plena est infirmitis, sed de Patre clamat Christus: Pater maior me est, is mecum operatur, defendet hanc doctrinam & Ecclesiam suam.

Quædã dicta de essentia Filij, quædam de officijs loquũtur.

Ita alibi dicitur: Pater glorifica me. Hoc dictum tam poterat citari ab Arianis, quàm alterum, sed facit discrimen officiorum, non loquitur de essentia: Nunc missus subiectus sum cruci, & seruio meæ uocationi: Deinde uerõ

gloriam mihi restitue, quam ante mundi constitutionem apud te habui. At hoc dictum de essentia loquitur Iohan: 1. Verbum erat Deus.

Quædam dicta de regnante Christo, quædam de humiliato & patiente loquũtur.

Sæpẽ locum habet & hęc responsio, quam certẽ in Prophetis animaduerti necesse est. Alia dicta loquuntur de regnante Christo, ut: Quæ Pater facit, hæc & Filius similiter facit. Alia dicta de humiliato & patiente Christo loquũtur, ut, Deus quare dereliquisti me? Non dicitur de essentia, sed illius temporis obedientia describitur, in qua iram Dei aduersus humani generis peccata in filium effudit. Et regula tenenda est, Filium Dei assumsisse humanam naturam,

Christus assumsit naturã humanam integram.

integram, incorruptam, habentem omnes uires & appetitiones naturæ proprias & ordinatas. Item, non uicioſam, sed tamen passibilem, sine peccato, & mortalem. Quas infirmitates assumsit uolens, propter nos, ut fieret uictima. Sic ad Hebr: 4. dicitur: Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia, secundum similitudinem sine peccato.

Christus habuit omnes uires & appetitiones, sed ordinatas & sine uicio.

Etsi igitur Christus uidebat Patrem, & erat beatus, tamen humana natura habuit suas appetitiones, sed ordinatas. Et hæc sæpẽ recitantur: Esurit, sitit, lætatur, irascitur, dolet, lacrimat, conflictatur ingenti mœsticia, sicut ipse inquit, Tristis est anima mea usq; ad mortem. Et quia motus cordis in mœsticia pellit, ut omnes experimur, tantus in Christo motus est, ut sanguis expellatur, ac sudor esset similis guttis spissi & concreti sanguinis: Nam id significant θρόμβοι. Talem resolutionem nemo alius sustinere potuisset. Hi affectus in Christo non fuerunt simulati, sed ueri & ingentes motus.

Nec cogitemus Christum fuisse lapidem, aut Stoicum, sed uerè lætatus est, uerè conflictatus mœrore, & illa ingens mœsticia in agone, multas causas habuit, non tantum formidat laceratione corporis, sed sentit maius onus, scilicet, iram Dei aduersus peccata generis humani, quam scit in se effundi, perinde ac si ipse sese omnibus horrendis sceleribus polluisset. Doluit item magnam partem generis humani perituram esse spreto hoc beneficio Dei. Isti ingentes dolores à nobis nec intelligi, nec sustineri possunt. Sed tamen Ecclesiam aliquid de his tantis rebus cogitare necesse est, quæ ideò onerata est cruce, ut agnoscat magnum quiddam esse iram Dei aduersus peccata.

Cum igitur præcipua ira effusa sit in Filium, mœsticiam fuisse ingentem necesse est, qua doluit Deum offensum esse à genere humano, & luctatus est cum tentatione de abiectione: Ideò & Angelus mittitur ad eum confirmandum. Hæc cogitanda sunt, ut aliquo modo magnitudinem peccati inde æstimemus, & Christo gratias agamus, quòd pœnam pro nobis subijt, & simul pro nobis factis est deprecator, Et hac cogitatione fidem, inuocationem & timorem excitemus.

Responsio de quæstione, An fuga mortis in Christo fuerit uicioſa.

Quòd uerò disputant, an fuga mortis in Christo fuerit, cum pars inferior non obtemperauerit superiori. Primò respondeo, lacerationes in carne naturaliter efficere dolores, etiam sine peccato: Item aliquas mœsticias in corde & uoluntate naturales esse, quæ in Christo sine uicio fuerunt, doluit, sed non ut nos, inordinatè.

Deinde supra illum naturalem dolorem est in Christo sensus iræ Dei aduersus peccatum generis humani, agnoscit & dolet Deum uerè & horribiliter offensum esse propter peccata generis humani, & luctatur cum tentatione de abiectione. Quanquam igitur in hac lucta est quædam trepidatio, quia uniuersaliter

saliter natura supra uires onerata gemit,tamen dissimilis est hæc trepidatio,seu hic gemitus in Christo, & in cæteris hominibus. Christus fert terrores sine indignatione aduersus Patrem,& agnoscit esse obediendum Patri: Ideō hæc trepidatio est sine peccato, & non est uiciosa: At in cæteris hominibus cum fuga existit fremitus aduersus iudicium Dei,& in his qui non eluctantur confugientes ad uictoriam Christi,accedunt horrendæ blasphemiæ. Nec addam longiorem disputationem: Nam pios suæ ærumnę ad harum rerum cogitationem deducent.Nos tamen commonefieri utile est,& collatio similium agonum in Psalmis & Prophetis hæc aliquo modo declarat.

Explicatio cōtrarietatis de excellenti lætitia & summa consternatione.

Quòd uerò de pugnantia dicunt, beatum, cum sit in excellenti lætitia, non simul esse in magna consternatione. Respondendum est, fuisse certum tempus passionis, quo non ita fulsit illa gloria beatitudinis, ut alio tempore. Fuit enim tempus destinatum ad hunc agonem, in quo Christus uerē fieret uictima,requiescente uerbo,ut inquit Irenæus. Hac temporum distinctione contenti simus. Alij quærunt alias responsiones, de quibus iudicium relinquo lectoribus.

DE SPIRITV SANCTO.

De uocabulo Spiritus.

NOmen Spiritus in genere significat agitationem aut naturam, seu uim agitantem: & obseruanda est uarietas in ipsis scriptis Propheticis & Apostolicis, nec temerè omnia dicta miscenda sunt,in quibus reperitur uocabulum Spiritus.Sæpē significat uentos, sæpē uitam hominis, sæpē motus seu impetus hominum creatos,tum bonos,tum malos,Hic significat essentiam spiritualem, id est,uiuam,intelligentem,incorpoream,efficacem. Deus est Spiritus. Estq; hoc loco nomen commune Patri & alijs personis. Delectus igitur adhibendus est in testimonijs colligendis,ac prudenter iudicandum, ubi propriè loquatur scriptura de Spiritu sancto,quem prędicat Euangelium dari per Christum, ut sanctificet ac uiuificet corda nostra, & quem Ecclesia agnoscit personam esse diuinam,uiuificantem & sanctificantem.

Testimonia q̄ Spiritus sanctus sit persona & non agitatio creata.

Idq; confirmandum est,Spiritum sanctum esse personam.Nam multi impij, & audaces homines in dissidijs Ecclesiasticis contenderunt, Spiritum sanctum non esse personam, sed tantum significare agitationem creatam in hominibus, aut certè significare ipsum Patrem potentem seu agitantem sine alia persona.

Sed huic impio sophismati,Ecclesia uera opponit testimonia in scripturis tradita, quorum primum & maximè illustre est reuelatio diuinitatis, facta in baptismo Christi,ubi clarè discernuntur tres personæ. Pater inquit, Hic est Filius meus dilectus: Est igitur alia persona Patris, alij Filij: Descendit autem Spiritus sanctus in specie columbæ. Iam si Spiritns sanctus esset agitatio in animis creata, non appareret peculiari specie corporali, aut si esset ipse Pater, non discerneret Spiritum sanctum, inquit autem: Super quem uideris Spiritum sanctum.

Sic & in Pentecoste apparet Spiritus sanctus peculiari specie corporali. Hæ patefactiones non sunt frustra factæ,imò sunt excellentia beneficia Dei, in quibus Deus se patefecit Ecclesiæ,& testificatus est Spiritum sanctum esse personam.

Ad hæc testimonia adiungatur dictum de Baptismo, Ego baptizo te in

nomine Patris, & Filij,& Spiritus ſancti,id eſt, teſtificor te recipi à Deo, quem ſuper te inuoco,Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Cum autem ad Spiritum ſanctū dirigatur inuocatio, ſicut ad Patrem & Filium, neceſſe eſt eum perſonam eſſe, & non motum ſeu agitationem creatam in homine. Nequaquam enim docet Chriſtus inuocare motū,aut agitationem creatam in homine. Cum igitur inuocatio pariter ad Spiritum ſanctum, ut ad Patrem & Filium dirigatur, hæc ſententia docet, non ſolum perſonam eſſe Spiritum ſanctum, ſed etiam omnipotentem,exaudientem & ſaluantem. Hæc enim omnia complectitur inuocatio,quæ parem honorem tribuit Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Eſt igitur tertia perſona Spiritus ſanctus,ac diſcernitur ā Patre & Filio, ut ſuprā dixi, quia procedit à Patre & Filio,& mittitur in corda,quæ uoce Euangelij regenerantur, ut noua luce agnoſcant & inuocent Deum, & in coëtur in eis uita æterna,dum fide conſolationem concipiunt.

Inuocatio communis Spiritui ſancto cū Patre et Filio.

Spiritus ſanctus tertia perſona diuinitatis.

Iohan: 14. Rogabo Patrem & alium Paracletum dabit uobis. Cum ait, alium,diſcernit à Patre & Filio hunc Paracletum. Non igitur ſignificat Spiritus ipſum Patrem agitantem. Non enim eſſet alius: Nec ſignificat agitationem creatam, Non enim mitteretur à Filio, ſi eſſet Pater agitans, aut tantum agitatio creata à Patre. At Chriſtus inquit Iohan: 15. Cum uenerit Paracletus, quem ego mittam uobis ā Patre,Spiritum ueritatis,qui à Patre procedit: A ſe, inquit, mitti Spiritum ſanctum. Non eſt igitur, aut Pater agitans,aut tantum agitatio creata à Patre.

Sunt & hæc perſonæ propria. Alius Paracletus,qui docebit uos,& quæ audiet loquetur. Si Spiritus ſignificaret agitationem creatam, eſſet doctrina, non doctor alius à Patre & Filio,audiens & accipiens.

Sic & Paulus 1.Corinth:12,clarè diſcernit Spiritum ſanctum à donis creatis,autorem ab effectibus.Omnia inquiens,hæc efficit unus & idem Spiritus.

Eodem modo loquitur Rom: 7. Ipſe Spiritus dat teſtimonium ſpiritui noſtro.Diſcernit hic quoq; mouentem et conſolantem Spiritum ſanctum à conſolatione,qua cor erigitur & uiuificatur.

Eodem modo loquitur 2.Corinth:3. Transformamur tanquam à Domini Spiritu: Vbi etiam effectorem diſcernit à creata in nobis luce, ut ibi inquit, id eſt,à clara & firma noticia,id eſt, firma fide & inuocatione.

Eodem loco expreſsè dicit: Spiritum eſſe Dominum,id eſt,Deum:Nam cum inquit,Dominus eſt Spiritus,articulus tribuit nomini Spiritus, locum & intellectum ſubiecti.Et ſic Baſilius eum locum citat.

Quòd autem Spiritus ſanctus fuerit, anteq; carnem induit Filius Dei, perſpicuè teſtatur Petrus,cum inquit de Prophetis:Spiritus Chriſti in eis,prædicens Chriſtum paſſurum eſſe.Hic diſertè uocatur Chriſti Spiritus,qui fuit in Prophetis.Eodem igitur Spiritu ſancto,& Patres & Apoſtoli, & pij deinceps, hoc eſt,omnes electi omnibus temporibus ſanctificati ſunt.

Spiritus ſanctus fuit antequam Chriſtus induit humanam naturam.

Idq; multō illuſtrius docent uerba Eſai. 59.Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui eſt in te, & uerba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore ſeminis tui, dicit Dominus, deinceps & in ſempiternum. Eundem Spiritum ait eſſe in Eſaia,& in tota Eccleſia ad omnem æternitatem.Non igitur tantum pōſt reſurrectionem Chriſti effuſus eſt in pectora ſanctorum Spiritus ſanctus,ſed ſemper eodem Spiritu ſancto omnes electi ſanctificati ſunt. Et quidem dictum Eſaiæ dulciſſimam doctrinam & conſo-

Idem Spiritus in tota Eccleſia ad omnem æternitatem.

lationem

lationem proponit: Affirmat ſemper manſuram eſſe Eccleſiam Dei, & ibi manſuram, ubi ſonat uox Euangelij, & cum ea uoce efficacem eſſe Spiritum ſanctum. Et Zach: 7. dicitur: Verba quæ miſit Dominus exercituũ in Spiritu ſancto, per manum Prophetarum priorum. Hoc dicto etiam utrunq; affirmatur, & gubernatos eſſe Spiritu ſancto Prophetas, & uerbum Dei non eſſe inanem ſonitum, ſed adeſſe Spiritum ſanctum, & ea uoce mouere & accendere mentes, quod firmiſſimè ſtatuendum eſt pijs, ut ſciant uerè Deum efficacem eſſe per uerbum ſuum in mentibus credentium, & in eis accendere uitam æternam, ut Galat: 3. dicitur: Vt promiſſionem Spiritus accipiamus per fidem, ut infrà rurſus dicam.

Ita & Eſai: cap: 63. affirmat, Spiritum ſanctum fuiſſe ductorem & gubernatorem Moyſi & populi in deſerto: Quo dicto ſignificat ſemper adeſſe Spiritum ſanctum in Eccleſia Dei. Sic Chriſtus clarè dicit Ioh: 14. Dabit uobis alium Paracletum, ut maneat uobiſcum in ſempiternum, ſpiritum ueritatis. Verba Eſaiæ hæc ſunt: Vbi eſt qui eduxit eos de mari cum paſtore gregis ſui, Vbi eſt qui poſuit in eo Spiritum ſanctum ſuum, qui eduxit dextra Moyſen brachio maieſtatis ſuæ, qui ſcidit aquas ante eos? Et deinde addit: Spiritus Domini ductor eius fuit.

Hęc dicta oſtendunt doctrinam de Spiritu ſancto extitiſſe in Eccleſia Patrum & Prophetarum. Ideõ etiam ueteres hoc dictum in Geneſi intellexerunt de Spiritu ſancto, qui eſt perſona diuinitatis: Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Sic enim ait Baſilius: Siue quod uerius eſt, & enarratum ab ijs qui ante nos fuerunt loquitur de Spiritu ſancto Dei. Quia ſcriptura hoc obſeruat, ut cum ait, Spiritus Dei, intelligat Spiritum ſanctum, qui eſt diuinæ Trinitatis tertia perſona. Ac ſi hoc modo intelliges dictum Moyſi, maiorem capies utilitatem. Quomodo enim ferebatur ſuper aquas? Narrabo tibi ſermonem Syri cuiuſdam qui ait, Vocem hic poſitam ſignificare idem quod fouere uitali calore, Sicut auis incubans, fouet oua. Hactenus Baſilius. Sed teſtimonia ex nouo Teſtamento recitata illuſtriora ſunt. Hoc uerò dictum in Geneſi quo quo modo expones, tamen ſignificat moueri Eccleſiam, incubante, docente, & accendente in ea lucem & inuocationem Spiritu ſancto. Id firmiſsima fide tenendum eſt, ſicut in Actis cap: 2. dicitur: Chriſtum ſedere ad dexteram Patris, ut det Spiritum. Idem in dicto illo traditur: Aſcendit, dat dona hominibus. Hac igitur fide petamus, ut Filius Dei nos regat Spiritu ſancto ſuo.

Teſtimonia noui Teſtamenti de Spiritu ſancto illuſtriora ſunt quàm Veteris.

Recenſui teſtimonia quæ perſonam eſſe Spiritum ſanctum conuincunt, quibus addam & illud 1. Iohan: 5. Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, λόγος, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt: Quõd diſertè inquit, Teſtimonium perhibent, admonet nos de patefactione Dei, ut Deum agnoſcamus, ut ſe patefecit. Teſtificatur Deus de ſeſe, quis & qualis ſit, uerus Deus conditor rerum, conſeruator & opitulator: Teſtificatur & de doctrina ſua, & de uoluntate erga nos, & affirmat tres eſſe in cœlo, qui teſtimonia ediderunt.

Dictum Iohannis, Tres ſunt qui teſtimoniũ perhibent.

Teneantur ergo teſtimonia diſcernentia perſonas. Pater ſe patefecit & diſcernit, cum clamat: Hic eſt Filius meus dilectus. Item Iohan: 12. Et glorificaui, & glorificabo. Filius de Patre, de ſeſe, & de Spiritu ſancto teſtificatur in

Teſtimonia diſcernentia perſonas.

doctrina ſua,quam miraculis & ſua ipſius reſurrectione confirmauit. Spiritus ſanctus diſcernitur,quia peculiari ſpecie effunditur in Chriſtum & Apoſtolos, & teſtificatur poſtea in inuocatione,confeſſione,miraculis,fortitudine tolerandi ſupplicia,&c. Non igitur fruſtra Iohannes teſtimonij mentionem facit: Sed ideò ſic loquitur,ut nos admoneat,ut ita agnoſcamus Deum, ſicut ſe patefecit, & ipſa teſtimoniorum editione nos confirmemus.

Etſi autem Noui Teſtamenti dicta ſunt magis perſpicua, tamen his congruunt teſtimonia Prophetarum. Significata eſt perſona diuina in dicto Ioël, cum ait Deus, Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Quia enim inquit,Meo, teſtatur non mitti creatam agitationem, ſed aliquid eſſentiæ Dei. Neceſſe eſt autem perſonam eſſe diſtinctam,quæ eſt aliquid Dei,& tamen non eſt Pater. Quanta autem miſericordia? quantus amor eſt erga genus humanum? quòd Deus hunc amoris ignem transfundit coëſſentialem ipſi.

Collegit Baſilius & teſtimonia multorum, quorum ante ipſius ætatem in Eccleſia præcipua fuit autoritas,quod meminiſſe utile eſt. Confirmantur enim pij, cum audiunt doctrinam certis teſtimonijs ueræ & purioris Eccleſiæ traditam eſſe, ſicut de Eccleſia audienda ſcriptum eſt? Niſi uitula mea araſſetis,non inueniſſetis.

Baſilius ex Euſebio Palæſtino.

At inter cætera hoc dictum Euſebij Paleſtini citat, Sanctum Deum lucis conditorem per ſaluatorem noſtrum Ieſum cum Spiritu ſancto inuocantes. Hæc uerba oſtendunt, ueteres diſertè tres perſonas in inuocatione complexos eſſe, & ea forma loquendi de Filio uſos eſſe, ut animi ſimul de Mediatoris interceſſione, & de promiſſionib. cõmonefierent. Huc pertinet etiam teſtimonium quod recitamus in ſymbolo: Credo in Spiritum ſanctum, ut enim ſuprà dicitur:Credo in Deum Patrem,& in Ieſum Chriſtum, qua forma ſermonis perſonas alloquimur,& ab eis bona petimus,& fiducia auxilij Patris & Filij acquiſcimus. Ita cum hic dicitur: Credo in Spiritum ſanctum perſona intelligatur, & petamus,ut hic παράκλητος mittatur in corda noſtra,regat & ducat nos in tantis uitæ periculis,ſicut duxit Moſen per mare rubrum, ut inquit Eſaias.

Hactenus ueram & ſalutarem doctrinam de perſonis recẽſui,& quia dixi teſtimonia ueræ Eccleſiæ non negligenda eſſe, legant pij etiam hiſtorias, uideant in quibus Synodis hæc doctrina fideliter defenſa & illuſtrata ſit. Antiochena refutauit Samoſatenum. Nicena condidit Symbolum Nicenum, & præcipuè illuſtrauit ſententiam de duabus naturis in Chriſto. Conſtantinopolitana defendit hunc articulum, Spiritum ſanctum eſſe perſonam procedentem à Patre & Filio. Epheſina damnauit Neſtorium, qui finxerat, non unitas eſſe duas naturas in Chriſto,ſed λόγον aſſiſtere Chriſto,ſicut amicus amico adeſt. Calcedonenſis damnauit Eutychen,qui confundebat naturas, & fingebat humanam conuerſam in diuinam, ut cum ex aqua factum eſt uinum, nec fuiſſe duas naturas unitas. Hæ ſunt præcipuæ Synodi, quarum iudicia meminerimus & amplectamur.

Synodorum de hoc articulo decreta.

Econtrà etiam in Hiſtorijs conſideremus,qui furores ſæpè exorti ſint contra ueram de eſſentia Dei doctrinam. Marcion & Manichæi finxerunt duos Deos pariter æternos,pugnantes inter ſeſe, bonum & malum, Ac bonum uocarunt lumen, malum tenebras, Et bonas naturas dixerunt à bono conditas eſſe,Materiam uicioſam à malo.

Furores Marcionis & Manichæi.

Hæc portenta refutare diſcamus. Vnus eſt enim conditor omnium rerum,

rerum, & quidem bonus, ut suprà dictum est in definitione Dei, & Esaiæ 46. dicitur, præter me non est Deus alius, formans lucem, & creans tenebras, seu corpora obscura, dans pacem & creans malum, id est, corpora nocentia.

Fugiamus etiam portenta Valentinianorum, qui finxerunt innumerabiles Deos, seu nomina tantum allegoricè cumulantes, ut Hesiodus cumulat Chaos, Noctem, Erebum, Saturnum, Iouem, & alios seu re ipsa putantes esse innumerabiles æternos Deus: Quia mirum uidetur unum aliquem in æterna solitudine cogitare. Semper ab initio mundi Diabolus & sparsit & sparget horribiles furores, ut uerum Deum contumelia afficiat, & humanæ imbecillitati insultet. Aduersus illos furores tradidit nobis Deus certam doctrinam per Patres, Prophetas, Christum & Apostolos, hac luce uult Ecclesiam regi, nec alias opiniones admittere. Vt fœtus in matre sedet circumdatus aluo, sic nos uerbo Dei inclusos esse sciamus, donec quasi editi in æterna uita palàm cernemus Deum: Interim Deo gratias agamus, quòd se nobis patefecit, & reuerenter illi patefactioni assentiamur. *Portenta Valentinianorũ.*

Sciamus non plures esse personas diuinitatis quàm tres, Vnum esse coæternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, Vnum Filium, imaginem æterni Patris Iesum Christum, Vnum Spiritum sanctum, & has tres personas tamen ὁμοουσίους esse, & simul omnia condidisse, & discrimina discamus, ut suprà recitauimus, ac beneficia propria cuiusq; personæ intelligamus. Quia enim Deus sic se patefecit, uult ita agnosci & discerni personas. Pater fons est omnium beneficiorum: Sed Filius propriè est Mediator & Reconciliator, & factus est pro nobis uictima, cum naturam humanam assumsisset: Spiritus sanctus mittitur in corda credentium, ut nouam lucem, iusticiam & uitam æternam accendat, ut uocat eum Zacharias, Spiritum gratiæ & precum, id est, testificantem in nobis, nos receptos esse in gratiam, & mouentem cor, ut hoc credat & statuat. Item, Impellentem ad inuocationem, quia iam exaudiri nos credimus. *Discrimina personarum.*

Hæc doctrina de tribus Personis in inuocatione quotidiè proferatur, in qua certè hoc primum omnium ardentissimè petendum est, ut Deus pectora nostra regat, ut rectè de ipso sentiamus, ac uerè eum inuocemus, nec ab eo aberremus, ut Ethnici, recentes Iudæi, Mahometistæ, Hæretici, Marcion, Manichæi, Valentiniani, Samosateni, Ariani, & alij fanatici. Teneatur ergo certa aliqua & uera forma, cuius recitatio nos de uera doctrina admoneat.

OMNIPOTENS æterne & uiue Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, & clamasti de Filio tuo Domino nostro IESV CHRISTO, HVNC AVDITE, Conditor omnium rerum, & conseruator & opitulator, cum Filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, regnante tecum & patefacto in Ierusalem, & Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos, sapiens, bone, misericors, iudex & fortis: Qui dixisti, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat: & dixisti, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, Miserere mei propter Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam ἠμεσίτευω ἠμῶν ἱκέτευω, & sanctifica, rege, iuua, accende cor & animam meam Spiritu sancto tuo, ut te uerè agnoscam et inuocem, tibi uerè credam, gratiam agam & obediam, rege & serua Ecclesiam tuam, sicut promisisti inquiens, Hoc est fœdus meum cum eis, Spi- *Forma precationis directa ad Deum Patrem.*

eis,Spiritus meus qui est in te,& uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore seminis tui in æternum: Semper luceat in nobis Euangelium tuum, & rege & confirma corda nostra Spiritu sancto tuo, ne in furores Epicureos, aut fanaticos ruam,guberna studia Ecclesiæ, & defende politias,quæ præbent hospitia Ecclesijs.

Quæ sint cogitanda in inuocatione,& intuenda mente & fide.

In tali inuocatione quotidie de essentia Dei,de patefactione,de beneficijs, de promissionibus cogitemus.Simul enim hac cogitatione & erudimur de personis,& accenditur fides, & segregatur inuocatio nostra ab Ethnica, Iudaica & Turcica,quod fieri necesse est.Nam inuocatio nulla placet Deo, nisi fiat cogitatione, & fiducia Christi Mediatoris, ut scriptum est, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo (id est,me nominato,me monstrantes Intercessorem) dabit uobis. Item, Nemo uenit ad Patrem nisi per me. Experiemur autem hanc ueram inuocationem in Euangelio traditam,non esse irritam.

Ac intueantur mẽs & oculi in testimonia patefactionis illustria,ut in Baptismum Christi, in Christum resuscitantem mortuos, & post resurrectionem familiari conuersatione se ostendentem multis, & in Spiritus sancti missionem. Hæc uisibilia testimonia ideo exhibita sunt, ut Ecclesiam doceant & confirment, & quia exhibita sunt, uult ea Deus aspici & cogitari. Non tantum propter Baptistam tunc se patefecit diuinitas, sed hoc testimonio uoluit Deus confirmari uniuersam Ecclesiam eius temporis & posteritatis. Imõ & Angelos illud admirandum spectaculum Dei prodeuntis ex latebris suis, & se Ecclesiæ suæ ostendentis,erudit. Hæc testimonia cum cogitabimus,accendetur lux in cordibus,ut firmius statuant, uerẽ adesse Deum, & recipere nostras preces,ac opitulari,sicut promisit. Hanc enim fidem ad precationem afferri necesse est. Piè etiam hac forma utemur directa ad Mediatorem, quæ etiamcomplectitur tres personas.

Forma precationis directa ad Mediatorem.

IESV CHRISTE Fili Dei uiui,crucifixe pro nobis & resuscitate,qui regnas ad dexteram Patris,ut des dona hominibus,& constitutus es Interpellator pro nobis, miserere mei, & intercede pro me apud æternum Patrem tuum, & sanctifica me Spiritu sancto tuo, sicut promisisti, inquiens, Non relinquam uos orphanos.&c.

Forma precationis directa ad Spiritum sanctum.

Piè & hac forma utimur: SPIRITVS SANCTE, effuse in Apostolos,quem promisit nobis Filius Dei, redemtor noster, ut accendat in nobis ueram agnitionem & inuocationem Dei,sicut scriptum est, Effundam super uos Spiritum gratiæ & precum, Exuscita in cordibus nostris uerum timorem Dei, & ueram fidem & agnitionem misericordiæ, quam nobis æternus Pater Domini nostri Iesu Christi propter Filium promisit, sis nobis Paracletus in omnibus consilijs & periculis, & accende mentes nostras, ut uera obedientia, Patrem Domini Iesu Christi, & Filium eius Redemtorem nostrum, & te, perpetuõ celebremus.

Appellationes potentiæ & uirtutum sunt cõmunes omnibus personis.

Si hoc modo in inuocatione cogitabimus de personis & beneficijs,proficient mentes & eruditione & pietate. Cæterum illud sciant studiosi, appellationes potentiæ et uirtutum communes esse omnibus personis,uidelicet,nomina sapientiæ,bonitatis,iusticiæ,misericordiæ,fortitudinis,puritatis. Nec sunt hæ uirtutes distinctæ res ab ipsa essentia: Sicut potentia Patris est Pater, sic iusticia Patris est Pater, sic iusticia Filij est Filius. Et considerandum est quomo-

quomodo hæc nomina in scriptis Propheticis usurpentur,& adhibenda est diligentia propriè & rectè loquendi.

DE CREATIONE.

VOluit Deus innotescere, & se conspici: Ideō & condidit omnes creaturas, & miram artem adhibuit, ut conuinceret nos, non extitisse res casu, sed esse æternam mentem, architectatricem, bonam, iustam, spectantem hominum facta, & iudicantem. Quanquam autem hæc consideratio uniuersæ naturæ admonet nos de Deo, ut postea rursus dicam, tamen nos referamus initiō mentem & oculos ad omnia testimonia,in quibus se Deus Ecclesię patefecit,ad eductionem ex Aegypto, ad uocem sonantem in Sinai,ad Christum resuscitantem mortuos, & resuscitatum ac ascendentem in cœlum, ad uocem æterni Patris de Christo sonantem,Hunc audite,ad missionem Spiritus sancti. Hæc testimonia edita & proposita sunt, ut nos in hac naturæ imbecillitate magis perspicuē erudiant,conuincant & confirment: Ideō semper defixæ sint mentes in horum testimoniorum cogitationem,& his confirmatæ articulum de Creatione meditentur, deinde considerent etiam uestigia Dei impressa naturæ.

Testimonia patefactionis coniungenda sunt cum testimonijs in natura de Deo.

Est autem articulus de Creatione, Genes:1. & alibi sæpē expressus, quòd uidelicet Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, unà cum Filio coæterno, & Spiritu sancto, condiderit ex nihilo cœlum & terram, angelos, & homines,& omnia reliqua corpora. Sic de Filio dicitur, Ioh: 1. Omnia per ipsum (scilicet Filium) facta sunt.Et de Spiritu sancto creante dicitur,Psalm:32. Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Quōd autem res ex nihilo conditæ sint, docet hæc sententia, Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt,id est, dicente seu iubente Deo, res exortæ sunt. Non igitur ex materia priore extructæ sunt, ut Stoici duo æterna fingebant mentem & materiam. Sed Deo dicente, cum res non essent, esse cœperunt. Et cum Iohannes inquit,Omnia per ipsum facta esse,refutat Stoicam imaginationem,quæ fingit materiam non esse factam. Hæc de articulo Creationis in Ecclesia moneri necesse est.

Creatio opus est omnium personarum.

Quòd res sint conditæ ex nihilo.

Sed nondum satis dictum est de hoc tanto articulo. Infirmitas humana, etiamsi cogitat Deum esse conditorem, tamen postea imaginatur, ut faber discedit à naui extructa, & relinquit eam nautis, ita Deum discedere à suo opere, & relinqui creaturas tantum propriæ gubernationi. Hęc imaginatio magnam caliginem offundit animis, & parit dubitationes.

Imaginationes hominum de Deo conditore sine uerbo.

Alij,ut Stoici,fingunt Deum alligatum causis secundis,nec quicquam aliter posse fieri,quàm ut causæ secundæ cient. Alij,ut Epicurei, omnia casu uolui & confundi. Vterq; error magnos tumultus in humanis mentibus excitat. Quoties in periculis sumus, quæ superant humana consilia, mouemur cogitatione causarum naturalium, ut arbitremur malum immedicabile esse, quia arbitramur naturam sic ferri sine Deo.

Aduersus has dubitationes confirmandæ sunt mentes cogitatione uera articuli de Creatione, ac statuendum est, non solum conditas esse res à Deo, sed etiam perpetuò seruari ac sustentari à Deo rerum substantias. Quotannis fœcundat DEVS terram, procreat fruges ex terra, impertit uitam uiuentibus: Hæc rerum sustentatio seu conseruatio,usitata appellatione uocatur

Deus & condidit & conseruat naturam.

actio

Actio Dei generalis.

actio Dei generalis, quæ tamen non ita alligat eum cauſis ſecundis, ut nihil faciat aliter, quàm ut cauſæ ſecundæ cient: Sed Deus eſt liberrimum agens, ſeruat ſui operis ordinem,& tamen multa propter homines mitigat. Cedit natura rerum precibus Moyſi,Eliæ, Eliſæi, Eſaiæ, & omnium piorum, ſicut Chriſtus inquit, Matth: 21. Omnia quæ petetis, credentes accipietis, Si dicetis monti huic,iacta te in mare,fiet. Item,Iacta curas tuas in Deum,& ipſe te enutriet.

Deus eſt liberrimum agens, & adeſt naturæ ſuæ.

Adeſt Deus ſuæ creaturæ, ſed non adeſt ut Stoicus Deus, ſed ut agens liberrimum,ſuſtentans creaturam,& ſua immenſa miſericordia moderans, dans bona,adiuuans,aut impediens cauſas ſecundas. De hac diſtinctione admoneri pios neceſſe eſt. Teneantur ergo teſtimonia, quæ docent adeſſe Deum naturæ rerum, & gubernatorem eius & moderatorem eſſe, ut in periculis noſtris non frangamur cogitationibus Epicureis aut Stoicis, nõ cogitemus nos caſu opprimi aduerſis,aut fatalem ordinem cauſarum immutabilem eſſe, nec res ſecundas ad caſum, aut tantum ad Phyſicas cauſas referamus, ſed Deum agnoſcamus uerè largiri bona,& moderari naturam. Act:17. In ipſo uiuimus,mouemur & ſumus,id eſt,per ipſum datur,ſuſtentatur, & fouetur uita noſtra. Hebr:1. Ferens omnia uerbo potentiæ ſuæ. Coloſſ:1. Omnia per eum conſiſtunt. 1. Timoth: 6. additur deſcriptio Dei, Qui uiuificat omnia. 1. Timoth: 4. Speramus in Deo uiuo,qui eſt ſaluator omnium hominum,maximè fidelium, id eſt, omnibus benefacit,fouens uitam,gignens fruges,ſeruans genus humanum,ut inde ſibi colligat Eccleſiam, maximè uerò iuuans Eccleſiam, in qua non ſolum corpora fouet,ſed etiam largitur æterna bona. 1. Timoth:6. In Deo uiuite,quia præbet nobis abundè omnia ad fruendum. Matth:10. Duo paſſeres aſſe ueneunt,& unus ex illis non cadit ſuper terram ſine Patre ueſtro, Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Pſal: 103. Omnia à te expectent,ut des eis eſcam in tempore ſuo,dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate,auertente te faciem,turbabuntur,auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Pſalm. 144. Oculi omnium in te ſperant,& tu das eſcam illis in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Pſalm. 32. De cœlo reſpexit Dominus, uidet omnes filios hominum, fingit ſigillatim corda eorum, intelligit omnia opera eorum. Pſalm: 146. Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum: Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Pſalm. 35. Homines & iumenta iuuabis Domine. Peculiares promiſſiones Eccleſiæ de uita, uictu & defenſione corporum multæ factæ ſunt,quæ etiam teſtantur Deum adeſſe creaturis,ſuſtentare nos, & moderari cauſas naturales. Pſal: 32. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum,ut eruat à morte animas eorum,& alat eos in fame. Pſal:33. Non eſt inopia timentibus eum. Pſal:36. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur. Oſe:2. Et neſciuit hæc quòd ego ei frumentum dederim: Ideõ rurſus auferam frumentum meum. Idem docent benedictiones & maledictiones. Deut:28. Abundare te faciet Dominus fructu terræ tuæ. Item, Erit cœlum æneum. Deut:30. Ipſe eſt uita tua, & longitudo dierum tuorum. Et Prouerb:3. Egeſtas à Domino in domo impij, habitacula autem iuſtorum benedicentur. Prouerb:10. Benedictio Domini diuites facit. Pſal.126. Niſi Dominus ædificauerit domum,fruſtra laborat,qui ædificat eam. Hic clarè affirmat ſecundas cauſas irri-

Teſtimonia de creatione & conſeruatione rerum.

sas irritas esse, nisi à Deo iuuentur. Psal. 99. Scitote quòd Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius, id est, non nascimur casu, non uiuimus tantum causis secundis, nostris consilijs & uiribus, sed Deo uiuificante & seruante.

Postremò idem docet precatio Dominica, quæ à Deo petere iubet panem quotidianum. Confitemur ergo Deum largiri uictum, & terram non esse fœcundam, nisi Deo iuuante.

Collegi mediocrem aceruum testimoniorum, quæ enarrant articulum de Creatione, ac affirmant Deum adesse creaturis sustentatorem & moderatorem, & refutant opiniones Epicureas & Stoicas. Quia enim promittit Deus pijs & inuocantibus bona, & minatur pœnas impijs, constat eum liberè agere, nec alligatum esse causis secundis, sed multa mitigare propter pios, multa exasperare propter impios. Sicut exempla ostendunt. Propter Idolorum cultus triennium non pluit regnante Achab, sed redditæ sunt pluuiæ Elia petente. Talibus testimonijs confirmandæ sunt mentes in inuocatione. Non enim possunt à Deo petere uictum, & uitæ defensionem, si fascinatæ Epicureis aut Stoicis opinionibus sentiant aut casu omnia fieri, aut Deum non moderari secundas causas. Imò ideo eripit Deus fruges hominibus, quia putant eas naturali quadam ui nasci, etiamsi Deus eas non foueat, nec reuerenter utuntur dato munere, nec timent datorem, ut monet Oseæ dictum, quod suprà citaui.

Testimonia de creatione confirmant mentes in inuocatione.

Mens humana conuincitur demonstrationibus, ut fateatur hunc mundum à Deo conditum esse: Sed Deum adesse moderatorem, etsi huius sententiæ etiam quædam habet argumenta, ut pœnas atrocium scelerum, tamen hoc obscurius est. Quia igitur difficilior est assensio, diuinis testimonijs fides in animis excitanda & confirmanda est, ut Deum inuocare, & seriò ab eo petere & expectare bona possimus, ut præcepit, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Item, Commenda Domino uiam tuam, & ipse faciet.

Deum adesse mundo obscurius est, quàm à Deo conditum esse.

Postquam autem mens confirmata est uera & recta sententia de Deo, & de Creatione ac præsentia Dei in creaturis, & moderatione causarum secundarum, ex uerbo Dei, & illustribus testimonijs, in quibus se Deus generi humano peculiariter patefecit, ut in eductione populi ex Aegypto, in resuscitatione mortuorum, & alijs mirandis factis Prophetarum, Christi, & Apostolorum, tunc etiam utile & iucundū est aspicere opificium mundi, & in eo uestigia Dei quærere, & demonstrationes colligere, quæ testantur hunc mundum non extitisse casu, nec uolui casu, sed esse Deum mentem æternam, conditricem rerum: Ideò enim tota natura condita est, ut Deum monstret. Et si humanę mentes primam lucem retinuissent, hæ noticiæ de Deo multò fuissent illustriores. Nunc multis dubitationibus conturbantur. Sed bonis mentibus utile est tenere aliquas demonstrationes, quæ ostendunt esse Deum: Sicut & Paulus ad aspiciendum mundi opificium nos deducit, Rom. 1. & in Actis inquit, Adeò propè adesse Deum, penè ut manibus contrectari possit. Recitabo igitur breuiter aliquas demonstrationes, quarum cogitatio ad disciplinam & confirmandas honestas opiniones in mentibus utilis est.

Natura condita est ut Deum monstret. Demōstrationes ex natura sumtæ, quæ ostendunt quòd sit Deus:

Prima, ab ipso naturæ ordine sumitur, id est, ab effectibus monstrantibus opificem. Impossibile est ordinem perpetuum in natura casu ortum esse, & casu manere, aut tantum à materia ortum esse. Præcipuæ partes in natura sunt ordinatæ, ut manet ordo perpetuus motuum cœlestium, ita, ut ex homine ho-

1. Ab ordine naturæ.

mo,ex boue bos naſcatur, fœcunditatis terræ, perennitatis fluminum,naturalium noticiarum in mentibus humanis.Ergo natura non extitit caſu,ſed ā mente aliqua orta eſt,quæ ordinem intelligit.

II. A natura mentis humanæ.

Secunda,ā natura mentis humanæ.Bruta res non eſt cauſa naturæ intelligentis : Mentes hominum habent aliquam cauſam, quia homo non habet eſſe per ſeſe, ſed incipit & aliunde oritur : Ergo neceſſe eſt aliquam intelligentem naturam cauſam eſſe mentis humanæ.Neceſſe eſt igitur eſſe Deum.

III. A noticijs in mente humana.

Tertia,ā diſcrimine honeſtorum & turpium, & alijs noticijs naturalibus, ordinis & numerorum. Impoſſibile eſt diſcrimen honeſtorum & turpium in mente,caſu,aut ā materia ortum eſſe.Item,Noticias ordinis & numerorum fortuitas eſſe : Ergo neceſſe eſt aliquam mentem architectatricem eſſe. Et hæ duæ rationes omnium maximè ſunt illuſtres. Eſtq; dignum conſideratione,quòd humana mens, & illa lux menti inſita præcipuum de Deo teſtimonium eſt in natura, & quidem inter noticias naturales hæc quoq; eſt, quòd ſit Deus, ſicut Paulus inquit, Deus ipſis manifeſtauit, id eſt, Deus indidit humanæ menti hanc noticiam, quòd ſit Deus, & ſimul indidit ratiocinationes illas ex effectibus.

IIII. A teſtimonio noticiarum oſtendentium quòd ſit Deus.

Quarta : Noticiæ naturales ſunt ueræ : Eſſe Deum naturaliter omnes fatentur : Ergo hæc noticia uera eſt.Hæc minor eſſet illuſtrior,ſi natura non eſſet corrupta, ſed confirmanda eſt cæteris argumentis, quæ recitaui.

V. A terroribus conſcientiæ.

Quinta,apud Xenophontem ſumitur ā terroribus conſcientiæ. Conſtat homicidas & alios perpetratis magnis ſceleribus, horribiles animorum cruciatus ſuſtinere,etiamſi nulla humana iudicia metuant. Eſt igitur aliqua mens, quæ hoc iudicium in animis ordinauit, quæ probat rectè facta, & improbat ſecus facta.

VI. A politica ſocietate.

Sexta, ā politica ſocietate. Politica ſocietas non eſt concurſus hominum fortuitus, ſed certò ordine & iure conſociata multitudo : Nec poſſet humana ope rantum retineri, ſed experientia teſtatur, aliquo numine ad pœnam rapi eos, qui uiolant hunc ordinem, ut homicidas, inceſtos, & Tyrannos : Ergo eſt aliqua mens æterna, quæ dedit hominibus intellectum ordinis, ut politicam ſocietatem colant.Item, quæ ſua ope ſeruat & defendit.

VII. A ſerie cauſarum.

Septima eſt erudita, ſumta à ſerie cauſarum efficientium. Non eſt proceſſus in infinitum in cauſis efficientibus : Ergo neceſſe eſt reſiſtere in una prima cauſa.Hanc rationem Phyſici dilucidè explicant.Nam ſi eſſet progreſſus in infinitum, nullus eſſet ordo cauſarum, & nullæ cauſæ neceſſariò cohærerent.

VIII. A cauſis finalibus.

Octaua, ā cauſis finalibus. Omnes res in natura deſtinatæ ſunt ad certas utilitates. Hanc diſtributionem finium impoſſibile eſt aut extitiſſe caſu,aut caſu manere, ſed neceſſe eſt conſilio architecti factam eſſe.

IX. A ſignificationibus futurorum.

Nona,ā futurorum euentuum ſignificationibus. Certò monſtrantur futuri euentus,non modò per prodigia quæ gentes mouebant, quorum alia aliās cauſas habent, ſed multò magis per uaticinia in Eccleſia, ut Balaam, Ieſaias, Ieremias, Daniel, prædixerunt mutationes & ſucceſſiones regnorum : Neceſſe eſt igitur aliquam mentem eſſe præuidentem eas mutationes,& præmonſtrantem.

Argumenta ex natura et Deum eſſe,et prouidentiam eſſe oſtendunt.

Hæc argumenta,non ſolum teſtantur eſſe Deum, ſed etiam ſunt indicia prouidentiæ, quòd Deus reſpiciat homines, puniat atrocia ſcelera, & aliquibus opitulatur, ut fœcunditas terræ indicat Deum hominum uitæ conſulere:

Pœnæ

Pœnæ ſceleratorum indicant, Deum poſtulare ut colamus iuſticiam: Prædictiones etiam de imperijs: Item quòd mittuntur Heroici uiri, ut reſtituant politias & artes, indicant Deum curare politias. Hæc ſunt perſpicua, & ſemper mouerunt bonas mentes.

Poſſunt & multa alia uerè quidem colligi, ſed quia ſunt obſcuriora, relinquo. Non fruſtra indita eſt homini legis noticia, qua Deus uult ſe coli: eſſet autem fruſtra indita, niſi iudicium aliquod eſſet, in quo diſcrimen erit bonorum & malorum. Sed hæc alibi explicanda ſunt. Nos ad primam admonitionem redeamus, uidelicet, Aſſiduè mentibus atq; oculis intuenda eſſe illa peculiaria teſtimonia, in quibus ſe Deus Eccleſiæ patefecit, ut in eductione populi Iſraël ex Aegypto, in reſuſcitatione mortuorum, & miracula cætera, quæ per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos facta ſunt, & deinde addamus uerbum per hos traditum, & ſtatuamus uerè hanc eſſe Dei uoluntatem, quæ in eo uerbo propoſita eſt, & diſcernamus Philoſophiam ſeu naturales noticias ab Euangelio, id eſt, à promiſſione gratuita remiſſionis peccatorum donandæ propter Filium Dei, ut ſuo loco dicitur de diſcrimine Legis & Euangelij.

DE CAVSA PECCATI, ET DE CONTINGENTIA.

SEmper omnes ſapientes mirati ſunt, cum tantus ſit ordo naturæ in plurimis rebus, unde in genere humano tanta ſit confuſio, tantum ſcelerum & calamitatum, morbi & mors. Ac Philoſophi partim in materia, partim in uoluntate humana cauſas collocant, partim ad fatum transferunt, quod dicunt eſſe neceſſariam connexionem primæ cauſæ, & omnium ſecundarum, Phyſicarum & uoluntatum. Et Manichæi ex corrupta Philoſophia orti, horribiles furores contumelioſos in Deum, & pernicioſos moribus excitauerunt de duobus dijs, bono & malo, & de neceſſitate, nec leuiter quaſſata eſt Eccleſia illis uetuſtis temporibus hac quæſtione, de cauſa mali, & de contingentia. Eſt autem piæ mentis, reuerenter de Deo ſentire & loqui, & ſententias ueras, pias, honeſtas, comprobatas grauibus iudicijs piorum in Eccleſia, utiles moribus, retinere, nec curioſitate ac ſtudio argutiarum quærere infinitos labyrinthos diſputationum.

Philoſophi cauſam peccati & calamitatum collocant in materia, uoluntate humana, & fato.

Eſtq; hæc uera & pia ſententia, utraq; manu & uerius toto pectore tenenda, Deum non eſſe cauſam peccati, nec uelle peccatum, nec impellere uoluntates ad peccandum, nec approbare peccatum. Sed uerè & horribiliter iraſci peccato, ut toties ſuo uerbo, aſſiduis pœnis & calamitatibus mundi, comminatione æternæ iræ declarat: Imò iram aduerſus peccatum maximè oſtendit Filius Dei, qui apparuit, ut uictima fieret pro peccato, & oſtenderet Diabolum eſſe autorem peccati, & ſua morte iram ingentem Patris placaret.

Deus non eſt cauſa peccati.

Non igitur Deus cauſa eſt peccati, nec peccatum eſt res condita aut ordinata à Deo, ſed eſt horribilis deſtructio operis & ordinis diuini.

Peccatum deſtructio eſt operis diuini.

Sunt autem cauſa peccati, uoluntas Diaboli, & uoluntas hominis, quæ auerterunt ſe liberè, ſua ſponte à Deo, nec uolente, nec approbante illam auerſionem, & hæſerunt, uagantes extra ordinem, in obiectis, contra mandatum Dei, ut Euæ uoluntas auertens ſe à uoce Dei, & uagata extra ordinem, hæſit in pomo.

Cauſæ peccati, uoluntas diaboli et hominis.

Etsi autem homines acuti multa hic inextricabilia colligunt, tamen nos omissis præstigijs disputationum, ueram sententiam, quam dixi, toto pectore amplectamur, & teneamus testimonia de ea tradita diuinitus, etiamsi non possumus omnes argutias quæ opponuntur extricare. Testimonia autem hæc sunt.

Testimonia de causis peccati.

Genes:1. Vidit Deus omnia quæ fecerat,& erant ualde bona, id est, Deo placentia,ordinata,congruentia ad ordinem in mente diuina, & ad certos usus profuturos homini,condita. Psal:5. Non Deus uolens iniquitatem tu es, id est, Deus uerè,& non simulatè odit peccatum. Ioh: 8. Quando mendacium loquitur Diabolus,ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater mendacij. Pater, id est,primus fons,& causa mendacij. Discernit autem Christus mendacium ā substantia,quasi dicat,substantiam quidem habet Diabolus aliunde acceptam. Nam omnes Angeli à Deo creati sunt, quorum aliqui postea lapsi sunt. Habet autem proprium quiddam Diabolus,non ā Deo acceptum, uidelicet mendacium,id est, peccatum quod libera uoluntas Diaboli peperit. Necꝫ hæc inter se pugnant,ut postea longius dicemus,substantiam ā Deo conditam esse & sustentari,& tamen uoluntatem Diaboli & uoluntatem hominis causas esse peccati. Quia uoluntas abuti libertate sua potuit, seꝯ à Deo auertere.

Zach:8.Malum ne cogitetis in cordibus uestris,& iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt,quæ odi, dicit Dominus. Cum igitur non sit simulatum odium peccati in uoluntate diuina, nequaquam sentiendum est, Deum uelle peccatum.

1.Iohan:2.Concupiscentia carnis non est ex Patre,sed ex mundo est. 1.Iohan:3. Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Quia ab initio Diabolus peccat, id est,primus autor peccati est diabolus.Rom:5. Per hominem intrauit peccatum in mundum,id est,peccatum non est res condita ā Deo, sed homo sua libertate se à Deo auertit, & excussit dona Dei, & illam suam destructionem propagauit in posteritatem.

Phrases Hebrææ, in quib. uerba significant permissionem.

Nec figuræ illæ uerborum in sermone Hebraico pugnant cum sententia quam dixi: Indurabo cor Pharaonis, & similes. Certum est enim, Hebraica phrasi significare eas permissionem,non uoluntatem efficacem, ut: Ne nos inducas in tentationem, id est, ne sinas nos induci, seu, ne sinas nos labi & ruere cum tentamur.

Præterea & moneri studiosos utile est, quid propriè sit peccatum, ut discernantur res conditæ à Deo, & peccatum, quod est conturbatio seu confusio ordinis diuini: Ideō rectè dicitur,Peccatum est defectus seu priuatio,ut Dialectici loquuntur.

Peccatum originis qualis sit defectus, & quarum rerū in homine.

De Originali facilis est declaratio,Id enim est in mente tenebræ, hoc est, non habere illustrem noticiam, & firmum assensum de prouidentia,comminationibus & promissionibus diuinis: Et in uoluntate est auersio, id est, sine metu, fiducia,dilectione Dei esse, & in corde sine obedientia esse, quæ congruebat legi naturæ, sed uagis & errantibus inclinationibus ferri extra ordinem contra Deum.Hæc mala esse defectus, non obscurum est, nec sunt res conditæ à Deo, sed horribilis destructio humanæ naturæ. Non est igitur causa peccati Deus, qui etsi iuuat & conseruat propagationem substantiæ,tamen seruat talem massam,qualis nunc est, ut si faber poculum non ex auro, sed ex plumbo faciat, ac ipsi destructioni uerē & horribiliter Deus irascitur:Misit enim Filium ad hanc iram

iram placandam,& ad ſanandum uulnus naturæ.Intelligi igitur poteſt, Deum nec cauſam eſſe uicij nobiſcum naſcentis, nec uelle id malum,nec approbare.

Hic autem cauillatio diluatur,Cum defectus nihil ſit,id eſt,non ſit res poſitiua, cur iraſcitur Deus nihilo? Reſpondendum eſt, Magnum diſcrimen eſt inter nihil priuatiuum,& Nihil negatiuum. Quia nihil priuatiuè intellectum, requirit ſubiectum, & eſt in illo ſubiecto quædam deſtructio, propter quam ſubiectum reiicitur, ut ruinæ ædificij ſunt deſtructio in illa mole, ſeu partes diſſipatæ, Ita uicium originis eſt ipſarum partium hominis inquinatio & confuſio,quàm Deus odit,& propter quam ſubiecto iraſcitur.In morbo nihil ſignificat priuationem,quia manet ſubiectum, & eſt in ſubiecto confuſio aliqua. At equus Alexandri iam Nihil eſt,negatiuè. *Interest inter nihil priuatiuum & nihil negatiuum.*

Hæc mediocris explicatio ſufficiat, quæ & uera eſt, & ſæpè cogitata diſcentibus aliquid lucis affert, nec quærantur ſubtiliores diſputationes, & inextricabiles labyrinthi. Geometrica pingi,& oculis ſubijci poſſunt: Hæc uerò, de quibus hic dicimus, non ita pingi, & oculis ſubijci poſſunt: ſed attenta conſideratione paulatim magis intelligentur. Dolet ſaucius aſpiciens uulnus, & ſcit uulnus non eſſe nihil negatiuè, ſed eſſe partes laceratas. Ita Paulus dolet, uidens Neronis ſcelera & uicia, quæ agnoſcit non eſſe Nihil negatiuè, ſed operis diuini deterrimas ruinas. Cum in tali conſideratione diſcemus quid ſit malum, ſeu defectus, ſeu priuatio, agnoſcemus peccatum non eſſe extenuandum. ut ordo in opere Dei, uidelicet in homine, eſt res à Deo condita, & ei placens, & ſeruans hominem, ac propterea dicitur ingens bonum: Ita econtrà ruinæ illæ ſunt confuſio ordinis,non à Deo condita,ſed facta à Diaboli & hominis uoluntate, eſtq; à Deo reiecta, & exitialis Diabolo & homini. Ideò ruinæ illæ, ſeu deſtructio,ſeu confuſio,uocatur malum, id eſt, non congruens ad mentem diuinam,diſplicens Deo, & exitiale Diabolo & homini.

Hæc declaratio aliquid lucis affert ſequenti declarationi de peccato actuali, de quo multorum ſunt intricatæ quæſtiones, ſed hic quoq; facilè eſt intelligere defectus, ſi intuearis non ſolum facta, ſed mentem regentem facta: Eua comedens pomum, non regitur luce Dei, Illud non regi luce Dei, & uoluntatem à Deo auerſam eſſe,defectus eſſe,non obſcurum eſt. Etſi interim accedunt motus externi & interni,qui ſunt res poſitiuæ,etſi ſunt motus errantes,& quædam ordinis confuſio,ut ſi nauis ſine uelis & remis uariè iactetur uentis & procellis. Hæc imago utcunq; declarat illos defectus. Vt autem donec manet nauis, manent motus aliqui: Ita donec uiuit homo, quocunq; modo aliqui motus,quamlibet errantes & confuſi manent. Nec propterea Deus eſt cauſa peccati. Etſi enim ſuſtentat aliquantiſper naturam, tamen defectus illi in mente non efficiuntur ab ipſo, & uoluntas libera Euæ propriè & uerè erat cauſa ſuæ actionis,ac ſponte ſe auertit à Deo. *Qualis defectus ſit peccatum actuale.*

Conſtituta autem hac ſententia, quòd Deus non ſit cauſa peccati, nec uelit peccatum,ſequitur Contingentiam eſſe,hoc eſt, non omnia quæ fiunt, neceſſariò fieri.Quia enim peccatum ortum eſt à uoluntate Diaboli & hominis, nec factum eſt Deo uolente, ſic erant conditæ uoluntates, ut poſſent non peccare. Eſt autem cauſa contingentiæ noſtrarum actionum,libertas uoluntatis. Et hoc loco de contingentia humanarum actionum loquimur, non de cæterarum rerum motibus,de quibus in Phyſicis diſſeritur. *Eſt contingentia nec omnia fiunt neceſſariò. Libertas uoluntatis eſt cauſa contingentiæ.*

Deinde concedendum & hoc eſt, Quòd ſcriptura Apoſtolica tribuat ho-

Quæ sit libertas in homine reliqua.

mini, etiam nunc post lapsum, libertatem aliquam deligendi ea, quæ sunt subiecta rationi, & faciendi externa opera mandata Lege Dei. Ideō enim iusticia Legis dicitur iusticia carnis, quia uiribus huius naturæ externa illa disciplina utcunq; præstari potest, ut dicit Paulus, Lex est iniustis posita, id est, ad coërcendos non renatos, & puniendos contumaces. Item, Lex est Pædagogus. Ac nisi hæc libertas aliquo modo reliqua esset in natura, nulla utilitas esset legum & imperiorum, & totius ciuilis gubernationis. Manet igitur aliqua libertas, quæ, ut dixi, fons est Contingentiæ.

Quōt modis Deus determinet futura.

Quōd uerō dicitur Deus determinare contingentia, discrimen tenendum est: Aliter determinat Deus ea quæ uult, aliter illa quæ non uult: Aliter quæ à sola ipsius uoluntate pendent, aliter quæ partim ipse facit, partim uoluntas humana.

Præuisio diuina non affert necessitatem.

Præuidet Deus delicta Saulis, sed non uult ea, nec impellit uoluntatem eius, sed permittit ut uoluntas Saulis ita grassetur, & nō impellit ut secus agat: Interim tamen decernit, ubi Saulem repressurus sit. Hæc igitur præuisio non affert necessitatem, nec mutat in uoluntate hominis modum agendi, qui adhuc in natura reliquus est, hoc est, hanc libertatem quæ adhuc reliqua est.

Sustentatio diuina non impedit donū libertatis.

Nec illud obstat contingentiæ aut libertati, quōd Deus sustentat naturam. Nam interim tamen uoluntas Euæ erat causa suæ actionis: Quia libertas fuerat donum in Creatione inditum generi humano, & sustentatio diuina non impediebat illud donum. Sic iam quantum est libertatis, non impeditur sustentatione diuina, sed sic sustentat Deus Saulem, qualis est, & Saulis uoluntas est propriē causa malæ actionis.

De dicto Ieremiæ, Non est hominis uia eius.

Quōd uerō hæc dicta quædam obiiciuntur, ut Ierem: 10. Scio Domine, quōd non est hominis uia eius, nec est uiri dirigere gressus suos: Etsi infrà in titulo de Libero Arbitrio hæc dicta explicanda erunt, tamen & hic breuiter monendus est Lector: Aliud est loqui de electione uoluntatis, aliud de euentu seu successu. Vult Pompeius bellum aduersus Cæsarem, & liberē uult, sed euentum aliæ multæ causæ regunt, non sola uoluntas Pompeij. Dictum igitur Ieremiæ doctrinam & dulcissimam consolationem continet. Via hominis, id est,

Via id est, uocatio.

gubernatio priuata & publica mandata homini, seu uocatio, non potest sustineri solis uiribus humanis: Non potest mens omnia pericula prospicere & cauere, sæpè hallucinatur, ut errat Iosias bellum Aegyptio inferens. Ac multa sunt tristia errata omnium sapientum, ut Cicero exclamat: O me nunquam sapientem. Multi lapsus accidunt, qui pariunt difficultates inexplicabiles humanis consilijs, & unus lapsus sæpē ingentem ruinam trahit, ut Dauidis adulterium. Deinde etiam bonis consilijs, & in bonis causis sæpē non respondet euentus. Possunt & subitō magnæ calamitates accidere, quæ summos ex suo fastigio deijciunt, ut uerè dicitur:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:
Et subito casu quæ ualuêre ruunt.

De his tantis impedimentis, de infirmitate humana, & inconstantia rerum humanarum, quæ multas habet arcanas causas, concionatur Ieremias, & simul docet confugere ad Deum, & ab ipso petere et expectare gubernationem & auxilium.

Hic

Hic igitur promiſſiones tenendæ ſunt: Non uos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris ueſtri cœleſtis, qui in uobis eſt. Item, Nõ relinquam uos orphanos. Item, Deus eſt qui efficit, ut uelitis & perficiatis. Item, Quantõ magis dabit Spiritum ſanctum petentibus? Item Pſalm: 36. A Domino greſſus hominis dirigentur, &c. His promiſſionibus freti petamus & expectemus auxilium ã Deo, & agnoſcamus ſalutaria agi non poſſe, niſi Deo nos iuuante, ut inquit Chriſtus: Sine me nihil poteſtis facere. Et Baptiſta, Non poteſt ſibi homo ſumere quicquam, niſi datum ſit ei de cœlo. *Promißiones de auxilio & gubernatione in uocatione.*

Pompeius, Brutus, Antonius, & alij multi, magna conati ſunt, ſed Deus alios prouexit. Etſi igitur hæc dicta concionantur de auxilio Dei in bonis & ſalutaribus actionibus, tamen non eſt inde ratiocinandum, prorſus nullam eſſe libertatem electionis humanæ. Ac multõ minus hoc ſequitur, Omnia bona & mala neceſſariõ & ã Deo fieri. Quare dictum Ieremiæ dextrè intelligatur, quòd uidelicet ſolis humanis conſilijs & uiribus non poſſint ſalutaria effici. *Promißiones de auxilio Dei non tollunt libertatem electionis.*

Diſcamus magnum & ingens donum Dei eſſe iuuari nos, ut ſimus organa Dei ſalutaria in omni adminiſtratione, nec deſerti, ſimus peſtes generis humani, ut Pharao, Nero, Manichæus, & ſimiles, & quotidiè nos hoc dictum Chriſti: Sine me nihil poteſtis facere, exuſcitet, ut ardentibus uotis precemur, ut ã Deo regamur. Perſpicuum eſt autem non ſequi hinc, Deum eſſe cauſam efficacem peccati. Imõ Eccleſia Dei, cum ſciat Deum uerè, ſeriõ & horribiliter odiſſe libidines Neronis, nequaquam dicet eas aut neceſſariõ accidiſſe, aut uolente Deo accidiſſe.

Obijciuntur & hæc dicta Epheſ: 1. Electi ſecundum propoſitum eius, qui facit omnia ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ. Et 1. Corinth. 12. Idem eſt Deus agens omnia in omnibus. Hæc dicta certum eſt in illis ipſis locis, ubi pronuntur, tantum loqui de Eccleſia, & de ſalutaribus actionibus, quas Deus excitat & regit in Eccleſia ſua: Nec loqui de uniuerſali rerum ſuſtentatione, ſeu de ſingulis omnium animantium motibus. Dextrè igitur intelligantur hæc dicta, nec à natiua ſententia transferantur in peregrinam. *De dictis Pauli Eph. 1. & 1 Corinth. 12.*

Hoc monet Paulus, non humanis conſilijs, aut uiribus ſeruari & regi Eccleſiam, ſed mirandis Dei operibus. Seruatio Noæ in diluuio, Defenſio populi in Aegypto & in deſerto, Res geſtæ Moyſi, Ioſuæ, Samuelis, Dauidis, & aliorum piorum, fuerunt & ſunt opera Dei in illis excitata, ad iuuandam Eccleſiam, & ad propagationem ueræ doctrinæ.

Quare hæc dicta conſolationes ſunt, quæ teſtantur adeſſe Deum membris Eccleſiæ ſuæ, & opitulari ſuis in periculis & ærumnis. Adiuuat Deus præliantem Dauidem, adiuuat morientem Laurentium, ne abijciat confeſſionem fractus metu. His igitur dictis & promiſſionibus nos confirmemus, ac regi nos petamus, ſicut ſæpè clamat Propheta, Dirige me in ueritate tua, & doce me etc. Omnia agis in Eccleſia tua ſalutaria, ſis in me quoq; ut in membro tuæ Eccleſiæ, efficax, fac me organon ſalutare, & uas miſericordiæ, &c. Ac horum dictorum explicatio multis alijs ſimilibus lucem affert.

Poſtremõ & illud addendum eſt, Rectè dici, Neceſſitatem eſſe duplicem: Alia neceſſitas nuncupatur abſoluta, cum uidelicet res aut propoſitio ſimpliciter neceſſaria eſt, ac poni oppoſitum prorſus impoſſibile eſt, & deſtructio omnium rerum; Vt hæ propoſitiones ſunt neceſſariæ, neceſſitate abſoluta, *Neceßitas duplex, Abſoluta & conſequentiæ.*

Deus est, Deus est essentia, intelligens, æterna, immensæ sapientiæ, potentiæ, iustitiæ, bonitatis, uolens iusta, casta, non uolens pugnantia cum sua mente, iniustam crudelitatem, incestas libidines &c.

Sed alia est necessitas consequentiæ, quæ est earum rerum aut propositionum, quæ possunt se natura sua aliter habere, sed fiunt necessariæ, uel propter præcedentes causas, uel quia determinatæ sunt. Et in his magna sunt discrimina. Aliter Deus determinat bona, quæ uult, cuiusmodi multa expressit, ut mortui certo die resuscitabuntur, hæc est necessaria, necessitate consequentiæ. Aliter determinat mala, quæ non uult, cum uidelicet metas constituit, nec sinit grassari ulterius malos. Sic fit necessaria, Pharao persequitur Israëlitas, hæc non est sua natura necessaria, sed reuera contingens. Ac fieri oppositum, non esset impossibile, sed quia sic euenit, dicitur necessaria, necessitate consequentiæ. Hæc puerilis distinctio non est inutilis, & sæpē traditur in scholis, ut consideremus, qui euentus uerè pendeant & oriantur à uoluntate Dei, qui aliunde oriantur.

Aliter Deus determinat bona, aliter mala.

Hic etiam de Physica necessitate dicendum est, ut ignis necessariō calefacit, Sol necessariō mouetur. Sed hanc Physicam necessitatem doctrina Ecclesiæ etiam ait esse necessitatem consequentiæ. Sic mouetur Sol, quia Deus hunc ordinem instituit, & mutare potest, ut ostendunt historiæ Iosuæ & Ezechiæ. Hæc aliàs copiosius traduntur.

Necessitas Physica.

Recitaui præcipuas materias, quæ in hac quæstione agitari solent, quibus diligenter consideratis, studiosi dextrè de hac tota controuersia iudicare poterunt, & satis perspicuè intelligent, nequaquam Stoicas opiniones in Ecclesiam inuehendas esse. Quomodo enim inuocabit Deum is, qui omnia necessariō euenire statuit? Deinde & moribus perniciosum est illud quod in Tragœdia dicitur, Fati ista culpa est, Nemo fit fato nocens: Sicut & Zenonis seruus dicebat se iniustè plecti, quia fato coactus esset peccare. Tales igitur sermones & opiniones fugiamus. Plato honestius loquitur, cuius hæc sunt uerba in secundo libro περὶ φιλίας: Omni contentione pugnandum est, ne quis in ciuitate, quam benè regi uolumus, uel dicat uel audiat, seu senex seu iuuenis, seu in poëmate, seu in alia narratione, Deum causam alicui esse malorum: Quod neq; sanctè ita dici potest, neq; utile est ciuitati, nec secum consentit in explicatione.

Stoicæ opiniones de necessitate pernicioſæ Ecclesiæ et moribus.

Adijciam explicationem usitati argumenti, ut mihi uidetur pijs mentibus utilem. Obijcitur enim, Secunda causa non agit sine prima, Secunda, ut uoluntas Euæ, est propriè causa peccati, ergo etiam prima. Hac obiectione scio ingenia interdum perturbari, & ex ea perturbatione labi in absurdas opiniones. Etsi autem responsio quædam tenuis & subtilis traditur ad elabendum, tamen aliam crassiorem & magis conspicuam tradam, quæ sumta est ex fundamento: Quòd Deus adest creaturis, non ut Stoicus Deus, alligatus causis secundis, ut moueat simpliciter, sicut mouent secundæ, sed ut agens liberrimum, sustentans naturam, & suo consilio aliter agens in alijs.

Dilutio obiectionis sumtæ ex Regula Physica, secunda causa non agit sine prima.

Vt in corporalibus, etsi sustentat naturam, tamen contra ordinem iussit aliquando Solem regredi, impediuit pluuias toto triennio, ac postea subitò dedit largum imbrem, fecit fœcundas anus. Ita quotidie sciamus multa in corporalibus fieri præter uim secundarum causarum, & tamen Deus eas sustentat. Multi liberantur uarijs periculis, in morbis, in acie, in aqua, ubi secundæ causæ

causæ eos destituunt. Vt igitur inuocatio uerè fieri possit, cogitemus Deum sic adesse suo opificio, non ut Stoici fingunt, alligatum secundis causis, sed sustentantem naturam, & multa suo liberrimo consilio moderantem. Sic agit Deus cum uoluntate, sustentans & iuuans ordine agentem, sed non iuuans ruentem contra ordinem, etsi eam sustentat. Sic enim condidit uoluntatem Euæ, ut esset liberum agens, quod posset tueri ordinem, aut deficere. Sit igitur hæc crassa solutio: Secunda causa non agit sine prima, scilicet sustentante. Hoc uniuersaliter uerum est, sed non semper adiuuante: Non enim adiuuat prima effectum quem non uult. Est igitur uoluntas Euæ immediata causa sui actus, cum auertit se à Deo.

Secunda causa non agit sine prima, scilicet sustentante, sed non adiuuante semper.

Nec eodem modo Stoicus & Christianus hanc propositionem intelligunt, Secunda causa non agit sine prima: Quia Stoici cogitant similem copulationem in omnibus, seu bonis, seu malis, ut est copulatio essentialis maris & fœminæ in procreatione; Sed Christianis necesse est discernere bona & mala. Secunda non agit sine prima, scilicet sustentante, sed multa facit prima causa præter secundas, quia est agens liberum. Et secunda libera, ut uoluntas Euæ uicioſè agit sine prima adiuuante, Quia talis facultas est libertas. Hæc sit explicatio perspicua, non nimis tenuis.

Alij sic dicunt, Secunda non agit sine prima, positiuum quiddam efficiens, Secunda, ut uoluntas Euæ, agit aliquit delinquens. Hic respondent, agit non positiuè, sed aberrans ac deficiens. Hæc solutio, si per priorem exponatur, erit planior, & eam esse sententiam huius obscurę solutionis, consentaneum est, ut copulatio primæ & secundę causę talis cogitetur, qualem Deus liberè agens uult esse, non ut nos copulationem maris & fœminæ cogitamus.

Alia solutio eiusdem argumenti.

Difficiles sunt hæ disputationes, ideò nos de Deo cogitantes, referamus mentem & oculos ad patefactionem Dei, ut eum sic agnoscamus, sicut se patefecit, & sic statuamus, Deum liberè adesse & opitulari inuocantibus, sicut promisit, Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum.

Hæc dicta de singulari actione & auxilio inculcentur animis. Nam illa obscura disputatio de generali sustentatione, non potest penitus perspici, sicut nec creatio intelligi potest. Et in summa teneatur hæc propositio. Adest Deus suo operi, non ut Stoicus Deus, sed uerè ut liberum agens, sustentans creaturam, & multa moderans.

DE HVMANIS VIRIBVS, SEV DE LIBERO ARBITRIO.

VAlla & plerique alij detrahunt uoluntati hominis libertatem, ideò, quia fiant omnia decernente Deo. Hæc imaginatio orta ex Stoicis disputationibus deducit eos ad tollendam contingentiam bonarum & malarum actionum, imò omnium motuum in Pecudibus & Elementis. Dixi autem suprà, non esse in Ecclesiam inuehendas illas Stoicas opiniones, nec defendendam esse necessitatem fatalem omnium, Sed aliquam contingentiam concedendam. Non necesse fuit Alexandrum interficere Clitum.

Valla cur detrahat homini libertatem.

Nec miscenda est disputatio de determinatione diuina, quæstioni de libero arbitrio. Nam cum de uoluntate hominis, & de cæteris humanis uiribus quęritur tantum de humana infirmitate disseritur, non de omnibus motibus in tota na-

Quæstio de libero arbitrio quærit de humana infirmitate, nõ de omnibus motibus.

tota natura. Nos ipsos, mentis nostræ caliginem, & uoluntatis & cordis imbecillitatem consideremus. Hanc doctrinam de nostris morbis proponit Ecclesia, non ut Stoicas opiniones ferat, non ut mentes implicet perplexis & inextricabilibus disputationibus. Sed ut monstret nobis beneficia filij Dei, qui missus est, ut destruat opera Diaboli, qui triste uulnus fecit in humana natura.

Monendi sunt autem rudiores, ut à Physicis sumant distinctiones & appellationes partium hominis, & conferant eas ad phrasin Prophetarum & Apostolorum.

In homine sunt partes diuersæ cognoscens & appetens.

In homine est pars cognoscens & iudicans, quæ uocatur mens uel intellectus, uel ratio, in hac parte sunt noticiæ. Altera pars appetens, uocatur Voluntas, quæ uel obtemperat iudicio, uel repugnat, & sub uoluntate sunt appetitiones sensuum, seu affectus, quorum subiectum & fons est cor, qui interdum congruunt, interdum pugnant cum uoluntate. Est sub uoluntate, & locomotiua. Harum explicatio copiosior sumatur à Physicis.

Liberum arbitrium quid uocetur.

Vocatur autem liberum arbitrium, Mens & Voluntas coniunctæ, Aut uocatur Liberum Arbitrium, facultas uoluntatis ad eligendum ac expetendum ea quæ monstrata sunt, & ad reijciendum eadem, quæ facultas in natura integra longè præstantior fuit, nunc multipliciter impedita est, ut postea dicemus. Sed iam declaro appellationem communissimè. Liberi Arbitrij erat, quòd Fabricius noluit aurum à Pyrrho oblatum accipere, & quòd Antigonus noluit aspicere allatum Pyrrhi interfecti caput. Cæterum in sermone Prophetarum & Apostolorum hæc uocabula sunt Mens & Cor, quæ ambo sumuntur pro intellectu & uoluntate, uerè, non simulatè aliquid uolente, hoc est, Complectuntur iudicium, & appetitiones ueras, non simulatas, non externum opus tantum. Extant autem longæ disputationes de uocabulo Liberi Arbitrij, quæ ab attentis facilè dijudicari possunt. His omissis, de re dicemus.

Quæstio de libero arbitrio quærit quatenus homo possit Deo obedire.

Cum enim dubitatur, an uoluntas humana sit libera, quod quæritur in Ecclesia, An & quatenus uoluntas humana possit obedire Legi Dei: De hac quæstione iudicari non potest, nisi magnitudo peccati, quod nobiscum nascitur, seu naturalis infirmitas consideretur. Item nisi sciamus Lege Dei postulari non tantum externa ciuilia facta, sed perpetuam & perfectam totius naturæ humanæ obedientiam, luxta illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Nam si natura hominis non esset corrupta peccato, haberet clariorem & firmiorem de Deo noticiam, non dubitaret de uoluntate Dei, haberet uerum timorem, ueram fiduciam, deniq; præstaret obedientiam integram Legi, hoc est, in natura hominis esset lux firmius statuens de Deo, & essent motus omnes consentientes Legi Dei. Nunc autem natura hominis oppressa morbo originis, plena est dubitationum de Deo, nec uerè timet, nec uerè confidit ei, nec ardet dilectione, & multæ flammæ sunt uicioſorum affectuum. Cum igitur manifestum sit naturam hominis nequaquam satisfacere Legi Dei, quæritur quid & quantum facere uoluntas possit.

Est aliqua libertas uoluntatis in operibus ciuilibus externis.

Primum igitur respondeo. Cum in natura hominis reliquum sit iudicium, & delectus quidam rerum, quæ sunt obiectæ rationi aut sensui, reliquus est etiam delectus externorum operum ciuilium: Quare uoluntas humana potest suis uiribus sine renouatione aliquo modo externa Legis opera facere. Hæc est libertas uoluntatis, quam Philosophi rectè tribuunt homini. Nam & Paulus di-

lus discernens iusticiam carnis à spirituali, fatetur non renatos habere delectũ aliquem,& facere aliqua externa legis opera,manus à cęde,à furto, à raptu continere, & hanc uocat lusticiam carnis.

Imò hanc disciplinam etiam non renatis præcipit Deus, & eius uiolationem tristissimis pœnis in hac uita regulariter punit,ut ostendunt supplicia homicidarum & incestorum.Ideõ dicitur:Lex posita est iniustis,id est,ad coërcendos non renatos,& ad puniendos contumaces.Item,Lex est Pædagogus,id est, coërcens & docens,& quidem additur(in Christum) Quo præconio disciplina honorificè ornata est. Etsi enim disciplina non meretur remissionem peccatorum,nec est iusticia qua coram Deo iusti dicimur, tamen res necessaria est, ut de Christo interim doceri possimus. Nec est efficax Spiritus sanctus in contumacibus, qui perseuerant in delictis contra conscientiam. Sed de causis,cur necessaria sit disciplina,postea dicemus: Nunc hoc tantum ostendimus ex illis testimonijs, quæ loquuntur de iusticia carnis esse aliquem delectum, id est, libertatem in non renatis,ad externa opera legis facienda.

Libertas uolũtatis ab infirmitate humana, & à Diabolo ualdè impeditur.

Sed tamen hic sciendum est, hanc ipsam libertatem duabus causis ualdè impediri,uidelicet ab infirmitate quæ nobiscum nascitur,& à Diabolo. Nam quia uicioſi affectus in hominibus sunt acres stimuli, & magna animorum incendia,homines sæpè obediunt illis cõtra consilium mentis,etiam cum possent se cohibere,si anniterentur, ut Medea inquit: Video meliora, proboq́, Deteriora sequor. Et Paulus inquit Eph: 2. Diabolum efficacem esse in impijs. Hic quoq́ disciplinæ rectionem in tota uita multipliciter impedit,ac impellit multos,ut ruant cœci & furentes in tristissima mala: Sicut de Saule & de Iuda manifestè scribitur, Intrauit in eum Satanas: Et illi magni furores in cultu idolorum, sęuitia tyrannorum & bellorum ciuilium,ut cum Xanthij & alij multi suas ciuitates ipsi accenderunt,& sese & coniuges,& paruos liberos in ignem coiecerunt,sunt manifesta opera Diaboli: Est ingens igitur imbecillitas generis humani, ut omnium temporum historiæ & quotidiana experientia docet, in qua tantum horribilium miseriarum cernitur,ut sapientes,Ethnici omnes ualdè mirati sint, unde tantum sit in hac præstanti natura confusionum & tristissimorum casuum.Sed tamen inter hæc impedimenta manet aliquis delectus,aliqua libertas,in mediocriter sanis, regendi externos mores.

Voluntas non potest exuere nascentem nobiscum prauitatem & Legi Dei satisfacere.

Secundò. Sed in Ecclesia Dei non tantum dicitur de externis moribus, sed de integra Legis impletione in corde. Mens in non renatis plena est dubitationum de Deo, corda sunt sine uero timore Dei, sine uera fiducia, & habent impetus ingentes contra Legem Dei. Deniq́ natura humana oppressa est peccato & morte, nec magnitudo huius mali conspicitur humano iudicio, sed in uerbo Dei reuelato. Hic certum est, homines non habere libertatem deponendi hanc prauitatem nobiscum nascentem,aut deponendi mortem. Hæc magna & præcipua generis humani mala intueamur, cum extenuatur libertas uoluntatis. Non potest uoluntas exuere nascentem nobiscum prauitatem, nec potest Legi Dei satisfacere, quia Lex Dei non tantum de externa disciplina & de umbra operum concionatur, sed postulat integram obedientiam cordis, ut Lex dicit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& omnibus uiribus &c.

Iudicat & damnat Lex peccatum in natura hominis, non tollit. Et sicut mortem,

mortem abiícere non poſſumus, ita prauitatem naſcentem nobiſcum, quæ pugnat cum lege Dei, non poſſumus exuere. Hæc mala agnoſcẽda ſunt, ut ẽ regione beneficia Chriſti conſpiciantur, qui tollit peccatum & mortem, & inſtaurat naturam humanam. Dixi iam de præcipuis malis, quæ non poteſt tollere uoluntas humana. Eatenus igitur uoluntas eſt captiua, non libera, ſcilicet ad tollendam naturæ prauitatem & mortem.

Actiones ſpirituales ſunt motus Spiritus ſancti.

Tertiõ de actionibus ſpiritualibus quæritur. Nam ab initio mundi uiua membra Eccleſiæ fuerunt, & ſunt, quæ reguntur non ſolum humanis uiribus, aut humana diligentia, ſed in quibus Spiritus ſanctus accendit motus ſpirituales, agnitionem Dei, timorem, fidem, dilectionem, & alias uirtutes, in alijs magis, in alijs minus excitatas. Rident hæc Philoſophi & Pelagiani, ſed tamen uerißimum eſt, effundi Spiritum ſanctum in corda credentium. Sicut in Zacharia dicitur: Effundam ſuper domum Dauid ſpiritum gratiæ & precum. Et ſciamus ampliſſimam conſolationem nobis proponi, quæ in tanta noſtra imbecillitate ſemper in conſpectu nobis eſſe debet.

Auxilium Spiritus ſancti ingens eſt Dei beneficium.

Ingens & inenarrabile beneficium Dei eſt, quõd promittitur nobis auxilium Spiritus ſancti: Sicut Chriſtus inquit, Quantõ magis Pater ueſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? Niſi iuuaremur Spiritu ſancto, multõ triſtiores lapſus, & atrociores confuſiones morum acciderent, ut fuerunt, et ſunt Ethnici & Anabaptiſtici furores. Hæc autem ſententia tenenda, & uera eſt, Voluntas humana non poteſt ſine Spiritu ſancto efficere ſpirituales effectus, quos Deus poſtulat, ſcilicet uerum timorem Dei, ueram fiduciam miſericordiæ Dei, ueram dilectionem Dei, tolerantiam & fortitudinem in afflictionibus, in ad eunda morte, ut ſuperarunt mortem ingenti robore Stephanus, Laurentius, Agnes, & alij innumerabiles.

Voluntas humana ſine Spiritu ſancto nõ poteſt efficere motus ſpirituales.

Teſtimonia colligenda ſunt, & ut refutentur Pelagiani, & ut nos ipſos accendamus ad petendum auxilium Spiritus ſancti. Item, ut diſcamus eos qui non reguntur Spiritu ſancto, non eſſe uiua membra Eccleſiæ.

Teſtimonia q, ij tantum ſint uiua membra Eccleſiæ, qui reguntur Spiritu ſancto.

Rom: 8. Qui ducuntur Spiritu Dei, hi ſunt filij Dei. Item, Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt Chriſti.

Hæ duæ ſententiæ ſatis perſpicuæ ſunt, & planẽ teſtantur hæredes uitæ æternæ donari & regi Spiritu ſancto. Et certum eſt Spiritum Dei in his dictis non ſignificare rationem, ſed Spiritum ſanctum à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto procedentem, & miſſum in corda piorum, & accendentem agnitionem Dei per Euangelium, & motus congruentes Legi Dei.

1. Corinth: 2. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Significat enim ψυχικὸς homo, uiuentem uita naturali, hoc eſt, ſenſu & ratione naturali, ſine Spiritu ſancto. Sic enim eo loco diſcernit Paulus animalem à ſpirituali. Quanquam enim homini naturaliter impreſſa eſt noticia quædam Legis diuinæ, tamen accedunt magnæ dubitationes de prouidentia, & multõ triſtior dubitatio eſt de Euangelio, an recipiamur, an exaudiamur, de quibus tenebris ſuum quiſq; cor conſulat, an uerè ſtatuat Deum iraſci peccatis, an uerè ſtatuat ſe recipi, exaudiri, iuuari in afflictionibus. In hac conſideratione ſecuri & ocioſi animi, aut fugientis Deum, intelligitur dictum Pauli, Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, id eſt, non uerè ſtatuit Deum iraſci peccato, nec ſentit iram, nec uerè timet Deum, ut Dauid committens adulterium, nondum ſentit iram Dei, ſed poſtea ſentit, rurſus accenſus à Spiritu ſancto.

Item,

Item, Saul fugit Deum, non inuocat, non statuit se iuuari à Deo, non confidit Deo.

Iohan: 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Ioan. 6. Nemo potest uenire ad me, nisi quem Pater traxerit. Item, Sine me nihil potestis facere.

Et Esai: 59. Veniet Sion redemtor ijs, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, uerba quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui in sempiternum. Hæc uerba dulcissimam Ecclesiæ descriptionem continent, ac docent quæ sit, & ubi sit Ecclesia, & quæ habeat propria beneficia Dei. Ille cœtus est Ecclesia, qui sonat Euangelium traditum Prophetis & Apostolis, & ibi sunt uiua membra Ecclesiæ, habentia Spiritum sanctum, & hæc habet propria beneficia, Verbum Dei, Remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & Vitam æternam.

Sciendum est autem, Spiritum sanctum efficacem esse per uocem Euangelij auditam, seu cogitatam, ut Galat: 3. dicitur, Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Ac sæpè dictum est, cogitantes de Deo oportere ordiri à uerbo Dei, non quærere Deum sine suo uerbo. Cumq; ordimur à uerbo, hic concurrunt tres causæ bonæ actionis. Verbum Dei, Spiritus sanctus, & humana uoluntas assentiens, nec repugnans uerbo Dei: Posset enim excutere, ut excutit Saul sua sponte: Sed cum mens audiens ac se sustentans non repugnat, non indulget diffidentiæ, sed adiuuante etiam Spiritu sancto conatur assentiri, in hoc certamine uoluntas non est ociosa.

Spiritus sanctus efficax est per uocē Euangelij.

Tres causæ bonæ actionis.

Veteres dixerunt, Præcedente gratia, comitante uoluntate, bona opera fieri: Sic & Basilius inquit, μόνον θέλησον, ⊙ θεὸς προαπαντᾷ. Tantum uelis, & Deus præoccurrit. Deus anteuertit nos, uocat, mouet, adiuuat, sed nos uiderimus, ne repugnemus. Constat enim peccatum oriri à nobis, non à uoluntate Dei. Chrysostomus inquit, ὁ δὲ ἕλκων, τὸν βιαζόμενον ἕλκει. Sicut & in illo ipso loco Iohan: dicitur: Omnis qui audit à Patre, & discit, ueniet ad me: Discere iubet, id est, audire uerbum, non repugnare, sed assentiri uerbo Dei, non indulgere diffidentiæ.

In lucta uoluntatis sentitur auxilium Spiritus sancti, & quòd uoluntas non sit ociosa.

Hæc sunt perspicua, si in ueris doloribus, in uera inuocatione experiamur qualis sit lucta uoluntatis, quæ si se haberet ut statua, nullum prorsus certamen, nulla lucta, nulli angores essent in Sanctis. Cum autem sit certamen ingens & difficile, uoluntas non est ociosa, sed languidè assentitur, & nisi promissionibus & exemplis inter inuocandum subinde commonefieret, ac iuuaretur à Spiritu sancto, rueret in desperationem.

Vidi multos non Epicureos, qui cum essent in aliquo mœrore propter suos lapsus, disputabant, quomodo sperem me recipi, cum non sentiam in me transfundi nouam lucem, & nouas uirtutes? Præterea si nihil agit liberum arbitrium, interea donec sensero fieri illam regenerationem, de qua dicitis, indulgebo diffidentiæ & alijs uicijs affectibus. Hæc Manichæa imaginatio horribile mendacium est, & ab hoc errore mentes abducendæ sunt, & docendæ Agere aliquid liberum arbitrium. Pharao, Saul, non coacti, sed uolentes & liberè repugnant Deo, toties tam illustria testimonia suæ præsentiæ ostendenti.

Nec admittendi sunt Manichæorum furores, qui fingunt aliquem esse numerum hominum, quos uocant ὑλικοὺς καὶ χοϊκούς, qui conuerti non possint.

Manichæorū ὑλικοὶ et χοϊκοὶ explodēdi.

Nec fit conuerſio in Dauide, ut ſi lapis in ficum uerteretur: Sed agit aliquid liberum arbitrium in Dauide, cum audiuit obiurgationem & promiſſionem, uolens iam & liberē fatetur delictum: Et agit aliquid eius uoluntas, cum ſe ſuſtentat hac uoce, Dominus abſtulit peccatum tuum. Cumq; conatur ſe hac uoce ſuſtentare, iam adiuuatur à Spiritu ſancto, iuxta illud Pauli: Euangelium eſt potentia Dei, ad ſalutem non repugnanti, id eſt, non contemnenti promiſſionem, ſed aſſentienti & credenti. Item, Euangelium eſt miniſterium Spiritus. Item, Vt promiſſionem Spiritus accipiamus per fidem.

Agit aliquid uolūtas in conuerſione.

Si tantum expectanda eſſet illa infuſio qualitatum ſine ulla noſtra actione, ſicut Enthuſiaſtæ & Manichæi finxerunt, nihil opus eſſe miniſterio Euangelico, nulla etiam lucta in animis eſſet. Sed inſtituit Deus miniſterium, ut uox accipiatur, ut promiſſionem mens cogitet, & amplectatur, & dum repugnamus diffidentiæ, Spiritus ſanctus ſimul in nobis ſit efficax.

Enthuſiaſtarū et Manichæorum figmenta tollunt miniſterium.

Sic igitur illis, qui ceſſationem ſuam excuſant, qui putant nihil agere liberum arbitrium, reſpondeo: Imō mandatum Dei æternum & immotum eſt, ut uoce Euangelij obtemperes, ut filium Dei audias, ut agnoſcas Mediatorem. Quām tetra ſunt hæc peccata, nolle aſpicere donatum generi humano Mediatorem filium Dei? Non poſſum, inquies: Imō aliquo modo potes, & cum te uoce Euangelij ſuſtentas, adiuuari te à Deo petito, & ſcito Spiritum ſanctum efficacem eſſe in ea conſolatione: Scito uelle Deum hoc ipſo modo nos conuertere, cum promiſſione excitati luctamur nobiſcum, inuocamus & repugnamus diffidentiæ noſtræ, & aliis uicioſis affectibus. Ideō ueteres aliqui ſic dixerunt, Liberum arbitrium in homine facultatem eſſe applicandi ſe ad gratiam, id eſt, audit promiſſionem, & adſentiri conatur, & abijcit peccata contra conſcientiam. Talia non fiunt in Diabolis. Diſcrimen igitur inter diabolos & genus humanum conſideretur, Fiunt autem hæc illuſtriora, conſiderata promiſſione. Cum promiſſio ſit uniuerſalis, nec ſint in Deo contrariæ uoluntates, neceſſe eſt, in nobis eſſe aliquam diſcriminis cauſam, cur Saul abijciatur, Dauid recipiatur, id eſt, neceſſe eſt aliquam eſſe actionem diſſimilem in his duobus. Hæc dextrē intellecta uera ſunt, & uſus in exercitijs fidei, & in uera cōſolatione, cum acquieſcunt animi in Filio Dei, monſtrato in promiſſione, illuſtrabit hanc copulationem cauſarum uerbi Dei, Spiritus ſancti, & uoluntatis.

Reſponſio ad illos qui putant nihil agere uolūtatem.

Veterib. quid ſit Liberum arbitrium.

Præterea ſi de tota uita piorum loquamur, etſi eſt ingens imbecillitas, tamen aliqua eſt libertas uoluntatis, cum quidem iam à Spiritu ſancto adiuuetur, & agere aliquid in externis lapſibus cauendis poſſit. Cum Ioſeph reſiſteret illecebris adulteræ, concurrebant hæ cauſæ, Verbum Dei, & Spiritus ſanctus mouens mentem, ut uerbum ardentius cogitaret. Mens cogitans quanta ruina ſecutura eſſet, ſi Diabolo obtemperaret, uidelicet amiſſio donorum, æterna ira Dei, pœnæ in hac uita & futura, præterea multi lapſus, & multa ſcandala, his cogitationibus mota uoluntas aſſentiebatur, & confirmabat eam languentem Spiritus ſanctus, & flammas in corde reprimebat, & excitabat timorem Dei & fidem, quæ acquieſcebat in Deo, adibat pericula, & petebat gubernationem & exitus bonos. Hic uoluntas non erat ocioſa, ſed repugnabat ipſa illecebris, & mandabat oculis & pedibus, ut uitarent occaſionem lapſuum. Hæc exempla declarant cauſas bonarum actionum.

In cōuerſis uoluntati adiutæ à Spiritu ſancto eſt aliqua libertas.

Ideō autem hæc omnia dicta ſunt, ut fiat utrunq;, uidelicet, Spiritus ſancti auxilium amplificetur, & acuatur noſtra diligentia, ſicut Chriſtus inquit: Dabit Spi-

bit Spiritum sanctum petentibus, non ait aspernantibus, ociosis, repugnantibus, petulanter ruentibus ex alijs sceleribus in alia. Et alio loco inquit: Habenti dabitur, & à non habente etiam id quod habet auferetur. Et Paulus iubet cauere, ne frustra gratiam acceperimus. *Dabit Spiritū sanctum petentibus.*

Sæpè multumcp repetas animo dictum Christi: Dabit Spiritum sanctum petentibus, & diligenter cogita, quantum munus promittat, & quoties quàm ardenter iusserit petere. Petite, inquit, & accipietis. Hoc si faciemus, proficere nos experiemur. Accendetur enim fides ad petendum, & animaduertemus nos propter diffidentiam negligentius petere. Diffidentia autem alitur, quia negligimus cogitationem huius præcepti, & huius promissionis Christi.

Quartò. Consideranda est querela de obiectis, & successibus extra nos: Aliud est enim de illis loqui, aliud loqui de electione uoluntatis in re quam prospicit. Multa enim accidunt homini inextricabilia humano consilio, quæ non tantum à nobis oriuntur, ut cum Dauid pellitur in exilium scelere filij, Item multi sunt errores humani in deliberatione, ut Iosias putat se rectè facere, quòd bellum infert Aegyptio. *De querela quantum ad obiecta et successus extra nos.*

De his periculis concionantur multa dicta in Prophetis, ut Ierem: 10. Scio Domine, quòd non est hominis uia eius, & uiri dirigere gressus suos. Viam intelligit uocationem, de qua manifestum est non posse prospici omnia pericula, & euentus ac successus non est in nostra potestate. Vocatur Moyses, ut ducat populum ex Aegypto, sed nequaquam præuidet totos quadringinta annos in locis desertis tantam multitudinem uagaturam esse, ubi deerant aquæ & frumentum, & propter peccata populi, & propter seditiones gubernationem fore inquietam, & sciebat se successus non habere in manibus, sed à Deo regendos esse. Ideò inquit Ieremias: Viam hominis non esse in nostra potestate, id est, uocationem non posse regi tantum humanis consilijs, seu humana diligentia, nec felicem esse gubernationem, nisi Deus adiuuet.

Sic & Baptista inquit: Non potest sibi homo quicquam sumere, nisi datum sit ei de cœlo. Ezechias est felix in gubernatione, quia à Deo adiuuatur. Achas non est felix, quia non adiuuatur à Deo. Antonius uult solus dominari, sed non erat ei datum de cœlo, sed dabatur Augusto. Hæc dicta nondum tollunt libertatem uoluntatis, quod ad electionem attinet in his quæ præuisa sunt: Sed loquuntur de obiectis extra nos, & de euentibus, ad quos concurrunt aliæ plures causæ, præter nostram uoluntatem, ut sola Pompeij uoluntas non potest esse causa uictoriæ. *Dicta de euentibus & successu non tollūt libertatem uoluntatis in electione præuisorum.*

Quanquam igitur est aliqua libertas in electione, tamen interim & hæc impedimenta consideremus, ut discamus deponere nostri fiduciam, & petere auxilium à Deo. Valde multa accidunt homini, inextricabilia humanis consilijs. De his discamus precationem Iosaphat. 2. Paralip: 20. Cum ignoramus quid faciendum sit, oculi nostri ad te Domine respiciunt. Et Christus ideò inquit: Non relinquam uos orphanos. Item, Dabo uobis Spiritum Paracletum, &c. Adest Deus, & inextricabilia expedit, & sanat errata, sicut inquit Psalmus: Propè est Dominus inuocantibus eum in ueritate. Item, Alleuat Dominus omnes qui corruunt. Item, Commenda Domino uiam tuam, & ipse faciet. *Adest Deus in uocatus & in extricabilia expedit, sanat errata.*

Et Paulus inquit: Deus qui efficit ut uelitis, efficiet etiam ut perficiatis, ut ipsi grata fiant. Hæc admonitio & consolatio semper animis inculcanda

est: Es magistratus, gubernas Ecclesiam, aut iuuentutem, aut familiam, prœuidebis quædam, & hæc rectè administrabis mediocri diligentia, sed scito, in ipso successus bonos secuturos esse, si te Deus adiuuet, ut dicitur: Nisi Dominus ædificauerit domum, &c. Præter hæc etiam multa pericula accident improuisa, quæ non poteris discutere, hæc à Deo discuti petas: Incident & errata quædam, hæc sanari petas, ut mirando modo correxit Deus erratum Ionæ. Hęc impedimenta libertatis quotidiè experimur.

Sed ideò de hac quæstione confusiora sunt iudicia, quia homines magna ex parte tanquam ebrij, sine disciplina, sine diligentia, sine ullis exercitijs fidei et inuocationis uiuunt. Tales quomodo possunt discernere gradus actionum, aut discrimina obiectorum?

Pauli est, ne accersat sciens corruptelas doctrinæ, per ambitionem, uel auaritiam. Hæc aliquo modo sunt in potestate eius: Sed ut sit uocatio felix & efficax, solius Dei donum est. Est & hoc Dei donum, ne ignarus, uel errore implicetur corruptelis doctrinæ, aut alijs uicijs, ideò magna cura orat se à Deo regi & iuuari.

De dicto, Deus reliquit hominem &c.

Nunc dicam de dicto Ecclesiastici, Deus reliquit hominem in manu consilij sui. Amplissima laus est, si cum aliqua moderatione intelligatur. Certè nunc in hac naturæ infirmitate multa sunt impedimenta libertatis. Primum naturæ

I. Impedimentum libertatis corruptio naturæ.

corruptio, propter quam noticia de Deo in mentibus nostris obscura est, & uoluntas & cor à Deo aberrant, nec habent acrem sensum timoris Dei, nec ardent fiducia & dilectione Dei, & rapiuntur multis uicijs motibus.

II. Diabolus.

Secundum impedimentum est Diabolus, qui horribili odio Christi obijcit occasiones, quibus implicat homines uarijs laqueis, & peccatis, & admissas flammas cupiditatum auget, ut in Cain, Saule, Iuda, & alijs.

III. Confusio negociorum et periculorum.

Tertium impedimentum est in hac uitæ confusione moles ipsa negociorum & periculorum, in quibus quotidiè multa improuisa & inextricabilia præter opinionem hominum offeruntur, ut Dauid non præuidit seditionem filij. Et uulgò dicitur, nescis quid uesper serus uehat.

Cum igitur tanta sint impedimenta libertatis in hac corruptione naturæ, illa glorioſa oratio, Deus reliquit hominem in manu consilij sui, non est sine aliqua interpretatione accipienda. Vera est quidem hæc laus libertatis de integra natura: Tunc fuisset homo in manu consilij sui, id est, non fuisset impedita libertas, nec natura tenebris & prauitate, nec à Diabolo, nec à negociorum fluctibus, sed electio & facultas rectè agendi fuisset liberrima. Nunc uerò in hac imbecillitate interiores motus congruentes Legi Dei, non accenduntur sine Spiritu sancto, Imò etiam exterior disciplina sæpè impeditur, ut suprà dictum est. Quare si quis contendit dictum Ecclesiastici de præsenti natura accipiendum esse, necesse erit addi magnam restrictionem, uidelicet, Deus reliquit hominem in manu consilij sui, scilicet, ut per sese ruere possit ad malum, & adiutus à Spiritu sancto rectè facere possit: Nam & tunc uoluntas non est ociosa,

Voluntas adiuuante Spiritu sancto fit magis libera.

nec habet se ut statua, ut Ioseph experitur, qui ipse luctatur secum, nec imprimitur ei motus spiritualis ut statuæ. Fit autem uoluntas adiuuante Spiritu sancto magis libera, id est, circumspectius & constantius agens, et ardentius inuocans Deum.

De dicto Hieronymi, Deum non præcepisse impoßibilia

Postremò hic recitanda sunt duo dicta Hieronymi, quæ sæpè citantur, & indigent interpretatione. Alterum est, Anathema sit, si quis dixerit Deum imposſibilia

possibilia præcepisse. Quæcunq; fuit occasio huius dicti, certē illi qui citant & inculcant, ostendunt se non cogitare causas, cur Lex Dei lata sit. Politica sapientia iudicat Leges ferri tantum ideō ut fiant. At Lex Dei lata est præcipuē ob hanc causam, ut extet iudicium Dei aduersus peccatum, Deus uult conspici iram suam, & uoce Legis ostendit nobis peccata nostra. Iustum erat, diligi Deum ex toto corde: Quia igitur tales non sumus, iudicat & accusat nos Lex, & iram nobis denunciat. Altera deinde causa est, ut incoëtur Lex Dei in his qui iam agnoscunt Mediatorem, & reconciliati sunt, & in his incoatur, adiuuante Deo.

Itaq; cum audis hanc uocem, Lex est impossibilis, non consulenda est politica sapientia, nec cogitandum de disciplina externa, sed negat Paulus tolli iram Dei per Legem, negat & Legi satisfieri in hac imbecillitate naturæ.

Lex possibilis quòd ad externa opera.

Item, Rom. 3. Non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Hic fatetur fieri opera. Est ergo quòd ad illa externa opera attinet, Lex possibilis, sed negat propter hæc opera hominem iustum esse, aut Legi satisfactum esse. Non enim auferunt peccatum & iram Dei, uel tenebras in mente, & auersionem ā Deo in uoluntate & corde.

Lex Dei est impossibilis in hac corrupta natura.

Etsi igitur offenduntur uiri politici, cum Lex Dei dicitur impossibilis, tamen id dictum uerum est de hac corrupta natura, & necesse est sic docere Ecclesiam, ut discrimen Legis Dei, quæ iudicat interiora peccata, & Legum humanarum, quæ tantum loquuntur de externa disciplina, conspiciatur. Item ut magnitudo beneficiorum Christi agnoscatur, qui ideō tollit peccatum, quia Lex non tollit, Ideō est Mediator, ut propter ipsum simus iusti, quia Lege non sumus iusti: Ideō donat nobis Spiritum sanctum, ut in tanta infirmitate tamen incoëtur Lex, & fiant aliqua salutaria nobis et alijs, & reprimatur Diabolus insidians uniuerso generi humano.

Alterum dictū Hieronymi, legem non posse fieri sine gratia.

Nunc & alterum dictum consideretur: Anathema sit, si quis dicit Legem posse fieri sine gratia. Breuitas huius dicti etiam postulat explicationem. Nam gratia non tantum intelligatur de auxilio Spiritus sancti, sed utrumq; complectamur, gratuitam imputationem, quæ fit propter Christum, & auxilium Spiritus sancti. Primum enim oportet operibus prælucere agnitionem Christi, & fidem in Christum.

Gratia & gratuitam acceptationem & donum Spiritus sancti significat.

Sic ergo primum intelligatur gratia. Lex Dei fit per gratiam, id est, Quia fide propter Christum recepti sumus, & facti membra Christi, certō iam placemus Deo, perinde ac si Legem integrē faceremus. Hæc est ingens bonitas, ita sepeliri peccatum, & nos indignos recipi.

Deinde intelligatur gratia etiam de auxilio, quo multipliciter opus est. Mentes sunt accendendæ luce uera, & retinendæ in uerbo Dei. Motus fidei in corde excitandi sunt, mouendæ etiam mentes sunt, ut suscipiant salutaria nobis & alijs, ut Dauid mouebatur ad exitiosa, cum suo aliquo humano consilio cogitasset de numerando populo. Semper igitur petamus, ut & Deo placentia, & utilia nobis & Ecclesiæ faciamus. Ac neutrum fieri potest, nisi Deo nos adiuuante & gubernante. Certum est autem, uelle eum nobis adesse, & opem ferre, cum petimus, ut Christus clarē inquit: Quantō magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Hæc si in uita experiremur, multō clarius intelligi doctrina posset: Sed quia pauci petunt auxilium, imō quadam desperatione fugientes Deum, quæ-

runt humana consilia: Ideò non perueniunt ad agnitionem harum promissionum & beneficiorum Christi. Quare hanc ignauiam & diffidentiam excutiamus, & agnoscentes magnitudinem nostrarum miseriarum & periculorum excitemus nos ad ueram inuocationem. In hac sentiemus promissiones Dei ueras esse, sicut dicitur: Petite & accipietis. Item, Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum in ueritate.

Vt autem iam in dicto Hieronymi utrunq; complexi sumus, Lex fit per gratiam, id est, imputatione propter Christum, & auxilio Spiritus sancti. Nam etiam cum incoata est obedientia, tamen adhuc procul absumus à perfectione Legis, sed placemus propter Christum. Ita utrunq; complectamur in hoc dicto: Lex per fidem stabilitur. Primum imputatione: Quia propter Christum accipimus reconciliationem, sine qua Lex tantum uox est damnationis. Deinde, quia fide accipitur Spiritus sanctus, & incoatur & placet obedientia propter Christum.

Quomodo stabiliatur Lex per fidem.

DE PECCATO.

Sola Ecclesia docet unde & quid sit peccatum.

ETsi omnes Gentes uident horrendam confusionem, uicia & calamitates tristissimas generis humani, ac sentiunt onus peccati, tamen sola Ecclesia Dei docet & unde sit, & quid sit peccatum, & audit uerbum Dei de ira diuina, & de pœnis præsentibus & æternis. Et quanquam sapientia humana docet regere mores, improbat & punit facta contra rationem, tamen non agnoscit hoc quod est proprium in peccati ratione, uidelicet, reatum coram Deo, seu iram Dei. Videt Alexander se turpiter fecisse, cum interfecit Clitum, & dolet propterea quòd contra naturæ iudicium fecit, sed non dolet quòd Deum offenderit, non dolet se reum esse coram Deo. Sed Ecclesia monstrat iram Dei, & docet longè maius malum esse peccatum, quàm putat humana ratio. Nec arguit Ecclesia tantum externas actiones, pugnantes cum Lege Dei, aut ratione, sicut Philosophia, sed arguit radicem & fructus, interiorem caliginem mentis, dubitationes de uoluntate Dei, auersionem uoluntatis humanæ à Deo, & contumaciam cordis contra Legem Dei. Arguit & ignorationem & contemtum Filij Dei. Hæc sunt tristia & atrocia mala, quorum magnitudo enarrari non potest. Ideò Christus inquit: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, eò quòd non credũt in me, & de iusticia, eò quòd uado ad Patrem, & de iudicio, eò quòd princeps mundi iam iudicatus est.

De dicto Christi, Spiritus sanctus arguet mundum de peccato.

Hæc est concio prorsus aliena à politicis iudicijs. Ideò dicit arguí mundum à Spiritu sancto, uoce Euangelij, non humanis & ciuilibus iudicijs, & arguí de hoc peccato, uidelicet de contemtu filij Dei, quòd Euangelium & beneficia Christi aspernentur homines, nec accedant ad Deum fiducia filij Dei, sed maneant in perpetuis dubitationibus, & fugiant Deum, aut fingant cultus & idola horribili audacia.

De iusticia.

Deinde inquit, etiam arguet mundum de iusticia: Nam sapientes putant iusticiam esse, qualemcunq; disciplinam, seu obedientiam uniuersalem, ut uocant, iuxta Leges: Sed longè aliam iusticiam affert Euangelium. Nam disciplina illa humana nec peccatum nec mortem tollit, sed iusticia coram Deo, qua Deus nos reputat iustos, acceptos & hæredes uitæ æternæ, abolet peccatum & mortem, sicut inquit: Hæc est meus transitus ad Patrem, id est, mea pro uobis

uobis oblatio & satisfactio, & transitus ad regnum, in quo pro uobis sum perpetuus Mediator, sanctifico & uiuifico uos ad uitam æternam, tollo peccatum & mortem. Hic transitus ad Patrem, & hoc regnum Christi iustificat nos.

Tertiò addit, De iudicio. Mundus semper mouit & mouebit ingentia certamina contra hanc doctrinam, et damnauit et damnabit filium Dei, & diabolus incitat sua organa ad blasphema iudicia & crudelitatem, sicut hæreses, blasphemiæ, & sæuitia omnium temporum ostendunt. Sed hi furores Diaboli non delebunt Ecclesiam, semper enim confirmabit Spiritus sanctus Ecclesiam, ut opponat se impijs iudicijs, & uincet Ecclesia tandem, quia diabolus condemnatus est. Quare eius iudicia & furores Deus confundit. *De Iudicio.*

Cum igitur Spiritus sanctus uoce ministerij Euangelici arguit mundum, & ostendit unde & quid sit peccatum, & quantum malum sit, necesse est audire Spiritum sanctum docentem, nec intelligi beneficia Christi possunt si ignoretur quid sit peccatum: Imò propter hanc ipsam causam Deus & uoce ministerij, & ingentibus calamitatibus concionatur Ecclesiæ, ut agnoscamus iram aduersus peccatum, & confugiamus ad Filium Mediatorem. Et Christus doctrinæ summam in Ecclesia ita comprehendit. Ite prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Complectitur autem agnitionem peccati, id est, pauores qui existunt agnita ira Dei aduersus peccatum. Et Paulus in Epistola ad Romanos præcipuè hoc agit, ut hos tres locos declaret, quid sit peccatum, quid Lex efficiat, quid gratia Christi sit & efficiat. Sciamus igitur doctrinam horum locorum oportere perspicuam, sinceram & explicatam in Ecclesia extare. *Necesse est audire Spiritum sanctum docentem & arguentem uoce ministerij.*

Vsitatum est autem in docendo à definitionibus ordiri, Quare & peccati definitio primum cõstituenda erat, sed uideo scriptores, qui ediderunt quæstiones in Longobardum, non tradidisse unam communem definitionem, conuenientem peccato originis, & peccato actuali, fortassis quia ita cogitarunt, non posse tradi communem definitionem: Quia peccatum actuale facit reos propter nostrum factum, at originale reos tenet tum propter alienum lapsum, tum propter nostram immundiciem, quæ nascitur nobiscum. *Errores scholasticorum in definitione peccati.*

Deinde fingunt ipsi & hoc, Legem Dei tantum actualia peccata damnare, quòd falsum esse constat ex septimo capite ad Romanos.

Nominis ratio in Scripturis manifesta est, peccatum propriè significare quiddam reum ac damnatum à Deo, nisi fiat remissio. Hæc generalis descriptio conuenit peccato originis & actuali. Sed quia tantum fit mentio relationis, scilicet reatus, quærit mens etiam id propter quod homo reus est. Ideò hac definitione utor, & optarim extare aliquam in Ecclesia, multorum doctorum & piorum iudicijs compositam: PECCATVM est defectus, uel inclinatio, uel actio pugnans cum lege Dei, offendens Deum, damnata à Deo, & faciens reos æternæ iræ, & æternarũ pœnarum, nisi sit facta remissio. In hac definitione genera sunt, defectus, & inclinatio, quę congruunt ad malum originis. Actio comprehendit omnia actualia, interiora & exteriora. *Peccati definitio uera et definitionis explicatio.*

Differentia communis est, pugnans cum Lege Dei: Nam Lex non tantum concionatur de actionibus, ut dicunt aduersarij, sed etiam damnat tenebras, defectus & prauas inclinationes in natura hominis, ut Rom: 7. Paulus acerrimè contendit.

Deinde addita sunt propria, damnata à Deo, offendens DEVM, & faciens

ciens reos iræ & pœnarum &c. Hanc proprietatem Ecclesia præcipuè inculcat. Nam ratio intelligit uicia contra Legem Dei esse, sed iram Dei postea negligit. Præcipua igitur hęc proprietas consideranda est, quoties nominatur peccatum, ut sciamus intelligi quiddam reum & damnatum à Deo.

Proprietas peccati, quòd sit quiddã reum & damnatum à Deo.

Sumta est autem hæc definitio ex his uerbis, Maledictus qui non manet in omnibus, quæ scripta sunt in Lege. Peccatum definit inobedientiam maledictam à Deo. Et intelligatur inobedientia non tantum actualis, sed uniuersa quæ est in natura hominis aduersus Deum. Est autem atrox additio, dici maledictum à Deo, id est, quiddam quod Deus iratus reiicit, & propter quod creaturam abiicit in horribiles pœnas.

Vnde sit sumta definitio.

Congruunt etiam cum hac definitione uerba Pauli Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, &c. Et Rom. 7. inquit Paulus: Per Legem peccatum fit excellenter peccatum, id est, Lex monstrat iram Dei, qua agnita, intelligimus nostram immundiciem non esse leue malum, sed esse quiddam reum, damnatum, maledictum à Deo, quod comitantur horribiles pœnæ. Quoties ergo nominatur peccatum, discernatur hæc appellatio in Ecclesia, à Philosophica appellatione uicij: Nam Ecclesia concionatur de iudicio, & de ira Dei.

Si quis imaginatur peccatũ originis tantum esse reatum propter lapsum Adæ, sine prauitate in nobis, errat. Si quis autem contendit, nascentes esse reos & propter Adæ lapsum, & propter prauitatem nobiscum nascentem, non impedio quõ minus addat eam particulam definitioni, quòd peccatum sit tum reatus propter Adæ lapsum, tum defectus uel inclinatio, uel actio pugnans cum lege Dei &c. Sed nolo tenuissimè omnia limare. Hoc constat, propter Adæ lapsum posteritati deesse eam lucem, quæ fulsit in natura integra, & rectitudinem uoluntatis & cordis, ac propter hæc mala nascentes esse reos, non dubium est.

Species peccati originale et actuale.

Constituta autem definitione peccati in genere, deinde de speciebus dicatur, de Originali & Actuali, nec seramus λογομαχίας & cauillationes uerborum, sed res necessarias in Prophetica & Apostolica scriptura, & testimonijs certis scriptorum ueterum traditas retineamus, quas, si alij melius explicant, libenter ipsorum sermone utamur. Non enim de uerbis pugnamus, sed res necessarias exponimus. Mihi non displicet retineri Anshelmi descriptionem.

DE PECCATO ORIGINIS.

Peccatum originis quid sit.

PEccatum Originis est carentia iusticiæ originalis, debitæ inesse. Sed hæc descriptio breuis & obscura, indiget longiore enarratione. Necesse est enim quæri quid significet iusticia originalis, Ideõ addi hanc declarationem necesse est: Iusticia originalis fuit acceptatio humani generis coram Deo, & in ipsa natura hominum lux in mente, qua firmiter assentiri uerbo Dei poterat & conuersio uoluntatis ad Deum, & obedientia cordis congruens cum iudicio Legis Dei, quæ menti insita erat.

Iusticia originalis quæ sit complexa.

Hæc omnia complexam esse iusticiam originis, intelligi potest ex hoc dicto. Homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei, quod interpretatur Paulus, ac docet imaginem Dei esse mentem agnoscentem Deum, & uoluntatem

luntatem liberam, iustam, & congruentem cum Lege Dei, sicut Ephes. 4. dicitur, Conditus homo in iusticia & sanctitate uera. Veram sanctitatem uocat omnes uirtutes, uero corde relatas ad hunc finem, ut Deo obedientia præstaretur, ut Deus diligeretur & celebraretur. Postquam igitur constitutum est, quid significet iusticia originalis, deinde opposita priuatio utcunq; declarari potest.

Peccatum originis quæ comprehendat.

Peccatum originis est carentia iusticiæ originalis, id est, est in natis ex uirili semine amissio lucis in mente, & auersio uoluntatis ā Deo, & contumacia cordis, ne possint uerè obedire Legi Dei, secuta lapsum Adæ propter quam corruptionem nati sunt rei, & filij iræ, id est, damnati à Deo, nisi fuerit facta remissio. Si quis uult addere, natos etiam propter lapsum Adæ reos esse, non impedio. Reuera autem perpetua Ecclesiæ sententia est, Prophetarum, Apostolorum & scriptorum ueterum: Peccatum originis non tantum esse imputationem, sed in ipsa hominum natura caliginem & prauitatem, ut dixi. Idq; copiosius declarabo in testimonijs, & congruent Augustini, Hugonis & Bonaueturæ dicta ad hanc sententiam, etiamsi alij recentiores magis prophani, nonnihil discesserunt à ueteri sententia, & inextricabiles cauillationes finxerunt. Sed Hugo præclarè dicit, Peccatum originis esse ignorantiam in mente, & inobedientiam in uoluntate.

Peccatum originis non tantum est imputatio, sed in natura hominis caligo & prauitas.

TESTIMONIA.

Omnes homines nascentes ex uirili semine afferre secum peccatū.

POstquam tradita est definitio, testimonia addamus, quæ affirmāt omnes homines nascentes ex uirili semine afferre secum peccatum, ut sciant hanc doctrinam non ex disputationibus recentium scriptorum natam esse, sed uerè traditam à Spiritu sancto, per Prophetas & Apostolos.

Estq; proprius locus huius doctrinæ in 5. cap. ad Romanos, Vnius delicto omnes mortui sunt, ergo alij sunt rei propter Adæ lapsum. Et ne intelligatur cæteros reos tantum esse sine aliqua propagatione corruptionis, addit, Mors peruasit in omnes, quia omnes peccauerunt. Hebraica phrasis est, Peccauerunt, id est, rei sunt, & habent peccatum, rem malam & damnatam. Si tantum actualia delicta essent peccata, unusquisq; tantum reus esset sui facti. Nunc cum clarè dicat, nos reos esse propter Adæ delictum, testatur aliud quoddam in natura peccatum esse, præter actualia delicta. Et ne id peccatum intelligatur tantum imputatio seu reatus, uerborum pondera obseruanda sunt. Omnes peccauerunt, id est, in omnes propagatum est malum, quod est peccatum.

Item, Peccatum regnauit, Mors regnauit, id est, homines oppressi sunt ira Dei, sunt sine luce diuina, & ruunt in horribiles furores, & æternum exitium. Sicut Rom. 3. dicitur, Omnes carent gloria Dei, id est, ea gloria, quam Deus iudicat esse gloriam, & qua uiuificat.

Sed multō clarius ex septimo & octauo cap. ad Romanos discimus, Peccatum originis non tantum esse imputationem seu seruitutem, qua ad mortem obligati sumus, sed etiam in ipsa natura hominis propagatum malum. Rom. 7. Video aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ. Vocat enim legem membrorum quiddam in nobis repugnans Legi Dei, uidelicet defectus & prauas inclinationes.

Lex membrorum secundum Paulum.

Et Rom. 8. Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Nam Legi Dei non subijcitur, nec subijci potest. Hæc est tristis & horribilis descriptio generis humani: Nam uerba clarè ostendunt, non dici de actuali malo tantum, sed etiam de malo hærente in ipsa natura, quod uocat inimiciciam aduersus Deum.

Deum. Quid atrocius dici potest, quàm naturam hominis inimicam esse Deo? hoc est, circumferre secum assiduè caliginem & dubitationes de Deo, securitatem negligentem Deum, diffidentiam fugitantem Deum, & multiplicem contumaciam. Hæc arcana mala non intelligunt securi & prophani, sed Ecclesia in contritione aliquo modo ea cognoscit.

Natura filij iræ.

Ephes:2. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri, Hebraica phrasis est, Filij iræ, id est, rei seu damnati. Affirmat ergo & posteros Abrahæ, & cæteros homines damnatos esse, non tantum propter actualia delicta, sed etiam propter naturæ malum, quod ex ipsa propagatione nobiscum afferimus, non accersimus exemplo. Et quale sit hoc naturæ malum, declarant sententiæ, quas citaui ex septimo & octauo capite.

Iohan:3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Cum necessaria sit regeneratio, manifestum est ueterem naturam ream & immundam esse.

Addantur & Prophetarum dicta, Psalm:50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Deplorat enim non matris peccatum, sed suum. Ego ita conceptus sum, ut statim cum formarer in massa, in meipso fuerit peccatum, id est, non reatus tantum, sed mecum nascens auersio à Deo, & praua inclinatio. Testatur ergo, in hominibus peccatum esse, quod nascentes secum afferunt.

Genes:8. Cogitatio humani cordis mala est à pueritia. Affirmat non tantum consuetudine accersi delicta, sed in ipso corde prauitatem esse hærentem in pueris iam nascentibus. Nam uerba sunt magis illustria in Hebraica lectione, Opificium humani cordis seu πλάσμα, seu fabricatio, est mala, id est, massa ipsa cordis corrupta, aut certè omnes motus, seu impetus, seu ὁρμαὶ, in corde sunt res malæ, id est, auersæ à Deo.

Sic & Psalmus peccata iuuentutis uocat totam illam molem, quam pueri nascentes afferimus, caliginem in mente, auersionem à Deo in uoluntate, & contumaciam cordis.

Ierem:17. Peruersum est humanum cor super omnia, & miserum, & inscrutabile, id est, auersum à Deo, & plenum dolorum, qui inde oriuntur, quòd humanæ mentes ignorant & fugiunt Deum, quæ mala quanta sint, nemo satis intelligit.

Hæc dicta ostendunt, congruere Prophetarum & Apostolorum dicta. Sed breuitas quasi præteruolat aures hominum, præsertim cum in hac caligine nostra & securitate non uideamus magnitudinem nostræ miseriæ, Homines ociosi, ebrij uoluptatibus, aut elati gloria, leuiter curant iram Dei, & sibiipsi blandientes, extenuant hæc mala, dubitationes de Deo, neglectionem Dei, fiduciam suæ sapientiæ ac potentiæ, superbiam, ambitionem, & alias flammas cupiditatum. Ideò hæ breues conciones parum mouent animos, quæ tamen uniuersam doctrinam de peccato, & de causis humanarum calamitatum continent. Nam uetus docendi consuetudo fuit, talibus breuib. sententijs, tanquam gnomis includere insignes articulos doctrinæ, quas Ecclesia ministerio Euãgelij euoluere & explicare debet, ut aliquo modo ostendat amplitudinem rerum, quæ in eis continentur. Sic breue dictum est, Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Sed Ecclesia explicans, uidet aliquo modo, quantas res contineat, Ita & de hoc articulo, de peccato, & de causis calamitatum humanarum traditæ sunt

sunt multæ breues γνῶμαι, quæ summam eruditissimè complexæ sunt, in quibus uerborum proprietas & pondera diligenter considerentur.

Collatio dictorum Pauli & Ieremiæ Prophetæ de peccato originis.

Expende quæso, quàm aptè congruant Ieremiæ & Pauli dicta, Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum: Nam legi Dei non subditur, nec potest subdi. Plana & perspicua sententia est, quæ affirmat in homine esse, & in hac mortali uita manere quiddam negligens, aut fugiens Deum, & irascens ei, & quod uicissim Deus improbat, ac declaratio addita est: Hæc infirma natura inquit, non potest subijci legi Dei, nunquam ei satisfacit, semper languet dubitatione, securitate, diffidentia, & uarijs flammis cupiditatum. Quid potest autem tristius dici, quàm in homine esse inimiciciam aduersus Deum? Sed hæc sepelit in credentibus Mediator dominus noster Iesus Christus, ut suo loco dicetur. Non potest uerbis explicari amplitudo dicti Paulini: Sed cogitatio immoretur, & nos ipsos intueamur, agnoscamus & deploremus nostras sordes, & quæramus Euangelium de Mediatore.

Dictum Ieremiæ, Cor hominis peruersum &c.

Nunc conferas dictum Ieremiæ: Peruersum est cor hominis super omnia, & miserum & inscrutabile. Primum nominatur peruersum, id est, auersum à Deo. Hoc prorsus cum Paulo congruit, qui ait, cor esse inimicum Deo. Nam auersum esse, est non regi luce Dei, uexari dubitationibus, non agnoscere iram & misericordiam, non habere timorem Dei, fiduciam & dilectionem, amare se, delectari & confidere nostra sapientia, fingere opiniones de Deo, & habere impetus uagos, aberrantes à lege Dei, ambitionem, cupiditatem uindictæ, & alias flammas. Deinde defectuum pœnæ describuntur, cum ait: Miserum, seu plenum dolorum. Cor spoliatum luce & consolatione Dei opprimitur doloribus, desperatione, mœsticia æterna. In his pœnis implicita sunt multa horribilia peccata, & tantum est mali, ut à nobis aut alijs creaturis non satis intelligi magnitudo possit.

Dictum Psal. Omnis homo mendax.

Eadem est sententia dicti, Ego dixi in excessu meo, id est, in consternatione seu pauore meo, Omnis homo mendax est, id est, cum territus sum agnitione mearũ sordium & iræ Dei, agnoui omnes homines esse mendaces, id est, non rectè de Deo sentire, dubitare de Deo, nec iram satis metuere, nec satis confidere misericordiæ.

Pelagianorum & recentium Scholasticorũ errores de peccato originis.

Recensui testimonia, & breues explicationes attigi, ut commonefacerem lectorem, ne eludi ea propter breuitatem sinat, sed retineat simplicem & natiuam sententiam aduersus Pelagianos, & multos alios leues spiritus. Pelagiani uniuersam doctrinam de peccato originis negant, nomine etiam sublato. Recentes ut Occam & multi alij, nomen retinent peccati originalis, sed rem extenuant. Negant illa mala esse res pugnantes cum Lege Dei, caliginem in mente, contumaciam in uoluntate & corde, quæ uocatur Concupiscentia. Sed apertè refutantur Pauli testimonio Rom: 7. & 8. ut infrà rursus dicam. Ipsi hæc mala tantum pœnas uocant peccati originis, cum simul sint pœnæ primi lapsus, & peccata in singulis nascentibus. Vt igitur tota res magis fiat perspicua, causas & effectus recitabo.

Causæ efficientes primi lapsus.

Causæ efficientes primum lapsum sunt, Diabolus, & uoluntas Adæ & Euæ, assentiens diabolo, ac auertens se sua libertate à mandato Dei.

Dicuntur autem & efficientes causæ, quæ merentur aliquid. Sic Adam & Eua sunt causæ efficientes, qui sibi & posteris meriti sunt reatum, & hos ipsos defectus seu prauitatem, quæ lapsum secuta est, excussa luce Dei. Post-

quam

quam enim primi parentes deliquerunt, amiserunt firmam illam noticiam Dei, quæ mentibus insita fuerat, & rectitudinem uoluntatis, & conuenientiam cordis cum Lege Dei, Et quales ipsi post lapsum erant, tales procrearunt.

Subiectū peccati originis.

Vbi est peccatū originis? In anima & in potentijs sentientibus, & earum organis, quia in mente est caligo, in uoluntate auersio à Deo, amor nostri inordinatus & multiplex, praua inclinatio, & in corde contumacia contra rectum iudicium mentis. Ita loco morbi, ut sic dicam, seu subiecto monstrato, quod uocant materiem in qua, propius aspici malum potest.

Formale peccati est reatus seu condemnatio personæ uniuersaliter.

De formali eruditis facilè est iudicium, etsi indocti uariè de hac quæstione tumultuantur. Non uolo autem ferere λογομαχίας in Ecclesia, sed planè & sine sophistica, & sine perplexitate exponam ueram sententiam: Rectè eruditi sciunt uniuersaliter formale peccati esse reatum, seu condemnationem personæ quæ est rea. Sed hæc relatio alicui malo accidit. Quærendum est ergo fundamentum proximum huius relationis, seu ut uocant, materiale propinquum.

Fundamentum seu materiale peccati.

Est autem fundamentum huius reatus, ipsum in homine uicium nobiscum nascens, quōd uocant uel defectus uel prauas inclinationes, uel concupiscentiam. Nam his appellationibus omnibus eadem mala significantur, seu potius magna confusio malorum. Intelligenda est enim concupiscentia non de appetitionibus in natura conditis, sed de ἀταξίᾳ omnium appetitionum. In his uicijs scit dialecticus suum quoddam formale esse, proprium uicij, scilicet defectum rectitudinis aberrantem ā Lege Dei, seu ἀταξίαν.

Ignorationem Dei, dubitationes, esse sine timore Dei, sine dilectione, manifestum est defectus esse. Est & defectus ἀταξία in amore nostri, quōd uidelicet conturbato ordine Saul magis amat sese, quām Deum. Sic & de alijs prauis inclinationibus iudicetur. Hanc ἀταξίαν omnium appetitionum scriptores uocarunt concupiscentiam.

Discerni oportet ἀταξίαν ab appetitionibus à Deo conditis.

Estq; prudenter discernenda ἀταξία ab ipsis appetitionibus, quales ā Deo conditæ sunt, ut infrā copiosius dicam. Cum igitur quæritur, quod sit formale peccati originis, rectè respondetur, reatus. Deinde uerō quærendum est fundamentum huius relationis. Id uerō est, ut dixi, ipsum uicium nobiscum nascens, quod est malum nobiscum pugnans cum Lege Dei, quod cum sit magna confusio malorum, perinde ac si quis dicat multos morbos simul esse, facilè intelligi potest formale harum confusionum esse defectus. Insuper autem accedit reatus, cum peccatum non est remissum: Sed cum remissum est, manet tamen in hac uita adhuc confusio illa magna ex parte, manent igitur defectus, qui sunt eius confusionis formalia.

Cōfusionis formalia sunt ipsi defectus rectitudinis, quibus accedit reatus.

Hæc plana sunt, & nihil continent perplexitatis. Monachi inerudite omiserunt reatum, & dixerunt formale peccati esse defectum, & hunc tolli in renatis, ac manere materiale, quod intelligebant appetitiones ipsas conditas à Deo, quæ sunt res bonæ. Sed quid dicerent, non intellexerunt, Cum enim morbi maneant, scilicet dubitationes, negligentiæ, contumaciæ, facilè intelligi potest, defectus manere. Nam illa nomina morborum qui manent, significant defectus.

Monachorum error de formali peccati.

Sanatio naturæ incoatur à Spiritu sancto, non subitò tollitur.

Incipit Spiritus sanctus sanare naturam, sed non subitō totus morbus tollitur, Vt Samaritanus capite decimo Lucæ, saucium non subitō curat, sed primum uulneribus uinum infundit, ut cruorem abluat, deinde infundit balsamum, ut mitiget dolorem, & glutinari uulnus incipiat, postea obligato uulnere, ægrum imponit iumento, & curari eum deinceps in diuersorio mandat. Ita Christus

Christus nos suo corpori imponit, quia peccatorum nostrorum pœnas sustinuit, & uulneribus nostris infundens Euangelium, deinde ea obligat, tegit, & remittit peccata nostra. Sed morbos tamen adhuc in Ecclesia uult curari assiduis exercitijs crucis & inuocationis. Hæc imago ostendit, in remissione peccati originis, tolli reatum, sed non subitò sanari uulnera. Vt autem uulneris formale est partium laceratio, quę debebant esse continuæ, ita & in hac prauitate mentis, uoluntatis, et cordis, lacerationes quędam sunt, ut ita dicam, profectò tristes & sæuæ, quarum formalia dialecticus satis intelligit esse defectus, seu priuationes, seu στρεβλώσεις, uidelicet ἀταξίας, aberrantes à Lege Dei.

In finali causa peccati pœnæ cõprehenduntur et effectus

De finali causa hoc loco cum dicitur, pœnæ recensendæ sunt, & effectus. Pœnæ peccati originis sunt, mors corporis, & aliæ ingentes calamitates, quæ ex humana ignorantia & omnium uirium fragilitate oriuntur. Item ira Dei & æterna damnatio. Sicut Paulus inquit: Eramus natura filij iræ.

Item tyrannis Diaboli, qui imbecilles naturas horribiliter impellit, ut ex alijs malis in alia ruant, ut Oedipus ignarus fit interfector patris, postea ignarus ducit matrem uxorem: Hinc nati filij de regno dimicant, & de mutuis uulneribus interficiuntur: Pater effossis oculis pellitur urbe, & postea absorbetur hiatu terræ. Tam tetra accidunt homini, cum non defenditur aduersus grassantem Diabolum. Nec quisquam est hominum, qui non aliquem insignem & dirum morsum Diaboli sentiat, unde discenda est hæc sententia, Serpens insidiabitur calcaneo eius: Sed rursus discamus promissionem: Conteri caput serpentis à Domino nostro Iesu Christo.

Ignorantia, cõtumacia &c. et pœna sunt primi lapsus & peccatũ ipsum in nascẽtibus.

Sunt pœnæ primi lapsus, multiplex ignorantia humana, & hæc contumacia appetitionum, quam uocant concupiscentiam. Sed hæc simul & pœna est primi lapsus, & in nascentibus peccatum ipsum, id est, quiddam reum & damnatum à Deo: Nec rectè hanc inclinationem prauam, quam uocant fomitem, tantum pœnam Monachi esse dixerunt. Hæc recitatio causarum & effectuum studiosos adiuuabit, ut sine perplexitate doctrinam Ecclesiæ de peccato originis intelligant.

De dicto, Nihil est peccatũ nisi uoluntarium.

Nunc admonendus est Lector de quibusdam dictis: Nihil est peccatum, nisi sit uoluntarium. Hæc sententia de ciuilibus delictis tradita est. Nam iudicio forensi puniuntur tantum uoluntaria delicta, ut fortuita cædes non punitur à prætore: Sed non transferendum est hoc dictum ad doctrinam Euangelij de peccato, & ad iudicium Dei.

Augustinus argutè inquit, & peccatum originis uoluntarium esse, quia eo delectamur. Sed hęc interpretatio arguta longius recedit ab illa prętoria sententia. Dexterius est non miscere intempestiuè politicas sententias & Euangelium. Satis est igitur hoc respondere, sententiam illam loqui de forensi iudicio.

De dicto, Natura bona est.

Iactatur & hoc dictum: Naturam bonam esse. Id uerum est, quatenus reliquum est opus Dei. Sed natura hominis horribiliter læsa & contaminata est. Sicut pingit imago uulnerati, Luc. 10. Spoliati sumus donis naturæ integræ, id est, firma Dei noticia, sapientia, iusticia, & insuper hæc reliqua natura uulnerata est, scilicet, praua concupiscentia, morte, & uarijs malis animæ & corporis.

Differunt opera Dei à per se uicijs.

Discernantur autem ea, quę sunt opera Dei reliqua in homine, à per se uicijs, ut noticia numerorum est res bona, quia à Deo insita est homini. Sic sentiendum est de omnibus ueris noticijs, suo ordine. Est igitur res bona & noticia Legis naturæ. Etsi enim post lapsum Adæ cœpit esse obscurior, & assensio

conturbatur dubitationibus, tamen quantum eius lucis reliquum est, res bona est, & Dei opus. Artes igitur & Leges ueræ inde extructæ, res bonæ sunt. Ac interim accedunt multæ dubitationes, an Deus curet nos, an puniat, an exaudiat, an uelit opitulari, recipere nos, dare nobis æternam gloriam &c. Hæ dubitationes sunt per se uicioſæ, quia sunt mala pugnantia cum Lege Dei.

Duplices affectus.

Sic duplices sunt affectus. Alij præcepti Lege Dei, ut amor sobolis, coniugum, parentum. Alij prohibiti Lege Dei, ut contemtus Dei, fremitus aduersus Deum, inuidia, amare coniugem alterius.

Etsi autem in hac corruptione naturæ etiam affectus præcepti Legi Dei contaminantur, & fiunt per accidens uicioſi, quia non reguntur dilectione Dei, sicut sæpē propter liberos delinquunt homines aduersus Deum, tamen ipsa φιλοσοργία à Deo mandata est, & manere in renatis, & purior fieri debet. Abraham ardenter amat filios Ismaël & Isaac, sed tamen antefert mandatum Dei.

Non tollendos nec damnandos esse omnes affectus.

Non igitur imaginandum est, ex homine omnes affectus tollendos, aut omnes eodem modo damnatos esse, ut fanatici Anabaptistæ iactitant Stoicam ἀπάθειαν. Imō nulla est uita sine motu, sine appetitione, sine aliquibus affectibus, & Lex Dei præcipit de affectibus, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Diligas proximum sicut teipsum. Et Rom. 1. Inter atrocia crimina recensetur ἀσοργία.

In natura integra fuissent affectus, sed ordinati & puri.

Fuissent igitur in natura integra affectus, sed ordinati & puri, Amor Dei, parentum, sobolis, coniugum, fratrum, & aliorum hominum, lætitia in agnitione Dei, & suo ordine in usu creaturarum, odium aduersus Diabolum, & erit in uita æterna lætitia ingens in contuitu Dei, & amor Dei, & omnium cœlestium. Ita fuerunt in Christo ueri affectus, sed ordinati & puri, amor Dei, amor matris, discipulorum, amicorū, lætitia, dolor, ira, ut Marc. 3. dicitur, Circumspexit iratus. Et de misericordia significanter dicitur, uiscera Christi mota esse. Et de ingenti mœrore dicitur Matth. 26. Tristis est anima mea usq; ad mortem. Fatendum est ergo affectus à Deo in natura hominum conditos esse, quos & ipsos Deus uoluit esse imagines & signa suæ uoluntatis. Verè diligit nos Deus, sicut natura homo diligit sobolem, uerè misericordia afficitur nostri Deus, cum uidet lapsos in æternam miseriam, quam ipse intelligit. Sicut nos natura afficimur misericordia calamitosæ sobolis, Sicut inquit Christus, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro nobis. Et Iohannes inquit: Deus caritas est, id est, plenus uera dilectione erga nos, non uolens perditionem. Et Paulus ad Titum 3. Apparuit bonitas & φιλανθρωπία Saluatoris nostri. Ita uoluit Deus σοργὰς nobis impressas, de sua uoluntate monitrices esse.

Affectus in Christo.

Affectus nostri imago affectuum in Deo.

Quare diligenter considerandæ & rectè regendæ sunt. Nunc enim post lapsum temerè uagantur & contaminantur, quod eo magis dolendum est, quia datæ fuerant, ut nos de uoluntate Dei commonefacerent. Sed tamen à prohibitis affectibus discernendæ sunt σοργαὶ, à contemtu Dei, à fremitu aduersus Deum, ab inuidia, lætitia in scelere, ut lætantur in uindicta Herodias, Fuluia, &c. & ab alijs furoribus quæ enumerari non possunt. Ac sciendum est, affectus Lege Dei prohibitos, per se uicioſos & extinguendos esse.

Differūt σοργαὶ à prohibitis affectib.

Differunt res conditæ et deprauatio non condita.

Hæc de dicto usitato, quod ait, Naturam esse bonam, respondi, ut discernantur res conditæ, & deprauatio non condita, in Achille ira Heroica est res bona.

bona, quia uerē opus Dei eſt, ſed contaminatur, quia non regitur agnitione Dei, & implicata eſt fiducia ſui, nec prælucent inuocatio & fiducia Dei. Hi defectus non ſunt leuia peccata, ideō etiam bona res contaminata reiicitur, & fit rea.

Econtrà ſimilis ira in Dauide purior eſt, in quo accedunt agnitio, timor, inuocatio, fiducia Dei. Sic ſciamus in renatis manere σοργὰς, ſed rectius eas regi & reuocari in ordinem, & intra metas ſuas, & reddi puriores.

Reliquum eſt, ut de quæſtione uſitata dicatur, an poſt baptiſmum rectē dicatur, peccatum eſſe in infantibus, ſeu concupiſcentiam eſſe peccatum. Item, an rectē dicatur, in renatis adultis eſſe peccatum. Reſpondeo de renatis adultis, omnes concedere coguntur reliqua eſſe peccata: Quare Iohannes dicit, Si dicemus quòd peccatum non habeamus, nos ipſos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. Fatentur ergo multas flammas cupiditatum in renatis eſſe, quas ideò dicunt eſſe peccata, quia ſimul rapiant aliquem uoluntatis conſenſum ſubitum, quem ſæpē difficile eſt excutere. Etſi autem hæc fatentur, tamen extenuant hæc ipſa mala, & profitentur ſe tantum loqui de actualibus peccatis, quæ negant eſſe ſua natura mortalia. Et radicem harum actionum, ſcilicet morbum naſcentem, qui reliquus eſt in renatis, id eſt, prauam inclinationem, dicunt, prorſus non eſſe peccatum, nec eſſe malum pugnans cum Lege Dei.

An rectè dicatur, poſt baptiſmū in infantibus eſſe peccatum.

Cogita autem quanta audacia ſit negligere hæc mala, ſcilicet dubitationes de Deo, ſecuritatem negligentem iram Dei, diffidentiam fugientem Deum, & alias multas peſtes, quæ etiamſi non ſemper conſpiciuntur, tamen adſunt, & ſæpē erumpunt, ut in calamitate prorſus mergitur Cato in tenebras, & negat eſſe prouidentiam. Saul iraſcitur Deo, tam duriter punienti. Hæc peccata agnoſcenda ſunt, non obſcuranda, ut diſcamus repugnare, & petere auxilium aduerſus ea.

Ideō ſic reſpondemus: In Baptiſmo tolli peccatum, quòd ad reatum ſeu imputationem attinet, ſed manere morbum ipſum, qui eſt malum pugnans cum Lege Dei, dignum morte æterna, niſi remitteretur, ut dicitur: Beati quorum tecta ſunt peccata. Nec de nomine peccati litigamus, rerum diſſenſio eſt. Aduerſarij contendunt, hunc morbum, qui reliquus eſt in renatis, non eſſe malum pugnans cum Lege Dei. Hunc errorem taxari neceſſe eſt. Sunt autem perſpicua Pauli teſtimonia. Rom. 7. & 8. clarē inquit Paulus, In membris legem eſſe pugnantem cum lege mentis, & cum Lege Dei. Hæc teſtimonia nullis præſtigijs eludi poſſunt.

Baptiſmus reatum tollit non malum ipſum.

Errores aduerſariorum de peccato originis.

Sed aduerſarij multas falſas hypotheſes ponunt. Primum de caligine mentis, & de uicijs in uoluntate nihil dicunt. Deinde concupiſcentiam tantum intelligunt de ſenſibus, & intelligunt eam eſſe appetitionem naturalem, cum deberent eam intelligere ἀταξίαν appetitionum, & ſimul complecti caliginem mentis, & malæ uoluntatis. Tertiò & hanc hypotheſin falſam addunt, quòd Lex Dei tantum damnet actualia peccata. Hæc opinio transformat Legem Dei in Philoſophiam, quæ tantum de noſtra diſciplina loquitur. Poſtea hæ hallucinationes obſcurant doctrinam de gratia. Fingunt enim hominem iuſtum eſſe propter Legis impletionem, & amittunt lucem doctrinæ de fide.

Sed tota doctrina Prophetarum & Apoſtolorum clamat, homines non

satisfacere Legi Dei, & in omnibus hærere peccatum, ac monstrat Mediatorem, propter hunc ait nos recipi, & iustos pronunciari fiducia ipsius. Agnoscenda est igitur nostra miseria, ut Christi beneficia intelligantur.

Sed hæc dissensio non potest dirimi iudicijs hypocritarum. Semper hypocritæ à uera Ecclesia de hac quæstione dissenserunt, & dissentient. Quia ratio humana sine luce diuina non cernit quantum malum sint hæc interiora peccata, etsi ex ingenti confusione uitæ & magnitudine calamitatum utcunq; æstimare ea debebat.

DE PECCATIS ACTVALIBVS.

ORiginale malum est, ut dixi, caligo in mente, auersio uoluntatis à Deo, contumacia cordis aduersus Legem Dei. Hæc mala non uocantur actiones, sed ex eis oriuntur actualia peccata interiora & exteriora, in mente assiduæ dubitationes, blasphemiæ, in uoluntate securitas & neglectio Dei, diffidentia, admiratio sui, anteferre nostram uitam & uoluntates mandato Dei. Deinde ingens confusio, & moles uiciosorum affectuum. Nec imaginemur ociosam rem esse malum originale. Nam etsi pauci quidam homines honesta disciplina frenantur, tamen in animis esse magnas dubitationes & multos motus à Deo aberrantes, & uariè ruentes contra Legem Dei, manifestum est, sicut Ieremias inquit: Prauum est cor hominis, & ærumnosum, & inscrutabile.

Peccata actualia.

Itaq; semper cum malo originali simul sunt actualia peccata, quæ in non renatis omnia sunt mortalia. Estq; tota persona cum his fructibus damnata, sicut inquit Iohannes: Qui non credit in Filium, manet ira super eum. Etsi igitur sunt magnæ uirtutes Aristidis, Fabij, Pomponij Attici, & similium, tamen sciamus in eis et malum originale mansisse, et corda fuisse plena dubitationum, & multorum uiciosorum affectuum, & defuisse agnitionem Christi, & nullam fuisse ueram inuocationem Dei.

Peccata actualia omnia in non renatis sunt mortalia.

Deinde & hoc consideremus, plurimos summos uiros, in quibus fuit excellens uirtus, tamen pollutos esse insignibus flagitijs, qua ex re intelligi potest, fuisse eos in potestate Diaboli, ut quanta turpitudo fuit in morib. Herculis, Themistoclis, Pausaniæ, Alexandri, & multorum aliorum, cum initiò fuissent modestissimi. Hæc exempla commonefaciant nos, ne extenuemus Christi agnitionem, sicut multi faciunt, qui Ethnicos in cœlum tollunt: Imò eò magis timeamus iram Dei, cum illos uidemus reiectos esse, & uariè ac horribiliter contaminatos, cum tamen in eis fuerint multæ excellentes uirtutes: Nec contemnamus filium Dei, nec fingamus homines sine filio Dei saluatos esse, nec conculcemus sanguinem filij Dei, Hæc de non renatis præfati sumus, in quibus omnia actualia peccata sunt mortalia, sicut originale.

Peccata uenialia in reconciliatis.

Sed cum de reconciliatis dicitur, postea discernuntur uenialia & mortalia, ac uenialia peccata uocantur ipsum malum originale, & actualia multa interiora, pugnantia cũ Lege Dei, quibus tamen renati repugnant, & multa peccata ignorantiæ & omissionis. Nec extenuemus hæc mala, ut Sententiarij finxerunt ueniale peccatum esse quiddam præter Legem Dei, non contra Legem Dei. Hic error necessariò taxandus est. Nam hæc quæ uocantur uenialia, sunt ingentia mala, pugnantia cum Lege Dei, quæ essent sua natura mala, pugnantia propter quæ damnaretur homo æterna ira, nisi propter Filium Dei reconciliatis

ciliatis condonata essent. Necesse est autem, discernere peccata, quæ in renatis in hac uita manent, ab illis peccatis, propter quæ amittuntur gratia, Spiritus sanctus, & fides. Est igitur actuale mortale, in labente post reconciliationem actio interior uel exterior, pugnans cum Lege Dei, facta contra conscientiam. Talis enim actio facit reum æternæ iræ. Quòd enim aliqui imaginantur electos ruentes contra conscientiam, non effundere Spiritum sanctum, manifestus est error, & necessariò reprehendendus. Nec de peccato iudicantes, scrutemur electionem, sed intueamur uerbum Dei nobis traditum, ut uoluntatem Dei monstret, & expauescamus agnoscentes iudicium Dei propositum in uerbo, & in exemplis, nec confirmemus in stultis securitatem & cœcitatem.

Actuale mortale in labente post reconciliationem. Electi cum ruunt cõtra conscientiam effundunt Spiritum sanctum.

Adam & Eua erant electi, & tamen reuera amiserunt Spiritum sanctum in lapsu, auersi à Deo, & facti sunt rei æternæ iræ. Sicut Paulus inquit: Per unius peccatum in omnes homines peruenit condemnatio.

Et Deut: 9. Aduersus Aaron ualdè iratus est Dominus, ut deleret eum, sed pro eo deprecatus est Moyses. Non eludamus tristissima uerba Spiritus sancti, cum ait: Deum ualdè iratum fuisse, nec fingamus Deum saxeum, & Stoicum. Etsi enim aliter irascitur Deus, aliter homo, tamen uerè sentiamus fuisse iratum Aaroni, nec Aaronem fuisse tunc in gratia, sed reum æternarum pœnarum. Horrendus lapsus erat Aaronis, qui metu cesserat furiosis, qui Aegyptium cultum instituebant. Hoc exemplo moniti non confirmemus securitatem, sed agnoscamus electos & renatos posse horribiliter labi, sed lapsos iram Dei debere agnoscere, & rursus ad Deum conuerti, nec magnitudine lapsuum deterreamur, quo minus redeamus ad Deum. Nam gratia exuberat supra peccatum, ut suo loco docendum est. Et hæc Aaronis historia testatur agentibus pœnitentiam magna & atrocia peccata remitti, Sic de Dauidis, Salomonis & Manassis lapsibus sentiendum est.

Et Ioannes clarè inquit: Nemo uos decipiat, qui facit iusticiam iustus est, qui facit peccatum ex Diabolo est. Et Ephes. 5. Propter hæc uenit ira Dei super inobedientes.

Manifestum est igitur, electos & renatos posse amittere gratiam, ac discernenda esse peccata, quæ manent in omnibus renatis in hac uita, nec excutiunt Spiritum sanctum, ab alijs lapsibus, propter quos amittitur gratia.

Ac Paulus discrimen tradidit Roman: 8. Si secundum carnem uixeritis, moriemini: Si uerò actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis. Fatetur esse in sanctis actiones carnis, id est, multas uicioſas inclinationes, dubitationes, securitatem, diffidentias, errantes confidentias, prauos affectus: Sed his ait repugnandum esse Spiritu, id est, spiritualibus motibus, inuocatione Dei, timore, fide, tolerantia spirituali intuente Deum, castitate intuente Deum, Et manent in gratia renati, etiamsi sunt in eis illi uicioſi affectus, si tamen repugnant, & fide agnoscunt condonationem propter Christum. Sed si non repugnant, ait morituros esse.

Discrimen peccatorum apud Paulum.

Vt autem intelligi possit, qui non sint repugnantes, gradum constituit, uidelicet delinquentes contra conscientiam, hoc est, eos qui scientes & uolentes indulgent, aut etiam obtemperant in externa actione uicioſis illis motibus & flammis. Quare diligenter docendi sunt homines de hoc discrimine, ut caueant lapsus contra conscientiam, & ut lapsi rursus ad Deum conuertantur.

Stoicæ disputationes de æqualitate peccatorum & similes execrandæ sunt.

At Stoicæ illæ disputationes execrandæ sunt, quas seruant aliqui, disputantes omnia peccata paria esse, electos semper retinere Spiritum sanctum, etiam cum lapsus atroces admittunt. Etsi autem nolo rixas de uocabulis serere, tamen utile est admonere studiosos, quod usitatè nominant peccatum mortale, dici posse peccatum regnans seu dominans. Cum enim Paulus inquit Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali corpore uestro, prorsus hoc ipsum discrimen peccatorum tradit, de quo hic dictum est. Fatetur in renatis esse peccatum, sed non regnans, non dominans, donec retinent fidem & bonam conscientiam, id est, donec non obtemperant peccato sed repugnant. At si regnet, affert æternum exitium, & emphasis uocabuli ostendit atrocitatem & efficaciam peccati.

Peccatum mortale idē quod regnans seu dominans.

Quando dominetur peccatum.

Dominatur peccatum, cum reatus non remissus est, sed accendit iram Dei, & hominem à Deo auellit, & homo desertus à Deo impellitur sua infirmitate, & à Diabolo, ut ex alijs malis in alia ruat, & cumulet scelera & pœnas, ut Saul cum fuisset donatus Spiritu sancto, & ornatus pulcerrimis uirtutibus, & insignibus uictorijs, succubuit primis flammis æmulationis, quas initiō reprimere facilē erat, sicut Aaron repressit æmulationem aduersus fratrem. Dominari igitur peccatum cœpit, cum Saul indulgeret, id est, reatus manet & accenditur ira Dei, expellitur & conturbatur Spiritus sanctus, & mens deserta à Deo fit imbecillior, & magis cedit affectui, & Diabolus auget furorem, sequuntur cædes Sacerdotum & clades publicæ multæ, donec tandem exercitu amisso, Saul interficitur, & ruit in æternas pœnas. Hæc imago tristissima sæpē intuenda est, ut cogitemus magnitudinem iræ Dei aduersus peccatum.

Exempla peccati dominantis.

Omnes Historiæ plenæ sunt tristissimorum exemplorum, quæ cum legimus uel audimus, ueniat in mentem, his exemplis nos doceri, quid sit peccatum dominans.

Rex Anabaptisticus mouet seditionem prætextu religionis, falsō iactat diuinos afflatus, indulget libidinibus, interficit coniuges, tandem captus laceratur candenti ferro: Hæc sunt exempla dominantis peccati.

Ac uidetur appellatio uetustior esse. Nam & Psalm. 118. dicitur, Gressus meos dirige, ne dominetur in me omnis iniquitas. Quæ uerba nobis in quotidiana precatione usurpanda erant, & simul cogitandum quàm horrenda res sit dominans peccatum. Gressus meos dirige, ne dominetur mihi peccatum, ne fiam uas iræ, ne reijciar ut Cain, Saul, Iudas, Achab, Oedipus, Atreus, Thyestes, Nero, & aliæ pestes generis humani.

Appellatio dominatiōis sumta ex Moyse Gen. 4. Tu dominaberis appetitui tuo.

Arbitror autem ex Moyse sumtam appellationem dominationis. Nam Genes. 4. dicitur, Si bonus fueris, eris acceptus, sin autem malus, peccatum tuum quiescet, donec reuelabitur. Sub te sit appetitus tuus, & tu domineris ei. Hæc concio Legis diligenter consideranda est. Continet enim doctrinam de tribus insignibus articulis. Primum tradit discrimen iusticiæ interioris & sacrificiorum. Sacrificia ita placent, si es bonus, id est, sacrificia, si mens sit impia, non placent Deo. Secundō concionatur de uenturo iudicio, & describit securitatem mundi, cum ait, Peccatum quiescet, id est, non agnoscetur, non incutiet terrores, donec mens opprimitur sensu iræ Dei, & pœnis. Sic securissimē indulgent furoribus suis Nero, Caligula, & infinita multitudo hominum, donec ue-

nec ueniunt pœnæ. Est autem hæc concio uniuersalis, quare docet restare uniuersale iudicium.

Cum non impiorum scelera in hac uita puniantur, necesse est restare aliam uitam, & aliud iudicium, in quo omnia punientur. Ita in hac prima concione doctrina de uenturo iudicio tradita est. Tertiò præcipitur de incoata obedientia. Sub te sit appetitus tuus, & tu domineris ei.

Cum antea de iudicio Dei dixisset, quæri potest, Quid igitur faciam, cum intus accensa sit praua cupiditas? Hic respondet, ac primum Legem proponit, præcipit ut repugnemus uitiosis affectibus. Sed non satis est Legem nosse, scire etiam oportet, an diligentia illa coërcendi affectus Deo placeat, & quomodo in tanta imbecillitate reprimi Diabolus, & uinci naturalis imbecillitas possit. Hæc discuntur collata promissione. Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Sicut non dubium est, patres contulisse promissionem ad hanc concionem Legis, & docuisse filios, unde sit orta affectuum contumacia, & quòd reconciliatio propter semen uenturum promissa sit, & quòd propter illud Deus imbecillitati nostræ opitulaturus sit, & repressurus Diabolum.

Sicut Ioannes eruditissimè interpretatus est promissionem, inquiens: Filius Dei uenit, ut destruat opera Diaboli, id est, ut liberet nos à peccato, & iuuet nos, ut Deo obedire possimus, ac defendat nos contra diabolũ. Imò ut tandem prorsus aboleat peccatum & mortem, & restituat iusticiam & uitam æternam. Ita Patres docebant non modò Legem, ut coërcerentur affectus, sed etiam proponebant doctrinam, quomodo in tanta imbecillitate præstari obedientia possit, quomodo placeat Deo, quæ omnia significantur uerbo Dominandi: Non enim sine auxilio Mediatoris dominari possumus, id est, liberari à reatu, & uincere Diabolum & imbecillitatem nostram.

Ioh. Filius Dei uenit, ut destruat opera Diaboli.

Ideò ad hanc doctrinæ partem adiungenda sunt, quæ in Euangelio de remissione peccatorum, de fide, de auxilio Spiritus sancti dicuntur. Sicut aliàs doctrina de noua obedientia copiosius explicatur, unde cum summa rei ad hæc loca Geneseos confertur, fiunt & hæc breuia dicta illustriora. Hæc de uocabulo Dominantis peccati, monuisse satis est. Illud etiam aliàs copiosè dicitur. Affectatam ignorantiam, & affectatam omissionem, etiam esse peccata mortalia. Statim ab initio edita est promissio de uenturo liberatore, cuius memoriam conseruare omnes gentes oportuit. Postea sæpè propagata est inter gentes. Deinde Euangelium multis illustribus testimonijs sparsum est in toto orbe terrarum, & sonuit uox de cœlo, Hunc audite. Nemo igitur excusatus est ignorantia Euangelij, imò hoc peccatum præcipuè arguit Spiritus sanctus, sicut inquit Christus: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me.

Affectata ignorantia & affectata omissio sunt peccata mortalia.

DE LEGE DIVINA.

LEx Dei est doctrina à Deo tradita, præcipiens quales nos esse, & quæ facere, quæ omittere oportet, & requirens perfectam obedientiam erga Deum, ac pronuncians irasci Deum, & punire æterna morte, non præstantes perfectam obedientiam. Hæc definitio ex ipsa Lege Dei, & multis concionibus Christi sumta est. Continet enim Lex præcepta & promissiones, quibus addita est conditio impletæ Legis. Item comminationes. Præcepta concionantur de integra obedientia: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota

Legis diuinæ definitio.

Declaratio definitionis.

anima,ex omnibus uiribus. Item,Diligas proximum ſicut teipſum. Item,Non concupiſces. Comminatio ait: Maledictus qui non permanet in ſermonibus Legis huius,nec eos opere perficit. Item Matthæi uicesimoquinto: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, &c.

Diſcrimen legis diuinæ, legum humanarum & Philoſophiæ.

Hic primum monere neceſſe eſt,ingens & infinitum diſcrimen eſſe inter leges humanas & diuinam. Sed ut non poterat populus uidere fulgentem Moyſi faciem, ac uelatam aſpiciebat, ita omnium hominum mentes atq; oculi procul aſpiciunt Legem Dei,nec intelligunt quale iudicium ſit,ſed utcunq; doctrinam de externis operibus eſſe exiſtimant, ſicut de Phocylidis aut Theognidis præceptis cogitant. Sed plures cauſę ſunt & maiores traditæ & reuelatæ Legis diuinæ, ut infrà dicetur. Non ſic aſpiciamus Legem Dei, ut tabulas Decemuirales Romanas,quæ ante multa ſecula, cum ſua curia & roſtris perierunt.Sed Lex Dei eſt regula æterna & immota mentis diuinæ,& iudicium aduerſus peccatum, quod impreſſum eſt humanis mentibus, & ſæpè Dei uoce prædicatum, de quo dicit Chriſtus: Non ueni ſoluere Legem,ſed implere,&c.

Hoc igitur diſcrimen conſideretur. Humanæ leges tantum poſtulant aut uetant externa opera.

Philoſophia docet aliquantò amplius,uidelicet actionem honeſtam eſſe, non tantum externum aut ſimulatum opus, ſed in mente rectum iudicium, & in uoluntate liberam electionem ſeu προαίρεσιν ad rectè faciendum, inquit, accedere oportere. Moderationem igitur quandam interiorem affectuum & actionum poſtulat, quæ propriè uocantur ἠθικὰ. Non autem accuſat naturalem immundiciem, nec iudicat illa ſumma uicia pugnantia cum prima Tabula, dubitationem de Deo, cor uacans metu & dilectione Dei, diffidentiam, & ſimiles morbos in natura hominis hærentes.

At Lex Dei non tantum requirit externa facta, aut illam diligentiam frenandorum affectuum,de qua Philoſophi loquuntur, ſed præcipit, ut natura integrè obediat Deo, firmam de Deo noticiam habeat, uerum & perpetuum timorem,firmam fiduciam Dei, ardentem amorem. Quia uerò natura hominis non eſt talis, uox Legis eſt iudicium Dei,damnans peccatum in natura noſtra. Hoc ſentit Paulus inquiens, Lex eſt ſpiritualis, id eſt, non eſt tantum politica ſapientia, præcipiens de externis actionibus in uita ciuili, ſed eſt longè alia doctrina, flagitans ſpirituales motus, firmam de Deo noticiam, ardentem & perfectam dilectionem, ut dicit Lex: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde.

Monachorum de lege diuina errores.

Sed Monachi de Lege Dei,ut de ciuili diſciplina locuti ſunt,dixerunt Legi Dei ſatisfieri per hanc diſciplinam ciuilem ſeu Philoſophicam, id eſt,per exteriora opera,& qualemcunq; conatum uoluntatis,etiamſi in mente dubitationes, in uoluntate & corde prauæ inclinationes manent: Et docuerunt eas dubitationes & prauas inclinationes non eſſe peccata.

Ideò affinxerunt homines iuſtos eſſe, & Deo placentes propter opera, quia arbitrabantur Legi Dei ſatisfieri, non docuerunt homines iuſtos eſſe, id eſt, reconciliatos Deo, & placentes fide propter Mediatorem Chriſtum. Sed hos Phariſaicos errores de Lege refutat Paulus, adfirmat Legi Dei hanc infirmam naturam hominum non poſſe ſatisfacere, nec placari iram Dei, nec tolli peccatum per opera Legis, ſed miſſum eſſe Filium Dei, Dominum noſtrum

noſtrum Ieſum Chriſtum, ut tollet peccatum, & donet nobis iuſticiam & uitam æternam, ut ſuo loco copioſius dicemus.

DIVISIO LEGVM.

PRimum recenſentur hæ ſpeices: Lex diuina, Lex naturæ, Leges humanæ. *Tres ſpecies legum.* Leges diuinæ ſunt, quæ à Deo traditæ ſunt, quocunq; tempore & extant ſcriptæ paſſim in Moyſe & libris Euangelij. Lex naturæ, ut infrà dicam, eſt noticia naturalis de Deo, & de morum gubernatione, ſeu diſcrimine honeſtorum & turpium diuinitus inſita humano generi, ſicut noticia numerorum diuinitus humanis mentibus inſita eſt. Ideõ congruit cum ea parte Legis Dei, quæ dicitur Moralis, ut infrà oſtendam. Prius enim diſcernendæ ſunt ſpecies Legis diuinæ.

Etſi inde uſq; ab initio mũdi ſonuerunt in Eccleſia Dei, uox Legis, & uox Promiſſionis gratiæ, tamen certo conſilio cum conſtituta eſt politia Iſraëlitica, Lex Dei promulgata eſt. Voluit enim Deus publico & manifeſto teſtimonio inſtaurare noticiam illam, quam mentibus humanis in creatione indidit, ut ſuum iudicium aduerſus peccatum oſtenderet. Quia uerẽ tota politia conſtituebatur, non tantum leges de ſingulorum moribus propoſitæ ſunt, ſed etiam additæ ſunt Leges Forenſes & Ceremoniæ.

Tres igitur partes ſunt legis Moſaicæ uniuerſæ. Leges Morales, Ceremoniales, & Forenſes ſeu Iudiciales. Eſtq; diligenter hæc diſtinctio conſideranda; quia etiamſi politia Moyſi iam deleta eſt, tamen diſcrimen Legum conſiderari neceſſe eſt. Ceremoniæ Moſaicæ & Forenſes leges, nec mandatæ ſunt cæteris Gentibus, nec obligant nos. Et fuerunt ad tempus iſti populo Iſraël traditæ, ut politia ad tempus certum duratura erat, ut eſſet locus certus, in quo Chriſtus naſceretur, & ſe patefaceret, concionaretur, fieret uictima, & palàm incoaret uitam æternam. *Tres partes legis Moſaicæ uniuerſæ.* *Ceremoniæ Moſaicæ & Forẽſes leges.*

Sed eſt alius gradus Legum, quæ uocantur Morales, quæ ſunt æterna Dei ſententia & regula, nec mutantur temporibus. Semper ab æterno uoluit Deus hanc propoſitionem: Creatura diligat & timeat Deum, Creatura rationalis ſit caſta, Sunt autem Leges Morales, quæ præcipiunt de agnitione Dei in mente, & de obedientia cordis erga Deum, & de uirtutibus erga homines, ut de iuſticia, caſtitate, ueritate, temperantia. Præcipuæ autem legum Moralium ſimul in una parua tabella miro conſilio Dei comprehenſæ ſunt, quæ tabella uocatur Decalogus. Ideò uſitatum eſt nominare Decalogum, quando Legem Moralem ſignificare uolumus, quòd dextrẽ & ſine λογομαχία intelligendum eſt. Sunt igitur leges Morales, & quæ in Decalogo continentur, ut infrà eum enarrabimus, & Decalogi repetitiones & explicationes ubicunq; in ſcriptis Prophetícis & Apoſtolicis leguntur. Hæc cum ſint æternæ regulæ mentis diuinæ, ſemper ſonuerunt in Eccleſia, etiam ante Moyſen, & ſemper manſuræ ſunt, & ad omnes Gentes pertinent. Multa ſunt autem naturalia in Forenſibus & Ceremoníjs, quæ etiam ſunt perpetua, ut Lex quæ prohibet inceſtas conſuetudines, Leuit. 18. quia ad uirtutes pertinet ſanguinis reuerentia. Et clarè inquit Deus, deleri Cananæos propter inceſtas libidines. Cum igitur Gentes ante promulgatam Moyſi legem accuſentur propter hęc flagitia, certum eſt ea æterna Dei lege & naturali iudicio damnari. *Leges Morales æternæ regulæ mentis diuinæ.* *In Forenſibus & Ceremoníjs ſunt multa naturalia perpetua.*

EXPO-

EXPOSITIO DECALOGI.

VTiliſſima & ſaluberrima eſt meditatio Decalogi: Continet enim doctrinam tam copioſam & ſublimem, ut nunquam ſatis perſpici, nunquam exhauriri poſſit. Quō magis inſania illorum deteſtanda eſt, qui fingunt poſſe Legi ſatisfieri, imō addunt, poſſe amplius & meliora fieri, &c. Hæ uoces non ſunt humanæ, ſed ſparſæ ā Diabolo, qui hoc ſarcaſmo illudit humano generi, lapſo ex ſua dignitate & puritate. Cum enim Deus oſtendit in hac Lege, ad quid condita ſit humana natura, unde lapſi ſimus, in quas miſerias ac tenebras deciderimus, Diabolus quaſi illudens nobis, ſparſit uoces ironicas extenuantes Legem Dei. Sciant igitur piį hos errores Phariſæorum & Monachorum non eſſe leues, & petant ā Deo, ut noſtris cordibus uelum detrahatur, quod impedit, ne Legem Dei propius aſpiciamus, quam ſeriō cogitemus, eſſe uocem Dei, longē maiora continentem, quàm ut totam complecti poſſimus.

Phariſæorum & Monachorum errores de lege, ſunt uoces à Diabolo ſparſæ.

Primum autem hæc quatuor de Lege cogitanda ſunt.

Quatuor de lege cogitanda.

I. Admonet qualis fuerit natura humana ante lapſum.

Primum, Lex admonet ad quid condita fuerit natura humana, & qualis fuerit hominis dignitas & puritas, in qua conditus eſt. Talis enim futura erat humana natura, qualem hic Lex deſcribit, plena agnitione Dei, ſemper celebrans eum, ſemper obediens, ſemper in omnibus operibus eius præſentiam & gubernationem intuens, iuſtum ordinem in omnibus actionibus obſeruans, ſine ulla prauitate, ſine calamitatibus, ſine morte.

II. Admonet de miſeria præſenti.

Secundō, monet nos Lex de præſenti miſeria. Iam enim uidemus naturam lapſam ex prima dignitate, pugnare cum Lege, plenam eſſe tenebrarum, & contemtus Dei, ſine ordine, plenam prauarum cupiditatum omnis generis, & peccatum cauſa eſt mortis, & infinitarum calamitatum. Nec tamen intelligimus iam miſeriam noſtram, nec Legem uerē audimus, niſi cum in ueris terroribus aut pœnis agnoſcimus iram Dei aduerſus peccatum. Hic aliquantulum incipimus intelligere Legem Dei, & humanam miſeriam. Sicut Dauid clamitat, iram Dei ſuſtineri non poſſe, ſi Deus uelit peccata pro merito punire: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Et plura ſunt & maiora peccata in ſingulis, quàm conſpici poſſunt. Obſerues autem emphaſin dicti: Quis ſuſtinebit? Nullius eſt robur tantum, quod poſſit ſuſtinere humanas calamitates, quæ ſunt pœnæ peccatorum. Sicut Dauid ſenſit pœnas adulteriį ſui, cædes filiorum, filiį ſeditionem, pollutas inceſto coniuges, exilium, ſtragem ciuium, & alia infinita mala. In his pœnis didicit hunc uerſiculum: Quis ſuſtinebit? Et tamen hæc præſentia mala ne quidem comparanda ſunt ad æternas pœnas. Ideō quoties hunc uerſiculum recitamus, Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine, quis ſuſtinebit? cogitemus ueram & incomprehenſibilem eſſe iram Dei aduerſus peccatum, aſpiciamus legem, & agnoſcamus noſtram immundiciem pugnantem cum tota lege, cogitemus quæ moles pœnarum impoſita ſit generi humano, intueamur noſtras & communes calamitates, & oremus Deum, ut mitiget iram, quam nemo ſuſtinere & perferre poteſt, quam ſi exerat, ſuccumbere homines, & perire neceſſe eſt in præſentibus & æternis pœnis. Ita ſimilia dicta Pſalmorum admonent nos de uero intellectu Legis, & agnitione peccati noſtri ac iræ Dei & pœnarum.

III. Tacitè admonet de inſtauratione generis humani.

Tertiō, Lex tacitē nos admonet de reparatione humani generis, & de uita æterna: Significat item ad quantam præſtantiam rurſus uocemur. Quia enim

enim Deus repetit uocem Legis post lapsam naturam, uult certè Legem aliquando fieri: Erit igitur reparatio generis humani, erit uita æterna. Quia in hac uita uidemus non satisfieri Legi. Sed doctrina de reparatione in promissionibus clarius proponitur.

IIII. Voci Legis è regione opponantur beneficia filij Dei.

Quartò, cum sic considerabamus, quanta sit miseria humani generis oppressi peccato, ira Dei, & morte, & intelligimus uocem Legis esse sententiam, uinculum, testem, & nunciam illius ingentis iræ, semper è regione aspiciamus filium Dei, & consideremus hostiam, quæ sola sustinuit iram pro nobis, subijt onus Legis, & placauit Patrem, & consideremus beneficium filij Dei, quod exuberat supra peccatum. Sciamus item uocari nos ab ipso filio Dei, ut rursus in nobis incoëtur hæc puritas in Lege descripta, ut infrà suo loco dicemus.

DECALOGVS.

Discrimen Tabulæ utriusq;.

TAbulæ duæ sunt: Quarum prima continet opera quibus immediatè seu propriè cum Deo agimus, scilicet præcipuum Dei cultum interiorem & exteriorem. Secunda continet opera erga homines, quæ etsi sunt uincula societatis humanæ, tamen fiunt etiam cultus Dei: Quia Deus ea suo uerbo præcipit & pronunciat esse cultus, si fiant propter mandatum Dei. Vt docet Esaias capite primo. Item capite quinquagesimo octauo, & Samuel: Melior est obedientia quàm uictima. Oseas sexto: Misericordiam magis uolo, quàm sacrificium. Et Christus ait: Mandatum de dilectione proximi esse simile primo, id est, postulare obedientiam necessariam, sicut & primi mandati obedientia est necessaria. Hæc obseruanda sunt, ut discamus qui sint ueri cultus Dei, & quod omnium præceptorum opera ad Primum præceptum referenda sint, ac finis constituendus in singulis, eò facienda esse principaliter, ut Deo præstetur obedientia & honos. Est enim cultus Dei, opus mandatum à Deo, quod principaliter eò fit, ut Deo præstetur obedientia & honos, ac fit cum agnitione Christi hac fide, quòd propter eum Patri placeas. Sicut Petrus iubet offerre hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum.

Cultus Dei quid sit.

DE PRIMO PRÆCEPTO.

PRimum mandatum præcipit de eo opere, quod summum & præcipuum est, uidelicet, de uera notitia Dei, de uera & perfecta obedientia erga Deum, perfecto timore, fiducia & dilectione Dei. Complectitur autem duas maximas res, scilicet modum cognoscendi Dei, & uerum cultum. Modus est, ut apprehendatur Deus per suum uerbum & testimonium. Quia enim Deus est inuisibilis, necesse est de eo aliquod testimonium extare, per quod agnoscatur & apprehendatur. Vt mens humana intuens mundi opificium, cogitat de autore Deo, sed hæc notitia nondum sufficit, quam & Ethnici & Mahometistæ tenent: quanquam hæc quoq; multis à Diabolo excutitur. Sed ut maximè adsit, manet tamen dubitatio, An ille conditor Deus nos curet, exaudiat, an sic uelit coli, & quomodo uelit coli. Hic opus est uerbo Dei, & testimonio: Ideò hic propositum est certum uerbum & testimonium. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Statuat igitur mens hunc esse Deum, qui se patefecit, dato hoc uerbo in monte Sina, & qui professus est se esse Deum tuum, id est, qui te curat, respicit, iudicat, defendit, punit.

I. Præceptum complectitur duo, modum cognoscendi Deum & uerum cultum.

Patefactio in monte Sina.

Additum est & testimonium, uidelicet gloriosa liberatio & defensio huius

huius populi,cum educeretur ex Aegypto, &c. Etsi igitur Deus est inuisibilis, tamen mens humana agnoscit hunc esse Deum uerum, qui se in suo uerbo, & testimonijs admirandis patefecit,& ostendit,quomodo coli uelit:Sic Adę principio fuit datum uerbum in Paradiso,& proposita tota rerum natura,quæ esset testimonium de Deo. Sed postea cum lapsus esset,fuit opus consolatione de remissione peccati: Ideo additum est aliud uerbum, scilicet promissio gratiæ, & accedebant signa, rapiebantur igne cœlesti uictimæ. Sic & nobis idem uerbum Euangelij propositum est, & certum testimonium, scilicet Filius Dei crucifixus & resuscitatus: Hic ostendit nobis Patrem. Hoc Filio agnito, inuocamus æternum Patrem,qui se in Filio patefecit, ut dicitur Iohan: 1. Deum nemo uidit unquam, Filius qui est in sinu, ipse enarrauit. Item: Qui uidet me,uidet Patrem. Et item Matth: 11. Nemo nouit Patrem,nisi Filius,& cui Filius reuelauit. Per hunc placatus est Pater,propter eum exaudit. Christus ipse inquit, Ioannis decimo sexto: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Hunc ergo statuamus esse Deum,qui se patefecit dato Filio, misso ut fieret uictima, & resuscitato ut sit Mediator,Intercessor, Adiutor & Saluator. Item, qui dedit huic Filio Euangelium de remissione peccatorum, & de uita æterna. Hæc inuocatio agnoscens Deum æternum, omnipotentem, fiducia Christi per datum Euangelium, discernit inuocationem ueram Ecclesiæ,ab omnium Gentium inuocatione. Ergo quoties mens clamat ad Deum,inuocet Deum,qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, crucifixi & resuscitati, & fide cogitet Euangelium datum per hunc Filium, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Hunc modum agnoscendi Dei sæpe Paulus nobis commendat. 1. Corinth. 1. Quia mundus non nouit Deum in sapientia per sapientiam,placuit Deo, per stulticiam prædicationis saluos facere credentes. Item doctrina de Pontifice Christo intrante in sancta Sanctorum,docet idem. Reliqui homines non agnoscunt Deum inuisibilem, sed in hoc arcanum & sanctum sanctorum ingreditur solus Filius Dei. Ideo accessuri ad Deum,agnoscamus hunc Pontificem, ducentem nos ad Patrem, & perferentem nostras preces. Sicut inquit Epistola ad Hebræos: Habentes hunc Pontificem, adeamus ad thronum gratiæ. Hæc de modo agnoscendi Dei necessario docendi sunt homines, ut recte inuocetur Deus.

Patefactio in Euangelio.

Cultus primi præcepti.

Cultus autem, de quibus hic præcipitur, sunt Agnitio Dei, Credere uerbo Dei,uerus Timor,uera Fides,seu Fiducia,& uera Dilectio. Requirit enim Timorem, cum ait: Ego sum Deus fortis zelotes, uisitans iniquitatem. Item, Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies. Requirit Fiduciam & Dilectionem cum ait, Ego sum Deus tuus omnipotens, te respiciens, curans, defendens,saluans,&c. Item,Faciens misericordiam diligentibus. Item,Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Nam hæc dicta ubicunq; leguntur, sunt enarrationes Primi præcepti.

Perfectio operũ primi præcepti.

Quod autem requirat perfectam obedientiam,hæc uerba testantur Deuteronomij 6. Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus uiribus tuis. Requirit igitur Timorem, Fiduciam & Dilectionem Dei super omnia,& ita,ut hæ uirtutes sint puræ,flagrantes & perfectæ,non admixtis uiciosis cupiditatibus. Sed hanc perfectam obedientiam hæc corrupta natura hominum non potest præstare. Hærent in animis dubitatio de ira Dei, & misericordia; Nemo tantum timet quantum debet. Nemo sic flagrat dilectione,

ctione,ut debet, & admixtæ sunt multæ prauæ cupiditates. Ideō Paulus inquit, Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Nec leue malum intelligit, cùm nominat inimicitiam aduersus Deum. Semper igitur accusat & damnat hæc Lex omnes homines in hac corrupta natura, Quia perfectam obedientiam nec præstant,nec possunt præstare.

Iam dicat aliquis, Atqui necesse est eos qui Deo placent, facere hanc legem. Respondeo, Primùm nec incoari potest sine agnitione Christi, & Euangelio,quia enim accusat & damnat Lex omnes,& agnoscimus nos reos esse, & plenos contumaciæ contra hanc Legem, ideō corda fugiunt Deum, non diligunt,non audent ā Deo bona petere. Sed audito Euangelio, cùm agnoscimus nobis remitti peccata propter Christum, & nos recipi in gratiam, fieri filios Dei, quanquam indignos, hic agnita præsentia & misericordia Dei, inuocamus eum,incipimus nos ei subijcere,timere eum,& confidere eius misericordię promissæ, & diligere non ut ocioſum, sed tanq̄ patrem uerē curantem & saluantem nos, Sicut ait: Ego sum Deus tuus. Incoatur ergo præceptum agnito Christo. Deinde etsi crescere obedientia debet, tamen nunquam satisfaciunt huic Legi etiam renati, sed reliquiæ peccati condonantur eis, ut suo loco dicetur,& ipsi reputantur iusti propter Mediatorem Christum. Sicut scriptum est, Christus est consummatio Legis: Et cùm sint iusti hac imputatione propter filium Dei facta,placet incoata obedientia,etiamsi non est integra. Faciunt igitur renati hanc legem incoando,& credendo,quòd propter Christum reputentur iusti,& quòd propter eum condonentur reliquiæ peccati.

Quomodo fiat primum præceptum.

Commodum est autem docendi causa, his duobus uerbis complecti omnia opera Primi præcepti, uidelicet appellatione TIMORIS & FIDEI: Nam etsi fidem seu fiduciam misericordiæ necessariò comitatur Dilectio, tamen Dilectionis uocabulum obscurius est, quàm Timoris aut Fidei appellatio. Timorem enim oportet nos subinde experiri in pœnitentia, oportet & Fiduciam experiri in consolatione.

Duo præcipua opera primi præcepti, Timor & Fides.

Recensui opera Primi præcepti, Agnitionem Dei, Credere uerbo Dei, Timorem,Fidem seu fiduciam,Dilectionem Dei, Ad hæc adiungi debet Patientia in afflictionibus, siue cùm iniusta uiolentia Tyrannorum aut aliorum uexamur,siue cùm aliæ communes calamitates incidunt, morbi,mors, iacturæ rei familiaris,&c. In utroq̄ genere requirit Deus obedientiam cordis. Estq̄ opus Primi præcepti et cultus Dei, obedientia Ecclesiæ in utroq̄ genere afflictionum. Vt obedientia Habel in nece,obedientia omnium Martyrum in supplicijs, obedientia Hiob, Dauidis in domesticis calamitatibus &c. Nam de priori genere clarè scriptū est,Qui uult me sequi,tollat crucem suam etc. Item: Oportet nos fieri similes imaginis filij Dei. Item:Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Extant igitur clara mandata de hac obedientia. Et uult Deus magis se metui,quàm Tyrannos:Deinde uult nos in ipsis supplicijs non ruere dolore in desperationem, non putare, quòd negligamur ā Deo, sed retinere consolationem, quòd Deus sit nobis propicius, & sit gubernaturus euentum.

Patientia in afflictionibus & obedientia opus primi præcepti.

De altero genere uidelicet de communibus calamitatibus scriptum est, Iudicium à domo Dei incipit. Siue igitur sint pœnæ, siue exercitia, Deus uult Ecclesiam subiectam esse talib. ærumnis, propterea quòd natura humana propter peccatum hærens in carne subiecta est morti, & puniuntur multa actualia

peccata Ecclesiæ, imò Sanctorum. Itaq; uult Deus Ecclesiam his ærumnis admoneri de pœnitentia, præstare obedientiam, exercere fidem, inuocationem & spem, non ruere in desperationem, non putare nos abijci aut negligi à Deo, sed retinere consolationem, quòd Deus sit nobis propicius, & sit gubernaturus exitum. Huc pertinent dicta quæ præcipiunt, cùm de obedientia præstanda in communibus calamitatibus, tùm de retinenda consolatione per fidem: Nolite murmurare, id est, irasci Deo, quasi uel crudeliter exerceat nos, uel negligat nos. Item, Humiliamini sub potenti manu Dei. Item, Sacrificium Deo Spiritus tribulatus, &c. Item Psal: 37. Subditus esto Deo, & spera in eum. Item, Sacrificate sacrificium iusticiæ, & sperate in Domino.

Quæ opera complectatur obedientia in afflictionibus.

Ac uide, quàm multa bona opera cõcurrant in hac obedientia, quæ simul pertinent ad primum præceptum. Primùm, ipsa obediẽtia Deum intuens, per se est opus bonum, & in hoc præcepto mandatum, quod prçcipit Deum magis timeri, quàm Tyrannos. Præcipit item sustinere pœnas diuinitus impositas, mortem, & similes, ut dicitur: Iudicium à Domo Dei incipit, uel, A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Ad hanc obedientiam necesse est accedere fidem, quæ statuat Deum non negligere, non proijcere afflictos, sed iam quoq; te respicere, tibi propicium esse, & gubernaturum hunc exitum, ut Dauid sentiebat, cum esset exul. Hæc fides & spes sunt opera primi præcepti. Ex his omnibus conflata est uirtus, quę uocatur patientia, id est, obedientia, quę Deo prçstatur cum quadam tranquillitate animi, seu uoluntate obediendi, quæ ex consolatione fidei oritur. Hæc omnia Paulus uocat pacem, ut Philip: 4. Pax Dei quæ superat omnem sensum, custodiat corda uestra, & mentes uestras, id est, sit in uobis talis pax seu tranquillitas animi, ut obediatis Deo, et consolatione fidei sustentetis, & confirmetis animos, ut aduersa tolerare possitis, intuentes in promissionem diuinam, in qua cum conspicitur admirabilis bonitas & misericordia Dei, existit etiam dilectio.

ANTITHESIS.

Peccata contra primum præceptum. Epicurei & Academici.

Iam consideremus humani generis contumaciam aduersus Primum prçceptum, ut & infirmitatem nostram agnoscamus, & aliquo modo discernere gradus peccatorum contra hoc præceptum discamus. Primus est Epicureorum & Academicorum, qui negant aut dubitant, an sit Deus, an curet humana, an hoc uerbum, quod habet Ecclesia, sit traditum à Deo. Talis autem est maxima multitudo hominum ubiq;, quę prorsus ex animo deleuit omnem assensionem de Deo, indulget dubitationi, & eam confirmat. Magnæ igitur tenebræ secutæ sunt lapsum primorum parentum, & has tenebras postea confirmat malicia hominum, & adiuuat Diabolus.

Idolatræ.

Secundus gradus est eorum qui idola colunt, hoc est, qui fingunt multos Deos, & diuersam potentiam singulis attribuunt, ut Ethnici: aut tribuunt diuinum honorem, id est, inuocationem creaturis, ut qui inuocant Sanctos mortuos, Inuocatio enim tribuit omnipotentiam: aut alligant Deum ad certas statuas, cùm sine uerbo suo non uelit ad ullam rem alligari. Constat autem, mundum semper plenum fuisse & esse idolorum. Nec differunt ab Ethnicis moribus inuocatio Sanctorum, & statuarum cultus.

Magi.

Tertius gradus est Magorum, qui pacta faciunt cum Diabolis hostibus Dei, & eorum qui Magos consulunt, & eorum qui alijs superstitiosis obseruationibus dediti sunt, quibus tribuitur potentia, sine ordinatione Dei. Quare si qui effe-

qui effectus sequuntur, Diabolus autor est, & fiducia nititur Diabolis: Hæc omnia prohibentur Leuit:20. Anima quæ declinauerit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.

Quartus est Iudæorum, Philosophorum, Hæreticorum & Mahometistarum, qui omnes sibi fingunt suos Deos, nec uolunt agnoscere hunc esse Deum, qui se in hoc uerbo suo per filium Christum patefecit, cum sic tantum uelit agnosci & inuocari. Ergo uiolabant primum præceptum Manichæi, qui fingebant duos Deos, bonum & malum pariter æternos. Item, Samosatenus, qui affirmauit in Christo tantum esse humanam naturam. Sicut Mahometistæ impiè sentiunt. Violarunt hoc præceptum & Ariani, qui negauerunt filium Dei esse de substantia Patris. Item alij qui dixerunt, Spiritum sanctum tantum esse motum in hominibus creatum. *Iudæi, Philosophi, Hæretici, Mahometistæ.*

Quintus gradus est eorum qui non inuocant Deum per Mediatorem Christum, imò fingunt alios Mediatores Sanctos, aut Missas, aut satisfactiones, aut alia opera. Item, qui dicunt dubitandum esse de gratia Dei. *Qui non agnoscunt nec inuocant Mediatorem.*

Sextus est desertorum, qui deficiunt à uera doctrina Euangelij metu uel odio, ut Iudas, Iulianus, &c. *Desertores.*

Septimus est desperantium, ut Saul, & in hanc desperationem ruere omnes necesse est, qui non norunt Euangelium de fide in Christum. *Desperantes.*

Octauus est, non discere Euangelium, non excitare se ad audiendam & cognoscendam doctrinam Christi, cum Pater cœlestis præceperit, Hūc audite. *Neglectio Euangelij.*

Nonus est Hypocritarum, qui etsi uera profitentur, nec sunt polluti externis Idolis, tamē in corde sunt sine timore Dei, sine fide, & magis amant uoluptates suas aut opes, quàm Deum, ut Nabal. Talis semper magna multitudo est in Ecclesia etiam habente puram doctrinam, ut monet parabola de semine. *Hypocritæ.*

Decimus est superbia, id est, admiratio & fiducia propriæ potentiæ, sapientiæ, uirtutum, sine agnitione propriæ imbecillitatis, sine agnitione & petitione auxilij diuini, ut Alexander maximis rebus gestis iudicat hoc pulcerrimū regnum partum esse consilijs & dimicationibus suis, delectatur sua sapientia, sua fortitudine, incipit contemnere & premere inferiores, nec agnoscit has tantas res gestas esse Dei auxilio, qui Persis eripiebat imperium, ut eos puniret, sicut & postea Alexāder factus nequior punitur. Talis describitur & Nabuchodonosor, qui castigatus agnoscit hanc arrogantiam, & se emendat: Sed Sennaherib simili elatus fiducia sui, non emendatur, sed interficitur. Et historiæ ostendūt plerunq; heroicos uiros tandem opprimi tristissimis casibus. Id ideō fit, quia hoc modo peccant, admirantur sese & confidunt suis donis sine agnitione & petitione auxilij diuini, & sæpē mouent res periculosas, aut etiam iniustas, aut priuatis affectibus, fiducia suæ potentiæ, ut Pompeius. Accedunt & alia uicia, luxus, despectio & oppressio aliorum, ut Alexander securus hellu abatur, interficiebat optimē meritos duces, ideò sequuntur pœnæ. Hoc ipsum poëmata etiam significarunt de Aiace, quem scribit Sophocles ideò punitum esse furore, quia cum pater Telamon abeunti dixisset, ut pugnaret quidem strenuè, sed à Deo uictoriam peteret? Respondit Aiax, etiam ignauos adiutore Deo posse uincere, se uerò uel sine Deo. Ex his exemplis facilē intelligi potest, quare heroici uiri tandem sæuis casibus opprimantur, & scriptum est de hac elatione & fiducia sui, Abominatio est coram Deo, quicquid est sublime coram *Superbia.*

hominibus. Etsi autem in heroicis personis clarius conspici hoc malum potest, tamen omnes homines aliquid huius contagij habent. Multorum fiducia magis nititur opibus, amicis, industria, quàm Deo. Hos morbos agnoscere discamus, ut emendemus, & fiducia uera nitatur Deo, sicut Dauid clamitat, Respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego. Item, Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.

Fiducia propriæ iustitiæ coram Deo.

Hic etiam recensendi sunt Hypocritæ, qui confidunt propria iustitia coram Deo, ut Pharisæus Lucæ 18. In his concurrunt multa peccata, uidelicet quòd non agnóscunt suam infirmitatem, non agnoscunt se dignos esse pœna coram Deo, quòd uanam fiduciam habent, quòd non inuocant per Mediatorem Christum: Imò quòd sua opera loco Mediatoris Dei proponunt: His suprà attribui quintum gradum.

Impatientia.

Vndecimus est Impatientia, quæ propriè aduersatur Primo præcepto, quia uoluntas recusat Deo obedire in pœnis. Interdum etiam irascitur Deo, tanquam duriori domino, aut iniquo iudici, de quo affectu sæpè admonet nos scriptura, ut, Irascimini, nolite peccare, id est, repugnate dolori, & flectite animum, ut uolens obtemperet Deo in ærumnis, sicut suprà dictum est. Collegi gradus peccatorum, quæ propriè pugnant cum Primo præcepto, qui facilè agnosci & iudicari possunt. Et quia Decalogus est summa doctrinæ omnium uirtutum, distribuamus & ipsas uirtutes in singula præcepta. Ad primum pertinet uirtus, quæ uocatur aliàs pietas, aliàs religio, sed facilius intelliguntur hæc nomina, Timor Dei, Fides seu fiducia, Dilectio Dei. Et quidem has partes necessariò complectitur ea uirtus, quæ uocatur Pietas. Pertinet huc & patientia. Cæterùm nomen Pietas penè respondet nomini iustitiæ uniuersalis, si deficiamus eam obedientiam, quæ Deo præstatur in omnibus eius mandatis, sicut postea dicemus, ad hunc finem, ut Deo obtemperetur, omnia referenda esse. Collocetur igitur huc & uirtus, quæ uocatur iustitia uniuersalis.

Pietas uel religio pertinet ad primum præceptum.

DE SECVNDO PRÆCEPTO.

POstquàm in Primo præcepto dictum est de motibus cordis erga Deum, qui sunt præcipuus & interior cultus, quia Deus requirit obedientiam cordis non simulatam, iuxta illud, Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Item: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate. Deinde secundum præceptum concionatur de externa professione: Quia Deus uult innotescere, uult uoce nostra inuocari, Et sicut per uerbum se patefecit, ita uult hoc uerbum uoce propagari. Ideò postquàm de motibus cordis dictum est, nunc præcipit de illa uoce, in qua sonat nomen Dei & uerbum Dei.

Externa professio opus secundi præcepti.

Non vsurpabis nomen Dei vanè.

In Primo præcepto ponuntur affirmatiuæ & negatiuæ orationes, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Hæc est affirmatiua, cui addendæ sunt & aliæ affirmatiuæ: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Item, Dominum Deum tuum timebis. Constitutis affirmatiuis, etiam negatiuæ seu exclusiuæ addendæ sunt: Non habebis Deos alienos. Ita in sequentibus cum audimus negatiuas orationes, semper prius affirmatiuam in Primo præcepto expressam mente intueamur. Hic uetat Deus abusum sui nominis, & tamen uult hanc uocem propagari & innotescere, Ego sum Deus tuus, Sunt

us, Sunt igitur ueri usus nominis diuini, uera prædicatio, uera inuocatio, gratiarum actio, & confessio. Hæc quatuor genera operum præcipi hic sciamus, & huic loco inseramus affirmatiua testimonia de his operibus, ut, Ite, docete omnes Gentes. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & celebrabis me, seu ages mihi gratias. Corde creditur ad iusticiam, & ore fit confessio ad salutem. Hæc dicta proprijssimē de his generibus præcipiunt. Pertinet autem ad inuocationem iuratio: Quia iurans inuocat Deum, ut sit testis uoluntatis ipsius, quòd non uelit fallere, & petit, ut Deus sit ultor, & puniat fallentem, & ad hanc pœnam se obligat. Hinc intelligi potest, quantum uinculum sit Iusiurandum: Inuocas Deum, ut in te ipsum sæuiat eius ira, si fefelleris. Quid potest fibi homo tristius imponere, aut quomodo se ad maiorem pœnam obligare potest? Ideò respondent euentus. Quia hæc obligatio est sancita & confirmata iure diuino hoc loco, Non habebit Deus insontem, quicunq; uanè usurpauerit nomen eius. Ideò etiam in hac uita horribiles pœnæ comitantur periuros.

Verus usus nominis diuini consistit in quatuor operibus.

Iuramentum pertinet ad inuocationem.

QVOMODO POSSIT FIERI HOC PRÆCEPTVM.

VT autem suprā diximus, non fieri opera Primi præcepti sine agnitione Filij Dei & fide, Ita & de hoc præcepto sentiendum est. Satis constat, non posse fieri inuocationem, nisi agnito Mediatore Christo, sic & de gratiarum actione sentiendum est. Item in ministerio certē necesse est tradi Euangelium de Filio Dei, &c. Deniq; ut suprā dixi, oportet primum apprehendi reconciliationem per filium Dei donatam, postea uerò placere incoatam obedientiam: Idem de cæteris Præceptis sentiendum est. Et opera cæterorum Præceptorum ita placent Deo, & fiunt cultus Dei, cum præcedunt opera Primi præcepti, Timor & Fides. Sic reliqua fiunt sacrificia laudis, & Deo placent, præcipuè uerò opera Secundi præcepti. Sicut scriptum est præcipuē de hoc genere, Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.

Obedientia nō placet sine agnitione Christi & fide.

PECCATA CONTRA SECVNDVM PRÆCEPTVM.

ANtithesis eadem est, quæ est superioris præcepti, cùm uicia cordis, quę suprā recensuimus, proferuntur. Pugnant ergo cum hoc mandato sermones Epicurei, externi cultus impij, impiæ inuocationes Dæmonum, idolorum & mortuorum, falsa doctrina, periuria, execrationes iniustæ, sermones arrogantiam aut impatientiam declarantes, ut dixerat Aiax, se etiam sine Deo uincere posse. Item, usitatissimum malum, prætexere nomen Dei, religionis, Euangelij, iniustis cupiditatibus, ambitioni, auaritiæ, libidinibus, odijs. Papa titulo ministerij quæsiuit potentiam, mouit iniusta bella, instituit aucupia infinitæ pecuniæ, idola & alia. Iam hæc ætas etiam titulo Euangelij sæpē priuatas cupiditates tegit. Pertinent huc & scandala omnia, quæ uel sauciant infirmas mentes, & fidem languefaciunt, uel alienant uoluntates aliquorum ab Euangelio.

Peccata pugnantia cum secundo præcepto.

Comminationes tristissimæ utriq; præcepto additæ sunt, quæ cùm de corporalibus pœnis loquuntur, etiam æternam iram significat, quia Lex non annunciat remissionem, sed in Euangelio clarè declaratur æterna ira aduersus eos qui non agunt pœnitentiam: Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c. Quod enim hic dicitur de pœnis in tertiam & quartam generationem sæuientibus, intelligitur de corporalibus: Et ut his prioribus præceptis additæ

Comminationes secundi præcepti.

sunt pœnæ,ita sciamus & sequentibus addi,ut Deut:27. adduntur maledictiones omnibus præceptis. Nec dubitandum est, calamitates mundi pœnas esse delictorum omnis generis,iuxta dictum Psalmi, Propter iniquitatem corripis filios hominum.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

VT in primo docentur opera interiora mentis, uoluntatis, & cordis erga Deum, In secundo professio externa: Ita hic in tertio traditur præceptum de ceremonijs diuinitus institutis,sed harum præcipuus finis intelligendus est,

Ceremoniarũ finis præcipuus.

Ceremoniæ traditæ sunt propter ministerium docendi, & sunt adminicula huius functionis. Ergo præceptum de Sabbato præcipuè concionatur de ministerio docendi & administrandi ceremonias diuinitus institutas: Sicut textus non dicit de ocio tantũm,sed nominatim de sanctificatione. Vult eo die sancta opera fieri, id est, propriè dicata Deo,hoc est, doceri populum, & ceremonias

Generale præceptum de conseruatione ministerij perpetuum est, sed species de die septimo abrogata est.

institutas diuinitus exerceri. Ad eam rem aliquis dies sit destinatus. Hæc principalis sententia pertinet ad omnes homines, & omnia tempora, quia est Lex naturæ. Cæterũm de obseruatione septimi diei constat, abrogatis ceremonijs Leuiticis, etiam hanc ceremoniam esse mutatam, ut clarè dicitur Coloss.2. Recte igitur dicitur,in tertio præcepto duas esse partes, unam naturalem, seu moralem,seu genus,altera pars est Ceremonia propria populo Israël,seu species de die septimo. De priore dicitur, naturale seu genus esse perpetuum, & non posse abrogari, uidelicet mandatum de conseruando ministerio publico, sic ut aliquo die populus doceatur,& ceremoniæ diuinitus institutæ exerceantur: Species uerò, quæ nominatim de septimo die loquitur,abrogata est.

Tertio præcepto mandatur conseruatio ministerij & ceremoniarũ.

Discamus ergo uerè hic præcipi conseruationem publici ministerij,& ceremoniarũ quas Deus instituit, quod Deus uult conseruare, ut maneat & propagetur Ecclesia,ut Ephe:4. dicitur: Dedit alios quidem Apostolos,alios Prophetas,alios Pastores,alios Doctores, ut ædificetur corpus Christi, ut non fluctuemus, nec circumferamur omni uento doctrinæ, id est, Dedit certum uerbum per Prophetas & Apostolos publicè sparsum, additis certis testimonijs, & instituit ministeria publica,in quibus sonet hoc uerbum, ut habeamus certã de Deo doctrinam, nec excogitemus ipsi nouas religiones sicut Ethnici,aut nouos cultus,&c. Hoc tantũ Dei donũ amare,uenerari,& suo quisq; loco adiuuare debet. Sicut dicit Christus: Qui uos audit,me audit, qui uos spernit,me spernit,ac Prophetæ deplorantes solitudinem in Sabbato,queruntur abolitum esse

Opera tertij præcepti.

ministerium docendi. Sunt igitur opera huius præcepti, piè fungi hoc ministerio: audire rectè docentes, & piè uti Sacramentis, & eorum usum adiuuare exemplo, & frequentia nostra, obtemperare rectè docentibus, alere, honore afficere,& defendere pios doctores,adiuuare studia necessaria Ecclesiæ. Non quæro allegoriam huius præcepti, sed trado propriam & præcipuam sententiam. Nec enim leue aut exiguum opus est conseruatio ministerij diuinitus instituti.

Peccata contra tertium præceptum.

Peccata contra hoc præceptum hæc sunt, omittere aut abolere munus rectè docendi, falsa docere, deprauare Ceremonias, nunquãm aut rarò adesse publico ministerio,in cœtu,ubi Ecclesiæ rectè docentur: Item abducere alios uel exemplo,uel alijs modis à publico ministerio, quod non est contaminatum impietate,sicut Donatistæ abducebant suos cœtus: Non obedire ministerio ueræ doctrinæ,exercere operas seruiles,id est, impedientes ministerium die constituto ad publi-

ad publicum ministerium: Conferre dies illos in ludos & helluationes, aut alia uicia, Contemnere, afficere contumelia pios ministros, Non uelle conferre ad eos alendos aut defendendos, Non tegere eorum infirmitatem, si tamen sint sani in doctrina, sicut Cham deridebat nudũ patrem: Non iuuare studia Ecclesię.

Primum præceptum omnibus includendum.

Vt autem suprà dictum est, Primum pręceptum omnibus reliquis includendum esse, quæ cùm sint mandata Dei, necesse est agnosci autorem, & obedientiam referri ad ipsum. Ideò timor Dei & fides sunt ceu uita aliorum operum, & adesse omnibus operibus aliorum præceptorum debent. Quare ut fiant opera huius præcepti, necesse est accedere agnitionem Filij Dei, ut possimus in fide & inuocatione Dei huic præcepto obedire. Item cum hoc præceptum de ministerio & ceremonijs concionetur, necesse est complecti Euangelium. Quia Legis ministerium, tantùm est ministerium mortis: Euangelium uerò annunciat remissionem peccatorum, & uitam æternam, propter Filium Dei. Item ceremoniæ diuinitus institutæ, sunt typi Christi. Ideò nec Iudæi poterant rectè facere opera huius præcepti, sine agnitione uera Christi. Et apud Monachos & Sacrificulos, quia doctrina de fide, uera inuocatione, & de ueris cultibus ignota est, multa peccata concurrunt in ipsorum ceremonijs: Falsò putant esse cultus, opera traditionum humanarum. Cœnam Domini depranant multipliciter, & has ipsas uicioſas ceremonias conferunt in quæstum. Hęc peccata etiam cum hoc pręcepto pugnant & polluunt Sabbatum.

In ceremonijs Monachorum et sacrificulorum multa insunt peccata.

Appellationes uirtutum, quas continet Primum pręceptum, etiam ad duo sequentia pertinent.

DE SECVNDA TABVLA.

ETiamsi tantum politica uita hic institueretur, tamen agnoscere humanam rationem oporteret, optimam formam Politiæ hic proponi. Primum sancitur imperium, præcipitur obedientia. Deinde munitur pax: Non occides, Muniuntur coniugia: Non mœchaberis, Muniuntur dominia rerum: Non furtum facies. Postea constituũtur iudicia, & sancitur ueritas in contractibus & pactis: Non dicas falsum testimonium. Hi sunt fontes legum politicarum. Sed nos sciamus doceri quidem politicam uitam, sed duo adiungi. Primum memineri mus Deum autorem esse & harum legum, & uitæ politicæ. Ideò sciamus propter Deum obedientiam præstandam esse, & includamus omnibus Primum præceptum, ut obedientiam in cæteris etiam regant timor Dei & fides. Secundò sciamus præcipi non tantùm externa opera, sed interiorem obedientiam: Sic debebat esse ordinata natura hominis, ne haberet inclinationes, affectus, aut opera contra hunc ordinem, in quo condita est, & qui in Lege declaratur, ac præcipitur.

Summa secundæ tabulæ, quæ politiæ formã proponit.

Obedientia erga secundam tabulam non externa tantùm, sed etiam interna sit.

Apparet autem contumacia & confusio ordinis in natura hominum, maximè in hac politica uita. Qualis est contumacia in gubernatione? quãm multæ iniustæ cædes, iniusta bella, quantum odiorum & inuidentiæ? Deinde uagæ libidines, inordinatę flammæ & furores amentium infiniti sunt. Postea furta manifesta sunt innumerabilia, in imposturis negociationum, in usuris & alijs. Item quis non laborat auaricia? quis suo contentus est, & suas res rectè & piè collocat? Postremò omnes deplorant Sophisticam & mendacia pactorum, contractuum & iudiciorum. In his exemplis manifestè cernimus confusionem ordinis instituti à Deo. Ideò discamus in Lege Dei non tantùm de externis fac-

Confusio ordinis in natura pugnans cum secũda tabula.

ctis dici, sed accusari totam contumaciam naturæ humanæ, seu confusionem ordinis interiorem & exteriorem: Quare in fine addita sunt præcepta de concupiscentia, quæ clarè loquuntur de interiore contumacia.

Nunc igitur percurremus reliqua Præcepta, quæ cùm sint politica, primùm scias Deum præcipere, ut in hac politica societate uiuamus, in qua uult innotescere, uult nos exercere fidem & inuocationem in communibus periculis & laboribus, uult exerceri dilectionem erga homines, & singulos subiectos esse communi seruituti propter ipsum, uult ibi lucere confessionem nostram, ut alij doceantur & inuitentur ad agnitionem & timorem Dei, Sicut scriptum est: Luceat lux uestra coram hominibus. Non uult Samuelem aut Dauidem latere in solitudine & specu aliquo, & tantùm arcanis ceremonijs uacare, sed uult eos in medijs fluctibus & procellis gubernationis uersari, & ibi circumferre doctrinam diuinitus traditam. Vult eos in his periculis exercere fidem, docere alios, uult conspici testimonia doctrinæ, quæ Deus per ipsos exhibet, uult subiectos communi seruituti, propter obedientiam Deo debitam. Ita Lex facit exæquationem omnium, officia imperans, in quibus singuli singulis seruiunt, cùm officia sua faciunt, ut omnes simus unius corporis membra, mutua dilectione, mutuis officijs coniuncti, ut Deo obediamus. Discamus igitur præcipi hic, ut communia onera totius uitæ & cõmunem seruitutem feramus, conferamus operas, ac meminerimus nos à Deo ad hanc politicam societatem conditos esse. Non enim dicit prima Lex, Quære solitudinem, tuas uoluptates, facito tibi ocium, sed inquit: Honora patrem & matrem, sancit imperia & obedientiam. Discamus igitur & opera secundæ Tabulæ uerè esse cultus Dei, ut suprà descripsi cultus, scilicet cum gubernantur à timore Dei & fide. Quare toties in Prophetis, cùm fit collatio cultuum, anteferuntur politica officia cereconijs, Esaiæ 1. Iudicate pupillo, &c. Et 58. Frange esurienti panem tuum, Oseæ 6. Zachariæ 7. Iudicium uerum iudicate. Et maximè hæc officia Christus ornat, cùm mandatum de dilectione proximi ait esse simile primo, hoc est, Deum obedientiam in utroq; genere simul postulare, & utriusq; generis officia cultus Dei esse.

Quando opera secundæ Tabulæ fiunt cultus Dei.

DE QVARTO PRÆCEPTO.

ORditur autem Quartum præceptum à primo gradu imperij, scilicet à parentibus, qui debent esse regula aliorum gubernatorum, de quibus alibi dicitur, ut Rom: 13. Et præcipitur summus gradus obedientiæ, scilicet honos, qui tria complectitur. Primùm agnitionem Dei, quem statuas esse autorem humanæ consociationis tùm in coniugio, tùm in politia. In his ordinationibus conspicitur sapientia Dei, bonitas erga nos, iusticia, ira aduersus sceleratos, defensio innocentię. Est igitur Honos agnoscere, hanc societatem esse opus diuinum, testimonium prouidentiæ, salutare humano generi, bonum & honestum, & amare hunc ordinem propter Deum & propter utilitatem, & pijs precibus à Deo petere, ut ipse conseruet.

Honos tria complectitur.

Secundò complectitur obedientiam externam, ut communibus officijs tueamur politias, non dilaceremus.

Tertiò ἐπιείκειαν, qua in tanta infirmitate humana quædam errata condonemus imperijs, & ea nostra æquitate, moderatione & diligentia sanemus & sarciamus, sic tamen, ne contra mandata Dei faciamus.

Discer-

Discerni autem res à personis debent. Hic triplex honos, quem dixi, semper debetur imperijs, hoc est, ipsi societati coniugali et politicæ, deuinctæ honestis legibus, quas Deus mentibus hominum indidit, & alijs iustis legibus. Sic Patres, Prophetæ, Christus & Apostoli semper agnouerunt coniugium & politicum ordinem esse opera & beneficia Dei, sicut uices motuum & temporum & multos miros euentus considerauerunt in politijs, unde ratiocinati sunt, Deo curæ esse genus humanum. Interim tamen has ipsas res à personis & à diaboli operibus discernebant, qui quò maiora sunt Dei opera, eò furiosius ea deformare, concutere & euertere conatur. Amabat igitur Paulus politiam, hoc est, Leges imperij Romani, & his obtemperabat: Sed Caligulam & Neronem non amabat, imò execrabatur tanquam organa diaboli, maledicta à Deo, quorum sceleribus contaminari totam rerum naturam uidebat. Hæc distinctio de rebus & personis obseruanda est, ut opera Dei ab operibus diaboli discernantur. Ac magis amabit & reuerebitur ipsas politias & leges, qui poterit res & personas discernere, & intuens in tantam confusionem imperiorum, quæ oritur à diabolo & eius organis, maiori cum dolore spectabit diaboli potentiam, qui in summo loco gubernationis maxima petulantia & atrocitate declarat odium aduersus Deum, & contemtum generis humani, & sæuitiam suam. Quid enim monstrosius, turpius & abominabilius cogitari potest Tyrannis omnium temporum, & quàm pauci omnibus ætatibus fuerunt, & sunt uel mediocres principes? Hæc tanta mala intelligenda & deploranda sunt, & petendum à Deo, ut ipse emendet & seruet politias. Nec prætextu operis diuini excusanda aut tuenda sunt uicia, nec propter loci dignitatem tolerandæ sunt manifestæ & atroces iniuriæ, impietates, & flagitiosæ libidines Tyrannorum sine fine grassantium, sed reliqua politia, cui Deus gladium dedit, rectè facit, cum Caligulas & Nerones, & similia portenta remouet à gubernatione. Sicut honestissimè Traianus ad magistrum equitum dixit, tradens ei gladium: Hoc gladio pro me utaris, si iusta imperabo: Sin uerò iniusta, contra me utaris. Sed si gubernatores sunt fideles, hoc est, mediocriter studeant officium facere, & plerunq; iusta agunt, & lapsi resipiscunt, tolerandi sunt, & eorum errata uel tegenda uel sananda sunt. Tales fuerunt Dauid, Salomon, Iosaphat, qui cùm fuerint excellentissimi Principes, habent tamen suos lapsus, qui describuntur, ut admoneamur difficilimam & periculosissimam rem esse gubernationem. Nam diabolus cùm sit homicida, molitur dissipationes politiarum, & uel gubernatores euertit, uel habet sua organa in populo, sicut Saulem funditus perdidit, qui tamen initiò res magnas & utiles gesserat, Dauidi laqueos iniecit, ex quibus uix eluctatus est: Deinde incendit filium Absalonem, cuius scelus ingentem ruinam traxit. Turbat igitur diabolus politias, & natura hominum per sese infirma est in gubernatoribus & in populo: Ac utriq; licentiam naturaliter amant, & oderunt Legum & disciplinæ uincula, In tantis diaboli insidijs & tam multiplici infirmitate hominum retinere mediocrem statum, magnum & singulare Dei opus est, sicut clarè dicit Salomon: Vt oculus uideat, & auris audiat, Deus facit utrunq;, id est, ut gubernator habet felix consilium, & respondeat obedientia subditorum suo loco, Dei opera sunt, hæc impertit per fideles gubernatores, quorum alij alijs præstant. Nulla humana sapientia, uigilantia aut uirtus par est tantis rebus. Ideò Paulus inquit 2. Cor. 3. Sufficientia nostra ex Deo est. Item, Non sumus idonei ex nobis, ne cogitare quidem: Sed in ipsis

In politijs res & opera Dei discernantur à personis et Diaboli operib.

In gubernatoribus fidelitas requiritur.

Et salutaria consilia & successus sunt à Deo.

ipsis personis fidelitatem, id est, studium recta faciendi requirit, 1. Corinth. 4. Cæterum hoc requiritur in ministris, ut fideles sint. Cum igitur mediocris status est politiarum, agnoscamus eum esse beneficium Dei, quod per aliquos fideles ministros impertit, & Deo autori politiarum obediamus.

Deinde & ipsis gubernatoribus pro sua fidelitate & ingentibus laboribus, qui comitantur omnem gubernationem, tribuamus honorem, hoc est, agnoscamus eos adiuuari diuinitus, esse organa, per quæ Deus nobis bona suppeditat, amemus eos, ac nos eis subijciamus, & debere fateamur pro ipsorum sedulitate gratiam, & aliquos lapsus ipsis condonemus, sic tamen, ne contra mandata Dei faciamus. Hæc æquitas magna uirtus est, & difficilis. Breuiter annotaui, quas res complectatur uocabulum Honoris, quod diligenter expendendum est, & dixi de discrimine rei & personarum.

Officia superiorum erga inferiores.

Continet autem hoc præceptum mutua opera superiorum & inferiorum: Officia superiorum significata sunt in uocabulis patris & matris. Item in integro Decalogo, qui uniuersaliter est forma regiminis, & cõplectitur omnes uirtutes & omnia officia boni patris & boni gubernatoris, sicut uera illa uox est, quemadmodum Xenophon inquit: Bonus Princeps nihil ā bono patre differt. Prima sit igitur cura gubernatoris de prima Tabula, id est, curet rectē doceri Ecclesias. Pater curet doceri liberos suos de Deo, deinde sit iustus & fortis in defensione, sit castus, sit beneficus in iuuandis bonis, habeat Zelum & acre odium turpitudinis, sit uerax in dictis & factis, sit candidus, non suspicax, &c. Sit diligens in facultatibus rectē collocandis, ne desint sumtus rebus necessarijs. Deniq;, ut dixi, totus Decalogus est forma gubernationis, et si gubernator habebit affectum paternum, erit in eo studium harum uirtutum.

Officia inferiorum erga superiores.

Vicissim inferior tribuat honorem superiori, id est, agnoscat Dei opera esse politias, obtemperet propter Deum, & condonet quædam errata. Pertinent huc uirtutes, iusticia uniuersalis, quæ est obedientia legitima erga magistratus. Item, Cura uocationis. Item, ἐπιείκεια in dissimulandis, aut sanandis superiorum erratis, ne pax publica turbetur. Sed opposita uicia seu peccata facilius conspiciuntur, Vt contumacia aduersus superiores, quæ uocatur inobedientia & est uniuersalis iniusticia, item seditio, negligentia obeundæ uocationis, πολυπραγμοσύνη, id est, ingerere se alienæ uocationi. Hoc uicio & superiores & inferiores sæpè peccant. Ideō & Petrus prohibet esse ἀλλοτριοεπισκόπους, ingerentes se alienæ gubernationi.

In Imperijs res etiam sunt discernendæ.

Præterea ut suprā dixi, in imperijs discernendas esse res & personas, ita rerum etiam discrimen obseruandum est. In Monarchijs cæteris gubernatio præcipuè spectabat ad ciuilis & honestæ societatis defensionem, etiamsi erat ignota religio. Sed in regno Antichristi leges perpetuæ & præcipuæ regni sunt, de nouo cultu contumelioso in Christum, & damnato diuinitus, & finis principalis eius regni est, deleri nomen Christi, & hoc ipso prætextu conditum est regnum, quasi gloriæ Dei interfit extirpari nomen & doctrinam Christi. Tale est regnum Mahometi: Lex ipsa Mahometi est manifesta contumelia aduersus Christum: Deinde est mandatum de latrocinio, quia iubet interfici eos, qui credunt Christum esse filium Dei, præcipit item propagari suos errores gladio. Hęc prędicta sunt apud Danielem capite 7. de paruulo cornu: sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret. Tertiō conceditur lege multiplex turpitudo libidinum, & re ipsa nulla sunt Mahometi-

Discrimen regni Mahometis & cæterorum regnorũ.

starum

ſtarum connubia, quia concedunt duci, dimitti, & dimiſſas recipi priuatis arbitrijs, ſine ullis cauſis, concedunt & lege flagitioſas libidines, propter quas Deus euertit Sodomam & alias multas ciuitates: Ergo in eo regno nec lex eſt à Deo, ſed eſt Diabolicus furor, quem graſſari Deus extremo tempore ſinit, ut puniat mundum. Sicut creſcentibus peccatis inde uſq; ab initio creuit ſeruitus, & imperiorum aſperitas & confuſio. Quare differentia inter reliquas Monarchias & regnum Mahometi obſeruanda eſt. Daniel poterat eſſe magiſtratus in regno Babylonico. Iudæi poterant militare ſub Alexandro. Chriſtiani poterant militare ſub Romanis principibus, ut ſub M. Antonio fide militum Chriſtianorum magna uictoria parta eſt in Pannonijs: Quia finis militiæ erat honeſtum regimen politicum: Sed non licet militare cum Turcis, quorum finis eſt non regimen politicum, ſed confirmatio et propagatio legis, quam profitentur. Seruitutem pati Chriſtianis licet, unà militare cum Turcis non licet: Quia clarè inquit textus, Sanctos Dei conteret.

Chriſtiano cũ Turcis militare non licet.

QVINTVM PRÆCEPTVM.

Non occides.

PRohibet non ſolũm externas corporum iniurias, & priuatam uindictam externam, ſed etiam in animis maleuolentiam, odia, inuidentiam, priuatam cupiditatem uindictæ. Sicut Chriſtus clarè enarrat hoc præceptum Matth. 5. Econtrà uerò poſtulat erga omnes homines beneuolentiam, miſericordiam, zelum, candorem oppoſitum maleuolentiæ, manſuetudinem, patientiam, æquitatem, quæ remittit aliquid de ſummo iure, propter probabiles cauſas, uidelicet, ut ſanabiles reuocentur in uiam. Item: ne ex priuatis diſcordijs oriantur publica diſſidia. Quia de priuatis offenſionibus ſcimus ſeuerè præceptum eſſe: Remittite & remittetur uobis. Item: Vindicta non eſt res priuati impetus, ſed Deus eam ſibi relinqui poſtulat, & metas circumſcripſit. Ideò inquit, Mihi uindictam: Conſtat autem, quantos motus ſæpè excitet priuata cupiditas uindictæ. Quare & diſcamus quid de uindicta præceperit Deus, & mandato diuino obtemperemus.

Prohibitio quinti præcepti qualis ſit.

Iam hic addendum eſt, Magiſtratum politicum habere Mandatum diuinum de legitima uindicta. Ac pertinet officium magiſtratus ad hanc ipſam uocem: Mihi uindictam, ego retribuam, ego puniam, uel mea manu, uel permiſſione, uel legitimo officio Magiſtratus. Quia Deus imperia & politias conſtituit, retinet & mutat, ſicut ait Daniel cap. 2. Deus transfert regna, & conſtituit. Sunt igitur diuina uindicta legitimæ pœnę, quib. Magiſtratus afficit latrones, adulteros, periuros, graſſatores iudicijs condemnatos. Ad magiſtratus officium & legitima bella pertinent, ut cũm Conſtantinus repreſſit armis ſæuitiam Licinij, Sed ut ſummus gradus eſt poteſtatis politicæ bellũ, ita in maximo abuſu eſt, ac rariſſima ſunt iuſta ac legitima bella. Sed diabolus cùm ſit homicida, & inimicus politico ordini & diſciplinę, ſæpè leuiſſimis occaſionibus excitat ingentia bella, incenſis animis utrinq; iniuſta cupiditate. Hæc latrocinia tolerat Deus, ut puniantur utriuſq; partis ſcelera. Sicut bellum Pelopõneſiacum, quod fuit exitioſum toti Græciæ, ex leuiſſimis cauſis ortum eſt, Cæſo quodam luco, qui ritibus Ethnicis habebatur pro conſecrato, & quòd Pericles incanduerat conuicijs offenſus, quæ erant dicta in Aſpaſiam. Nec ſummum ius, præſertim in cauſa leui, ſatis iuſta cauſa eſt inferendi belli, ſicut dicitur; Sæpè ſummum ius,

Vindicta magiſtratuum legitima eſt.

Bella legitima pertinere ad officium Magiſtratus.

ſumma

ſumma eſt iniuria. Sed accedat æquitas, quę etiamſi qua incidit offenſio, tamen potius ſanare eam curet, quàm propter paucorum errata ſæuiat in innocentes, noceat in infinitum Eccleſijs & Reipub: & ſciant gubernatores, bella debere eſſe uindictam diuinam, non debere ſeruire humanæ cupiditati aut temerariæ iracundiæ. Sicut ait Abigail ad Dauid. Quia pręlia Domini præliaris, non inueniatur in te malum.

DE SEXTO PRÆCEPTO.

Non mœchaberis.

Prohibitio ſexti præcepti qualis ſit.

INgens eſt confuſio publica ordinis diuinitus inſtituti in hoc præcepto, quam prohiberi omnes intelligunt. Addit autem Chriſtus enarrationem Matth. 5. quæ oſtendit non tantùm externa delicta prohiberi, ſed etiam prauam inclinationem, & uagos ac errantes motus contra hoc præceptum. Vt autem ſuprà dictum eſt, prohibitionibus includi quaſdã affirmationes: Ita & hic obſerues ſanciri & confirmari legitimum coniugium: Quia hac lege munitur, quæ & conſuetudinem coniugalem approbat, & econtrà damnat omnem concubitum extra legitimum coniugium, ac minatur pœnas in hac uita, & æternos cruciatus poſt hanc uitam. Sicut in Epiſtola ad Hebræos dicitur: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item, Epheſ. 5. Omnis ſcortator aut contaminatus non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei: propter hæc enim uenit ira Dei ſuper inobedientes. Dixi autem muniri coniugium his legibus, quia etiam cùm mundus non punit adulteria, aut alias libidines, tamen Deus punit, nec ſinit iritas eſſe ſuas comminationes. Sicut exempla omnium ætatum oſtendunt, etiam non ſcripta: Quędam uerò Deus ſcribi uoluit, ut de regula nos admoneant, Deum uerè iraſci omnibus pollutis, & uel duriter caſtigare reſipiſcentes, ut Dauid caſtigatus eſt, uel prorſus delere non reſipiſcentes, ut deleta ſunt Sodoma. Nec tantùm urbes illæ quinq; propter hanc cauſam deletę ſunt, multis alijs exitio fuerunt libidines omnis generis, ut omnibus Gręcis ciuitatibus, Thebis, Athenis, Spartæ. Nec tantùm Troia propter adulterium punita eſt, ſed plurimi reges tragicis caſibus interierunt propter libidines, ut Aegyſthus, Clytemneſtra, Macedonici reges ferè omnes, Archelaus, Philippus, Alexander, Demetrius, Ptolemæi, Cæſares plurimi. Sæpè etiam ingentibus bellis, regna mutata ſunt propter hanc cauſam, ut, ferè tota tribus Beniamin deleta eſt propter ſtupratam uxorem Leuitæ. Hæc exempla intueamur, & ad comminationes diuinas conferamus, noſq; excitemus ad obedientiam in hoc præcepto, ac repugnemus illicitis flammis. Virtutes hic requiruntur, pudicicia, ſeu caſtitas, ſeu continentia, uerecundia, temperantia, ſobrietas. Nam ſine temperantia tueri pudiciciam nemo poteſt.

Comminationes & pœnæ libidinum.

Virtutes ſexti præcepti.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO.

Non furtum facies.

Septimum ſancit diſtinctionem dominiorum.

ET hic primum affirmatiua requirenda eſt: Sancitur enim dominiorum diſtinctio, quam hæc ipſa uox præcepti teſtatur ordinationem Dei eſſe. Quia enim prohibet furta, uult ſingulos tenere res ſuas. Hoc teſtimonio refutentur deliria fanaticorum hominum, qui magno & pernicioſo errore contendunt in Euange-

Euangelio tolli rerum proprietatem. Deinde & prohibitio obseruanda est, ne aliena appetamus. Et quia contractus diuinitus instituti sunt, ut homines inter se mutuis officijs declarent obedientiam suam erga Deum, piè & sanctè exercendi sunt. Nam & iniusticiam in contractibus punit Deus, non solùm pœnis magistratuum, sed etiam alijs cladibus, ut inquit Esaias, Væ prædanti, quia uiciſſim spoliaberis. Deut. 25. Pondus iustum habeas, ut longo tempore uiuas. Et experientia comprobat usitatam regulam, Malè parta, malè dilabuntur. Continet hæc lex multas uirtutes pugnantes cum auaricia, ignauia, prodigalitate, scilicet iusticiam in contractibus, liberalitatem, sedulitatem, parsimoniam. Quia ignaui & prodigi omnes sunt fures, nisi enim ex alieno rapiant, non possunt suum ocium & sumtus tolerare.

Prohibitio in Septimo præcepto qualis sit.

Virtutes septimi præcepti.

DE OCTAVO PRÆCEPTO.

Non dicas falsum testimonium.

HAec Lex munit iudicia & pacta, & continet uirtutem omnium pulcerrimam, Veritatem cuius utilitas latissimè patet in doctrinis, iudicijs, in pactis, in conuersatione. Violant enim hoc prȩceptum omnes corruptelæ doctrinarum, quæ fiunt fraude, aut petulantia ingeniorum, omnes calumniæ forenses, omnes elusiones fucosæ negociorum seu sophismata, omnes qui hypocrisi sua insidiantur alijs, & non ingenuè ostendunt, quod sentiant, & qualis sit natura. Hęc quàm latè pateant in uita, diligenter considerandum est, ut uerè & acriter odisse sophisticam discamus.

Quæ postulet, quæ prohibeat octauum præceptum.

DE NONO ET DECIMO PRÆCEPTO.

NOnum & Decimum addunt declarationem, ut sciamus Lege Dei non solum de externis operibus præcipi, sed accusari & damnari etiam uicium hærens in hac deprauata hominum natura, quod uocant Concupiscentiam. Non enim tantùm damnat hic uicioſos affectus, ad quos accedit consensus, ut uocant, sed etiam ipsam prauam inclinationem, quę est perpetua quædam auersio à Deo, & contumacia repugnans Legi Dei, & gignit infinitam confusionem appetitionum, etiamsi non semper accedit consensus. De hoc perpetuo malo inquit Paulus: Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum, Legi enim Dei nec subijcitur, nec subijci potest. Nec leue malum intelligatur inimicicia aduersus Deum, multas enim pestes complectitur, dubitationes de Deo, auersionem à Deo, fremitum aduersus Deum cum punimur. Deinde uagos & errantes motus infinitos contra Legem Dei, scilicet, confidentiam propriæ sapientiæ aut uirium, contemtum aliorum, inuidentiam, ambitionem, auaritiam, flammas libidinum, cupiditatem uindictæ. Hæc omnia Paulus complectitur uerbo Inimiciciæ, in quo etiam reatus intelligendus est. Hæc repugnant Deo, & Deus uiciſſim irascitur his uicijs, etsi propter Filium ignoscit credentibus. Quod autem Paulus uocat inimiciciam aduersus Deum, id alibi concupiscentiam nominauit, quæ significat prauam inclinationem & deprauationem omnium appetitionum. Hinc perspicuum est, nullum hominem in hac corruptione natum, Legi Dei satisfacere: Quia in hac mortali natura manet concupiscentia uicioſa, quam esse peccatum testatur Paulus Rom: 7. Et postea uocat inimiciciam aduersus Deum, et addit, non posse eam legi Dei subijci, quare hic in Decalogo

In nono & decimo præcepto declaratio est priorum de damnata concupiscentia.

damnatur. Hæc moneri necesse est, ut conspici magnitudo gratiæ, & intelligi doctrina de iusticia fidei possit.

Pœnæ & præmia sunt singulorum præceptorum.

Cæterùm & hoc obseruandum est, Etsi non in singulis præceptis fit mentio præmiorum aut pœnarum: Tamen sciendum est, & promissiones & comminationes ad singula præcepta pertinere, & alibi sæpè repetitas esse. Summa promissionum in his uerbis est: Qui fecerit hæc, uiuet in eis. Minarum summa est: Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ sunt scripta in Lege. Sed sciendum est omnes promissiones legis conditionales esse, id est, requirere conditionem, ne quid contra Legem fiat. Cùm autem Lex semper accuset nos, hæ promissiones fierent irritæ, nisi ex Euangelio disceremus, quomodo reputemur iusti, & quomodo placeat incoata obedientia iuxta legem. Fiunt igitur iustis fide propter Christum & Legis promissiones ratæ, quia Deus recipit obedientiam. Ideò & præmia tribuit corporalia & spiritualia, iuxta illud: Date & dabitur uobis. Item Psal: 32. Vt eruat à morte animas eorum, et alat eos in fame. Verùm infrà copiosius dicendum erit, de discrimine Legis & Euangelij & promissionum Legalium, & eius promissionis, quæ est Euangelij propria. Illud etiam memineris, quia ordo politicus uerè est opus Dei, sicut ordo motuũ cœlestium, Ideò Deus in politica iusticia regulariter præstat promissiones & minas. Externa & atrocia scelera comitantur manifestæ pœnæ, etiamsi cessent magistratus. Homicidæ quanquam effugerunt manus magistratuum, tamen mirabiliter ad supplicia retrahuntur. Periuros, adulteros, & pollutos incestis libidinibus, etiamsi magistratus non punit, tamen opprimi uarijs cladibus testantur historiæ, & quotidiana uita. Sed Lex testis est, hæc diuinitus fieri, iuxta illud, Non habebit insontem &c. Item, Fornicatores & adulteros iudicabit Deus, etc. Econtrà iustos gubernatores adiuuat Deus, ut constitutio regnorum & exitus bellorum regulariter ostendunt. Ideò addita est promissio corporalis Quarto præcepto, quod constituit politias, Si uis longæuus esse super terrã, &c.

Ordo politicus uerè est opus Dei.

DE LEGE NATVRÆ.

VT lumen oculis diuinitus inditum est: Ita sunt quædam noticiæ mentibus humanis inditæ, quibus agnoscunt & iudicant pleraq;. Philosophi hoc lumen uocant noticiam principiorum, uocant κοινὰς ἐννοίας & προλήψεις. Ac uulgaris diuisio nota est, alia esse principia speculabilia, ut noticias numerorum, ordinis syllogismi, principia Geometrica, Physica. Hæc omnes fatentur esse certissima, fontes maximarum utilitatum in uita: Qualis enim esset uita sine numeris, sine ordine? Alia sunt principia practica, ut totum discrimen naturale honestorum & turpium. Item, Deo est obediendum. Ac debebãt quidem hæc practica principia, tãm illustria nobis esse & firma, quãm sunt noticiæ numerorum: tamen quia propter labem originis accessit quædam caligo, & cor habet contrarios impetus discrimini honestorum & turpium, ideò homines non tam constanter assentiuntur his noticijs, Deo obediendum est, Adulterium est uitandum, Honesta pacta sunt seruanda, sicut huic noticiæ, Bis 4. sunt 8. Manet noticia legum, sed assensus est infirmus, propter contumaciam cordis. Noticia testimonium est nos ã Deo ortos esse, ac Deo obedientiam debere, & accusat inobedientiam. Dubitatio uerò & contumacia illustre signum est, naturam hominis non esse integram. Sicut idem significant mors & calamitates infinitæ humani generis, multa prodigiosa uicia. Hæc Paulus Rom: 1. his uerbis expositit. Ve-

Principia nobiscum nata duplicia sunt.

Cur principia practica sint obscuriora speculabilibus.

ritatem

ritatem in iniuſticia detinent, id eſt, etſi impreſſa eſt hominibus uera noticia, quòd ſit Deus una quædam æterna mens, conditrix & conſeruatrix rerum, ſapiens, bona, iuſta, &c. & quòd huic Deo obediendum ſit, iuxta diſcrimen honeſtorum & turpium, tamen hæ ueræ noticiæ detinentur in iniuſticia, id eſt, captiuæ tenentur, non regnant, ſed regnat iniuſticia pugnans cum his noticijs, ſcilicet auerſio uoluntatis ā Deo, contemtus Dei, fiducia propriarum uirium, denicꝫ uarij impetus pugnantes cum lumine diuinitus inſito mentibus. Ideò et aſſenſſus infirmior eſt, ac,

Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Ideò Philoſophi cùm uiderent infirmam aſſenſionem eſſe, et rapi homines magno impetu ad diuerſas uoluptates, quæſiuerunt, utrum iuſta aut iniuſta natura uel opinione diſcernantur. Qua de re dubitare, turpe & flagitioſum eſt, perinde ac ſi quis quęrat an natura, uel caſu bis quatuor ſint octo. Lumen diuinum in mentibus non extinguendum eſt, ſed potius excitandum, & confirmandus animus, ut agnoſcat principia practica, eaꝫ amplectatur, & ſtatuat reuera tàm certa & firma eſſe, quàm ſunt ſpeculabilia, imò pariter eſſe decreta immutabilia Dei. Sicut & Paulus cõcionatur Rom: 1. inquiens, Deus ipſis oſtendit. Item Rom: 2. Opus Legis ſcriptum eſt in mentibus eorum. Vocat item has noticias ius diuinum, Rom: 1. Qui cùm ius Dei norint. Eſt ergo uera definitio Legis naturæ, Legem naturæ, eſſe noticiam Legis diuinæ naturæ hominis inſitam. Ideò enim dicitur homo ad imaginem Dei conditus eſſe, quia in eo lucebat imago, hoc eſt, noticia Dei, & ſimilitudo quædam mentis diuinæ, id eſt, diſcrimen honeſtorum & turpium, & cum his noticijs congruebant uires hominis. Voluntas erat conuerſa ad Deum ante lapſum, ardebant & in mente ueræ noticiæ, & in uoluntate amor erga Deum, & aſſentiebantur corda ſine ulla dubitatione ueris noticijs: Ac ſtatuebant nos conditos eſſe ad agnoſcendum & celebrandum Deum, & ad obediendum huic Domino, qui nos condidit, alit, impreſſit imaginem ſui, qui iuſta poſtulat & approbat. Econtrà uerò damnat & punit iniuſta. Quanquam autem in hac naturæ corruptione deformata imagine Dei, non ita fulgent noticiæ, manent tamen, ſed cor repugnat, & incurrunt dubitationes, propter quædam quæ pugnare uidentur cum illis noticijs. Quia enim pœnæ differuntur, et bonis malè eſt, & malis benè, ambigit ratio de Prouidentia, hoc eſt, de ipſa prima Lege, An Deus benefaciat bonis, & puniat malos. Item, Omnes naturaliter dubitant ſe audiri in inuocatione. Nec tamen extincta eſt penitus noticia naturalis de Deo. Ideò prima Lex naturæ reipſa eſt agnoſcere, quòd unus ſit Deus, mens æterna, ſapiens, iuſta, bona, conditrix rerum, benefaciens iuſtis, & puniens iniuſtos, ā qua ortum eſt in nobis diſcrimen honeſtorum & turpium, & quòd ei iuxta hoc diſcrimen obediendum ſit, quódꝫ hic Deus ſit inuocandus, & expectanda ab eo bona. Hanc Legem naturæ Paulus & citat, & ſic enarrat Rom: 1. Et congruere eam cum Primo præcepto manifeſtum eſt. Iam huc referantur ueræ diſputationes Xenophontis, Ciceronis, & ſimilium, qui ſecuti naturale iudicium, hanc Legem contra Atheos ſæpè inculcant & defendunt.

Definitio legis naturæ.

Prima lex naturæ agnitio Dei, ſicut ſe in lege patefecit.

Ad Secundum præceptum pertinent leges & dicta de iureiurando, et de pœnis periurij; Item de pœnis eorum, qui ſunt maledici aduerſus Deũ. Nam et ratio iudicat pœnas ſequi, & experientia omniũ temporum quædam exempla oſtẽdit. Huc innumerabilia dicta pertinẽt, de pœnis periurij, ut apud Tibullũ:

Leges naturæ pertinentes ad ſecundum præceptum.

Ah miser, & si quis primò periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Leges naturæ congruentes cũ tertio præcepto.

Ad Tertium præceptum pertinent, si qua leguntur probabilia dicta de honestis ceremonijs, ut apud Athenienses iurabant ciues. Pugnabo pro sacris & solus, & alijs iuuantibus, quod fortassis sumtum est ã patribus, qui de ceremonijs diuinitus traditis, hoc Iusiurandum intellexerunt. Posteritas deinde impia audacia finxit nouas ceremonias, et nouas opiniones, ut fit, quando amittunt homines regulam cœlestem, quæ prohibet institui nouos cultus humana autoritate. Ad tales impias ceremonias nõ accõmodandum est uetus dictum.

Leges naturæ quæ ad primã tabulam conueniunt, obscuriores sunt cæteris.

Hactenus recensui leges naturæ conuenientes cum prima Tabula, quæ sunt obscuriores quãm sequentes, quæ de ciuili societate loquuntur. Intelligit ratio naturaliter, discrimen esse inter hominum & pecudum uitam, intelligit iusticiam, castitatem, ueritatem, temperantiam, modestiam, beneficentiam, & alias uirtutes. Intelligit item genus hominum ad societatem legitimam conditum esse, & intelligit uirtutes propter Deum colendas esse, etiamsi non mouemur utilitate. Quanquam Deus euidentes utilitates etiam addidit in hac societate.

Quarti præcepti leges.

Primùm igitur agnoscit ratio in hac societate, ordine & gubernatione opus esse, & primus fons gubernationis est parentum autoritas. Ad hanc imaginem postea traditur potestas Magistratibus, qui totam societatem regunt & defendunt.

Quinti præcepti leges.

Ad Quintum pertinet dictum, quod prohibet omnem iniustam uiolentiam, Neminem lędere. Etsi autem utilitas manifesta est in hac re (Non enim posset incolumitas uitæ retineri, si grassari impunè liceret) Tamen ratio non solùm has iniurias propter utilitatem uitandas esse docet, sed etiam propter iusticiam, cuius intellectus inditus est homini. Et ut præcipit iusticia tueri innocentes omnes, ita iubet per magistratus coërceri & tolli noxia membra. Nec difficile est prudentibus colligere multas rationes naturales harum sententiarum, sed hæc est præcipua, quòd intellectus iusticiæ diuinitus insitus est hominibus, ut noticia numerorum, etsi assensio propter contumaciam cordis est imbecillior, quod odijs, cupiditate uindictæ, ira flagrans, non audit monitricem rationem. Nec primùm hæc lex de non facienda iniusta cæde in tabulis Moysi scripta est, sed statim initiõ Deus addidit iudicio naturæ illustre testimonium, cùm maledicitur & punitur Cain propter interfectum fratrem. Promulgatur & postea Lex, Genes: 9. quæ prohibet homicidia, & punire præcipit per Magistratus.

Hæc enim sunt uerba in textu: Quicunq; fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius per hominem, id est, per Magistratum: Ad imaginem Dei quippe factus est homo, id est, ut Deum intelligat, inuocet, celebret, sit iustus. Hunc suum cultorem & sacerdotem Deus non uult uiolari, sed potius defendi & adiuuari, ut Deum colat & inuocet. Estq; Deus ipse uindex uiolatæ imaginis, uiolati cultoris & sacerdotis. Ita subinde Deus illustria testimonia addidit legibus naturæ, ne in hac caligine humani cordis extinguerentur.

Sexti præcepti leges.

Ad Sextum pertinet iudicium rationis, quod discernens hominum et pecudum uitam, iubet homines certis legibus matrimonia contrahere, & improbat uagos concubitus & adulteria. Hoc iudicium esse in ratione, coniugia testantur.

ſtantur. Etſi contra hunc ordinẽ in hac corruptione naturæ multis modis peccatur, ſed Deus ſanxit legem de connubijs ſtatim in Paradiſo. Et poſtea uagas libidines diluuio puniuit, & alijs exemplis, ut de hac lege naturæ nos doceret.

Ad Septimum pertinet dictum, Suum cuiq; tribuere. Videt ratio diſtinctionem dominiorum conuenire huic naturæ hominum, & res per contractus communicandas eſſe, ut mutuis officijs homines inter ſe deuinciantur, & exerceant iuſticiam & beneficentiam: Hoc naturale iudicium uocant Philoſophi legem naturæ, ſeu ius naturæ, quod longum aceruum demonſtrationũ, & multos gradus complectitur. Ideò Iuriſconſulti paulò aliter loquuntur, etſi ius gentium nihil aliud ſignificat, niſi commune hominum iudicium, hoc eſt, principia practica & demonſtrationes ex illis collectas. Nec Platonica illa confuſio conuenit huic naturæ hominum, in qua neceſſe eſt diſtincta eſſe imperia, & diſtinctas ciuitates, ut coërceri mali poſſint, quare & res diſtingui neceſſe eſt. Diſcamus autem in his officijs exercendis non tantùm utilitatem intueri, ſed potius ordinem à Deo inſtitutum & naturæ monſtratum, ac propter Deum ſeruemus metas iuſtas contractuum, nec defraudemus alios, ſed potius adiuuemus, ut tenere ſuum poſſint. De hac æqualitate extant eruditiſſimæ diſputationes Philoſophorum & Iuriſconſultorum, quæ ſunt teſtimonia luris naturæ, id eſt, iudicij naturalis de hac materia. *Septimi præcepti leges.*

De Octauo, Manifeſtum eſt rationi humanę inditum eſſe iudicium, quod ſtatuit amandam & tuendam ueritatem eſſe, & uitanda mendacia. Hic rurſus apparet communis utilitas huius legis & officij. Quia non eſſent ſemper duraturi contractus, nulla eſſent fœdera & uincula pacis, ſublata fide pactorum: fruſtra exercerentur iudicia, niſi ueritas inquireretur: in artibus ut in medicinis & alijs, quanta pernicies uitæ eſſet falſa pro ueris tradere, uenena pro remedijs commendare? denicq; infinitas utilitates Deus ſemper admiſcuit ſuis legibus. At nos non tantùm utilitates intueamur, ſed multò magis ordinem à Deo inſtitutum, & hunc ordinem, uidelicet ueritatis conſeruationem propter Deum amemus, & conſtanter tueamur. *Octaui præcepti leges.*

Recenſui leges naturæ iuxta ſeriem Decalogi: Nam hæc ſeries perſpicua eſt, & uiam quam ratio monſtrat, rectè ſequitur: Verùm quoquo modo numerentur, res ipſę congruent, niſi aliena miſceantur. Deinde eò prodeſt ſequi hunc ordinem, ut conſenſus Legum naturæ cum Decalogo appareat, quem conſpici, multis de cauſis eſt utiliſſimum. Primùm, ut intelligamus ipſas leges naturæ diuinas eſſe, & ueram earum explicationem, demonſtrationes, & congruentes ſententias, ſeu apud Philoſophos, ſeu apud Legumlatores magnifaciamus, contrarias uerò deteſtemur: ideò autem de cœlo ſonuit Lex diuina, ut Deus teſtaretur ſe eſſe autorem naturalis noticiæ, & poſtulare obedientiam iuxta eam noticiam, & accuſare genus humanum propter contumaciam. Voluit etiam Deus extare uocem iudicij ſui aduerſus peccatum. Poſtremò ſanctis etiam prodeſt extare certum teſtimonium Dei, quæ opera requirat & probet, ne in hac infirmitate hominum ratio aberret, ſicut in multis Legumlatoribus aberrauit, quorum aliquæ ſunt uicioſæ leges. *Vtile eſt conſiderare conſenſum legum naturæ cum Decalogo.*

DE VSV LEGIS.

NOn dubium eſt Lege diuina flagitari interiorem & perfectam obedientiam, iuxta illud: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Cùm autem hæc

Lex quia requirit perfectam obedientiam, non iustificat.

tem hæc corrupta natura hominum non possit præstare integram obedientiam, sicut clarè testatur Paulus Rom: 7. & 8. & maneat in hac uita peccatum, scilicet dubitatio, diffidentia, non satis timere & diligere Deum, & infiniti motus errantes cõtra legem Dei, sequitur homines non pronunciari iustos, id est, acceptos coram Deo propter legem. Ideò Paulus de hac controuersia acerrimè disputat, ac detrahit legi iustificationem. Etsi autem humana ratio aliter iudicat de peccato & de iusticia, & ex hac dissimilitudine humani iudicij, & Euangelij certamina oriuntur, tamen nos audire uocem Euangelij oportet, quæ clamitat inde usq; ab initio, remitti peccata hominibus, & reconciliatos placere, seu iustos, id est, acceptos esse propter Mediatorem filium, sicut Rom: 5. dicitur: Per hunc habemus accessum ad Patrem fide.

Triplex usus Legis.

Exoritur ergo quæstio: Quis sit usus legis, si legis opera non merentur remissionem peccatorum, aut si non sumus iusti Lege? Hic sciendum est, tria esse Legis officia, seu triplicem usum.

Primus politicus.

Primus est Pædagogicus seu Politicus: Vult enim Deus coërceri disciplina omnes homines, etiam non renatos, ne externa delicta committant. De hoc officio loquitur Paulus 1. Timoth: 1. Lex est iniustis posita, scilicet, ut coërceantur, & ut hæc disciplina seuerè defendatur, præfecit Deus humano generi Magistratus, uult legibus & doctrina regi homines, uult coërceri hominum furores, & puniri supplicijs à Magistratibus, ut Deut: 19. dicitur, Auferes malũ, ut audientes reliqui timorem habeant, non miserearis eius. Et suprà hæc addidit Deus carcerem multò tristiorem, uidelicet calamitates uniuersas generis humani, sicut Psalmus inquit de causis calamitatum humanarum: Chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non accedunt ad te. Ac diligenter docendi sunt homines de disciplina, & hæ quatuor causæ proponendæ.

Quatuor causæ disciplinæ.

Prima, quòd necesse sit eam præstare propter mandatum Dei, cui debetur obedientia.

Secunda, ut pœnę uitentur, quibus uel Magistratus uel Deus punit atrocia delicta.

Tertia publicæ pacis causa, quia Deus flagitat disciplinam, ne grassemur in aliorum corpora & fortunas, uult munitam esse pacem, & tranquillitatem, ut regi & doceri homines possint. Et hic monendi sunt homines, uitam & mores nostros non tantùm nobis, sed alijs etiam seruire debere, & multa scelera non tantùm corporibus & fortunis aliorum nocent, sed etiam polluunt alienas mentes. Hæc damna non sarciuntur, sed diuinitus pœnæ comitantur.

Quarta causa est, quia disciplina est pædagogia in Christum. Cæteras causas etiam uidebant Ethnici modestiores, & magnus furor est nihil moueri metu calamitatum et pœnarum. Sed quarta causa grauior est et magna laus est disciplinæ, quòd pædagogia dicitur in Christum, uidelicet ꝙ quod in illis, qui non desinunt se polluere sceleribus contra conscientiam, non est efficax Christus, sicut clarè dicitur 1. Corinth: 6. Fornicatores, idolatrę, adulteri, &c. regnum Dei non possidebunt. Et in eandem sententiam inquit Iohannes: Omnis qui peccat, ex Diabolo est. Necesse est igitur frenare cupiditates, ne repugnemus Spiritui sancto mouenti corda. Accedit & hoc, quòd disciplinæ pars est, audire & discere Euangelium, per quod Spiritus sanctus est efficax. Has utilitates disciplinæ meminisse, plurimum refert, sed tamen non affingendi sunt errores illorum, qui docuerunt hanc disciplinam mereri remissionem peccatorum,

rum,aut ſine peccato eſſe,aut eſſe impletionem legis,aut iuſticiam coram Deo.

Hactenus de uſu politico ſeu pædagogico legis dictum eſt: Nunc de ſecundo uſu dicendum eſt,de quo prę̃cipuē̃ concionatur Paulus,ut errores humani iudicij̃ de peccato & de iuſticia emendet. Eſt igitur alius uſus Legis diuinæ, & præcipuus,oſtendere peccatum,accuſare,perterrefacere,& damnare omnes homines in hac corruptione naturæ. Eſt enim Lex perpetuum Dei iudicium, damnantis peccatum in toto genere humano, patefactum hominibus, & quia noticia Legis naturæ eſt indita mentibus, & quia ſubinde uarijs modis reuelatum eſt uoce & exemplis, ut in Paradiſo arguit Deus inobedientiam, & addit pœnam,ſcilicet mortem,& cæteras calamitates, ut eſſent teſtimonia iudicij̃ aduerſus peccata. Poſtea ſecutæ ſunt multæ conciones & exempla, ut de Cain, de diluuio,de exitio Sodomorum,& reliquis.Eſtq; immutabile iudicium Dei opprimens æterna ira omnes, qui non liberantur per agnitionem filij̃ Dei. Non igitur imaginemur Legem Dei rem leuem & mutabilem eſſe, ut fuit Laconica lex, tantũm ut ferreo nũmo in terra Laconica uterentur: Sed eſt iudicium Dei, in quo horrenda ira Dei aduerſus peccatum oſtenditur omnibus temporibus, quod quidem ſemper ſonat,& ſentitur in Eccleſia magis quãm in reliquo mundo: Sicut ſtatim ab initio in Paradiſo, & poſtea in Patrum concionibus ſonuit uox Legis arguens peccatum, & prædicans pœnitentiam. Et Paulus inquit Rom:1.Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem iniquitatem hominum ueritatem in iniuſticia detinentium.Hic teſtatur cœleſtem uocem in Eccleſia ſonare,quæ iram Dei denunciat aduerſus hominum peccata.

Secundus uſus legis diuinæ, damnare omnes homines.

Legis uox eſt immutabile iudicium Dei.

Sonat igitur,ut dixi,in Eccleſia hæc uox legis,magis etiam ſentiuntur hęc fulmina in Eccleſia, Adam, Abraham, Iacob, Dauid, Ezechias, Paulus, ſenſerunt terrores in agnitione ſui peccati: Sicut Leo contriuit omnia oſſa mea. Et Pſalmi pleni ſunt harum querelarum. Et ut ſentiatur hoc iudicium, & agnoſcatur peccatum, Eccleſia ſubiecta eſt cruci, cùm interim mundus cœcus & furens contemnat iudicium Dei. Nihil igitur dubium eſt hanc uocem Legis arguentem peccata in Eccleſia oportere perpetuõ proponi & tradi, imõ grauiſſimum ſcelus eſſet occultare iudicium Dei,& uocem denunciantem iram aduerſus peccatum,ut Ierem:1.dicitur:Ecce dedi uerba mea in ore tuo,Ecce conſtitui te ſuper Gentes, ut euellas & deſtruas: Sed illa eſt in Eccleſia diſputatio: Hypocritæ putant legem proponi,ut mereatur reconciliationem, ſeu tollat peccatum. His erroribus reclamat Paulus, & tradit ſententiam alienam ã iudicijs humanis. Imõ, inquit, per legem cognitio peccati. Quaſi dicat: Ideõ proponitur Lex,ut accuſet & damnet peccatum,non tollit. Item:Lex iram efficit. Item: Per Legem peccatum fit excellenter reum. Item:Aculeus mortis peccatum eſt: uirtus autem peccati, lex eſt. Hæc dicta uiris politicis admodum uidentur abſurda,ſed concionantur non de politicis moribus,ſed de iudicio Dei,quod ſentimus in ueris terroribus,& uera pœnitentia: Nam hunc uſum Lex non habet in hominibus ſecuris, Sicut ait Paulus: Ego aliquando uiuebam ſine Lege, id eſt,eram ſecurus,non ſentiens iudicium Dei,poſtea perterrefactus,agnoui imbecillitatem meam,& mea peccata &c. Habuit hunc uſum Legis in Dauide, cùm obiurgatus ã Propheta propter adulterium perterrefieret. Deniq; contritio,quam ſic uocant, in pœnitentia ita clarẽ intelligi poteſt, ſi ſciamus eam huiuſmodi ueros terrores eſſe. Sed addenda eſt uox Euangelij̃, quæ monſtrat agnum Dei tollentem peccata, ac reuelat inenarrabilem miſericordiam Dei,

Error Hypocritarum imaginãtium lege tolli peccata.

qui cum uerẽ iraſcitur peccato, iudicat quidem peccatum, ſed tamen uult liberare credentes in Filium, quem fecit uictimam. Ideõ Paulus inquit: Terreri nos non ut pereamus, ſed ut confugiamus ad Mediatorem: Concluſit omnes ſub peccato, ut omnium miſereatur. Tertiõ quæritur de uſu Legis in renatis. Quatenus autem renati & iuſtificati fide, ſint liberi à Lege, dicendum eſt ſuo loco. Sunt. n. liberati à Lege, id eſt, à maledictione & damnatione, ſeu ab ira Dei, quæ in lege proponitur, ſcilicet, ſi fidem retinent, & fiducia filij Dei repugnant peccato, & uincunt terrores peccati. Interim tamen docenda eſt lex, quæ reliquias peccati indicat, ut creſcat agnitio peccati & pœnitentia, & ſimul ſonet Euangelium de Chriſto, ut creſcat fides. Item, Lex renatis ideõ proponenda, ut doceat certa opera, in quibus Deus nos uult exercere obedientiam: Non enim uult Deus noſtro conſilio nos excogitare opera aut cultus: Sed uult nos uerbo ſuo regi, ſicut ſcriptum eſt. Fruſtra colũt me mandatis hominum. Item: Lucerna pedibus meis uerbum tuum, &c. Et ratio humana cùm non regitur uerbo Dei, facilè deerrat. Rapitur enim prauis cupiditatibus, ut approbet uicioſa opera, ut apparet in Ethnicis legibus. Ac manet immutabilis ordinatio diuina, ut Deo obtemperemus. Ideõ etſi liberati ſumus à Lege, uidelicet à damnatione, quia iuſti ſumus fide propter filium Dei, tamen quod ad obedientiam attinet, manet Lex, uidelicet, quia manet ordinatio diuina, ut iuſtificati obediant Deo. Et quidem habent incoatam obedientiam, quæ quomodo placeat, ſuo loco dicemus. Hæc de triplici uſu Legis ſatis ſit breuiter monuiſſe. Nam de ſecundo & tertio uſu infrà rurſus dicetur.

Tertius uſus legis in renatis.

Immutabilis ordinatio diuina, ut homo Deo obtemperet.

DE DISCRIMINE CONSILIORVM ET PRÆCEPTORVM.

INſcitia iuſticiæ fidei multos errores peperit. Hinc etiam manauit imaginatio eorum, qui finxerunt in Euangelio tria conſilia tradi, de non uindicando, de deſertione facultatum, ſeu de paupertate, ut ipſi loquuntur & de uirginitate. Longum autem eſſet omnes errores recenſere, qui in hoc deliramento contenturAttingam igitur præcipuos. Primùm deploranda eſt cæcitas, quòd ſic extenuarunt Legem Dei, ut mendicitatem, aut ſimile opus non mandatum ornauerint maioribus titulis quàm Legem diuinam, cùm nullum opus cogitari ab ulla creatura maius poſſit, quàm quod in primo præcepto flagitatur: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Deinde de perfectione multa abeis abſurda dicta ſunt. Præterea falsõ putant legem Dei tantùm de externa diſciplina concionari, ut hac lege: Non occides, prohiberi iniuſtam cædem, non prohiberi priuatam cupiditatem uindictæ, maleuolentiam, iniuſta odia, & ſimiles affectus uicioſos. Chriſtus igitur Matthæi quinto hunc errorem reprehendit, ac docet Lege Dei integram & perfectam obedientiam, & iuſtum ordinem requiri omnium uirium hominis interiorum & exteriorum actionum. Ideóque Lege oſtendi & damnari naturæ humanæ immundiciem, Quare & pœnas addit de interiore prauitate. Qui iraſcitur fratri ſuo fruſtra, reus erit iudicij. Item: Omnis qui uidet mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt. Hæc dicta non ſunt Stoicæ hyperbolæ, ut multi exiſtimant, quæ tantùm erant ocioſæ cogitationes, quæ nec actionem in uita, nec iram Dei ſignificabant, ſed hæc dicta CHRISTI teſtantur Deum uerè iraſci prauitati naturali hominis, eámque uerè peccatum eſſe. Idq;

Errores orti ex figmento de tribus conſilijs in Euangelio traditis.

Idq; eò dicitur, ut intelligamus nos non satisfacere Legi, & quærendam esse misericordiam, & confugiendum ad Mediatorem.

DE VINDICTA.

CAeterùm loci de uindicta ubicunq; leguntur, sunt præcepta, sed alij concionantur Magistratibus de officio, alij loquuntur de priuata uindicta, malevolentia, & pernicioſis certaminibus, quæ oriuntur præsertim in acribus & uehementibus ingenijs ex cupiditate uindictæ, ut exarsit in Mario, in Sylla, in C. Cæsare, in Pompeio iracundia: Et in Ecclesia non minus est exemplorum, quàm in cæteris regnis. Multi maleuolentia & cupiditate uindictæ mouerunt ingentia certamina, ut de Ario nominatim scribitur. Discernenda est igitur uindicta: Alia est publica, quæ fit mandato Dei à Magistratu. De hac dicitur Rom: 13. Vindex ad iram malè facienti. Nec dubium est magistratum mandato diuino cogi, ut puniat delicta. Ac sciant utriq; se debere obedientiam Deo: Magistratus puniat non priuata cupiditate, sed propter uoluntatem Dei. Reus subeat pœnas, ut mandato Dei obtemperet, qui iussit delicta puniri. Nec prohibet Euangelium hanc publicam uindictam seu officium magistratus, nec consilium dat, ut omittatur, imò approbat, & confirmat officium magistratus, nec uult eum ignauum & negligentem esse officij sui, præsertim cùm sit diuinum. Sed quia tanti muneris dignitatem, et uoluntatem Dei non consideramus, ideò hypocritæ finxerunt illa deliramenta de non uindicando. Et fons idem est contumaciæ hominum. Ideò grauatim obtemperant homines in pœnis, quia non intuentur mandatum Dei, quod pariter præcipit magistratui & ſonti.

Loci de uindicta ubiq; sunt præcepta, esiq; duplex uindicta.

Publicam uindictam non prohibet Euangelium.

Alia est uindicta priuata, id est, quæ non fit per magistratus ac leges. De hac priuata dicitur Matth: 5. & Rom. 12. Non uindicantes uosmetipsi. Suntq; hæ sententiæ uerè Præcepta: Quia Deus sanxit ordinem, ut sint Leges & iudices, his subiecit genus humanum. Vult igitur hos esse uindices. Hunc ordinem non uult conturbari. Ideò prohibet uindictam priuatam externam & interiorem, uult te uero animo cedere uindictam Deo & legibus ac iudicibus. De hoc ordine concionatur Christus Matth: 5. enarrans Legem, & refutans hypocrisin, quæ putat se Legi Dei satisfacere, cùm tamen huius ordinis confusio manifesta sit in hominibus. Sicut in Satyra dicitur:

At uindicta bonum uita iucundius ipsa.

Vindicta priuata prohibita.

Hanc confusionem uult Christus agnosci, & cohiberi priuatam cupiditatem uindictæ, præsertim cùm nunc natura hominum rea sit, & subiecta morti & pœnis. Quare nostra peccata accusemus in aduersis rebus, non tantùm uideamus aliena peccata. Sicut Dauid de Semeia inquit: Sinite ut mihi maledicat, qui dixit Deus: Si fortè respiciet Deus afflictionem meam, & reddet mihi bonum pro his maledictis. Et insigne exemplum est animi cohibentis uindictæ cupiditatem. Dauid cedens & parcens Sauli, cùm posset eum sine ullo tumultu interficere, sed noluit regnum occupare, nisi traditum à Deo. Hæc exempla diligenter consideranda sunt, ut Legem Dei rectius intelligamus, ut nostram infirmitatem agnoscamus, & magis frenare discamus. Estq; hæc peculiaris doctrina Spiritus sancti. Nam historiæ Gentium non habent exemplum simile Dauidi.

Teneamus ergo regulam, præcipi Magistratibus, ut iuxta legem exerceãt uindi-

Regula de utraq; uindicta.

uindictam, & displicere negligentiam in officio, ut dicitur Deut: 19. Auferes malum, ut cæteri timorem habeant, nec miserearis eius. Econtrā uerō priuatis præcipi, ne exerceant uindictam, nec turbent ordinem à Deo institutum, seu manu, seu animi motu. Hæc regula utilis est uitæ, ac munit imperia & pacem. Quanta uerō sit absurditas deliramenti Monachorum, hinc intelligi potest. Si consilium est de non uindicando, concedent Magistratibus, ne puniant sceleratos, rursus etiam priuatis concedent uindictæ causa mouere seditionem. Cū igitur hæ fanaticę imaginationes falsę & pernicioſæ sint, prorsus eas ex Ecclesia explodamus. Fuit & hęc causa, quare Christus toties prohibet uindictam, quia Apostolis uoluit eximere falsam persuasionem, qui putabant regnū Messiæ fore mundanum, & armis Gentes domandas esse. Christus contra inculcat, Apostolos non sumturos esse arma, sed Euangelij præcones fore, & sine humanis præsidijs, sine armis Ecclesiam collecturos esse, & hanc sæuitiæ Tyrannorum obnoxiam fore, & tamen habituram esse diuinas liberationes. Ita erigit doctores omnium temporum, ut suum officium rectè docendo faciant, & pericula Deo commendent, nec nitantur humanis præsidijs, nec extra septa uocationis suę erumpant, nec constituant sibi regna prætextu Euangelij, sicut Anabaptistæ Monasterienses fecerunt.

Cur toties prohibeat Christus priuatam uindictam.

Vulgare dictū, Vim ui repellere licet iure naturæ, quomodo intelligendū sit, & quatenus uerū sit.

Sæpē disputatur de hoc dicto uulgari, Vim ui repellere ius naturale concedit. Eius dicti quæ sit sententia, primum considerandū est. Nam si ſte naturalis notitia aut σοφία, quęrendum est, quomodo sit ordinata, ne deprauetur aliquo prętextu, aut admixta iniusta cupiditate. Nam iura naturalia non sunt uagabundi impetus, sed certæ quædam in natura ordinationes. Rectè igitur & Iurisconsulti circumscripserunt hoc dictum certis metis. Intelligatur ergo de manifesta uiolentia, et de necessaria defensione aduersus subitam uim, ut si latro uiatorem tranquillum in uia adoriatur, aut si inferat aliquis bellum iniustum, aut si aliqui tumultuantes oppugnent ædes alterius. Hic quia abest Iudex seu Magistratus, ideò defensio conceditur. Et aliquid interest inter defensionem & ultionem, seu pœnam sceleris. Recta ratio, ut iudicat nemini nocendum esse, ita iudicat corpus proprium contra iniustam uim tuendum esse, uel ordinarijs & legitimis imperijs, ut in bello iusto, uel propria defensione, cūm opitulari magistratus non potest. Inest enim naturæ iusta σοφία, appetitio conseruationis sui aduersus iniustam uiolentiam.

Interest inter defensionem et ultionem.

Dum ergo sic intelligitur dictum de propulsanda manifesta uiolentia, eo ordine & modo, sicut recta ratio censet, & sicut ipsę leges declarant, uera est sententia, quòd liceat uim ui depellere. Nec pugnat cum Euangelio, aut cum hac uoce, Diligite inimicos uestros. Nam Euangelium non abolet ius naturæ, & uincula politicæ societatis, hoc est, leges rectæ rationi consentaneas. Imō hanc ipsam ob causam tam uarijs officijs in hac societate Deus colligauit homines, ut sit occasio exercendæ & declarandæ fidei, obedientiæ & dilectionis. Paterfamilias debet defensionem suæ coniugi & suis liberis, ergo in oppugnatione ędium facit officium dilectionis, et luceat in animo eius fides. Sic dux debet defensionem subditis in causis iustis: Quare cūm iustum bellum gerit, facit officium dilectionis, & luceat inuocatio Dei in periculo. Hęc non pugnant cum Euangelio, quod uult unumquemq; parere legitimæ uocationi, nec pugnat cum hoc dicto: Diligite inimicos. Nam dilectio, defensio ac punitio nequaquam

Euangelium non abolet ius naturæ.

inter

inter se pugnant. Nam dilectionis finis hic constitutus est, ut propter Deum diligamus & anteferamus dilectionem Dei. Cùm non potest diligere rex Azamatrem propter Deum, quæ colebat idola, afficit eam pœna. Sic Constantinus si tulisset Licinium sæuientem in Ecclesiam, præstitisset officia non placentia Deo: Ideò reprimit eum armis.

Hæc recitaui de hac sententia: Vim ui repellere licet, ut studiosi considerent quatenus ualeat, nam ex hoc fonte iura bellorum sumuntur. Est autem conferenda cum altero dicto. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Accipere gladium est, non datum à legibus stringere. Ergo qui uim iniustam infert, accipit gladium, econtrà uerò qui iusta defensione utitur, nõ accipit gladium, sed stringit datum à legibus. Cæterùm Christus hoc loco præcipuè discernit officia magistratuum, & ministerium Euangelij. Magistratui Deus gladium tradidit ita, ut in officio legitimo eo utatur. Si abutitur, ut priuatæ iracundiæ aut furori morem gerat, ut Nero, peccat. Econtrà uerò ministerium Euangelij Deus non uult esse regnum mundanum: Ideò uetat Apostolos præliari. Officia discernuntur in hoc dicto. Estq; diligenter hoc discrimen considerandum, ut discant doctores Ecclesiæ non niti humanis præsidijs, non capiant arma contra suos Magistratus, sed sciant Ecclesiam Deo curæ esse, & expectent ab ipso auxilium, ut Ecclesiam liberauit Deus à sæuitia Pharaonis, Chaldæorum, Maxentij, & aliorum Tyrannorum. Itaq; non solùm doctrina traditur in hoc dicto, de diuersis officijs, sed etiam rectè significatur Ecclesiam diuinitus defendi & liberari. Hæc sententia pijs magnam consolationem affert: Et hactenus de Vindicta.

Dictum, Qui gladium acceperit, gladio peribit, in quam sententiam accipiendum sit.

DE PAVPERTATE.

CVm Euangelij confessio multa pericula uitæ & fortunis hominum afferat, cùm studia Euangelij sint in odio, nec sint quæstuosa, deniq; cùm in hac uita communi inter cæteras communes calamitates, uulgare onus sit etiam paupertas, eaq; sæpè duriter exerceat præcipuè Ecclesiam, opus est nobis doctrina & consolatione, ne existimemus nos propter paupertatem à Deo negligi. Ideò tam multæ sunt conciones de paupertate in Prophetis & in Euangelio. Traduntur præcepta de constantia, ne pertæsi paupertatem, abijciamus Euangelium, ne cupiditate opum & potentiæ sinamus nos pertrahi ad malarum rerum societatem. Traduntur & consolationes, in quibus promittit Deus se opitulaturum esse egentibus, ut, Qui reliquerit domum, agrum, recipiet centuplum, &c. sed addit cum tribulatione. De his magnis rebus concionantur dicta Euangelij, & doctrinam salutarem de magnis exercitijs fidei, & aliarum uirtutum continent, nec sunt ad Monachorum hypocrisin, aut desertionem facultatum & confusionem ordinis politici detorquenda. Euangelium enim nec præcipit, nec consulit discedere à facultatibus, si non eripiantur. Nec præcipit, nec consulit res in commune cõferre, imò cùm certum sit distinctionem dominiorum, & proprietatem esse ordinationem Dei, sciant pijs, placere Deo proprietatem, et totam hanc legitimam rerum distinctionem & commutationem. Vult enim Deus in his ciuilibus officijs conspici fidem nostram, & exerceri dilectionem, & alias uirtutes. Deniq; illa ipsa discessio à facultatibus aut mendicitatem affert, quæ in ualentibus & ociosis furti species est, aut appetit culinam meliorem in Mona-

Præcepta & consolationes de paupertate in Euangelio nihil pertinent ad Hypocrisin Monachorum.

in Monasterijs, quæ certē habent proprium. Nullus enim cœtus uiuere sine proprio potest. Vocabula alia fingi possunt, sed res mutari non possunt. Quòd autem Euangelium approbet distinctionem dominiorum, & proprietatem, & diuitias, plurima sunt testimonia. Primùm Lex dicit: Non furtum facies. Hic Deus ipse sua uoce sancit & approbat distinctionem dominiorum. Item certissimum est, reges & Principes hæredes uitæ æternæ fieri posse, & aliquos esse iustos, & Deo placere in ipsis imperijs, quales fuerunt Ioseph, Daniel, Nabuchodosor, Cyrus, Cornelius, Centurio &c. At regna sine opibus teneri non possunt. Item, 1. Cor: 7. conceduntur emtiones & uenditiones.

Quòd Euangelium approbet distinctionem dominiorum & proprietatem.

Sed utraq; res magnam artem, magnam curam & uirtutem postulat, scilicet, rectē tenere res, & paupertatem rectē ferre. Vt rectē teneas, sit bona conscientia, quæ sciat hanc ordinationem opus Dei esse, ut sit rerum distinctio. Et non conturbes eam alijs defraudandis, ut sæpē diuites crescunt iniquis contractibus: Sed serues æqualitatem propter Deum, qui iussit te ab alieno abstinere, quare gratitudinem tuam in tuenda æqualitate declares, & agas Deo gratias, qui attribuit tibi, & conseruat facultates. Sicut scriptum est: Benedictio Domini diuites facit, Secundō, Scias & liberaliter iuuandos esse egentes, ut sæpē præcipit Christus: Date & dabitur uobis. Estq; addita promissio propter duas causas, uidelicet, ut sciamus pijs liberalitatem mereri præmia, & ut sciamus flagitare Deum hæc officia, ut fides exerceatur expectatione præmiorum. Vtraq; causa lucet in exemplo Sareptanæ uiduæ: Hæc pauit Eliam, & expectauit à Deo uictum. Itaq; Deus aluit mulierem, & ornauit alijs magnis præmijs, & ipsa egregiè fidem exercuit, cùm reliquias, quæ habebat, totas tradidit Eliæ. Cæterùm modus communicationis describitur secundę Corinth: 8. Non ut alijs sit ignauia, uobis afflictio.

Rectè tenere res, & rectè ferre paupertatem, utrumq; res magna est.

Et uenustissima sententia de proprietate, & de modo liberalitatis ac præmijs extat in Salomone: Bibe aquam è tuis fontibus, & tui fontis riuulos bibe. Fontes tui foràs deriuentur, & riui effluant in plateas, at tu Dominus esto horum solus, non alieni tecum, Benedicetur enim fontibus tuis. Præceptum est œconomicum, grauissimam doctrinam figura uerborum dulcissima proponens, uetat rapere ex alieno. Ideō inquit: È fontibus tuis bibe, Approbat & proprietatem: Tu dominus eorum esto. Adiungit & præceptum de liberalitate: Fontes tui deriuentur foràs, id est, de fructib. tui fundi largire alijs. Ostendit & modum liberalitatis: Nolo, inquit, dissipari hæreditates, excuti te ex fundis tuis. Hic sit modus: Tu fundum teneas, conserues hæreditatem propter liberos & rempub: Sed de fructibus benignè iuuato egentes. Hæc de proprietate & de officio liberalitatis dixit. Postremō addit & doctrinam de præmijs, & de fide: In his officijs exerceto fidem. Si agnosces Dei donum esse facultates & earum conseruationem, & neminem defraudabis, & eris liberalis, expecta à Deo benedictionem. Hæc est uera Ecclesiæ Christi doctrina de hoc negocio. Suntq; fugienda deliramenta illorum, qui Platonicam communionem rerum fingunt in Euangelio præcipi uel laudari.

Sententia Salomonis de proprietate & modo liberalitatis.

Sed ut magna ars est, rectē tenere facultates, sic etiam magna ars, magnum decus est, rectē ferre paupertatem. De qua primùm agnoscenda est uoluntas Dei, quòd Deus uelit nos subiectos esse his communibus afflictionibus, ut, morbis, morti, ita & inopiæ: Et has afflictiones non esse signa pijs, quòd abijciantur à Deo, sed esse exercitia, quæ nos admonent de peccato, propter

Quæ ad ferendam paupertatem concurrere oporteat.

pter quod natura subiecta est morti. Item de pœnitentia & de inuocatione. Scias igitur obediendum esse Deo, qui te sic exerceri uoluit, sicut hęc obedientia generaliter in ærumnis requiritur, iuxta illud: Humiliamini sub potenti manu Dei. Deinde constantia accedat, ne fugiendæ paupertatis causa faciamus quicquam contra Deum. Hanc constantiam prædicat Christus, cũm ait: Beati pauperes spiritu, quia Deo obediunt in paupertate ferenda, & non faciunt contra Deum fracti paupertate, & cæteris difficultatibus quæ comitantur inopiam. Non enim leuia onera sunt, quæ accedunt, premi & contemni à potentibus, esse obnoxium iniuriæ & contumelijs, uidere miserias liberorum. Inter hæc mala retinere animi constantiam, non quærere præsidia, uel populi, uel potentum, malis consilijs, non inopia moueri ad turbandam rempublicam. Hæc animi magnitudo lucens inter illas ærumnas, ingens decus est. Sic erant pauperes, Ieremias & multi Prophetæ, Baptista, Christus, Apostoli, & multi martyres summo loco nati excussi ex facultatibus, ut Attalus. Eodem modo affecti erant & pij, qui tenebant facultates, Iob, Dauid, & similes, Sciebant oportere aliquos esse diuites, parebant uocationi suæ, nec tamen diuitias anteponebant confessioni, & cùm amisissent, in ea uocatione etiam Deo uolentes obediebant. Hæc obedientia, item constantia in confessione laudantur, & sunt cultus Dei.

Sed Monachi manifestam iniuriam dicto Christi faciunt, quod præterunt suæ hypocrisi, uidelicet, Matthæi 19. Qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, &c. Duplex est enim desertio, altera fit mandato Dei, in confessione aut uocatione, ut cum tyranni iubent aut Euangelium abijcere, aut cedere ex possessionibus. Aut cùm uocatus ad Ecclesias regendas dubitat, utrum subeunda sint pericula & odia, an potius seruiendum rei familiari. In talibus casibus desertio laudatur. Nam Euangelij confessionem & uocationem ad docendum, anteferre omnibus rebus humanis debemus, uitæ & fortunis.

Duplex desertio facultatũ: Vna quæ fit mandato Dei.

Nec leuis causa est, cur toties hæc sententia repetita sit in Euangelio. Sępè enim incidunt casus, ubi confessio non tantùm relinquere facultates cogit, sed quod est multò durius, cogit etiam offendere carissimos, uoluntates magnorum & laudatorum principum, & aliorum præstantium hominum, quorum iudicia negligere difficilimum est. Durum & hoc est, quòd dicimur autores discordiæ in patria. Hæc quia non possunt non uehementer angere animos, toties Deus nobis præcipit, ut Euangelium anteferamus, et nos consolatur, promittit auxilium & præmia. Sic Deut. 33. in benedictione Leuiticę tribus, nominatim hoc ei munus attribuitur, ut doctrinam ueram tradat, & adduntur conciones de periculis & promissiones: Verba hæc sunt, ad Leui quoq; Hęc est tua Lex, quæ data est uiro sancto tuo, quem probasti in Massa. Hæc prima pars est, in qua Leuiticæ familię certum genus doctrinę commendat, & uetat aliud suppositicium docere: Habes inquit Legem traditam Mosi, hanc purè doceas, nec affingas nouas opiniones & nouos cultus. Deinde addit præceptum de constantia in periculis: Qui dicit patri suo & matri suæ, Nescio uos, & fratribus suis, Ignoro illos, & nesciunt filios suos: hi custodiunt eloquium tuum, & pactum tuum seruant, & iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israël. Ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum. Hæc est secunda pars, quæ monet, doctoribus ingentia certamina, pe-

Verba benedictionis tribus Leuiticæ. Deuteron: 33.

ricula,odia,& ſupplicia ſubeunda eſſe in propugnatione pię doctrinæ. Dura ſunt hęc profectō dicere parentibus,patrię,liberis, Neſcio uos,uideri hoſtem patriæ,facem diſſidiorum,&c. Sed Prophetas & Apoſtolos uidemus ijsdem conuicijs oneratos eſſe. Ideóq; ne frangamur animis,additur promiſſio. Benedic Domine fortitudini eius,& opera manuum eius ſuſcipe,percute dorſa inimicorum eius,& qui oderunt eum,non conſurgant, id eſt,adiuua Deus rectē docentes,ſit miniſterium efficax & ſalutare, & reprime impios doctores & Tyrannos. Ex hoc dicto Moyſi,uerba Chriſti ſumta ſunt. Et uterq; de maximis rebus concionatur, ut prudens lector facilè iudicare poteſt. Quare hæ grauiſſimæ ſententiæ non ſunt ad uaniſſimas Monachorum ſuperſtitiones detorquendæ. Et recitaui hæc dicta,ut pijs ſcholaſticis ſint in conſpectu, quorum multi conflictantur uarijs ærumnis propter ſtudium ueræ doctrinæ. Hi talibus ſe dictis confirment,nec deſerant recta ſtudia, Sciantq; Deum opitulaturum eſſe,ut Chriſtus inquit: Primùm quærite regnum Dei,& cætera adijcientur uobis. Et Pſalmo 83. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei. Ieſa: 30. Dabit uobis Dominus in tribulatione panem,& in anguſtijs aquam, & non ſinet auolare doctorem tuum. Hæc eſt uia,ambulate in ea,nec declinetis &c. Talibus ſententijs nos confirmemus,& Deo ſeruiamus in propagatione ueræ doctrinæ,& caueamus, ne eam noſtris ſcandalis deformemus.

Altera deſertio facultatum ſine uocatione.

Altera eſt deſertio facultatum ſine uocatione, & quidem ſuperſtitioſa, cùm fingunt,uotum & mendicitatem eſſe cultum Dei. Talis deſertio nequaquàm laudatur,imò propter ſuperſtitioſam opinionem eſt Ethnica impietas, iuxta illud: Fruſtrà me colunt mandatis hominum &c.

DE CASTITATE.

MIRABILI conſilio DEVS inſtituit generationem in natura humana,& certa Lege coniugium ſanxit Gen: 2. Ac nunc poſt lapſum Adę uult homines coniugio uti,propter duas cauſas,propter generationem & ad uitandas uagas libidines. Sicut Paulus inquit: Vitandæ ſcortationis cauſa unusquiſque habeat uxorem ſuam. Hanc ſuam ordinationem Deus tanti facit, ut ſeueriſſimè prohibuerit extra coniugium omnes ardores & commixtiones, eaſque grauiſſimè puniat, ut multa dicta & exempla teſtantur: Ad Hebræos ultimo: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. 1. Corinth: 6. Ne errate, Fornicatores, idolatræ, adulteri, non poſſidebunt regnum Dei. Fugite ſcortationem. Epheſ: 5. Nemo uos decipiat uanis ſermonibus, Propter hæcenim uenit ira Dei ſuper contumaces. 1. Theſſal: 4. Hæc eſt uoluntas Dei ſanctificatio ueſtri,ut abſtineatis à ſcortatione, & ſciat unuſquiſq; ueſtrum, poſſidere uas ſuum in ſanctificatione & honore, non in affectu libidinis, ſicut Gentes. Hebr: 12. Sectamini ſanctificationem, ſine qua nemo Deum uidebit.

Cauſæ inſtituti diuinitus coniugij.

Pœnæ libidinum.

Exempla uerò pœnarum in ſcripturis hæc ſunt: Gen: 5. Inter cauſas diluuij recitantur uagæ libidines. Gen: 19. Delentur quinq; urbes propter ſceleratiſſimum genus libidinum. Ac profectō mirum eſt, tantum fuiſſe earum urbium furorem,cùm haberent uicinum Sem,qui uiderat diluuium: Et haud dubiè aſſiduus caſtigator & concionator illis fuerat. Audiuerant & alios ſummos uiros Abraham & Loth: Fuit & inſignis ingratitudo erga DEVM, Quia non multò ante euerſionem,cùm ciuitas à Chaldæis capta eſt,& ciues

ciues abducti, Abraham eos liberauerat, postea securi laxauerunt frenum omnibus cupiditatibus.

Num: 29. propter stupra 12. Principes suspensi sunt, & interfecti 24000. hominum. Leuitici 8. scriptum est, deleri Cananæos propter incestas libidines. Iud. 20. penè tota tribus Beniamin deleta est propter stupratam Leuitæ uxorem. 1. Reg. 2. Dauidi grauissimæ pœnæ propter adulterium denunciantur. Salomon admittit exempla idolatriæ propter libidines. Et Ieremias sæpè inter causas excidij Ierosolymæ recenset adulteria. In his exemplis ideò scripta est causa, ut extarent testimonia expressa de iudicio Dei, & sciremus ubicp puniri libidines, nec temerè accidere calamitates pollutis, sed pœnas esse, quibus Deus iram suam aduersus hoc peccatum declarat. Ideò clades secutæ tetras libidines apud Ethnicos, referendæ sunt ad eandem causam & ad hanc regulam, quæ extat in Epistola ad Hebræos, Fornicatores & adulteros puniet Deus.

Porrò adeò tetra exempla sunt Ethnica, ut necp cogitari, necp recitari possint sine magno dolore: quasdam tantum insignes mutationes regnorum annotabimus, quibus occasionem præbuerunt libidines. Troia propter raptam Helenam deleta est. Thebæ propter raptum Chrysippi, & incestum Oedipi punitæ sunt. Romæ reges eiecti sunt propter stupratam Lucretiam. Mutata iterum Respublica propter Appij decemuiri scelus. Longus est Catalogus talis apud Aristotelem Polit. 5. ubi causas recensет, quæ mutationes regnis afferunt: In his libidines numerat, & multa narrat exempla. Athenis filij Pisistrati eiecti sunt propter contumeliam factam puellæ. Dux Laconicus Pausanias, Bizantij raptam ui puellam stuprauit, & postea interfecit, ac miro prodigio uox statuæ pœnam ei minitata est, hoc uersu:

Pœna luenda tibi est, affert iniuria clades.

Ac postea Byzantium reiecto Pausania recepit Athenienses, Ipse uerò quanquàm res maximas gesserat, & Persicum exercitum deleuerat, tamen postea ab Ephoris coactus est fame mori. Denicp plenæ sunt historiæ exemplorum, quæ ostendunt iram Dei aduersus libidines: Discamus igitur seuerè præcipi de Castitate.

Ethnica exempla.

Castitas autem est, aut consuetudo coniugalis, aut puritas uitæ cœlibis, in his qui sunt idonei ad cœlibatum, ut in ætate immatura, aut in ijs qui singulari dono prædíti sunt. Ac dixi nominatim, de ætate immatura. Non enim temerè hic ordo institutus est, ut ea ætas purè uiuat, & quidem facilè possit mediocri diligentia retinere puritatem eo spacio, quo corpora adhuc crescunt. Sed multi Diaboli insidijs, multi prauis sodalitijs, multi propter otium & uoluptates citius implicantur uicijs. Bonæ mentes autem erudiendæ sunt, quòd ætas nondum matura coniugio, mediocri diligentia possit purè uiuere, & quòd Deus seuerè requirat hoc officium, quòdcp non leues pœnæ contaminatos sequantur. Si Ioseph polluisset se adulterio, amisisset ea dona, quibus ornatus erat, & desertus à Deo incidisset in plura peccata. Sicut & Dauid addidit adulterio optimi uiri cædem, & multiplicia scandala, quare & multiplices pœnæ secutæ sunt. Et Paulus nominatim inquit Eph: 4. Libidinum pœnas esse cœcitatem. Deserti à Deo, fiunt amentes, nec uident, nec audiunt recta consilia, accersunt sibi pœnas & exitia. Sed ij quorum ætas est integra, & qui agnoscunt se non esse idoneos ad cœlibem uitam,

Castitatis definitio.

Ætas immatura mediocri diligentia potest retinere puritatem.

ñ ſciant ſe cogi mandato Dei,ut coniugio utantur,ut Paulus clarē dicit. Vitandæ ſcortationis cauſa,unusquiſq; habeat uxorem ſuam: Hoc mandatum omnibus,qui ſentiunt ſe non eſſe idoneos ad cœlibem uitam, præcipit coniugium,laicis & ſacerdotibus.

Mandatū Dei de coniugio et de caſtitate nō licet mutare cuiquam.

Nec leges humanæ aut promiſſiones Monaſticæ poſſunt abolere ordinationem & mandatum Dei. Odit Deus uagas libidines,& corporum contaminationes. Ideō uult marem & fœminam certa coniugñ lege copulari, quæ inſtituta eſt initio Gen: 2. & repetita Matth: 19. & 1. Corinth: 7. Hæc ſocietas uerē eſt caſtitas & mundicies, id eſt, ordinata res ā Deo,& placens Deo,& continet exercitia fidei,dilectionis,patientiæ innumera. Et non ſolum eſt fons generis humani,ſed etiam præcipuum uinculum ſocietatis communis. Vult autem Deus conſeruari generationem humanam,donec compleatur Eccleſia, & ciuilem ſocietatem exiſtere, ut alij alios docere poſſint. Certiſſimum eſt igitur,Deo placere legitimum coniugium,ſed Diabolus impios facilē traxit in libidines opinione impunitatis, ita in Eccleſia ſingulari fraude ſcilicet prætextu caſtitatis,auxit libidines, impulit fanaticos ſpiritus, ut prohiberent coniugium ſeu omnibus ſeu ſacerdotibus. Hoc conſilium non aliō ſpectauit,niſi ut eō plures contaminarentur, & confirmaretur licentia multorum ſcelerum. Cogitent enim pij quanta agmina animarum præcipuē Lex de cœlibatu traxerit in deſperationem,in æternam iram Dei, & in æternas blaſphemias. Ideō nulla eſſe debet autoritas legis de cœlibatu, & opiniones Monachorum acriter refutandæ & taxandæ ſunt, qui finxerunt cœlibatum eſſe eximium cultum Dei, mereri remiſſionem peccatorum & uitam æternam. Denicq; magnam caliginem Euangelio inuexerunt, & dum illaqueant imperitos uinculo uotorum, multi horribiliter contaminati ſunt. Ita ſimul Diabolus & Euangelium obſcurauit & auxit libidines. Hæc diligenter conſideranda ſunt, & comminationes diuinæ animis infigendæ, & intuenda horribilia exempla pœnarum,ut uerē caueamus,ne contra Dei ordinationem polluamur: Sed ſtatuamus omnem commixtionem extra legitimum coniugium peccatum mortale eſſe, ut aliquoties dicitur: Fornicatores,adulteri,non poſſidebunt regnum Dei.

Legis de cœlibatu impietas.

Retineamus igitur bonam conſcientiam,tenera ætas uitet lapſus,deinde matura,ſi opus eſt coniugio,obtemperet mandato Dei. Hæc qui contemnunt,ſciant ſe pœnas ſibi,& totis gentibus accerſere. Cogitemus & hoc,mala conſcientia non poſſe inuocari Deum,ut 1. Ioan: 3. dicitur. Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus &c. Quare ut poſſis inuocare Deum, retinenda eſt bona conſcientia. Quid autem triſtius dici poteſt,quām uiuere hominem ſine inuocatione Dei, ſine Deo,ſine gubernatione & defenſione diuina? ſic uiuentes Diabolus magis magiſq; excœcat,& uarijs flagitijs implicat,ut quotidiana experientia oſtendit.

Inuocanti bona conſcientia opus eſt.

Quōd uerō Monachi clamitant Paulum anteferre uirginitatem, quia diſertē dicit,Melius facit non elocans &c. Sciat pius lector totam illam concionem legendam eſſe, ac obſeruandam, quām diligenter prēmoneat in utranq; partem lectorem: Initiō tradit prēceptum Dei, ut uitandę ſcortationis cauſa ſuam quiſq; uxorem habeat, deinde prędicans uirginitatem, mox addit,Sed ſuum quiſq; donum habet: Quare cum antefert uirginitatem,de perſonis idoneis loquitur: Deinde illud etiam neceſſe eſt conſiderare. Hac collatio-

Pauli locus de uirginitate.

collatione bona opera inter seſe conferuntur, & conferuntur iuxta fines utiles, non quæritur opus, quod mereatur remiſſionem peccatorum, aut reconciliationem, nec fit collatio, ut humano arbitrio cultus inſtituantur. Error eſt fingere, quòd cœlibatus mereatur remiſſionem peccatorum, ſeu quòd ideò ſit tuendus, quia per ſeſe ſit ſingularis & eximius cultus Dei, ſeu quòd coniugium ſit uitæ genus immundum, propter quod homo aut non placeat, aut minus placeat Deo. Hi errores ſunt doctrinæ Dæmoniorum, & neceſſariò taxandi ſunt. Cæterùm laudat Paulus uirginitatem in perſonis idoneis, & laudat propter finem utilem, non quòd magis ſit cultus Dei, quàm coniugium: Sed quia genus uitæ cœlibis expeditius eſt ad pleraq; miniſteria, Quia familia, miſeriæ domeſticæ multiplices ſæpè ſunt impedimenta, præſertim puſillanimis. Hæc uera ſunt, ſed alius aliud donum habet. Hæc admonitio ſemper in conſpectu habenda eſt, & multi cœlibes, etiamſi non ſunt contaminata corpora, tamen habent animos occupatos illicitis flammis: Multi item magis excruciantur ſordidis curis quærendorum præſidiorum, bonorum, ſplendoris, quàm pleriq; pij & mediocres mariti.

Cur & in quibus Paulus laudet uirginitatem.

DE EVANGELIO.

NON dubium eſt Apoſtolos ſingulari conſilio appellationem tam dulcem & blandam ſuæ doctrinæ tribuiſſe, ut inſignius eſſet diſcrimen Legis & Promiſſionis de reconciliatione. Sicut & Prophetæ ſæpè in hoc argumento uſi ſunt peculiari uerbo Baſar, quod ſignificat res nouas & bonas nunciare. Eſt autem εὐαγγέλιον uetus uocabulum, quod etſi apud Homerum ſignificat munus dandum læta nuncianti, tamen alioqui in lingua Græca ſignificat ſermonem, res bonas & lætas nunciantem, ſicut ea uoce Apoſtoli uſi ſunt, ut manifeſta teſtimonia multa ſunt, ut Plutarchus in uita Artaxerxis clarè dicit εὐαγγελίου μίσθον, ubi Euangelium intelligi ſermonem læta nunciantem neceſſe eſt, & ſunt in eodem loco plura teſtimonia. Extat & teſtimonium in uita Pompeij, γραμματοφόροι προσήλαυνον ἐκ πάντων κομίζοντες εὐαγγέλια. Et prorſus ſic locutus eſt Cicero ad Atticum. Admoneat igitur pios appellationis ſuauitas de nouo doctrinæ genere, & de Legis & promiſſionis diſcrimine. Nec uerò fingimus nouas diſtinctiones magis argutas, quàm neceſſarias, ut hypocritæ multi cauillantur. Ioannes Apoſtolus initio Euangelij ſui luculentum diſcrimen proponit: Lex per Moyſen data eſt, Gratia & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, &c. Neceſſe eſt enim diſcerni præcepta & remiſſionem peccatorum, diſcerni præcepta & promiſſiones. Item promiſſionem gratuitam, à promiſſionibus quæ non ſunt gratuitæ. Eſt autem Lex, ut ſuprà dictum eſt, doctrina requirens perfectam obedientiam erga DEVM, non remittit gratis peccata, non pronunciat iuſtos, id eſt, acceptos Deo, niſi Legi ſatisfactum ſit: Et quanquam habet promiſſiones, tamen hæ requirunt conditionem impletæ Legis. Econtrà Euangelium etſi concionatur de Pœnitentia & de Bonis operibus, tamen continet promiſſionem beneficij Chriſti, quæ eſt propria & præcipua Euangelij doctrina, & ſeiungenda à Lege. Gratis enim remittit peccata, & pronunciat nos iuſtos, etiamſi Legi non ſatisfaciamus. Quomodo autem hęc conſentiant, quòd Euangelium pariter de pœnitentia concionetur & lege, & tamen promiſſio ſit gratuita, ſtatim expo-

De uocabulo Euangelij.

Diſcrimen inter Legem & Euangelium apud Iohannem.

Lex quid ſit.

Euangelium quid doceat.

nemus. Prius enim monendus est lector, ut discrimen promissionum obseruet, habet enim Lex promissiones.

Promissiones Legi additæ.

Sed sciendum est duplices esse promissiones in scripturis diuinis. Quædam sunt additæ Legi, & habent conditionem Legis, hoc est, exhibentur propter impletionem Legis. Tales sunt promissiones Legis. Lex docet Deum bonum & misericordem esse, sed his qui sunt sine peccato. Idem docet & humana ratio, habet enim ratio quandam noticiam Legis. Hic se ipse quisq; consulat. Deprehendit enim naturaliter se ita iudicare de Deo, quòd sit misericors, sed tantùm dignis, hoc est, his qui sunt sine peccato. Nec potest statuere seipsum placere Deo, cùm sit indignus & immundus. Ita Lex & promissiones Legis, cùm sint conditionales, relinquunt conscientias in dubitatione.

Promissio Euangelij.

Alia est promissio Euangelij propria, quæ non habet conditionem Legis, tanquam causam, hoc est, non promittit propter impletam Legem, sed gratis propter CHRISTVM. Hæc est promissio remissionis peccatorum, seu reconciliationis, seu iustificationis, de qua concionatur præcipuè Euangelium. Vt enim hæc beneficia essent certa, non pendent ex conditione impletæ Legis. Si enim sentiendum esset, tunc demum nos habere remissionem peccatorum, cùm Legi satisfeciſſemus, desperanda esset remissio peccatorum. Ideò gratis donantur remissio & reconciliatio, seu iustificatio, hoc est, non propter nostram dignitatem. Et tamen oportuit esse aliquam uictimam pro nobis. Ideò Christus donatus est nobis, & factus est hostia, ut propter ipsum certò statuamus nos placere Patri.

Particula Gratis discernit Euangelium à Lege.

Est itaq; hæc Euangelica promissio reconciliationis, legalium dissimilis, quia gratis pollicetur propter Christum. Ideóq; Paulus hanc particulam Gratis, nobis diligenter & sæpè inculcat. Vt Rom: 4. Ideò gratis ex fide, ut firma sit promissio. Nam hæc particula Gratis propter Christum, facit discrimen Legis & Euangelij: Si enim non uideamus hanc particulam de gratuita promissione, manet in animis dubitatio, & Euangelium transformatur in Legem, & nihilo certiores reddit conscientias de remissione peccatorum seu iustificatione, quàm Lex aut naturale iudicium rationis: Sicut aduersarij nostri, etsi uociferantur se docere Euangelium, tamen quia non docent de gratuita reconciliatione, relinquunt conscientias in dubitatione, & pro Euangelio docent Legem aut Hesiodum, hoc est, iudicium naturale rationis. Ergo intendenda mens est atq; oculi in hanc particulam, Gratis. Ideò enim necesse est de hac gratuita promissione docere, ut res sit certa, ut conscientijs eximatur dubitatio, ut habeant firmam consolationem in ueris terroribus. In his enim uerè iudicari potest, quàm sit opus hac gratuita promissione. Et ad hoc certamen hæc doctrina maximè referenda est.

Illud autem sciendum est, promissionem oportere fide accipi: Id Paulus docet Rom: 4. Ideò gratis ex fide, ut sit firma promissio. Et Iohannes ait: Qui non credit Deo, mendacem facit eum &c. Proinde particula Gratis, non excludit fidem, sed conditionem nostræ dignitatis excludit, & transfert causam beneficij à nobis in Christum. Itaq; neq; obedientiam nostram excludit, tantùm causam beneficij à dignitate nostræ obedientiæ transfert in Christum, ut beneficium sit certum. Concionatur igitur Euangelium de pœnitentia, sed ut certa sit reconciliatio, docet remitti peccata, & nos placere Deo,

Deo,non propter dignitatem pœnitentiæ aut noſtræ nouitatis. Hæc eſt neceſſaria conſolatio pijs conſcientijs. Atq; hinc iudicari poteſt,quomodo hęc conſentiant, quòd diximus Euangelium concionari de pœnitentia,& tamen gratis promittere reconciliationem. Sed de hac collatione paulò pòſt copioſius dicemus.

Definit itaque Chriſtus Euangelium Lucæ ultimo,planè ut artifex,cùm iubet docere pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in nomine ſuo. Eſt igitur Euangelium prædicatio pœnitentiæ, & promiſſio, quam ratio non tenet naturaliter, ſed reuelata diuinitus,in qua DEVS pollicetur,ſe propter Chriſtum Filium ſuum remittere peccata, & nos pronunciat iuſtos,id eſt,acceptos,& donat Spiritum ſanctum, & uitam æternam, modò ut credamus, hoc eſt, confidamus,hæc nobis propter Chriſtum contingere. Atque hæc gratis pollicetur, ut ſint certa.Hæc ſit Euangelij definitio in qua tribus membris complexi ſumus beneficia Euangelij propria, ſcilicet, quòd propter Chriſtum gratis remittantur peccata, quòd gratis pronunciemur iuſti, hoc eſt, reconciliati, ſeu accepti, & hæredes uitæ æternæ. Hæc tria membra paulò pòſt explicabimus. Tantùm hic memineris, hæc propria Euangelij beneficia eſſe,quæ alioqui uno uerbo Iuſtificationis comprehenduntur.

Euangelium quid ſit.

QVARE OPVS EST EVANGELII PROMISSIONE?

POſtquàm natura humana oppreſſa eſt peccato & morte propter Adæ lapſum,etiamſi manet aliqua noticia legis, tamen quia hæret in natura peccatum,conſcientiæ non poſſunt ſtatuere de Deo, quòd uelit ignoſcere, ſi nihil niſi Legem audiant. Lex enim non docet gratis remitti peccata. Scimus autem nos non ſine peccato eſſe. Idq; maximè cernimus, cùm iudicio Dei uerè perterrefiunt mentes. Eſt igitur opus gratuita remiſſione, Ideò Deus per miſericordiam reuelauit, ſe uelle nobis ignoſcere, ac reſtituere uitam æternam. Et addidit uictimam pro nobis, ſcilicet Filium ſuum, ut ſciremus hæc nobis propter Filium donari, non propter dignitatem noſtram aut merita noſtra. Idq; Euangelium ſtatim promiſſum ac reuelatum eſt poſt lapſum Adæ,ne deeſſet conſolatio primæ illi Eccleſiæ.

Eſtq; unum & idem Euangelium, quo omnes Sancti ab initio mundi ſaluati ſunt omnibus temporibus, Adam,Noë, Abraham, Iacob, Prophetæ, Apoſtoli. Non eſt igitur imaginandum, Patres lege naturæ ſaluatos eſſe, Iudæos lege Moyſi, Nos ſaluari noſtra quadam lege: Imò una lex eſt moralis omnium ætatum,omnium Gentium,ut ſuprà diximus.ſed nec Patres, nec Iudæi,nec Gentes,nec nos ideò ſalua mur,quia legi ſatisfacimus: Nemo enim Legi ſatisfacit. Et Lex relinquit dubitantes conſcientias. Atq; hoc intereſt inter Patres & Xenophontem,Ciceronem,ac ſimiles uiros optimos: Legem norant utriq;,ſed Euangelium non norant utriq;. Xenophon,Cicero & ſimiles dubitabant,An Deo curæ eſſent,an haberent Deum propicium,an exaudirentur à Deo. Etſi enim Legem norant,tamen uidebant ſe non eſſe innocentes. Lex autem docet Deum propicium eſſe his, qui ſunt ſine peccato. Non norant Euangelium de gratuita remiſſione peccatorum. Abraham uerò,Iacob

Vnum eſt & idem Euangelium omnium temporum in Eccleſia Dei.

Vna Lex eſt moralis omnium ætatum.

rō,Iacob & ſimiles,quia norant Euangelium,ſtatuebant ſibi remitti peccata, ſe habere Deum propicium,ſe Deo curæ eſſe,ſe exaudiri ā Deo, etiamſi eſſent indigni. Ideō ſcriptum eſt: Abraham credidit Deo,& reputatum eſt ei ad iuſticiam. Vna eſt Lex,& natura nota omnibus Gentibus atqꝫ ætatibus. Eſt & unum Euangelium,ſed non natura notum,uerūm reuelatum diuinitus. Ideō Paulus uocat myſterium abſconditum. Et Ioannes ait, Filius qui eſt in ſinu Patris,ipſe enarrauit nobis. Sed hæc omnia erunt illuſtriora,cūm dicemus paulò pōſt de Gratia & de Iuſtificatione.

Lex nota eſt naturaliter. Euangelium non item.

Quia autem diximus idem Euangelium fuiſſe Patrum,uidendum eſt quomodo ſtatim ab initio Euangelium reuelatum ſit. Ac citabo paucos quoſdam locos,ad quos in lectione Prophetarum referri ſimiles debent: Nam Euangelium paulatim clarius reuelatum eſt,& apparebit Prophetas prædicaſſe hanc gratuitam reconciliationem.

Quomodo ab initio reuelatum ſit Euangelium.

Promiſſio de Chriſto & beneficijs Chriſti primūm reuelata eſt Adę ſtatim poſt lapſum,ut cūm incidiſſet in iram Dei & mortem, haberet conſolationem, qua ſciret & Deum rurſum propicium eſſe,& fore, ut mors aliquando aboleretur. Nam hæc duo beneficia clarē proponit illa prima promiſſio, quæ etſi ſubobſcura uidetur, tamen Adæ in re præſenti non fuit obſcura: Inimicias ponam inter te et mulierem,et inter ſemen tūum & illius Semen,ipſum cōteret caput tuum,& tu inſidiaberis calcaneo eius. Mirabilis narratio eſt,& quæ impijs ridicula & fabuloſa uideri poſſit: Sed pij uident res maximas breuibus uerbis ſignificatas eſſe. Deſcribitur enim initiō pœna peccati, ſcilicet quòd propter peccatum Diabolus crudeli tyrannide uexaturus ſit genus humanum, uidelicet peccatis & morte: Sicut ipſa mundi hiſtoria teſtatur, quæ tota in hac horribili concione Adæ picta oſtenditur.

Promißio reuelata Adæ.

Deinde additur breuis deſcriptio regni Chriſti, futurum tamen eſſe, ut Semen mulieris conterat caput, hoc eſt, regnum ſerpentis, hoc eſt, aboleat peccatum & mortem. Hac conſolatione erigitur Adam, agnoſcit ſe habere Deum placatum,etſi uidet ſe indignum & immundum eſſe: Videt quid amiſerit,ſed expectat Semen illud,quo amiſſa iuſticia & uita æterna reſtituantur. Hac fiducia miſericordiæ placet Deo: & quòd additur Diabolum inſidiaturum eſſe calcaneo Seminis,intelligit fore ut & Chriſtus & Sancti affligantur in hac uita,& tamen Chriſtus uincat regnum Diaboli.

Poſtea renouatur hæc promiſſio ad Abraham: In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. Significat enim omnes Gentes iam maledictas eſſe, hoc eſt, Deum iraſci omnibus Gentibus,eaſqꝫ oppreſſas eſſe peccato & morte: Sed futurum,ut per Abrahæ ſemen rurſum ab his malis liberentur. Atqꝫ ita interpretantur hanc promiſſionem ipſi Apoſtoli, ut conſtat ex Paulo & ex Actis. Præterea in eadem hiſtoria Abrahæ additur imago iuſtificationis. Deus conſolatur Abraham dicens: Noli timere, Ego ſum protector tuus. Addit item promiſſionem de Semine: Huic uoci credit Abraham, hoc eſt,quanquām uidet & agnoſcit ſe immundum & indignum eſſe, tamen ſtatuit ſe habere Deum propicium propter ipſius miſericordiam & promiſſum Semen, ita pronunciatur iuſtus. Id exemplum docet, nos promiſſione & fide reconciliationem conſequi. Fides autem nititur non noſtra dignitate,ſed tantūm miſericordia Dei.

Promißio Abrahæ.

Sequuntur

Sequuntur paulatim multæ conciones, & exempla de remissione peccatorum: Sed clarissimæ sunt sententiæ in Psalmis & Prophetis. In his clarè passim proponitur Euangelium. In Psalmis petit remissionem peccatorum propter misericordiam, non propter suam dignitatem, seu merita, ut: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Hæc certè non est Legis concio, quæ misericordiam petit, & confitetur peccatum, & quidem omnes condemnat, ut sciamus omnes gratis nobis remitti peccata. Item: Si iniquitates obseruàueris Domine, quis sustinebit? Item: Dixi, confitebor aduersum me iniusticiam meam, & tu remittis impietatem cordis mei. Item: describit sacerdotem Christum. Tu es sacerdos in æternum. Testatur igitur hunc sacerdotem placaturum esse Deum, & redditurum esse æternam iusticiam, & æternam uitam. Quia uocat æternum sacerdotem.

Sententiæ de remissione peccatorũ in Psalmis & Prophetis.

Et ad hanc sententiam de gratuita remissione accommodandi sunt similes loci in Psalmis. Ita enim dulcescent nobis suauissima carmina, & firmam consolationem adferent. Nam si iudicabimus illas promissiones pendere ex nostra dignitate, cùm Psalmi iubent nos lætari, confidere misericordia, semper reclamabunt conscientiæ, nos indignos esse, nihil pertinere has promissiones ad indignos. Quare aduersus hanc ipsam dubitationem erigendus est animus, & sciendum, quòd illæ ipsæ uoces, quæ nos lætari iubent, ideò propositæ sint, ut medeantur illi ipsi dubitationi, conceptæ ex nostra indignitate. Quod si sentiemus nobis promitti gratis reconciliationem, tũm uerò fides erit certa, & uerè gratulabimur nobis misericordiam, & Deo agemus gratias. Sed tanta est infirmitas & angustia humani animi, ut hanc magnitudinem misericordiæ non possit capere. Ita oppressi sumus opinione & iudicio Legis, ut non possimus persuaderi de Euangelio, & omnibus & gratis offerri misericordiam. Quare fides perpetuò cum hac nostra infirmitate luctari debet, ut nos erigamus, & discamus Deo confidere, & eum uerè inuocare & colere.

Apud Iesaiam multæ sunt conciones de Christo, de remissione peccatorum, de æterna uita. Capite 53. clarè testatur promitti remissionem peccatorum, & quidem propter Christum, non propter nostram indignitatem. Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Et ne Iudæi putarent se mereri remissionem peccatorum hostijs Leuiticis, testatur aliam hostiam restare, quæ uerè sit abolitura peccatum: Ponet animam suam hostiam pro peccatis. Item: Condemnat omnes, Omnes, inquit, errauimus, ut sciamus nos propter misericordiam, non propter dignitatem nostram, consequi beneficia Christi. Postremò addit clarissimum testimonium: Notitia eius iustificabit multos. Quòd certò statuendum sit, nos ita iustos pronunciari, si agnoscamus Christum, hoc est, si agnoscamus Deum nobis propicium esse propter CHRISTVM. Ergo non erit dubitandum propter nostram indignitatem, non erit sentiendum nos esse iustos propter Legem. Sed desino recitare plura testimonia. Hæc enim exempli causa recensui, ut animaduertant lectores in scripturis, quæ loca propriè de Lege, quæ propriè de Euangelio concionentur, & discrimen obseruent inter Legem & promissionem Euangelij. Nam hi duo sunt præcipui loci, & capita præcipua scripturę, ad quę omnes partes prudenter referendæ sunt.

Conciones de remissione peccatorum apud Esaiam.

Hactenus

Hactenus definiuimus Euangelium, & discrimen monstrauimus Legis & Euangelij. Sed hæc omnia erunt illustriora, cum de iustificatione, de fide, & operibus dicemus. Nunc tantum una quædam particula addenda est, videlicet: Sicut necesse est scire, Euangelium esse gratuitam promissionem, ita necesse est scire, Euangelium promissionem uniuersalem esse, hoc est, offerri & promitti omnibus hominibus reconciliationem.

Promissio Euangelij est uniuersalis.

Hanc uniuersalem tenere necesse est, aduersus periculosas imaginationes de prædestinatione, ne disputemus hanc promissionem ad paucos quosdam alios pertinere, non pertinere ad nos. Non enim dubium est, quin omnium animos hæc cogitatio exerceat. Et hinc ortæ sunt multæ disputationes scriptorum de prædestinatione minimè utiles. Nos uerò statuamus Euangelij promissionem uniuersalem esse. Sicut enim prædicatio pœnitentiæ uniuersalis est, ita & prædicatio remissionis peccatorum uniuersalis est. Huc colligantur sententiæ uniuersales de Euangelio, quæ passim in scripturis extant, ut Ioannis 3. Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat. Item apud Paulum: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Hæc nunc monuisse satis sit: Nã de hac uniuersali iterum dicendum erit infrã de prædestinatione. Quòd autem non omnes consequuntur Euangelij promissa, eò fit, quia non omnes credunt. Nam Euangelium etsi gratis promittit, tamen requirit fidem, oportet enim promissionem fide accipi: Ac particula Gratis, non excludit fidem, sed excludit conditionem nostræ dignitatis, ut suprà dictum est, & postulat, ut promissionem accipiamus, id non potest fieri aliter nisi fide.

Imaginatio de particularitate promissionis peperit disputationes de prædestinatione.

DE GRATIA ET DE *IVSTIFICATIONE.*

HIC locus continet summam Euangelij. Monstrat etiam proprium Christi beneficium, proponit firmam consolationem pijs mentibus, docet qui sint ueri cultus Dei, quæ sit uera inuocatio, præcipuè discernit Ecclesiam Dei à cæteris gentibus, Iudæis, Mahometistis & Pelagianis, hoc est, omnibus, qui imaginantur hominem iustum esse lege seu disciplina, & iubent dubitare de remissione peccatorum. Ideò autem magna est opinionum in hoc loco dissensio: Quia plerique sequuntur humana iudicia, neglecta simplici doctrina Prophetarum, Christi & Apostolorum. Imò hanc transformant in Philosophiam, extenuant peccatum in natura, cogitant Lege Dei tantum requiri disciplinam, Deinde imaginantur, nihil interesse inter Philosophicam & Christianam iusticiam.

Causæ dissensionum de Gratia & Iustificatione.

Omnibus ætatibus hæ prophanæ & humanæ imaginationes obscurarunt ueram Ecclesiæ doctrinam. Sic Pharisæi sentiebant se Lege iustos esse. Deinde quia necesse erat quærere de Messia, cur is uenturus esset, fingebant ideò uenturum esse, ut mundi imperium constitueret, non intelligebant oportere uictimam fieri pro genere humano ad placandam iram Dei aduersus peccatum, & aliam iusticiam donaturum esse. Sic & ante Pharisæos senserunt Hypocritæ superiorum ætatum in Ecclesia Patrum.

Sed Prophetæ hos errores taxabant, clamitabant, non tolli peccatum iusticia Legis, manere peccatum in hac mortali natura, sed iustos esse credentes,

tes,& exaudiri & donari uita æterna à Deo,propter promissum Saluatorem. Sicut Dauid claris uerbis inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et alio loco de Filio,Beati omnes qui confidunt in eo. Item Iesaias: Noticia eius iustificabit multos. Ita cùm Christus & Apostoli renouassent doctrinam,statim postea sparsæ sunt opiniones humanæ de disciplina: Quia magnum quiddam est,regere externos mores. Deinde exorti sunt & fanatici spiritus,qui prorsus transformarunt Euangelium in Legem seu Pharisaismum,finxerunt homines iustos esse Lege,& ne Christus nihil uideretur nobis attulisse,dixerunt eum aliquas nouas leges tradidisse,de Cœlibatu, de non uindicando. Hæc deliria statim post Apostolos nata sunt. Ideò non est mirum,postea quoq; caliginem secutam esse. Etsi autem aliqui pij retinuerunt ueram sententiam,tamen scriptorum magna dissimilitudo est,alius alio commodius loquitur,sed de scriptoribus alibi dicendum erit. Nunc hæc tantùm præfari uolui,ut cogitet pius lector,necessariam esse explicationem huius loci,de iustificatione,& grata mente amplectendum esse beneficium Dei, qui Euangelij lucem rursus accendit. Neq; enim negari potest in doctrina Monachorum esse errores quos etsi nunc aliquantulum corrigunt, tamen adhuc ueruos ipsos retinent. De remissione peccatorum uociferantur non rectè doceri,quòd fide gratis propter Christum accipiatur remissio peccatorum, nec admittunt,fide significari fiduciam misericordiæ Dei: Imò iubent semper dubitare,an simus in gratia. Deinde addunt, quòd mereamur remissionem propter contritionem & dilectionem. Atqui contritio seu dolor,seu pauor sine fiducia misericordiæ,quò uehementior est, eò magis impellit ad desperationem,ut Paulus inquit: Lex iram efficit. Deinde dicunt amplius, renatos Legi Dei satisfacere, iustos esse propter impletionem Legis, & hanc ipsam esse meritum & precium uitæ æternæ, nec reliquam in renatis inobedientiam esse quiddam pugnans cum Lege Dei. Addunt item, renatos tamen debere dubitare,an sint in gratia,& in hac dubitatione manendum esse. Hæc dubitatio palàm est Ethnica. Nec leues sunt hi errores,sed Euangelio tenebras inducunt,obscurant beneficium Christi, tollunt ueram consolationem conscientiarum,& ueram inuocationem. Quare necesse est Ecclesiam de his tantis rebus admonere. Exponam igitur clarè & planè summam huius negocij.

Prophetæ taxarunt errores hypocritarum de hoc articulo.

Euangelium à fanaticis transformatum in Pharisaismũ:

Errores Monachorum in doctrina de iustificatione.

Primùm de disciplina clamitamus & nos. Omnes homines disciplina coërcendos esse,id est,iusticia illa,quam etiam non renati præstare debent & possunt. Sicut ait Paulus. Lex est posita iniustis. Et Deus præsentibus & æternis pœnis uiolationem disciplinæ punit. Ac ingens præconium est disciplinæ, quod Paulus inquit esse pædagogiam in Christum. Quia scilicet, Euangelium non est efficax in his, qui non desinunt ruere contra conscientiam. Quanquam autem nulla res humana pulcrior est,quàm disciplina, sicut uerè dicit Aristoteles: Iusticiam formosiorem esse Hespero & Lucifero: Tamen non est assuenda opinio,quòd sit impletio Legis, quòd mereatur remissionem peccatorum, quòd propter eam homo sit iustus, id est,reconciliatus Deo, Paulus inquit ludęos intueri Moysi faciem uelatam,id est,non rectè intelligere Legem Dei, quæ est uox arguens peccatum in natura hominis, & ostendens iram Dei aduersus peccatum,& ueros pauores incutiens.

Disciplina necessaria est,sed non est impletio Legis.

Sed cùm de hoc intellectu Legis, & de agnitione peccati concionatur Euange-

Euangelium,putant multi tumentes persuasione sapientiæ,has esse hyperbolas Stoicas,quibus nihil opus sit. Sed cũm disciplina per sese satis difficilis res sit, contendunt nihil amplius requiri, & hanc qualemcunq; diligentiam mereri remissionem peccatorum,& esse iusticiam coram Deo, & ad has humanas imaginationes Origenes,et Monachi malè detorserunt Paulũ. Quare natiua Pauli sententia,ex ipso Paulo & reliquo consensu Propheticæ & Apostolicæ scripturæ discenda est,non ex humanis opinionibus.

Similis est Ecclesiæ concio omnibus temporibus.

Secundõ, postquàm hæc de disciplina præmonuimus,nunc ad causam accedimus. Similis est Ecclesiæ concio à principio post receptum Adam usque ad finem. Statim in Paradiso institutum est ministerium prædicandæ pœnitentiæ, & data promissio de uenturo Liberatore, ex qua intelligebant primi parentes se recipi. Sed hæc promissio paulatim clarius patefacta est, usque ad Christi prædicationem, qui & ipse hoc ministerio fungebatur. Et

Prædicatio pœnitentiæ in Ecclesia qualis.

Apostolis mandauit idem ministerium, inquiens: Ite prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo. Quare semper in Ecclesia sonare oportet prædicationem pœnitentię, quæ fit uoce Legis,per quam Deus arguit peccata nostra cùm externa tùm interiora, qualia sunt, non timere, non diligere Deum,non confidere Deo. Fit & uoce Euangelij accusantis mundum,quòd non audiat filium Dei, non moueatur eius passione & resurrectione &c. Ideò inquit Christus: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato,quòd non credunt. Et Rom: 1. Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniusticiam hominum &c.

Vt igitur expauit Adam seu Dauid audiens uocem Dei accusantis, ita mens non dura,non obstinata,expauescit,& agnoscit Deum uerè irasci peccato,& punire peccatum. Hi errores sæpè describti sunt in Psalmis. Psalm: 36. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ. Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Et quidem ut Lex hanc iram generi humano denunciat: Ita omnes calamitates humanæ,sunt quasi uox Legis,nos de ira Dei admonens,& omnes ad pœnitentiam uocans.

Prædicatio remißionis peccatorum.

Tertiò, cùm mens hominis hac uoce arguente peccata perterrefacta est, audiat promissionem in Euangelio propositam,et statuat remitti sibi peccata gratis propter Christum per misericordiam,non propter contritionem aut dilectionem,aut alia opera. Hoc modo cùm fide se mens erigit,donantur remissio peccatorum,& reconciliatio. Si enim iudicandum esset, tùm demum nos habituros esse remissionem peccatorum,cùm contritio aut dilectio sufficiens esset adigeretur animus ad desperationem: Quare ut habeat certam & firmam consolationem, pendet beneficium Dei non ex conditione dignitatis nostræ, sed ex sola misericordia propter Christum promissa. Cúmq; Deus remittit peccata,simul donat nobis Spiritum sanctum, qui nouas uirtutes in pijs incoat,Sicut Galat: 3. dicitur. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Hæc nihil habent perplexitatis,& à pijs mentibus in Ecclesia, quæ norunt exercitia spiritualia,pauores,consolationes, & inuocationem,clarè intelliguntur.Nunc igitur testimonia addenda erant, sed uocabula prius diligentius declaranda sunt.

De peccato,de Lege,suprà dictum est,nunc de cæteris dicam, de uocabulis Iustificationis,Fidei, & Gratiæ.

Iustificatio quid significat

IVSTIFICATIO significat remissionem peccatorum, & reconciliationem,

ciliationem,seu acceptationem personæ ad uitam æternam. Nam Hebræis iustificare est forense uerbum,ut si dicam,Populus Romanus iustificauit Scipionem accusatum ã tribunis,id est,absoluit,seu iustum pronunciauit. Sumsit igitur Paulus uerbum iustificandi ex consuetudine Hebraici sermonis,pro remissione peccatorum & reconciliatione seu acceptatione. Hanc esse uim phrasis Hebraicæ, eruditi omnes norunt, & exempla passim obuia sunt. Quanquãm autem, ut antea dixi, cùm Deus remittit peccata, simul donat Spiritum sanctum incoantem nouas uirtutes,tamen mens perterrefacta, primùm quærit remissionem peccatorum & reconciliationem, de hac angitur, de hac dimicat in ueris pauoribus,non disputat,quæ uirtutes infusæ sint,quæ etsi comitantur reconciliationem, tamen nequaquàm iudicandum est, nostram dignitatem aut mundiciem causam esse remissionis peccatorum. Ideò toties inculcatur particula Gratis.

DE VOCABVLO FIDEI.

PHrasis diligenter consideranda est, & uidendum quid agat Paulus, cùm ait: Iustificamur non operibus nostris,sed fide in Christum. Romanis auribus hæc oratio noua est, quare initiõ quærenda est natiua sermonis interpretatio. Iustificari operibus significat consequi remissionem, & iustum seu acceptum Deo esse propter proprias uirtutes seu facta. Econtra uerò Iustificari fide in Christum, significat consequi remissionem,& iustum, hoc est, acceptum reputari non propter proprias uirtutes,sed propter Mediatorem filium Dei. Sic intellecto sermone conspici potest,quomodo hanc propositionem & uocem Euangelij, Iustificamur fide, Paulus opponat alteri,quæ est uox humani iudicij seu Legis,Iustificamur operibus. Vt Baptista clamitat: Hic est agnus Dei,qui tollit peccata mundi. Ita Paulus uult nobis hanc uictimam proponere, & docet propter hunc Filium Dei dari remissionem & reconciliationem,non propter nostras uirtutes. *Iustificari fide quid.*

Quare cùm dicit,Iustificamur Fide,uult te intueri Filium Dei sedentem ad dextram Patris, Mediatorem interpellantem pro nobis,& statuere,quòd tibi remittantur peccata,quòd iustus,id est,acceptus reputeris, seu pronunceris propter illum ipsum Filium,qui fuit uictima. Vt igitur uocabulum Fides monstret illum Mediatorem,& nobis applicet, significat Fides non tantùm historiæ noticiam,sed fiduciam misericordiæ promissæ propter Filium DEI. *Fides non tantùm noticia, sed fiducia.*

Estq; semper hæc propositio correlatiuẽ intelligenda: Fide sumus iusti,id est,fiducia misericordiæ propter Christum sumus accepti, non propter nostras uirtutes. Nam hæc misericordia fide seu fiducia apprehenditur.Hoc agit Paulus,ut illum Mediatorem & agnum nobis proponat, & gloriam iusticiæ nobis detrahat, & testetur propter hunc propiciatorem nos recipi. Hanc esse mentem Pauli,nihil dubium est,& sententiam ipsam esse ueram & certam in Ecclesia,manifestissimum est. Fatentur enim omnes Sancti, se etiam cùm habent nouas uirtutes,tamen non propter has accipere remissionem peccatorum,& reconciliationem, sed propter Filium Dei propiciatorem. Ideò necesse est sic intelligi hoc dictum: Fide habemus remissionem,id est, hac fiducia,quòd propter Filium Dei recipiamur. *Fide iustificamur, oratio est correlatiua.*

Qui uerò reclamant huic enarrationi, his hæc oratio prorsus inanis sonitus est, & nihil significans, Iustificati fide pacem habemus. Deinde nec intelligunt ipsi, quale sit certamen conscientiæ luctantis cum pauoribus & dubitatione, cùm angitur de remissione peccatorum, nec norunt pauores qui in uera pœnitentia existunt. Hos si considerarent, scirent mentes perterrefactas quærere consolationem extra sese, & hanc consolationem esse fiduciam, qua uoluntas acquiescit in promissione misericordiæ propter Mediatorem donatæ. Complectitur autem fiducia misericordiæ & noticiam historiæ: Quia fides intuetur Christum, quem agnosci necesse est esse Filium æterni Dei, pro nobis crucifixum, resuscitatum, &c. Estq; referenda historia ad promissionem seu effectum, qui in hoc articulo proponitur, uidelicet, Credo remissionem peccatorum. Ac rursus hic ipse articulus monet, ut fides intelligatur fiducia. Nam illi, qui non confidit sibi remitti peccata, hæc uerba, Credo remissionem peccatorum, frustrà dicuntur.

Testimonia quòd fides significet fiduciam.

Dixi de intellectu propositionis: Fide iustificamur, nunc testimonia addam, quòd fides in hac doctrina Euangelij significet fiduciam misericordiæ promissæ propter Christum. Quidam de uocabulo πίστις litigant, nec aliud uolunt intelligi, nisi doctrinam, seu Symboli professionem, ut uulgò dicitur: Fides Nicena, pro doctrina, seu dogmatum collectione. Sed Græcis plura significare uerbum πιστεύω constat. Nec dubium est Hebraica phrasi promiscuè usurpari uerba quæ significant credere & confidere, ut Psalm: 2. Beati omnes qui confidunt in eo. Hic Hebræi legunt Hose. Et quod Paulus citat ex Iesaia cap. 28. Qui credit, non confundetur, in Hebraica lectione est Hamaëmin. Eodem uerbo quod significat credere, sæpissimè pro confidere utitur lingua Hebræa, ut Danielis 6. Quia credidit Deo suo. Et Psalm: 78. duo synonyma coniunguntur: Quia non crediderunt Deo, & non confisi sunt in Saluatore suo. Ac sunt manifesta exempla in sermone Christi. O mulier, magna est fides tua. Item: Fides tua saluam te fecit. In his & similibus dictis constat fide significari fiduciam. Sequi autem Paulum phrasin Hebraicam non dubium est. Deinde infinita occurrunt apud Græcos exempla, ubi πιστεύω simpliciter significat confido, ut in uulgari uersiculo Phocylidis, λαῷ μὴ πίσθυε, πολὺ ξοπτρον ὄξιν ὅμιλον.

Et in Philippica quarta Demosthenis: ἀλλὰ τοῖς συμμάχοις γνώμη πιστεύει, καὶ πᾶς ὅπλοις ἰσχύει. Et contra Androtionem, σαυτῷ πιστεύεις, confidis teipso. Et apud Plutarchum interrogatus Solon, qua re confisus auderet se opponere Pisistrato, respondit senecta. In hoc loco est, τίνι πιστεύων. Nec difficilè est aceruum testimoniorum colligere. Teneamus ergo uim uerbi πιστεύω, & sciamus significare utrunque, adsentior & confido. Græcis magis uagatur uocabulum πίστις.

Fidei definitio.

Sed nos sciamus in Ecclesia significare assensionem firmam, & fiduciam, quæ etiam πεποίθησις dicitur: Et uera est hæc definitio fidei: Fides est assentiri uniuerso uerbo Dei nobis proposito, adeoq; & promissioni gratuitæ reconciliationis donatæ propter Christum Mediatorem, estq; fiducia misericordiæ Dei promissæ propter Christum Mediatorem. Nam fiducia est motus in uoluntate necessariò respondens assensioni, seu quo uoluntas in Christo acquiescit, quod cùm fit, accenditur Spiritu sancto & noua luce, ut postea dicam.

dicam. Vsitatissimum est autem πίστιν pro firma assensione dicere, in qua significatione opponitur incertæ opinioni. Sic Plato inquit, homines non habere μόνιμον πίστιν de idea bona, id est, stabilem assensionem. Etsi enim homines intelligunt recta, tamen propter contumaciam cordis, propter prauas cupiditates assensio excutitur.

Et uicina est significatio, Fiducia, sicut in uersu Theognidis, πίστιν χρήματ' ὀλέσσας, ἀπιστίην δ' ἐσάωσε. Et apud Hesiodum: Fiduciæ & diffidentiæ fuerunt exitiales. Cæterùm aliæ sunt significationes, quarum præcipua est πίστις pro fidelitate, id est, pro uirtute pacta seruante. Hæc ubi locum habeat in sacris libris, diligenter considerandum est. Nam profectò in iudicandis controuersijs Ecclesiasticis, in quolibet loco uera uerborum significatio, sententiæ congruens quærenda est. Huc studia linguarum referenda sunt. Sæpè autem, ut dixi, πίστις fidelitatem significat, ut in uersu Sophoclis, ἔνισκε δὲ πίστις θλασάνδ' ἀπιστία, id est, fidelitas perijt. Et sæpè aliàs, ut apud Polybium lib. 2. εἴχοντο τὴν πλεῖστον εἰς τὴν πίστιν ἐπὶ πᾶν ὅλον καλοκαγαθίαν, antecellebant fidelitate seruante pacta, uel quod idem ualet, fide, id est, autoritate, quæ eis tribuebatur, quòd uidelicet essent fideles, seruantes pactorum, iusti, benefici. Deinde multæ significationes ex hac nascuntur, quæ nihil ad Pauli disputationem pertinent. Polibius δοῦναι ἑαυτοὺς εἰς πίστιν Ῥωμαίων, dedere se in fidem Romanorum, id est, in fidem Romanorum pacta seruantium, iusticiam clementia moderantium. Item, δοῦναι πίστεις, promittere fidelitatem. Et apud Rhetores & Aristotelem πίστεις, probationes, argumenta, testimonia significant. Hæ metonymiæ non sunt ad Pauli disputationem referendæ. O rem miseram. Ecclesia uerè, ut in uersu Græco dicitur, inter barbaros natiuum sermonem dedidicit, Monachi ueras significationes obruerunt, nouo genere doctrinæ excogitato. Quare pij redeant ad Prophetas & Apostolos, ac propriam Ecclesiæ linguam iterum discant, & instaurent.

Aliæ significationes uocabuli fidei.

Quòd autem Paulus fiduciam misericordiæ intelligi uelit uocabulo Fidei, ex sequentibus testimonijs perspicuum est. Roman: 4. confertur promissio ad fidem correlatiuè. Ideò ex fide gratis, ut sit firma promissio. Hic disertè postulat, ut assentiamur promissioni, ac ut possimus assentiri, ait gratuitam esse, quia si conditio impletæ Legis addita esset, sequeretur desperatio: Placeres Deo si Legi satisfaceres. At Paulus dicit, Ideò gratuitam esse promissionem, ut sit firma credenti. Vult ergo nos assentiri promissioni. Id assentiri reuera est hæc fiducia amplectens promissionem, Hæc explicatio labefactari non potest.

Testimonia Pauli, quòd uelit intelligi fidem fiduciam misericordiæ.

Præterea considera uim promissionis Euangelicæ. Si nihil opus est assentiri, promissio prorsus est inanis sonitus, quæ tamen ideò tradita est, ut assentiamur, & ut assentiri possimus, gratuita est. Item, cur Iohannes dicit, Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Et Paulus inquit: Non dubitauit diffidentia, sed firmus fide dans gloriam Deo, & certus, &c. Hæc clarè ostendũt, requiri, ut assentiamur promissioni. Denicq cur sonat in Ecclesia hæc uox, Propter Filium Dei remittuntur tibi peccata, si dicas, non esse assentiendum? Hoc quid aliud est, quàm, ut Iohannes inquit, Deum mendacij arguere?

I. Argument:

II. Rom: 5. Iustificati fide, pacem habemus. At noticia historiæ non affert pacem, imò auget pauores & desperationem, sicut in Diabolis. Quod enim terribilius est signum iræ Dei, quàm placari Deum non alia uictima

II. Argum:

potuisse, nisi Filij morte? Vident Diaboli se reiectos esse, sciunt Filium Dei iudicem constitutum esse, se futuros in æternis pœnis: Vident & homines in ueris pauoribus, cùm alia multa signa iræ Dei aduersus peccata, mortem & alias infinitas calamitates, tùm uerò hoc ipsum signum, quòd ira Dei non potuit placari nisi per Filium. Huius historiæ noticia auget pauores, si fides non est fiducia applicans nobis hoc beneficium, si non est statuendum, Ideò passus est Filius Dei, ut tibi ignoscatur, quanquàm malè merito, &c. Hæc fiducia consolatur mentem perterrefactam, & pacem affert.

III. Argumentum.

III. Similis est explicatio & aliorum multorum testimoniorum, Iustus ex fide uiuet. Certè historiæ noticia nemo uiuet, quæ potius auget cruciatus. Nec Legis noticia quisquam uiuit. Si habueris uirtutes sufficientes, placebis. Necesse est igitur fidem intelligi, quæ statuit nobis Deum propicium esse, & acquiescit in promissa misericordia.

IIII. Argumentum.

Eodem modo & hoc dictum intelligi necesse est, Omnis qui credit in eum, non confundetur. Item in Psal: Osculamini Filiũ. Beati omnes qui confidunt in eo, ubi uerbum Hebraicum proprijssimè significat confidere.

IIII. Eph. 4. Per quem audemus accedere confidentes per Fidem eius. Hic Paulus tribus insignibus uocabulis naturam Fidei describit. Audet, accedit confidenter. Magna res est accedere ad Deum iudicem, uerè & horribiliter iratum peccato. Hic iterum noticia historiæ deterret nos, nisi statuamus Filium nobis ducem & propiciatorem esse, & per hunc nos duci ad Patrem: Hoc statuere est fiducia, de qua loquimur. Sic & Roman: 5. ait: Per quem habemus accessum fide. Et Hebræ: 4. Habentes talem Pontificem, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Ex hoc dicto utrunq; discimus, & præcipi hanc fiduciam in inuocatione, & fidem in similibus locis intelligendam esse fiduciam.

Sed ideò reclamant multi, quia hunc ipsum cultum Dei, scilicet fidem in inuocatione non intelligunt, & imaginantur dubitationem perpetuam, an à Deo recipiamur & exaudiamur, non esse peccatum. Porrò hoc peccatum quale sit, & quàm nocens, in uera lucta conspicitur, & quia abijcit promissionem Dei, arguit eum mendacij.

Alia testimonia probantia quòd fides significet fiduciam.

Act: 15. Fide purificans corda. Si fides tantùm significat noticiam, qualis & in Dæmonibus est, hoc dictum prorsus erit inane. Constat autem in eo ipso loco disputari de iustificatione, & quidem constitui, quòd non purificentur corda per iusticiam Legis, sed aliter, uidelicet, si credant se per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluari.

Addi potest & aceruus testimoniorum, in quibus uocabulum Fidei ponitur pro fiducia, ut, O mulier, magna est Fides tua. Item Lucæ 7. Fides tua saluam te fecit. Et 2. Paralip. 20. Credite, & securi eritis. In talibus dictis palàm apparet Fidem uocari fiduciam expectantem à Deo consolationem & auxilium, & quamuis obiecta externa dissimilia sunt, tamen semper primum & principale fidei obiectum est Deus reconciliatus iuxta promissionem seu promissio reconciliationis: Tunc Dauid petit & expectat auxilium in bello, cùm statuit se habere Deum propicium, & tanta uarietas externorum obiectorum & periculorum nobis proposita est, ut sit occasio exercendæ fidei, & apprehendendi simul spiritualia beneficia, ut illa ipsa communis precatio doceat. Postquàm dictum est, Panem quotidianum da nobis hodie. Mox additur,

ditur, Et remitte nobis debita nostra. Fugeret Deum mens in petendis corporalibus, nisi simul agnosceret nobis ignosci, nos recipi in gratiam, ac propterea nos exaudiri & iuuari.

Fides de reconciliatione præluceat in petitione corporalium.

Ac ad intelligendas multas sententias utile est hoc considerari, quòd fides de reconciliatione semper sic præluceat in petitione & expectatione corporalium: Sic & Abraham petebat hæredem à Deo & promissioni credebat, quæ posteritatem pollicebatur, sed simul agnoscebat Abraham, & confidebat sibi à Deo ignosci, se quanquàm indignum recipi à DEO per misericordiam, propter liberatorem promissum patribus. Hanc esse uim uerbi, Credidit, Genesis 15. testatur præcedens promissio & consolatio: Noli timere Abraham, Ego protector tuus & merces tua magna ualdè. In hac dulcissima consolatione Deus testatur se propicium esse Abrahæ, se defensorem, adiutorem eius & saluatorem esse. Hanc promissionem intuens, confidit Abraham se recipi in gratiam Dei. De hac fide igitur dicitur, Imputatum est ei ad iusticiam.

Definitio fidei in Epistola ad Hebræos.

Postremò definitio fidei in Epistola Hebræos testatur, Fide significari fiduciam, cùm inquit: Fides est ὑπόστασις rerum sperandarum: Constat enim ijs, quibus phrasis nota est, ὑπόστασιν significare expectationem, hoc est, fiduciam expectantem.

Recensui testimonia ex Prophetis & Apostolis, quæ cùm sint perspicua, spero satisfactura dextrè iudicantibus. Fateor autem postea plerosque scriptores, ut Origenem & alios tradidisse aliud genus doctrinæ & insincerum, sed aliqui eruditiores nobiscum reuera sentiunt, etsi hi quoq; aliàs commodius, aliàs incommodius loquuntur.

Testimonia Augustini de fide.

In Augustino passim sunt obuia testimonia. De spiritu & Litera inquit: Ex Lege timemus Deum, fide confugimus ad misericordiam. Item, Fides dicit, Sana animam meam, quia peccaui tibi. Hæc si dextrè intelligantur, non possunt nisi de fiducia misericordiæ intelligi.

Clarior est Augustini locus Psal. 31. Qui sunt beati? non illi, in quibus non inueniet peccatum, nam in omnibus inuenit: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet, ut nõ sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit, Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Hic certè Augustinus fidem intelligit fiduciam, quæ accipit remissionem peccatorum. Et dictum in Genesi ac Paulo prorsus intelligit, sicut nos enarramus.

Bernardi testimonium.

Addam & BERNARDI testimonium, quod extat in concione de annunciatione.

Basilij testimonium.

Necesse est primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde ut credas & hoc, quòd per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo dicens, Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, Gratis iustificari hominem per fidem. In hoc dicto perspicuè & propriè recitatur sententia Ecclesiarum nostrarum, & extant similia testimonia apud hunc autorem.

Basilius etiam proprijssimè recitat nostram sententiam in concione de Humilitate his uerbis. Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens, Quòd Christus nobis factus sit sapientia à Deo, iusticia & sanctificatio & redemtio.

Sicut ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc eſt enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neq; propter iuſticiam ſuam quiſquam effertur, ſed agnoſcit ſeſe indigere uera iuſticia, fide autem ſola in Chriſtum iuſtificari.

Argumentum ab experientia unicum, eſt in ueris pauoribus.

Deniq; res ipſa conſideretur. Melius enim intelligi uox Euangelij poteſt in præſenti lucta, quàm cùm ocioſi & ſecuri, tanquã ex longinquo has diſputationes audimus. Quam tibi ipſi propones conſolationem, cùm mens uerè obruitur pauore & metu iræ Dei? non ne in ea conſternatione confugiendum erit ad Mediatorem Chriſtum? & cogitandum, Crede propter hanc uictimam tibi ignoſci. Sicut ubiq; iubet Euangelium credere, quòd propter peccata noſtra Filius Dei mortuus ſit, ut Rom: 4. dicitur. Cogitandum & hoc, Per Filium eſt acceſſus ad Deum. Roman: 5. Porrò hæc fides, qua te ſic conſolaris, haud dubiè eſt fiducia acquieſcens in Filio Dei. Certè non ſic cogitandum erit. Iam diligo Deum, iam habeo uirtutes & merita, ideõ Deus me recipiet. Ergo luctam hanc & conſolationem intuentes, intelligemus exiſtere pauores, & erigi animos fiducia intuente Filium Dei, quibuſcunq; uerbis eloqui hæc uoluerimus, ſed Prophetæ & Apoſtoli utuntur in hac re nomine Fidei.

Quomodo intelligenda propoſitio fide iuſtificamur.

Eodem modo pij omnes quotidianam inuocationem ſuam conſiderent, quoties incipis inuocare Deum, obſtrepit tibi multiplex indignitas tua, meruis tuas preces non admitti. Hic quæritur conſolatio aliqua: quæ nam? certè non cogitas, Iam habeo uirtutes, quarum dignitas meretur recipi meas preces, Sed quæris Mediatorem nobis donatum, cogitas illam uocem, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Item, Heb. 7. Semper uiuens, ut interpellet pro eis. Credis igitur placere Deo inuocationem, & recipi propter hunc Pontificem unà interpellantem. Hoc credere, certè eſt fiducia erigens & conſolans animum. De hac re, de hac conſolatione dimicamus, quibuſcunq; uerbis uti alij uolunt, rem retinere cupimus. Nam qui diſſentiunt, rem ipſam obruunt, iubent ſemper dubitare, & quidem ſepeliunt Chriſtum, quia prorſus non docent petendam ab eo conſolationem, non iubent uti eius beneficio. Quia ſi fides non eſt fiducia intuens Chriſtum, & acquieſcens propter Chriſtum, certè non applicamus nobis eius beneficium, neq; utimur eius beneficio. Neceſſe eſt igitur fide intelligi fiduciam applicantem nobis beneficium Chriſti.

Quare cùm dicitur: Fide iuſtificamur, non aliud dicitur, quàm quòd propter Filium Dei accipiamus remiſſionem peccatorum, & reputemur iuſti. Et quia oportet apprehendi hoc beneficium, dicitur fide, id eſt, fiducia miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum. Intelligatur ergo propoſitio correlatiuè, Fide ſumus iuſti, id eſt, per miſericordiam propter Filium Dei ſumus iuſti ſeu accepti. Nota eſt enim natura relatiuorum nominum. Et ut amor, timor, & alia quædam affectuum nomina ſunt relatiua ſecundum dici, ita & fiducia: Nec inſulſas reprehenſiones indoctorum hic pertimeſco.

Et quòd obijciunt quidam, huic fiduciæ adiunctam eſſe dilectionem, non repugno: Sed cùm dicimus, Fide iuſtificamur, monſtramus filium Dei ſedentem ad dextram Patris, interpellantem pro nobis, propter hunc dicimus nobis donari reconciliationem, detrahimus meritum reconciliationis noſtris uirtutibus,

uirtutibus, quæcunq; adsunt. Et tamen postea suo loco dicitur, Dilectionem & alias uirtutes in renatis existere oportere.

Ac in summa cùm accusamur in hoc dogmate, quòd dicimus, Fide iustificari hominem, tantùm ideò accusamur, quòd dicimus, nos propter Filium Dei accipere reconciliationem, non propter nostram dignitatem, & quòd hoc credendum sit, seu quòd hac fide uel fiducia apprehendendum sit beneficium, & opponendum meritum Christi peccato nostro, & damnationi nostræ, & quòd in hac fide seu fiducia intuente filium Dei, Deus inuocandus sit. Has autem sententias esse ipsam Euangelij uocem, & perpetuum ueræ Ecclesiæ consensum, certissimum est. Nec dubito bonos & pios agnoscere, hanc explicationem uerè esse Pauli doctrinam, eamq; grata mente amplecti. Ac de tota re prouoco ad consensum Ecclesiæ, id est, peritorum & piorum: Eius Ecclesiæ testimonium grauissimum esse iudico.

Quæ reprehendantur in hac doctrina de iustificatione.

Quòd autem alij multi rabiosè reclamant, & contendunt, uocabulo Fidei nihil nisi noticiam historiæ significari, & quærunt infinitas cauillationes, meminerint pij uocem Pauli, qui inquit: Israël sectando Legem iusticiæ, ad Legem iusticiæ non peruenit. Ratio humana intelligit iusticiam operum, hanc miratur unam, & illa quæ de iustitia fidei dicuntur, quia sunt aliena à politicis opinionibus, acerbè odit. Sed nos sciamus suum locum esse iusticiæ operum, longè uerò alia consolatione opus esse in quærenda reconciliatione.

Fides non est tantùm noticia.

Hæc de uocabulo Fidei breuiter recensui, quæ nihil habent perplexitatis aut sophistices, & ad phrasin Hebraicam uerè congruunt. Sit igitur hæc definitio, Fides est assentiri uniuerso uerbo Dei nobis proposito, & quidem promissioni gratuitæ reconciliationis donatæ propter Christum Mediatorem: Estq; fiducia misericordiæ Dei promissæ propter Christum Mediatorem: Nam fiducia est motus in uoluntate, necessariò respondens assensioni. Estq; Fides uirtus apprehendens & applicans promissiones, & quietans corda, sicut satis perspicuè docent hæc uerba: Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Christum, per quem et accessum habemus fide in gratiã hanc: Cùm autem dicimus de assensu promissionis, complectimur omnium articulorum noticiam, & in Symbolo cæteri articuli referuntur ad hunc, Credo remissionem peccatorum, Credo uitam æternam. Hæc est enim summa promissionum, & finis, ad quem cæteri articuli referuntur. Quia Filius Dei missus est, ut Ioannes inquit, ut destruat opera Diaboli, id est, tollat peccatum, & instauret iusticiam & uitam æternam.

Repetita definitio fidei.

DE VOCABVLO GRATIÆ.

ETiam Philosophi uiderunt excellentem uirtutem non existere sine motu diuino, ut fortitudo in Alexandro diuinus impetus erat. Hanc secuti imaginationem Monachi, Gratiam tantùm intellexerunt nouas uirtutes, à Spiritu sancto excitatas. Et cùm dicitur accipi remissionem per Gratiam, sic sunt interpretati. Accipi eam propter illas uirtutes. Hæc interpretatio prorsus pugnat cum Paulo. Item de fide seu fiducia in Christum, aut fiducia gratuitæ imputationis nihil dixerunt. Quare imaginatio eorum magna ex parte Philosophica est, & obscurat beneficium Christi, & doctrinam de gratuita imputatione. Plurimum igitur refert, uocabulum Gratiæ propriè, uerè, & dextrè intelligi.

Monachorum imaginatio de uocabulo gratiæ.

Gratia & donum per Gratiam quid differant.

Roman: 5. duæ sunt appellationes, Gratia, & Donum per gratiam. Est autem Gratia, remissio peccatorum gratuita, seu misericordia, seu acceptatio gratuita. Deinde donum per gratiam, significat donationem Spiritus sancti & uitæ æternæ, id est, nouam & æternam iusticiam & uitam, quæ hic incoatur, & postea perficitur. Ita & Ioan: 1. dicitur, Lex per Mosen data est, Gratia & ueritas per IESVM CHRISTVM facta est. Hic quoq; Gratia uocatur gratuita remissio peccatorum, seu acceptatio propter Mediatorem. Deinde, Veritas est uera lux, id est, uera agnitio DEI, uera & æterna iusticia & uita, quæ hic incoatur, sed postea perficitur. Loquitur enim de toto beneficio CHRISTI, quasi dicat, Legem quidem audistis, sed hæc non tollit peccatum, non tollit cœcitatem in mentibus, id est, dubitationes de DEO & fremitum aduersus DEVM iudicantem: Item: Non affert ueram & æternam iusticiam, sed tantùm disciplinam externam nobiscum morientem, quæ non est æterna, seu durabilis & perpetua iusticia.

Sed per Messiam dantur hæc ingentia munera. Primùm Gratia, id est, remissio peccatorum gratuita, & imputatio iusticiæ. Deinde etiam Veritas, id est, uera lux, agnitio Dei, & uera ac æterna iusticia & uita. Etsi igitur Gratiæ uocabulum significat remissionem peccatorum gratuitam seu misericordiam, tamen etiam fatemur accedere donationem Spiritus sancti,

Error Pelagi.

& clara uoce damnamus Pelagij errorem, qui prorsus sustulit discrimen Philosophiæ & Euangelij, & finxit, ut in Philosophia, homines etiam sine Spiritu sancto Legi Dei satisfacere posse, & eam disciplinam esse iusticiam Euangelij, nec opus esse donatione Spiritus sancti. Hos furores damnamus, quia certè nouam & æternam uitam incoari hic oportet, quod non fit sine Spiritu sancto, ut passim clamitat uox cœlestis in Euangelio & Prophetis. Sit igitur hæc definitio Gratiæ. Gratia est remissio peccatorum, seu misericordia propter CHRISTVM promissa, seu acceptatio gratuita, quam necessariò comitatur donatio Spiritus sancti. Nec difficilè est iudicare de uocabulo ijs, quibus phrasis Hebraica nota est.

Gratia quid significet.

Significat enim Hebraica uox sæpè fauorem, interdum etiam donum. Nunc testimonia adijciam quæ testantur gratiam in hac quæstione præcipuè significare gratuitam misericordiam, seu gratuitam reconciliationem. Roman: 4. Operanti merces non imputatur secundum gratiam. Hic perspicuè gratiam intelligit gratuitam beneuolentiam, seu imputationem. Est enim antithesis. Laboribus debetur merces: At credenti, etiamsi non affert merita, tamen fit imputatio iusticiæ gratuita.

Testimonia de significatione uocabuli Gratiæ.

Eodem modo postea loquitur, Ideò ex fide secundum gratiam, ut sit firma promissio: id est, ut sit certa reconciliatio: Non pendet ex conditione nostræ dignitatis, sed est gratuita. Nam si iudices ita te habere remissionem, si dignus ac mundus sis, sequetur infinita dubitatio & desperatio.

Roman: 6. Non estis sub Lege, sed sub Gratia. Hic Paulus hoc ipsum agit, nos placere Deo propter Filium, non propter nostram dignitatem, cùm quidem adhuc hæreat in renatis ingens imbecillitas & peccatum. Significat igitur Gratia, gratuitam misericordiam promissam propter Filium.

Rom: 5. Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia, id est, etsi peccatum damnatum est horribili ira Dei, quam nõ satis intelligere ulla creatura potest,

poteſt,tamen gratia exuberat,id eſt,miſericordia propter Chriſtum promiſſa maior eſt,qua contingit nobis remiſſio & reconciliatio, ac gratia, id eſt, promiſſa miſericordia uult nos confidere. Quare non eſt intelligenda noſtra uirtus,ſeu obedientia,qua certè non eſt confidendum.

Sic & ad Hebræos 4. dicitur: Accedamus ad thronum gratiæ ut miſericordiam, & gratiam, & auxilium opportunum inueniamus. Thronum gratiæ ipſum Mediatorem intelligit, quaſi dicat, Thronum placantem iram Patris.

Cùm autem phraſis Hebrea eruditis nota ſit,non eſt opus longiore diſputatione,ſed hoc diligentiſſimè conſiderandum eſt,quòd excluſiua particula Gratis, ſæpè repetita à Paulo,ineſt in definitione gratiæ. Significat autem hæc excluſiua,dari reconciliationem propter filium Dei Mediatorem, non propter noſtram dignitatem,non propter noſtra merita, non propter noſtras uirtutes aut facta. Nec tamen excludit hæc particula uirtutes ipſas,ſed conditionem dignitatis ſeu meriti excludit,& transfert cauſam reconciliationis in ſolum filium Dei. In Petri conuerſione neceſſe eſt exiſtere pœnitentiam & fidem, qua ſtatuat ſibi ignoſci, & neceſſe eſt ſequi alias uirtutes & tamen propoſitio uera eſt, & neceſſariò retinenda, Gratis remitti peccatum, quia non propter uirtutes Petri,ſed propter Filium Dei remittitur.

Particula gratis ineſt uocabulo gratiæ.

Et quia plurimum refert hanc excluſiuam rectè intelligi, exponam quatuor cauſas,propter quas eam retineri & defendi neceſſe eſt. Prima eſt,ut debitus honos Chriſto tribuatur.Secunda,ut conſcientia certam & firmam conſolationem retineat,& explodatur peſtilens error eorum, qui iubent dubitare. Tertia,ut uera inuocatio præſtari poſſit. Quarta, ut conſpiciatur diſcrimen Legis & Euangelij. Has cauſas breuiter recenſui, ut ſemper in conſpectu ſint. Diligenter autem ſingulæ conſiderandæ ſunt.

Cauſæ quatuor propter quas eſt retinenda particula gratis.

Prima hæc eſt,ut debitus honos Chriſto tribuatur: Nam qui transferunt cauſam remiſſionis in opera hominum,dupliciter peccant: Iram Dei & peccatum extenuant, deinde detrahunt Filio DEI debitum honorem. Nam humana cœcitas & ſecuritas non intelligit iræ Dei magnitudinem aduerſus peccatum. Ideò fingit eam placari humana diſciplina, & CHRISTVM amplectitur, ut doctorem illius diſciplinæ ſeu Legislatorem, non ut uictimam pro peccato, cùm Iohannes clamitet. Hic eſt agnus DEI, qui tollit peccata mundi. Et Iesa: Quia ponit animam ſuam pro peccato, uidebit ſemen longæuum.

I. *Cauſa.*

Secunda cauſa eſt,ut conſcientia certam & firmam conſolationem habeat. Hanc & Paulus inculcat Rom: 4. Ideò ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio,Hæc ſententia magis perſpicua erit intuenti ueram luctam perterrefactæ mentis. Scimus ex Lege & ratione naturali,Deum bonum & miſericordem eſſe,ſed erga eos,qui non ſunt rei.Non igitur quærit mens in uero pauore,an Deus ſit miſericors,ſed hæc eſt luctæ epitaſis,An TIBI contaminato peccatis & reo uelit ignoſcere, & propter quod precium. Hic neceſſe eſt hanc uocem Euangelij audire de excluſiua & de Mediatore,quòd Deus uerè te recipere uelit Gratis,id eſt,non propter tuam dignitatem aut merita, ſed propter Filium Dei,idq; credendum eſſe. Si hæc excluſiua ignoretur,confirmatur dubitatio,uidelicet ſi exiſtimes non remitti peccata,niſi cùm ſatis dignam

II. *Cauſa.*

Ignoratio particulæ gratis parit dubitationem.

gnam contritionem aut dilectionem habebis, hærebit dubitatio, quæ aliàs contemtum Dei, aliàs odium & desperationem parit. Hæc facilè iudicari possunt à pijs. Etsi enim in humanis mentibus inest dubitatio, tamen sciendum est propter hanc ipsam causam, ne dubitemus de reconciliatione, Filium Dei ex sinu æterni Patris promissionem claram & certam reconciliationis attulisse opponendam iudicio rationis, sicut in Ioanne dicitur: Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis. Repugnandum est igitur dubitationi, & erigenda fides, quòd uerè uelit Deus te propter filiũ recipere & exaudire. Estq; explodendus impius error aduersariorum, qui ignari Euangelij, & tantùm rationis humanæ iudicium sequentes, iubent dubitare, & affingunt dubitationem non esse peccatum. Hunc pernicioſum errorem taxari necesse est, quia certè peccatum est, non accipere promissionem. Item, Deo promittenti non tribuere laudem ueritatis, ut 1. Iohan: 5. dicitur: Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Et summa blasphemia est contemnere uocem, quæ de cœlo sonuit: Hunc audite.

III. Causa. Tertia causa de inuocatione ex priorib. oritur, Et discrimen tenendum est inter Ethnicam inuocationem & Christianam. Inuocant Ethnici, sed dubitantes, an Deus respiciat ac recipiat eos & eorũ preces, ut in poëmatibus crebræ sunt hæ querelæ, non respici, non exaudiri calamitoſos à Deo. Et in uero dolore, cùm fugit mens Deũ iratum, ut Saul, certè nõ inuocat. Econtrà Euangelium docet inuocationem talem, in qua Fides præluceat. Etsi enim obstrepit tibi indignitas tua, quoties incoas inuocationem, tamen Fides intueatur Filium Dei Mediatorem, & statuat te & preces tuas recipi propter illũ Pontificem, sicut scriptum est: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Item, Per hunc habemus accessũm ad Deum. Talis inuocatio propria est ueræ Ecclesiæ, prorsus ignota ijs, qui nesciunt doctrinam de gratuita remissione, seu de hac excluſiua de qua concionatur Paulus, cùm repetit particulam Gratis, Sic & Daniel inuocat cap. 9. Non in iusticia nostra precamur, sed in misericordia tua magna, propter Dominum. Nec aliud nos uolumus aut docemus de excluſiua, quàm quod hic inquit Daniel. Et sunt exempla multa in Psalmis, quæ ita dulcescent pijs, si intelligatur gratuita reconciliatio. Quia apud Dominum misericordia. Si addas erga dignos, satis meritos, erit uox Legis terrorem incutiens. Sed si intelligas iuxta Euangelium, ut docet Paulus, & sentit Psalmus: Misericordia certò recipiens nos propter Mediatorem gratis: Hæc uox affert consolationem, & fugientem animum reuocat ad Deum, & exuscitat ad ueram inuocationem.

Discrimen inter Christianam et Ethnicam inuocationem.

IIII. Causa. Quarta causa est, ut conspiciatur discrimen Legis & Euangelij. Nam etsi Lex habet promissiones, tamen non promittit gratis remissionem peccatorum, seu reconciliationem, seu imputationem iusticię, sed tantùm eum pronunciat iustum, qui præstat integram obedientiam, & est sine peccato, ut hæc dicta ostendunt: Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in Lege. Item, Qui fecerit hæc, uiuet in eis. Sed Euangelium monstrat nobis Filium Dei Mediatorem, & clamitat, nobis propter hunc gratis donari reconciliationem. Insigne igitur discrimen facit Legis & Euangelij particula Gratis, qua amissa non potest non sequi magna Euangelij caligo. Statim.n. obrepit opinio, dari remissionem propter nostra opera, quo errore admisso, obruitur doctrina de Fide, de uero honore Christi, & de firma consolatione conscientiarum.

Exposui

Expoſui quantum referat excluſiuam retineri, ſed uidendum eſt etiam, ut rectè intelligatur. Cùm enim dicit Paulus, Gratis fide propter Chriſtum conſequimur remiſſionem, non hoc uult, non exiſtere contritionem in his qui conuertuntur, aut non ſequi cæteras uirtutes. Imò uult hæc adeſſe: Sed excludit conditionem meriti ſeu dignitatis noſtræ, negat contritionem & noſtras uirtutes cauſas eſſe reconciliationis, & teſtatur cauſam eſſe meritum Chriſti Mediatoris. Eſtq; ſententia: fide propter filium Dei gratis accipi reconciliationem, non propter noſtram dignitatem. Hæc ſunt perſpicua, uera, ſine ulla Sophiſtica, & nihil perplexi, nihil intricati continent.

Particula gratis excludit non contritionem, ſed conditionem meriti.

Nec aliud uolunt noſtri cùm dicunt, Sola fide iuſtificamur, quàm quod iam dixi, Gratis fide propter Chriſtum conſequimur remiſſionem peccatorum, non propter noſtram dignitatem. Nec excludit particula Sola, contritionem aut cæteras uirtutes, ne adſint, ſed negat eas eſſe cauſas reconciliationis, & transfert cauſam in ſolum Chriſtum. Suntq; correlatiuè intelligendæ hæ ſententiæ, Fide, id eſt, fiducia Chriſti ſumus iuſti, hoc eſt, propter Chriſtum ſumus iuſti: Gratis, id eſt, non propter dignitatem noſtram. Idq; credendum eſt, ut beneficium Chriſti amplectamur, et in miſericordia propter Chriſtum promiſſa acquieſcamus.

Idem dicitur, Sola fide iuſtificamur, & gratis iuſtificamur.

Nunc addam teſtimonia ex Paulo, quæ oſtendunt uerè hanc eſſe Euangelij doctrinam, quam recenſui de iuſtificatione, quòd uidelicet ſtatuendum ſit, nos propter filium Dei gratis fide conſequi remiſſionem peccatorum, & reputari iuſtos, id eſt, acceptos Deo ad uitam æternam. Prodeſt autem hæc teſtimonia in conſpectu habere, non ſolùm ad refutandos aduerſarios, ſed multò magis ad nos ipſos confirmandos, et ad fidem excitandam in omni inuocatione. Nam hunc cultum, hoc opus præcipuè requirit Deus. Hic cultus uerum honorem filio Dei tribuit, cùm uidelicet propter hanc uictimam & hunc placatorem inuocamus Deum, & credimus per hunc pontificem perferri noſtras preces ad æternum Patrem.

Teſtimonia Pauli, quòd gratis ex miſericordia propter Chriſtum reputemur iuſti.

Roman: 3. Principalis propoſitio huius diſputationis pluribus uerbis traditur: Omnes peccauerunt, & carent gloria Dei. Iuſtificamur autem gratis ipſius gratia per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propiciatorem per fidem in ſanguine eius. Initiò, ut oſtendat homines non eſſe iuſtos propria mundicie, inquit: Omnes eſſe reos & carere gloria Dei, id eſt, ſapientia & iuſticia, quam Deus approbat ſeu ducit eſſe gloriam. Deinde addit quomodo reconcilientur, cùm ait: Iuſtificamur, id eſt, conſequimur remiſſionem peccatorum, & reputamur iuſti ſeu accepti, gratis ipſius gratia, id eſt, miſericordia gratuita propter Chriſtum, quem propoſuit Deus Propiciatorem. Addit autem, iuſtificamur in ſanguine eius, id eſt, placatur ira Dei per mortem Filij. Sed hoc beneficium fide applicari oportet. Statuendum eſt, quòd propter hunc propiciatorem & propter eius mortem, tibi uerè propicius ſit Deus, non propter tuam dignitatem. Hæc fides eſt fiducia, quę pacem & uitam cordibus affert, ut ſuprà de Fide dictum eſt, & quæ in Chriſto acquieſcit.

Deinde Paulus in quarto capite inſtituit confirmationem huius propoſitionis, & teſtimonia ac argumenta recenſet. Primum teſtimonium ſumtum eſt ex Geneſi. Vt enim oſtendat hanc perpetuam eſſe Eccleſiæ doctri-

nam,

nam,allegat primam concionem de modo iuſtificationis,quæ extat in Moſe. Allegat & illum uirum,qui proponitur, ut ab ipſo cæteri diſcant promiſſiones & uerum cultum Dei: Credidit Abraham Deo,& imputatum eſt ei ad iuſticiam.

Refutatio aduerſariorum.

Sed hic priuſquàm cætera Pauli argumenta addo,refutandæ ſunt quædam calumniæ eorum, qui conantur eludere Pauli dicta. Sunt enim multi prophani homines,qui contumelioſè exagitant Paulum, & clamitant cum aliena dicta ad ſuam cauſam, uel per inſcitiam, uel Sophiſticè detorquere, eamq; ob cauſam nec ſcripta,nec autoritatem Pauli magnifaciunt, Sed hæc impia iudicia ex ipſorum inſcitia oriuntur,cùm non intelligant exercitia fidei in ueris pauoribus,nihil mirum eſt,non uidere eos, quomodo congruant dicta,quæ hic citantur. Et ſolent homines uel odiſſe,uel ſuperbè contemnere, quæ non intelligunt. Sed pij ſciant Apoſtoli uocem,tanquam uocem Dei de cœlo ſonantem,audiendam eſſe. Sciant Paulum nec ludere præſtigijs,nec errore falſa dicere,ſed intelligere ſuam cauſam & rectè explicare.Sciant item congruere Pauli doctrinam cum ſcriptis Prophetarum. Diſcipuli ſimus Apoſtolorum,non ſimus eorum calumniatores.

Contra Synecdochen aduerſariorũ in doctrina de fide.

Porrò aduerſarij ut eludant dicta de Fide,affingunt interpretationem, ac dicunt Synecdochen eſſe, Fide ſcilicet formata,ut ipſi loquuntur,id eſt, adiunctis cæteris uirtutibus,quæ profeſſioni congruunt: Atq; ita intelligunt Fidem eſſe noticiam hiſtoriæ,& reipſa ſentiunt hominem non iuſtum Fide, ſed uirtutibus cæteris. Quòd autem hæc Synecdoche pugnet cum ipſo Paulo,perſpicuè oſtendi poteſt. Ideò enim Paulus toties repetit particulam Gratis, ut oſtendat nos non conſequi reconciliationem propter noſtras uirtutes, ſed propter Mediatorem. Et ideò dicit, Fide, ut iubeat intueri illum Mediatorem,ac ſtatuere,quòd propter ipſum, non propter noſtras uirtutes ſimus filij Dei.Hæc manifeſtè pugnant cum Synecdoche aduerſariorum.

Excluſiua refutat Synecdochen.

Deinde Synecdoche illorum concedit perpetuam dubitationem. Places,ſi ſatis habes meritorum. Pugnat autem & hæc dubitatio manifeſtè cum doctrina Pauli. Iuxta illud: Iuſtificati fide pacem habemus. Dubitatio autem affert deſperationem & odium Dei.

Hæc præfati ſumus cæteris teſtimonijs, quòd in eis expreſſè continea-tur particula excluſiua,refutans Synecdochen. Item mentio fidei pugnantis cum dubitatione. Nec nos interpretationem aliquam Paulo affingimus,ſed retinemus proprietatem ſermonis,ſeu τὸ ῥητὸν, non calumnioſè aut ſuperſtitioſè, ſed collata perpetua diſputatione,collatis omnibus Epiſtolis Pauli, collatis etiam dictis Propheticis. Denicq; ueræ Eccleſiæ iudicio collato, quæ intelligit doctrinam de remiſſione peccatorum,& de exercitijs fidei.

Fatentur aduerſarij,ſe à uerbis diſcedere,quia dicunt Fide, ſcilicet formata,hoc eſt, non fide,ſed cæteris uirtutibus, & iactant ſe tueri διάνοιαν. Sed cùm eorum interpretatio haud dubiè pugnet cum ipſo Paulo, neceſſariò taxanda & repudianda eſt.Cùm ab omni uita,tùm maximè à doctrina de Deo, remouenda eſt omnis Sophiſtica. Ideò bona fide retineamus ea, quæ tradidit Deus per Prophetas & Apoſtolos,eaq; dextrè & propriè explicemus.

Quid autem planius ac ſimplicius dici poteſt hac uoce? Etiamſi exiſtere in nobis pœnitentiam oportet tamen ſtatuendum eſſe, quòd non propter noſtras uirtutes,ſed propter filium Dei Mediatorem recipiamur, & placeamus Deo.

mus Deo. Quid hæc uox habet absurdi? Postulat ut adsint uirtutes, & tamen causam reconciliationis transfert in Christum, tribuit Christo debitum honorem, & monstrat pijs firmam consolationem. Econtra aduersariorum interpretatio multos continet manifestos errores.

Duo absurda complectitur: iubet homines perpetuò dubitare de remissione, & interim ait mereri homines remissionem propria dignitate: Ita detrahitur Christo debitus honos, & conscientiæ relinquuntur in dubitatione, quæ planè est Ethnica. Non enim interest inter Paulum & Atticum, si uterque pariter dubitat se à Deo respici & exaudiri, & quidem toties dicunt aduersarij dubitationem illam non esse peccatum. Præterea renatos dicunt iustos esse propria dignitate, nec peccatum esse caliginem illam interiorem, dubitationes de Prouidentia, & de reconciliatione, & contumaciam cordis, quòd leuiter timet, non ardenter amat Deum, ut debebat, & habet alios multos errantes motus, ac uicioſos affectus. Hæc extenuant, & quidem dicere audent, hæc mala non pugnare cum Lege Dei.

Errores & absurda in Synecdoche aduersariorum.

Cùm igitur Synecdoche illa manifestos errores contineat, omissa aduersariorum interpretatione, redeamus ad Paulum: Ac τὸ ῥητὸν dextrè teneamus, discamus ab ipso Paulo doctrinam de remissione peccatorum & fide, non inuehamus humanas opiniones de nostro. Deprehendemus autem in ipsis Pauli argumentis refutationem illius Synecdoches.

Rom: 4. recitat Paulus argumentum, quod in hac causa præcipuum est, & ex ipsis fontibus sumitur. Si promissio reconciliationis penderet ex conditione Legis, tanquam ex causa, fieret incerta, sed oportet hanc promissionem conscientijs nostris certam esse: Igitur necesse est gratis promitti remissionem peccatorum & reconciliationem, ac fide accipi, non propter dignitatem nostram.

Præcipuum argumentum Pauli de iustificatione à certitudine promissionis.

Maiorem probat Paulus, Quia Lex iram efficit, id est, cùm nemo Legi satisfaciat, Lex accusat omnes, quare necesse esset conscientias semper dubitare, ac in desperationem ruere, si sentiendum esset, ita demum nos recipi, postquàm Legi satisfecerimus. Quanquàm autem securæ & ociosæ mentes non mouentur hoc argumento, tamen in ueris terroribus agnoscimus nos reos esse: Necesse est igitur tenere hanc sententiam de gratuita reconciliatione, sicut Paulus inquit: Ideò ex fide gratis, ut sit firma promissio. Vrget particulam gratis, ut illam ipsam Synecdochen refutet: Habes remissionem gratis, non propter impletionem Legis, ut dicit Synecdoche: Imò dilectio Dei exoriri non potest, nisi prius fide statuas iram Dei placatam esse, ut Roman: 5. dicitur, Fide per Christum habemus accessum ad Deum. Res ostendit, in hoc argumento Synecdochen illam refutari.

Obseruabis autem & hoc, quòd idem locus docet Fide significari non tantùm historiæ noticiam, qualis est in Diabolis, sed assensum, quo promissioni credimus, seu fiduciam misericordiæ, quæ in promissione offertur. Iubet enim fide accipi promissionem, iubet ut statuas Deum uerè uelle tibi ignoscere, te recipere, ac postulare ut hoc credas, & hac fide ipsum inuoces. Talis fides non est tantùm historiæ noticia, aut præceptorum, quæ potius ingentes terrores incutit animis, ut rectè dicit Iacobus de ea noticia: Dæmones credunt & contremiscunt, norunt Filium Dei, sed non amplectuntur promissionem, Ideò horribili metu iudicij impendentis cruciantur.

Fides non tantùm noticia historiæ, sed fiducia.

Ephes: 2. Gratis saluati estis per fidem,idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus,ne quis glorietur.Disertè excludit nostram dignitatem, & affirmat Fide reconciliatos esse. Non igitur concedendum est ut sententia deprauetur per illam Synecdochen, sed sentire Apostolum id,quod dicit, Statuamus fide propter Christum nos in gratiam receptos esse.

Galat: 2. Scientes quòd non iustificetur homo ex operibus Legis,nisi per fidem Iesu Christi,& nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificemur ex fide Christi,& non ex operibus Legis.

Refutatio elusionum quibus aduersarij deprauant dicta Pauli de fide iustificante.

Porrò alij aliis cauillationibus eludunt hæc dicta. Quidam aiunt, tantùm excludi ceremonias Mosaicas, alij fatentur detrahi iustificationem operibus non renatorum. Sed hæ cauillationes à sanis, pijs & amantibus ueritatem facilè refutari possunt. Fateri enim sanos necesse est,nec ceremonias, nec moralia opera præcedentia, uel sequentia regenerationem, mereri remissionem peccatorum.

Postremò cùm congeruntur dicta de Fide plurima, Iustificati fide pacem habemus. Item,Corde creditur ad iusticiam &c. Hæc & similia aduersarij omnia contendunt impropriè & incircumspectè dici,& affingunt ex humano iudicio interpretationem. Nos uerò collatis omnibus membris Paulinæ disputationis,& testimonijs Prophetarum, iudicamus Paulum sensisse quod dicit: Fide homines iustos reputari,hoc est, propter Christum Mediatorem accipere remissionem peccatorum & reconciliationem, fiducia misericordiæ propter ipsum promissæ,non propter nostram dignitatem. Deinde ut hæc sint planiora, docemus etiam, cùm hoc modo corda sustentantur uoce Euangelij, & fide eriguntur, concipere ea Spiritum sanctum, sicut Paulus inquit: Galat: 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem,Non igitur de aliqua ociosa notitia loquimur, & errant imperiti, qui existimant remissionem peccatorum contingere ociosis, sine aliquo animi motu,sine certamine, sine fiducia consolante animum.

Cùm autem Spiritus sanctus in illa consolatione nouos motus & nouam uitam afferat, dicitur hæc conuersio regeneratio, Ioan: 3. & sequi nouam obedientiam necesse est,ut postea dicam.

Quæstiones de prædestinatione remouendæ à doctrina de remissione peccatorum.

Et cùm conscientia quærit remissionem peccatorum, seponantur quæstiones de Prædestinatione. Nam ut prædicatio pœnitentiæ ad omnes pertinet,ita promissio gratiæ est uniuersalis,& omnibus affert reconciliationem. Ac prodest hoc loco habere in conspectu aliquas uniuersales sententias, ut nos uerè in illas includamus,sciamus uerè nobis quoq; Deum uelle ignoscere, nos exaudire & recipere,Matth: 11. Venite ad me omnes qui laboratis.Ioan: 3. Vt omnis qui credit in eum,non pereat: Act: 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent,remissionem accipere per nomen eius,Omnes qui credunt in eum. Acto: 13. In hoc omnis qui credit iustificatur. Roman: 3. Iusticia autem Dei per fidem Iesu Christi in Omnes & super Omnes. Hic repetita est particula uniuersalis, ut sciamus eam scribenti non excidisse casu. Roman: 10. Omnis qui credit in eum, non confundetur. Non est enim discrimen Iudæi & Græci, nam idem Dominus Omnium, diues in Omnes qui inuocant eum. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini,saluus erit. Conclusit Deus omnes sub inobedientia, ut Omnium misereatur. Sic

intelli-

intelligatur & dictum, Deus uult Omnes homines saluos fieri, Nec uerò de uoluntate Dei secus iudicandum est, quàm docet Euangelium, quod ideò ex sinu Patris prolatum est, ut certò nobis uoluntas Dei patefieret. Deinde diligentissimè considéremus, hoc uniuersale mandatum DEI esse, ut omnes audiant Filium iuxta illud: HVNC AVDITE, & credant promissionibus DEI. Hæc si quis expendet, intelliget salutarem doctrinam & consolationem pijs proponi.

Conuersio ordienda à uerbo Dei.

De libero arbitrio aliàs dictum est. Cùm in conuersione exordiendum sit à uerbo Dei, certè id audiendum est, & cum uerbo Dei efficax est Spiritus sanctus, erigens & adiuuans corda, cùm Fide nos sustentamus. Nec ociosi indulgeamus diffidentiæ, aut alijs uicijs contra conscientiam, nec conturbemus Spiritum sanctum, sed assentiamur uerbo Dei, et obsequamur Spiritui sancto. In hac lucta sentiemus, uoluntatem repugnantem diffidentiæ & alijs uicijs, non esse ociosam. Hoc ipsum monet Paulus, inquiens 2. Corinth. 6. Adhortamur ne frustra gratiam Dei accipiatis. Vult audiri Euangelium, uult nos assentiri & obsequi, non indulgere contra conscientiam impietati: Præterea Lucæ 11. dicitur: Dabit Spiritum sanctum petentibus. Non inquit aspernantibus, conturbantibus & repugnantibus. Vult igitur luctari nos cum infirmitate nostra. Vult nos agnoscere peccata, & quærere liberationem, non retinere ea contra conscientiam, non igitur est ociosa uoluntas.

Exposui doctrinam Euangelij de remissione peccatorum, & de reconciliatione seu iustificatione uerè, & quanta potui proprietate. Nec dubito hanc ipsam esse sententiam eruditiorum Patrum, etiamsi qui interdum incommodè loquuntur. Nihil intricati, nihil perplexi, nullæ insidiæ, nulla sophistica est in hac sententia, quam recensui, aut in explicatione nostra. Quid enim simplicius dici potest, quàm consequi hominem remissionem, & reconciliationem propter Christum Mediatorem, fide, id est, fiducia promissæ misericordiæ propter ipsum, & non propter uirtutes humanas. Hæc sententia facilè intelligi & iudicari potest ab omnibus pijs mentibus in ueris exercitijs pœnitentiæ, & in quotidiana inuocatione, quæ profectò fieri non potest, nisi fides intueatur Mediatorem propter quem exaudiamur. Ideóq; ad Ecclesiæ iudicium prouoco, hoc est, ad pios eruditos & intelligentes exercitia pœnitentiæ & inuocationis.

DE BONIS OPERIBVS.

POstquàm exposita est doctrina de reconciliatione & de fide, necesse est addi doctrinam de bonis operibus, seu de noua obedientia. Planè igitur & clarè dico, Obedientia nostra, hoc est, iusticia bonæ conscientiæ, seu operum, quæ Deus nobis præcepit, necessariò sequi reconciliationem debet. Christus enim clarè præcipit de Pœnitentia, & Paulus inquit: Debitores sumus, ne secundum carnem uiuamus. 1. Corinth: 6. Ne errate, fornicatores, adulteri, idolatræ, fures &c. non possidebunt regnum Dei. 1. Ioan: 3. Nemo seducat uos, qui facit iusticiam, iustus est, Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Ad hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera Diaboli. Regeneramur igitur in reconciliatione, ut noua obedientia in nobis incoëtur. Sicut & ad Ephesios scriptum est: Ipsius opus sumus, conditi per Christum Iesum ad opera

Noua obedientia debet necessariò sequi reconciliationem.

bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Continet enim hæc sententia & doctrinam necessariam,& consolationem. Primùm enim de necessitate concionatur,cùm ait: Nos iterum conditos esse ad bona opera. Deinde consolatio est,quòd inquit: Deum præparare in Ecclesia bona opera,ut in Samuele, Dauide, Esaia, Ieremia & similibus, admirabilia opera præparauit, per quæ & uocat, & regit, & conseruat Ecclesiam, & ut alibi dicitur. Confirma hoc Deus,quod operatus es in nobis. Ita hic Paulus ait, Præparari à Deo bona opera,id est,non solùm mandari,ordinari & incoari,sed etiam adiuuari, & stabiliri: Etsi luctatur Ecclesia cum magnis difficultatibus, ut ostendunt Ieremiæ, Pauli & similium afflictiones, tamen res magnas gerit, & salutares alijs, etiamsi mundus magna ex parte eas non intelligit. Sed nos intelligere uocationem nostram debemus,ut opera præparata à Deo faciamus. Sunt autem de bonis operibus hæ Quinq; præcipuæ quæstiones.

Quæstiones quinq; de bonis operibus.

1. *Quæ opera sint facienda.*
2. *Quomodo fieri possint.*
3. *Quomodo placeant.*
4. *Cur facienda sint.*
5. *Quod sit discrimen peccatorum, cùm necesse sit fateri, quòd in hac vita maneant peccata in sanctis.*

DE PRIMA QVÆSTIONE.

Quæ opera sunt facienda?

Opera in Decalogo præcepta facienda sunt.

EA, quæ nobis præcepta sunt in uerbo Dei,& summa comprehensa est in Decalogo. De quo sciendum est,non tantùm externa opera Decalogi facienda esse,quę etiam ab impijs utcunq; simulari possunt, sed incoandam esse interiorem obedientiam. Sunt autem opera interiora,quæ ad Primum præceptum pertinent, Credere uerbo Dei, Timere Deum, Confidere Deo. Timor conspicitur in contritione: Fides magis conspicitur, cùm erigit perterrefactos. Sed hæ uirtutes in tota uita durare & exerceri debent.Et Fides quæ statuit iam nos à Deo receptos esse, quia agnoscit bonitatem Dei erga nos, parit dilectionem Dei,qua subijcimus nos uoluntati Dei. Deinde sequuntur cætera bona opera,iuxta omnia præcepta.

Aduersarij doctrinam bonorum operum obruunt externa hypocrisi, & humanis ceremonijs.

Aduersarij uideri uolunt doctrinam operum præclarè tradere,cùm plerunq; tantùm de externa hypocrisi dicant,aut de humanis ceremonijs.Opera uerò Primæ tabulæ,& fontem bonorum operum ignorant & obruunt. Nihil dicunt de fide,quæ est fiducia misericordiæ & gratuitæ reconciliationis, necessaria in omni inuocatione.Sublata autem hac fide, uincit dubitatio,quæ aut contemnit Deum, aut fugit iratum, & non uerè inuocat. Porrò hanc dubitationem hypocritæ & approbant & confirmant, negant fidem intelligendam esse fiduciam misericordiæ Dei,sed tantùm significare noticiam quæ is est in Diabolis. Profectò dolendum est, ita deprauari doctrinam Prophetarum & Apostolorum,ac potius acerbissimi cruciatus perferendi sunt, quàm concedendum in his dictis, Fidem non significare fiduciam misericordiæ. Credidit Abraham Deo, &c. Item, Iustificati fide pacem habemus. Item, Per Christum habemus accessum fide. Item, Nunc autem uiuo in fide Filij

Filij Dei. Non sinamus eludi & deprauari hæc dicta, sed certò sciamus ea concionari nobis de fiducia misericordiæ, & in omni inuocatione discamus ad Deum accedendum esse fiducia filij ipsius, nec recipi nos propter nostram dignitatem.

Fides Præcipuum bonum opus.

Est igitur præcipuum opus bonum hæc ipsa Fides seu fiducia misericordiæ, exercenda in omnibus uitæ periculis, & in omni inuocatione. Dauid dimicaturus, credit se Deo placere propter promissionem, & quia scit se uocatum esse ad hanc obedientiam in sua functione, obtemperat, petit & expectat à Deo gubernationem periculorum, Hic interior cultus discernit ueram Ecclesiam Dei à reliqua multitudine. Viuit honestè Cicero, benè meretur de toto genere humano in gubernatione reipublicæ, imò intelligit etiam Deum esse unam quandam æternam mentem causam boni, ut definiuit Plato. Et simulacra illa, quæ uulgus colebat, nihil habere numinis: Sed tamen postea de prouidentia obruitur mens Ciceronis dubitatione, quia ignorat promissiones Dei, dubitat se & alios exaudiri, & iuuari ab eo, præsertim in calamitatibus, in quibus etiam irascitur Deo deserenti. Talis est & Saul.

Quid interſit inter Ciceronem & Ieremiam.

Interest igitur inter Ciceronem & Ieremiam. Ieremias seruit suæ reipublicæ, sed huic operi prælucet fides: Statuit Ieremias se Deo placere & exaudiri, ac seruari à Deo, etiamsi uidet se ingenti mole calamitatum obrui, deleri patriam, ciues dissipari, multos manifesto beneficio diuino seruatos, deficere à Deo, grassari inter se mutuis cædibus, postremò & sese mactari. Talia spectacula Ciceroni obiecta, prorsus merserunt eum in tenebras & infinitam dubitationem: Nec potest humana mens sine fide aliud cogitare, quàm quod apud Lucanum dicitur:

An'ne nihil positum est, sed fors incerta vagatur,
Fertq; refertq; vices, & habent mortalia casum?

Sed tales dubitationes uicit Ieremias, & ingenti constantia sensit se Deo placere, & hac fide petijt & expectauit bonos euentus suæ gubernationis, qui post annos septuaginta secuti sunt.

De interiore cultu uerba Christi.

De hoc interiore cultu præcipit Christus, inquiens, Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate, id est, spiritualibus & ueris motibus, timore, pœnitentia, fide & inuocatione, & similibus. Et hunc cultum uocat Paulus rationalem, λογικὸν, uidelicet, in quo mens intelligit Deum, agnoscit iram Dei, & rursus Fide se sustentat, & quidem Fides intuetur Filium Dei, & agnoscit nos propter Christum Mediatorem recipi à Deo. De hoc cultu interiore & Iesaias concionatur, taxans hypocritas, qui putabant cultum esse externam disciplinam & ceremonias templi. Sic igitur inquit: Hæc dicit Dominus, Ad quem respiciam? Ad afflictum & contritum spiritu, & tremententem sermones meos. Ita & Psalm: 49. taxat superstitionem externorum cultuum, & flagitat interiores cultus & ueram inuocationem, Inuoca me in die tribulationis &c.

Hæc satis sit breuiter monuisse de Prima Quæstione, & de interiore cultu. Iam cùm tanta sit infirmitas humanæ mentis, tanta dubitatio, cùm hæc infirma natura hominum onerata sit ingenti mole calamitatum, quæri mox solet, quomodo possimus præstare ueros cultus.

DE SECVNDA QVÆSTIONE.

Quomodo possunt fieri bona opera ?

NON indulgendum est ignauiæ humanæ, sed sæpē dixi externos mores humana diligentia & humanis uiribus utcunque, regi posse, & Deum postulare hanc diligentiam, ut scriptum est: Lex est iniustis posita. Item, Ne contristetis Spiritum sanctum. Sed interior obedientia non potest incoari sine agnitione Euangelij, & sine Spiritu sancto. Primùm enim dilectio Dei existere non potest, nisi prius audita uoce Euangelij de remissione. Mens ignara reconciliationis, aut contemnit Deum, aut fugit iratum: Ideō non potest incoari dilectio, nisi prius audita uoce Euangelij de reconciliatione. Hæc manifestissima sunt. Vt igitur dilectio oriatur, necesse est præcedere fidem, hoc est, fiduciam misericordiæ, de qua diximus. Iam & hoc sciendum est, cùm fide eriguntur perterrefactæ mentes simul datur Spiritus sanctus, qui excitat nouos motus in corde, congruentes Legi Dei. Et sic dari Spiritum sanctum, clarē docet Paulus Galat: 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per Fidem, & hanc ipsam condonationem & præcipuos effectus Spiritus sancti, dulcissimis uerbis describit Zacharias cap. 12. Effundam super domum Dauid Spiritum Gratiæ & precum. Vocat Spiritum Gratiæ, eō quōd testificatur in cordibus nostris, quōd Deus sit nobis propicius, cùm uidelicet mouet corda, ut promissioni assentiamur, & statuamus nos à Deo recipi. Deinde cùm agnouimus misericordiam Dei, inuocamus, diligimus, & subijcimus nos ei. Nominat igitur postea Spiritum precum. Complexus est igitur præcipuos cultus, qui sunt fontes uniuersæ obedientiæ, fidem & inuocationem.

Interior obedientia non incoatur sine agnitione Euangelij & sine Spiritu sancto.

Spiritus gratiæ et precum.

Sumamus autem ex hoc dicto & doctrinam & adhortationem, Meminerimus in hoc ipso dicto nobis præcipi, ut hos cultus præstemus, ut credamus DEO, & inuocemus eum. Excutitur ergo & contristatur SPIRITVS SANCTVS, extincta fide, & conturbata inuocatione per lapsus malæ conscientiæ.

Post lapsum humani generis secuta est ingens infirmitas, & accedunt insidiæ Diaboli, qui odio Dei grassatur in genus humanum, studet augere aduersus Deum contumaciam, contumelias, blasphemias, impellit ad uaria peccata imbecillem hominum naturam, incitat praua ingenia ad fingendas opiniones contra uerbum Dei, dissipat Ecclesiam & regna, & miscet orbem terrarum iniustis bellis, pellit Ecclesiam ex hospitijs suis, ut eam dissipet ac deleat. Ita primùm incendit Cain liuore & odio fratris, eaq; cædes non solùm ipsum Habel, sed etiam parentes luctu interfecisset, nisi diuinitus sustentati fuissent. Hæc exempla tristissimorum casuum in toto genere humano quotidiana sunt. Quàm miserabiles exitus fuerunt summorum uirorum, Saulonathæ, Hectoris, Priami, Achillis, Aiacis, Pompeij, Cæsaris, & innumerabilium aliorum. Denicq; notæ sunt querelæ de inconstantia fortunæ, de subitis ruinis florentis fortunæ: Nescis quid serus uesper uehat. Et subito casu, quæ ualuere ruunt.

Infirmitas naturæ & Diaboli insidiæ causæ lapsuum humanorum.

Quanquàm igitur uniuersum genus humanum in perpetuis periculis uersatur, tamen Ecclesia multō durius concutitur: Quia Diabolus uehementius

tius eam oppugnat,ſicut ſtatim in Geneſi dictum eſt, Serpens mordebit calcaneum eius. Sicut uenenato morſu non exiguum uulnus inflixit Dauidi, ita ſingulis inſidiatur tanquãm Leo rugiens,uagabundus, & quærens quem deuoret. Quanta ſæuitia graſſatus eſt in Eccleſiam,poſtquãm Mahometicus furor creuit annos iam nongentos? quæ ruinæ Eccleſiarum ſecutæ ſunt? quæ iam eſt regnorum ſpecies in tantis regum diſſenſionibus? quid aliud cogitari poteſt,quàm breui Turcas reliqua Europa potituros eſſe.

Cũm igitur res oſtendat, graſſari Diabolum & inſidiari nobis, & manifeſta ſit infirmitas humanæ naturæ, opponamus auxilium nobis oſtenſum in Euangelio, Quodnam? *Auxilia contra Diabolum & infirmitatem humanam à Filio Dei & Spiritu ſancto.*

1. Pollicetur Filius Dei ſeipſum nobis affuturum eſſe,& depulſurum Diaboli ſæuitiam. Ideõ inquit Ioannes: Ad hoc apparuit filius Dei, ut deſtruat opera Diaboli,peccatum,mortem,blaſphemias, diſſipationes, quas molitur Diabolus. Sic ſeruati ſunt Adam & Eua in luctu,intuentes in promiſſionem fide ſe ſuſtentarunt,& petiuerunt à Deo aliam ſobolem, per quam propagaretur uera doctrina &c. Et protexit eos Filius Dei aduerſus Diabolum, & Spiritu ſancto erexit mœſtas mentes. Sic Iacob inquit de Filio Dei,Angelus qui me eripuit ex cunctis malis,benedicat pueris iſtis. Nam hæc propria ſunt Filij Dei officia, benedicere & liberare à cunctis malis, ab ira Dei, ã morte æterna, & pœnis aljs, iram Dei comitantibus: Et apud Ieſaiam uocatur Chriſtus Emanuel,id eſt, nobiſcum Deus, quõd nobis adſit opitulator. Excubat igitur pro nobis,& depellit Diabolum.

Præterea effundit Spiritum ſanctum in corda inuocantium. Ideõ dicitur Ioan: 14. Non relinquam uos orphanos,ſi quid petetis in nomine meo, faciam,& ego rogabo Patrem,& alium Paracletum dabit uobis,Spiritum ueritatis,&c. Hæc auxilia reuera experiemur, ſi aduerſabimur prauis affectibus & inſidijs Diaboli,& in his certaminibus inuocabimus Deum,fiducia filij Mediatoris, ſicut ipſe nominatim inquit: Si quid petetis in nomine meo. Oportet enim diſcrimen eſſe inter inuocationem ueram, ſeu populi Dei, & inuocationem Iudaicam,ſeu Turcicam. Duo in omni inuocatione fides initiõ ſtatuat,quòd hunc æternum Deum eſſe credas & inuoces, qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,pro nobis crucifixi & reſuſcitati. Deinde, quòd propter hunc Mediatorem uerẽ audiantur & recipiantur tuæ preces. Hæc diligenter obſeruent pij. Nam hæc inuocatio præcipuẽ facit diſcrimen inter Eccleſiam,& Gentes pugnantes cum Euangelio. *Filius Dei effundit in corda Spiritum ſanctum per uerbum.*

Hæc doctrina de Secunda quæſtione ſemper ſit in conſpectu, ſciamus uerẽ nobis eſſe adiutorem & defenſorem filium Dei, ſicut & Paulus inquit, affuiſſe eum populo in deſerto. Et ſciamus uerè dari Spiritum ſanctum inuocantibus,ſicut ſcriptum eſt. Aſcendit,dedit dona hominibus. Sic regnat, ut dona ſua,iuſticiam,uitam,conſilium, gubernationem, ſucceſſus & alia bona impertiat: Et ut ſic de auxilio Dei ſentiamus, confirmemus nos teſtimonijs Euangelij,& diſcutiamus tenebras humanæ mentis, quæ fingit Deum ociоſum eſſe,non curare ſingulos,ut Homerus fingit Iouem quæſitum in cœlo abijſſe ad conuiuium in Aethiopiam. Hæc deliramenta ſignificant, quales ſint humanæ cogitationes de Deo,quas ideò recenſui ut extirpentur, & accendatur uera agnitio Dei, uerẽ agnoſcamus iram Dei, & miſericordiam.

DE TERTIA QVÆSTIONE.

Quomodo placent Deo bona opera?

COnstat pias mentes angi & optare, ut placeat obedientia Deo. Sed in tanta infirmitate nostra uident esse mutilam, impeditam, imperfectam, contaminatam. Sicut Paulus inquit: Non quod uolo bonum, hoc facio. Quæruntur igitur quomodo placeant Deo.

Hypocritarũ imaginatio de operibus legis et arrogantia.

Aliter autem iudicant Hypocritæ, aliter anxiæ & pauidæ mentes. Hypocritæ putant se Legi satisfacere, se iustos, id est, acceptos Deo esse propter propriam dignitatem, seu Legis impletionem, ut Pharisæus Lucæ 18. Ac semper aliqui tales sunt, qui admirantur suas uirtutes, sibi sapientiam & iustitiam prolixè tribuunt, præsertim in rebus secundis & florentibus, quas consilio suo regere se existimant, & arbitrantur se uirtutum, & diligentiæ suæ fructum capere diuinitus, cùm sunt res tranquillæ. Ideò & propter sapientiam ac iusticiam se cæteris anteferunt, ut Nabuchodonosor magnis rebus gestis, inquit: Hæc est illa Babylon, hoc est regnum mea uirtute constitutum. Sic & Saul cogitabat, sua uirtute regnum Israël constitutum esse, cùm agnoscere deberet, & hanc uirtutem & successus, Dei beneficia fuisse, & se non potuisse res tantas gubernare aut gerere, ac Deo in timore seruiendum esse, ne ab eo desereretur. Sed factus confidentior propter successus, sumit sibi licentiam grassandi in cæteros, interficit sacerdotes, &c. Hæc imago hypocritarum proponitur, nec pauci sunt tales securi, placentes sibi propter suas dotes, applaudentes propriæ sapientiæ, extenuantes doctrinam diuinam, & ex sublimi deridentes Euangelium, arte, fraude, ui, prementes eam partem, cui sunt infesti, prætexentes etiam honestos titulos, quia iactitant dimicare se de gloria Dei, de ueritate, se esse constantes Ecclesiæ ciues, se esse membra populi Dei, quia propugnent ordinariam potestatem, longi temporis consensum. Tales erant Pontifices, qui aduersabantur Apostolis, tales uidimus & ipsi multos his annis Vuicelium & similes. Sed alij sunt pauidi, qui agnoscunt imbecillitatem, & luctantur cum desperatione, ut Petrus consternatus inquit, Lucæ 5. Egredere à me Domine. Vtrunq; igitur hoc loco agendum est, arrogantia taxanda, & pauidis uera consolatio monstranda est.

In sanctis manent peccata, & quæ.

Primùm uerò hoc constituendum est, etsi in renatis necesse est esse incoatam obedientiam, & iusticiam bonæ conscientiæ, tamen adhuc manent in eis peccata, scilicet morbi nobiscum nascentes, dubitationes & ignorantiæ multæ. Item, quòd non tantùm timent Deum, quantùm debent, nec ita ardent dilectione Dei, ut Lex præcipit. Multa sunt item actualia, multæ flammæ illiciti amoris, odij, cupiditatis uindictæ, inuidentiæ, æmulationum, auariciæ, Multi lapsus in uocatione, insignes negligentiæ, acres indignationes aduersus Deum in afflictionibus, sæpè humana præsidia honesta specie quæruntur, sed tamen ex diffidentia Dei. Sæpè suscipiuntur res non necessariæ extra uocationem, fiducia propriæ sapientiæ aut potentiæ, ut Iosias bellum non necessarium aduersus Aegyptios mouit.

Deniq; moles peccati hærens etiam in renatis longè maior est, quàm ut comprehendi cogitatione ullius hominis possit: Nec putemus leue dictum esse, Delicta quis intelligit? Longum autem esset enumerare species peccatorum, quæ manent in Sanctis: Sed Paulus in summa complexus est, Ro-

man: 7.

man: 7. cũm de interiore contumacia aduersus omnia præcepta loquitur. Sed superbi hypocritæ hæc arcana peccata non intelligunt, imõ Monachi docent dubitationes illas de Prouidentia, de ira Dei, de misericordia, & affectus uitiosos, nisi accedat consensus, non esse peccata, nec tantũm de uoce disputant, sed de re, negant hæc uicia esse res pugnantes cum Lege Dei. Hæc extenuatio falsa est, & contumeliosa contra Legem Dei, & tenebras inducit doctrinæ de Gratia, & de Iustitia fidei, & confirmat persuasionem falsam, quõd renati satisfaciant Legi Dei.

Hypocritæ interna mala non intellecta extenuant.

Vt igitur arrogantia taxetur, colligam testimonia, quæ ostendunt renatos in hac uita non satisfacere Legi Dei, & manere in hac natura mortali peccatum, Psal. 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. 1. Ioan: 1. Si dicimus, quòd peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, & ueritas non est in nobis. Psal: 18. Delicta quis intelliget? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Ro: 7. Video aliam Legem in membris meis, quæ repugnat Legi mentis meæ, & captiuum me facit Legi peccati, quæ est in membris meis. Etsi autem Sophistæ eludunt hunc locum, & dicunt Metalepsin esse in uocabulo peccati, ac significari pœnam peccati, pronitatem ortam ex lapsu primorum parentum, tamen Paulus ipse refutat hanc elusionem, cũm definit hoc ipsum peccatum, & dicit esse malum in membris nostris pugnans cum Lege Dei.

Testimonia quòd in renatis reliquum sit peccatum contra arrogantiam hypocritarum.

Porrõ de hoc ipso articulo differimus, an uicium reliquum in natura sit res pugnans cum Lege Dei. Humana iudicia extenuant hanc deprauationem, sed Paulus illustribus uerbis usus est, ad significandam atrocitatem rei. Militat, inquit, in membris illa deprauatio, & grassatur hostili more aduersus Legem mentis, confirmat uel securitatem carnalem, uel iniustam diffidentiam, inflat animum admiratione suarum uirtutum & arrogantia, incendit libidines, odia, cupiditatem uindictæ, incitat ad quærenda inconcessa præsidia, denicp captiuum rapit, quia diffidentes animos concutit terroribus, & solicitat ad desperationem, ad fugiendum Deum. Hæc non sunt leuia mala, ut humana Philosophia existimat, sed durissimẽ excruciant Sanctos. Vt Moses ad petram languefactus & consternatus est subita trepidatione, & dubitatione. Lapsus est & Dauid, cùm numerari populum iuberet, uel humana superbia elatus, ut ostenderet regnum creuisse, uel humano consilio sine mandato Dei nouam in regno ordinationem facturus.

Vicium reliquum in natura est res pugnans cũ Lege Dei.

Matth: 6. Docet Sanctos orare, Remitte nobis debita nostra, Adsunt igitur peccata in hac tota uita, quorum petenda est condonatio. Idem docet cùm ait: Cùm feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus. 1. Corin: 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Docet opus esse iustitia bonæ conscientiæ, sed tamen inquit, Hæc nondum est res propter quam certum sit me habere remissionem peccatorum, & me Deo reconciliatum esse, sed recipit me Deus propter Filium Mediatorem fide. Psalm: 130. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Hac uoce agnoscit peccatum adesse, & non extenuat, sed agnoscit tantam esse magnitudinem iræ Dei, ut sustineri non posset, nisi Deus eam mitigaret sua immensa misericordia propter Filium. Nam humana natura non potest sustinere iram Dei, & iustas pœnas, sicut Ezechias fatetur, Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et Iob 9. Deus cuius iræ nemo resistere potest.

Quan-

Pij in sensu iræ Dei sustentant se fiducia misericordiæ promissæ.

Quanquàm igitur adsunt peccata, & pij aliquo modo agnoscunt iram, tamen credunt se placere Deo, propter promissam misericordiam, et hac consolatione se sustentant, sicut idem Psalmus dicit, Sustinuit anima mea in uerbo eius, Sperauit anima mea in Domino, Quoniam apud Dominum misericordia est. Psal: 32. Dixi confitebor aduersus me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei: Pro hac orabit ad te omnis Sanctus. Clarè dicit, Sanctos petere remissionem peccatorum. Exodi 34. Coram te innocens non est innocens, id est, etiamsi quis humano iudicio argui non potest, tamen tu potes eum accusare. Daniel: 9. Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio, id est, agnoscimus te iustum esse, ac nos iustè puniri. Tua est autem Domine Deus noster misericordia. Precamur ergo non propter iusticiam nostram, sed propter miserationes tuas multas, exaudi nos propter Dominum, id est, promissum Mediatorem. Hic locus illustre testimonium est consensus Prophetici & Apostolici. Prorsus idem docet Daniel quod Paulus tàm copiosè disputat, Statuendum esse, quòd natura hominum sit uiciosa, & non satisfaciat Legi, sed quòd uerè recipiamur à Deo per misericordiam, propter promissum Dominum. Nam & Daniel nominatim addit, propter Dominum. Talia testimonia conferamus ad Paulum, ut uideamus unam & perpetuam esse sententiam Catholicæ Ecclesiæ Dei, Patrum, Prophetarum, Christi, Apostolorum, & hunc consensum amplectamur, nec ab eo discedamus, etiamsi qua turba recentium Monachorum diuersum tradidit, quæ malè diluitam Philosophiam miscuit doctrinæ Euangelij.

1. Corinth: 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur, id est, non possumus gloriari, quòd simus sine peccato, sed gloriemur in Domino, uidelicet promittente misericordiam. Sicut & aliàs dicitur: Concluśit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Item, Rom: 3. Diximus omnes sub peccato esse, Et additur aliquantò pòst assueratio, Vt omne os obturetur, & reus fiat totus mundus Deo. Toties repetit uniuersalem, ut nihil dubium sit accusare eum omnes. Agnoscamus igitur imbecillitatem nostram, & fateamur etiam in renatis esse peccata, scilicet deprauationem naturæ & uicioso affectus plurimos, & expaueścamus agnitione iræ Dei aduersus hæc mala, & doleamus in nobis adhuc esse tantùm uiciorum contra uoluntatem Dei, ac creścat in nobis uera pœnitentia, & agnitio imbecillitatis excutiat arrogantiam, subijciat nos Deo, hortetur ad timorem Dei, ad implorandam misericordiam, & petendum auxilium.

Postquàm uerò taxata est arrogantia, rursus etiam piæ mentes docendæ sunt de fide, ne ruant in desperationem. Hæ docendæ sunt, quomodo placeat incoata obedientia: In hoc loco semper hæc tria coniungamus.

Tria complectenda, cùm quæritur, quomodo placeat incoata obedientia.

Primùm statuat renatus, se reconciliatum esse Deo fide propter filium Dei, seu ut sæpè dicitur, recipi personam propter filium Dei fide gratis.

Secundò agnoscat, in hac uita manere infirmitatem & peccata in renatis, ac uerè doleat se adhuc habere caliginem, prauitatem, ἀταξίαν, uicioso affectus contra Legem Dei. Tertiò, & tamen statuat oportere incoari obedientiam & iusticiam bonæ conscientiæ, & hanc quanquàm procul abest à perfectione Legis, tamen in reconciliatis placere Deo propter filium Mediatorem, qui nostram inuocationem & nostros cultus perfert ad Patrem, & condonat infirmitatem. Ita propter Christum primùm reconciliatur persona, postea & opera

& opera recipiuntur,& fides in utroq; luceat. Ideō Petrus inquit: Offerte hostias spirituales,acceptas Deo per Iesum Christum.

Hæc tria quotidiè in nostris operibus cogitemus. Nec enim somniandum est,Deo non esse curę bona opera,Imō & curat,et postulat obedientiam, & horribilibus pœnis,æternis & præsentibus,punit contumaciā,quæ fit contra conscientiam.Necesse est igitur habere iusticiam bonæ conscientiæ,& scire quomodo Deo placeat,Nam labefactata seu dubitante conscientia non potest Deus inuocari. Hæc diligenter inculcanda sunt animis. Nam in his exercitijs lucet fides,& crescit agnitio uera Dei,& nouitas spiritualis.

Fides dupliciter exercetur in operibus.

Dupliciter autem fides exercetur in operibus, primùm statuens, quōd placeat obedientia,ut antè dixi: Deinde & auxilium petens, ut Dauid scit gubernationem esse rem impeditam & periculosam, sed credit Deo placere suos labores propter promissam misericordiam. Deinde etiam auxilium petit,& laborat in defensione populi,& regendis moribus ciuium quantùm potest: Nec dubium est pijs mentibus hanc admonitionem gratam esse, quæ cùm studeant Deo obedire,tamen agnoscunt naturæ caliginem, offensiones uarias,& has ita deplorant,ut penè ruant in desperationem. Quid hic dulcius dici potest hac uoce Pauli? Nulla nunc condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant,id est,etsi renati non sunt sine peccato,tamen Deus eos recipit, & iustos pronunciat propter Filium credentes. Deinde recipit & obedientiam eorum propter Filium.

Sic & ad Colosſ: dicit,In Christo consummati estis,id est, etiamsi renati nondum satisfaciunt Legi,tamen sunt iusti, & placent Deo propter Filium. Hic agnoscamus & celebremus amplitudinem misericordiæ Dei,quòd uidelicet in reconciliatis hanc exiguam,imperfectam,sordidam, & multis affectibus uicioſis contaminatam obedientiam tamen recipit, non quidem propter dignitatem uirtutum nostrarum,sed propter filium Dei. Rom: 6. Non estis sub Lege,sed sub Gratia. Ibi hoc ipsum quæritur,An placeat obedientia,cùm Legi non satisfaciat. Respondet Paulus Placere,quia non simus sub Lege, id est,non damnati Lege,sed sub Gratia,id est, reconciliati seu recepti in Gratiam. Rom. 8. Quis condemnabit? Christus pro nobis mortuus est, & resurrexit,qui est ad dextram Dei,& pro nobis interpellat, id est, placent Sancti propter interpellantem Christum.Rom: 3. Legem stabilimus per fidem.Breue dictum est,sed hoc ipsum docet,quod hic dicimus: Nec incoari obedientia potest,nec placet,nisi fides accedat,quæ statuit placere personam & incoatam obedientiam propter Mediatorem. Ita inquit, stabilimus Legem, non tollimus obedientiam,sed postulamus ac retinemus, ac ut retineatur, docemus quomodo præstari possit, & quomodo placeat.

Dictum Pauli Non estis sub lege, sed sub gratia.

Postquām dictū est, quomodo placeat hæc obedientia, quam experimur omnes procul abesse à perfectione Legis: Deinde addantur testimonia,quæ clarè dicunt,Placere Deo sanctorum opera siue incoatam obedientiam:Et his dictis studium benè operandi accendamus, ac simul nos de immensa misericordia Dei admoneamus,qui non solùm approbat,sed etiam ornat honore ac præmijs hanc sordidam obedientiam. Aspiciamus .n. nos ipsi, & cogitemus quàm rara sit excellens uirtus.Simulacra sunt quædam uirtutum qualiacunq; in hominibus tenuia & fugacia, quæ nequaquam satisfaciunt Legi Dei, requirenti longè maiorem lucem & ordinem in natura hominis, & tamen hæc simu-

Testimonia quòd sanctorū opera Deo placeant.

hæc ſimulacra recipiuntur,ut dictum eſt,propter Filium pro nobis aſſiduè interpellantem. Ideò Ro: 10. dicitur: Corde credimus ad iuſticiam,ore fit confeſſio ad ſalutem. Cùm poſtulat confeſſionem,uult totam uitam eſſe confeſſionem. Quia uniuerſa uita eò dirigenda eſt,ut celebret Deum, oſtendat quid profiteamur,& ornet Euangelium,ſicut dictum eſt: Luceat lux ueſtra. Vt, princeps oſtendat quid ſentiat,inuocet Deum in periculis, oſtendat ſe ideò præſtare obedientiam,ut Deo ſeruiat,aboleat impios cultus, ut extent ſigna confeſſionis.Sic ſua cuiuſq; uocatio habeat ſigna confeſſionis. Scholaſticus oſtendat ſuam ſententiam,inuocet Deum in omni curſu uitæ plenæ periculorum,refutet impias opiniones,& in regendis moribus oſtendat ſe ideò præſtare obedientiam,ut Deo ſeruiat,ut ornet Euangelium: Et quidem uita hominum ita conſociata eſt,ut in conuerſatione & communicatione officiorum luceat confeſſio. Sed cur dicit: Confeſsio fit ad ſalutem? Breuis eſt reſponſio. Etiamſi fide propter Chriſtum ſumus iuſti, id eſt, accepti ad uitam æternam,tamen ſequi neceſſe eſt hanc nouitatem, hanc uult adeſſe cùm ait: Fit confeſſio ad ſalutem. Ita inquit: 2. Cor: 5. Superindui deſiderantes, ſi tamen induti & non nudi reperiemur,id eſt,oportet in hac uita fieri conuerſionem, quæ ſimul eſt incoatio nouitatis. Hæc etiam in latrone conuerſio incoata eſt: Agit enim pœnitentiam,agnoſcit ſe iuſtè à Deo puniri. Deinde & fide agnoſcit Saluatorem,& petit ab eo ſalutem, Ideóq; audit claram abſolutionem, & concionem de uita æterna, & promiſſionem. Præterea ut extet ſignum confeſſionis, refutat maledicentem Chriſto.

Dictum Pauli, confeßio fit ad ſalutem.

Exemplum latronis pendentis in cruce.

Hoc memorabile exemplũ de multis magnis rebus nos admonet, ſignificat Deo Eccleſiã ita curæ eſſe, ut excitet aliquos doctrinæ teſtes, tunc quoq; cũm à præcipuis gubernatoribus deſeritur. Apoſtoli conſternati tacebant, & uix inter tantas procellas dubitationum aliquam fidei ſcintillam retinebant. Hic noua edit teſtimonia Deus, commonefacit homines inuſitata eclipſi,terræ motu,& reſuſcitatione mortuorum, ne putent hoc ſupplicium uulgare eſſe,aut negligi à Deo, excitatur & latro, qui factus Apoſtolus iam de cruce concionatur, & affirmat hunc eſſe Meſſiam inſtauratorem uitę æternę. Deinde priuatim docet nos hæc hiſtoria, uerè eſſe hanc Euangelij ſententiam,quòd recipiamur fide propter Filium Dei,etiamſi non adferamus merita. Docet item de natura fidei, quòd uidelicet non tantùm ſit noticia hiſtoriæ, ſed fiducia petens uitam æternam à Filio.Et hęc flamma cùm excitata eſt,longè aliter iudicat quàm humana ratio. Non deterret latronem ſpectaculum corporum laceratorum & morientium, quò minus ſtatuat reſtare uitam, & confugientes ad hunc Dominum habituros æternam ſalutem: Alios uerè qui hunc Dominum contemnunt,futuros in æternis pœnis,& quia fide iam ſentit ſibi Deum propicium eſſe,ſubijcit ſe ei,& diligit eum. Agnoſcit ſe non caſu puniri,agit gratias Deo, quòd uocatus ſit ad agnitionem Dei & huius Domini: Vult obedire Deo in hac pœna toleranda, nec iraſcitur iudicio Dei, agnoſcit humanum genus,non, ut philoſophi putant, propter materiam aut caſu obrui morte & alijs calamitatibus, ſed propter peccatum à Deo tanta mole ærumnarum puniri, ut agnoſcamus iram Dei, & quæramus ſalutem. Ideóq; præcipit de patientia,ut Deo obedire uelimus in perferendis afflictionibus.Erudítur ergo latro in conuerſione de peccato,de ira Dei,de pœnis,de remiſſione & iuſticia, ut intelligat longè aliam eſſe ſapientiam Sanctorum,

quàm

quàm humanæ ſit rationis, aut Phariſaica ſapientia. Nam pij multa in afflictionibus diſcunt, ut dicitur in Pſalmo: Bonum eſt quòd humiliaſti me, ut diſcerem iuſtificationes tuas. Poſtremò, accedit confeſſio, in qua prædicat hunc eſſe Meſſiam, nec deterretur ſpectaculo ſupplicij, obiurgat etiam alterum latronem, qui uenenatis ironijs exprobat ſupplicium Chriſto, & propter crucem eum contemnit: Sicut mundus Chriſtum ac Eccleſiam propter infirmitatem ſuperbè aſpernatur. Eſtq; diligenter contemplanda imago huius ſubſannatoris. Vt enim hic in media morte ridet, & inſuper contumelia afficit Chriſtum: Ita impij tanquam furentes non norunt ſua mala, & inſuper contumelioſi ſunt aduerſus Chriſtum, cùm offert liberationem.

Recitaui exemplum, quod cùm de alijs rebus multis nos admonet, tùm hoc quoq; oſtendit, in uera conuerſione incoari nouam obedientiam, quæ etiam ſe oſtendit multis honeſtis actionibus, quæ, ut dixi, placent Deo. Sicut & Rom: 14. Paulus inquit, Regnum Dei non eſt cibus & potus, ſed iuſticia, pax & gaudium in Spiritu ſancto, qui in his ſeruit Deo, placet Deo, & probatus eſt hominibus. Ad Hebr: ultimo, Beneficentię & liberalitatis nolite obliuiſci, nam hæ hoſtiæ placent Deo. Sic & de Noë dicitur: Odoratus eſt Deus odorem ſuauitatis, id eſt, delectatus ſacrificio Noë, id eſt, inuocatione, gratiarum actione, laude & doctrina. Mira eſt autem metaphora in uerbo Odorandi ſumta à ritu ueteri: Quia ſacrificia dicebatur Deus odorari, cum diuinitus incendebantur. Id erat ſingulare teſtimonium, quòd placerent & acciperentur. Cæterùm generaliter ſacrificia conferuntur odoribus, & addebantur odores, quia omnia opera debent eſſe odor, id eſt, latè ſparſa & benè fragrans fama de Deo, id eſt, debent referri ad celebrandum Deum, ut alij bona doctrina & bonis exemplis inuitentur.

DE QVARTA QVÆSTIONE.

Propter quas cauſas facienda ſunt bona opera?

MVltæ ſunt cauſæ, Neceſſitas, Dignitas, præmia. Et primùm multiplex eſt Neceſſitas, mandati, debiti, retinendæ fidei, & uitandi pœnas. Etſi enim aliud eſt loqui de coactione, tamen manet ordinatio æterna Dei & immutabilis, ut uoluntati Dei creatura obtemperet. Hæc ordinatio immutabilis eſt mandati & debiti neceſſitas, ſicut Paulus inquit: Debitores ſumus Dei, non carnis. Et Chriſtus inquit: Hoc eſt mandatum meum, ut diligatis uos inuicem. Et 1. Theſſal: 4. Hæc eſt uoluntas Dei, ſanctificatio ueſtra, abſtinere à ſcortatione, poſſidere unumquenq; uas ſuum, id eſt, corpus, in ſanctificatione & honore, non in affectibus libidinis, ſicut Gentes ignaræ Dei, & non iniuria afficere & defraudare fratrem in negocijs, quia uindex eſt Deus de his omnibus. Non enim uocauit nos Deus ad immundiciem, ſed ad ſanctificationem. Ideò qui hæc contemnit, non hominem contemnit, ſed Deum, qui dat Spiritum ſanctum ſuum uobis.

Neceſſitas mandati et debiti.

Neceſſitas retinendę fidei eſt, quia Spiritus ſanctus expellitur & conturbatur, cùm admittuntur peccata contra conſcientiam. Sicut clarè dicitur: 1. Ioan: 3. Nemo decipiat uos: qui facit peccatum, ex Diabolo eſt. Et Rom: 8. Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, uiuetis, ſi ſecundum carnem uiuetis, moriemini. Et excuti fidem per mala opera teſtatur hoc dictum Pauli 1. Ti-

Neceſſitas retinendæ fidei.

moth. 5. Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Item: Fides non esse potest in his, qui indulgent prauis cupiditatibus, nec agunt pœnitentiam, quia scriptum est: Vbi habitabit Dominus? in spiritu contrito, & tremente sermones meos. Item, cùm fides afferat pacem conscientiæ, non potest simul esse cum proposito retinente delictum, quod condemnat conscientiam. Ideò Paulus inquit: Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Excussit igitur Dauid fidem & Spiritum sanctum, cùm raperet alterius coniugem, & puidem multipliciter Spiritum sanctum perturbauit, primùm in corde suo, unde quasus est in adulterio, deinde in multis sanctis, quorum alijs scandalum attulit dolorem, alijs fuit occasio exitij. Item in miserrimis mulieribus, ui stupratis ab Absolone, & eius manipularibus.

Necessitas uitandi pœnas.

Necessitas uitandi pœnas debebat quidem animos mouere, cùm totam mundi historiam plenam tristissimorum euentuum uideamus, qui certè sunt pœnæ peccatorũ. Sed tanta cœcitas est hominum, ut casu plerasq; accidere existiment. Hæc amentia tollenda est, Sciamus omnes tristes euentus humanos uerè esse pœnas, cùm primi lapsus, tùm aliorum peccatorum. Sicut Psal. 38. inquit: Propter iniquitates corripis hominem. Imò cùm præsentia omnia sint momentanea, præsentes pœnæ non respondent iræ Dei æternæ, sed sunt testimonia iudicij uenturi. Deus nos commonefacit restare iudicium aliud, in quo non de momentaneis & pereuntibus rebus agetur, sed de æternis. Hoc iudicium semper in conspectu esse debet, de hoc iudicio nos ipsos admoneamus, quoties præsentes pœnas uidemus.

Refutatio cauillationis de metu pœnæ.

Ac repudietur illa frigida cauillatio, qua reprehenduntur benefacta metu pœnæ. Facilis est responsio pijs, qui sciunt eiusdem facti multas esse causas & ordinatas. Sciunt potius propter Deum rectè faciendum esse, quàm propter pœnas. Sed sciunt hoc quoq;, Deum uelle agnosci uoluntatem suam, & iram in pœnis, uelle metui pœnas præsentes & futuras. Et omnes pœnæ latè patent, sæpè puniuntur peccata peccatis, & implicantur multi hominis peccatis & calamitatibus. Horum malorum omnium sæpè unus aliquis est reus, ut lapsus Dauidis, quantum peperit scelerum, desperationum, blasphemiarum, & tristissimarum rerum?

Pœnæ sunt metuendæ.

Cultus idoli à Salomone admissus, fuit causa dilacerationis regni Israël. Hæc distractio & religionis discordiam, & perpetua bella attulit. Talia exempla Deus uult considerari, ut uerè metuamus ipsius iram, & nostræ ac alienæ salutis rationem habeamus. Sed cœca mens hominis nec peccati, nec iræ Dei magnitudinem cernit: Imò ne præsentibus quidem pœnis satis afficitur. Sicut impius latro adhuc ludit in sua calamitate, & Christum deridet.

Discant autem pij, ut dictum est, agnoscere iram Dei in tanta magnitudine calamitatum humanarum, discant & insidias Diaboli cauere, qui paulatim per gradus impellit, & longam telam texit multarum miseriarum, ut tandem impellat ad desperationem. Sicut dictum est: Circumit tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret.

Dignitas bonorum operum.

Sequitur dignitas. Hic rursus admoneo non esse dignitatem uirtutibus tribuendam, quòd propter eas persona habeat remissionem peccatorum, quòd satisfaciant Legi Dei, sint precium uitæ æternæ. Sed fides præluceat, quæ statuat nos propter Filium Dei placere. Sicut suprà dictum est. Postea uerò

uerō etiam propter hunc ipſum Mediatorem hos cultus placere Deo, qui non uult totum genus humanum perire. Ideō uult aliquam eſſe Eccleſiam in qua agnoſcatur, inuocetur, colatur, huius obedientiam propter Filium recipit, & uocat ſacrificia, id eſt, opera, quibus Deus iudicat ſe honore affici. Ideō Petrus inquit: Offerte hoſtias ſpirituales. Hæc eſt dignitas uocationis, non perſonæ, ſicut Magiſtratus aut Apoſtolus ſua opera magnifacere, & cogitare debet, res eſſe maximas, per quas Deus uitam regit, dat uitam æternam, Ideōque gubernari & iuuari à DEO, & hanc ob cauſam ſtudioſius omnia faciat.

Dignitas in bonis operibus uocationis eſt non perſonæ.

Sic quodlibet membrum Eccleſiæ ſentiat hanc ſummam omnium uocationum eſſe, ut ſit membrum populi Dei, inuocet Deum pro ſe & alijs, offerat ſacrificia, id eſt, omnis generis bona opera præcepta à Deo. Hæc dignitas uocationis intelligenda & conſideranda eſt: Scias hoc tuum ſtudium literarum, & modeſtiam uitæ, uerē rem magnam eſſe, & ad uocationis gloriam & aliorum neceſſitatem pertinere. Ideō eam Deus poſtulat & approbat, ut dictum eſt, gubernat, adiuuat. Quare ſtudioſius officia tui loci facias.

DE PRÆMIIS.

VT remiſſio peccatorum & reconciliatio ſit certa, donatur propter Filium DEI gratis, & fide accipienda eſt. Fieret autem incerta, ſi penderet ex conditione noſtrorum meritorum: Sed in reconciliatis poſtea bona opera cùm placeant fide propter Mediatorem, ut dictum eſt, merentur præmia ſpiritualia & corporalia in hac uita, & poſt hanc uitam, ſicut clarē oſtendit parabola de negociantibus: Habenti dabitur &c. Et 1. Timoth: 4. dicitur, Pietas habet promiſſiones præſentis & futuræ uitæ &c. Marci 10. Recipient centuplum in hac uita, ſed cum tribulatione, & poſt hanc uitam, uitam æternam. Matthæi 10. Qui dederit potum uni ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem ſuam. Lucæ 6. Date & dabitur uobis. Exod: 20. Honora patrem & matrem, ut ſis longæuus ſuper terram. Ieſaiæ 33. Panis ei dabitur, aquæ eius erunt certæ. Regem in decore uidebunt, id eſt, pro obedientia & bonis operibus Deus dat tranquillas politias, honeſtam & pacatam gubernationem, &c. Ieſaiæ 58. Frange eſurienti panem tuum, & eris ſicut hortus irriguus &c. Denicꝙ plena eſt Scriptura talium promiſſionum de ſpiritualibus & corporalibus præmijs. Nam & in hac uita utriſcꝙ opus eſt: Nec ſinguli retinere fidem poſſunt ſine exercitio, nec in gubernatione illuſtrari doctrina, & conſeruari Eccleſiæ & politiæ poſſunt, ſine donis ſpiritualibus. Deinde, cùm Deus uelit in hac uita propagari doctrinam, dat aliquod hoſpitium docentibus & diſcentibus, id mirabiliter ſeruat, ſicut ſeruabat nauim in qua Paulus uehebatur Romam. Promittit igitur etiam præſentis uitæ commoda. Et quanquàm Eccleſia mirabiliter ſubiecta eſt cruci, tamen aliqua multitudo pia ſeruatur, etiamſi ut in acie uictrice, aliqui milites interficiuntur.

Bona opera merētur præmia corporalia & ſpiritualia.

Diſcamus igitur utroqꝙ genere bonorum opus eſſe, & ea non fruſtrā promitti à Deo, ſed ut fides noſtra exerceatur, & creſcat, & nos inuitati præmijs diligentius laboremus.

Exercetur autem Fides tripliciter. Primō ſemper fides petitura res alias initiō

Fides tripliciter exercetur

in petitione bonorum corporalium.

initiò cogitet de remissione peccatorum,ut Dauid non potest petere uictoriam,nisi cogitet sibi Deum placatum esse.

Secundò. Fides statuat non casu obijci bona,ut impij in naui Pauli fingebant casu seruatam esse. At fides uerè statuat à Deo nos ali, defendi,iuuari,& horum beneficiorum promissiones ideò propositæ sunt,ut Epicurea imaginatio ex animis hominum eijciatur,quæ fingit casu accidere bona & mala: Sed discamus uerè à Deo dari bona,& ea petamus ab ipso.

Tertiò,Fides exercetur petens auxilium & compensationem, ut qui dat Eleemosynã, decerpit aliquid de suo,& uidet suis defuturũ esse, nisi Deus eos respexerit,petit & expectat auxilium,& compensationem.Hæc ut intelligantur antithesis consideretur,& introspiciamus nostra pectora. Ideò minus es diligens in operibus, quia cogitas te frustrà laborare, quia Deo displiceas.

Antithesis pugnans cum his exercitijs fidei.

Hæc imaginatio pugnat cum primo exercitio fidei, Secundò ideò minus es liberalis,quia cogitas has res humanæ diligentiæ commissas esse, & non curari à Deo. Hic error pugnat cum secundo exercitio fidei: Deus enim diligentiam humanam ita postulat,ut uelit eam regi suo uerbo, sicut cæteras uirtutes. Sis diligens,scilicet,iuxta præceptum Dei labores, non facias inutiles profusiones,sed aliquid conferas ad necessarios usus Ecclesiæ & pauperum. Tertiò ideò minus liberalis es,quia cogitas Deum non esse compensaturum,tuos futuros esse in egestate. Hæc diffidentia pugnat cum tertio exercitio fidei. Vt igitur excitetur & crescat Fides,Deus multiplicia opera proposuit,& addidit promissiones auxilij & præmiorum, ut sit occasio inuocationis. Quomodo expectabis à Deo æternam salutem,si non expectas fragmen panis? Repugnemus igitur diffidentiæ nostræ, & mandata opera faciamus, & cũm sint difficilia,excitemus in eis fidem & inuocationem, intueamur etiam præmia, simus solliciti de uniuersa Ecclesia,de Republica,de nostra salute. Propter hos fines simus diligentiores in uocatione,in regendis moribus &c.

Exemplum uiduæ Sareptanæ:

Hæc omnia pinguntur in exemplo uiduæ Sareptanæ & Eliæ. Scit Elias se uocatum esse diuinitus ad docendum, & donec ministerio fungi eum Deus uolet, non defuturum esse uictum. Hac fide ipse & petit & expectat uictum, uenit igitur ad uiduam, & confectus labore iubet sibi dari cibum. Vidua paupertatem suam narrat. Hic Propheta addit promissionem. Credit mulier uoci Prophetæ, quòd Deus Israël uerè sit Deus creator & saluator, quòd det bona, quòd sit suppeditaturus uictum in posterum. Quam igitur sibi & Filio, quod in præsentia aderat,detrahi uidet, tamen Prophetam prius pascit. Hanc fidem, & hoc opus sequuntur præmia, longo tempore alitur hæc familia, & haud dubiè beneficio diuino. Fit eius domus hospitium Ecclesiæ,ubi Propheta docet totam uiciniam. Hanc magnam gloriam sequitur afflictio,filius moritur, sed rursus accedunt noua præmia, filius mortuus resuscitatur. Hoc exemplo magis confirmatur mulier,& latius spargitur fama doctrinæ Eliæ. Iam cogita,quãm multa ingentia bona opera primum officium,quod præstitit mulier in alendo Propheta,pepererit, considera etiam cumulum præmiorum, Non solùm alitur familia,sed etiam eruditur à Propheta de uero cultu DEI, & de uita æterna, & custoditur multipliciter aduersus Diabolum, Filius resuscitatus fit huius Prophetæ discipulus,qui procul dubio postea utiliter seruiuit Ecclesiæ. Etiam exigua opera præmijs multò maioribus ornantur, quãm pro debito. Ac necesse est omnes sanctos fateri

fateri idem,quod Iacob inquit Geneſis 32. Minor ſum omnibus miſerationibus tuis.

Cæterùm etſi oportet eſſe incoatam nouitatem,ſicut Paulus inquit: Superinduemur, ſi tamen non nudi reperiemur: tamen ſemper agnoſcat cor, quod dicit Pſalm: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Item: Delicta quis intelligit? & ſciat noſtras uirtutes non eſſe precium uitæ æternæ,ſed hanc certò dari propter Mediatorem,Sicut Paulus inquit: Donum Dei uita æterna.Et Chriſtus inquit Ioan: 6. Hæc eſt uoluntas Patris, ut omnis qui uidet Filium,& credit in eum,habeat uitam æternam. Hanc uocem ſibi pia mens in uera pœnitentia proponat, & propter Mediatorem certò expectet uitam æternam. Nec poteſt fides niti duabus rebus, Mediatore, & noſtris meritis,ut perita conſcientia facilè iudicare poteſt. *Incoata nouitas nõ eſt precium uitæ æternæ.*

DE QVINTA QVÆSTIONE.

De diſcrimine peccatorum.

CVM dictum ſit in renatis manere peccata, neceſſe eſt tradi diſcrimen. Nam hos qui ruunt in delicta contra conſcientiam,certum eſt non manere in gratia,nec retinere fidem,iuſticiam,Spiritum ſanctum, nec poteſt ſtare cum malo propoſito contra conſcientiam fides,id eſt,fiducia acceptationis diuinæ. Sunt enim prorſus contrarij motus, nec poteſt exiſtere inuocatio cum mala conſcientia quæ fugit Deum,ſicut dicitur 1. Ioan: 3. Si cor noſtrum nos non condemnat,fiduciam habemus ad Deum.

Ideò tenenda eſt regula, quòd neceſſe ſit in reconciliatis eſſe iuſticiam bonæ conſcientiæ,ut 1. Timoth: 1. dicitur. Summa mandati eſt, dilectio ex corde puro,conſcientia bona, & fide non ficta. *In reconciliatis neceſſe eſt eſſe iuſticiam bonæ conſcientiæ.*

Et in eodem capite. Milita honeſtam militiam,habens fidem & bonam conſcientiam. 2. Corinth: 1. Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. 1. Pet: 3. Conſcientiam habentes bonam.

Quòd autem excidant ex gratia, & effundant fidem & Spiritum ſanctum,& fiant rei iræ Dei & æternarum pœnarum,qui admittunt delicta contra conſcientiam, id multæ ſententiæ clarè teſtantur. Galat: 5. Manifeſta ſunt opera carnis,adulterium,ſcortatio, impudicitia, idolatria, Talia facientes,regnum Dei non poſſidebunt. Vocat manifeſta opera, quia contra conſcientiam fiunt. 1. Cor: 6. Ne erretis,nec ſcortatores,nec idolatræ, nec mœchi poſſidebunt regnum Dei. Vbi nominatim Paulus his concionatur,qui cùm antea fuiſſent obnoxij talibus uicijs,iam uerò emendati erant. Hic præcipit ut retineant bonam conſcientiam,& teſtatur perituros eſſe, ſi perſeuerent in prioribus uicijs. *Delicta contra conſcientiam excutiunt fidem & Spiritum ſanctũ.*

Rom: 8. Si ſecundum carnem uiuetis,moriemini,ſi actiones carnis Spiritu mortificabitis,uiuetis. Hic tradit Paulus diſcrimen. Manent in renatis multa interiora mala,uidelicet,quædam caligo & prauitas nobiſcum naſcens. Etſi enim incoata eſt lux & incoata obedientia,tamen adhuc fides, ut ſcintilla exigua in denſis tenebris lucet, quæ aſſiduè luctatur cum dubitationibus, & eis repugnat,nec tantus eſt timor Dei,non tanta fiducia & dilectio, quantam eſſe oportuit. Deinde multiplices uicioſi affectus ſunt, admiratio & fiducia ſui, deinde uarij motus,flammæ libidinum, incendia iniuſta iræ & æmulationum,ut fuerunt in Maria & in Aarone aduerſus Moſen. Poſtremò plurima *Quæ peccata maneant in ſanctis.*

manent in Sanctis omissionis peccata,ut uulgō uocantur, id est, neglectiones officij & errata œconomica,politica & Ecclesiastica,quę tamen non fiunt contra conscientiam in pijs,qui fidem & diligentiam præstant,quantam ferē præstare possunt. Quia uerō Sancti uicioſis affectibus repugnant, & credunt sibi propter Filium Dei condonari infirmitatem, ideō manent in gratia, & retinent fidem & Spiritum sanctum. Hoc sentit Paulus cùm inquit, Si actiones carnis Spiritu mortificabitis,uiuetis.

Dictum Pauli, Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, uiuetis.

Estq; singularis emphasis,cùm ait, Spiritu mortificabitis. Vocat enim nos ad acre certamen,uult nos repugnare uicioſis cupiditatibus, & quidem Spiritu, id est, ueris motibus,timore & fide incensis uerbo Dei ā Spiritu sancto. Intueatur mens mandatum Dei & pœnas, cogitet quanta res sit ira Dei, exempla intueatur lapsorum, ut Saulis & aliorum qui non sunt restituti. Sciat ex uno lapsu sequi infinita peccata & scandala. Rursus etiam credat Deo placere obedientiam, & petat auxilium & gubernationem, sicut scriptum est, Sine me nihil potestis facere. Item, Petite & dabitur uobis, Quantō magis Pater uester cœlestis dabit SPIRITVM SANCTVM petentibus? Et sicut toties dicitur in Psalmis, Adiuua me,& saluus ero. Item, Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam,& iustificationes tuas doce me. Item,Cor mundum crea in me Deus,id est, rectē sentiens de Deo, purificatum fide, Et Spiritum rectum, id est,firmum, non dubitantem, innoua in uisceribus meis. Ne abijcias me ā facie tua, & Spiritum sanctum tuum,id est, regentem omnes actiones,ne auferas ā me. Redde mihi læticiam salutaris tui,& Spiritu principali, id est, spontaneo, non defugiente certamina & pericula,confirmes me.

Exempla certaminis Spiritus & uicioſarum cupiditatum.

Sic Ioseph repugnabat illecebris Dominæ: Sic Ionathas se confirmabat, ne æmulatione incenderetur aduersus Dauidem. Sic Dauid se reprimebat, ne Saulem interficeret. Sic se sustentabat,ne frangeretur desperatione pulsus in exilium. Ita docet Paulus Rom: 6. Non regnet peccatum in mortali corpore uestro,& uidetur sumtum uerbum ex Genesi, Sub te erit appetitus eius, & tu domineris ei. Nam uerbo Dominandi non significatur ocium & ignauia, sed impetus Spiritus sancti & diligentia uoluntatis. Ioseph intuens mandatum Dei,& prospiciens pœnas,scandala & alias ruinas,quę secuturæ erant, repugnat illecebris: Petit etiam gubernationem diuinam, & addit suam diligentiam, Præcipit oculis,ne temerē uagentur,uitat solitudines,occasiones, ne in laqueis Diaboli hæreat. Hanc diligentiam pij intelligere & præstare discant, & considerent non sine causa dictum esse, Tu domineris, non regnet peccatum. Cùm peccatum dominatur,affert multiplicem perniciem & iram Dei,ac æternam mortem. Econtra uerō cùm non dominatur, retinent pij donatam iusticiam & fidem. Ideō inquit Paulus, Si Spiritu actiones carnis mortificabitis, uiuetis.

Testimonia quòd peccata contra conscientiam effundant Spiritum sanctum.

Dixi quæ peccata maneant in renatis, scilicet quædam interiora mala, quibus ipsi repugnant: Sed cùm peccata contra conscientiam admittuntur, effunditur & perturbatur Spiritus sanctus,& amittitur gratia, & excutitur fides,id est,fiducia misericordiæ, Hoc uult Paulus, cùm inquit, Si secundum carnem uixeritis, moriemini, id est, si obedietis uicioſis cupiditatibus, eritis rei iræ Dei & mortis æternæ. Eodem loco inquit: Qui aguntur Spiritu sancto,hi sunt filij Dei: sed ruentes contra conscientiam effundunt & perturbant

bant Spiritum sanctum, desinunt igitur esse Filij Dei. Sicut & sententiæ suprà citatæ testantur, 1. Cor: 6. Ne erretis, Scortatores, &c. Et Ioan: inquit: Qui peccatum facit, ex Diabolo est, id est, est iam captiuus Diaboli, reus iræ Dei, & æternæ pœnæ, & impellitur à Diabolo ad multiplicia peccata. Hæ tristissimæ comminationes hortantur nos ad frenandos uiciosos impetus, ne excidamus à donata gratia. Nec opus est huc afferre disputationes de Prædestinatione, sed iudicemus de uoluntate Dei ex perspicuo uerbo Dei.

DE ARGVMENTIS ADVERSARIORVM.

PLanè & clarè docemus, oportere in homine existere noticiam Articulorum Fidei: Item contritionem, bonum propositum, ac incoari dilectionem. De his dimicant aduersarij quæ tamen fatemur ipsi in homine oportere existere. Sed addimus, Oportere accedere fidem, id est, fiduciam misericordiæ, quòd propter Filium Dei habeamus remissionem peccatorum, non propter has nostras uirtutes. Ipsi econtrà dicunt, dubitandum esse, & addunt: Tunc habebis remissionem peccatorum, cùm dignus eris, hoc est, propter uirtutes tuas. Item fingunt homines Legi Dei satisfacere posse.

Aduersarij contra fidem dicunt, dubitandum esse.

Sed cùm omnia quæ ipsi flagitant retineamus, & insuper addi uelimus fidem tribuentem Christo suum honorem, & certa consolatione erigentem perterrefactas mentes, certè nihil absurdi docemus, & sine iusta causa tàm rabiosè damnant sententiam, quæ de Iustificatione in Ecclesijs nostris proponitur, quæ haud dubiè est ipsissima uox Euangelij, & consensus sanctorum Patrum, Prophetarum, Apostolorum: & omnium piorum omnibus temporibus, qui aliquantulum lucis habuerunt. Omnes hoc sentiebant, oportere existere in nobis pœnitentiam, & debere sequi bona opera, sed tamen remissionem donari propter Mediatorem, non propter nostram dignitatem, & se placere Deo propter illum Mediatorem, & hac fide, hoc est fiducia misericordiæ Deum inuocabant, non fugiebant, non fremebant aduersus Deum. Ideò toties inculcat Paulus particulam Gratis. Item Petrus inquit Acto: 10. Huic omnes, Prophetæ testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Hic consensus est uerum Ecclesiæ testimonium, & omnium piorum experientia suffragatur huic sententiæ. Non enim possunt sine hac consolatione acquiescere mentes in uera contritione, seu ueris terroribus. Hæc cùm sint certissima, nemo sanus in Ecclesia contradicere potest.

Doctrina nostrarum Ecclesiarum de Iustificatione est ipsissima uox Euangelij.

Sed quòd aliter Monachi scripserunt, eò fit, quia non discernebant Legem & Euangelium, & de iustificatione loquuntur Philosophico more, prorsus ut Plato uel Aristoteles cogitat, Achillem esse fortem uirum, quia habet hanc uirtutem & afflatum quendam diuinum, ita hi dicunt, Paulum iustum esse propter suas uirtutes & afflatum diuinum, nihil addunt de Mediatore, de Promissionibus seu Euangelio, & de fide seu fiducia Mediatoris, imò iubent dubitare de reconciliatione, hoc est, delere Euangelium & promissionem, & sepelire Christum. Quoties igitur uenit in mentem huius controuersiæ, refer oculos ad hunc scopum: Cùm reipsa, & uerè hoc dicatur, necessariam esse pœnitentiam, & tamen nos propter Filium Dei habere remissionem, placere & exaudiri, tribuam Filio Dei suum honorem, & hac fide seu fiducia promissæ

Monachorum error ex ignoratione discriminis Legis et Euangelij.

misericordiæ Deum inuocabo, sicut dictum est: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id est, fiducia Filij. Item, Per hunc habemus accessum ad Patrem. Vt autem studiosi sint instructiores ad refutanda aduersariorum argumenta, ordinè præcipua recensebo & explicabo.

PRIMVM.

Iusticia significat obedientiam iuxta omnia præcepta.
Fides de qua dicimus, non est propriè opus omnium præceptorum:
Ergo non iustificamur fide.

Respondeo ad maiorem.

Differunt iusticia Legis et Euangelij.

Maior est uera, de iusticia Legis, Nam iusticia Legis propriè est obedientia iuxta omnia præcepta: Sed hanc ipsam ob causam, quia hæc corrupta natura non satisfacit Legi, ideò alia reuelata & donata est, quæ est acceptatio propter Filium Dei, quam sequitur donatio Spiritus sancti. Aliud igitur iusticia significat in maiore, aliud in conclusione. Cùm Paulus dicit, Fide iustificamur, intelligit fide consequimur remissionem peccatorum, seu acceptationem propter Mediatorem gratis, ut Rom: 4. inquit: Fides imputatur ei ad iusticiam. Hæc explicatio perspicuè ostendit, hoc argumento non labefactari nostram sententiam. Fontes autem diligenter consideremus. Pleraq; argumenta aduersarijs nascuntur ex iudicio rationis seu legis de disciplina, in hanc omnium oculi sunt defixi, sicut inquit Paulus, sectantes Legem iusticiæ, ad iusticiam non perueniunt, nec discernunt Legem & Euangelium, nec animaduertunt Euangelium in hac quæstione non de uita politica loqui, sed de reconciliatione coram Deo. Hæc arcana discernenda sunt à ciuili conuersatione, Ergo has caligines & nubes depellant studiosi, uidelicet confusionem Legis & Euangelij, & confusionem politicæ uitæ, & reconciliationis coram Deo, & attendant, de qua re in hac quæstione agatur.

SECVNDVM.

Impossibile est sola noticia iustum fieri,
Fides tantùm est noticia.
Ergo, Impossibile est sola fide iustum fieri.

Fides non tantùm est noticia sed fiducia.

Primùm respondeo ad minorem. Fides non significat tantùm noticiam, qualis est in Diabolo, de qua dicit Iacobus: Dæmones credunt & contremiscunt: Sed fides significat in intellectu noticiam & assensum promissionum de Christo, ac in uoluntate fiduciam, qua uoluntas uult & accipit oblatam misericordiam, & in ea acquiescit, ut cùm Cicero audiuit sibi à Cæsare promitti securitatem, noticiam in intellectu, sequebatur in uoluntate fiducia, qua uolebat & accipiebat oblatum beneficium, & in hac promissione acquiescebat. Est igitur Fides non tantùm noticia, sed fiducia illa, ut diximus, qua apprehenditur promissio, sicut perspicuè testatur quartum caput ad Romanos, Fidem hic intelligit eam, quæ accipit promissionem, quare necesse est intelligi fiduciam misericordiæ donatæ. Sed oritur & hoc argumentum ex imaginatione rationis, quæ semper quærit aliquam nostram uirtutem, qua cogitemus nos iustos esse, cùm in hac quæstione non hoc dicatur, nos fide iustos esse, quia sit talis uirtus in nobis, in hac uel in illa parte, tametsi adesse uirtutes oportet,

oportet. Sed ideō dicimus, Fide iuſtificari nos, quia apprehendit promiſſionem, & ſtatuit nos propter Mediatorem habere reconciliationem.

Ita & hæc cauillatio refutatur. Fides ſignificat fiduciam, In fiducia ineſt dilectio, ergo etiam dilectione ſumus iuſti: Concedo in fiducia ineſſe dilectionem, & hanc uirtutem & pleraſq; alias adeſſe oportere, ſed cùm dicimus, Fiducia ſumus iuſti, non intelligatur nos propter uirtutis iſtius dignitatem, ſed per miſericordiam recipi propter Mediatorem, quam tamen oportet fide apprehendi. Ergo hoc dicimus correlatiuè, Per miſericordiam propter Filium Dei ſumus reconciliati Deo, & id fide accipi ſeu ſtatui oportet, ut uoluntas acquieſcat in propoſito Propiciatore.

In fiducia ineſt dilectio, ſed non propter dilectionem ſumus iuſti.

Cogitet autem pius lector, quām abſurdum & indignum ſit, non diſcernere fidem Diabolicam à fide, qua Eccleſia Deum inuocat, qua accedit ad Deum, & pacem conſequitur, ut Roman: 4. dicitur. Item Roman: 10, Qui credit in eum, non confundetur. Et Galat: 2. In fide uiuo Filij Dei. Nemo non uidet abſurdiſſimam fore imaginationem, ſi quis in talibus locis cogitet, Fidem non aliud ſignificare, niſi noticiam diabolicam. Nam noticia Diabolica fugit Deum, non inuocat, non accedit ad Deum. Ideō Iacobi dicta de fide, Dæmones credunt & contremiſcunt, non ſunt miſcenda Paulinæ. De alia fide Paulus, de alia Iacobus loquitur. Et facilè poteſt intelligere homo ſanus, non eſſe ſimilem fidem Eccleſiæ inuocantis Deum, & Diaboli fugientis.

TERTIVM.

Qui non diligit, manet in morte.
Ergo Impoſſibile eſt dici iuſtum ſola fide.

Concedo. Si intelligas fidem oportere non eſſe ſolam, ſed hinc non ſequitur, dilectionem eſſe cauſam remiſſionis peccatorum, ſicut neceſſe eſt ad fidem accedere patientiam, ſed non ſequitur noſtram patientiam eſſe cauſam remiſſionis. Et excluſiua particula non excludit uirtutes, ne adſint, ſed excludit eas à cauſa reconciliationis, ac ſignificat ſolius Chriſti meritum eſſe cauſam reconciliationis. Eſt & hoc ſciendum, Remouendas eſſe humanas imaginationes de iuſticia Legis, quæ à dilectione Dei oritur. Si natura hominis eſſet ſine peccato, poſſet Deum uerè diligere: Sed quia eſt obruta peccato, neceſſe eſt prius accipi remiſſionem, nec poteſt accendi dilectio, niſi agnita & apprehenſa remiſſione peccatorum. Ac nimis ocioſè cogitant de remiſſione, qui putant ſine certamine fidei eam accipi.

Fides non eſt ſola, ſed quæ adſunt nō ſunt cauſa iuſtificationis.

QVARTVM.

Fide ſumus iuſti.
Fides eſt opus,
Ergo propter opera ſumus iuſti.

Reſpondeo ad maiorem.

Maior intelligatur correlatiuè, Fide ſumus iuſti, id eſt, per miſericordiam propter Chriſtum ſumus iuſti: Non quia fides ſit uirtus, quæ mereatur remiſſionem ſua dignitate. Quòd uerò additur, Fides eſt opus, concedendum eſt: Eſt enim opus, ut dilectio, patientia, caſtitas. Et ut hæc ſunt infirma & languida, ita fides eſt admodum imbecilla, & concutitur multis dubitationibus. Quare non ideò dicimur iuſti fide, quia tanta ſit huius uirtutis dignitas, ut merea-

Fide ſumus iuſti correlatiua oratio eſt.

ut mereatur remissionem: Sed quia oportet aliquod esse instrumentum in nobis, quo apprehendimus Mediatorem pro nobis interpellantem, propter quem æternus Pater est propicius.

QVINTVM.

Gratia sumus iusti,
Gratia est dilectio infusa cordi.
Ergo dilectione infusa sumus iusti.

Ad minorem respondendum est.

Gratia significat gratuitam misericordiã propriè, non infusas qualitates.

Gratia propriè significat misericordiam gratuitam, seu acceptationem gratuitam propter Christum. Nam cùm dicitur, Per gratiam habemus remissionem, si sic intelligas, propter donatas uirtutes habemus remissionem, planè euertes totam Pauli sententiam, & conscientijs adimes ueram consolationem. Non enim nostras qualitates intueri debemus, cùm angimur de remissione, sed confugere ad Mediatorem. In hac ipsa lucta corda etiam Spiritu sancto iuuantur, sicut Paulus inquit, Dedit Spiritum, in quo clamamus Abba Pater. Et docet in tali motu fidei dari Spiritum Sanctum, Galat: 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Quare cum illa acceptatione coniuncta est donatio Spiritus sancti, nec; tamen sequitur, nos propter illas nouas uirtutes habere reconciliationem.

SEXTVM.

Impossibile est nosse voluntatem Dei erga nos.
Credere quòd simus in gratia, est aliquid affirmare de voluntate DEI erga nos.
Ergo impossibile quiddam affirmare videmur, cùm dicimus, Credendum esse quòd simus in gratia.

Differunt uoluntas reuelata & non reuelata.

Respondeo. Maior est uera, de uoluntate non reuelata per uerbum Dei: Certum est autem in Euangelio, quod filius Dei protulit ex sinu æterni Patris, præcipi ut affirmemus, nobis Deum propicium esse propter Mediatorem. Sed humana mens oppressa naturali caligine, aut Legis opinione, putat delirare eum, qui affirmat se habere Deum propicium. Aduersus has imaginationes scias hanc ipsam uocem Euangelij traditam esse, ideò missum esse Filium Dei, & datam promissionem, ut hoc ipsum credamus & affirmemus.

Pœnitentia est necessaria, sed non est causa remiss: peccatorum.

Sed dicis, Additam esse conditionem Legis. Respondeo: Etsi pœnitentia est necessaria, tamen non pendet remissio ex dignitate nostra, sed certa est propter Christum. Dauid post lapsum agens pœnitentiam, statuit se uerè recipi in gratiam, audita hac uoce, Dominus abstulit peccatum tuum. Eandem uocem uerè adfert singulis agentibus pœnitentiam administratio Euangelij: Et mandatum immutabile est, ut Filio Dei credamus. HVNC AVDITE. Quanquãm igitur humanæ menti hoc statuere uidetur absurdum, tamen imaginationi rationis opponamus promissionem & mandatum Dei, ut uerè inuocare Deum discamus. Nam ubi non est hæc fides, quæ sentit nos recipi & exaudiri propter Mediatorem, ibi nulla est inuocatio. Quare doctrina, quæ iubet dubitare, est Ethnica, & tollit inuocationem.

SEPTI-

SEPTIMVM.

Nemo placet, nisi habens nouos habitus ortos à Spiritu sancto.
Nemo potest affirmare se habere illos habitus, quia possunt esse virtutes similes, ortæ à ratione.
Ergo nemo potest affirmare, se placere.

Neganda est minor. Etsi .n. de reconciliatione non ex nostris habitibus statuendum est, sed ex certa promissione Dei, tamen cùm cor erigitur fide in pauoribus seu pœnitentia, uerè etiam fiunt noui motus spirituales, quibus in inuocatione clamamus Abba Pater, & tamen fiducia intueatur Mediatorem, non nostram nouitatem. Cæterùm illud semper addo, ne perseueret uoluntas in delictis contra conscientiam: Ideò Ioannes inquit, Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus ad DEVM, quòd si quid petimus, accipiemus ab eo.

De remissione statuendum ex promissione, non ex operibus nostris.

OCTAVVM.

Virtutes Theologicæ sunt distinctæ, Fides, Spes, Dilectio.
Si fides significat fiduciam, erit idem quod spes:
Ergo non retinetur distinctio virtutum.

Respondeo: Fatemur semper oportere coniunctas esse, & cùm dicimus, Hominem fide iustificari, diximus suprà, id intelligi correlatiuè. Nec significari, quòd propter huius uirtutis dignitatem iusti simus, sed propter Mediatorem. Sic igitur differt fides à cæteris uirtutibus, quia est apprehensiua, & applicat nobis promissionem. Differt item, quia uult & accipit præsentem reconciliationem: Spes uerò expectat futuram liberationem. Si scopus teneatur, quòd dicimus nobis propter Mediatorem dari remissionem, ut certè omnes pij fatentur, facilis postea est explicatio, & sit modus harum tenuium cauillationum: Si numerant fidem inter Theologicas uirtutes, necesse est non tantùm intelligi noticiam, qualis est in Diabolis: Sed fidem, qua ad Deum accedimus, & eum inuocamus: non accedimus autem in ueris pauoribus, si iudicemus manendū esse in perpetua dubitatione: Nam dubitatio illa parit fugam & odium Dei, ut Rom: 7. de peccatis, quæ per Legem sunt, dicitur.

Fides differt à reliquis uirtutibus, quia est apprehensiua promissionis.

NONVM.

Mala opera merentur æternas pœnas:
Ergo bona opera merentur vitam æternam.

Consequentia uidetur ualere à contrarijs.

Respondeo. Valeret, si contraria essent pariter integra. Mala integrè repugnant Legi Dei. Bona nondum satisfaciunt Legi Dei. Manet enim in Sanctis ingens imbecillitas, etiam cùm in tota disciplina externa nullus est næuus, & multæ sunt excellentes uirtutes, ut in Iesaia & similibus, tamen manent interiora mala multa, dubitationes in inuocatione, multi uicioſi affectus confidentiæ, diffidentiæ. Item spectra quæ Diabolus obijcit, ut inuocationem impediat, quæ uocat Paulus, tela ignita, quibus ita sauciantur interdum etiam qui uirtute excellunt, ut mori mallent, quàm sentire ea uulnera, sicut Paulus queritur de colaphis, quos accipit à Diabolo. Item, Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? In his miserijs agnoscunt pij imbecillitatem suam, uident se non satisfacere Legi Dei, non sine peccato esse, & in

Bona & mala opera nō sunt pariter integra.

& in hac humilitate confugiunt ad Propiciatorem. Hæc certamina non norunt hypocritæ, qui disciplinam externam somniant esse Legis impletionem.

DECIMVM.

Peccatum est odium Dei,
Ergo iustitia est Dilectio Dei.

Peccatum & Iustitia non sunt pariter integra.

Concedendum est totum argumentum: Sed considerandum est simul, non esse pariter integra hæc contraria: Nam dilectio est languida, & adhuc multis sordibus impedita, &, ut antea dixi, accedunt Diaboli tela ignita, quæ etiam impediunt inuocationem, ut accidit Mosi ad rupem, Non igitur satisfacit Legi Dei nostra dilectio, nec placet propter propriam perfectionem, sed placet propter Mediatorem, ut suprà dictum est.

Cùm igitur dicunt. Dilectio est iustitia, ergo Dilectione iusti sumus. Respondendum est. Si iusti significat habentes uirtutem, ut Philosophi loquuntur, ualet consequentia: Sed si significat accipientes remissionem peccatorum, non ualet consequentia. Nam nec in antecedente sic intelligi potest iustitia pro re, quæ mereatur remissionem, sed pro uirtute, ut si dicam: Solue re uenditori est iustitia, Ergo soluens uenditori est iustus. Tales argutiæ ab eruditis facilè possunt dijudicari.

VNDECIMVM.

Iustitia est in Voluntate,
Fides non est in Voluntate,
Ergo non iustificamur Fide.

Et suprà aliquantulum mutatis uerbis res eadem tractata est, tamen & hanc formam propono, ut studiosi exerceantur. Primùm neganda est minor. Nam fides significat assentiri promissioni Dei, quod est in intellectu, & cum hoc assensu necessariò coniuncta est fiducia in uoluntate, uolens & accipiens promissam reconciliationem, & acquiescens in monstrato Mediatore. Nisi enim simul uellemus & acciperemus promissam reconciliationem, maneret fuga & pauor, nec existeret pax seu quies conscientiæ seu cordis. Quare appellatione fidei uerè complectitur Euangelium, uelle oblatam promissionem.

Fides est assensus in intellectu, & fiducia in uoluntate.

Quanquàm autem displicent hæc aduersarijs, qui acerrimè contendunt, nihil intelligi nomine Fidei nisi noticiam, qualis & in Diabolis est, tamen ad talem noticiam, impossibile est congruere dicta illa, Iustificati fide pacem habemus. Item, Qui credit in eum non confundetur.

Aliud est iustitia in nobis, aliud iustificatio coram Deo

Deinde rursus hoc moneo, quod toties dictum est: Iusticiam quæ in nobis est, esse in uoluntate. Sed iustificari hic significat, consequi à Deo remissionem peccatorum, & acceptationem ad uitam æternam. Hæc contingunt nobis propter Mediatorem, sedentem ad dextram æterni Patris, sed tamen Fide accipi oportet. Et simul Spiritus sanctus datur, incoans nouam lucem & nouas uirtutes, quibus nos Deo subijcimus, quibus incoatur in nobis uita æterna, sicut inquit Christus: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum uerum esse Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Qui fingunt dubitandum esse de reconciliatione, & inquiunt hominem iustum esse proprijs uirtutibus, tantùm habent imaginationem Ethnicam, nec accedunt ad Deum fiducia Mediatoris, cùm tamen Deus aliter coli non uelit, nec uelit exaudire, nisi inuocantes fiducia Mediatoris.

Duos

DVODECIMVM.

Iacobi 2. Vides igitur quòd ex operibus iuſtificatur homo, non ex fide ſolùm.

De loco Iacobi.

Reſpondeo, ſine ulla Sophiſtica: Conſtat fidem in eo loco Iacobi ſignificare noticiam hiſtoriæ, qualis eſt & in damnatis. Ait enim: Dæmones credunt & contremiſcunt. Fatendum eſt autem, & clarè fatemur, hominem non eſſe iuſtum illa notícia. Sed Paulus cùm loquitur de Fide, intelligit fiduciam miſericordiæ, quæ nititur Mediatore, & propter eum accipit reconciliationem. Quare neceſſe eſt aliud intelligi fidem apud Paulum, cùm inquit: Corde creditur ad iuſticiam. Aliud eſt apud Iacobum dicentem: Dæmones credunt. Non igitur pugnat Iacobus cum Paulo, ſed de alia re loquitur, refutat errorem eorum, qui fingebant ſe iuſtos eſſe propter profeſſionem dogmatum, ut hæc opinio facilè capit imperitorum animos. Sic & Iudæi fingebant ſe eſſe iuſtos propter profeſſionem ſuæ doctrinæ & ceremonias. Hunc errorem refutare neceſſe eſt.

Collatio ſententiæ Iacobi & Pauli.

Nec pugnat hæc refutatio cum Paulo. Quòd enim addit Iacobus, Iuſtificatur homo ex operibus, loquitur de iuſticia operum, quam & Paulus tota uoce clamitat neceſſariam eſſe: Sed idem negat propter hanc dari remiſsionem. Non igitur intelligatur uerbum iuſtificari pro reconciliari, ſed ut aliàs ſæpè dicitur, pro approbari. Iuſtificatur homo ex operibus, id eſt, habens iuſticiam operum approbatur, placet Deo. Quia obedientia in reconciliatis neceſſaria eſt, & quomodo placeat, ſuprà dictum eſt. Et perſona non eſt iuſta, ſeu placens, ſeu accepta, ſi deſit illa obedientia, & maneant delicta contra conſcientiam. Eſt ergo ſentẽtia, oportere hominem etiam habere iuſticiam operum, quod omnino fatendum eſt: Sed interim plura docendus eſt auditor, ſcilicet, quòd propter opera non accipiat remiſſionem. Item quòd placeant, non quia legi ſatisfiat, ſed propter Mediatorem. Hæc addenda eſſe, manifeſtum eſt.

Quare ſatis apparet, Iacobum non de integra cauſa diſputaſſe, ſed de una parte concionatum eſſe, flagitare iuſticiam operum, & refutare eos qui fingebant ſe iuſtos eſſe propter profeſſionem. Cæterùm de reconciliatione, & quomodo placeat imperfecta obedientia, hic non dicit. Suprà aliquantulum attingit, cap. 1. inquiens: Volens genuit nos uerbo ueritatis, ut ſimus primitiæ creaturæ ipſius.

DECIMVM TERTIVM.

1. Corinth. 13. Si habeam omnem fidem, dilectionem autem non habeam, nihil ſum.

Dictum Pauli, Si omnem fidẽ habeam &c.

Expedita, facilis & plana reſponſio eſt. Concedo totum. Clarè enim affirmamus, oportere adeſſe dilectionem: Sed hinc non ſequitur, nos accipere reconciliationem propter dilectionem, aut dilectionem placere, quia Legi ſatisfaciat. Imò dilectio exiſtere non poteſt, niſi præcedat fides, qua accipimus remiſſionem, & agnoſcimus miſericordiam, ac ſtatuimus nos recipi & exaudiri. Ita incenditur dilectio, & uoluntas ſe Deo ſubijcit. Sed hæc dilectio & ſubiectio admodum eſt imbecilla, & adhuc multis ſordibus inquinata. Quare aliud quiddam eſt, uidelicet propiciator Chriſtus, propter quem perſona ſtatuit ſe certò habere reconciliationem. In hunc intuemur, non in proprias qualitates.

Verum eſt igitur utrunq; Oportere dilectionem adeſſe, & tamen perſonam habere reconciliationem propter filium Dei: Hac expedita reſponſione uti poſſumus uitaturi longiores rixas. Nam hic alia quoq; diſputari ſolẽt, quòd

fides significet donum faciendi miracula. Item dilectio dilectionem proximi. Sed has responsiones omitto, cùm illa prior magis sit perspicua.

DECIMVMQVARTVM.

De dicto, Si uis in uitam ingredi &c.

Matth:19. Si vis in vitam ingredi, serua mandata,
Ergo Legi satisfieri potest, & nostra obedientia meretur vitam æternam.

Respondeo. Ex hoc dicto extruxerunt aduersarij suos errores, quòd homo possit legi Dei satisfacere, & quòd contumacia nobiscum nascens non sit malum pugnans cum lege Dei, & propterea nostram impletionem legis esse precium uitæ æternæ. Hi errores inde orti sunt, quòd Legem & Euangelium non discernebant, Lex requirit obedientiam integram, & promittit uitam, sed cum conditione integræ obedientiæ, ut dicitur: Hoc fac, & uiues. Constat aũt neminem legi Dei satisfacere, ut clarè testatur Paulus Rom:7. & 8. Quare conferenda sunt huc & alia dicta propria Euãgelij. Rom:6. Donum Dei uita æterna per Christum. Et Iohan:6. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui credit in Filium habeat uitam æternam. Hæc alia uox est quàm Legis dicta, quæ sunt ex Euangelio interpretanda. Nam etsi discrimen est, tamen non aboletur Lex, sed ut Paulus inquit: Stabilitur per fidem. Cùm enim hæc infirma natura non satisfaciat Legi Dei, uult Deus propter Filium nos recipere, & facere hæredes uitæ æternæ, hoc fit fide. Et cùm recipimur, incoatur noua lux & obedientia, quæ congruit cum lege Dei. Et quanquàm hæc incoatio non satisfacit legi Dei, tamen placet Deo propter Mediatorem, ut sæpè dictum est. Sic oportet seruari mandata Dei, & in eandem sententiam inquit Paulus: Legem stabilimus per fidem, id est, cùm sumus fide inserti Christo, iam placet obedientia, & incoatur dilectio Dei.

Euangelium non abolet legem.

Omnibus dictis legalibus addendum Euangelium.

Omnibus ergo dictis Legis adde Euangelium. Si uis ingredi in uitam, serua mandata, scilicet iuxta uocem Euangelij, seu ἐπιείκειαν, quam addit Euangelium. Non potes incoare dilectionem sine agnitione Christi, & Spiritu sancto: Nec placet obedientia, quia legi satisfaciat, sed propter Mediatorem, & tamen incoari eam necesse est, sicut dicit Paulus: Superinduemur, si tamen nõ nudi reperiemur. Item Christus inquit: Nisi abundauerit iusticia uestra super iusticiam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Pharisæi docebant externam disciplinam: Sed uox Euangelij, quæ de pœnitentia concionatur, plus requirit. Abũdat igitur seu antecellit iusticia piorũ his sex rebus, pœnitentia, fide, nouitate spiritus, uera inuocatione, successibus in uocatione, & repressione Diaboli. Nam illa noua lux est incoatio uitæ æternæ, quæ est & erit talis uita, talis sapientia & iusticia, qualem lex postulat, uidelicet illustris agnitio Dei & pura dilectio. Ideò dicitur Ierem:31. Dabo Legem meam in corda eorum, id est, accendam lucem & obedientiam ueram in saluandis, quæ erit æterna sapientia & iusticia.

DECIMVMQVINTVM.

Dictum, Remittite & remittetur uobis

Remittite, & remittetur vobis,
Ergo nostra condonatio meretur remissionem.

Respondeo. Hæc sententia est concio pœnitentiæ, quales plurimæ sunt in Prophetis, Esai: 1. Desinite malefacere, Si peccata uestra essent ut coccinum, eritis candidi ut nix. Item Esai:58. Frange esurienti panem tuum, & gloria Domini colliget te. Hæc & similes conciones ubicq; continent duas partes: Altera est uox præcepti, iubens ut nos emendemus: Altera est promissio remissionis peccato-

peccatorum. Iam de hac promissione audiamus Euangelium. Non dicit Esaias: Desinite praua facere, propter uestras uirtutes dabitur remissio. Imò alio loco de Christo clarè dicit: Verè dolores nostros ipse tulit, &c.

Ita hic: Remittite & remittetur uobis. Prior pars est præceptum, Posterior est promissio, sed non additur, propter tuam condonationem remittetur. Si hęc conditio addenda esset, fieret incerta promissio, ut facilè intelligi potest. Ergo audita promissione mens intuetur doctrinã de remissione propter Christum promissa gratis. Significat autem requiri hoc opus, scilicet nostram condonationem, sicut alia nostra opera, & placere sicut suprã dictum est, quòd non penitus nullus sit næuus in animo, sed quòd pia mens repugnat maleuolentiæ & odijs propter mandatum Dei & Ecclesiæ concordiam, & agnoscit, hanc moderationem placere propter Christum.

Eadem prorsus est sententia concionis Daniel: Libera te ã peccatis iustitia & Eleemosynis erga pauperes, et erit sanatio delictorum tuorum. Tota oratio est concio pœnitentiæ, in qua prior pars postulat emendationem & loquitur non de solis Eleemosynis, sed de tota conuersione: Libera te ã peccatis per iusticiam, id est, fias iustus, agnosce uerum Deum, qui se reuelauit in uerbo, quod dedit populo Israël, & promisit remissionem peccatorum propter uentu-rum Dominum. Deinde sit & gubernatio tua iusta, sis diligens in iurisdictione, prohibe iniurias, punito delinquentes, defende honestos, non sis crudelis aduersus Ecclesiam & populum Dei: Denicp omnia officia mediocris & salutaris gubernationis complectitur, cùm inquit: Redime peccata Eleemosynis, id est, beneficijs erga pauperes. Et hæc prima pars est uox Legis, quæ prçcipit de conuersione. *Dictum Danielis, Libera te à peccatis iustitia &c.*

Altera pars: Et erit sanatio delictorũ tuorum, promissio est, quam oportet fide accipi. Ergo cùm promissionem proponit, requirit fidem, qua creditur Deo promittenti per misericordiam, non propter nostram dignitatem. Nec fuit hęc breuis doctrina. Nam regi scisscitanti, unde hanc uoluntatem Dei sciret Daniel, unde affirmaret certò remitti peccata, Daniel haud dubiè exposuit promissionem à Deo traditam de futura liberatione, & de uita çterna, et ostendit pertinere eam etiam ad Gentes. Ideò nec flagitat ceremonias, ut significet reconciliationem, non propter legem, sed propter promissionem dari.

Quanquàm igitur breuis est narratio Danielis, tamen ipsa promissio remissionis admonet lectorem pium, de communi reconciliationis promissione & uitæ æternæ. Et intelliget prudens lector, uerè congruere concionem Danielis, cum Euangelio. Prior pars tradit præcepta de emendatione, posterior est promissio, quam oportet accipi fide, qua certò statuitur, quòd per misericordiam recipiamur. Hæc & plana & perspicua sunt pijs, & prorsus sine Sophistica. Nec utar illa solutione, mereri opera bona remissionem præsentium pœnarum, etsi id uerum est, tamen Daniel non tantùm de remissione pœnarum, sed prius de remissione culpæ dicit. Cæterùm sæpè loquitur scriptura de remissione pœnarum præsentium, ut Eleemosyna liberat à morte, id est, meretur ne opprimamur periculis. Item, Honorans patrem faciet placationem pro peccato, uidelicet, quòd ad pœnam præsentem attinet, si eris benesicus erga parentes, doctores, gubernatores Ecclesiæ, tibi quoque Deus mitigabit ærumnas.

DE ARGVMENTIS DECIMVMSEXTVM.

Maxima virtus præcipuè iustificat,
Dilectio est maxima virtus,
Ergo dilectio præcipuè iustificat.

Respondeo. Maior est uera de iusticia Legis, si Legi satisfaceremus, essemus iusti propter proprias uirtutes, & maxima uirtus plus conduceret, ut de Christo uerè possumus dicere, eum maximè dilectione iustum esse. Sed quia nos Legi non satisfacimus, recipimur propter Mediatorem, non propter proprium dignitatem, seu propter nostras qualitates. Ideò de reconciliatione non ualet maior: Maxima uirtus maximè reconciliat, Imò solus Mediator reconciliat. Est uirtus omnium maxima, ardere dilectione Dei, sed etiam renati, et qui multum profecerunt, sentiunt uix exiguam scintillam in ipsis accensam esse, ut in mente fides luctatur cum dubitatione, & Diabolus interturbat inuocationem uarijs spectris: Ita in corde dilectio Dei admodum languet, ut in inuocatione sentiri potest, in qua cor aut negligi se arbitratur, aut etiam fugit Deum, incurrunt & alij uicioſi motus, amor uoluptatum, gloriæ, nostræ uitæ.

Maxima uirtus dilectio, sed huius uix exigua scintillula in credentibus.

Quanquām igitur existere in nobis dilectionem Dei oportet, tamen agnoscamus ingentem infirmitatem, & sciamus personam à Deo recipi, exaudiri, & iustam, id est, acceptam reputari propter Mediatorem fide. Aliud est igitur loqui de reconciliatione & de misericordia erga nos: Aliud est uirtutes ipsas inter sese conferre. Haud dubiè maxima omnium uirtutum est dilectio Dei, Sicut & Lex eam requirit, tanquām summam uirtutem: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. Sed illa ardens flamma dilectionis ubi est? uix exigua scintilla lucet in sanctis, & difficulter retinetur. Hæc si cogitabimus, melius intelligemus cur dicatur: Fide iustificamur.

Aliud est dicere de reconciliatione corā Deo, Aliud conferre inter se uirtutes.

Iam si uis conferre uirtutes, & proprias definitiones singularum considerare, id quoq; utile est. Prima est Fides, quę est nosse uerbum Dei, & assentiri promissioni gratiæ, & fiducia, qua propter Christum statuimus nobis Deum esse propicium, ut acquiescamus. Est igitur noticia apprehendens promissionem, & fiducia quietans cor propter aliud, scilicet propter Mediatorem, Deinde sequitur Dilectio: Necesse est enim præcedere agnitionem misericordiæ. Cūm cor sensit uerè iram Dei, & rursus fide agnoscit Deum esse propicium propter Christū. Hac luce pelluntur iam tenebræ Epicureæ ac Academicæ, & statuit mens adiuta à Spiritu sancto, nos uerè curæ esse Deo, & ab eo recipi. Incipit igitur cor sese subijcere Deo, & obedire, & oritur aliqua dilectio Dei: Sed nondum in hac uita sunt ardentes flammæ, quales esse deberent erga Deum, sed est quædam incoata obedientia, qua se cor subijcit Deo, & lætatur in agnitione Dei & obedientia. Sicut in cantico dicitur: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, & hominibus lætitia. Ideò Iohannes, ut aliquo modo ostenderet, qualis res sit dilectio Dei, dicit: Hæc est dilectio Dei, ut mandata eius seruemus. Ad has uirtutes accedit Spes, quæ est propriè expectatio uenturæ liberationis à Deo promissæ. Et differt à fide dupliciter. Prior est insignis & præcipua differentia. Fides apprehendit promissionem, & applicat nobis Mediatorem. Talis non est Spes, sed euentus futuros expectat. Hinc facilè potest intelligi, cur non dicatur, Spe iustificamur, quia ea oratio non ita monstrat uel applicat Mediatorem, ut cùm dicimus: Fide iustificamur. Altera differentia est, Fides accipit præsens beneficium, præsentem reconciliationem, sine qua

Prima uirtus fides.

Secunda dilectio.

Tertia Spes.

Discrimen inter fidem & spem.

qua non potest fieri inuocatio. Spes autem expectat futuros euentus à Deo promissos &c.

DECIMVM SEPTIMVM.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum,
Ergo propter dilectionem fit remissio.

Respondeo: Duplex est absolutio, Alia priuata conscientiæ luctantis cum ira Dei: In hac absolutione necesse est intelligi, quod fide accipiatur remissio, non propter nostras uirtutes. Ideò inquit Christus: Fides tua saluam te fecit. Nec nititur fides nostra dilectione, sed tantùm misericordia promissa, ut constat. Nec existere dilectio potest, nisi sit apprehensa remissio. Alia est absolutio publica coram Ecclesia, hæc fit propter bona opera, quę sunt testimonia conuersionis, ut hic Christus Pharisæo declarat, cur eam recipiat, quia extent testimonia conuersionis.

Duplex est absolutio, priuata conscientiæ coram Deo, publica coram Ecclesia.

Ac tota historia imago est Ecclesiæ, semper duo sunt cœtus: Alter hypocriticus, inflatus ordinaria autoritate & opinione iusticiæ, propterea quòd uidetur utcunq; tueri doctrinam disciplinæ & Legis. Quanquàm autem hic cœtus non amplectitur Euangelium, tamen quia tenet gubernationem, Ideò ibi Christus assidet mensæ, id est, ibi concionatur. Alter cœtus est qui audit Euangelium, uerè agit pœnitentiam, & uera fide inuocat Deum, agnoscit filium Dei Mediatorem, & prædicat Euangelium. Huic cœtui, quanquàm alter cœtus habet speciosiora opera, tamen Christus tribuit hic laudem dilectionis, quã sibi sumunt hypocritæ, qui arrogant sibi iusticiam legis. Sed Christus transfert hoc decus in hanc miseram mulierẽ, hic placet iusticia legis, ubi est uera agnitio Christi. Et in hoc cœtu sunt ueri cultus, scilicet pœnitentia, fides, uera inuocatio, dilectio, osculari & tergere pedes Christi, id est, ornare & defendere ministerium Euangelij, & studia necessaria Ecclesiæ, sustinere pericula in confessione, labores & odia in docendo. Econtrã hypocritæ sunt sine pœnitentia, & sine timore Dei, quia putant se iustos esse sua disciplina, seu suis ceremonijs: Deinde sunt sine fide, quia uel confidunt sua iusticia, uel manent in dubitatione: Sunt sine dilectione, quia non potest existere dilectio Dei & inuocatio, nisi prius agnita sit remissio: Euangelium uerò non ornant, sed uel delere uel premere conantur. Hic igitur Christus consolationem pijs proponit, refutat acriter Pharisæum, & detrahit ei laudem iusticiæ, ut significet se defendere suam Ecclesiam contra iniqua iudicia hypocritici cœtus.

Semper duo cœtus in Ecclesia, Alter hypocriticus, Alter uerè credentium.

Si cui uerò hæc solutio de duplici absolutione non placet, utatur altera: Vsitatæ sunt Synecdochæ, Remittuntur ei multa, quia conuersa est. Talia dicta & alibi occurrunt, & tamen synecdoche explicanda est. Quanquãm necesse est simul concurrere multas partes conuersionis, contritionem, fidem, dilectionem, seu bonum propositum, tamen non propter nostram dignitatem datur remissio, sed per misericordiam, quæ fide apprehenditur. Hæc explicatio sumitur ex Paulo dimicante de particula Gratis, fide propter Christum.

DECIMVM OCTAVVM.

Vita æterna vocatur merces,
Est ergo debita pro operibus.

Respondeo breuissimẽ, Vita æterna est merces, quia compensat beneficta, etiamsi datur propter aliud, scilicet propter Christum. Vt patrimonium est

Cur uita æterna uocetur merces.

merces filij, etiamsi contingit propter aliam causam. Hæc responsio breuis & expedita satisfacit huic obiectioni: Nam aduersarij immodicè exaggarentes uocabulum Mercedis, multa inde absurda extruxerunt. Vt in locatione operarum & mercedis, uel in emtione, precij & mercedis est æqualitas. Sic finxerunt æqualitatem obedientiæ & uitæ æternæ, & uocauerunt obedientiam meritum de condigno, finxerunt homines Legi Dei satisfacere, commenti sunt opera supererogationis: Et de fide intuente non nostram dignitatem, sed Mediatorem, & accipiente remissionem & hæreditatem uitæ æternæ propter Christum, nihil dixerunt: Imõ oppositum tradiderunt, cùm aiunt: Spes est expectatio uitæ æternæ orta ex meritis nostris. Deniq; uocabulum Meriti multas disputationes mouit, & Bernhardus cùm se euoluere non posset, tandem inquit: Sufficit ad meritum scire, quòd non sufficiat meritum. Ita agnitio propriæ infirmitatis coëgit eum confugere ad Christum.

Nostra igitur explicatio est expedita. Dicimus oportere in saluandis existere pœnitentiam, fidem & incoatam obedientiam seu dilectionem: Et tamen quia reuera adhuc in carne ingens est caligo, & infirmitas repugnans legi Dei, agnoscendum est, quod inquit Dauid: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, & confugiendum est ad Christum, ac statuendum, quòd agentibus pœnitentiam & credentibus propter ipsum detur uita æterna. Sicut ipse inquit: Hæc est uoluntas Patris, ut omnis credens in Filium habeat uitam æternam. Et amentia est fingere, quòd renati satisfaciant Legi Dei, & sint sine peccato. Vt igitur maneat certa spes uitæ æternæ, sciamus eam dari agentibus pœnitentiam, & credentibus propter Christum.

Interim tamen quia Deus recipit obedientiam, etsi bona opera non merentur remissionem peccatorum, & hæreditatem uitæ æternæ, tamen merentur alia prẹmia corporalia & spiritualia in hac uita et futura. Sicut Christus inquit: Merces uestra copiosa erit in cœlo. Hæc quæ dixi, cordatis & pijs conscientijs satisfaciunt.

Phrases Legis sunt formale de mercede et præmijs.

Vera est & hæc responsio, Has orationes, Vita æterna erit merces, Item, Reddetur cuiq; iuxta opera sua, phrases esse Legis, quæ loquitur de iusticia tanquàm de nostra dignitate: Et tamen fides accipiens reconciliationem, statuit nos propter aliud, non propter nostras uirtutes placere, quia nemo legi satisfacit, & in hac imbecillitate naturæ multa manent peccata. Hanc interpretationem addi necesse est ex Euangelio, quæ hoc efficit, ut mercedem intelligamus quidem compensationem, sed nõ intelligamus dari reconciliationem propter nostram dignitatem, nec incoatam obedientiam placere propter seipsam, sed in reconciliatis propter Mediatorem. Hos postea sequitur compensatio bonorum operum.

Discrimina promißionum Euangelij & Legis.

Illud uerõ argumentum explodendum est, quòd dicunt homines segniores fieri ad benefaciendum, si ratio meriti tollatur. Dixi suprà multõ grauiores esse rationes necessitatis & debiti. Præterea discrimen tenendum est promissionum, gratuita est promissio reconciliationis & uitæ æternæ: Sed Legales promissiones propriæ sunt additæ pro operibus: Qui dederit potum aquæ, non perdet mercedem. Etsi igitur bona opera non merentur reconciliationem, nec sunt precium uitæ æternæ: Nam reconciliationem præcedere necesse est, ut obedientia possit placere, tamen merentur alia præmia, ut dictum est.

Deinde

Deinde quod de segnicie obijcitur, refutandum est oppositō periculo dubitationis. Si dubitandum erit de uita æterna, ut doctrina illorum de meritis dicit, dubitatio magis languefacit studium rectē faciendi. Sed hæc omitto. Magna caligo est in animis hominum, & horribilis infirmitas. Pauciſsimi uident quid sit seruire Deo. Sed pij qui aliquid lucis habent, agant Deo gratias, quòd nos propter Filium recipit, & quōd propter hunc Mediatorem hanc imbecillem & contaminatam obedientiam approbat & ornat præmijs, & nos excitemus ad exercitia Fidei & bonorum operum: Nam in his exercitijs hæ quæstiones facilē poterunt dijudicari.

Anakephalaiōsis doctrinæ de Iustificatione.

Exposui totam controuersiam de Iustificatione, seu de reconciliatione. Cùm autem multi hanc sententiam oppugnent, piæ mentis est diligenter uidere quid præcipuē agatur, & ut facilius iudicari possit, Ecclesiam omnium temporum intueatur, & sanctorum experientiam consideret. Dicimus necessariam esse pœnitentiam, et addimus, credendum esse, quòd propter filium Dei donetur remissio gratis, non propter nostram dignitatem. Item, quòd mens nō debeat succumbere dubitationi, sed fide uincere dubitationem, Præterea dicimus necessariam esse incoatam obedientiam: Sed hanc non satisfacere Legi Dei, sed placere in reconciliatis propter Mediatorem, ac manere quidem in renatis peccata, sed tamen discernenda esset peccata contra conscientiam ab ijs, quæ manent in Sanctis. Dicimus enim amitti gratiam, cùm uiolatur Lex Dei contra conscientiam. Hæc non solùm nihil habent absurdi, sed reuera congruunt cum consensu omnium Sanctorum inde usq; ab initio.

Exemplum Dauidis.

Cogita Dauidem cum obiurgatur ā Nathan. Hic Dauid agnoscit iram Dei, & uerē expauescit ac dolet: Rursus autem cùm audit Euangelium. Abstulit Dominus peccatum tuum: erigitur hac uoce, nec cogitat se habere remissionem propter suas uirtutes, Sed huic uoci credit, & cogitat de promissionibus, quæ sunt datæ Patribus, luctatur cum dubitatione, & fide uincit. Quid deinceps? An postea putat se Legi Dei satisfacere? Imō uerō agnoscit infirmitatem hanc procul abesse ā perfectione legis, Ideō dicit, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, & scit tamen per misericordiam placere Deo hanc iustitiam bonæ conscientiæ in reconciliato, Sicut inquit: Pax multa diligentibus Legem tuam.

Has summas intueantur animi, quæ certē sunt perpetuus & irrefragabilis consensus sanctorum, omnium temporum. Nec difficilē erit refutare cauillationes, quæ contra hanc sententiam excogitantur, si hæ summæ fuerint in conspectu, & in quotidiana inuocatione exerceantur. Nulla enim potest esse uera inuocatio, nisi cognita doctrina de fide. Accedendum est enim ad Deum fiducia Mediatoris, ut Rom: 5. Per hunc habemus accessum, &c. Item Hebr: 4. Habentes talem Pontificem, accedamus cum fiducia.

DE DISCRIMINE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

VNa est perpetua Ecclesia Dei inde usq; ā creatione hominis, & edita promissione post lapsum Adæ: Sed doctrinæ propagatio aliās in alijs politijs fuit. Ac prodest considerare seriem historiæ, & testimonia, in quibus Deus se pa-

se patefecit ab initio, & iram aduersus peccata, & misericordiam ergo conuersos declarauit. Nam ut sciremus doctrinam Ecclesiæ solam primam & ueram esse, Deus singulari beneficio scribi perpetuam historiam ab initio uoluit, & seruauit, & huic libro scripto per Patres & Prophetas addidit testimonia euidentis ingentibus miraculis, ut sciremus, unde & quomodo ab initio propagata sit Ecclesiæ doctrina. Postea uerò Gentium religiones exortæ sunt, alibi alijs temerè fingentibus nouos Deos, & nouos cultus, relicta prima doctrina. Nec norunt Græci aut alij suarum religionum autores, & quotidiè horribili licentia fingebant nouas, nunc sacra Bacchi, nunc Dianæ.

Ecclesia est alligata ad doctrinam patefactam.

Quare cogitemus ingens Dei beneficium esse, quòd certum librum Ecclesiæ tradidit & seruat, & ad hunc alligat Ecclesiam. Tantùm hic populus est Ecclesia, qui hunc librum amplectitur, audit, discit, & retinet propriam eius sententiam in inuocatione Dei, & in regendis moribus. Non igitur est Ecclesia Dei, ubi reijcitur hic liber, ut apud Mahometistas: Aut ubi extincta propria sententia, proponitur commentitia, ut apud hæreticos. Quare lectione & meditatione opus est, ut propria sententia retineatur, sicut de studio sæpè præcipitur. 1. Timoth: 4. Intende lectioni, & Col: 3. Verbum Christi abundet inter uos. Spiritus sanctus testatur se uelle scribi doctrinam & testimonia diuina. Psalm: 101. Scribentur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Vtrunq; genus doctrinæ, Lex & Euangelium fuit ante Moysen.

Amemus ergo & colamus studia libri diuinitus traditi, ac primùm sciamus in summa, duo genera doctrinæ in toto illo libro contineri, Legem & promissionem gratiæ, quæ propriè uocatur Euangelium. Hęc distinctio lumen est uniuersæ scripturæ, ac fuit utrunq; genus doctrinæ ante Moysen.

Lex est notitia in creatione hominis indita menti, docens unum esse Deum, conditorem rerum, eiq; deberi inuocationem & obedientiam, iuxta discrimen honestorum & turpium, quod ipse Deus impresserat menti, & puniri contumaciam. Nam imago Dei in homine erat in mente illa firma notitia de Deo, & agnitione Legis, & in uoluntate conuersio ad Deum. Etsi autem post lapsum uoluntas auersa est, & in mente notitia obscurior facta est, tamen manet notitia, ut extet æternum & immutabile iudicium Dei contra peccatum, testificans Deum irasci peccato.

Vtriusq; doctrinæ prædicatio incoata in Moyse.

Sed promissio reconciliationis post lapsum, non est notitia insita naturæ, sed est uox prolata ex arcano sinu Patris, quæ prius ignota fuit omnibus creaturis, qua uoce Deus testatus est, se homines recipere in gratiam, & deletum esse peccatum & mortem, ac instauraturum iusticiam & uitam, propter quoddam uenturum Semen mulieris. Estq; incoata prædicatio utriusq; generis in Paradiso. Legis uox est accusatio inobedientiæ, Promissio uerò erat, Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et erant postea Patres, ut Adam, Seth, Enoch, & alij qui legitima uocatione fungebantur sacerdotio, & propagabant utramq; doctrinam.

Lex quæ prohibet homicidium, expressè prædicatur in Concione ad Cain, & deinde in concione ad Noë repetitur. Lex quæ prohibet uagas libidines, sancita est in Paradiso, & postea propositum testimonium de iudicio Dei in diluuio, & conflagratione Sodomæ. Sic & promissio subinde magis illustrata est, cùm ad Abraham dicitur, In Semine tuo benedicentur omnes Gentes.

Quid igitur propriè nominatur uetus Testamentum? quid nouum? cum Legem &

gem & Euangelium ſemper prædicare neceſſe fuerit,& cùm eiuſdem uocis miniſterium perpetuò ſit in Eccleſia? Reſpondeo, Vetus teſtamentum proprijſſimè eſt promulgatio Legis, ſeu pactum, quo populus Iſraël ad Legem & hanc formam politiæ obligatus eſt ad hunc finem, ut in hac politia conſeruaretur & propagaretur promiſſio de uenturo Meſſia, propter quam & in hoc populo erat uera electorum Eccleſia. *Vetus Teſtamentum quid ſit.*

Hic finis diligenter conſiderandus eſt, quem ignara multitudo in populo Iſraël non intelligebat, ſed tres errores circumferebat. Primus erat, ſicut promiſſionem terræ,hoc eſt,certi loci poſſeſſionem & Rempub:uidebant eſſe rem corporalem. Sic Meſſiam promiſſum exiſtimabant hanc politiam auctурum & confirmaturum eſſe, non intelligebant mitti eum ut fieret uictima, ut aboleret peccatum & mortem,& hac politia euerſa daret iuſticiam & uitam æternam credentibus. *Errores Iudæorum de politia Moſaica tres,* I.

Secundus error erat. Non intelligebant cur præcipuè Lex promulgata eſſet,Non enim tantùm promulgata eſt, ut politica diſciplina hic populus regeretur, ſed ut extaret uox Dei certò & illuſtri teſtimonio tradita, qua pateſactum eſſet iudicium Dei æternum & immutabile aduerſus peccatum,ut ira Dei agnita quæreretur promiſſio Meſſiæ. Sed multitudo ignara tantæ rei, exiſtimabat Legem tantùm eſſe politicam diſciplinam, & externa obedientia ſatisfieri Legi Dei, nec intelligebat peccata interiora, dubitationes de ira & de miſericordia Dei, non uerè expaueſcere, non ardere fide & dilectione, non acquieſcere in Deo fiducia auxilij diuini, in inuocatione dubitare an Deus accipiat preces, Deniq; habere innumerabiles errantes motus. Hæc mala multi fingebant non eſſe peccata, nec pugnare cum lege Dei. II. Error.

Tertius error erat. Peccata & lapſus ſuos fingebant compenſari ſacrificijs, & mereri ſe remiſſionem peccatorum mactatione pecudum, & alijs ceremonijs.Et hac opinione cumulabant ſacrificia.Imò & nouas ceremonias excogitabant,aut Ethnicas recipiebant.Mactabant liberos ſuos, ut magno & difficili opere plura bona mererentur, ut humana cœcitas ad hunc errorem prona eſt,ut putet opera à nobis excogitata magnifieri à Deo. Hi tres errores,latè graſſabantur in hoc populo. III. Error.

Sed tamen ſemper ſeruauit Deus in hac ipſa politia aliquam ueram Eccleſiam,hoc eſt,cœtum rectè ſentientem, ut Eſaiæ 1. dicitur: Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen,ſicut Sodoma eſſemus &c. Taxabat igitur uera Eccleſia errores, & reuocabat aliquos ad ueram Dei inuocationem, docebat hanc politiam conſtitutam eſſe,ut eſſet certa ſedes & certus locus Eccleſiæ,donec ueniret Meſſias,ut in hoc loco interim conſeruaretur & propagaretur promiſsio,teſtabatur hunc Meſsiam mitti, ut fieret uictima pro peccato, & daret iuſticiam & uitam æternam,non imperium mundi in hac mortali uita. *Semper in populo Iſraëlitico ante Chriſtum fuit uera Eccleſia, quæ taxauit errores cæterorũ.*

Deinde & de Lege docebant,externam obedientiam,& diſciplinam non ſatisfacere legi Dei, nec placere Deo,niſi prius iacto fundamento,hoc eſt,agnita promiſſione Meſsiæ, ac propter eum accepta remiſſione peccatorum & reconciliatione. Hanc fidem docebant oportere prælucere in inuocatione,quod Deus propter hunc Meſſiam uerè reciperet ipſos,& exaudiret preces.Hac fide docebant incoandam eſſe hanc partem legis in corde, uidelicet, Decalogum de Dilectione,de Inuocatione, de Timore Dei.

Sic & de ceremonijs concionabantur, nequaquãm traditas eſſe, ut eſſent precia

precia pro remissione peccatorum:Sed ut essent signa uenturi Messiæ,& testimonia professionis,ac exercitia admonentia de fide & inuocatione, nec ualere nisi prius iacto fundamẽto,uidelicet,agnita promissione Messię, & accepta remissione peccatorum, & incoata illa prima parte Legis, scilicet Decalogo.

Sic & de tertia parte Legis,id est, de iudicialibus docebant, placere politica officia iacto fundamento, id est, agnita promissione Messiæ, & accepta remissione, & incoata in corde illa prima parte Legis, scilicet Decalogo, ut fiducia auxilij diuini, & propter gloriam Dei, & dilectionem proximi fierent politica officia,non sicut ea faciebant Alexander,Sylla,Marius & similes,cum contemtu Dei, propriæ potentiæ ac utilitatis causa.

Prophetæ monstrarunt promissionem & usum Legis.

Sic Prophetæ monstrabant promissionem & usum Legis, econtrã uerò superstitiosas opiniones taxabant,ut Ierem:7. Non prȩcepi patribus uestris de holocaustis. Et Psalm:50. Holocaustis non delectaberis. Hæc & similia dicta uidebantur apertè pugnare cum Lege, quare impij reges & pontifices armari prætextu legis, crudeliter sæuiebant in Prophetas: Sed Prophetæ hoc uolebant,Lege non postulari ceremonias sine noticia & fiducia Messiæ,& sine pœnitentia,seu ut uulgò loquuntur, ex opere operato, & cùm cæteris erroribus, quos ignara multitudo affingebat.

Testimonia de ueteri Testamento.

Quòd autem constitutio illa politiæ Mosaicæ dicatur propriè uetus Testamentum,confirmant hæc dicta Gal:4.Hęc sunt duo Testamenta,unum quidem ex monte Syna ad seruitutem generans,id est, obligans ad hanc politiam, quæ etsi erat magnum beneficium, gratissimum est enim scire certam Ecclesiæ sedem, tamen seruitus erat,id est,nondum erat illud summum bonum, noua & ętterna uita,quę erit uera libertas exhibenda in nouo Testamento: Sed erat ministerium Legis,prædicans iram aduersus peccatum,& coércens disciplina, & erudiens populum umbris quibusdam de futuris bonis.

Sic ad Heb:7.uetus Testamentum ait abrogari, quòd fuerit imbecille ac inutile.Non loquitur de promissione uenturi Messiæ. Hęc nõ fuit inutilis Patribus,sed Lex fuit infirma & inutilis, scilicet ad iustificationem, seu ad tollendum peccatum & mortem. Hoc ipsum enim uult dicere: Etsi magnum beneficium erat dari certam Ecclesiæ sedem in terris, constitui pulcram politiam & disciplinam,tamen hæc bona omnia erant res interitui & morti obnoxiæ, non erant iusticia & uita æterna.

Sic & clarè Ierem:cap:31. uocat uetus Testamentum fœdus,quòd factum est cùm educeretur populus ex Aegypto,& eruditissimè discernit uetus & nouum. Vetus fuit promulgatio externa Legis,& declaratio iudicij aduersus peccatum, & constitutio politiæ,ut certa sedes esset uerbi & testimoniorum Dei. Sed nouum non erit externa promulgatio Legis, sed noua & æterna uita, lux & iusticia, lege ardente in cordibus, abolita morte & peccato. Complectitur enim Ieremias totum & integrum effectum noui Testamenti, ut plerunq; Prophetæ de beneficijs Messiæ loquentes, non tantùm de incoatione concionantur, sed de tota & integra instauratione naturæ. Fitq; ita illustre discrimen noui & ueteris Testamenti, cùm illa noua cœlestis & integrè liberata natura ab omnibus malis, confertur ad ueterem naturam, subiectam Legi & morti.

Cur appelletur Testamentum uetus,sci-

Huc etiam appellationes referantur: Vetus, sic dicitur & propter tempus & propter subiectum: Quia legis promulgatio tempore antecedit instaurationem

rationem naturæ incoatam resurgente Christo, & complendam, cũm tota Ecclesia resuscitata ornabitur sua gloria. Deinde propter subiectum dicitur Vetus, quia hæc uetus natura premitur iudicio legis, & coërcenda est disciplina legis. Ac ut uetustas naturæ manet in hac uita, sic manet lex & hoc ingens opus, quod lex in maledictionibus denunciat, id est, manet ira Dei æterna, nisi ex Euangelio fuerit accepta remissio. Deinde manent & ingentes calamitates quæ sunt pœnæ, quibus Deus omnium peccata extra Ecclesiam & in Ecclesia punit, grassantur bella, morbi, inopiæ, uastationes, exilia, iniuriæ, desertiones, perfidiæ, distractiones amicorum, denicq; dolores innumerabiles. Has ærumnas sciamus non casu accidere, sed perpetuam uocem Legis esse, quæ hanc miseram naturam admonet de ira Dei æterna, & frenat & coërcet, nec putemus deleta politia Mosaica propterea desijsse iudicium Dei, & maledictiones aduersus peccata. Incoatur quidem benedictio & liberatio in ijs, qui credunt Euangelio, & ira Dei æterna remittitur: Sed donec uetustas corruptæ naturę manet, simul manent aliquæ pœnæ.

licet propter tẽpus & propter subiectũ.

Nam uox legis moralis & maledictiones, ideõ reuelatæ sunt, non quõd ad illum populum tantũm pertinerent, sed ut alicubi extaret testimonium & iudicium Dei aduersus peccatum in toto genere humano. Dicitur ergo uetus testamentum, hoc onus, quia premit totam ueterem naturam, non solũm in impijs, sed etiam in sanctis, ante integram liberationem. Sed his consolatio, auxilium et mitigatio proponitur in Euangelio, & eatenus maledictio abrogata est. At impij pereunt iuxta maledictiones sine liberatione, ut multi præstantissimi homines horribiliter perierunt, oppressi simul præsentibus calamitatibus et æterna ira, ut Saul, Pompeius, Cęsar, Crassus, Cato, & sunt in conspectu quotidiana exempla congruentia cum uniuersa mundi historia. Cũm enim natura hominum sit rea, premitur maledictionibus legis.

Ex his quæ recensui satis intelligi potest, quomodo quadrent appellationes ueteris & noui Testamenti, si tempus promulgatæ legis, & integra instauratio conferatur. Item, si cogitemus ueterem naturam premi & coërceri, ante integram instaurationem: Idq; cũm cogitamus, singuli suas ærumnas sciant esse Legis concionem, qua de ira Dei admonemur, ut quæramus Messiam, sciant frenos nobis inijci, ut hæc uetustas naturæ coërceatur.

Nouum Testamentum est prædicatio remissionis peccatorum, & donatio uitæ æternæ, ac nouæ iusticiæ, deleto peccato, & deleta morte, propter Christum Mediatorem. Cũmq; nominatur nouum Testamentum, incoatum intelligamus in omni prædicatione Euangelij, inde usq; ab initio datæ promissionis, & compleri intelligamus in tota Ecclesia, cũm ex morte resuscitata induet æternam gloriam.

Nouum testamentum quid sit.

Et huius ingentis gloriæ exemplum in capite & aliquot membris uiderunt Apostoli, cũm uiderunt resuscitatum, & ascendentem Christum. Ibi enim uiderunt integrè in illis abolitam esse mortalitatem, uiderunt nouam naturam fulgentem luce diuina, noua iusticia & uita. Sic de nouo Testamento Ieremias locutus est, complectens non tantũm prædicationem Euangelij ante resurrectionem, sed integrum beneficium, cap. 31. Dabo legem in corda eorum, & ero eis in Deum, & erunt mihi in populum, & non docebit ultra uir proximum suum, dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me: Quia ero propicius iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.

Dictum Ieremiæ de nouo Testamento.

Pugnan-

Pugnantia hic dici uidentur, Primùm enim inquit, Feriam nouum pactum, At uerò pacta fiunt uerbo aliquo, & ministerio uocali, per quod Deus suam uoluntatem declarat, & sæpè aliàs dicitur, in nouo Testamento propagandum esse nouum uerbum, ut Esai: 51. Spiritus Domini super me, ad annunciandum afflictis misit me. Postea uerò inquit: Non docebit ultrà uir proximum suum. Hic inquit, Ministerium uocis humanæ desiturum esse. Hæc congruunt rectè distributa.

Nouum testamentũ per ministerium Euangelij incoatur in hac uita.

Incoatur enim nouum Testamentum in hac mortali uita, per ministerium prædicandæ promissionis omni tempore. Sed completur integrè exhibita luce, iusticia & uita æterna, in qua ministerium docendi mandatum hominibus cessabit, & coram fruemur æterno conspectu Dei. Interim uerò etsi est incoatum nouum Testamentũ in renatis, tamen quia uetustas carnis manet, caro, ut suprà dictum est, horribiliter premitur maledictionibus Legis, hoc est, calamitatibus omnis generis, ut agnoscatur ira Dei aduersus peccatum, & quæratur Mediator. Item, ut peccatum coërceatur & puniatur. Ideò, ut suprà sæpè dictum est, maximè Ecclesia ingentibus calamitatibus oppressa est, quia præcipuè in Ecclesia Deus iram suam aduersus peccatum uult conspici: Sed tandem Ecclesia prorsus & peccatum exuet, & liberabitur ab omnibus pœnis, & ornabitur æterna uita & gloria. Sicut hic dicitur, Peccati eorum non recordabor amplius.

Pauli de ueteri & nouo Testamento sententia.

Sic 2. Corinth: 3. Paulus discernit nouum Testamentum, & quidem doctrinam tradit grauissimam, & dulcissimam consolationem. Doctrina hæc est, Testamentum uocat literam & ministerium mortis, id est, Legem accusantem & damnantem homines. At nouum uocat ministerium Spiritus, id est, prædicationem Euangelij, per quam datur Spiritus sanctus, incoans in corde nouam lucem, iusticiam & uitam, ut Rom: 1. dicitur: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Agnita misericordia per Euangelium, non iam fugiunt mentes Deum, sed accedunt ad eum tanquam patrem, & ut accedant, adiuuantur Spiritu sancto, inuocant, credunt, ac quiescunt in promissionibus, cùm considerant Deum fœdere æterno & immutabili sibi adiunxisse humanam naturam, cùm Filius natus est ex uirgine, id est, cùm duæ naturæ diuina & humana in Filio copulatę sunt, tenent euidens testimonium, quod ostendit Deo uerè curæ esse genus humanum, cùm audiunt hunc Filium mitti, ut sit uictima, & sit autor nouæ & æternæ uitæ, sicut Esaias inquit: Pater æternitatis ad ipsum confugiunt, & hæc ipsa uox Euangelij est potentia ad salutem omni credenti, id est, per hanc datur Spiritus sanctus, & incoatur noua & æterna iusticia.

Consolatio est addita. Miretur aliquis, cur noui Testamenti gloria tam topere celebretur à Prophetis, cùm illa collectio Ecclesiæ, quæ fiebat per Apostolos, nequaquàm habeat tàm conuenientem ordinem, tàm certos gubernatores, tales uictorias & miracula, sicut eductio ex Aegypto, & cõstitutio politiæ.

Hic respondet Paulus, Imò illa glorioſa facta omnia exhibita sunt, ut essent testimonia non tantùm de illa peritura politia, sed de promissione futuri & æterni regni. Ac docent, ut credamus cùm adfuerit Deus illi perituræ politiæ, multò magis adfuturum esse isti suo æterno regno. Offenduntur humana iudicia, cùm uident Ecclesiam esse dispersos & uagos cœtus, sine præsidijs humanis, sine potentibus gubernatoribus, denicq; sine ordine. Deinde singuli sua infirmita-

infirmitate excruciantur, quærunt quid prosit Euangelium,& nomen Christi, cùm non sentiamus in nobis noua & miranda dona. Item relinquamur in ærumnis, sicut alij damnati homines in hac uita.

Aduersus has dubitationes opponit Paulus hanc collationem.Si perituræ politiæ ministerium fuit glorioſum,quantō magis hoc ministerium salutis æternæ erit glorioſum,id est,erit efficax in his,qui Euangelium amplectuntur,& mirabilibus modis seruabitur. Angimur animis in tantis tumultibus rerum humanarum,metuimus Ecclesiæ, doctrinæ, literarum interitum, & hæc pericula monent, non humanis consilijs, sed diuinitus inter tantas regnorum confusiones & ruinas seruari Ecclesiam. Id uult Deus considerari, & uult peti defensionem, & ne frangamur animis, tradidit promissiones, mansuram esse Ecclesiam in terris usq; ad finem mundi, sicut clarē inquit Christus Matthæi ultimo:Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Iam cùm Ecclesia mansura sit, necesse est Euangelium esse glorioſum,id est, efficax, necesse est protegi Ecclesiam mirabilibus operibus Dei, necesse est & studia aliqua literarum manere, etsi in hac ultima senecta mundi omnia erunt imbecilliora & deformiora. Sed tamen cogitatione harum consolationum nos confirmemus, & ad precandum excitemus.

Descriptiones Noui testamenti in Prophetis.

Sunt autem plurimæ noui Testamenti descriptiones passim in Prophetis,in quibus simul mentio fit & passionis Christi & beneficiorum,uidelicet remissionis peccatorum & regni æterni,hoc est, nouæ & æternæ iusticiæ & uitę, ut Esai: 53. & Daniel: 9. Septuaginta hebdomades præfinitæ sunt populo tuo, ut in his aboleatur peccatum, & exhibeatur iusticia æterna. Item: Occidetur Dominus.In his dictis breuiter summæ rerum, quę in nouo Testamento fient, comprehensæ sunt.

Sic & Zach:9.dicitur: Tu quoq; in sanguine testamenti tui emittes uinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Breue dictum est,ut multa sunt in Prophetis,sed collatione fiunt perspicua. Vocat sanguinem testamenti,sanguinem uictimæ, per quam testamentum de rebus æternis condendum & confirmandum est,uidelicet sanguinem Christi. Norant enim Prophetæ,non tolli peccatum sanguine pecudum, sed eas uictimas signa esse alterius uictimæ. Educes, inquit,uinctos tuos de lacu,id est, ex morte æterna captiuos, illos uidelicet, qui erunt tui, & quidem educes sanguine, id est, uictima quæ promissa est, ut res æternas restituat,uidelicet placata ira morte filij Dei. Complectitur ergo mortem Christi, & æterna beneficia.

Deinde quale sit hoc regnum, quales actiones præcipuas habiturum sit, describit cap: 12. Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Hic nominat propria noui Testamenti bona, Spiritus gratiæ est Spiritus sanctus, quo adiuuantur corda, ut agnoscant audito Euangelio, & credant se recipi in gratiam, statuant uerē placatam esse iram Dei: Postea uerō agnita misericordia inuocent, ac præcipuē nominat inuocationem, quia hæc est solius Ecclesiæ cultus,prorsus ignotus omnibus ignorantibus Euangelium.

Ac simul doctrina & consolatio traditur, admonemur ut inuocemus, & significatur,hunc cultum Deo gratum, & non irritum fore. Hæ descriptiones & similes in Prophetis utilissimæ nos de nouo Testamento, & beneficijs noui Testamenti erudiunt,quæ quidem propius aspiciemus, cùm has amplissimas consolationes ad usum nostrum transferemus, & Spiritum inuocationis excitabimus.

Et plerunq; Prophetæ de nouo Testamento dicentes, simul de pœnis impiorum præsentibus & æternis concionantur, ut Amos 9. Ecce oculi Dei super regnum peccans, & conteram illud: Veruntamen non conteram regnum Iacob. Ecce ego mundabo & concutiam in omnibus Gentibus domum Israël, sicut concutitur triticum in cribro, & non cadet granum super terram. Gladio morientur omnes peccatores. In die illo suscitabo tabernaculum &c, id est, Cùm colligam mihi Ecclesiam, simul horribilibus pœnis declarabo iram aduersus impios, deletis regnis excerpam & seruabo exiguam multitudinem, ut deleta Hierosolyma, & dissipata Gente Iudaica excerptæ sunt reliquiæ prædicatione Apostolorum, & postea dilacerato imperio Romano, ciuilibus & barbaricis bellis, tamen Ecclesia collecta est, & nunc tristissimi regnorum motus & excidia sunt pœnæ fatales mundi, inter quas tamen Deus excerpit Ecclesiam, & cùm glorificabit totam Ecclesiam, simul in æternas pœnas abijciet impios.

Sic describit nouum Testamentum Esaias, cap: 65. de inuocatione & prædicatione loquens: Ecce ego ad gentẽ, quæ nesciebat me. Deinde de pœnis imperiorum: Vos qui dereliquistis Dominum, in cæde corruetis. Interim tamen inquit: Excerpi Ecclesiam, ut si una uua inueniatur, ne disperdam, inquit, totũ. Et de completione noui Testamenti addit: Ecce creo cœlos nouos &c.

In Prophetis incoatio et cõpletio noui testamenti discernenda sunt.

Hæc dicta Prophetarum consideranda sunt, ut incoationem & completionem discernamus: Item, ne tristissimo spectaculo ruentium imperiorum fracti, existimemus nullam esse Dei Ecclesiam: Sed sciamus inter has horrendas confusiones, tamen quærendum & retinendum esse uerbum Dei, & eos qui side, uoluntate, inuocatione & confessione, cum uera Ecclesia coniungunt, esse membra populi Dei, ubicunq; sunt, etiamsi inter tumultus regnorum seruitute aut morte opprimuntur. Hanc consolationem pijs necessariam esse hoc ipso tempore omnes intelligunt. Sæpè enim hac tentatione sani concutiuntur, An Deus prorsus abiecerit has Gentes, ubi non manent Ecclesiasticæ politiæ. Hic multi ruunt in desperationem, pauci pij uix magno certamine eluctantur. Hos dolores describens Oseas cap: 13. cùm etiam de nouo Testamento dicturus est, inquit: Dolores parturientis, uenient eis, sed de manu mortis liberabo eos. Ero mors tua ò mors. Quid uocet dolores parturientis, satis intelligunt nunc sani, qui afficiuntur conspectu Turcici latrocinij & aliorum tumultuum ac confusionum in multis locis, sed addita, est consolatio, quæ pios hortatur confugere ad promissionem noui Testamenti: Ero mors tua ò mors. Item: Omnis qui inuocabit nomen Domini, saluus erit.

Cur dicatur nouum Testamentum.

Dixi quid sit nouum Testamentum, Ac monui considerandum esse, quæ dicta de incoatione, quæ de impletione loquantur. Dicitur enim nouum Testamentum, & quia promissio post lapsum tradita est, & quia incoatur noua & æterna iusticia & uita, quæ bona integrè post resurrectionem exhibebuntur. Nunc uerò Ecclesia in hac infirma natura subiecta est crucí, & imperia mundi omnia fatalibus pœnis concutientur usq; ad finem. Quare etiamsi delera est politia Israël, & cum ea ceremonię & forenses leges extinctæ sunt, tamen uox Legis quæ iudicat peccatum, uidelicet uox Decalogi semper manet, manent & pœnæ, sed pijs mitigantur.

Vox Legis semper manet.

Sicut autem in politia Israël Deus pacem & alia uitæ commoda promisit populo, si obediret: Sic Ecclesia quanquãm dispersus cœtus est, nec habet certum imperium, aut certam sedem, tamen quia huic uitæ opus est uictu & hospi-

& hospitio, promissiones habet, non de certa sede, sed de hospitijs, & uictu in genere.

Prudenter igitur exempla pœnarum & bonorum Israël accommodanda sunt, ut ibi polluti idolis, libidinibus & alijs sceleribus puniti sunt, ita nunc uagantur pœnæ per omnes pollutos: Quia iudicium Dei aduersus peccata idem est omnibus temporibus, & exempla illa proposita sunt, ut uocem Legis & iudicium Dei uniuerso generi humano, & omnibus ætatibus declarent, & nos ad pœnitentiam hortentur. Deinde ut Dauid, Esaias & multi alij inuocantes Deum, exaudiuntur & defenduntur in sua uocatione: Ita & nunc sciamus Deum Ecclesiæ etiam cũm dispergitur, tamen hospitia aliqua daturum esse, ut tunc dabat Eliæ exulanti nidulum apud uiduam Sareptanam.

Sed tamen discrimen esse sciamus, nobis non est promissum regnum, non promissa est certa sedes: Sed in genere sciamus Deum in hac uita daturum esse hospitia Ecclesiæ & studijs, sicut nascenti Christo hospitium fuit in præsepi. In hanc sententiam inquit Paulus 1. Timoth: 4. Pietas promissionem habet præsentis & futuræ uitæ. *Ecclesiæ promissa sunt hospitia et uictus in genere, non certa sedes.*

Ac ualdè prodest intelligere, cur promissiones corporalium bonorum traditæ sint: Possunt autem numerari tres causæ.

Prima, ut refutentur Epicurei furores, hoc est, ne casu aut ordine naturæ tantùm existimemus nobis obijci bona corporalia sine auxilio Dei: Sed uerè statuamus hæc bona etiam Deo curæ esse, & Deum nobis dare hospitia, politias, domicilia, pacem, uictum, bonos successus in laboribus. Hæc sæpè inculcantur, ut Psalm: 126. Nisi Dominus ædificauerit domum. Et sequenti. Beati omnes qui timẽt Dominum. Labores manuum tuarum manducabis. Et Psal: 36. In diebus famis saturabuntur. Christus inquit: Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Et quidem iubet petere panem quotidianum. Et Deut: 8. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum, ut ostenderet, quòd non in solo pane uiuit homo, sed ex omni uerbo quod procedit ex ore Dei. Et de Isaac dicitur Gen: 26. Seminauit Isaac in terra illa, & inuenit illo anno centuplum, Benedixitq; ei Dominus & locupletatus est. Et Gen: 38. Si fuerit Deus mecum, & custodierit me, & dederit mihi panem. Denicq; sparsa sunt ubicq; testimonia, auxilio Dei hãc corporalem uitam defendi, & iuuari rebus necessarijs. *Bona corporalia promissa propter tres causas. Prima.*

Secunda causa est, cur promissiones bonorum corporalium datæ sint, ut sciamus, Deum in hac uita Ecclesiam seruaturum esse. Nam in tanta magnitudine periculorum hac consolatione nobis opus est. *Secunda.*

Tertia causa est, ut fides & inuocatio in petendis et expectandis his rebus necessarijs exerceatur, et crescat agnitio bonitatis et præsentiæ Dei, ac simul crescat gratitudo. Ideò Paulus inquit Rom: 5. Tribulatio patientiam efficit, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Cùm uidet Paulus exaudiri se precantem in naui, et seruari omnes, quanquàm fracta naui, agnoscit præsentiam Dei, et hoc testimonio fides fit ardentior et firmior, et accenditur gratiarum actio. *Tertia.*

Harum causarum cogitatione nos quoq; fidem exerceamus in petitione corporalium bonorum. Exerceamus & gratiarum actionem. Et quanquàm oportet singulos paratos esse ad obedientiam in calamitatibus, tamen sciamus in hac precatione, duo obiecta comprehendenda esse. Oramus pro toto corpore Ecclesiæ, & pro nobis ipsis, Petimus ne bellis tota Ecclesia deleatur, ac pro *In petitione bonorum corporaliũ duo obiecta compre-*

hendenda sunt tota Ecclesia & nos ipsi.

uniuerso cœtu certō impetramus. Quanquām autem non semper singulis tollitur malum, tamen mitigatio impetratur, ut orantes pro Dauidis exercitu, primùm totum exercitum orabant seruari, idq; impetrabant. Deinde singuli ad obedientiam parati erant, si dimicantes interficerentur, sed tamen sibi mitigationem impetrabant, ut multi seruarentur, aut certē consolationem à Deo haberent. Vt Ionathas quanquām interficitur, tamen prius ornatus, & confirmatus est à Deo, & uincit ea pars tandem, quam ipse optabat superiorem esse. Hæc dixi, ut in his precationibus discamus complecti non nos tantùm, sed totam Ecclesiam, & toras politias, & de his exercitijs homines sæpē commonefaciendi sunt.

Ceremoniæ & forenses leges cum politia Moysis deletæ sunt.

Exposui discrimen ueteris & noui Testamenti, quod in Ecclesia dextrē intelligi ualdē utile est. Postremō autem hoc monendus est lector, ut politia Mosaica funditus deleta est, Ita ceremoniæ & forenses leges, quæ non sunt præcepta naturalia, abolitę sunt, Nec magis ad nos pertinent, quām leges Solonis. Sed ut natura hominis manet, ita manent naturalia, quale est: Ne cognati in primo & secundo gradu connubia contrahant. Et inter naturalia Decalogus est, qui est præcipua pars Legis, propter quam cætera constituta sunt. Voluit enim Deus promulgationem fieri Decalogi illustri testimonio, ut extaret clara uox iudicij diuini aduersus peccata totius generis humani. Ideō tantis miraculis populus ex Aegypto eductus est, & tot annos mirabiliter in deserto defensus, ut conspiceretur præsentia Dei, & hæc miranda facta omnia, testimonia essent uocis Decalogi, quæ non est abolita, sed est æternum & immutabile iudicium Dei aduersus peccata.

Quōd enim confugientibus ad Christum remittuntur peccata, non propterea Deo peccatum placet, sicut placet esus carnis suillæ, cui tunc interdictum erat. Manet hæc uox, & est æterna: Non Deus uolens impietatem tu es: Sed ingentem iram suam effudit in Filium, qui pro nobis intercessit, & persoluit pœnam: Hoc precio intercedente recipimur. Qui autem non confugiunt ad hunc Filium, hi manent condemnati uoce Legis, & pereunt. Hæc aliās copiosius exponemus.

Ceremoniæ Leuiticæ continent imagines de multis beneficijs Christi.

Cæterùm etsi ceremoniæ Leuiticæ abolitæ sunt, tamen continent imagines de multis Christi beneficijs, sed dextrē explicandæ sunt, Nam praua imitatione Legis Mosaicæ multi errores confirmati sunt. In Lege honorificentissimē institutus est ordo sacerdotum: Præpositus summus sacerdos, aliæ familiæ sacrificijs, aliæ alijs laboribus destinatæ sunt: Hi ad Tabernaculum seu Templum certis uicibus præstō erant, docebant, sacrificabant, dijudicabant controuersias doctrinæ, uersabantur in studijs, Denicq; nihil hoc collegio in toto genere humano pulcrius & uenerabilius fuit. Etsi enim sępè multi ibi erant impij, & postremo tempore Pharisæi & Saducæi, tamen quia Deus familiæ sacerdotum promissionem dederat, semper aliquæ reliquiæ piæ manserunt, ut Ieremias, & postea Simeon, Zacharias & alij multi.

Hoc exemplum collegij omnium toto orbe terrarum pulcerrimi, certē significat in Ecclesia semper fuisse & futurum esse ministerium uocis diuinę, per quod Deus est efficax, & impertit uitam æternam: Monet item, hoc ministerium reuerenter colendum esse. Sed principalis functio est huius collegij, proponere Euangelium, ut Malach: 2. dicitur, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & Lex requiritur ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.

Sicut

Sicut autem Ethnici quondam retinuerunt ceremonias Noë, Sem & Iaphet, amissa doctrina: Sic indocti ultimis temporibus finxerunt ad imaginem sacerdotij Leuitici regnum pontificium, in quo obscurata luce Euangelij, dederunt pontifici imperia & potestatem leges condendi de nouis cultibus, & ut alluderent ad sacrificia Leuitica, uerterunt Cœnam Domini in sacrificium certi ordinis, quod finxerunt prodesse uiuis & mortuis, ex opere operato, id est, sine bono motu utentis. Hæ deprauationes & κακοζηλίαι reprehendendę sunt, & quærendum, quis tunc fuerit pius usus sacrificiorum, & quid uerè significent. *Regnum Pontificum ad imaginem sacerdotij Leuitici confictum sine uerbo.*

Multæ sunt dulces significationes in ceremonijs, quæ pios de magnis rebus admonent, sed cauendum est ne aberret interpretatio. Pulcerrima imago est Ecclesiæ omnium temporum, Arca collocata in Sancta sanctorum, quæ uocabatur Arca fœderis. *Imago arcæ collocatæ in Sancta sanctorum quid significet.*

Primùm igitur appellatio Arcæ fœderis, significat illum tantùm esse populum Dei, cum quo expresso uerbo pactum fecit. Amisso igitur uerbo Dei populus ille desinit esse Ecclesia Dei, & singuli ita tantùm sumus uerè membra Ecclesiæ, cùm illud pactum fide amplectimur, et quasi in hanc arcam nos includimus, in qua non parietes contemplandi sunt, sed hæc appellatio fœderis, uidelicet, quæ monet Deum nobiscum fecisse pactum, nos receptos esse à Deo. Vides igitur hac ipsa appellatione significari eam esse Ecclesiam, quæ fœdus, id est, uerbum Dei amplectitur. *Appellatio arcæ.*

Deinde in arcam collocatæ sunt tabulæ Decalogi, quo significatum est Ecclesiam semper oportere custodem esse ipsorum librorum Propheticorum & Apostolicorum, in quibus Deus se patefecit. Vbi igitur hi libri non sunt, ibi Ecclesiam Dei esse impossibile est, ac seruatur Arca propter hos libros. Sic semper aliquis cœtus seruabitur, qui erit custos horum librorum. Ita primùm professio & libri custodia significatur, ut ad huius libri conseruationem & lectionem inuitemur. Deinde significatur, qualis sit Ecclesia Dei distincta à reliquo genere humano. In mentibus huius cœtus lucet agnitio Dei tradita in uerbo, & incoata est obedientia, & olim erit integra. Talis erit populus æternus Dei, tenens in mentibus, & tota natura instaurata, inclusum Decalogum, Ardebit dilectione Dei toto corpore, tota anima, sine uitiosis appetitionibus. *Tabulæ Decalogi in arcam impositæ.*

Tertiò, Arca tegebatur tabula aurea, quæ uocabatur Propiciatorium. Hac appellatione significatum est, Ecclesiam tegi aduersus iram & horrendum iudicium Dei, Mediatore Christo, qui, quia est Propiciator, Deus parcit nobis, recipit nos, ac seruat nos. Sine hoc umbraculo natura hominum opprimeretur magnitudine iræ Dei. *Tabula aurea super arcam.*

Addita est autem promissio de Propiciatorio, Exodi 25. Inde Deum locuturum esse, ibi exauditurum esse. Ideóq; hæc Tabula nomen habuit Propiciatorij, quia Deus eo loco uoluit inuocari, & ad hunc locum alligauit populum, ita ne alijs locis nouæ arcæ, noua Templa conderentur. Congruit autem Typus. Vt autem Propiciatorium est sedes Dei, ita Christus uerè est sedes Dei; quòd in Christo uerè est diuina natura, & ad hūc alligata est Ecclesia, non exaudimur nisi propter ipsum, ut scriptum est: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Quare inuocantes sine agnitione & sine fiducia Christi, repelluntur à Deo, ut omnes ignari Euangelij. *Promissio de Propiciatorio.*

Supra hanc sedem stant duo Cherubin, alas iungentes, & sese contuentes. *Cherubin super arcā alas*

iungentes & sese contuentes.

Hi significant ministerium doctrinæ in utroq; Testamento, & sunt iunctæ alę, & facies se mutuò contuentur, ut consensus doctrinæ significetur. Eadem est uox Prophetarum & Apostolorum de peccato, de liberatione per Christum, de uita æterna, deniq; de uera agnitione Dei, & uero cultu Dei: tota illa pompa sacrificiorum ueterum, significat unum sacrificium filij Dei, qui pro nobis uictima factus, sustinuit iram Dei effusam in se, quasi ipse peccata nostra admisisset. Huius iræ, doloris, confusionis, ignominiæ, humilitatis magnitudinem, nulli Angeli, nulli homines eloqui possunt, sed tamen excitandæ mentes sunt ad tantæ rei cogitationem. Ac rursus admonent hi Cherubin, non esse Ecclesiam, ubi non est doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ ministerium. Vectes & baculi significant etiam ministros, doctores & scholasticos. Etsi autem hoc nostrum munus sordidum est, & longè infra impiorum gubernationem collocatum, tamen sciamus Deo gratum esse, ac necessarium generi humano, & à Deo mirabiliter inter ingentes procellas defendi & seruari. Plenum est igitur ueræ dignitatis, ac nos ipsi muneris magnitudinem cogitantes ornare functionem nostra diligentia, patientia, modestia studeamus, & aduersus pericula sustentemus nos promissionibus: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item, Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & contra eam non prævalebunt portæ inferorum.

Etsi autem sumus, ut Paulus inquit, uasa testacea, homines miseri, infirmi, egeni, non florentes opibus, tamen fungimur legatione pro Christo, ut inquit Paulus, quam certè Deus defendet, sicut in ipsa multorum Prophetarum & Apostolorum uocatione declarauit, hoc munus sibi curæ esse. Quantis miraculis uocauit Esaiam, Ieremiam, Iohannem Baptistam, Paulum? Hæc non temerè acciderunt, nec propter illos tantùm, sed testimonia sunt utilia toti Ecclesiæ, quæ ostendunt Euangelium uerè esse uocem Dei, & Deo curæ esse ministros. Hæc satis sit admonuisse de ceremonijs Leuiticis, ut studiosi cogitent typos fuisse rerum magnarum, & ad dextram interpretationem, opus esse uera Euangelij cognitione.

Leges forenses Moysi admonent de ordine politico.

Postremò, Etsi leges forenses nihil ad nos pertinent, tamen in genere admonent Deo placere uitam politicam, contractus, ordinem magistratuum, iudicia, pœnas sceleratorum, ac ostendunt pios debere in talibus officijs exercere fidem, confessionem, patientiam, dilectionem: Nam ut suprà diximus, ante hæc opera politica, fundamentum teneri necesse est, uidelicet noticiam promissionis, ac fidem, ac incoatam obedientiam Decalogi.

Discrimen legum forensium Moysi & aliarum gentium.

Et quia politia Mosaica optima idea & forma est politiæ in hoc naturæ deprauatæ statu, prudentibus gubernatoribus utile est hanc formam considerare. Leges Ethnicę in duabus rebus fuerunt negligentiores, in puniendis blasphemijs, & prohibendis uagis libidinibus. At Lex diuina grauissimas pœnas constituit in cultores idolorum, blasphemos, impios doctores. Item: in pollutos uagis libidinibus. Voluntas igitur Dei de his delictis in Lege diuina, à sapientibus gubernatoribus consideranda est.

DE DISCRIMINE PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

VT Paulus inquit: Ego aliquando sine Lege uiuebam, id est, non sentiebam me à Lege accusari, non expauescebam, non sentiebam iram Dei, aduersus

uersus peccatum, non cogitabam quanta res sit peccatum, aut ira Dei. Ita maxima pars hominum secura est, ac ne leuiter quidem cogitat, quanta res sit peccatum, quanta res sit ira Dei. Cùm tamen pœna primi lapsus, & cùm tantæ calamitates totius generis humani, nos quotidiè admoneant de magnitudine iræ Dei. Deniq; cùm Christi intercessio & mors sit testimonium, seriò & uerè Deum irasci peccato. His testimonijs aliquantum mouentur corda piorum, qui iræ magnitudinem aliqua ex parte sentientes, petunt mitigationem pœnarum, ut: Domine ne in furore tuo arguas me. Item Abacuc: Cùm irasceris Domine, misericordiæ tuę recordaberis. Item, Ierem: 10. Corripe me Domine, ueruntamen in iudicio, non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me, Tales aliquo modo intelligunt discrimen peccati uenialis & mortalis. Homines securi, ebrij uoluptatibus, non intelligunt hoc discrimen, Ideò & multi scriptores in hoc loco hallucinati sunt.

Maxima pars hominum secura est.

Etsi autem magnitudo iræ Dei uerbis describi non potest, tamen discendi causa teneantur hæ definitiones. Peccatum mortale in genere est defectus, uel inclinatio, uel actio contra Legem Dei, offendens Deum non remissa, sed iram Dei, & æternas pœnas promerens. Sunt igitur in non renatis peccata mortalia ipse morbus originis, & omnes uiciosi affectus, & omnes prauæ actiones. Etsi autem magna est uirtus Pomponij Attici, aut Senecæ, non uolunt cuiquam nocere, imò multis benefaciunt, non polluunt se libidinibus, non sunt defraudatores in contractibus, tamen mentes dubitant de prouidentia, nec inuocant Deum, sed potius fremunt aduersus Deum, cùm uident in tanta confusione uitæ sæpè negligi bonos. Hæc caligo in corde magnum peccatum est, quod tamen homines contemnunt. Cùm autem corda auersa sunt à Deo, uirtutes etiam talium non renatorum polluntur, nec rectè reguntur. Benefacit Atticus, sed non propter Deum. Alexandri fortitudo uerè erat donum Dei, & excellens uirtus, & res quas gerit, adiuuantur à Deo. Sed Alexander ipse non habet hunc finem propositum, ut Deo seruiat, ut sua gubernatione propagaretur uera de Deo noticia: Imò nec uerè credit suam manum in præliando à Deo gubernari, sed existimat casu & sua uirtute res Macedonicas crescere. Ideò negligens Deum, postea sese nimium admiratur, uult se coli ut numen, interficit amicos, à quibus arbitratur se non satis magnifieri, ruit in libidines flagitiosas. Hæ labes ostenderunt, quale fuerit antea cor immundum. Ergo immundicia cordis & uirtutes polluebat, & postea genuit manifesta scelera.

Peccatum mortale quid sit.

Quanquàm autem Nero & Epicurus multò atrocius peccant quàm Cato, tamen utriq; sunt oppressi peccatis mortalibus horrendis, & ira Dei æterna. Nec necesse est in non renatis quærere discrimen peccati mortalis & uenialis: Quia omne quod non est ex fide, peccatum est. Cato est sine luce uerè inuocante Deum, fugit Deum, fremit aduersus eum, cùm uidet se in causa (ut uidetur) iustiore negligi, hic prorsus ei omnis de Deo persuasio elabitur. Quare omnes actiones eius sunt damnatæ. Sed de renatis necesse est quæri, qui habeant peccata uenialia, & qui eorum lapsus dicantur mortalia peccata.

In non renatis frustra quæritur discrimen peccati mortalis et uenialis.

Quanquàm igitur renati, in quibus accensa est agnitio Christi, fides & uera inuocatio, & incoata est obedientia, sunt iusti, placent Deo, & habent Spiritum sanctum, tamen in eis adhuc in hac uita manet ingens infirmitas, uidelicet caligo in mente de Deo, & uoluntatis ac cordis praua inclinatio,

Peccata in renatis reliqua quæ dicuntur uenialia.

& multi uicioſi affectus: Incurrunt in animum prauæ dubitationes de Deo, fiducia, timor, dilectio, & aliæ uirtutes omnes multò languidiores ſunt quàm eſſe debebant, interim noſipſos pluris facimus quàm oportuit, & alimus in nobis ſuperbiam & fiduciam noſtri, & hac ſuperbia & fiducia noſtri, mouemus interdum incautè non mouenda. Vt Ioſias pius & ſanctus rex, bellum intulit Aegyptio offerenti pacem, & incenduntur ſancti ſæpè iniuſtis odijs, flammis iracundiæ & libidinum, quibus tamen repugnant, Sunt item ignorantiæ & omiſſionis peccata plurima in ſanctis, ſicut clamitat Dauid, Delicta quis intelligit? Nulla eſt enim functio uel Eccleſiaſtica, uel politica, uel œconomica, cui hæc humana infirmitas par eſſe poſſit.

Hæc mala in renatis ſunt contra Legem Dei, ut Paulus teſtatur Rom: 7. & quanta ſit deformitas, quanta magnitudo horum malorum, pij in ueris doloribus aliquo modo agnoſcunt. Sed quia perſona accepta eſt, accenſa agnitione Chriſti, & fide in corde, & donato Spiritu ſancto, & aliquo modo infirmitatem agnoſcit & deplorat, & expaueſcit agnitione iræ Dei aduerſus peccatum, & petit condonationem, & repugnat primis incendijs, fiunt huic perſonæ hæc mala uenialia peccata, id eſt, condonata, ita ut non excutiant Spiritum ſanctum & fidem, ac maneat perſona in gratia. Hæc docet Paulus Rom. 8. Nulla nunc condemnatio eſt his, qui in Chriſto Ieſu ambulant, id eſt, etſi ſunt in eis peccata, infirmitas illa quam dixi, & uicioſi affectus, tamen perſona accepta eſt, & damnatio remota eſt, ſicut & ſuprà inquit: Non eſtis ſub Lege, ſed ſub Gratia.

Perſona propter Chriſtum accepta ſi repugnat reliquijs peccati fiunt ea uenialia.

Quòd uerò dicitur, nihil eſſe peccatum, niſi ſit uoluntarium, caliginem, dubitationem, omiſſiones, ſubitos affectus præcurrentes iudicio & aſſenſui, non uoluntaria. Hæc cauillatio facilè refutari poteſt. Nam dictum illud, Nihil eſſe peccatum, niſi ſit uoluntarium, de iudicio ciuili loquitur, non de iudicio legis diuinæ. Imò caligo in mente dubitationes, omiſſiones magnæ & multæ, non affectatæ, & multæ ſubitæ flammæ ſunt peccata, etiamſi non ſunt uoluntaria. Sicut Paulus inquit: Quod nolo malum hoc facio. Et de ijſdem loquitur Iohannes, inquiens: Si dicimus nos non habere peccatum, mendaces ſumus. Loquitur enim de infirmitate & uicioſis motibus in renatis, non de lapſibus eorum qui contra conſcientiam, id eſt, uolentes indulgent prauis affectibus.

De dicto, Nihil eſſe peccatum niſi ſit uoluntarium.

Sic & Paulus diſcernit peccata eorum qui manent in gratia, & aliorum qui effundunt gratiam. Rom: 8. Si ſecundum carnem uixeritis, morieminì: Sed ſi ſpiritu actiones corporis mortificabitis, uiuetis, id eſt, ſi prauis cupiditatibus obtemperauerit uoluntas, auertens ſe à Deo, cùm ſciens & uolens ruit contra mandatum Dei, abijcit pœnitentiam, timorem Dei, & hanc fidem, quòd placeat Deo, ſauciat animum ne poſſit inuocare Deum, amiſſa gratia & Spiritu ſancto, iterum ruit in mortem, hoc eſt, accerſit ſibi iram Dei, & pœnas æternas, ut Adam & Eua ſuo lapſu amiſerunt gratiam, & ſibi horribilem iram Dei accerſiuerunt. Sed ſi ſpiritu actiones corporis mortificabitis, uiuetis: Vocat corporis actiones, uicioſæ naturæ prauos motus & negligentias. Tunc autem inquit nos uicturos eſſe, id eſt, retinere gratiam & Spiritum ſanctum, ſi uicioſis illis motibus repugnemus, & hic gradus magis perſpicuè declaratur in alijs locis, ubi præcipitur ut ſit in renatis iuſticia bonæ conſcientiæ, 1. Timoth: 1. Finis mandati eſt dilectio ex corde puro, conſcientia bona, fide non ficta.

Paulus diſcernit peccata eorum qui manent in gratia, & qui gratiam effundunt.

Tunc

Tunc ergo repugnamus, quando cauemus ne scientes & uolentes assentiamur uiciosis motibus, ac indulgeamus. Est in nobis assidua caligo, & hanc deploremus, sunt impetus multi uiciosi, uel prȩcurrentes uoluntatem, uel simul eam aliquantisper rapientes, ut Paulus inquit, Se captiuum duci ā peccato in membris: Hic si repugnas, nec contra conscientiam obtemperas, retines gratiam & Spiritum sanctum. Hæc nihil habent perplexitatis, nec opus est subtiliter & Stoicē metiri gradus cōsensus. Rapitur enim infirma uoluntas, priusq; animaduertat, sed illud spectandum est, quod facilē intelligi & iudicari potest, ne sciens indulgeas, sed ut repugnes, & addit Paulus, Spiritu, id est, ueris motibus pœnitentiæ, timoris ac fidei, expauescat uoluntas cogitatione iræ Dei, deploret infirmitatem, metuat insidias Diaboli, condonationem petat propter Christum, petat & auxilium Spiritus sancti, promissiones reuocet in memoriam, & tanquam ad magnum prælium se præparet, non admittat illecebras, sed fortiter eas repellat, occasiones uitet. Habent renati Spiritum sanctum, hunc non conturbent alendis & accendendis prauis motibus, sed sciant datum esse, ut nos regat, qui quidem uult nos regere & adiuuare, si ipsi non expellamus eum, sed repugnemus uiciosis motibus. Ideō dictum est 2. Corinth. 6. Adhortamur uos, ne frustra gratiam Dei acceperitis. Poterat Dauid retinere Spiritum sanctum, & ab eo adiutus fuisset, nisi uolens eum excussisset, & uolens aluisset incendium in animo ortum. *Quando repugnant sancti.*

Plurima exempla summorum uirorum proposita sunt, qui securitate lapsi sunt, & pœnas sibi & posteris accersiuerunt, ut Adam, Eua, Aaron, Dauid, Salomon, & de toto populo dicitur: Sedit populus manducare ac bibere, & surrexit ludere, id est, cum essent saturi & securi, obliti sunt Dei, & facti sunt negligentiores & petulantiores &c. Et notum est usitatum dictum, Luxuriant animi rebus plerunq; secundis. Ac circuit Diabolus intentus in occasiones, ut incautos implicet lapsibus inextricabilibus. Texit enim longam telam, uidet ex uno lapsu multa mala secutura esse, ut ex lapsu Adæ, Dauidis, Salomonis, quanta moles peccatorum & calamitatum secuta est? Hæc exempla & quotidianæ naturæ calamitates, semper nobis in conspectu sint, ac nos de horribili ira Dei aduersus peccatum admoneant, & precatio pellat securitatem, Sicut inquit Salomon: Beatus qui semper est pauidus. Item: Orate ne intretis in tentationem.

Etsi igitur morbi hærentes adhuc in renatis in hac uita, & uiciosi affectus non sunt leuia aut contemnenda mala, ut caligines, & dubitationes multiplices de Deo, carnalis securitas, errantes flammæ libidinum & odiorum, multa magna errata ignorantiæ non affectatæ, & omissiones non affectatæ, nec sunt tantùm ἀταξίαι præter legem Dei, ut Monachi finxerunt, sed uerē sunt contra legem Dei: Tamen donec manent in renatis bona conscientia & fides, manet etiam Spiritus sanctus. Neq; tamen fiducia nititur propria dignitate, sed Christo, & statuimus ex promissione nos in gratia esse propter Christum, ac repugnamus uiciosis motibus, & petimus condonationem. Sic retinetur inuocatio Dei, ut 1. Iohan. 3. dicitur: Cùm cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum, & quod petimus, accipiemus, quia mandata eius seruamus, hoc est, credimus in Christum, & retinemus bonam conscientiam. Necesse est autem & hoc sciri, conscientiam oportere regi uerbo Dei. *Reliquiæ peccatorū in sanctis sunt uerè contra Leges Dei.*

Dixi de Veniali peccato. Sed cùm hi qui fuerunt renati, scientes & uolentes

lentes uiolant Legem Dei, ut cùm amplectuntur impias opiniones, aut ſtabiliunt eas ſua approbatione, aut indulgent odijs, ambitioni, flammis libidinum, auaricíæ, aut externis factis ruunt contra Legem Dei, ut Dauid rapiens alienam coniugem,& aſtutè maritum interficiens. Hæ actiones contra conſcientiam,ſunt peccata mortalia,quæ admittens, amittit gratiam, fidem, & Spiritum ſanctum,& accerſit ſibi iram Dei,ac niſi rurſus ad Deum conuertatur, abijcitur in æternas pœnas, & quia conſcientia retinens propoſitum peccandi, contemnit aut fugit Deum,non poteſt Deum inuocare.

Actiones contra conſcientiam ſunt peccata mortalia.

Teſtimonia manifeſta hæc ſunt. Epheſ:5.Hoc ſcitote,quòd omnis ſcortator,aut impudicus &c. non habet hæreditatem in regno Dei. Nemo uos decipiat uanis ſermonibus, propter hæc uenit ira Dei aduerſus inobedientes. Clarè dictum eſt, Deum iraſci talibus, donec retinent uoluntatem talia faciendi.

Teſtimonia de peccatis mortalibus.

Ezech:33. Cùm receſſerit iuſtus à iuſticia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea,& cùm receſſerit impius ab impietate ſua,& fecerit iudicium & iuſticiam, uiuet in ea.

Eodem modo intelligantur & hęc dicta 1.Corinth:6.Nec ſcortatores,nec adulteri,nec idolatræ,&c.poſſidebunt regnum Dei.

Gal:5. Manifeſta ſunt opera carnis, adulterium, ſcortatio, idolatria, etc. De his prædico uobis, quòd qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Ideò autem uocat manifeſta opera, quia de eis conſcientia facientis certò iudicare poteſt ex Lege Dei, & ſcit Deo diſplicere malum propoſitum. Item 1.Iohan:3.Nemo uos decipiat, qui facit iuſticiam,iuſtus eſt: Qui facit peccatum ex Diabolo eſt. Præterea manifeſtiſſimum eſt, Euangelium poſtulare bonam conſcientiam.

1.Timoth:1. dicitur: Dilectio ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta: Et in eodem capite:Milita honeſtam militiam,retinens fidem & bonam conſcientiam.Et 2.Corinth:1.Hæc eſt gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Et ad Galat:6. Vnuſquiſq; opus ſuum probet, & ſic apud ſeſe gloriationem habebit, & non ab altero, id eſt, unuſquiſq; curet, ut ſuum opus rectè faciat, ſic habebit apud ſe gloriationem, id eſt, teſtimonium & approbationem propriæ conſcientiæ, quæ unicuiq; neceſſaria eſt, nec aucupabitur opinionem glorioſam ex aliorum reprehenſione, nec pendebit ex alienis tantùm iudicijs.

1.Pet:3.Bonam conſcientiam habentes.

Item, Impoſſibile eſt, hominem retinentem propoſitum peccandi, placere Deo,quia clarè dicitur: Viuo ego,nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat.Iuramentum ad utrumq; referatur, ad conuerſionem, & ad reconciliationem.Non igitur placet lapſus, donec retinet propoſitum peccandi.

Idem docet dictum Eſaiæ ultimo: Ad quem reſpiciam,niſi ad contritum Spiritu, & trementem ſermones meos? Et cap:57. Habitans cum contrito & humili ſpiritu,ut uiuificet ſpiritum humilium, & uiuificet cor contritorum. O dulcem conſolationem & promiſſionem, infigendam intimis pectoribus, ſed pertinentem ad eos qui expaueſcunt,hoc eſt, non retinent propoſitum peccandi,ſed metuunt iram Dei.

Impoßibile eſt ſimul exiſtere propoſitũ peccãdi & fidem.

Poſtremò hæc duo impoſſibile eſt ſimul exiſtere, malam conſcientiam, id eſt,propoſitum peccandi,& fidem quæ eſt fiducia miſericordiæ Dei propter Chriſtum promiſſæ,quia habens propoſitũ peccandi,contemnit aut fugit Deum,non

um,non accedit ad Deum. At fiducia misericordiæ accedit ad Deum,Pontifice Christo. Experiuntur sauciatæ conscientiæ, se ab inuocatione horribiliter depelli, & mergi uel in contemtum Dei, uel in desperationem. Ideō inquit Paulus:Quod non est ex fide,peccatum est,id est,res damnata à Deo. Multi autem exposuerunt hoc dictum sic,Quod non est ex fide,id est,quod est contra conscientiam,uel quod non est ex fide,id est,quod fit contra legem Dei,peccatum est: Sed nos sciamus & Legem & Euangelium comprehendi. Sit opus consentaneum legi Dei, & simul accedat fides, id est, fiducia misericordiæ propter Christum promissæ, ut in Nicodemo non est malum propositum, sed tamen ante conuersionem fides deest, id est, fiducia misericordiæ Dei propter Christum promissæ,qua statueret sua facta Deo placere.

Ex his omnibus perspicuum est, discernendos esse lapsus cōtra conscientiam,ab infirmitate & uicijs, quæ hęrent in sanctis, & hoc discrimen in Ecclesia retineri necesse est. Paulus uocat peccatum regnans seu dominans. *Peccatum regnans seu dominans apud Paulum.*

Etsi autem non litigo de uocabulis,tamen aliquid lucis addit collatio appellationum. Est enim singularis emphasis in uocabulo,Peccatum dominans, atrocitas & efficacia peccati describitur,quod,cùm non repugnamus,dominatur,id est,gignit effectus horribiles,cumulat scelera, & alijs alia addit, ac subinde maiores ruinas trahit,& maiorem iram ac tristiores pœnas meretur,& in æternum exitium reos impellit, ut Saul cùm fuisset donatus Spiritu sancto, & ornatus eximijs uirtutibus & insignibus uictorijs, non retinuit hoc decus, sed æmulationi succubuit. Huic affectui primùm facilè erat resistere, sicut Aaron repressit similes flammas. Sed Saul furorem alit, peccatum igitur dominans impellit eum primum, ut interficere Dauidem conetur, auellit eum à Deo, & excitat multiplices furores: Ruit iratus Saul,& sacerdotes interficit,auget igitur iram Dei pecccatum dominans,& latè sæuiens. Quare Deus & ipsum, & exercitum eius, & filium Ionathan, uirum sanctum, obijcit hostibus trucidandos.Hæc omnia complectitur tristissima appellatio Peccati dominantis.

Apparet autem Paulum sumsisse hanc formam loquendi ex Genesi cap: 4. ubi breuis concio recitatur, quæ tamen summam doctrinæ complectitur. Primùm de iudicio Dei concionatur:Si bonus fueris,eris acceptus: Sin autem malus,peccatum tuum cubabit donec reueletur, sub te sit appetitus tuus, & tu domineris ei. *Formula de peccato dominante sumta ex Genesi.*

De multis magnis rebus hi pauci uersiculi concionantur. Primùm docent ita placere externos cultus, si cor sit iustum. Deinde peccantibus pœnas minatur,& monet de mora, ne securitas confirmetur, quia pœnæ differuntur. Ac significat futurum iudicium post hanc uitam,& mira est descriptio. Totius mundi prophana securitas uno uerbo significata est. Peccatum cubabit seu quiescet,sed donec reueletur. Peccatum Iudæ cubabat, donec sentiebat pœnam.Deinde sequitur præceptum.Sint sub te appetitiones prauæ,& tu domineris:Hic significat,manere in hominib. uicioſas appetitiones, sed repugnandum esse,& Deo hanc obedientiam placere, cùm in agnitione ipsius repugnamus peccatis.Econtrà abijci à Deo illos,qui sinunt dominari peccatum.

Iuxta hanc concionem & Paulus Rom: 6. inquit: Peccatum uobis non dominabitur.Etsi sunt acres impetus,magna dubitatio, odiorum & aliarū cupiditatum incendia &c. tamen nunc non dominentur, id est, ut ipse interpretatur,non obediamus eis.Cùm uerò dominantur,abstrahunt à Deo, & postea

in uaria

in uaria ſcelera impellunt, & pœnas in hac uita,& poſtea accerſunt. Quod igitur uſitatè dicitur peccatum mortale, ſeu (ut Nazianzenus nominat) φονικὸν, id perſpicuè uocari poteſt regnans ſeu dominans peccatum.

Non diſputandum eſt de electione extra uerbum.

Nec opus eſt huc afferre diſputationem de electione. Nos enim iuxta uerbum Dei,in quo uoluntatem ſuam expreſſit Deus, iudicare debemus. Non eſt quærenda alia uoluntas extra uerbum Dei,& exemplum primorum parentum perſpicuè oſtendit, etiam electos labentes contra conſcientiam, amittere gratiam, & effundere Spiritum ſanctum. Certum eſt enim Adam & Euam amiſiſſe gratiam,& illam præſtantiam donorum quam habuerunt. Ideò enim poſteri naſcuntur filij iræ,id eſt,alieni à gratia,& afferentes caliginem de Deo, & auerſam uoluntatem ã Deo, & multiplicem contumaciam, imò magnitudo pœnæ lapſus Adæ monet, quanta res ſit ira Dei, quanta mala poſt unum lapſum ſequantur, ac de multis partibus doctrinæ in Eccleſia omnium temporum maximè inſignes,& illuſtres admonitiones in hiſtoria Adæ proponi ſciamus.

Non igitur nobisipſis blandiamur nec extenuemus lapſus, ſed agnoſcamus Deum uerè iraſci peccato, & proponamus nobis dicta quæ citaui, quæ de ira,de iudicio Dei,& de pœnis concionantur,ut dictum eſt: Propter hæc uenit ira Dei aduerſus inobedientes: Expaueſcant animi, & abijciant propoſitum peccandi,& ad Deum redeant,iusiurandum illud cogitantes: Viuo ego, nolo mortem peccatoris,ſed ut conuertatur & uiuat.Cogitemus Adæ,Aaronis,Dauidis & Manaſſe lapſus, pœnas & conuerſiones, deploremus ingentem imbecillitatem humanæ naturæ, & ſimus uigilantiores aduerſus illecebras, & Diaboli inſidias,meminerimus ſingula peccata mereri ſubitam mortem, ſicut ſæpè adulteri & homicidæ in ipſo facto ſubitò interficiuntur,& tamen immenſa miſericordia Dei nobis conceſſum eſſe ſpacium, ut ad Deum redire poſſimus, ut dulciſſimè dicitur Eſai:30. Propterea expectat Dominus, ut miſereatur ueſtri, Et in Luca idem ſignificat parabola de ficu.

Non abutamur hac tanta bonitate, ſed lapſi accuſemus nos uero gemitu, ut Dauid inquit, Peccaui Domino, & intueamur Mediatorem filium Dei,& fiducia Mediatoris redeamus ad Deũ,rurſus inuocemus,petamus nobis ignoſci,nos recipi & ſanari,&c.Cogitemus illam dulciſſimam uocem: Gaudium eſt in cœlis de uno peccatore reſipiſcente.Audiamus et uocem Euangelij,qua cum palãm in Eccleſia recipimur,confirmamur hoc ipſo teſtimonio, ut firmius ſtatuamus recipi lapſos: Ac ueniat in mentem teſtimonium uniuerſæ Eccleſiæ, quæ ſemper recepit lapſos, ut hoc teſtimonium aduerſus Catharos, allegauit Petrus Alexandrinus Epiſcopus. Deniqꝫ uniuerſam doctrinam de pœnitentia intenti cogitemus, quæ de rebus maximis pios admonet, & diſputationes de Electione ſeponamus.

Semper Eccleſia recepit lapſos.

Poſtremò & hoc adijciendum eſt, cũm dicimus, Peccata mortalia eſſe lapſus contra conſcientiam, complectitur etiam peccata ignorantiæ affectatæ, & omiſſionis affectatæ, ut uſitatè loquimur. Hanc enim uolentes accerſimus ſeu confirmamus, ut qui nolunt diſcere Euangelium, cũm hac uoce, Hunc audite, toti generi humano Deus præceperit,ut Chriſtum audiamus,& quidem ſparſerit Euangelium inter omnes Gentes, & addiderit teſtimonia non fallentia.

Lapſus contra conſcientiam complectũtur peccata ignorãtiæ & omiſſionis affectatæ.

Habent igitur peccatum mortale omnes ἄθεοι, Turci, Iudæi, & alij damnantes

nantes Euangelium, etiamsi fatentur se nec didicisse, nec intelligere. Talis erat insciti a Pharisæorum, quibus inquit Christus: Si cœci essetis, peccatum non haberetis: Nunc dicitis uos uidere, ideò manet peccatum uestrum.

Erant & cultus Idolorum apud Ethnicos affectata ignorantia, quia uolentes amiserant & abiecerant doctrinam, & non quærebant eam rursus in Ecclesia, & receperant furores manifestè pugnantes cum naturali notitia, quæ monstrat unum esse Deum, nec colendum esse Deum obscœnitate, ut apud illos erant Bacchanalia & alia turpia sacra.

De affectata omissione testimonia.

De affectata omissione inquit Paulus: Væ mihi si non Euangelizem. Et Matth: 25. Inutilem seruum eijcite in tenebras, quæ foris sunt. Hanc tristissimam comminationem in sua quisq; uocatione consideret. Etsi enim manent multa ignorantiæ & omissionis non uoluntariæ peccata in renatis, ut in Apostolis ante pentecosten multa erant: Tamen sit in uocatione uoluntas, seu studium rectè faciendi, & pleraq; rectè faciamus. Hunc gradum constituit Paulus: Primùm fatetur 2. Corth. 3. humanas uires non esse pares ministerio Euangelij: Non sumus, inquit, Idonei per nosipsos cogitare aliquid, scilicet, de explicatione doctrinæ, aut consiliorum felicium in gubernatione, aut sententiarum in iudicandis controuersijs, & omnes sapientes in qualibet, quamuis exigua functione, tamen se sæpè hallucinari experiuntur, Paterfamilias sæpè malè cauet liberis præter expectationem. Sed 1. Corinth: 4. inquit: Hoc flagitatur in ministris, ut sint fideles, hoc est, ut habeant uoluntatem fidelem recta faciendi, non indulgeant ignauiæ, sed discant, laborent mediocriter, & faciant non aliena, sed sui muneris opera: Nam sedulitas fugit utrunq; uicium, ignauiam & πολυπραγμοσυνην.

DE ECCLESIA.

Ecclesia cœtus uisibilis.

SEmper in conspectu sit omnibus hoc Pauli dictum: Quos elegit, hos uocauit. Quotiescunq; de Ecclesia cogitamus, intueamur cœtum uocatorum, qui est Ecclesia uisibilis, nec alibi electos ullos esse somniemus, nisi in hoc ipso cœtu uisibili. Nam neq; inuocari neq; agnosci Deus aliter uult, quàm ut se patefecit: Nec alibi se patefecit, nisi in Ecclesia uisibili, in qua sola sonat uox Euangelij, nec aliam fingamus Ecclesiam inuisibilem & mutam hominum in hac uita tamen uiuentium: Sed oculi & mens cœtum uocatorum, id est, professionum Euangelium Dei intueantur, & sciamus oportere inter homines publicè sonare Euangelij uocem, sicut scriptum est, In omnem terram exiuit sonus eorum. Sciamus oportere ministerium Euangelij publicum, & publicas congregationes esse, ut Ephes: 4. dicitur, & ad hunc cœtum nos adiungamus. Simus ciues & membra huius uisibilis cœtus, sicut præcipit Psalm: 25. Dilexi decorem domus tuæ. Et Psal: 81. Quàm dilecta tabernacula tua Domine. Hi & similes loci non de Idea Platonica, sed de uisibili Ecclesia loquuntur, in qua sonat uox Euangelij, & in qua ministerium Euangelij conspicitur, per quod patefecit se Deus, & per quod est efficax.

Ministerium oportet publicum esse.

Detestandi sunt qui ad nullam se Ecclesiam adiungant.

Nec laudemus errones, qui uagantur, & ad nullam se Ecclesiam adiungunt, quia nusquam inueniunt talem ideam, in qua non desideretur aliquid in moribus aut disciplina, sed quæramus Ecclesiam, in qua articuli fidei rectè docentur, & non defenduntur Idola, & ad hanc nos adiungamus, Hanc docentem audiamus & diligamus, & nostram inuocationem & confessionem ipsius pre-

cibus & confessioni aggregemus. Sic Cyrus & alij pij inter Ethnicos, etsi non erant Hierosolymis, tamen publica professione erant in cœtu uocatorum, audiebant uocem & ministerium Euangelij, erant ciues & membra uisibilia Ecclesiæ uisibilis, inuocationem & confessionem suam coniungebant cum Prophetis & toto cœtu piorum, qui erat in Hierusalem, ubi erat præcipua ministerij sedes.

Hæc sæpè multumq; cogitanda sunt, ut discamus quid sit Ecclesia Dei, & ubi sit, quomodo Deus agnoscendus sit, & nos uerè ad Ecclesiam adiungamus, & fouere eam discamus, ne fiant dissipationes. Nam ubi nullæ sunt congregationes, uox Euangelij conticescit, ut Tyranni Mahometici in multis locis omnia templa deleuerunt, & nullas congregationes fieri, ne quidem suorum, permittunt. Tales diabolicas uastitates & dissipationes intelligamus ingens & summum malum esse. Ideò Deum oremus, ut seruet suos cœtus, & nos ipsi omnibus eos officijs foueamus.

Ecclesiæ definitio.

Sit autem hæc definitio: Ecclesia uisibilis est cœtus amplectentium Euangelium Christi, & rectè utentium Sacramentis, in quo Deus per ministerium Euangelij est efficax, & multos ad uitam æternam regenerat, in quo cœtu tamen multi sunt non renati, sed de uera doctrina consentientes: Vt Mariæ tempore erant Ecclesia, Zacharias, Simeon, Ioseph, Elisabeth, Maria, Pastores & alij multi similes, qui de pura doctrina consentiebant, & audiebant non Saducæos, aut alios impios Pontifices: Sed Zachariam, Simeonem, Hannam, Elisabeth, Mariam, & similes. Seruat enim Deus aliquas suas reliquias inter ministros, & subinde ministerium instaurat: Et inter hos auditores Zachariæ & Elisabeth, aliqui erant nõ renati, habentes delicta contra conscientiam, qui tamen, quia de uera doctrina cõsentiebant, erant ciues & membra Ecclesiæ in hac uita.

Interim uerò Pontifices, Pharisæi & Saducæi, pugnantes cum uerbo Dei, etsi tenebant gubernationem, tamen non erant membra Ecclesiæ. Iuxta illud: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit, &c. Sic Eliæ tempore erant Ecclesia, Elias, Elisæus, & eorum auditores, neq; erat Ecclesia sine ministerio. Erant enim ministri Euangelij Prophetæ ipsi, & erant aliqui pij Sacerdotes eis adiuncti, fuit enim mediocris multitudo sanctorum, ut Textus dicit (Reliqui mihi septem millia, &c.) His admixti erant aliqui, quorum mores culpandi erant, qui tamen, quia de uera doctrina consentiebant, erant membra Ecclesiæ in externa societate & functione ministerij. Interim uerò sacerdotes Baal, & similes, qui defendebant impios cultus, non erant membra Ecclesiæ. Hæc historica exempla ideò scripta sunt, ut doceant discrimen ueræ & falsæ Ecclesiæ.

Non fingenda est Ecclesia sine notitia Christi, et sine ministerio uerbi.

Quòd autem in descriptione hæc uerba recitata sunt, in quo cœtu Deus per ministerium Euangelij est efficax, duæ sunt particulæ insignes, non omittendæ, quoties Ecclesiæ definitio constituitur. Non enim fingenda est Ecclesia sine notitia aliqua promissionis de Christo, & sine ministerio, non est Ecclesia in eo cœtu, ubi nec notitia est promissionis de Christo, nec uox, nec ministerium Euangelij: Ideò non sunt membra Ecclesiæ, Aristides, Cicero, & similes, etiamsi habent excellentes politicas uirtutes, quas Deus dat propter imperia, tantisper dum uult genus humanum in hac uita manere. Quòd autem necesse sit notitiam esse Christi in Ecclesia Dei, hæc dicta testantur.

Iohan: 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Qui non credit Filio, non uidebit uitam, & ira Dei manet super eum. Iohan: 17. Sanctifica eos in sermone tuo,

tuo,sermo tuus est ueritas. 1. Cor: 1. Cùm mundus per sapientiam non cognouisset Deum in sapientia,placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes. Rom:10. Quomodo inuocabunt,si non credent? Quomodo credent, si non audierint?

Ephes:4. Christus sedens ad dextram Dei, dat alios quidem Prophetas, alios Apostolos,alios Pastores, alios Doctores, & disertè inquit seruari ministerium Euangelij, ut non agitemur uarijs doctrinarum uentis. Quemadmodum Ethnici, cùm uerbum Dei non audirent, inciderunt in horrendos furores,& finxerunt subinde alios Deos, & multa portenta, & multos prodigiosos cultus. Idem accidit hæreticis Manichæis, Anabaptistis &c. quia relinquunt uerbum Dei.

Sciamus igitur Ecclesiam Dei cœtum esse alligatum ad uocem seu ministerium Euangelij: Nec extra hunc cœtum, ubi nulla est uox Euangelij, nulla inuocatio Christi, esse ullos hæredes uitæ æternæ, sicut scriptum est: Non est aliud nomen in quo oporteat saluos fieri &c. Ideò & Esaias dicit capite 8. Obsigna Legem in discipulis meis, id est, uideo quidem magnas tenebras sequuturas esse,sed te Deus oro,ut auditores Prophetarum serues, & in eis obsignes doctrinam tuam Prophetis traditam, ne uerbum aut intellectus uerus uerbi extinguatur. Manent aliquæ Ecclesiæ reliquiæ, & hæ sunt hic cœtus, retinens uerbum tuum incorruptum,quod à Prophetis acceperunt. *Ecclesia alligata est ad uerbum seu ministerium Euangelij.*

Ideò addit, Ad Legem & ad testimonium: Qui non direxerit iuxta uerbum hoc,non erit ei matutina lux. Non enim apprehenditur uoluntas Dei, nisi per uerbum quod tradidit,& Deus ita uult agnosci & inuocari, ut ipse se patefecit.

Deinde & hoc additum est,quòd Deus uerè per hoc ministerium, id est, per uocem Euangelij auditam, lectam, cogitatam sit efficax, moueat mentes Spiritu sancto, uelit nos adsentiri, adiuuet adsentientes, & incoët in eis uitam æternam. Sic scriptum est Ro: 1. Euangelium est potentia Dei,ad salutem omni credenti. Et 2. Corinth: 3. Nouum Testamentum est ministerium Spiritus. Hæc continent salutarem doctrinam & consolationem, cùm uidelicet scimus uerè præstari hoc ipso modo per uerbum promissionem æternæ uitæ. *Deus per ministerium est efficax.*

Nec imaginandum est in Socrate, Platone, Xenophonte, Cicerone & similibus fidem esse, quia est in eis quædam noticia Legis de Deo, Hæc enim nondum est noticia de Christo. Ecclesia autem simpliciter & prorsus alligata est ad promissionem de Christo. Inuocari nomen Christi super omnes oportet, & in omnibus, qui sunt doctrinæ capaces,oportet esse agnitionem, inuocationem & cõfessionem filij Dei. Ac talis ab initio fuit Ecclesia,inde usq; ab Adam post editam promissionem,cœtus aliàs maior,aliàs minor,qui fiducia promissi Domini accepit remissionem peccatorum,& Deum uerè inuocauit.

Postquàm autem hoc constitutum est, oportere in Ecclesia esse uocem Euangelij & ministerium,oriuntur deinde quæstiones de personis: An Ecclesia alligata sit ad Episcopos, & eorum collegia,quæ dicuntur tenere ministerium. Item: An alligata sit ad ordinariam successionem Episcoporum & collegiorum.

RESPONDEO.

Ecclesia ad ipsum Euangelium Dei alligata est, quod ut sonet in ministe- *Ecclesia quomodo alligata.*

 rio,Deus

sit ad Euangelium & ministros.

rio, Deus subinde excitat aliquos rectè docentes, ut Ephe: 4. dicitur, etiamsi inter hos alij plus, alij minus lucis habent. Cùm autem ministri, siue Episcopi, siue Collegia, siue alij docent pugnantia cum Euangelio & doctrina Apostolorum, necesse est sequi regulam Pauli: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Ex hac regula iudicari potest, Ecclesiam non alligatam esse ad certos titulos, aut successionem ordinariam. Nam cùm hi errant qui ordinariam potestatem tenent, non sunt audiendi.

Hæc sententia uera est, sed politicis uiris ingrata est, qui uident inde oriri dissipationes: Ideò intuentes imperia & politias humanas, quadam imitatione transformant Ecclesiam in regnum, Vt regnum Francicum est multitudo Francico regi subiecta, distincta legibus, & locis iudiciorum ā cæteris gentibus, munita præsidijs, alligata ad successionem ordinariam regum, & in iudicijs necessariò obtemperans legibus & interpretationi regis, cuius interpretatio propter autoritatem ualet: Ita imaginantur multi Ecclesiam multitudinem esse uni Romano Pontifici subiectam, distinctam ā cæteris Gentibus, per ceremonias, quas instituerunt Pontifices, alligatam ad successionem ordinariam Episcoporum, & ad interpretationem scripturæ, quam Pontifices aut Synodi tradunt. Quia enim sæpè incidunt dissensiones de scripto, dicunt aliam oportere regulam certam esse, scilicet uocem gubernatoris, ut in regno uox regis autoritatem habet interpretandi leges. Hæc ualdè plausibiliter dicuntur apud potentes. Amat enim humana ratio talem picturam Ecclesiæ congruentem cum ciuilibus opinionibus, & potentes intelligunt augeri hac opinione suam autoritatem: Et hanc formam existimant ad pacem utiliorem esse.

Ecclesia nō est cœtus ut regnum Pontificum, sed scholastico cœtui similis.

Sciant autem pij in hac imitatione, uel potius κακοζηλίᾳ multos errores esse, Concedendum est. Ecclesiam esse cœtum uisibilem. Necp tamen esse regnum Pontificum, sed cœtum similem Scholastico cœtui. Vult enim Deus Ecclesiam non prorsus abditam esse in latebras, aut ignotam, sed uult eam exaudiri, uult agnosci Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, uult se semper ab aliqua parte generis humani inuocari, uult excerpere ex genere humano hæreditatem Filio, Ideò scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum. Et Christus ipse dicit Psalm: 2. Prædicabo de præcepto. Mansura est igitur uox Euangelij & ministerij, & erit aliquis uisibilis cœtus Ecclesia Dei, sed ut cœtus Scholasticus. Est ordo, est discrimen inter docentes & auditores, & sunt gradus: Alij sunt Apostoli, alij sunt Pastores, alij Doctores, & rectè intelligitur de uisibili cœtu, quod scriptum est: Dic Ecclesiæ. Sed primùm uidendum est, qui sint membra huius uisibilis Ecclesiæ. Nam condemnantes manifestam ueritatem Euangelij, & exercentes sæuitiam ad stabiliendos manifestos errores, non sunt membra huius cœtus, de quo scriptum est: Dic Ecclesiæ. Deinde necp hoc recipiendum est, maiorem partem suffragiorum anteferendam esse. Quia etiamsi sunt multi rectè sentientes, retinentes lucem Euangelij, tamen plerunqp plures sunt, uel palām contradicentes, uel infirmi & dubitantes, ut Apostoli ipsi diu retinebant somnium de imperio mundano. Quis igitur erit iudex quando de scripturæ sententia dissensio oritur, cùm tunc opus sit uoce diuinitus controuersiam?

In dissensionibus uerbū Dei est iudex, & accedit confessio Ecclesiæ.

Respondeo: Ipsum uerbum Dei est Iudex, & accedit confessio ueræ Ecclesiæ. Semper enim sequuntur uerbum tanquām iudicem aliqui pij, & confessione firmiorum adiuuantur infirmi, ut inquit Christus. Et tu conuersus confirma fra-

ma fratres tuos. Hoc modo dirimuntur controuersiæ de doctrina. Et cùm maior pars hunc uerum iudicem, & hanc ueram confessionem non audit, ut sæpè accidere etiam uetera exempla ostendunt, Deus Ecclesię iudex tandem dirimit controuersiam delens blasphemos, ut cùm maior pars Iudæorum contradiceret Ieremiæ,& deinde Apostolis, tandem blasphemi deleti sunt.

Dissimilitudo iudiciorum Ecclesiæ & politicorum.

Est igitur dissimilitudo aliqua iudiciorum Ecclesiæ, & iudiciorum politicorum. Nam in politicis aut Monarcha solus autoritate sua pronunciat, aut in senatu ualet sententia maioris partis: Sed in Ecclesia ualet sententia congruens cum uerbo Dei, & confessione piorum, siue sint plures, siue pauciores impijs. Ita ueteres damnauerunt Samosatenum,& deinde Arium. Iudex erat uerbum Dei, id est, testimonia ex Euangelio bona fide, & sine Sophistica prolata, quæ conuincunt non calumniosè iudicantem: Sed tamen multum adiuuabantur tunc quoq; infirmi in pronunciando,confessione firmiorum,scilicet,eorum qui Apostolos aut eorum discipulos audierant, & quos constabat fuisse fideles custodes doctrinæ, ut Polycarpi, Irenæi, Gregorij Neocæsarienſis: Ab his recentiores audierant λόγον significare personam: Postea ipsi collatis dictis Euangelij,agnoscunt hanc natiuam esse sententiam quam ab illis audierant: Alij qui etiam non solùm discunt à prioribus,sed etiam tanquam ã firmioribus confirmantur.Ita Petrus Alexandrinus refutabat Meletium,citabat Euangelium, quod satis perspicuè docet recipiendos esse lapsos qui emendantur: Sed simul adiuuabatur exemplis prioris Ecclesiæ,quæ semper ante lapsos receperat.

Ita nos pronunciamus de baptismo Infantum. Habemus testimonia in scripturis manifesta,quæ affirmant extra Ecclesiam non esse salutem: Ergo inferimus Ecclesiæ infantes. Deinde & primæ Ecclesiæ testimonijs iuuamur: Ita Iudex est uerbum Dei,& accedit puræ antiquitatis confessio. Vult enim Deus in Ecclesia esse ministerium uocis. Quare audienda est Ecclesia ut doctrix, sed Fides & Inuocatio nituntur uerbo Dei, non humana autoritate. Discamus ab Ecclesia, quòd λόγος in narratione Iohannis capite 1. significet personam: Sed credimus filium Dei esse natura Deum, & eum inuocamus, quia ipse hoc reuelauit, & in Euangelio tradidit.

Ecclesia audienda ut doctrix.

Hoc discrimen considerandum est, non contemnamus docentem Ecclesiam,& tamen iudicem esse sciamus ipsum uerbum Dei. Ita in utramq; partem caueantur incommoda,uidelicet,ne tyrannis prauæ consuetudinis stabiliatur, nec tamen laxetur frenum audacibus ingenijs,quæ si non audiant ueram Ecclesiam,fingunt opiniones,quæ nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesia,ut nostro tempore fecerunt,Seruetus,Campanus,Anabaptistæ,& alij multi. Docentem Ecclesiam amare, uereri & uenerari discamus, & purioris Ecclesiæ testimonia inquiramus, sicut in allegoria Samsonis dulcissimè significatum est: Nisi araſſetis mea uitula,non inuenisſetis,id est,nisi audisſetis laborantem Ecclesiam in ministerio,quæ est custos uerbi Dei, prorsus ignotum esset uobis uerbum Dei. Et Psal: 67. In Ecclesijs benedicite Deo Domino de fontibus Israël, id est, celebrate doctrinam & quidem in publica confessione,in cœtu audientium Euangelium, sed haurite eam ex fontibus Israël,id est, ex ministerio Prophetarum & Apostolorum.

Vbi quærenda sit uera Ecclesia.

Dixi de definitione Ecclesiæ, & de quæstione, ubi sit quærenda, scilicet, ubicunq; sonat uox Euangelij incorrupta, præsertim quòd ad fundamentum attinet, ut Paulus loquitur,id est, ubi articuli fidei integri, & sine corruptelis

traduntur,& non defenduntur manifesti cultus idolorum. Cùm autem ingens sit imbecillitas etiam in Sanctis in hac uita, alij plus, alij minus lucis habent, ideò Basilius, Ambrosius,Epiphanius, Augustinus, Bernhardus, & multi alij, etiamsi fundamentum rectè tenuerunt, tamen aliquid interdum dicunt inconsideratè de ritibus humanis,ut omnib.aliquid contagij aspergit consuetudo sui seculi.Ideò Paulus præcipit,ut fundamentum prę cipuè consideremus, & significat multa uera membra Ecclesię habere aliquid infirmitatis,& aliquos nęuos.

De dicto Pauli,Fundamentũ aliud nemo potest ponere &c.

Fundamentum,inquit,non potest poni aliud, pręter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Hoc dicto complectitur cognitionem incorruptam omnium articulorum fidei, & prohibitionem cultus Idolorum. Deinde sequitur: Alius superædificat aurum, alius stipulas, ut Polycarpus extruxit aurum super fundamentum, id est, illustrauit necessariam doctrinam, refutato Marcione de essentia Dei, de causa mali, & de alijs multis articulis, & cultus præstitit præceptos ã Deo, & summos, rectè gubernauit Ecclesiam, & ornauit confessionem admiranda constantia in supplicio. Hæc omnia continentur appellatione Auri. At Basilius & alij multi extruxerunt stipulas super fundamentum, qui retinuerunt quidem articulos fidei, sed tamen instituerunt ritus Monasticos, & illa exercitia prętulerunt uitæ politicæ,& offuderunt hominum animis opinionem,ut putarentur esse cultus Dei. Deinde multò magis errauerunt multi, qui finxerunt tales ceremonias mereri remissionem peccatorum.

Inquit autem Paulus: Vniuscuiusq; opus quale sit,ignis probabit. Alludit enim ad materiam ædificiorum.Aurum non consumitur igni, stipulæ facilè concipiunt flammas,& celerrimè deflagrant. Ita in tentatione agitata & disputata doctrina, uera & necessaria manet, & consolatur mentes, ut nunc doctrinam de iusticia fidei cognitam omnes pij libenter amplectuntur, & intelligunt firmam consolationem esse. Econtrã uerò euanescunt ritus Monastici, quia iã intelliguntur,nec ad agnitionem Dei,nec ad mores prodesse.Hęc ideò recensui, & ut Pauli dictum attentè consideretur, & ut deploretur infirmitas humana, quæ etiam in ueris Ecclesiæ membris sæpè conspicitur, & prudenter de scriptorum dictis iudicetur,& agnoscatur quæ condonanda sint, & quę non condonanda.

Collatio Ecclesiæ & politiarum.

Vt autem discrimen Ecclesiæ & Politiarum magis conspiciatur, collatio fiat. In imperijs mundi hæc tria necesse est esse, ordinem, gloriam, & præsidia: Vt in regno Gallico est ordo, ut sit unus rex, quo mortuo, necesse est parere succedenti ordinaria successione. Deinde sunt certæ leges, & iudicia certorum locorum,& gradus principum & populi.Gloria est, præstantia consilij & uirtutum, ac uictoriæ, quia cùm nunquàm sit certa pax, sicut Plato dicit, in imperijs pacem inane nomen esse: Semper enim aut ciues inquieti, aut hostes tumultuantur,necesse est multos esse prosperos successus, & uictorias gubernatorum,alioqui citò dissiparentur imperia. Præsidia sunt exercitus & opes necessariæ ad sumtus domesticæ gubernationis,& ad bella gerenda.

Hæc tria aliter se habent in Ecclesia quàm in imperijs.

Ordo, gloria, et præsidia aliter se habent in Ecclesia quàm in Imperijs.

Ordo est, quia reuera unum est caput dans uitam & bona æterna Ecclesiæ,scilicet,filius Dei.Sed hoc caput non cõspicitur iam oculis corporis, nec tenet cœtum uni alicui loco alligatum, nec tamen nullus est ordo, sed semper est ministerium Euangelij. Et iure diuino debetur obedientia ministris Euangelij in omni-

in omnibus quæ præcipit Euangelium. Non est autem alligatus hic ordo ad successionem ordinariam: Sed cùm Episcopi & Pastores defendunt errores & idola, uitandi sunt. Præterea sunt gradus donorum, ut Paulus antecedit Barnabæ. Hi gradus considerandi sunt, ut amemus, & honore afficiamus singulos suis donis ornatos.

Gloriam politicam, id est, uictorias corporales non semper habet Ecclesia, quales habuit, cùm Saul aut Dauid pepulit exercitus hostiles, sed plerunq; Ecclesia fuit, est, & erit subiecta cruci, & tamen ingentem habet gloriam sapientiæ & uirtutum, & multorum miraculorum, quæ non cernuntur ab impijs. Summum decus est, quòd Deum rectè agnoscit & inuocat. Semper enim aliqua sunt uera membra Ecclesiæ, quæ fundamentum retinent, etiamsi deinde ingens est multitudo infirmorum, qui tamen, quia Deum rectè inuocant, magnũ decus habent. Cæterùm suprà dictum est, non esse membra Ecclesiæ illos, qui pertinaciter errores cum fundamento pugnantes defendunt, etiamsi nomen et titulum Ecclesiæ prætexunt.

Deinde magnę uictorię sunt omnium rectè inuocantium, uidelicet, quòd non euertuntur Diaboli insidijs, terroribus Tyrannorum, & alijs tentationibus, & miracula multa sunt quotidiana, liberationes crebræ in magnis periculis, quarum multæ propter preces Ecclesiæ fiunt, ut Paulus scit, se, & nauim suam seruari à Deo, etiamsi alij existimabant casu eam seruatam esse.

Magna gloria est felicitas in uocatione, studijs, cõsilijs, iudicijs. Sicut econtrà summa deformitas & calamitas est, & turpitudo omnium maximè fugienda, esse parricidam Ecclesiæ, aut patriæ.

Postremò præsidia uisibilia Ecclesiæ, alligatæ certis locis nulla sunt, id est, nec reges, nec opes, nec exercitus, nec sedem unam aliquam certam aut perpetuam in hac uita habet Ecclesia, post deletam politiam Israël. Ideò Christus inquit: Non habet Filius hominis ubi reclinet caput. Vult enim Deus Ecclesiam subiectam esse cruci, ut causæ alio loco multæ recensentur, quæ non sunt notæ Philosophiæ, sed tantùm in Euangelio patefactæ.

Quanquàm aũt interdum Deus aliquos Reges aliquantisper ad Ecclesię defensionem exuscitat, ut excitauit Cyrum, Constantinum, & alias alios, tamen non semper adiungit Ecclesiæ regna ad eam defendendam, sed uult eam petere, & sperare defensionem uniuersi corporis diuinitus, ut Esai: 46. dicitur: Ego uos in utero meo gesto, ego etiam senescẽtem Ecclesiam gestabo. Et Ose: 1. Seruabo uos non in arcu, nec in gladio, sed in Domino Deo uestro. Quid tristius est hac specie? Vagatur iam Ecclesia, ut Scholastici exulantes, & quancũq; Deus alicubi præbet mediocria hospitia, tamen maior est potentia hostium Euangelij, & defensores quàm sint firmi, & quàm diu duraturi, incertum est. Cyrus fouebat Ecclesiam, Cambyses & Darius opprimebant. Hanc formam Ecclesiæ consideremus, ut intelligamus pericula, & simul discamus, Ecclesiam colligi, seruari, instaurari, defendi, non humanis consilijs aut præsidijs, sed potentia Dei, sicut in Paradiso Adam & Eua rursus liberati sunt à peccato & tyrannide Diaboli. Semper igitur est custos Ecclesiæ filius Dei, sicut dixit: Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi.

Ecclesia non semper habet externam defensionem, nec colligitur humanis consilijs aut præsidijs.

CONTRA DONATISTAS.

DEscripsimus Ecclesiam uisibilem, in qua diximus multos non renatos admixtos

Gradus 1. malorum in Ecclesia, qui non sunt manifestè hostes, sed habent uicia aliqua morum.

mixtos esse Sanctis, sed hic discerni malos oportet. Alij de doctrina rectè sentiunt, nec sunt hostes Euangelij, seu hæretici, sed tantũm habent aliqua morum uicia. Tales si non sint excommunicati, etsi uocantur mortua membra, tamen sunt in externa societate Ecclesiæ, & cùm funguntur munere docendi, aut administratione Sacramentorũ, ualent ministeria, & sunt efficacia, et licet eis uti.

Error Donatistarum.

Estq; acriter taxandus error Donatistarum, qui contendebant nec Euangelium, nec Sacramentum ullum esse efficax, si ministri mores sint uicioſi. Contra hunc errorem tenendæ sunt sententiæ perspicuæ.

Matth: 13. Christus confert Ecclesiam sagenæ, in qua boni & mali pisces sunt: Dicit enim. In Ecclesia mansura esse zizania, usq; ad resurrectionem. Item: Sicut in diebus Noë, &c. Ex his sententijs perspicuum est, semper in Ecclesia usq; ad resurrectionem fuisse, esse & futuram esse magnam multitudinem malorum.

Hypocritæ possunt esse in ministerio.

Cùm igitur sint in Ecclesia mali, nec hypocrisis humano iudicio agnosci possit, possunt in ministerio esse etiam hypocritæ. Fieret igitur incerta fides, si uis Euangelij & Sacramentorum penderet ex dignitate ministri. Ideò scien-

Ministerium efficax est propter promissionẽ, non personam ministri.

dum est, Euangelium & Sacramenta efficacia esse propter promissionem Dei, non propter ministri personam. Reuocat igitur Christus mentes nostras, & fidem nostram, à persona ministri ad sese, inquiens: Qui uos audit, me audit, Quasi dicat: Nec Euangelium est uestrum, nec opus est uestrum saluos facere auditores, sed Dei opus est, qui hoc mirabili modo, sparsa uoce Euangelij, colligit sibi æternam Ecclesiam. Sicut & Iohannes inquit: Ego baptizo uos aqua, alius autem baptizabit uos igni & Spiritu sancto, id est, Euangelium & Sacramenta sunt efficacia propter Christũ & per Christum. Citatur etiam huc dictum Christi: Super cathedram Moysi sedent Scribæ & Pharisæi, &c. quę uerba significant: Etiamsi sunt in ministerio hypocritæ, tamen ualere functionem ipsam, si tamen sedeant in cathedra Moysi, id est, doceant doctrinam à Deo traditam, non sedeant in alia cathedra, non proponant doctrinam pugnantem cum fide.

Augustinus contra Donatistas.

Hæc tota causa contra Donatistas copiosè tractata est ab Augustino in multis uoluminibus, & Epistola 166. recenset hoc argumentum: Si pendet & uis Euangelij et sacramentorum à dignitate ministri, fides nostra fieret incerta. Vt igitur fides sit certa, necesse est reijci & damnari fanaticum delirium Donatistarum.

Nazianzenus contra Donatistas.

Refutatur & à Nazianzeno hic error, qui hac utitur similitudine. Eadem est figura sigilli, siue aureo, siue ferreo annulo insculpta sit: Ita idem esse ministerium inquit, siue boni, siue mali teneant. Hęc de Donatistis monere necesse est, ut contra tales furores pij præmuniantur, & discant intelligere uim ministerij. Nam & nostra ætate Anabaptistæ renouant errores Donatistarum, et impiè abijciunt ministeria, & dum iactitant se constituere Ecclesiam, in qua nulli sunt mali, prorsus ut Circumcelliones, magnam colluuiem pessimorum latronum contrahunt, ut ostendit Monasterienſe exemplum, quòd meminisse prodest, ut bonæ mentes maiore cura & diligentia caueant, ne assentiantur falsis opinionibus, & cogitent ex uno errore paulatim oriri multiplices & insanabiles furores: Quid igitur faciendum est? an dissimulanda sunt aperta crimina ministrorum Euangelij? Respondeo: Polluti manifestis criminibus excommunicandi sunt communi uoce Ecclesiæ. Sicut Paulus 1. Corinth: 4.

Aperta crimina ministrorũ non sunt dissimulanda.

incestum

incestum eiecit ex Ecclesia. Et Christus Matth:18.inquit,Dic Ecclesiæ. Eaq; seueritas non erat negligenda, sed negligitur, tamen ministerium ualet, ut dictum est.

Præterea & Magistratus, qui gladium gerunt, punire crimina suis legibus debent,ut adulteria, cædes,& alia.

Sed præter publica crimina sunt infirmitates in moribus omnium hominum: Alius est morosior,aut iracundior: Alius indulgentior, aut minus temperans quàm oportet. Alius est ad rem attentior, in alio fastus, in alio segnities reprehenditur. Denicq; omnes habent suas quasdam infirmitates: De his communibus moribus, cùm non accedunt crimina, sciamus piæ mentis esse, sequi usitatam regulam,Mores amici noueris,non oderis. Item,Remittite, & remittetur uobis.Item, Vniuersa delicta tegit dilectio. Ac præcipuè piorum gubernatorum & doctorum mediocres mores tolerandi sunt,sicut Christus iubet, ut pedes mutuò lauemus, id est, ut tales infirmitates inter nos mutua lenitate sanemus.

Infirmitates quædam in moribus ministrorum tolerandæ sunt.

Est aũt usitatum,calumnioſè exaggerare uicia gubernatorum, Ideò toties præcipit Spiritus sanctus, ut eos honore afficiamus, ut grauissimè dicitur ad Hebræos:Obedite iis,qui præsunt,ut cũ gaudio & non gementes faciant suum munus, quasi dicat: Per sese difficilis & ærumnosa res est gubernatio, sed cùm accedit cõtumacia inferiorum,duplicatur miseria. Vt enim Herodotus inquit: Quantũm bellum differt à pace, tantùm differt seditio à bello: Ita gubernatori ærumnosius est cum suis quàm cum aliis certare,& in munere alioqui difficili ab illis ipsis impediri,à quibus iuuari debebat.Ideò & 1.Thes:5.dicit Paulus, Petimus ut eos qui præsunt, excellenter putetis diligendos esse propter ministerium,& pacem cum eis habete. Denicq; de hac re multa extant præcepta. Vt autem Cham punitur, propterea quòd patrem deridet, ita sciant se pœnas daturos esse Deo omnes, qui ministris rectè docentibus, si sit mediocritas aliqua in moribus,molesti sunt. Sicut & ad Abraham dictum est: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Hæc regula haud dubiè pertinet ad Ecclesiam & rectè docentes. Sciamus ergo, propter mores docentium non esse discedendum à reliqua Ecclesia, nec schismata facienda esse, si nullus sit error doctrinæ.

Non discedendum ab Ecclesia propter mores docentium.

Sed alij sunt mali polluti falsis opinionibus, qui impiam doctrinam defendunt,& oppugnant ueram, & interficiunt pios propter ueræ doctrinæ professionem: Sicut Ieremiæ, Macchabæi, Christi tempore fuerunt Pontifices, & eorum sectatores, qui palàm contradicebant ueræ doctrinæ, & sanctos interficiebant: Cum hoc cœtu, etiamsi tenet gubernationem per Tyrannidem, piis non sit societas, & culpa schismatis penes ipsos est,quia mandatum Dei est: Fugite idolatriam. Item, Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Sic Apostoli à Caipha,& ab eius cœtu recedebant.

II. Gradus malorum in Ecclesia, qui ueritatem oppugnant & pios interficiunt.

Estq; diligenter obseruandum discrimen eorum: Ministerium non mutatur,etiamsi mores aliquorum sunt uicioſi.Sed cùm falsa doctrina defenditur, & stabilitur idolatria, mutatur ipsum ministerium. Ideò horum ministerium relinquendum est,qui doctrinam corrumpunt. Etsi autem principalis pars ministerij est doctrina, tamen interdum pars ministerij, ut Sacramenti alicuius administratio, possidetur etiam ab his qui corrumpunt doctrinam. Vt Israelitæ retinebant Circumcisionem,etiamsi cultus impios postea addebant. Caiphas

Mores ministri nõ mutant ministerium, sed falsa doctrina.

phas & Phariſęi retinebant Circumciſionem, etiamſi in alijs materijs graues errores amplectebantur, ualebat tamen Circumciſio non propter has perſonas, ſed quia fiebat uice Eccleſiæ.

Sic de Baptiſmo dicemus, eorum qui Baptizati ſunt in Eccleſijs, ubi regnauerunt mali doctores. Valuit enim Baptiſmus, quia fiebat uice ueræ Eccleſiæ, & retinentur uerba inſtitutionis, & eorum ſententia ſine Idolatria, in hoc Sacramento. Sed Samoſateni, Manichæorum, Arianorum baptiſmus non ualebat, quia non retinebant ſententiam uerborum. Baptizo te in nomine Patri, & Filij, & Spiritus ſancti. Hæc breuiter attigi, ut muniantur pij contra Anabaptiſtas, & cogitent ſæpè in Eccleſia dominari malos. Sicut ait Chriſtus, ſimilem eſſe Eccleſiam ſagenæ, in qua ſunt boni & mali piſces. Valet igitur miniſterium, quod retinent in his Sacramentis, quæ non ex profeſſo corrumpunt.

Etſi autem Baptiſmus eorum, qui retinent uerborum ſententiam, ualet, ut dixi: Tamen quia docent impia de cæteris rebus, præbent cauſam, cur neceſſariò ab ipſis Eccleſia diſcedat.

Differunt peccantes ignorãtia à blaſphemis.

Diſcrimen eſt etiam inter perſonas, quæ peccauerunt ignorantia, & illas, quæ palàm ſunt blaſphemæ, ut poſt reſurrectionem Chriſti erant Caiphas, & ſimiles. Nec dubium eſt blaſphemos & manifeſta idola defendentes, relinquendos eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Fugite Idola.

DE SIGNIS MONSTRANTIBVS ECCLESIAM, QVÆ ALII NOTAS NOMINANT.

Signa ueræ Eccleſiæ.

Signa quæ monſtrant Eccleſiam, ſunt Euangelium incorruptum, & legitimus uſus Sacramentorum. Et quanquãm Eccleſia non ſemper floret ſimili gloria, tamen ſubinde aliquæ ſignificationes Spiritus ſancti in miranda gubernatione accedunt. Quòd autem Euangelium ſit ſignum monſtrans qui cœtus ſit Eccleſia, ſuprà teſtimonia recitaui, & ſatis perſpicua ſunt hæc. Epheſ. 2. Superfundamentum Apoſtolorum & Prophetarum extructi eſtis, &c. Item Eſai. 59. Spiritus meus qui eſt in te, & uerba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore ſeminis tui in æternum &c.

Quid ſentiendum ſit de ordinaria ſucceſſione & obedientia in traditionibus.

Alij κακοζηλίᾳ humanarum politiarum addunt Eccleſiæ hæc ſigna. Ordinariam ſucceſſionem Epiſcoporum, & obedientiam in traditionibus humanis. Et poſtea Epiſcopos audaciſſimè armant duobus regijs neruis, poteſtate interpretandæ ſcripturæ, & poteſtate legum ferendarum, & cultos nouos inſtituendi. Admonendi ſunt autem pij, ut has inſidias diligenter caueant. Nam omnibus ætatibus in Eccleſiæ gubernatione, homines politici, ignari doctrinæ Euangelij pinxerunt ſibi Eccleſiam tali imitatione politiarum, & magni errores hoc modo ſtabiliuntur.

Quare cùm hæc nomina audis, ſucceſſio ordinaria, poteſtas interpretationis, poteſtas ferendarum legum, ſcias inſidias ueræ doctrinæ ſtrui, & quæri prætextus ad ſtabiliendos errores in Eccleſia. Remouenda eſt igitur illa imago humanarum politiarum, & aliter de Eccleſia ſentiendum. Dixi ſuprà, Eccleſiam non eſſe alligatam ad ſucceſſionem ordinariam, ut uocant, Epiſcoporum,

Eccleſia nõ alligata eſt ad or-

porum,sed ad Euangelium.Cùm Episcopi non rectè docent,nihil ad Ecclesiam pertinet ordinaria succession,sed necessariò relinquendi sunt.

dinariam succeßionem, sed ad Euangeliũ.

De potestate uerò interpretationis sciendum est,magnum discrimen esse inter potestatem & donum.In Ecclesia donum est interpretationis,non alligatum certo ordini, sicut propter locum uel titulum non datur Spiritus sanctus. Id donum non est potestas alligata ordini, seu titulo, cui propter ordinem parere necesse sit,sicut regiæ uel prætoriæ interpretationi propter ordinem parere necesse est. Deus enim dedit Magistratibus ciuilibus potestatem condendi leges congruentes cum ratione,& eas interpretandi. Sed de uoce Euangelij in Ecclesia longè alia res est. Hanc filius Dei ex sinu æterni Patris protulit, Et est sententia supra rationem posita de agnitione Dei, de ira Dei aduersus peccatum,de magnitudine peccati,de iusticia donata per filium Dei,de timore,de fide, de cruce, de auxilio Dei, de resurrectione, de Ecclesia, de uita æterna, de duabus naturis in Christo,de Patre,Filio & Spiritu sancto. Cùm igitur iusserit Deus audiri Filium, deinde & Filij mandato missi sint Apostoli, ut eos audiamus,necesse est retinere doctrinam per Apostolos traditam,ac nos discipulos esse doctrinæ ipsorum,non affingere interpretationes pugnantes cum certis & perspicuis ipsorum testimonijs, sicut Iudæi fingunt corruptelas,ut eludant dicta de Christo.

Differunt donum & potestas interpretationis.

Vnde sit sumenda interpretatio.

Deinde, qui uolunt esse discipuli Euangelij, nec audiunt ut calumniosè deprauent,sed ut Deum agnoscant,celebrent,& ei obediant: in his,cùm assentiuntur uerbo Dei cum timore & fide, accenditur lumen, quo iuuantur, ut discernant Euangelium ab humana sapientia, & articulos doctrinæ de Deo, de peccato,de iusticia,de Christo, de Ecclesia, de uita æterna dextrè accipiant.

Tertiò,ijdem illi iuuantur etiam ueræ Ecclesiæ testimonio. Vt cùm Samosatenus noluit Verbum interpretari personam, in his dictis, In principio erat Verbum,&c.pij iuuabantur Irenæi testimonio, qui Polycarpum Iohannis discipulum audierat. Iuuabantur & Gregorij Neocæsarienſis, & Alexandrinæ Ecclesiæ testimonijs, quæ affirmabant hanc sententiam inde usq; ab Apostolis retentam esse,cum qua uidebant pij cætera testimonia in Iohanne & Paulo congruere.

Et quanquàm Ecclesia audienda est, iuxta illud: Nisi arasſetis uitula mea,non inuenissetis: Tamen fides non nititur Ecclesiæ autoritate,sed ipsa uoce Euangelij.Inuocamus filium Dei, quia dictum est, Et Deus erat Verbum. Item:Pater meus usq; modò operatur,& ego operor. Item:Sine me nihil potestis facere.Item Stephanus inquit: Domine Iesu accipe spiritum meum.

Fides non autoritate Ecclesiæ, sed uoce Euangelij nititur.

Item cùm Ecclesiæ testimonia quæruntur, uidendum est ubi, & quæ sit Ecclesia, quæ tempora sint puriora, qui scriptores sinceriores. Sic nos adiuuamur contra Anabaptistas: Scimus primùm ex Euangelio, infantes nasci reos & obnoxios peccato originis, & id remitti his qui sunt in Ecclesia, & infantes debere fieri membra Ecclesiæ, & afferri ad Christum. Deinde accedit testimonium primæ Ecclesiæ, quam legimus baptizasse infantes. Censemus igitur nequaquàm cedendum esse furori Anabaptistarum, qui tot millia infantum ex Ecclesia extrudere & perdere conantur, & uni errori multos miscent.

Sincerioris Ecclesiæ testimonia sumenda sunt.

Donum igitur interpretationis est lumen, quod accendit Spiritus sanctus in

Donum interpretationis.

ctus in horum mentibus, qui adsentiuntur Euangelio, ut Christus inquit Ioh: 14. Spiritus sanctus docebit uos omnia, & rediget uobis in memoriam omnia quæ dixi uobis. Hic alligat Apostolos & totam Ecclesiam ad ea, quæ ipse dederat, & addit de dono, de hoc ipso uerbo Spiritum sanctum nos commonefacturum esse. Et Iohannis 6. citat Christus ex Esaia: Et erunt omnes docti à Deo. Econtrà de impijs dicitur, Non intelligunt omnes impij. Item, Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, Stulticia enim ei est, & non potest intelligere. Item Esai. 6. Audite audientes, & non intelligite.

Testimonia de dono interpretationis.

Hæc testimonia perspicuè ostendunt, Interpretationem esse donum piorum, nec esse alligatam potestati, aut maiori parti, quæ plerunq; est impia, & quidem præcipua Pœna est impietatis cœcitas. Psal. 68. & Rom. 11. dicitur: Obscurentur oculi eorum ne uideant: Et manifesti furores Gentium ac Iudæorum ostendunt, cœcitate præcipuè puniri impietatem.

Si ordinaria potestas, aut maior pars haberet ius interpretandi, fuissent anteferendæ sententiæ Phariseorum, sententijs Zachariæ, Simeonis, Elisabeth, Mariæ, Hannæ, & similium: Sed Ecclesia uera plerunq; est exiguus cœtus, in quo dominatur magna multitudo impiorum, sicut inquit Esaias: Nisi Deus reliquisset nobis nobis semẽ, sicut Sodoma essemus. Ideò nequaquàm alliganda est interpretatio ad ordinariam potestatem, & maiorem partem. Et insidiæ cauendæ sunt, cùm aduersarij hoc prætextu stabilire errores conantur.

Cæterùm & ipsum donum agnoscendum est, & Deo gratiæ agendæ, quòd semper ita gubernauit Ecclesiam, ut cùm obscurata esset doctrina, rursus eam accenderit, ut post Noẽ, interpres promissionis fuit Abraham, Sic post Mosen missi sunt Samuel, Dauid, & ordinẽ cæteri. Regnantibus Pharisæis & Saducæis, erant tamen Simeon, Zacharias, Hanna, Maria, & alij multi, in quibus donum interpretationis fulgebat, in alijs magis, in alijs minus illustre. Ita postea Deus in Ecclesia subinde excitauit flammam ueræ doctrinæ. Hanc igitur accensam non extinguamus, prætextu multitudinis, uel ordinariæ potestatis, propugnantis idola & errores.

Cæterùm & labi possunt qui antea rectè senserant, & rectè sentientes aliquid habent caliginis, & suas stipulas, ut ad Corinthios dicitur. Quare sententiæ ex uerbo Dei tradito, & dextrè collato, iudicandę sunt. De similitudine traditionum, & de legibus Episcoporum infrà dicetur. Nec enim unitas Ecclesiæ collocanda est in similitudine humanarum traditionum, quia retinenda est hęc sententia, quòd humanæ traditiones non sint cultus: Item, quòd propter eas non sint damnandi hi, qui alioqui rectè sentiunt.

Vnitas Ecclesiæ non consistit in similitudine rituum.

DE SACRAMENTIS.

INitiò constituamus simplicem uocabuli descriptionem. Sacramentum nunc quidem, ut in Ecclesia loquimur, uocatur ceremonia in Euangelio instituta, ut sit testimonium promissionis, quæ est Euangelij propria, uidelicet promissæ reconciliationis seu gratiæ.

Sacramentum quid uocetur in Ecclesia.

Homines profani cogitant Sacramenta esse signa professionis, quæ discernant à cæteris hominibus nos, qui quasi huic fœderi adiuncti sumus, ut discernebat Romanum toga ab aliarum nationum hominibus: Seu esse signa quorundam officiorum erga homines. Vt enim quondam in fœderibus faciendis mos erat, unà uesci ex sacrificatis rebus. Ita nunc multi humano more existimant,

existimant, Cœnam Domini tantùm esse talem notam mutui fœderis inter homines: Sed quanquàm multi sunt fines Sacramentorum ordinati, tamen longè omnibus anteferendus est hic principalis finis, quòd sint signa uoluntatis Dei erga nos, uidelicet testimonia addita promissioni gratiæ. Ac intueamur totam Ecclesiam, in qua statim post lapsum Adæ, edita promissione gratiæ, additæ sunt ceremoniæ, uidelicet sacrificia Adæ, quæ incendebantur de cœlo: Offerebatur agnus, qui consumebatur cœlesti flamma: Id significabat uenturæ hostiæ passionem, de qua promissio facta erat, & testimonium erat reconciliationis.

Sacramenta principaliter sunt signa uoluntatis Dei erga nos.

Deinde cùm renouaretur promissio, additum est nouum testimonium, scilicet Circumcisio. Deinde iterum instaurata luce doctrinæ, accessit mactatio agni, & aliæ ceremoniæ. Ita in Ecclesia uoci Euangelij additi sunt ritus, Baptismus, & Cœna Domini. De alijs postea dicam. Hi ritus non sunt humana spectacula, ut Græcorum tragœdiæ, institutæ, ut qualiscunq; memoria rerum gestarum traderetur posteris: Sed habent alios longè superiores fines.

Primùm enim sunt signa uoluntatis Dei erga nos, seu testimonia promissæ gratiæ. Ideò Paulus de Abraham inquit, accepisse eum Circumcisionem tanquam sigillum iusticiæ fidei, id est, testimonium quo Deus testatus est, eum receptum esse in gratiam. Et quia Sacramenta sunt addita promissionibus, ideò sicut promissionem accipi fide necesse est, ita oportet in usu Sacramentorum accedere fidem intuentem promissionem.

1. Finis Sacramentorum.

Postea possunt accedere multi fines: Confessio, discrimen à cæteris sectis, publici conuentus celebritas, admonitio de certo opere. Vt Cœna Domini, primùm est testimonium gratiæ erga nos, de toto Euangelio, de morte & resurrectione Christi nos admonet, testatur nobis donari beneficia Christi. Et hic necesse est fidem accedere, quæ credit promissioni gratiæ.

Cæteri fines.

Deinde accedunt alij fines, Theodosius credens Euangelio, hoc exemplo publicè confitetur quid sentiat. Item, per hunc ritum intelligitur seiunctus à cæteris sectis.

Tertiò, Quia Deus uult Ecclesiam non in latebris iacere prorsus ignotam, sed uult eam conspici & audiri, ut nomen suum celebretur, & doctrina propagetur: Ideò etiam uult honestos cœtus esse, uult in publica congregatione sonare Euangelium. Vt igitur in tali conuentu ostendatur confessio, & sint exercitia fidei, semper uoluit esse publicos aliquos ritus, ad quos publicè conueniret Ecclesia. Et quanquàm Diabolus uariè dissipare & deformare tales conuentus conatur, tamen Deus eos subinde repurgat, & mirabiliter conseruat. Ita & Cœna Domini propter hanc utilitatem instituta est, ut sit neruus publicæ congregationis.

Postremò admonet ritus de multis officijs. Primùm de gratiarum actione præstanda Deo, postea de mutua beneuolentia membrorum Ecclesiæ. Sicut unà uescebantur rebus sacrificatis, hi, qui fœdera faciebant.

DE NVMERO SACRAMENTORVM.

COnsuetudo non est uetustissima, numerare septem Sacramenta: De hoc numero rixæ sunt, quarum hic modus sit, ut res necessariæ retineantur, &

discernantur ã non necessarijs. Discernantur etiam ceremoniæ diuinitus institutæ in prædicatione Christi, ab alijs operibus, quæ non propriè ad nouum Testamentum pertinent.

Abusus uocabuli Sacramenti plura facit Sacramenta.

Si generaliter omne opus præceptum à Deo, cui est addita promissio aliqua, Sacramentum uocari uolunt, erunt Sacramenta, Oratio, Tolerantia in cruce, Eleemosynæ, Condonatio iniuriæ. Nam his operibus semper fuerunt additæ diuinæ promissiones. De oratione nota sunt mandata & promissiones: Invoca me in die tribulationis, & eripiam te. Et Deuteronom: 4. dicitur: Nec est alia Gens, quæ habeat Deum appropinquantem sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Item in Euangelio, Petite & accipietis. Nec esset inutile, numerare orationem inter Sacramenta, ut hæc ipsa appellatio hominem moneret de promissionibus, & de fructu huius maximi operis.

Oratio.

Tolerantia in cruce.

De tolerantia in cruce sunt promissiones, Psal: 50. Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus. Item, Preciosa mors sanctorum. Item Psal: 71. Preciosus sanguis eorum coram me. Et in Euangelio plurimę sunt tales sententiæ: Qui me uult sequi, tollat crucem suam, & sequatur me. Item, Recipiet in hac uita centuplum.

Eleemosyna.

De Eleemosyna notissimæ sunt sententię: Date, & dabitur uobis: Frange esurienti panem, &c.

Condonatio iniuriarum.

De condonatione iniuriarum: Remittite, & remittetur uobis. Hęc est insignis promissio, addita nostræ condonationi, nõ quõd nostra condonatio possit iram Dei placare, sed ut admoneat nos de Euangelio, sicut alia Sacramenta.

Coniugium.

Si igitur non tantùm ad ceremonias, sed etiam ad opera moralia accommodabitur nomen Sacramenti, poterit etiam coniugium dici Sacramentum. Nam & mandato Dei præcipitur, & ornatur promissione, ut Psal. 127. Videbis filios filiorum tuorum, pacem super Israël. Et est institutum propagandæ & conseruandæ Ecclesiæ causa. Deinde etiam imago est, & amoris Christi erga sponsam Ecclesiam, & afflictionum & officiorum Ecclesiæ. Sicut maritus uerè amans coniugem & liberos, propugnat eos, & sua bona impertit eis: Sic Christus Ecclesiam uerè amat, donat suis bonis, iusticia sua, & uitæ æternæ societate, Hunc amorem & hanc στοργὴν in marito honesto significat Paulus, ideò indita esse naturæ, ut sit imago adumbrans uerum amorem Christi erga sponsam Ecclesiam. Præterea afflictiones & officia domestica sunt imago afflictionum & officiorum Ecclesiæ.

Sed cùm hoc modo generaliter utimur appellatione Sacramenti, non de solis ceremonijs institutis primùm in prædicatione Christi loquimur, Verùm quoquo modo illa opera uocantur, semper meminerimus in Decalogo proponi summam omnium operum moralium, quæ necessaria, & à Deo præcepta sunt: Deinde quæramus passim additas promissiones & comminationes & earum exempla.

Sciamus etiam discrimen esse inter promissiones legales & promissionem Euangelij propriam, quæ est promissio reconciliationis gratuitæ.

Tria sunt Sacramenta intellecta uoce de ceremonijs institutis in prædicatiõe Christi.

Cũm autem uocabulum Sacramenti de ceremonijs intelligitur institutis in prædicatione Christi, numerentur hæc Sacramenta: Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ sunt externi ritus, & sunt signa totius Euangelij, & quidẽ propriè sunt testimonia remissionis peccatorũ, seu reconciliationis, de qua præcipuè dicitur in definitione usitata: Sacramentũ est signum gratię, id est, reconciliationis gratuitę, quę propter Christũ donatur, & in Euangelio prædicatur.

Mihi

Mihi maximē placet etiam addi Ordinationem, ut uocant, id est, uocationem ad ministerium Euangelij, & publicam eius uocationis approbationem: Quia hæc omnia mandato Euangelij præcipiuntur, ut ad Titum: Constitue Presbyteros, ut iussi, & est addita promissio omnium maxima, & dignissima cognitione, quæ testatur Deum uerē efficacem esse per ministerium eorum, qui uoce Ecclesiæ electi sunt, ut testatur dictum uniuersale de Apostolis, & omnibus sonantibus uerbum traditum per Apostolos: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. *Ordinatio potest addi Sacramentis, & testimonia de ordinatione.*

Et Christus inquit Iohan: 17. Rogo non pro eis tantùm, sed pro omnibus credituris per uerbum eorum. Et Ioh: 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. Et Ephes: 4. Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores. Luc: 10. Qui uos audit, me audit.

Iohan: 15. Ego sum uitis, uos palmites, qui manet in me, & ego in eo, ille feret fructum copiosum. Et 2. Cor: 5. Deus posuit in nobis uerbum reconciliationis: Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquàm Deo adhortante per nos. Et 2. Cor: 3. Fecit nos ministros noui Testamenti, non Literæ, sed Spiritus. Hæ & pleræq; similes sententiæ clarē testantur, Deum efficacem esse per hoc ipsum ministerium docentium Euangelium, quod in Ecclesia uult perpetua uocatione conseruare. Expressē enim loquitur Paulus de uerbo externo, seu de ministerio sonante uocem Euangelij, cùm inquit: Propè est uerbū in ore tuo. Item: Posuit in nobis uerbum reconciliationis, pro Christo igitur legatione fungimur. Et mandatum Ecclesiæ datum est, ut eligantur ministri seu legati tales, ut ad Titum expressē scribitur.

Admoneat igitur nos ritus ordinationis de hoc Mandato, & de his promissionibus, & Deo gratias agamus, quòd instituit & conseruat hoc ministerium, & quòd hoc modo nos recipit, ac à peccato, à potestate Diaboli, & æterna morte liberat, ac iusticiam & uitam æternam nobis restituit. Hac fide & nos ueneremur & tueamur ministerium, & eo utamur, discamus & audiamus Euangelium, exerceamus fidem usu Sacramentorum, & sciamus per hoc ministerium exhiberi nobis æterna bona, Oremus item Deum, ut det ministros idoneos, & eos adiuuet, ut iubet Christus orare, ut Deus extrudat operarios in messem suam. Et, Colos: 4. iubet Paulus precari cæteros, ut Deus ipsum adiuuet in sua functione. *Ritus ordinationis de quibus rebus admonet.*

Est & hæc magna consolatio, cùm hoc ministerium à Deo institutum sit, etiamsi semper in mundo uariē quassatur, & multi homines ab eo discedunt, ac pereunt, tamen non poterit funditus deleri. Christus enim inquit Matthæi 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, super hoc ministerium, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Hac consolatione pij, etiam hoc tempore se sustentent, & sciant mansuras esse reliquias Ecclesiæ & ueri ministerij, etiāsi ruant imperia. Quanquàm id non fit sine cladib. Ecclesiæ, sed tales sunt & fuerunt semper mundi pœnæ, sicut Amos inquit: Ecce oculi Domini super regnum damnatum, et delebo illud de terra, sed Iacob non delebo, uerùm ut triticum in cribro concutiam, nec decidet granum in terram. Hic Propheta simul minas & consolationem proponit. Nec mirum est puniri imperia, quia cùm deberent iuuare, & tueri ministerium, sicut Psalmus inquit: Aperite portas Principes uestras, impij principes delere Ecclesias conantur. Alij mediocres sua negligentia deformant, non fouent studia, non quærunt *Ministeriū etsi uariē quassatur non potest funditus deleri.*

eruditos ministros, non curant eis uictum mediocrem, non student conciliare uoluntates eorum. Deniq; hanc partem publici status, uel negligunt tanquam extremam, uel arte premunt.

Basilius queritur suo tempore euectos esse ad gubernationem Ecclesiæ, seruorum omnium uilissimos indoctos & ignauos. Postea cùm opes creuerunt, functiones Ecclesiasticæ fuerunt prædæ potentibus. Ipsum uerò ministerium neglectum est, & per mercenarios indoctos partim superstitione, partim auaritia deprauatum est.

Nunc rursus etiam in illis locis, ubi doctrina sincera recepta est, admittuntur ad ministerium multi indocti & ignaui. Quia potentes totam hanc rem negligunt, nec tuentur studia, nec curant ali ministros. Ita perpetuis difficultatibus in hoc mundo Ecclesia conflictatur, quas pij considerare debent, ut suo quisq; loco, quantùm potest, eas leniat, ut etiam Deus mitiget pœnas.

Officia quæ prosunt ad cõseruationem ministerij Deus seueriſsimè præcipit.

Et quidem hæc officia, quæ prosunt ad ministerij conseruationem, Deus seueriſsimè requirit, & magnis præmijs compensat, sicut hæ sententiæ testantur: Qui dederit alicui ex minimis horum tantùm aquæ potum propter doctrinam, Amen dico uobis, non perdet mercedem. Et exempla sunt illustria uiduæ Sareptanæ, quæ excepit Eliam. Abdiæ, 3. Reg: 13. qui centum Prophetas in speluncis abditos defendit & pauit. Ezechiæ, 2. Paral: 31. Aethiopis, qui seruat Ieremiam.

De his rebus omnibus, de efficacia ministerij, de precatione pro ministerio, de officijs quæ ei debentur, de pœnis spreti ministerij admoneat nos doctrina de ordinatione, cùm inter Sacramenta recensetur, admoneat nos & ritus ipse, cùm publicè spectamus antiquiſsimum morem haud dubiè à primis patribus acceptum, uidelicet impositione manuum, quæ semper signum fuit rei destinatæ ad cultum Dei, fuit & signum benedictionis. Hoc ritu Iacob benedicit filijs Ioseph. Hoc ritu Moses ordinat Iosue ad gubernationem populi Dei, Num: 37. Hoc ritu Christus benedicit pueris. Hoc ritu pecudes ordinabantur ad hoc munus, ut fierent uictimæ. Præcipuè autem ritus uictimarum significauit Christum. Deus æternus Pater imposuit ei manus, id est, delegit eum, benedixit ei, unxit eum & subiecit sibi, ac pressit ingenti onere, ac fecit uictimam pro nobis. Hunc præcipuè significat hic ritus impositionis manuum. Postea uerò ad ministros transferatur significatio. Christus Pontifex imponit eis manum, id est, deligit eos uoce Ecclesiæ, benedicit eis, ac iungit eos donis suis, sicut scriptum est: Ascendit dat dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores, quos ornat luce doctrinæ, & alijs donis. Deinde subijcit eos sibi, ut solum Euangelium doceant, solius Christi regno seruiant, non quærant sibi potentiam, non constituant imperia prætextu religionis, sint etiam uictimæ, id est, perferant odia, ærumnas & supplicia, propter ueram doctrinam, sicut Psalmus inquit, Propter te mactamur tota die.

Ritus impositionis manuũ à patribus acceptus.

Cùm igitur cogitabis, non casu, non sine aliqua significatione hunc ritum à primis Patribus, et ab Apostolis usurpatum esse, excitetur animus ad agnoscendam muneris efficaciam, ad reuerentiam, ad quærendas significationes, quæ nos de Christo Pontifice, et de officijs huius muneris admonent. Econtrà uerò in doctrina de Ordinatione, etiam considerandæ sunt deprauationes. Sacrificuli, qui missas pro alijs faciunt, fingunt ordinationem ideò fieri, ut detur potestas sacrificandi pro uiuis & mortuis, et quidem dicunt se offerre filium Dei,

Deprauationes ordinationis apud Pontificios.

Dei,& ſua oblatione mereri aliȝs remiſſionem peccatorum. Addunt item,ſine hoc ſacrificio non prodeſſe Eccleſiæ mortem Chriſti. Etſi autem quædam ſumta ſunt ex κακοζηλίᾳ Leuitici ſacerdotiȝ malè intellecti,tamen & alia multa affinxerunt ex Ethnicis opinionibus. Hi errores reiȝciendi ſunt, qui pepererunt multiplicem εἰδωλομανίαν, quam Turcica tyrannide puniri non dubium eſt. Sed propter munus Euangeliȝ docendi,& efficaciam eius muneris, Ordinatio retinenda, & magnifacienda eſt.

Anabaptiſtæ autem unã cum miniſterio contemnunt ordinationem,ſingunt expectandas eſſe nouas reuelationes & illuminationes ã Deo, easq; petendas magnis macerationibus corporis, Sicut Monachi & olim ἐνθουσιασταὶ finxerunt. Hæc fanatica deliramenta execranda ſunt. Oriuntur autem ex falſis perſuaſionibus de diſciplina Legis & ex ignoratione doctrinæ fidei. *Anabaptiſtæ contemnunt miniſterium.*

Nos contrã ſciamus, Deum immenſa bonitate patefeciſſe uoluntatem ſuam in Euangelio, nec alias illuminationes quærendas eſſe, ſed fidem & inuocationem excitari hoc ipſo Euangelio nobis exhibito, & Deus uult eſſe publicum miniſterium, idq; mirabiliter conſeruat, & ſubinde repurgat, ut ad hoc Euangelium exhibitum ſciamus Eccleſiam alligatam eſſe. Hæc dicit Paulus Epheſ:4. his uerbis: Inſtitutum eſſe miniſterium Euangeliȝ, ut Euangelium conſeruetur, ne circumferamur omni uento doctrinæ.

CONFIRMATIO.

OLim fuit exploratio doctrinæ,in qua ſinguli recitabant ſummam doctrinę, & oſtendebant ſe diſſentire ab Ethnicis & Hæreticis, & erat mos ad eruendos homines. Item ad diſcernendos prophanos & pios admodum utilis. Poſtea fiebat publica precatio,& Apoſtoli imponebant eis manus. Ita donabantur manifeſtis donis Spiritus ſancti. Sed nunc ritus Confirmationis,quem retinent Epiſcopi,eſt prorſus ocioſa ceremonia. Vtile autem eſſet exploratio-nem & profeſſionem doctrinæ fieri, & publicam precationem pro piȝs, nec ea precatio eſſet inanis. *Diſcrimen confirmationis Apoſtolicæ & Pontificiæ.*

DE VNCTIONE.

VNctio olim curatio medica fuit. Nam Deus ut autoritatem aliquam Patribus & Prophetis circundaret, inde uſq; ab initio ornauit eos dono ſanandi,ut Abraham, Iſaac, Iacob, Eſaias, & ſimiles uiri profeſſione medici fuerunt. Eſtq; per hos uiros unã cum doctrina uerę religionis propagata doctrina Phyſica de Plantis, & multis naturæ partibus. Hunc ueterem morem renouauit Chriſtus, cùm miſit Apoſtolos, iuſſit eos mederi ægrotis, & inſtruxit dono ſanandi. Hoc donum manſit in Eccleſia poſtea, & certum eſt adhuc multos precibus Eccleſiæ ſanari. Hæc monere utile eſt, ut diſcamus Dei donum eſſe corporis incolumitatem,quãm tribuit ut aliȝs inſeruiamus. Hanc uult peti,& quadam diligentia foueri. Sed ritus Vnctionis qui nunc eſt, tantùm eſt ſuperſtitioſa ceremonia,Et acceſſit mortuorum inuocatio, quæ eſt impia. Ideõ Vnctio illa cum ſuis appendicibus reiȝcienda eſt. *Vnctionis Apoſtolicæ & Pontificiæ diſcrimen.*

DE BAPTISMO.

Baptismi definitio & finis.

BAptismus est integra actio, uidelicet, mersio & uerborum pronunciatio, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Principalis autem significatio & finis Baptismi discitur ex promissione: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Ideō enim Baptismus propriè Sacramentum dicitur, quia huic promissioni additus est, ut testetur promissionem gratiæ uerè ad hunc pertinere qui baptizatur. Ac perinde sentiendum est de hoc testimonio, ac si Deus noua aliqua uoce de cœlo testaretur, se hunc recipere. Postquām ergo baptizatus doctrinam intelligit, exerceat hanc fidem, credat se uerè à Deo recipi propter Christum, et sanctificari Spiritu sancto: Sic utendum est Baptismo postea in uita: quotidie nos commonefaciat. Ecce hoc signo Deus testatus est, te receptum esse in gratiam. Hoc testimonium non uult contemni. Quare credas te uerè receptum esse, & hac fide eum inuoces. Hic est usus assiduus Baptismi. Ita Abrahæ circumcisio erat perpetuum testimonium, scriptum in ipsius corpore, quo admonebatur de Semine uenturo, & de promissa benedictione propter Semen, quoties cogitabat de circumcisione, acquiescebat fide, statuens se Deo placere, & ei gratias agebat, & eum inuocabat.

Baptismi usus in uita.

Verba Baptismi complectuntur Euangelij summam.

Vt autem promissionis amplitudo melius aspiciatur, uerba Baptismi consideremus, quę complectuntur Euangelij summam, & sunt benedictio qua consecramur Deo, & per quam super nos inuocatur Nomen Dei: Ego, inquit minister, mandato diuino, & loco Christi: Baptizo te, id est, hoc signo testificor ablui peccata tua, & te reconciliatum esse uero Deo, qui est Deus æternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, & misit pro te Filium, mirando & inenarrabili consilio, ut tibi peccata remittat, & incoet in te nouam iusticiam, & uitam æternam Spiritu sancto. Hæc benedictio consecrat nos Deo, & discernit Ecclesiam ab omnibus Gentibus, quia nulla alia Gens uerè inuocat Deum, sicut se patefecit, scilicet, Patrem Domini nostri Iesu Christi, placatum per Filium, & sanctificantem Spiritu sancto. Et quia summa Euangelij his uerbis continetur, amplissimæ consolationes nobis proponuntur, Quām gratum est enim audire, quōd iam uerē sis à Deo æterno Patre receptus, quōd Filij beneficia tibi donata sint, quōd uelit te Deus regere Spiritu sancto, quōd eripuerit te à morte æterna, & à uinculis Diaboli? Quō attentius cogitabis uerba Baptismi, eō magis accendetur animus agnitione misericordiæ Dei, & magis confirmabitur fide, & excitabitur ad inuocandum.

Verba Baptismi postulant fidem.

Vt autem uerba nobis proponunt promissionem & consolationem, ita uicissim postulant fidem, & hanc obligationem, ut hunc uerum Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, & Filium eius, & Spiritum sanctum agnoscamus. De hoc mutuo fœdere dicitur 1. Pet: 3. Baptisma, quod est non sordium corporis depositio, sed stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem Christi. Intelligit enim mutuam obligationem, & mutuum fœdus. Deus profitetur se nos recipere, id conscientia credens amplectitur, & hac fide iam uerē agnoscit Deum, & inuocat. Hæc recta de Deo sententia, uocatur bona conscientia, uidelicet rectē agnoscens Deum, rectē inuocans. Additur autem, Per resurrectionem Christi. Docet enim Baptismum efficacem esse propter regnantem Christum, & iubet fide agnoscere, donatam esse hanc reconciliationem propter Christum.

DE SI-

DIxi suprà in Sacramentis multas esse significationes, sed unam præcipuam, uidelicet gratiæ, anteferendam esse cæteris. Hanc etiam ritus pingit, quia ablutio significat ablui peccata propter Christum, & nobis applicari beneficium passionis Christi, cùm mergimur in aquam, uelut in mortem Christi. Postea non est absurdum, addere alias significationes. Sicut iter Israëlitarum per mare rubrum fuit imago afflictionum Ecclesiæ & liberationis: Ita mersio in Baptismo, imago est afflictionum & liberationis. Sed altera significatio longè anteferenda est, quæ nos de promissione & de gratia admonet, & requirit fidem. *Significationes in ritu Baptismi.*

Vt autem satis fuit semel circumcidi, cùm esset mandata Circumcisio, ita semel tantùm fiat Baptismus, ut hæc grauissima ratio ostendit. Peccatum est, abuti nomine Dei, & inuocationem ueram improbare: Qui autem rebaptizant, improbant priorem Baptismum, indicant inanem & inutilem fuisse. Atq; ita improbant ueram inuocationem Dei, factam de hoc baptizato. Ideò non est repetenda ipsa ceremonia. Cæterùm de Anabaptistis plura mox dicemus, qui multos pernicioſos errores suo anabaptismo admiscent. *Satis est semel baptizari.*

Sciant autem pij, semel factum Baptismum manere perpetuum testimonium & fœdus. Dauidi post lapsum non erat opus noua circumcisione: Sed illa prior circumcisio de utraq; re admonebat eum, uidelicet ideò hanc naturam circumcidi, quia sub peccato est, & redeundum esse ad promissionem reconciliationis, illis ipsis qui lapsi essent. Sic lapsi iam sentiant, non iterent ceremoniam, sed admoniti fœdere, quod antea factum est, in quo fit mentio Filij, quæ est testimonium remissionis peccatorum, redeant ad propositam reconciliationem. Ita Baptismus magnam doctrinam & consolationem lapso affert, quia ipsa mentio Filij admonet nos de pœnitentia, & de remissione peccatorum, & testatur redeuntes iterum fieri membra populi Dei. *Baptismus semel factus, est perpetuum testimonium & fœdus.*

DE BAPTISMO IOANNIS ET *APOSTOLORVM.*

TOtum ministerium Ioannis Baptistæ, opus Dei fuit, & incoatio noui ministerij, quod post Legem secuturum erat. Ideò Baptismum eius non cogitemus ineptè ociosum spectaculum fuisse. Et quod aliqui dicunt, tantùm pœnitentiam significatam esse, non remissionem, est absurdum. Nam prædicatio pœnitentiæ sine remissione est Ethnica: Estq; prædicatio iræ & mortis æternæ, quæ non sonat in Ecclesia sine prædicatione remissionis. Ideò Lucas & Marcus expressè dicunt: Prædicans Baptismum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum.

Etsi igitur differentia erat in hoc articulo, Ioannes de passuro Christo, Apostoli de passo & resuscitato prædicant, tamen ministerium fuit idem, & effectus eosdem habuit in credentibus. Docebat enim Ioannes de utraq; re, de remissione peccatorum, et de efficacia Spiritus sancti, in his qui Filio crederent, sicut inquit, Baptizabit eos Spiritu sancto. Item, Ex plenitudine eius omnes accepimus, ubi testatur non ita recipi credentes, ut non sit efficax in eis Christus, sed docet nouam lucem & iusticiam in eis incoari. *Ministerium Ioannis & Apostolorum fuit idem, & eosdem habuit effectus.*

Iohannes non discernit ministerium externum, sed personas Meßiæ & ministrorum.

Sed cur Iohannes discrimen facit, inquiens: Ego baptizo uos aqua, qui autem post me uenturus est, baptizabit uos Spiritu sancto & igni? Respondeo: Non discernit externum ministerium, sed personas, uult intelligi discrimen Messiæ & ministrorum. Ministri tantùm adhibent externum ministerium: Sed per illud efficax est Christus, propter eum, & per eum datur reconciliatio, Spiritus sanctus, & uita æterna. Hæc non efficiunt ministri, quare necesse est personam Christi à ministris discerni. Id discrimen non obseruant ignari Euangelij, qui imaginantur Christum tantùm esse doctorem, sicut Pharisæi putabant: Nec intelligebant eum esse missum, ut esset uictima. Item, ut esset dator nouæ & æternæ uitæ ac iusticiæ.

DE BAPTISMO INFANTIVM.

Deliria Anabaptistarum qualia.

GRauissimè præcipitur à Paulo, ut explorentur Spiritus, & Christus regulam tradit, inquiens: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Certum enim signum est fanaticæ mentis, & agitatæ malo spiritu, insignes aliquos errores pertinaciter defendere. Porrò Anabaptistæ non tantùm hunc unum articulum de Baptismo infantium labefactant, sed multos prodigiosos errores miscent. Estq; totum eorum delirium confusum ex multarum ueterum sectarum furoribus, ex Manichæis, ex Enthusiastis, ex Iudæorum recentium fabulis. Non intelligunt discrimen iusticiæ spiritualis & ciuilis. Ideò negant licere Christianis imperia tenere, magistratus gerere, iudicia exercere, dare legitimum iusiurandum, contendunt discedendum esse à propriis facultatibus, & oportere eas in commune conferri, aiunt relinquendas esse coniuges, qui abhorrent ab Anabaptistico dogmate.

Hi furores non possunt non oriri à Diabolo, & sunt faces seditionum. Quia enim non intelligunt Euangelij præcipuum locum de Iusticia fidei, sed maximè contendunt hominem propter propria opera, & duras afflictiones, ut ipsi loquuntur, iustum esse: Ideò fingunt sibi talia opera Monastica, ut aliquid noui & duri facere uideantur. Addiderant Anabaptistæ Monasterienses magis prodigiosos errores, finxerant Iudaico more, futuram esse Monarchiam piorum ante resurrectionem, & ut illam Monarchiam constituerent, seditiosa arma acceperant. Hæc amentia erat perspicua nota Diaboli, quæ sanos conuincit, ut intelligant fugiendum esse contagium Anabaptisticum. Sed etiamsi qui sunt moderatiores, tamen semina similium furorum retinent. Denicq; omnes de peccato Originis, de iusticia fidei, & de ministerio externo errant, tollunt manifesta amentia peccatum Originis, nec iudicant peccatum quicquam aliud esse, nisi facta seu actiones externas pugnantes cum Lege Dei. Iam audio noua deliria ab eis fingi, Christum passum esse, non ut aboleret peccatum, sed ut aboleret mortem corporalem. Hoc non solùm falsò, sed etiam stolidè dicitur, quia abolere mortem est abolere peccatum. Nam, ut Paulus dicit, Per peccatum irrupit mors. Denicq; nunquàm unus aliquis insignis error solus defenditur, sed plures miscerí necesse est. Ideò iudicium de fanaticis opinionibus facilè fieri potest, conquisitis talibus notis. Cumq; manifestæ sint notæ mali spiritus in confusione dogmatum Anabaptisticorum, fugiamus eorum contagium, nec hypocrisi eorum moueamur.

Quòd

Quòd autem Baptiſmus infantium non ſit recens mos, ſed primæ & puTeſtimonium de Baptiſmo infantum.
rioris Eccleſiæ teſtimonio comprobatus, ſequentes ſententiæ oſtendunt, quas recitabo, quia non dubito, pios Eccleſiæ purioris exemplo confirmari.

Origenes 6.cap:ad Rom: ſic ſcribit: Itaq; & Eccleſia ab Apoſtolis traditionem accepit, etiam paruulis dare Baptiſmum. Sciebant enim illi quibus ſecreta diuinorum myſteriorum commendata fuerunt, quòd eſſent in omnibus genuinæ ſordes peccati, quæ per aquam & Spiritum aboleri deberent. Hæc Origenis uerba perſpicuum teſtimonium continent de duobus articulis, de Peccato origenis,& de Baptiſmo infantium.

Cyprianus ſcribit in Synodo damnatam eſſe opinionem cuiuſdam, qui infantes non uolebat ante octauum diem baptizari. Cenſuit enim Synodus infantes baptizandos eſſe, nec obſeruari oportere præſcriptum tempus octaui diei.

Auguſtinus de Baptiſmo contra Donatiſtas libro quarto inquit de Baptiſmo paruulorum: Quòd uniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolica autoritate traditum, rectiſſimè creditur.

I. *Argumentum.*

Sed ſumemus etiam argumenta ex Euangelio,quæ quia bona conſequenQuòd infantes ſint baptizandi I.Argumentum.
tia ex certiſſimis ſententijs ſequuntur,neceſſariò ualent. Ac primùm hoc certiſſimum eſt,Regnum Dei,id eſt,promiſſionem gratię, & uitam æternam,non ad ſolos adultos, ſed etiam ad infantes pertinere, qui tamen inſerti ſunt Eccleſiæ, quia Chriſtus clariſſimè de infantibus inquit: Talium eſt regnum cœlorum.Item:Non eſt uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis iſtis. Hæ dulciſſimæ uoces teſtantur magnam Eccleſiæ Dei partem eſſe infantes,ſuper quos inuocatum eſt nomen Dei. Quare hæc dicta & amemus & tueamur, nec ſinamus eludi ea ſycophanticis cauillationibus, ut Anabaptiſtæ contendunt, nihil promitti infantibus, ſed præcepta eſſe adultis tradita, ut imitentur infantum innocentiam,qui nondum habent ſtudium nocendi. Hæc cauillatio non impediat,quò minus ſtatuas hæc dicta uerè eſſe promiſſiones, teſtantes Deo placere hos infantes,de quibus loquitur,id eſt,infantes inſertos Eccleſiæ.

Certùm & hoc eſt, extra Eccleſiam, hoc eſt, apud eos ſuper quos non eſt
Extra Eccleſiam et ſine Euangelio non eſt remiſsio peccatorum.
inuocatum nomen Dei per Baptiſmum, & qui ſunt ſine Euangelio, non eſſe remiſſionem peccatorum, & ſocietatem uitæ æternæ, ut apud hoſtes Chriſti, & blaſphemos ludæos,Mahometiſtas,& ſimiles. Id clarè probatur hoc dicto: Non eſt aliud nomen datum hominibus,quo oporteat ſaluos fieri, niſi nomen Ieſu Chriſti.

Item Epheſ: 5. Paulus deſcribens Eccleſiam, inquit: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum pro ea tradidit, ut eam ſanctificet, mundans eam lauacro aquæ. Definit Eccleſiam eſſe regnum Chriſti, quam ſanctificat, & addit Eccleſiæ ſignum, ut diſcernat eam â reliquis Gentibus, ſuper quas non eſt inuocatum nomen Chriſti.

Item Rom: 8. Quos elegit,hos & uocauit. Nulla igitur eſt electio eorum qui non inferuntur Eccleſiæ externa uocatione. Item Matth:18. Vbi ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Ergo in eo cœtu qui non eſt congregatus in nomine Chriſti,Chriſtus non eſt. Tenenda eſt igitur hæc

tur hæc ſententia firmiſſimẽ: Extra Eccleſiam non eſſe remiſſionem peccatorum, & ſalutem æternam. His duabus propoſitionibus conſtitutis, quõd ad infantes pertineat promiſſio gratiæ, & quõd non pertineat ad infantes extra Eccleſiam, clarẽ ſequitur concluſio: Infantes neceſſariõ inferendos eſſe Eccleſiæ per Baptiſmum, in quo ſuper eos inuocatur nomen Dei. Magna res eſt inuocatio nominis Dei, quæ fit per miniſterium. Ideõ Chriſtus coniunxit hæc duo: Sinite paruulos uenire ad me, quia talium eſt regnum cœlorum. Talium, id eſt, eorum qui mihi offeruntur, ſuper quos inuocatur nomen meum.

Itaq; non dubito conuinci omnes ſanos hoc argumento, Extra Eccleſiam non eſt ſalus, id eſt, ubi nec miniſterium Euangelij ſonat, nec ſacramenta adminiſtrantur. Ad infantes pertinet promiſſio ſalutis: Ergo infantes neceſſe eſt inſeri Eccleſiæ per Baptiſmum, in quo ſuper eos inuocatur nomen æterni Patris, Filij, et Spiritus ſancti. Hoc argumentum ita firmum eſt, ut euerti non poſſit. Nequaquãm enim affirmari poteſt, pertinere ſalutem ad infantes extra Eccleſiam, ut ſine ullo teſtimonio furenter contendunt Anabaptiſtæ.

II. Argumentum.

II. Argumentum. Infantes naſcuntur cum peccato, nec fiunt hæredes uitæ æternæ ſine remiſſione peccati. Inſtituit autem Deus in Eccleſia miniſterium remittẽdi peccata, & diſtribuendi remiſſionem per Sacramenta. Vult ita dari remiſſionem, cùm eius miniſterio utimur. Quare infantibus impertiendum eſt hoc beneficium per Baptiſmum.

Quõd uerõ Anabaptiſtæ in uniuerſum negant totam doctrinam de peccato Originis, magis produnt ſuam amentiam. Nam ſi ſunt ſine peccato, Chriſtus non eſt paſſus pro infantibus. Collegimus autem alio loco teſtimonia Prophetica & Apoſtolica, quæ oſtendunt omnes naſcentes ſecum afferre peccatum, ut Rom: 5. Mors peruaſit in omnes homines, eõ quõd omnes peccauerunt, id eſt, ſunt rei. Et Epheſ: 2. Eramus & nos natura filij iræ, id eſt, rei ſeu addicti iræ, ſeu damnati. Cùm igitur non dubium ſit, in infantibus eſſe peccatum, debet aliquod eſſe diſcrimen infantium Ethnicorum, qui manent rei, & infantium in Eccleſia, qui recipiuntur à Deo per miniſterium.

Omnes naſcentes ſecum afferunt peccatũ.

III. Argumentum.

III. Argumentum. Ad quos pertinet promiſſio, ad eoſdem pertinet & ſignum. Nam ſignum traditum eſt propter promiſſionem. Certùm eſt autem promiſſionem gratiæ pertinere ad infantes: Ergo neceſſe eſt, eis applicari ſignum per miniſterium, quo ſuper eos nomen Dei inuocatur.

IIII. Argumentum.

IIII. Argumentum. Mandatum de Baptiſmo eſt uniuerſale, ac ad totam Eccleſiam pertinet, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum: Pertinet igitur etiam ad infantes, ut fiant pars Eccleſiæ. Nec dubium eſt fuiſſe per aliqua ſigna, quibus infantes in Eccleſia Deo oblati ſunt, ut fuit Circumciſio maſculorum inde uſq; ab Abraham, & aliæ ceremoniæ, quibus infantes maſculi & fœmellæ Deo offerebantur, id eſt, in quibus ceremonijs nomen Dei ſuper eos inuocabatur, & applicabatur eis benedictio diuina promiſſa Patribus. Habuerunt Patres & ante Abraham alia ſigna à Deo tradita.

dita. Oportet enim teneri hanc hypotheſin. Infantes qui ſunt in Eccleſia, ſuper quos inuocatum eſt nomen Chriſti, recipi in gratiam, non Turcicos, non Iudaicos.

Sed reclamant Anabaptiſtæ, negant prodeſſe Baptiſmum infantibus, cùm non intelligant uerbum, & ceremonia ſine fide accipientis ſit ocioſa. Ad hoc reſpondeo. Veriſſimum eſt, in omnibus adultis requiri pœnitentiam & fidem. Sed de infantibus hoc ſatis eſt tenere, Spiritus ſanctus per Baptiſmum eis datur, qui efficit in eis nouos motus, nouas inclinationes ad Deum pro ipſorũ modo, nec id temerè affirmatur. Nam hæc certa ſunt, recipi infantes à Deo per hoc miniſterium, dari item ſemper cum remiſſione peccati Spiritum ſanctum, & neminem placere Deo, niſi ſanctificatum à Spiritu ſancto: Sicut clarè inquit Chriſtus, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum. Item 1. Cor: 15. Caro & ſanguis, uidelicet ſine Spiritu ſancto, non poſſunt regnum Dei poſſidere. Et Rom: 8. Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Cùm ergo certum ſit, hos infantes eſſe partem Eccleſiæ, & placere Deo, certum & hoc eſt, Deum in eis efficacem eſſe, quia uitam æternam oportet in hac uita incoari.

Infantibus datur Spiritus ſanctus per Baptiſmum.

Hæc de Baptiſmo piè & diligenter conſideremus omnes, ut nos etiam grandiores pacto & fœdere illo nos conſolemur, ut ſuprà dixi. Maximè uero adoleſcentes caueant, ne donum Baptiſmi effundant, néue illam ingentem gloriam amittant, quam prædicat Chriſtus de infantibus in Eccleſia: Non eſt uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis iſtis. Quæ poteſt maior gloria cogitari, quàm quòd affirmat, hos certò placere Deo, & ei curæ eſſe? Et parentes hac fide de Baptiſmo inuocent Deum pro infantibus, & eos Deo commendent, ac ſtatim cùm doceri poſſunt, aſſuefaciant eos, ut ipſi inuocent Deum & Filium eius, & paulatim eis tradant ſummam Euangelij. Denicp cùm pueri ſint magna pars Eccleſiæ, ſciant parentes & præceptores ſibi non exiguum theſaurum commendatum eſſe: Quare præſtent fidem & diligentiam in docenda & regenda iuuentute.

DE COENA DOMINI.

SAepè dictum eſt, ſingulare & ingens Dei beneficium eſſe, & admirabilius ipſa creatione rerum, quòd Deus ſe patefecit humano generi certis & illuſtribus teſtimonijs, & uoluntatem ſuam de ſalute noſtra traditis claris promiſſionibus nobis declarauit, & harum promiſſionum uoce Eccleſiam ſibi inde uſcp ab initio poſt receptos primos parentes condidit, & collegit. Hæc ipſa patefactio manifeſtè conuincit noſtras mentes, ut ſtatuere cogantur, nos Deo curæ eſſe, & ab eo reſpici. Ideò hiſtoriæ omnes patefactionum, quæ ſcriptæ ſunt, ſæpè cogitentur, ut cùm lapſos primos parentes Deus recepit, & primam promiſſionem edidit, cùm Noë mandauit, ut Arcam conderet, cùm Abrahæ nouam promiſſionem tradidit, cùm populum ex Aegypto eduxit, & Eccleſiæ ſuę certum domicilium, ut ita dicam, & certam ſedem dedit, cùm miſit Prophetas, ac denicp Filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & reſuſcitatione mortuorum, & alijs miraculis declarauit uerè à Deo miſſos eſſe.

Patefactio diuina ingens Dei beneficiũ.

Quoties autem fit mentio promiſſionum, & conditæ ſeu inſtauratæ Eccleſiæ,

cleſiæ, ſimul conſideres à Deo addita teſtimonia quædam incurrentia in oculos, quæ eſſent quaſi σφραγίδες promiſſionum.

Tres cauſæ cur inſtitutæ ſint ritus externi.

Et tres cauſæ magnæ ac præcipuæ ſunt, cur illi externi ritus additi ſint promiſſioni.

I. Cauſa.

Prima, ut priuatim commonefacerent utentes de promiſſione & de uoluntate Dei erga nos, atq; ita per ea fides in nobis erga Deum excitaretur & confirmaretur.

II. Cauſa.

Secunda cauſa fuit & eſt, ut memoria publicè durabilior eſſet, & propagari ad omnem poſteritatem promiſſio certius poſſet. Nam ritus incurrentes in oculos ſunt diuturniores, ut uidemus Ethnicos etiam retinuiſſe ritus acceptos à Patribus, amiſſa doctrina Patrum, quos ritus tamen corruperunt, cùm ſubinde nouas opiniones & noua idola fingerent. Cæterùm manifeſtum eſt, ritus ad memoriam et propagationem conducere. Et multi ritus pinxerunt promiſſiones, ut Circumciſio admonebat Abraham & poſteros de Semine. Mactatio uictimarum admonebat Patres de morte uenturi Domini.

III. Cauſa.

Tertia cauſa fuit & eſt, ut ritus illi eſſent nerui publicorum congreſſuum. Vult enim Deus miniſterium Euangelij publicum eſſe, non uult in latebris, ut Eleuſinia, tantùm teneri incluſam Euangelij uocem, ſed exaudiri eam uult à toto genere humano, uult ſe agnoſci & inuocari. Ideò uult eſſe publicos & honeſtos congreſſus, & in his ſonare Euangelij uocem, uult ſe ibi inuocari & celebrari, uult etiam hos ipſos congreſſus teſtes eſſe ſeiunctionis Eccleſiæ Dei ab aliarum Gentium ſectis, factionibus & opinionibus. Conuenit Iohannes Epheſi cum ſuo cœtu, & docet Euangelium, & uſu Sacramenti totus cœtus oſtendit ſe hanc doctrinam amplecti, & hunc Deum inuocare, qui Euangelium tradidit, & ſeiunctum ſe eſſe à Dianæ, Iouis, & aliorum Idolorum cultoribus. Vult enim Deus conſpici & audiri ſuam Eccleſiam in mundo, & uult ſeiunctam eſſe multis publicis notis, à reliquis Gentibus. Sic habuerunt ſuos cœtus Adam, Seth, Enoch, Noa, Sem, Abraham. Et deinceps politia Iſraël habuit multos ritus, ut ſeiunctio illa à Gentibus eſſet conſpectior.

Quanquàm autem Diabolus ſemper conatus eſt, & conatur delere miniſterium Euangelij, & diſſipare hos cœtus, & congreſſus Eccleſiæ per tyrannos & hæreticos, tamen Deus ſua immenſa miſericordia ſemper ſeruauit, & ſubinde reſtituit & miniſterium Euangelij & publicos Eccleſiæ congreſſus. Quid nunc arma Turcica aliud moliuntur, niſi ut deleant uocem Euangelij, diſſipent congreſſus Eccleſiæ Dei? At Deus ſeruaturum ſe Eccleſiam ſuam promiſit, & ſeruabit. Ac in ipſa Cœna Domini incluſa eſt hæc promiſſio, quæ affirmat non interituram eſſe Eccleſiam Dei in hoc mundo: Iubet enim annunciari mortem Domini, & hanc Cœnam diſtribui, donec uenerit. Hæc conſolatio pijs grata eſſe debet. Et retinentes puritatem Euangelij, & pium uſum Sacramentorum, haud dubiè defenduntur.

In Cœna Domini promiſſio de non interitura Eccleſia.

Hæc præfatus ſum, ut cogitemus de cauſis inſtitutæ Cœnæ Domini, quę & ipſa teſtimonium eſt inſigne patefactionis Dei. Non aliter audis uerba huius Cœnæ, quàm ſi ipſum Chriſtum coram tecum loquentem audires, & ſimul de ipſius reſurrectione & cæteris miraculis cogites, quibus ſe uerè Deus nobis patefecit. Ac ſcias inſtitutum eſſe hoc Sacramentum, primùm ad commonefaciendos ſingulos, & excitandam & confirmandam fidem in nobis: deinde ut memoria paſſionis & reſurrectionis Chriſti perpetuò propagaretur hoc

hoc ritu, denicq; ut sit neruus publicę congregationis, in qua Ecclesia Dei ostendat se seiunctam esse à cæterarum Gentium opinionibus. Post hæc exordia hæc quatuor considerentur.

Primum, quomodo instituta sit Cœna Domini.
Secundum, quibus prosit manducatio.
Tertium, qui sint ad eam admittendi.
Quartum, de abusu & prophanatione Sacramenti.

DE PRIMO.

Ritus institutionis Cœnæ Dominicæ.

Ritus describitur à Matthæo, Marco, Luca, & à Paulo. Et nominatim inquit Paulus, Conuenientibus uobis: Vult publici congressus ceremoniam esse hanc Cœnam, & simul uult ibi doceri Euangelium, inuocari Deum, mentione & fiducia Domini nostri Iesu Christi, & agi gratias, Ideò dictum est, Hoc facite ad recordationem mei.

Christus reuera adest suæ Cœnæ.

Nec est inane spectaculum, sed Christus re uera adest, dans per hoc ministerium suum corpus & sanguinem manducanti & bibenti. Sicut & ueteres scriptores loquuntur: Cyrillus in Iohanne inquit: Vnde considerandum est, Christum non solùm per dilectionem in nobis esse, sed etiam naturali participatione, id est, adesse non solùm efficacia, sed etiam substantia.

Et Hilarius ait: De naturali enim in nobis ueritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stultè & impiè diceremus. Ipse enim inquit: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus, & deinceps. Hæc accepta & hausta efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Non imaginemur esse memoriam hominis mortui, ut sunt spectacula de Hercule, aut similia. Abijciamus has profanas cogitationes, ac hoc testimonio commonefacti credamus uerè Christum pro nobis factum esse uictimam, ac mortuum, sed reuera etiam resuscitatum, iam regnare, & adesse suæ Ecclesiæ, & in hoc ministerio uerè nos sibi tanquam membra adiungere.

DE SECVNDO.

In Ecclesijs quæ rectè docentur, inuitandi sunt, & assuefaciendi auditores, ut crebrior usus sit Sacramenti Corporis & Sanguinis Christi, & ut in usu simul excitetur ardentior inuocatio et gratiarum actio. Sed simul docendi sunt homines, quibus prosit manducatio. Vtrunq; uituperandum & deplorandum est, quòd multi qui uolunt uideri membra Ecclesiæ, totis annis decem uix semel aut bis sumunt Sacramentum: Et simul cum hac negligentia obrepunt prophanæ opiniones, extinguitur inuocatio, & accedunt alia uicia.

Olim fuit frequentior usus Cœnæ Dominicæ.

Olim initio Ecclesiæ multò erat frequentior usus Sacramenti, ut ueteres Historiæ & Canones ostendunt: Est & alteri malo magna diligentia & seueritate occurrendum, ne ignari quid agant, & polluti manifestis uicijs, sine pœnitentia ad communionem accedant.

Ideò utile & pium institutum est, prius singulos explorare quid intelligant, quid didicerint, & in eo colloquio rudiores docere, & quid sit Sacramentum, & quis sit usus, & quibus prosit.

Non prodest manducatio non agentibus pœnitentiam.

Deinde manifestum est, de hac parte sæpè dicendum esse, non prodesse manducationem ijs, qui non agunt pœnitentiam, sed perseuerant in delictis contra conscientiam, sicut Paulus clara uoce affirmat: Qui manducauerit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sangui-

nis Domini. Manducant autem indignè, qui non adferunt timorem Dei & fidem, seu pœnitentiam & fidem, & scientes perseuerant in delictis contra conscientiam. Alij indulgent libidinibus, alij odijs, & iniustæ cupiditati uindictæ: Alij alijs sceleribus pollutos se esse norunt, nec deponunt propositum malè faciendi. Hæc mala per sese offendunt Deum. Sed Paulus cumulari hanc offensionem noua tristiore offensione inquit, quòd contumelia afficiunt corpus & sanguinem Domini. Deinde addit alteram comminationem: Edens & bibens indignè, iudicium sibi edit & bibit, non discernens corpus Domini, id est, pœnam sibi accersit, non solùm pro prioribus peccatis, sed etiam pro hoc scelere, quod contumelia afficit corpus Domini. Necessaria est igitur pœnitentia seu timor Dei in his, qui accedunt ad communionem.

Et quidē de utraq; re, de pœnitentia & de fide cōcionatur hæc ipsa actio, celebratur memoria mortis Christi: Audis, corpus Christi pro te datū esse: Audis sanguinem pro te effusum esse. Hęc uerba nos primū de ingenti ira Dei aduersus nostra peccata cōmonefaciunt, quā cùm nullorū hominū aut Angelorū uirtutes aut merita placare potuerint, sed filij morte placari oportuerit, pia mēs iudicare potest, peccatū non esse leue malū. Multę magnę calamitates humanę, morbi, exilia, supplicia, inopiæ, bella, neces, & aliæ ærumnæ, signa sunt iræ Dei aduersus peccatum, & nobis impositæ sunt, ut de iudicio & ira Dei admoneamur: Sed longè illustrius testimonium est ingentis iræ, Filius Dei sudans sanguinem, luctans cum ira Dei, laceratus, pendens in cruce. Hoc testimonio si quis non mouetur, nec expauescit cogitatione iræ Dei, & mortis Christi, in hac ipsa actione & manducatione, non considerat quid hic agatur. O Iesu Christe, Fili Dei uiui, pro nobis crucifixe & resuscitate, accende mentes nostras, ut ad Deum conuertamur, nec contemnamus iram eius, & tuam mortem, sed uerè ad agnitionem tuorum beneficiorum, & mirandi consilij de tua morte flectamur. Longè superat hoc consilium uniuersam sapientiam omnium creaturarum. Ideò tu nos Fili Dei Iesu Christe erudias, qui dixisti, Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius reuelauerit.

In usu Cœnæ Dominicæ necessaria est fides.

Deinde & Fides necessaria est, petens & accipiens remissionem peccatorum. Nam hic offertur remissio peccatorum, & applicatur credenti. Cùm enim hic dicatur, Hic est sanguis noui Testamenti, admonemur de uniuerso Euangelio, de toto beneficio noui Testamenti. Et hæc promissio requirit fidem, ut suprā dictum est copiosè. At non agens pœnitentiam, nec petit, nec accipit remissionem. Hac igitur doctrina præmoniti, excitemus animos ad pœnitentiam, & adferamus fidem. Dignè igitur accedunt, qui seriò agunt pœnitentiam, & ideò ad Cœnam Domini accedunt, ut commonefacti hoc testimonio & promissione noui Testamenti, fidem confirment. Ad hoc igitur prodest manducatio agenti pœnitentiam, uidelicet ad fidem confirmandam, qua sumens uerè consequitur remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum. Si noua uox Dei de cœlo sonans, testaretur te recipi in gratiam, tùm uerò ingenti animo diceres te Deo crediturum esse, ac gratias ageres: Sic oportuit in hoc usu Sacramenti nos sentire. Testatur Christus hoc tanto pignore te recipi, te fieri membrum sui corporis. Hoc testimonio admonitus, uerè te recipi ab ipso credas, & hac fide inuoces Deum, agas gratias Christo, quòd morte sua placarit iram Dei, quòd dederit nobis Euangelium & sua testimonia.

Agenti pœnitentiam manducatio confirmat fidem, & hic est finis principalis.

Reijcien-

Reijciendus est igitur error Monachorum & Sacrificulorum, qui finxerunt ex opere operato, ut loquuntur, sine bono motu utentis prodesse sumtionem. Vnde hæc Pharisaica deliramenta in Ecclesiam irrepserunt? Clarè dicitur, Iustus fide sua uiuet. Quare in sumtione necesse est accedere fidem, plurimas res maximas cogitantem, iram Dei aduersus peccatum, mortem Filij Dei, qua Pater placatus est, donationem Euangelij & Sacramentorum, quibus nobis applicat promissam remissionem peccatorum. Nam Sacramenta singulis applicant promissionem. Et in hac actione Christus nos sibi tanquam membra adiungit.

Error Monachorum & Sacrificulorum de opere operato.

Hac cogitatione & fide cùm inuocamus Deum, & ducente Christo Pontifice ad eum accedimus, accenduntur corda nostra Spiritu sancto. Ideō externa uox Euangelij sonat, ut corda eam fide accipiant, ut inquit Paulus: Fides ex auditu est. Ita externa actio Sacramenti ideō proposita est, ut corda commonefaciat, & fidem excitet, non ut ipsa sit finis & meritum reconciliationis.

Postquām autem de principali fine, uidelicet de confirmatione fidei dictum est, rectē adduntur multi alij fines: Nam unius actionis possunt esse multi fines, sed ordinati.

Necessariō autem ad confirmationem fidei addatur proximus finis, gratiarum actio, Ideō nomen huic ceremoniæ attributum est εὐχαριστία. Hic enim & in docendo commemorari debent Christi beneficia, & publica uoce, & in priuatis precationibus expressa gratiarum actio dicatur:

Secundus finis gratiarum actio.

Formulæ gratiarum actionis.

OMnipotens Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, & conseruator, cum filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, quem mirando & inenarrabili consilio uoluisti pro nobis fieri uictimam, ac simul ostendisti iram tuam aduersus peccatum, & immensam misericordiam tuam erga genus humanum, sanctifica, rege & iuua me Spiritu sancto tuo, rege & serua Ecclesiam tuam & politias quæ sunt hospitia Ecclesiarum.

GRatias etiam ago tibi omnipotens Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, & conseruator, cum Filio tuo coæterno Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, quòd te immensa bonitate patefeciisti Ecclesiæ tuæ, & Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum misisti, ut pro nobis uictima fieret, & per eum nobis donaretur remissio peccatorum & uita æterna: Et quòd hæc tua immensa beneficia per Euangelium & Sacramenta tua nobis impertis, & Euangelij ministerium & Ecclesiam seruas, nec deleri finis. Vtinam grati, ardenti pectore possimus hanc tantam bonitatem tuam, & ingentia beneficia considerare & celebrare. Sed te oro, ut accendas nos Spiritu sancto tuo, ut uerè sint gratę mentes, & luceat in moribus nostris gratitudo, &c.

TIbi etiam Iesu Christe Fili Dei, crucifixe pro nobis, & resuscitate, ago gratias, quòd ingenti amore erga nos intercessisti apud æternum Patrem pro genere humano, & factus es uictima pro nobis, & in te deriuasti iram Dei, aduersus nostra peccata: Accende corda nostra, ut hoc ingens beneficium tuum magis intelligamus, & uera gratitudine celebremus &c.

Talem aliquam formam expressam rudiores teneant, ut se ad cogitationem harum maximarum rerum excitent. Nam fides alitur & accenditur cogitatio-

Fides alitur et accenditur cogitatione.

gitatione. Mouetur animus, cùm cogitas iusticiam Dei seueram, q̃ non remisit peccatum sine precio, uerè igitur & horribiliter irascitur peccato. Iam quantus amor Filij est, quòd intercessit pro nobis, & iram in se deriuauit? Quanta hæc abiectio sui fuit? quòd iacuit coram Deo, sentiens iram eius, tanquam pollutus tuis & tot turpissimorum hominum flagitijs, idolis, libidinibus, & alijs probris. Quid nos superbimus? cùm filius Dei in tantam humilitatem sese abiecerit. Hæc in gratiarum actione cogitare utile est.

Tertius finis Cœnæ Dominicæ, ut prosit exemplum.

Tertius finis accedat, uidelicet ut tuum exemplum prosit ad retinendam publicam congregationem. Nam si pauci uterentur Sacramento, & paulatim homines abducerentur ab hoc congressu, tandem Ecclesiæ prorsus obliuiscerentur publicas congregationes concionum & Sacramenti, sicut accidit in magna parte orbis terrarum, ubi soli sacrificuli legunt missas, populus abest à Templis, nec audit conciones, nec intelligit usum Sacramenti.

Est autem mandatum Dei, ut singuli suo exemplo inuitent alios ad hanc pub. congregationem, ut docet præceptum de Sabbato, quia Deus uult ministerium esse publicum, uult publicè sonare uocem Euangelij, uult omnes hanc audire & discere. Promisit etiam se interfuturum his congressibus, & preces exauditurum, ut Matth: 18. clarè dicit: Vbi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. De quacunq; re duo consenserint &c. fiet eis à Patre meo cœlesti. Hac dulcissima promissione commendat nobis Christus publicam congregationem, uult nos amare cœtus, Ecclesiam esse κοινωνικόν, odit distractiones & dissipationes.

Quartus finis confessio doctrinæ.

Quartus finis est, Confessio doctrinæ. Cùm sumis Sacramentum, ostendis te eius Ecclesiæ doctrinam approbare, & uelle membrum esse eius cœtus, cum quo manducas agnum.

Quintus finis uinculum mutuæ dilectionis

Quintus finis est, Simul manducare mutuæ dilectionis uinculum est. Sicut olim usitatissimum fuit in faciendis fœderibus, uesci ijsdem rebus consecratis. Et Paulus admonet hanc communionem uinculum esse mutuę dilectionis, sicut Panis est unus, ita multi sumus unum corpus. Hæc de finibus ita intelligantur, ne principalis omittatur, néue aliquid affingatur, quod pugnet cum principali fine, & doctrinam de uero usu Sacramenti & de exercitio fidei obruat.

DE TERTIO CAPITE.

Indignè sumũt perseuerantes in delictis contra conscientiam, & non afferentes pœnitentiam & fidem.

Qui sint admittendi, ex dicto Pauli satis intelligi potest: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat: Sumunt autem indignè, ut dictum est, qui perseuerant in delictis contra conscientiam, seu manifestis, seu arcanis. Item, Qui non adferunt pœnitentiam & fidem.

Sed ministri iudicare non possunt, nisi de manifestis delictis. Arceant ergo eos, qui polluti manifestis delictis, non emendant se. Et meminerint præceptí: Nolite sanctum dare canibus.

Illud etiam ad Pastorum officium pertinet: Explorare doctrinam & fidem singulorum in populo, & profiteri fidem, Et ostendere quid sentiamus de doctrina, apud Pastores singuli debemus. Sicut Petrus prȩcipit, ut parati simus reddere rationem de fide nostra.

Qui uerò agunt pœnitentiam, & seriò expauescunt, hi non fugiant Sacramenti usum propter priores lapsus: Sed sciant ideò hoc tantùm pignus proposítum

positum esse, ut fides de remissione peccatorum accendatur & confirmetur, & mens reconciliata Deo, rursus eum inuocet, & seruiat ei bona conscientia. Nitatur mens non propria dignitate & puritate, ut filius prodigus rediens ad Patrem, non prædicat sua officia aut merita, sed agnoscit, accusat & deplorat suam culpam: Ita nos nostras sordes agnoscamus & accusemus, & confugiamus ad misericordiam propter Christum promissam, cuius misericordiæ pignus est hæc ipsa Cœna, in qua Christus nos sibi tanquam membra adiungit, & testatur donari nobis remissionem peccatorum gratis, hoc est, non propter nostram dignitatem, sed quia ipse pro nobis factus est uictima. Hæc cùm in usu Sacramenti & inuocatione piè cogitantur, ex his ipsis exercitijs fidei magis intelliguntur, quàm ex lõgis disputationibus: Et collatio facilè discernit abusus.

DE QVARTO CAPITE.

Contra huius Sacramenti pium usum, de quo dixi, peruaserunt in Ecclesiam horrendæ prophanationes, quas taxari & uitari necesse est, iuxta illud: Fugite idola. Ac primum teneatur regula perspicua & firma. Ceremonia non habet rationem Sacramenti, id est, non est signum gratiæ Deo placens, cùm aliquid instituitur extra & præter uerbum Dei, aut cùm transformatur ceremonia in opus genere diuersum, id est, cùm alius finis constituitur, quàm qui à Deo propositus est, ut si quis aquam Baptismi circumferret spectandam, & doceret in ea inclusum esse Spiritum sanctum, aut si quis Baptismo uteretur ad sanandam lepram. Ita nũc Iudaica & Turcica circumcisio nullam habet rationem Sacramenti, hoc est, non placet Deo, sed est spectaculum impium & damnatum à Deo, fit enim contra uerbum Dei.

Ceremonia quando habeat rationem Sacramẽti, quando non.

Ex hoc exemplo multi manifesti abusus Cœnæ Domini iudicari possunt. Spectaculum in quo panis circumfertur, certè non est manducatio. Dixit autem Christus: Accipite, manducate. Nihil ad sacramenti rationem quadrat, partem auferre, & alligare ibi Christum prorsus sine ullo uerbo diuino. Sic transformatur ceremonia in opus genere diuersum, cùm dicunt, se offerre filium Dei pro uiuis & mortuis, & mereri eis remissionem peccatorum. Longius etiam discedit ab institutione, cùm confertur ad bona corporis impetranda, ad uictoriam, ad fœlicitatem in mercatu, ad depellendum morbum. Cùm sic offert sacrificulus, ut alijs hæc bona impetret, res aliena ab institutione agitur. Alienissima uerò est, cùm sacrificuli ignari quid agant, tantùm sui uentris causa, hanc oblationem (ut uocant) faciunt.

Prophanationes Cœnæ Dominicæ apud Pontificios.

Etsi autem scio pertinacissimè defendi hos abusus, & excusari præstigijs astutè cogitatis, & uarijs fucis pingi, tamen pij pios hortentur, ut hanc horrendam prophanationem fugiant, iuxta illud: Fugite idola, & discant pium usum Sacramenti. Vt autem semper publicæ calamitates, regnorum ruinæ, bella, uastationes, seditiones, furores Principum, fames, pestilentiæ, fuerunt pœnæ horum scelerum, præcipuè cultus idolorum, iniustarum cædium, & libidinum, ita arbitror grassari arma Turcica, præcipuè propter idola in Ecclesiam inuecta, prophanatione Missarum, inuocationes mortuorum, & propter uagas libidines. Oremus igitur filium Dei, ut errores corrigat, & pœnas mitiget.

Turcicæ grassationes pœnæ idolorum, iniustarum cædium & libidinum.

Nec uerõ opus est longa disputatione in re manifesta. Vt olim Pharisaici sacerdotes fingebant se mereri remissionem peccatorum suis mactationibus, ita finxerunt Monachi & sacrificuli, sua oblatione mereri se remissionem

Figmenta Monachorum de oblatione.

peccatorum ſibi,& alijs,uiuis & mortuis. In hoc errore multæ falſæ & pernicioſæ perſuaſiones continentur, uidelicet quòd una Chriſti paſſio non ſatisfecerit pro uniuerſa Eccleſia: Deinde quòd homines conſequantur reconciliationem propter illud opus ſacrificuli, non fiducia miſericordiæ promiſſæ propter filium Dei pro nobis crucifixum. Et ſequuntur alij errores plures.

Opponenda eſt igitur his furoribus doctrina uera, de merito paſſionis Chriſti, de quo dicitur cap:10.ad Hebræos: Vna oblatione conſummauit ſanctos: Sola igitur Chriſti mors fuit ſacrificium pro omnibus noſtris peccatis, non alia opera Leuitica, aut poſtea ſecuta.

Deinde manifeſtum & hoc eſt, Remiſſionem peccatorum fide nos propter Chriſtnm, non propter ullum opus noſtrum, aut ſacrificuli accipere, iuxta ſententiam notiſſimam & firmiſſimam: Iuſtus fide ſua uiuet. Ex his facilè ab omnibus pijs dijudicari poſſunt horrendi abuſus, quos ſacrificuli, qui Cœnam Domini in quæſtum conferunt, defendunt.

Quid ſit offerre filium.

Poſtremò unde ortum eſt, quòd dicunt ſe filium Dei offerre? Magna res eſt offerre, uidelicet agnoſcere iram Dei aduerſus peccata generis humani, & huic iræ ſeſe ſubijcere, & Mediatorem eſſe inter Deum & genus humanum, & ingredi in Sanctum ſanctorum ad Deum. Ideò ad Hebræos cap:9. dicitur: Per proprium ſanguinem intrauit ſemel in Sancta ſanctorum, æternam redemtionem inueniens. Item, Qui Spiritu æterno ſeipſum obtulit inculpatum Deo, Se ipſe obtulit Chriſtus, noſtrum eſt agnoſcere illam ab ipſo factam oblationem, & credere per eam nobis placatum eſſe æternum Patrem, & pro ea gratias agere. Hæc conſiderent pij, & uera teſtimonia ueteris Eccleſiæ inquirant. Scio multos multa futilia teſtimonia recentium congerere. Sed diligentia eſt pijs neceſſaria, diſcernere notha ac adulterina teſtimonia à ueris. Retineatur ergo mos Apoſtolicus, qui annos circiter trecentos in Eccleſia inde uſq; ab Apoſtolis manſit, recitentur piæ lectiones, erudiatur populus ſalutari concione, fiant precationes, deinde recitentur uerba Chriſti de Cœna, & Sacramentum diſtribuatur aliquot pijs exploratis petentibus, deinde dicatur Gratiarum actio. Nec fiant priuatæ ſingulorum oblationes.

Mos Apoſtolicus in uſu Cœnæ.

Et quia hæc cauſa poſtulat explicationem, oſtendentem quæ res ſit ſacrificium, & an ſit una appellationis ratio, adijciam hanc declarationem, ut ego quidem exiſtimo, neceſſariam.

DE SACRIFICIO.

Diſcrimina ceremoniarum.

ETſi autem puerile uidetur, uocabula Sacramenti & Sacrificij diſcernere, tamen res poſtulat, ut in ceremonijs diſcrimen obſeruetur, & diuerſi fines. Aliæ ſunt ſigna & notæ promiſſionum, in quibus Deus nobis aliquid exhibet, aliæ uerò ceremoniæ non ſunt propriè ſigna promiſſionum, ſed opera quæ nos Deo reddimus.

Hęc in ceremonijs diſcrimina neceſſe eſt obſeruare, quibuſcunq; tandem uocabulis utamur. Et quoniam hæc uocabula Sacramenti & Sacrificij in uſu ſunt, nos quoq; ea retinebimus. Eſt itaq; Sacramentum ceremonia, quæ eſt ſignum promiſſionis, per quod Deus aliquid nobis promittit, aut exhibet. Circumciſio erat ſignum, quo pollicebatur Deus ſe recipere circumciſos. Baptiſmus ſignum eſt, quo Deus nobiſcũ agit, & recipit nos in gratiam, & quaſi baptizat

Sacramentum qualis ceremonia.

ptizat nos ipse : Nam minister baptizat uice Christi. Sacrificium est ceremonia uel opus nostrum, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus, hoc est, testamur nos agnoscere hunc ipsum, cui hanc obedientiam præstamus, uerè esse Deum, ideóq; nos ei hanc obedientiam præstare. *Sacrificium qualis ceremonia.*

Sunt autem Sacrificij species proximæ duæ, nec sunt plures : Quoddam est Sacrificium propiciatorium, uidelicet opus quod meretur alijs remissionem culpæ & pœnæ æternæ, seu opus reconcilians Deum, & placans iram Dei pro alijs, & satisfactorium pro culpa & pœna æterna. Altera species est, Sacrificium εὐχαριστικὸν, quod non meretur alijs remissionem peccatorum aut reconciliationem, sed fit à reconciliatis, ut pro accepta remissione peccatorum, et pro alijs beneficijs, Deo gratias agamus, seu gratiam referamus hac nostra obedientia. *Duæ species Sacrificij, Propiciatorium seu ἱλαστικὸν. εὐχαριστικὸν.*

Hæc distinctio satis clarè probari potest ex Epistola ad Hebræos : Hæc enim docet, tantùm unum in mundo Propiciatorium Sacrificium fuisse. Relinquitur igitur, cętera omnia esse opera, in quibus reconciliati obedientiam declarare debuerint. Porrò in has duas species, quas dixi, distribui possunt omnia Leuitica sacrificia, tanquàm in sua domicilia. Dicebantur enim quædam in Lege Propiciatoria sacrificia, propter significationem, seu similitudinem, non quòd mererentur remissionem peccatorum coram Deo, sed quia significabant futurum CHRISTI sacrificium. Cæterùm ibi merebantur remissionem peccatorum, in externa conuersatione, hoc est, ne illi excluderentur ex politia Moysi. Dicebantur itaq; Propiciatoria, pro peccato, pro delicto, Holocaustum. Illa uerò erant εὐχαριστικὰ, Oblatio, Libatio, Retributiones, Primitiæ, Decimæ. *Vnum est in mundo Propiciatorium Sacrificium, cætera omnia εὐχαριστικὰ. Propiciatoria in Leuitico.*

Sed re uera unicum tantùm in mundo fuit Propiciatorium sacrificium, uidelicet passio seu mors Christi, ut docet Epistola ad Hebræos : Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Et paulò pòst de uoluntate Christi : In qua uoluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Christi semel &c. *Mors Christi unicum Propiciatorium.*

Nam ut Christus ipse suum Sacrificium pro nobis applicat, cùm pro nobis orat, Ioannis decimo septimo, Pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate, non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro ijs qui credituri sunt per uerbum eorum in me. Ecce hæc sunt nostri Pontificis ac Sacerdotis uerba, quibus se pro tota Ecclesia offert, ac pro ea orat, quæ semper in conspectu & in animo habere debemus. Esaias etiam interpretatur Legem, ut sciamus mortem CHRISTI uerè esse satisfactionem pro peccatis nostris, seu expiationem, non ceremonias Legis. Quare inquit capite 53. Postquàm dederit animam suam hostiam pro delictis, uidebit semen longæuum, &c. Quasi dicat : Alia hostia restat, quæ uerè tollet peccatum & mortem. Ergo istæ usitatæ ceremoniæ non tollunt peccatum & mortem. Paulus hanc sententiam reddidit, cùm inquit : Factus est maledictum. Item, De Peccato damnauit peccatum, id est, peccatum puniuit & deleuit per hostiam pro peccato. Ipsam enim hostiam Hebræi peccatum seu delictum uocant, sicut Latini piaculum. Teneamus igitur hoc, fuisse unicum tantùm in mundo Sacrificium Propiciatorium. Nam illa quæ in Lege dicebantur Propiciatoria, ut dixi, propter similitudinem sic uocabantur, ideoq; abolita sunt, Postquàm Christus apparuit. Porrò cùm Euangelium ideò promissum sit, ut exhiberet ueram propiciationem, necesse est ceremonias Leuiticas non fuisse ueras propiciationes, quia cessauerunt reuelato Euangelio.

DE EVCHARISTICO SACRIFICIO.

NVnc reliqua sunt sacrificia Eucharistica, quæ uocantur Sacrificia laudis, Prædicatio Euangelij, fides, inuocatio, gratiarum actio, confessio, afflictiones sanctorum, imò omnia bona opera sanctorum. Hæc Sacrificia non sunt satisfactiones pro facientibus, uel applicabiles pro alijs, ut mereantur eis ex opere operato remissionem peccatorum, seu reconciliationem. Itaq; præter unum sacrificium propiciatorium, scilicet mortem Christi. Cætera sacrificia in Nouo testamento tantùm sunt εὐχαριστικὰ, sicut docet Petrus, 1. cap: 2. Sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales. Opponuntur autem hostiæ spirituales non tantùm pecudibus, sed etiam humanis operibus ex opere operato oblatis, hoc est, sine fide & bono motu cordis, quia spirituale significat motus Spiritus sancti in nobis. De his Sacrificijs loquitur & Epistola ad Hebræos capite 13. Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo: Et addit interpretationem: Fructum labiorum confitentium nomini eius, id est, inuocationem, gratiarum actionem, confessionem, & similia. Hæc ualent non ex opere operato, sed propter fidem. Id monet particula, Per ipsum offeramus, hoc est, fide in Christum. Est autem insignis consolatio Christianæ mentis, scire quòd omnia bona opera, & omnes afflictiones, sint Sacrificia, id est, opera Deo placentia, & quibus Deus sibi honorem haberi pronunciat.

Sacrificia noui Testamenti omnia εὐχαριστικὰ propter mortem Christi.

Bona opera et afflictiões sanctorum sunt sacrificia.

Et de hoc genere sacrificiorum plurimæ extant sententiæ in Psalmis & Prophetis, ut Psal: 49. Immola Deo sacrificium laudis. Inuoca me in die tribulationis, &c. Item Psal: 50. Sacrificium Deo spiritus tribulatus, &c.

Secundò sciendum est, cultum in nouo Testamento spiritualem esse, hoc est, esse iusticiam fidei, & fructus fidei. Quia nouum Testamentum affert iusticiam & uitam spiritualem & æternam, iuxta illud: Dabo Legem meam in corda eorum. Et Christus ait, Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate, hoc est, uero cordis affectu. Ideóq; sunt abrogati Leuitici cultus, quia debent succedere cultus spirituales mentis, & horum fructus & signa.

Cultus noui Testamenti spirituales.

Ex his sequitur, nullum esse sacrificium aut cultum noui Testamenti, qui ex opere operato mereatur facienti uel alijs remissionem peccatorum. Repugnat enim sententia, Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate, &c. Imò Pharisaica persuasio est, quòd aliquis cultus mereatur remissionem peccatorum ex opere operato. Cumq; hac persuasione Iudæi suos cultus cumularent, ut uidelicet multa mererentur gratiam, & reliqua beneficia, propter cumulata sacrificia, Prophetę acerrimè reclamabant, Damnat hanc persuasionem Psalmus 49. Qui repudiatis uictimis requirit inuocationem: Nunquid manducabo, inquit, carnes taurorum &c. Et Esai: 1. Quò mihi multitudinem uictimarum uestrarum? Et Ieremiæ 7. Non sum locutus cum patribus uestris, & non præcepi eis de holocaustis & uictimis. At constat, Legem præcipere de Sacrificijs. Verùm Propheta damnat persuasionem de opere operato. Talia sacrificia non requirit Deus. Prorsus in Ecclesia simili opinione cumulatæ sunt Missæ, quia sint Sacrificia quæ Deo placeant ex opere operato, & mereantur facienti & alijs remissionem peccatorum. Docuerunt enim, per Missam fieri applicationem sacrificij Christi. At unusquisq; propria fide applicat sibi Sacrificium Christi, & quidem gratis, id est, non propter alienum opus.

Nullus cultus noui Testamenti prodest ex opere operato

Sacrificium Christi applicatur propria fide.

Cæterùm

Cæterùm unius operis possunt esse plures fines. Cœna Domini utimur tanquàm Sacramento, quatenus est testimonium, quo erigitur fides. Denicp hęc ipsa fides cum externo opere, est quoddam sacrificium, quia Deus pronunciat hanc fidem, & talia exercitia in nouo Testamento esse sacrificia laudis, & esse cultus. Ita hæc ipsa obedientia spiritualis fit quoddam sacrificium, quo tribuitur Deo honos, quem requirit & approbat. Deinde cum hac fide necessariò coniuncta est gratiarum actio pro illo summo beneficio, & nobis & uniuersæ Ecclesiæ collato, unde & nomen est εὐχαριστίας. Præterea idem opus & confessio est: Nam ostendimus, nos credere Euangelio, & inuitamus nostro exemplo alios. Hæc omnia sunt sacrificia εὐχαριστικὰ. Ideò ueteres hanc ceremoniam appellarunt Sacrificium.

Cœna Domini proprie est uersus proximos pia commemoratio, & sacrificium.

Quòd autem disputant nonnulli, de natura cuiuslibet sacrificij esse, ut pro alijs applicetur, falsum est. Nam afflictiones nostræ sunt sacrificia, & tamen non sunt applicandæ pro alijs. Iuxta illud: Vnusquisqp mercedem accipiet iuxta suum laborem. Item, Probet unusquisqp suum opus, & sic gloriam habebit in seipso. Item, Iustus fide sua uiuet. Probat idem parabola de fatuis uirginibus, &c. Præterea cùm opera nostra sint cultus, qui debentur à nobis ipsis, sicut Paulus inquit, Debitores sumus. Item, Væ mihi si non Euangelizo. Deinde cùm per sese sint insufficientia, & habeant opus fide, quæ petit, ne imputetur nobis infirmitas nostra, qualis erit arrogantia, si talia opera ducemus esse non solùm precia pro nobis, sed etiam pro alijs, cùm dicat Christus: Cùm feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus. Item Psal: 49. Sacrificium uocat inuocationem in tribulatione. Item, Gratiarum actionem. Porrò id opus, cùm gratias agimus, non est opus, quod nos ipsi pro alijs applicare possumus, ut eis propter operis dignitatem prosit. Est igitur falsa persuasio, de natura cuiuslibet sacrificij esse, ut applicetur pro alijs. Tantùm enim Propiciatorium sacrificium Christi fuit applicandum pro alijs. Cætera sacrificia nostra, quæ sunt εὐχαριστικὰ, ita prosunt facientibus, sicut quodlibet proprium bonum opus facienti prodest, nec sunt applicanda, ut mereantur alijs remissionem peccatorum &c.

Falsum est sacrificij naturā esse, ut applicetur pro alijs.

Propiciatorium tantùm applicatur pro alijs

Cęterùm oratio pro alijs, aliter se habet, quàm natura operum. Non enim offert Deo opus aliquod, quod sit precium pro alijs, sed tantùm cupit accipere à Deo. Promisit autem Deus se daturum & nobis & alijs, pro quibus petimus. Hæc facilè discerni possunt. In oratione non opponimus, necp offerimus Deo nostrum aliquod opus ac precium pro alijs, sed tantùm accipere uolumus à Deo, & quidem propter Mediatorem Christum, sicut scriptum est: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Aliud est fide agere cum Deo, non propter nostrum aliquod opus. Aliud est Deo opponere alicuius certi operis meritum, & quidem pro alijs. Quare applicatio operum nostrorum pro alijs, præsertim pro remissione peccatorum, nequaquàm concedenda est, quia scriptum est: Iustus fide sua uiuet.

Dissimilis ratio orationis & cæterorum εὐχαριστικῶν.

Præterea de Operibus illud sciendum est, sicut propter aliquorum peccata plectuntur alij, ita & paucorum iusticia impetrat multa bona alijs. Vtriusqp sententiæ multa sunt testimonia in scripturis, & exempla, ut Ierem: 49. Ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent. De beneficijs publicis & priuatis inquit Esaias 33. Qui ambulat in iusticia, & loquitur ueritatem, qui proijcit auariciam & iniurias, & excutit manus suas ab omni munere; Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos

ſuos ne uideat malum, iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius, panis dabitur, aquæ eius non deficient, Regem in decore ſuo uidebunt oculi eius, & prolatos fines terræ. Hic inter cætera prȩmia promittit publicum ſtatum tranquilliorem, id eſt, commune beneficium ad multos pertinens. Sunt & exempla. Propter peccatum Dauidis plectebatur populus: Propter paucos iuſtos uoluit Deus parcere Sodomis. Propter Naaman benefecit Syriæ. Diſcamus ergo pœnas & præmia latȩ patere, ut ad benȩ operandum excitemur.

Sed tamen in talibus locis hæc duo meminiſſe oportet. Primũm quõd hi loci non pertineant ad iuſtificationem, hoc eſt, iniuſtis non proſunt aliena opera Sanctorum ad iuſtificationem, ſed iuſtis impetrant multa communia bona, quia ſumus membra unius corporis. Alterum eſt, quõd non eſt noſtrum applicare alijs noſtra merita, quia hæc eſſet fiducia quædam noſtri operis. Sed Deo debemus permittere, quæ præmia communia uel peculiaria nobis daturus ſit, Oratio autem applicatur pro alijs, quia nititur non dignitate propria, ſed gratuita Chriſti promiſſione, Ex his facilȩ iudicari poteſt, quid ſit de applicatione ſentiendum. Quod enim ad iuſtificationem pertinet, nulla eſt applicatio ſine fide propria. Fides autem inſtrumentis utitur, uerbo & Sacramentis, quæ teſtantur ad nos pertinere beneficium Chriſti, nec pendet hoc beneficium ex dignitate alieni operis humani. Hæc ſatis ſit de Miſſa uerecundȩ dixiſſe.

DE POENITENTIA.

CVm Chriſto narraſſet quidam crudele facinus Pilati, qui aliquot Galilæos interfecerat, & cæteros coëgerat in ſacrificijs interfectorum ſanguinem bibere, Reſpondens Chriſtus, non accuſat nominatim Pilatum, ſed potius ſuos auditores commonefacit, ac teſtatur ipſos quoq; reos eſſe, eoſq; ad pœnitentiam hortatur, inquiens: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Ita ſciamus, omnes mundi calamitates nobis omnibus eſſe conciones pœnitentiæ.

Aſſidua pœnitentia opus eſt in hac uita.

Manent in hac uita etiam in Sanctis multa peccata, quę aſſidua pœnitentia agnoſcenda & deploranda ſunt. Deinde ſunt alij, qui habent lapſus contra conſcientiam, & ſunt extra gratiam Dei, qui niſi in hac uita conuertantur ad Deum, ruent in æternas pœnas, & erunt æterni hoſtes Dei. Ideò præcipua uox Dei eſt in Eccleſia. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio, ut aliqui liberentur ab extremo exitio. Hæc fuit prima concio in Paradiſo, cũm Deus obiurgat primos parentes poſt lapſum, & addit abſolutionem edita arcana promiſſione de uentura Liberatione. Ita poſtea ſemper in Eccleſia Patres, Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli, & omnes fideles Miniſtri uocis diuinæ, hæc duo genera doctrinæ complexi ſunt, declarauerunt iram Dei aduerſus peccatum, oſtenderunt genus humanum tot ingentibus calamitatibus ſubiectum eſſe propter peccatum, & uenturas æternas pœnas omnibus qui non conuerterentur ad Deum. Deinde & remiſſionem propoſuerunt conterritis, & fide amplectentibus Filium Dei, & incoantibus obedientiam iuxta uerbum Dei.

Præcipua uox Dei in Eccleſia, Agite pœnitentiam, & credite Euangelio.

Vt igitur nos ipſi excitemus ad pœnitentiam, diſcamus integram doctrinam de hoc articulo, & eam aſſiduȩ meditemur, Colligamus omnia teſtimonia iræ Dei aduerſus peccatum, priuatas & publicas calamitates omnium tempo-

temporum, comminationem æternarum pœnarum, denicp & mortem filij Dei. Nam hæc est omnium maximè illustre testimonium iræ Dei aduersus peccatum. Non existimemus eum ocioſum ſpectaculum esse. Necesse est seriam, ingentem & inenarrabilem esse iram Dei aduersus peccata, cùm non potuerit placari, nisi Filius interceſſisset, & factus esset uictima pro nobis. Hoc testimonium, si uerè intelligeret genus humanum, subitò terrore omnes extinguerentur, & tamen interim mundus profana securitate hæc omnia testimonia contemnit.

Considerandæ magnitudo iræ Dei & misericordiæ.

Sed nos excutiamus hanc securitatem, & his terribilibus operibus DEI moueamur, & rursus magnitudinem misericordiæ consideremus, quòd Deus noluit totum genus humanum perire, quòd se patefecit nobis, ut agnoscatur & inuocetur, quòd dedit Filium pro nobis, ut sit Emanuel, id est, nobiscum Deus, & inter nos adiutor noster, & saluator noster, quòd dedit promissionem gratiæ & uitæ æternæ, quòd donat Spiritum sanctum gubernatorem petentibus. Hæc omnia considerantes, duritiem nostram agnoscere & deplorare debemus, ac petere, ut Deus nos ad se conuertat, qui certò promisit, se daturum Spiritum sanctum petentibus, & mandat ut credamus nos recipi propter Filium, ut infrà dicemus.

Pœnitentiæ quid sit, & quæ eius sint partes.

Hæc præfatus sum, ut ad assiduam huius articuli cogitationem nos ipsos excitemus. Nunc de nomine dicam. Nolo rixari de uocabulo. Voco pœnitentiam, ut in Ecclesia loquimur, conuersionem ad Deum, & huius conuersionis partes seu diuersos motus docendi causa discerno. Dico partes esse, Contritionem & Fidem. Has necessariò sequi debet noua obedientia, quam si quis uult nominare tertiam partem, non repugno. Non moueamus rixas de uerbis, sed uigilantes simus in tuendis rebus, quæ sunt Ecclesiæ necessariæ, & refutandis erroribus, qui ueræ doctrinæ caliginem inducunt.

Renati labi possunt, & lapsi non placet Deo nisi rursus conuertantur.

Sed antè explicationem partium breuiter refutandi sunt duo errores fanaticorum hominum, qui finxerunt renatos non posse labi, & quamuis labuntur contra conscientiam, tamen iustos esse. Hæc amentia damnanda est, & opponenda exempla & dicta scripturę Propheticæ & Apostolicæ, ut Saul & David placuerunt Deo, fuerunt iusti, & donati Spiritu sancto, tamen postea lapsi sunt, ita ut alter prorsus perierit, alter rursus ad Deum conuersus sit: dicta multa sunt.

Matth: 12. Cùm immundus spiritus egressus fuerit ab homine, uadit per loca deserta, & inquit: Reuertar, & inuenit domum ocioſam, & fiunt posteriora hominis peiora prioribus.

Similis est concio tristissima. 2. Pet: 2. Qui cum effugissent inquinamenta mundi per agnitionem Domini, rursus intricantur, his fiunt posteriora deteriora prioribus. Et 1. Corinth: 10. Qui uidetur stare, uideat ne cadat. Et Apocalyp: 2. Memor esto unde lapsus sis, & pœnitentiam age, & facito priora opera.

Hæc & similia dicta de renatis, testantur posse eos labi, & lapsos contra conscientiam non placere Deo, nisi rursus conuertantur. Quare non ita blandiamur nobis ipsis, ut securi imbecillitatem nostram non regamus, & lapsus negligamus, sed simus uigilantes & intenti, repugnemus nostræ infirmitati, & acerrima cura caueamus insidias Diaboli, sicut Petrus monet: Aduersarius

uersarius uester Diabolus, tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.

Error Nouatianorum & καθαρῶν.

Econtrã non confirmemus desperationem, quæ odium aduersus Deum gignit. Sicut Nouatiani & καθαροὶ fecerunt, qui negarunt lapsos post Baptismum iterum consequi remissionem peccatorum. Ac mirum est hunc crassum & uenenatum errorem uetustissimis temporibus, in illo Ecclesiæ flore, tãm latẽ grassatum esse.

Testimonia ueterum contra Nouatianos.

Narrat Epiphanius, Alexandriæ, cùm Petrus Episcopus, quem postea Tyrannus Maximinus interfecit, præesset, fuisse quendam Meletium, qui quamlibet reclamante Petro, sparsit hoc delirium, negandam esse ueniam lapsis, & addit, tanta in admiratione hanc hypocrisin fuisse, ut magna pars populi in Aegypto & Syria hunc Meletium secuta sit, contemta Petri sententia. Estq; memorabile, quòd narrat Petrum in defensione ueritatis citasse & scripturas & exempla superioris temporis tradita ab Apostolis & eorum discipulis.

Extat adhuc exemplum in Iohannis Apostoli historia apud Eusebium lib:3. pagina 60. de Adolescente lapso, quem Iohannes reuocat ex sodalitio latronum. Porrò satis apparet, delirium Catharorũ ortum esse ex insciția doctrinæ de iusticia fidei. Nam postquãm finxerunt hypocritæ, homines propria dignitate iustos esse, & sine peccato esse, affinxerunt amissa hac puritate, non superesse spem ueniæ.

Opponamus autem ex scripturis testimonia: Dauid, Manasse, Petrus, post lapsus horrendos, iterum consecuti sunt remissionem peccatorum. Lapsa fuit & Galatarum Ecclesia, & ã Paulo reuocatur ad pœnitentiam. Item, Paulus ipse Corinthium incestum iubet recipi post pœnitentiam. 2. Corinthios 2.

Testimonia scripturæ contra Nouatianos.

Addamus & dicta scripturæ. Ezech:33. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Et sunt similes aliæ conciones apud Prophetas, ut Esai: 1. Hæc autem Ezechielis eò est memorabilior, quòd Iusiurandum additur, Viuo ego, ut conscientiæ eò magis erigantur, cùm audiunt non solùm promissionem, sed etiam confirmatam Iureiurando. Hanc igitur consolationem infigamus animis, & cogitemus quanta uis sit amoris diuini erga nos, quãm ardenter desideret nostram salutem, sicut uerè dicitur in Tobia: Non delectaris Deus perditione nostri, Et hac cogitatione nos ad pœnitentiam & ueram inuocationem excitemus.

Nec ualet hoc loco cauillatio, quòd uetus Testamentum habuerit beneficium de conuertendis lapsis in Nouo dissimile esse. Nam concio Ezechielis ad uniuersam Ecclesiam omnium temporum pertinet, & eadem semper est Ecclesia omnium temporum & idem Euangelium.

Sed sumamus probationes ex nouo Testamento, Christus inquit Matth: 18. Si peccauit in te frater tuus, corripe eum, si audierit te, lucratus es fratrem. Cùm dicat, Lucraberis fratrem, clarè pronunciat se de his loqui, quibus illa emendatio prodest. Et quòd de fratribus loquatur, hoc est, lapsis post iustificationem, id quoq; testatur, quòd tunc demum uult eĳci eum ex Ecclesia, cùm non auscultat. Loquitur ergo de his, qui antea fuerunt in Ecclesia. Et deinde cùm Petrus interrogat, Quoties dimittam? Christus respondet: Septuagies septies. Ergo lapsi post iustificationem possunt ueniam consequi. Nam cùm iubet Ec-

bet Ecclesiam remittere, uult & ipse remittere petenti & credenti. Ideō suprā dixit: Lucraberis fratrem.

Scio disputari ā quibusdam, utrum hic locus de reconciliatione fraterna, an uerō de ministerio publico, quod remissionem diuinam annunciat, loquatur: Sed ualet argumentum aduersus Nouatianos, etiamsi textus tantùm ad fraternam reconciliationem accommodetur. Dicit enim. Lucraberis fratrem. Quicquid solueritis super terram, erit & solutum in cœlis. Cæterùm & hæc ipsa uerba testantur, hunc locum de ministerio concionari. Voluit enim Christus instituere Ecclesiæ disciplinam, & labentium correctionem, & aiunt hunc morem fuisse uetus Synagogæ institutum.

Christus discernit correctionem Ecclesiæ propriam à politica.

Voluit item Christus discernere correctionem Ecclesiæ propriam à politica, uult præcedere admonitionem, ut primùm saluti hominis consulatur. Politia est iracundior, properat ad pœnam, nec prius de salute hominis deliberat. Deinde constituit Christus pœnæ modum, uult eiici contumacem extra Ecclesiam, nec addit politicas pœnas, sed has relinquit Magistratibus.

Sed redeo ad testimonia, Ad Galat: 6. dicitur: Si præoccupatus fuerit homo aliquo peccato, uos qui spirituales estis, corrigite eum spiritu lenitatis. Hic præcipit reuocari lapsos ad pœnitentiam. Apocalyp: 2. Memor esto unde lapsus sis, & pœnitentiam age, & facito priora opera. Luc. 15. Gaudium est Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente. Et in ea concione loquitur Christus de pœnitentia filij perditi, id est, de talibus qui antea fuerant pij.

De dicto ad Hebræos, quod citant Nouatiani.

Sed Nouatiani duos locos ex Epistola ad Hebræos obijciunt. Hebræ: 6. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, reuocari ad pœnitentiam, &c. Quamlibet durus uidetur hic locus, tamen si conscientia communita est ueris testimonijs suprā citatis, non potest hoc loco perturbari, Sed postquām ex superioribus testimonijs certō constat, lapsis non negandam esse ueniam, facilē iudicari potest, nō posse hic retineri τὸ ῥητὸν, sed addendam esse commodam interpretationem. Alij aliter mitigant hunc locum, ut fit in obscuris et ambiguis, Græcē non sonat usqꝫ adeō incommodē. Ait enim: Non est possibile renouari eos qui Christum crucifigunt, & ludibrio habent. Hoc simplicissimē intelligo in hanc sententiam: Tales non possunt renouari, qui non auscultant amplius Euangelio, sed contemnunt, nec illa initia pietatis, de quibus dixit, retinere studeant, scilicet Baptismi & pœnitentiæ doctrinam. Hæc est, ut mihi quidem uidetur, germana eius loci sententia, & nihil habet incommodi, tantisper non possunt renouari, dum non auscultant Euangelio, sed crucifigunt Christum, & ludibrio habent.

Est aliquod irremissibile peccatum.

Fatendum est etiam esse aliquod irremissibile peccatum, quia id expressē affirmat Christus. Ad id accōmodetur & hic locus Epistolæ ad Hebræos. Sed hic aliqui obijciunt, fieri incertam remissionem, si aliquod irremissibile delictū sit. Semper enim angitur animus, disputant se fortasse habere tale peccatum, et exercuit hæc quæstio multos, sed pijs plana & facilis est explicatio.

Irremissibile peccatum tantùm à posteriori iudicandū.

Est aliquod irremissibile, sed quōd sit, tantùm à posteriori iudicandum est, id est, illis tribuendum est, qui ad extremum perseuerant in suis furoribus aduersus Deum, in Epicureo contemtu, aut odio Pharisaico, aut desperatione, ut Neroni, Pharaoni, Sauli, Iudæ, & similibus, nec aliter nisi hoc modo de peccato irremissibili à posteriori iudicandum est. Quia nos in nostris cordibus

antequam illud iudicium patefactum est, debemus semper retinere hæc tria: Promissionem gratiæ, mandatum quod iubet credere Filio, & mandatum soluendi Ecclesiæ traditum: Quicquid solueris super terram &c. Promissio his uerbis dulcissimè illustrata est à Paulo: Gratia exuberat supra delictum. Summa blasphemia est, Christum infra peccatum abijcere, & diminuere eius meritum. Deinde mandatum æternum, & immutabile, ac longè supra Legem est, credere Christo. Et hæc sunt uniuersalia, promissio & mandatum, ut dicitur: Venite ad me omnes. In hanc uniuersalem se quisq; includat.

Postquàm præmunitus est animus, & scit mandatum Dei esse, ut credamus nobis omnia peccata remitti, deinde discat, non esse de peccato irremissibili iudicandum, nisi à posteriore, uidelicet postquàm iudicium Dei declaratum est. Pharao, Iudas, habuerunt tale peccatum, quia res ostendit eos non redijsse ad Deum. Ideò satis commodè dixit Augustinus, Blasphemiam esse finalem impœnitentiam seu desperationem, quia hæc peccata extremè pugnant cum gratia. Nam cætera peccata, cùm ad gratiam confugimus, remittuntur. Contemtus uerò Epicureus, aut desperatio, repudiat gratiam. Ideò sic interpretatur dictum Christi, Qui dixerit uerbum contra Spiritum sanctum, id est, qui uerbum prædicatum aut confirmatum testimonijs Spiritus, pertinaciter ad extremum repudiat, is habet irremissibile peccatum. Hæc sententia Augustini satis commoda est.

Non omnis lapsus post agnitam ueritatem est irremißibile peccatum.

Non enim omnis lapsus post agnitam ueritatem iudicari debet peccatum irremissibile, sicut Nouatiani contenderunt. Suprà enim recitauimus exempla & testimonia, quæ docent tales lapsus condonari posse, nec omnis persecutio Euangelij iudicari debet peccatum irremissibile, quia Manasses, Nabuchodonosor, Paulus, Iustinus, Augustinus, denicq; innumerabiles persecutores sanati sunt, sicut & Petrus dicit: Quem uos crucifixistis. Sed quorundam singularis est furor, qui ueritatem agnouerunt, & admoniti ac conuicti contra conscientiam, sine fide, tamen damnant ueras sententias, & exercent aut confirmant sæuitiam. De talibus dicitur Rom: 11. Reliqui indurati sunt, dedit eis Spiritum exacerbatum, oculos ne uideant, & aures, ut non audiant. Hoc dicto & similibus describuntur perseuerantes in Euangelij persecutione, qui cœcitate puniuntur, postquàm sæpè admoniti non redeunt ad Deum, talis fuit furor Anabaptistarum Monasterij.

Quare talibus dictis & exemplis admoniti, caueamus, ne pertinaciter propugnemus errores. Labi & errare commune est omnibus hominibus, sed pertinacia quę gignit Sophisticos prætextus sine fine, peccatum maius & multiplex est, ex quo non multi eluctantur. Ideò & Paulus inquit: Hæreticum hominem post unam atq; alteram admonitionem uitabis, quia proprio iudicio damnatus est, id est, sua pertinacia declarat, se implicitum esse laqueis Diaboli.

Cæterùm nobis semper in conspectu sit hæc doctrina, debere nos obtemperare mandato & promissioni Euangelij. Aeternum & immutabile mandatum est, quod præcipit agere pœnitentiam, Item, audire Filium, & credere nos propter filium Dei recipi. Tenendum est & Pauli dictum: Gratia exuberat supra peccatum.

Iuxta hæc mandata iudicare nos debemus, & eis obtemperare, quod cùm facimus, certum est nos non habere peccatum irremissibile.

Citatur

Citatur & altera sententia ex Epistola ad Hebræos: Voluntariē peccantibus post acceptam noticiam ueritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis expectatio iudicij. Si dextrē uolumus iudicare, hic locus non negat lapsos posse resurgere, sed facit immediatam collationem beneficij CHRISTI & pœnarum, in hanc sententiam. Hæc duo extrema sunt & immediata: Retinens beneficium Christi saluatur, non retinens ruit in exitium. Hic non negat lapsos posse ad beneficium Christi redire, sed excludit alias hostias, & noua Sacrificia. In Lege erant crebræ expiationes immundiarum, & Pharisæi docebant eas mereri remissionem peccatorum. Ita postea in Ecclesia multi finxerunt satisfactiones & Missas, nec solūm falsi cultus excogitati sunt, sed etiam persuasio de illa expiatione, per talia Sacrificia aluit securitatem & indulgentiam. Has Pharisaicas imaginationes grauissimē taxat Epistola ad Hebræos: Vult certè retineri beneficium Christi, sicut postea dicit: Non uult conculcari sanguinem CHRISTI, nec contumelia affici Spiritum gratiæ. Hæ grauissimæ adhortationes iubent cauere, ne amittamus beneficium Christi, Necq; tamen interim uetant, lapsos ad Christum redire. Hæc est simplex & germana sententia.

De altero dicto ad Hebræos, quod citant Nouatiani.

DE CONTRITIONE.

ETsi nulla creatura magnitudinem iræ Dei aduersus peccatum satis intelligere potest, ac ne posset quidem sensum iræ Dei perferre, sicut dicitur Deuteronom: 4. Deus ignis consumens est: Tamen uult Deus in Ecclesia sua aliquo modo agnosci iram suam aduersus peccatum, non uult contemni peccatum, non uult corda esse ferrea & sine dolore, ut Ephe: 4. de impijs dicitur. Ideō semper in Ecclesia hoc fuit exordium concionum: Agite pœnitentiam. Sic Christus exorsus est, & ante ipsum Baptista. Sic Paulus inquit: Reuelatur ira Dei de cœlo super omnes. Sic Prophetæ exorsi sunt, Esai: 1. Væ Genti peccatrici. Imō in Paradiso hæc post lapsum prima concio fuit, arguens peccatum, & declarans iram Dei.

Deus uult esse in Ecclesia agnitionem peccati & iræ suæ.

Testimonia iræ Dei aduersus peccatum.

Postremō omnes calamitates generis humani, mors, morbi, inopia, fames, cædes, bella, excidia, & clades multiplices, sunt reuera conciones de ira Dei aduersus peccatum, ut Psalm: 38. Propter iniquitatem corripis homines.

Postremō testimonium omnium maximum iræ Dei est, quōd Filium oportuerit fieri uictimam. Hanc iram certē uult Deus aliquo modo ā nobis agnosci, & nos moueri ipsius iudicio & indignatione. Necesse est igitur in nobis existere aliquam contritionem. Ac uocamus Contritionem, ut Ecclesia usitatè loquitur, pauores conscientiæ agnoscentis iram Dei aduersus nostra peccata, & dolentis propter peccatum. Hanc contritionem præcipiunt hæc dicta: Agite pœnitentiam. Et 2. Corinth: 7. Contristati estis ad pœnitentiam. 1. Corinth: 11. Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur ā Domino, id est, si uero dolore afficeremur, agnita ira Dei. Ioēl 2. Scindite corda uestra, & non uestimenta uestra. Ierem: 31. Postquām ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum, & erubui. Nahum. 1. Ante faciem indignationis eius quis stabit? Quis resistit in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est ut ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo. Item Esai: 66. Ad quem respiciam? nisi ad humiliatum &

contritum ſpiritu,& trementem ſermones meos.Eſai:1.Deſinite peruerſa agere. Pſal:37. Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. Item,Initium ſapientiæ timor Domini. Et paſſim coniungunt Pſalmi timorem & fidem: Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & erga eos qui ſperant in miſericordia eius.Eodem pertinent multa dicta Pauli: Vetus noſter homo ſimul crucifixus, ut aboleatur corpus peccati.

Exempla iræ Dei aduerſus peccatum.

Addantur & exempla, ut Adam, Eua, obiurgati à Deo, Dauid obiurgatus à Nathan,horribiliter perterrefiunt. Dolet & mulier peccatrix Lucæ 7. Et Luc: 22. Petro acerbæ lacrimæ erumpunt. Hæc & ſimilia teſtimonia oſtendunt, neceſſariam eſſe aliquam contritionem, quæ quidem etiam creſcere debet, ita ut non ſolùm externa delicta, ſed etiam interiorem immundiciem agnoſcamus, uidelicet dubitationem de Deo, ſecuritatem, admirationem noſtri ſeu ſuperbiam,deſpectionem aliorum,maleuolentiam,auariciam,flammas praui amoris,& alios uicioſos affectus.

Non eſt pœnitentia in hypocritis.

Nec eſt pœnitentia in hypocritis, qui nullo ſenſu doloris aut pauorum afficiuntur,quos deſcribens Ieremias inquit,Erubeſcere neſcierunt. Et Paulus ad Epheſios uocat dolore carentes.

Vt autem hanc prauam ſecuritatem animis excutiamus, ſępè & multum dicta de Contritione,de ira Dei,de pœnis præſentibus & ęternis,exempla ipſa pœnarum calamitates proprias & alienas, imò & mortem filij Dei nobis proponamus, ut miſeriam noſtram & iram Dei agnoſcamus & expaueſcamus.

Arguere peccata pars eſt miniſterij neceſſaria.

Eſtq; miniſterij in Eccleſia, quod inſtituit Chriſtus, pars neceſſaria, arguere peccata, ſicut Paulus clarè inquit: Nunc reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem. Vtendum eſt autem uoce Legis moralis, ut uocant, ad hanc miniſterij partem. Eſt enim Lex illa,æterna & immutabilis ſententia Dei, declarans iram Dei aduerſus peccatum. Etſi enim Deus recipit hominem confugientem ad Chriſtum,tamen peccatum non approbat.Ideò Paulus inquit: Per Legem cognitio peccati, & ſemper ſonuit in Eccleſia inde uſq; ab initio poſt lapſum,ut Gen:4.apparet,& deinceps.

Peccatum arguendum uoce Legis moralis.

Legem nõ eſſe prædicandum, eſt imaginatio falſa.

Ac prorſus falſa,abſurda,& pernicioſa imaginatio eſt, fingere Legem nihil eſſe,aut non prædicandam eſſe. Quia ideò prædicata eſt per Patres, & deinde terribili uoce in Sina reuelata, & aſſiduè repetita per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos, ut ſciamus eſſe æternam & immutabilem ſententiam Dei, declarantem iram aduerſus peccatum. Sciamus item, omnes homines in hac corruptione naturæ, hac ſententia Dei condemnatos eſſe, atq; ita ſub Lege eſſe, Sicut Paulus inquit, Cauſati ſumus omnes ſub peccato eſſe,id eſt, condemnatos & reos coram Deo. Sicut ſemper manet mens diuina, ita ſemper manere Legem neceſſe eſt. Et huius Legis notitia manet in noſtris conſcientijs, & eſt explicata uoce Dei, Patrum, Prophetarum,Chriſti & Apoſtolorum. Ideò & Chriſtus toties inculcat Legem, ut Matth: 5. & quidem addit declarationem, ut ſciamus accuſari Lege non ſolùm externa delicta, ſed etiam interiora uicia, cœcitatem, iniuſta odia, flammas libidinum, &c. Vult ergo Deus in Eccleſia ſemper ſonare uocem huius Legis, quæ concionatur de obedientia cordis.

Vtendum eſt uoce Euangelij in arguendo peccato.

Vtendum eſt & uoce Euangelij, quæ accuſat in mundo contemtum iræ & miſericordiæ, quæ cernitur exhibito Filio. Ideò inquit Chriſtus: Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato,quòd non credunt in me. Iam cogitemus, quàm latè pateat hæc prędicatio,accuſans & condemnans peccata. Totum genus hu-

nus humanum complectitur,omnes ſumus pleni dubitatione, ſecuritate,negligentes aut errantes in inuocatione,contaminati prauis cupiditatibus, leuiter curamus iram Dei, abutimur beneficijs, omnes ſumus ingrati filio Dei. Ideō non miremur,uniuerſum mundum opprimi fatalibus pœnis,quę ſunt ſigna irę Dei: Sed cogitemus,ut Paulus inquit,Omnes ſub peccato eſſe,& totum mundum reum eſſe Deo, & ſua quiſq; peccata accuſet & deploret.

Hæc omnia ſæpē & multum cogitemus: Nam quod dicitur, Spiritus ſanctus arguet mundum, id fit per uerbum declarans iram Dei, & in huius uerbi cogitatione Spiritus ſanctus eſt efficax. Et 2. Timoth: 2. Paulus clarē iubet doceri & erudiri aduerſantes, quis ſcit an Deus det aliquibus pœnitentiam? Et apud Ierem: Poſtquām oſtendiſti mihi, confuſus ſum, & erubui. 1.Regum: 2. Dominus mortificat & uiuificat. Hæc fiunt per uerbum Dei, ut Hebr:4.dicitur: Viuum eſt uerbum Dei,& efficax, & penetrantius gladio, &c. Quare in ijs qui negligunt & contemnunt uerbum Dei, non eſt efficax Spiritus ſanctus, ſed confirmatur ferocia. Sicut in Geneſi dicitur: Non iudicabit Spiritus meus in homine, quaſi dicat, Poſteaquām contemnere uerbum incipiunt, deſijt iudicium Spiritus, agnitio peccati,inuocatio &c.

Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato per uerbum.

DE FIDE.

SEd ad Contritionem, hoc eſt, ad hos terrores, neceſſe eſt accedere conſolationem, ſcilicet Fidem, quæ ſtatuat nobis remitti peccata propter Filium Dei, & tantæ miſericordiæ agnitione rurſus erigat nos, ne oppreſſi deſperatione ruamus in æternum exitium. Niſi enim accederet Fides, Contritio fieret mors æterna,Eſt igitur altera pars Fides, quæ eſt non tantùm hiſtoriæ uel Legis notitia, ſed fiducia, qua credit unuſquiſq; ſibi uerè remitti peccata à Deo propter Chriſtum gratis,id eſt,non propter noſtram dignitatem,aut noſtra merita.

Altera pars pœnitentiæ eſt fides.

De hac parte, hoc eſt, de Fide accipiente remiſſionem peccatorum, libri Monachorum muti ſunt: Sed nos ſciamus, hanc eſſe præcipuam & propriam Euangelij uocem, & hanc doctrinam de fide prorſus neceſſariam eſſe Eccleſiæ, & ſimul complectendam quandocunq; de pœnitentia dicitur.

Multi hic diſputant, quod ſit diſcrimen contritionis Petri & Iudæ, Dauidis & Saulis.Et ſunt ſpinoſæ diſputationes de amore iuſticiæ,& timore pœnæ. Sed hoc diſcrimen planum & illuſtre eſt: Ad contritionem Iudæ non acceſſit fides, ideò oppreſſus terroribus, ruit in æternum exitium: Econtrā ad contritionem Petri acceſſit Fides, ideò reuixit ex ſuis ingentibus doloribus. Et cùm fide erigimur, accedit agnitio bonitatis Dei, & non tantùm metu pœnarum angimur, ſed etiam puriore dolore, quòd Deum offenderimus, cui debetur obedientia & gratitudo. Sed non eſt opus hos affectus ſubtiliter diuellere, Vult Deus iram ſuam metui,& hanc in pœnis uult conſpici. Accedat autem & Fides, nec fugiamus Deum, ſed ad eum redeamus,petamus nos recipi, & ſtatuamus æternam & immutabilem Dei uoluntatem eſſe, quòd uelit recipere perterrefactos,qui credunt ſibi ignoſci propter Mediatorem. Hoc præcipit nobis certò credere & ſtatuere.

Diſcrimen inter contritionem Petri & Iudæ.

Hæc fides illuſtre diſcrimen facit inter timorem ſeruilem & filialem.

Discrimen inter timorem filialem et seruilem.

Timor seruilis est pauor sine fide, & reipsa fugit Deum: Sed timor filialis est pauor, ad quem accedit fides, quæ inter pauores erigit & consolatur animum, & accedit ad Deum, petit & accipit remissionem. Hæ descriptiones sunt planæ, & in exercitijs nostris intelligi possunt. Contritio sine fide est horribilis pauor, & dolor animi fugientis Deum, ut in Saule, Iuda, Quare non est bonum opus. Sed contritio cum fide, pauor & dolor est animi non fugientis Deum, sed agnoscentis iustam iram Dei, & uerè dolentis, quòd neglexerit aut contemserit Deum, & accedentis tamen ad Deum, & petentis ueniam. Talis dolor fit bonum opus & sacrificium, ut loquitur Psalm: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Remissio peccatorum non datur propter contritionem, sed accipitur fide.

Et tamen necesse est taxari & abijci opinionem, quæ finxit homines contritione mereri remissionem peccatorum, seu dari remissionem propter dignitatem contritionis. Sed retinenda est uox Euangelij, quæ clamat Gratis remitti peccata propter Filium Dei. Hæc exclusiua retinenda est, ut Christo debitus honos tribuatur. Item, ut mentes perterrefactæ teneant certam consolationem. Nam adigerentur ad desperationem, si sentire deberent, se non habere remissionem, nisi dolor satis dignus & sufficiens esset. Hæc simplex sententia multos labyrinthos disputationum tollit.

Constituamus igitur necessariam esse aliquam contritionem, ueros pauores ac dolores, sed tamen remissionem peccatorum non dari propter contritionem, seu dignitatem ullam nostram, sed propter solum filium Dei, qui pro nobis admirando consilio uictima, Mediator & Deprecator factus est.

Ac ut teneamus in conspectu doctrinam Contritionis, hæc capita nobis proponamus:

Conciones pœnitentiæ & signa iræ Dei.

Legem Dei.
Iram Dei.
Pœnas æternas.
Mortem.
Calamitates præsentes, publicas & priuatas.
Amissionem donorum.
Inopiam.
Morbos.
Infamiam.
Infelicitatem studiorum.
Infelicitatem consiliorum.
Errores & furores.
Infelicitatem liberorum.
Diaboli tyrannidem impellentem in plura peccata, & maiores miserias.
Pœnas interiores, uidelicet quòd peccata peccatis puniuntur, cœcitate, & furoribus sequentibus.
Scandala.
Discordias publicas.
Bella.

E regione beneficia Dei considerentur, ut ingratitudinem nostram accusemus.

Creatio.

Beneficia Dei & testimonia misericordiæ.

Creatio.
Patefactio Dei.
Missio Filij.
Donatio uerbi & Euangelij.
Donatio Spiritus sancti.
Promissio uitæ æternæ.
Nutritio, defensio corporis & animæ.
Depulsio Diaboli.
Literarum & ueræ doctrinæ ostensio.
Gubernatio diuina in moribus & consilijs.
Felicitas consiliorum.
Felicitas studiorum, & rectitudo iudicij.
Felicitas liberorum.
Bona exempla, & uitatio scandali.
Bona fama.
Concordia publica.
Pax & mediocris status Politiæ.
Constitutio salutaris Ecclesiæ.

Collatio Saulis & Dauidis.

Exempla cogitemus Saulis & Dauidis, qui & beneficia quæ recensui tenuerunt ante lapsum, & post lapsum exuti tantis bonis pœnas senserunt, quas recitaui. Et Saul prorsus periit, oppressus æternis pœnis: Dauid uerò rursus ad Deum conuersus est, sed tamen sensit onus pœnarum corporalium & scandalorum in tota uita. Et quantam ruinam trahat unus lapsus, consideremus in Adæ & Euæ exemplo. Item in Dauidis adulterio, & Salomonis delirio, propter cuius idolum postea regnum Israël diuulsum est. Et hæc diuulsio peperit infinita mala, religionis dissipationes, & bella ciuilia. Hæc considerantes, non existimemus nostros lapsus leuia & parua mala esse, & ad paucos pertinere, ac simus in regendis moribus diligentiores.

Hæc expendere utilius est, quàm illas nugas agitare, An actui finito iustè respondeat pœna infinita. Tales friuolas quæstiones fugiamus, ac sciamus in delicto esse contemtum infiniti boni. Hic contemtus & uiolatio infiniti boni, dignus est infinita pœna.

Postquàm autem de Contritione dictum est, explicemus & alteram partem. Nam ministerium in Ecclesia non solùm arguit peccata, sed etiam annunciat remissionem peccatorum perterrefactis & credentibus in Christum. Statuant igitur perterrefactæ mentes, certò se consequi remissionem peccatorum gratis fide propter Christum. Nec intelligatur fides tantùm de historiæ notitia: Sed intueatur hunc articulum in Symbolo, Credo remissionem peccatorum. Nec satis est in genere credere, quòd Deus aliquibus ignoscat, sicut & Diabolus credit. Non enim ignorat in Ecclesia reconciliationem esse, sed singuli statuere debemus, nobis ipsis ignosci, nos ipsos à Deo recipi. Hac fide speciali, ut sic dicam, quisq; sibi applicare beneficium Christi debet. Videtur hoc absurdum humano iudicio, de re tanta nos statuere debere, uidelicet quòd placeamus Deo. Sed discamus, ideò Deum se patefecisse, ut hanc suam uoluntatem nobis reuelaret. Ideò promissiones traditas esse, ideò missum Filium, ac sparsum Euangelium in mundum, ut hæc sententia, quam nulla creatura cernere poterat, patefieret, Immensum bonum est reconciliatio diuina, ideò diffi-

Fides intueatur articulum Symboli, Credo remissionẽ peccatorum.

Specialis fides applicat beneficium Christi.

culter assentimur. Sed excitemus nos ad credendum Euangelio, & cogitemus nos in hac uita uerbo Dei inuolutos sustentari oportere, sicut fœtus in utero materno sedet inuolutus aluo seu secundina, nec rumpamus hoc nostrum involucrum, scilicet Euangelium, quòd affirmat de uoluntate Dei. Postea uerò egressi in uitam, & lucem æternam, coràm cernemus uoluntatem Dei, & admirandum consilium.

TESTIMONIA.

Testimonia de gratuita remissione peccatorum per fidē.

Actor: 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Hæc est plana & clara sententia, in qua testatur Petrus se enarrare summam Prophe ticæ scripturæ, & opponit hanc sententiam uulgari persuasioni, quam populus habuerat de Messia, ac affirmat ideò à Patre missum esse, ut uictima fieret pro peccato, & propter ipsum detur remissio peccatorum, ijs, qui credunt in eum, id est, qui sic amplectuntur Messiam, ut credant se propter eum recipi. Et quia hoc dictum allegat omnes Prophetas, sciamus hic uerum consensum Catholi cæ Ecclesiæ recitari.

Rom: 5. Iustificati per fidem pacem habemus erga Deum, id est, habemus certò Deum propicium, sumus recepti in gratiam, & liberati ab ira & æternis terroribus.

Sed hæc dicta eludunt aduersarij. Fatentur fidem, id est, professionem historiæ necessariam esse, qualis scilicet est in Diabolis, sed negant Gratis remitti peccata, & iubent dubitare an sint remissa. Hi errores suprà refutati sunt in loco de Iustificatione, quare hic breuiter tantùm commonefaciam lectorem. Vtile est enim in quotidiana inuocatione nosse hæc exercitia fidei. Nemo ignorat Deum misericordem esse, nec quærunt homines, an uelit Deus aliquibus remittere peccata, sed cogitant dignis remitti, non indignis, & deprehendimus singuli in nobis multiplicem indignitatem. Deinde altera quæstio fatigat animos de particularitate. Necesse est igitur in conspectu habere testimonia, quæ confirmant nos, ut sciamus hæc duo, scilicet promissionem uniuersalem esse, & gratuitam. Rom: 3. de utroq; extant testimonia. De promissione uniuersali dicitur: Iusticia Dei in omnes & super omnes credentes &c. Deinde addit: Iustificamur gratis ipsius gratia per redemtionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine suo. Tenenda est igitur exclusiua, & opponēda tentationi assiduæ de dignitate. Semper enim obstrepit nobis uox Legis, quæ deterret nos, ne statuamus nos recipi, quia simus indigni. Aduersus hanc ipsam uocem sciamus Euangelium reuelatum esse ex sinu æterni Patris, quod testatur recipi nos propter filium Mediatorem, non propter dignitatem nostram.

Promissio uniuersalis est gratuita.

Hæc quotidiè in inuocatione cogitanda sunt, & sciendum non excludi contritionem & cæteras uirtutes ne adsint. Nam certè pœnitentia necessaria est, sed causa remissionis peccatorum non transferenda est in nostram dignitatem, sed in Christum. Statuendum est igitur, remissionem peccatorum, non propter dignitatem nostræ contritionis, aut nostrorum operum contingere, sed tantùm fiducia beneficij Christi, ut Ephes: 2. Gratia saluati estis, Dei donum est, non ex uobis. Roman: quarto, Tractatur principale argumentum ex cau-

Remissio peccatorum contingit tantùm fiducia beneficij Christi.

sis, &

fis,& ui promiſſionis ortum: Ideō ex fide,gratis,ut ſit firma promiſſio, id eſt, ſi penderet reconciliatio ex dignitate contritionis noſtrę,aut operum noſtrorum, cūm nunquām Legi ſatisfaciamus, fieret incerta, & promiſſio reconciliationis fieret irrita. Syllogiſmus hic eſt tractatus ā Paulo:

Oportet promiſſionem reconciliationis eſſe certam,
Promiſſio pendens ex conditione Legis fit incerta,
Ergo Promiſſio reconciliationis non pendet ex conditione Legis.

Minorem probat Paulus,inquiens: Lex iram efficit,ſemper accuſat, &c. Et conſidera ſummam diſputationis Paulinæ. Ideō tantopere contendit Chriſtum eſſe uictimam pro peccatis noſtris, ut hac ipſa antitheſi ſtabiliat excluſiuam, quòd noſtra opera non ſint meritum remiſſionis peccatorum, Cætera teſtimonia ſumantur ex loco de Iuſtificatione, ubi etiam de uocabulo Fidei dictum eſt, quòd quidem in ipſa lucta clarius intelligi poteſt,ubi pia mens experitur ſe acquieſcere in miſericordia propter Chriſtum promiſſa, & intelligit hanc miſericordiam Fide, id eſt, fiducia apprehendendam eſſe. Hic fides non tantūm hiſtoriam,ſed hunc articulum etiam intuetur: Credo remiſſionem peccatorum,& amplectitur promiſſionem, ut Rom: 4. clarē dicitur. Porrō fides quæ aſſentitur promiſſioni,eſt fiducia miſericordiæ.

Fides non tantùm hiſtoriæ noticia, ſed fiducia.

Poſtremō in his teſtimonijs conferamus Apoſtolorum & Prophetarum dicta, ut uideamus perpetuum conſenſum uniuerſæ Eccleſiæ inde uſqꝫ ab initio. Ideō & Paulus citat ex Pſalmis quędam,& plurima quę huic ſententiæ ſuffragantur,paſſim occurrunt.Pſalm:31. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remittis iniquitatem peccati mei. Pſalm: 142. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.

Conſenſus Apoſtolorum et Prophetarum de remiſſione peccatorum.

Pſalm: 51. Tibi tantūm ſum peccator, ut tu iuſtificeris in ſermonibus tuis. Hæ ſententiæ & ſimiles teſtantur nos accedentes ad Deum, non offerre noſtram iuſticiam, nec poſſe opponere iudicio & iræ Dei noſtra merita, ſed confugiendū eſſe ad mediatorem Chriſtum,& ſtatuendum uerē propter ipſum gratis ignoſci nobis, & nos recipi in gratiam.

Ideō autem hanc partem de Fide omiſerunt multi ſcriptores, quia iudicio humanæ rationis uidetur abſurditas, affirmare quòd Deus tibi ſit propicius. Diſcedendum eſt autem ā iudicio rationis noſtræ, & quærenda uoluntas Dei in ipſius Euangelio. Cūm legimus Dauidi annunciatam eſſe remiſſionem peculiari mandato Dei, miramur illud ſingulare beneficium, & cogitat quiſqꝫ ita ſe libenter crediturum eſſe,ſi ſibi talis uox ē cœlo afferretur. At ſcire debemus, iam eſſe allatam hanc uocem nobis. Tam certò tibi remittitur ſi credis Euangelio, quām certō Dauidi remittebatur, & tam ā te poſtulatur ut credas uoci Euangelij annuncianti remiſſionem,quām poſtulabatur à Dauide,ut uoci Nathan crederet.

Hactenus de Contritione & de Fide dixi. Neceſſe eſt autem & ſimul incoari nouam obedientiam,ut Rom:5.dicitur, Non regnet peccatum in mortali corpore ueſtro. Rom: 8. Nulla nunc condemnatio eſt his, qui in Chriſto Ieſu ambulant.Et Ioannis inquit,Facite fructus dignos pœnitentia, id eſt,conuenientes pœnitentiæ. Hæc noua obedientia uſitatē uocatur Bonum propoſitum. Eſtqꝫ uerē & ſine hypocriſi ſtatuere & uelle DEO obedire, & retinere iuſticiam bonæ conſcientiæ. Ac ut firmitas iſta uoluntatis fiat, adiuuamur ā

Contritionem & fidem neceſſe eſt ſequi nouam obedientiam.

mur à Spiritu ſancto, qui datur, cùm fide nos ſuſtentamus, ut Galat: 3. dicitur: Vt promiſſionem Spiritus accipiamus per fidem. Item Rom: 8. Accepiſtis ſpiritum adoptionis, quo clamamus Abba Pater. Cùm enim fide aſſentimur promiſſioni, agnoſcimus miſericordiam & præſentiam Dei, reſpicientis, curantis, & recipientis nos, & incipimus eum uerè inuocare, & nos ei ſubijcere, timere eum, & obedire ei.

Spiritus gratiæ & precũ.

Ideò in Zacharia duæ particulæ eruditiſſimè coniunguntur, Gratia & Inuocatio: Effundam ſuper domum Dauid ſpiritum gratiæ & precum. Scilicet primum Spiritu ſancto mouemur, ut agnoſcamus & ſtatuamus nos recipi in gratiam. Eſt autem præcipuus cultus Dei & ſolius Eccleſiæ opus, uera inuocatio, quæ oritur ex agnitione gratiæ. Nam mens ignara reconciliationis fugit Deum, non inuocat. Sed recepti in gratiam, accedunt & inuocant, ut Rom. 5. dicitur: Per hunc habemus acceſſum fide. Epheſ: 3. Per quem habemus fidem & acceſſum confidenter per fidem. Quomodo autem placeat noua obedientia cùm procul à perfectione Legis abſit, & reliquiæ peccati in hac uita in reconciliatis maneant, dictum eſt ſuprà.

DE CONFESSIONE.

De uſu uocabuli confeßionis.

Diligentia digna eſt eruditis uidere, quàm uarius uſus ſit uocabuli Confeſſionis. Vulgus intelligit nomen Confeſſionis plerunq; de enumeratione ſingulorum delictorum, quæ fit coram miniſtris Eccleſiæ, à quibus abſolutio petitur, & fortaſſis initiò mos ille enumerationis ſingulorum delictorum ortus eſt ab ijs, qui delicta publica coram miniſtris aut Eccleſia confitebantur. Tales enim olim non recipiebantur, niſi coram miniſtris profeſſi eſſent ſe delicta agnoſcere, petere ueniam & promittere emendationem.

Confeßio interdum ſignificat publicam profeßionem.

Sæpè autem repetitur nomen Confeſſionis etiam apud Apoſtolos & Prophetas, ut Matth: 3. Baptizabantur in Iordane confitentes peccata ſua.

Item Nehemiæ 9. filij Iſraël conueniebant in ieiunio, & confitebantur peccata ſua.

Et Leuitici 16. Aaron confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël. Vbi mos publicus deſcribitur, in quo uoce ſummi Sacerdotis, tota Eccleſia fatebatur ſe ream eſſe. In his locis Confeſſio non tantùm ſignificat arcanam agnitionem culpæ coram Deo, ſed etiam publicam profeſſionem in genere coram Deo, & Eccleſia, profitentium ſe reos eſſe, & ueniam petentium.

Apparet igitur hanc publicam & generalem profeſſionem admodum ueterem morem eſſe.

Interdum arcanam agnitionem culpæ coram Deo.

Sed cùm Dauid inquit: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſticiam meam Domino. Hic Confeſſio ſignificat arcanam agnitionem culpę coram Deo, quæ agnitio eſt ipſa contritio, coniuncta cum petitione ueniæ.

Confeßio apud Iacobum.

Iacobus & nomine confeſſionis uſus eſt, loquens de reconciliatione: Confitemini mutuò peccata ueſtra, id eſt, hi inter quos fuerunt ſimultates, fateantur utrinq; ſua delicta, & redeant in mutuam gratiam. Sicut dicitur in Salomone: Iuſtus primùm ſeſe accuſat, poſtea inquirit alterum, id eſt, Deus non uult nos conniuere ad noſtra errata, & in alios acerbam cenſuram agere, ſed uult nos in noſtram conſcientiam primùm inquirere, noſtra errata fateri & emendare, ut Matth: 7. dicitur: Eijce primùm trabem ex oculo tuo &c.

Poſtquàm

Postquàm igitur uarius usus uocabuli animaduersus est, discernantur ueteres significationes à recenti more enumerationis.

Est autem duplex Confessio: Altera iudicij publici, cùm coram Ecclesia accusantur rei manifestorum criminũ, ibi de manifesto delicto palàm fateri debemus, nos lapsos esse, & dolere quòd Deum offenderimus, & Ecclesiam polluerimus. Hic satis constat, cùm crimen sit manifestum, enumerationem seu recitationem criminum non omitti. Sed altera est confessio priuata seu arcana. Hic dicimus enumerationem non esse necessariam, & quanquàm multi ualdè uociferantur hoc uinculo laxato disciplinam solui, tamen & in altera parte uidendum est, ne lux fidei obscuretur, & ne conscientijs laquei injiciantur. Et tamen quomodo disciplinæ ratio habenda sit, postea dicemus.

Confessio iudicij publici.

Confessio priuata.

Tres sunt autem causæ, propter quas necesse est extare doctrinam, quòd enumeratio non sit necessaria. Prima, quia Monachi finxerunt enumerationem esse cultum & meritum remissionis. Secunda, quia postulant eam, ut possit indici satisfactio. Tertia, quia conscientia adducitur in dubitationem & desperationem scrupulosa enumeratione. Hi errores taxandi sunt, Nam remissio non pendet ex conditione enumerationis, & retinenda est uox Euangelij de gratuita condonatione. Deinde deliramenta de satisfactione magis etiam taxanda sunt. Postremò enumerationem constat fuisse pijs duram carnificinam, qui cùm uiderent se non posse omnia delicta colligere, nunquàm acquiescebant, & dubitatione illa fides extinguebatur. Huic malo necesse fuit pios Doctores mederi.

Quod doctrina de enumeratione delictorum non sit necessaria, tres causæ.

Quòd igitur in arcana confessione enumeratio omnium uel paucorum delictorum non sit præcepta iure diuino, manifestum est, quia Christus aut Apostoli nusquam eam præcipiunt. Deinde impossibilis est enumeratio omnium, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Multa enim sunt errata ignorantiæ, in maximis deliberationibus, ut Iosiæ mouentis bellum non necessarium. Item in alijs negocijs, ut quædam errata doctrinæ, ut qui stipulas extruunt supra ueras sententias quas obscurant. Item plurima sunt peccata omissionis, quæ non intelligimus. Absurdum est igitur dicere necessariam esse enumerationem omnium, cùm sit impossibilis. Ideò autem præcipuè hæc illustrentur, ne obscuretur doctrina de remissione gratuita, & fide.

Cæterùm propter absolutionem priuatam, quæ in Ecclesijs retinenda est, mos etiam petendæ absolutionis retinendus est, & sunt aliæ utilitates mulæ retinendi illius colloquij priuati, etiamsi non accedat enumeratio.

Sex causæ, cur retinenda sit priuata cõfessio non accedente enumeratione.

Prima est, ut petatur absolutio. I.

Secunda, ut Pastor interroget suos auditores de doctrina. Nam utrunq; mandatum est Pastori, ut exploret auditorum iudicia de doctrina, et cognoscat an proficiant, castiget & erudiat segniores, populo uerò ut exponat quid sentiat. II.

Tertia. Certè priusquàm rudes admittantur ad Sacramenta, de doctrina audiendi sunt, & hoc colloquium uice Catechismi est. III.

Quarta. Etsi cogere Pastor non debet, ut quisq; dicat arcana facta, tamen pro ætate & uitæ genere quędam de morib. interrogare, & utiliter monere potest. Vt si quis audiat mercatores, interrogare potest, quales cõtractus exerceãt. IIII.

Quinta. Sicut in Nehemia & Matthæo dictum est: Confitebantur peccata, id est, fatebantur in genere se reos esse, subijciebant se Deo, ostendebant dolorem V.

lorem suum: Sic in petitione absolutionis, etiam cùm recitatio singulorum omittitur, tamen necesse est significari in genere, quod fateamur nos reos esse, & subijciamus nos Deo, uerè doleamus quòd Deum offenderimus, quòd Ecclesiam polluerimus, quòd cumulauerimus pœnas publicas. Cùm hoc modo prudenter & grauiter hic mos retinetur, prodest ad disciplinam.

VI. Sexta. Omnium maximè hæc causa prudentes omnes mouere potest. Mos petendæ absolutionis testimonium est huius articuli, quòd lapsi emendantes se recipiantur à Deo, & sint ab Ecclesia recipiendi. Vtilè est autem hoc illustre testimonium in Ecclesia conseruari. Nam & Petrus Alexandrinus refutauit Meletium, ferentem Catharorum delira, citato more usitato in Ecclesia, & protulit exempla absolutionis. Valdè mouentur animi omnium hominum ijs ritibus, qui assiduè sunt in conspectu, & incurrunt in oculos, confirmati non solùm antiquitate, sed usu etiam talium gubernatorum, quorum pietatem & doctrinam certa testimonia comprobarunt. Quare & tunc profuit mos ad confirmationem ueræ sententiæ Petri, & nobis prodesse huius perpetui moris cogitatio potest. Deinde cum clarè dicat Christus, Quicquid solueritis in terra, erit solutum in cœlo, certè mandatum datur absoluendi. Etsi autem absolutio seu receptio lapsorum etiam fieri intelligitur, cùm admittuntur rursus ad Synaxin, tamen hæc expressa absolutio non abolenda est.

Apud Ethnicos prorsus fuit amissa doctrina de remissione peccatorum propter Mediatorem filium Dei, sed doctrina Legis utcunq; retenta est. Natura enim hominum facilè obliuiscitur Euangelij, cùm sit doctrina non nata in humana mente, sicut & Monachi oppresserunt Euangelij lucem de gratuita remissione, conflictis delirijs de satisfactione & alijs. Iam igitur si mos absoluendi aboleretur, rursus secuturæ essent tenebræ, & obscurior fieret doctrina de recipiendis lapsis, Quare utilè est & retinere morem, cùm quidem semper in Ecclesia fuerit. Sciantq; pij in hoc more retinendo se non solùm suæ necessitati, sed etiam posteritati seruire.

Petenti absolutionem tria cogitanda sunt.

Hanc tam piam & utilem causam spero ualituram apud multos, ut morem petendę absolutionis & magis ament, & libentius retinere studeant. Cùm accedis ad petendam absolutionem, hæc tria cogites, Vt semper fuit in Ecclesia confessio generalis, qua pij ostenderunt se agnoscere suos lapsus, & se reos esse iræ Dei professi sunt: Ita tu quoq; deplores tuam culpam, te quoq; reum esse fatearis, ut Daniel inquit, Nobis confusio. Deinde uocem Euangelij, qua annunciatur remissio peccatorum, tibi applicari petas. Et hac uoce teipsum consoleris, & ad fidem excites. Tertiò. Hunc morem cogites retinendum esse, ut etiam posteritas sciat, lapsos, cùm se emendant, à Deo recipi, & ab Ecclesia recipiendos esse.

Assuefactio ad generalẽ enumerationem iuxta ordinem Decalogi utilis est, & propter quas causas.

Vtilè est autem rudiores ad aliquam generalem enumerationem, iuxta ordinem Decalogi institutam assuefacere. Hæc diligentia prodest non solùm eò, quòd tanquàm Catechesis commonefacit recitantes, qui morbi & qui lapsus sint peccata, & qui sint gradus peccatorum, & quid interfit inter Forense iudicium, & iudicium Euangelij de peccatis, sed etiam quia cogit homines seipsos considerare & agnoscere suos morbos & lapsus, de quibus multi perentes absolutionem ne cogitant quidem. Quomodo autem potest existere contritio, aut dolor aliquis sine mediocri cogitatione de nostris lapsibus, de ira Dei, de pœnis præsentibus & æternis?

Præterea

Præterea magna pars populi, peccata tantùm intelligit illa atrocia delicta esse, quæ publicis supplicijs puniuntur, de falsa inuocatione, de uicijs cordis nihil norunt.

Assuefaciendi sunt igitur homines ad Decalogum, qui etsi aliàs sæpè declarandus & illustrandus est à docentibus, tamen melius intelligetur à populo, cùm quisq; suam uitam ad illud speculum confert, & animaduertit propria errata, Vt,

DE PRIMO PRÆCEPTO.

Exemplũ considerationis peccatorũ secundum ordinem Decalogi.

Delicta contra primum præceptum.

DEberem equidem rectè cogitare de Deo, & firma fide statuere, hunc unum esse Deum creatorem omnium rerum, et futurum iudicem omnium hominum, qui se patefecit dato uerbo suo & misso Filio. Deberem uero timore ei obedire, & metuere iram eius & iudicium, uera fide eum inuocare propter Filium, & diligere eum, et sentire aliquem grati pectoris metum erga Deum.

Deberem affici magnitudine misericordię, quòd se nobis patefecit, quòd uerè diligit genus humanum, uerè uult nos saluos fieri: Deberem Filij beneficijs moueri, quòd pro nobis passus est, quòd dedit Euangelium, quòd promittit Spiritum sanctum gubernatorem, & uitam æternam.

Sed hæc omnia leuius mouent animum meum, quàm debebat fieri, nõ satis timeo, sæpè dubito, & quadam perpetua dubitatione, frigidius peto bona à Deo, frigidius inuoco, confido interim rebus præsentibus, & quæro præsidia uitæ, neglecto ordine quem Deus præcipit. Sæpè etiam falsa inuocatione errans offendi Deum, inuocaui homines mortuos, putaui magis ad hanc statuam inuocandum esse Deum aut Sanctum, quàm alibi. Sæpè nunc quoq; aberro, ne cogitem de uero Deo, qui se patefecit per Filium, nec cogitem de Filio, & de promissione, Denicq; non ardeo inuocatione, ut oportet.

DE SECVNDO PRÆCEPTO.

Delicta contra secundum præceptum.

DEberem Euangelium diligenter discere, celebrare sermone, & ornare exemplis, agnosco autem meam negligentiam in hac re. Imò sæpè prætexo priuati cupiditati Euangelium: Sæpè meis exemplis & scandalis præbeo occasionem alijs maledicendi Euangelio, aut alieno aliquos: Interdum erraui in aliquo dogmate, & errore deformaui doctrinam cœlestem.

DE TERTIO.

Contra Tertium.

SAepè negligo publicas conciones & ceremonias in die Festo, nõ impeditus alijs causis, & meo exemplo alios abduco: Non ago gratias Deo pro instituto ministerio, pro conseruatione Ecclesiæ, pro conseruatione Prophetico-rum & Apostolicorum scriptorum, non adiuuo Ecclesiam precantem pro publico statu in cœtu, nimis leuiter afficior cura miseriarum communium, quòd inscitia, discordijs, bellis dissipantur Ecclesiæ & politiæ, & multorum animæ et corpora pereunt, non adiuuo ipse ministerium Ecclesiasticum meis officijs, non uereor, ut debeo, pios ministros: Interdum eis maledico, & meo exemplo confirmo contemtum aut odium eorum, non soluo eis debitas mercedes, sæpè dies festos malè colloco in res turpes, & irrito Deum aduersus multos.

DE QVARTO.

Contra quartum.

SVm negligens in mea uocatione, in studio, in regenda familia. Sum ingratus Deo pro beneficijs ordinis politici. Interdum irascor iniustè Magistratibus & maledico eis, nec tribuo eis debitam reuerentiam ex animo, Interdum rixas

excito contra leges, & uiolo politicum ordinem cum scandalo & aliorum detrimento, meis stultis tumultibus impedio alia publica negocia necessaria. Non sum intentus, ut in meo ordine me coërceam, & caueam ne turbem communem harmoniam publici status, sum πλεονεκτικὸς, & meæ utilitati magis seruio, quàm publicæ, aut capto occasiones turbandi.

DE QVINTO.

Contra quintum. SAepè incendor iniusta indignatione, & cupiditate uindictæ. Addo malas execrationes quæ ex cupiditate nocendi erumpunt, Moueor æmulatione, Doleo alterius potentiam aut autoritatem crescere & premere eum cupio: Sum superbus, despicio pares, & me eis anteferri postulo: Sum suspicax, & ex falsis suspicionibus interdum iniusta odia concipio, fero & confirmo discordias, sæpè perfero rumores & sermones, qui sauciant animos & accendũt odia. Habeo aliquid liuoris & maleuolentiæ, delector obtrectatione. Interdum calumnioſè deprauo aliena dicta, & facta, non studeo sanare offensiones, & conciliare uoluntates, sino crescere odia priuato liuore, uel alia priuata causa, maledico absentibus. Interdum afficio contumelia præsentes, impedio inuocationem meam & aliorum excitatis odijs aut diffidijs.

DE SEXTO.

Contra sextũ. HAbeo errantes motus & flammas uarias libidinum, indulgeo oculis & cogitationibus impudicis, contaminatur & corpus. Hæc mala augeo intemperantia & crapula. His incendijs & crapulæ fastidijs impedio pias meditationes, & precationes, & accerso belluinam feritatem, cumulo mea impuritate iram Dei aduersus me, meam familiam & ciuitatem.

DE SEPTIMO.

Contra septimum. FRuor liberalitate parentum, aut stipendio publico, & non benè colloco, defraudo meos fratres aut alios pauperes, sum iniustus in cõtractibus, non studeo propter Deum seruare æqualitatem, malignè soluo debita precia, exerceo aucupia pecuniæ quærendæ iniusta, sumo mutuo uarijs prætextibus, ac ne curo quidem soluere, retineo res alienas, non sum fidelis & diligens in mandato labore, res uicioſas uendo, res locatas corrumpo.

DE OCTAVO.

Contra octauum. NOn præsto candorem & ueritatem, quam Deus requirit in dictis & factis, admisceo Sophisticam consilijs & negocijs aut doctrinæ, interdum propugno falsa ex odio, iracundia, aut iniusta pertinacia, aut adulatione, aut metu, in moribus etiam est hypocrisis, simulatione uirtutis, aut falsa iactantia.

Conclusio cum petitione absolutionis. Deniq; agnosco me miserum in hac cœcitate & securitate horribiliter negligere iram Dei, & multis modis aberrare ab eius præceptis, ac multis scandalis alios lædere, & accersere mihi & alijs pœnas, nec posse me magnitudinem aut multitudinem meorum uiciorum aut lapsuum intelligere, sed fateor me meritum esse præsentes & æternas pœnas, ac uero dolore clamo, Tibi tantùm sum peccator, coram te malefeci, ut iustificeris &c. Verè doleo Deum ã me offensum esse, & lædi ac pollui Ecclesiam & reliquum genus humanum, & confugio ad Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum propiciatorem, propter hunc oro, ut Deus æternus pater Domini nostri Iesu Christi, bonus, sapiens, iudex & fortis, iram suam ã me auertat, & mihi peccata remittat propter Filium, & me sua immensa misericordia recipiat, sicut dixit, Viuo ego, nolo

nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Ac polliceor me repugnaturum esse peccato, & nihil facturum contra conscientiam, & oro Deum, ut me regat Spiritu sancto suo, & à uobis tanquàm ministro Christi peto, ut uocem Euangelij mihi annuncietis, cui credo, & simul Ecclesiæ promitto, me mores emendaturum esse, & scandala uitaturum.

Ad talem aliquam formam generalem rudiores assuefaciendi sunt, ut cogitent quid agant, cùm petunt absolutionem, seq; ipsi scrutentur, agnoscant se magnos & multiplices lapsus habere, & gradus considerent, discant ex ipsa Decalogi serie intelligere latentes morbos, ut repugnare suis uicijs, & semodestari incipiant.

Denicq; quomodo existere dolor in animo potest, sine aliqua cogitatione nostræ miseriæ? Non frustra dixit Christus, Spiritus sanctus arguet peccatum. Id autem fit cogitatione uerbi & iræ Dei, & nostræ immunditiæ. Vt igitur Spiritus sanctus arguat te, & tibi ueros terrores incutiat, ac corrigat securitatem & superbiam, ut expauescas, & te Deo subijcias, & abijcias te infra cæteros homines, aspice utrunq;, scilicet uerbum Dei, & tuos furores, ne accedas ad petendam absolutionem securus & sine gemitu, sicut Pharisæus Luc: 18. qui inquit, Non sum sicut cæteri homines, & utile esset talem aliquam generalem confessionem, sæpè in concionibus aut catechesi proponere. Nunc redeo ad disputationem de enumeratione singulorum, quam his duobus prætextibus quidam necessariam esse contendunt.

Non potest fieri absolutio sine cognitione,
Hic petenda est absolutio,
Ergo cognitio est necessaria.

I. Argumẽtum aduersariorũ de enumeratione delictorũ singulorum.

Respondeo ad maiorem: Differunt iudicium & ministerium Euangelij. In iudicio necesse est fieri cognitionem: At ministerium Euangelij est mandatum certum impertiendi beneficij, scilicet, annunciandæ remissionis peccatorum, siue nota sint, siue ignota. Plurima enim remittuntur, quæ nec meminit nec intelligit ille ipse qui absoluitur, & fide uox absolutionis accipienda est. Non hic disputandum est, an forma iudicij satis seruata sit, nec nitatur fides illo opere sacerdotis, sed intueatur Christum propiciatorem, propter hunc sciat iram Dei à nobis auerti, & hanc uoluntatem Dei sciat in uoce Euangelij nobis patefieri & annunciari.

Differunt iudicium & ministerium.

Dauid pauore & mœrore extinctus esset, cùm obiurgaretur à Nathan, nisi postea etiam absolutionem audiuisset: Dominus abstulit peccatum tuum. Hac uoce diuina audita rursus acquiescere, reuiuiscere, & Deum inuocare cœpit. Sic autem quisq; nunc cogitat, si singulari uoce tali Deus significaret se mihi ignoscere, benè mecum ageretur. Hæc imaginatio corrigenda est, considerata uoce Euangelij seu absolutionis. Hoc ipsum tibi & unicuilibet nostrum annunciat uox Euangelij seu absolutionis, quod Dauidi de remissione dictum est: Nec minus Euangelio sonanti per ministros credi oportet, quàm tunc Dauidem credere oportebat.

Hæc est igitur uera & firma responsio ad argumentum, Absolutio non fit sine cognitione, uerum est in iudicio, sed non in hac functione ministerij Euangelici, quo tribuitur nobis beneficium. Et illustratur uis ministerij cùm homines admonentur de discrimine iudicij & ministerij. Nam ministerium ad

Aliud discrimen iudicij & ministerij.

conscientiam pertinet,& est testimonium diuinæ absolutionis. Sed iudicium alia res est,& ad manifesta crimina pertinet. Nemo sine cognitione excommunicandus aut recipiendus est, sed ibi fit cognitio non de conscientia, sed de externis moribus, & ea absolutio coram Ecclesia ualet, etiamsi is qui absoluitur, simulat tantùm pœnitentiam.

Quòd autem Euangelium publicè multis & priuatim singulis applicari possit, testatur hæc sententia: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Item, Quoties in me peccabit frater, & remittam ei? Loquitur enim de remissione, quam Deus approbat.

Homo annunciat uerbum quo Deus testatus est se remittere.

Quòd uerò aliqui obijciunt, Homines non posse remittere peccata, id uerum est, sed annunciare uerbum Dei, & possunt, & debent, quo Deus testatus est sese remittere. Remittit enim Deus per ministerium Euangelij & Sacramentorum. Ac satis apparet eos non attendere quid sit uox Euangelij, aut ministerium, qui non uolunt expressè annunciari remissionem. Ideò autem misit Deus filium, ut hanc arcanam uoluntatem de remissione peccatorum ex sinu Patris prolatam patefaceret, & annunciari eam in Ecclesia iuberet. Et Sacramenta sunt applicationes remissionis, id est, testantur beneficium Euangelij ad singulos pertinere. Ego baptizo te in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti, id est, Ego mandato Dei profiteor te iam recipi ab hoc uero Deo, qui est æternus pater Domini nostri Iesu Christi, & à Filio eius Domino nostro Iesu Christo, qui pro te passus est, & à Spiritu sancto, qui datur in corda reconciliatorum, ut eos regat,& incoët uitam æternam. Remitti igitur tibi peccata, & te fieri hæredem uitæ æternæ testor.

Alterum argumentum aduersariorum, de enumeratione, sumtum à consuetudine Ecclesiæ.

Quidam nouo commento defendunt Canonem de enumeratione hoc modo: Consensus perpetuus Ecclesiæ uidetur esse dogma à Spiritu sancto traditum: Semper autem fuit mos enumerationis in Ecclesia: Necesse est igitur eum retineri.

Respondeo ad Minorem: Mos fuit manifesta peccata recitandi & deplorandi, sed uetustas non mandauit singulis arcana recitare: Sicut clarè Chrysostomus inquit in enarratione Psalmi 50. Si pudet alicui dicere peccata, dicito ea quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conseruo tuo, ut tibi exprobret, dicito Deo qui sanat ea. Et citantur similia dicta, ab alijs, quæ opponi possunt ijs, qui allegant perpetuum consensum, ut superstitiosissimam Canonis acerbitatem defendant, qui conscientijs laqueos injicit. Est autem pij pastoris, prospicere & cauere conscientiarum pericula, & doctrinæ corruptelas, & tamen uidere, quomodo piè retinenda sit disciplina.

DE SATISFACTIONE.

Ritus publicæ castigationis in Ecclesia qualis fuerit.

VEtus mos in Ecclesia fuit, non recipere lapsos, qui defecerant ab Euangelio metu suppliciorum, aut polluti fuerant cæde aut manifestis libidinibus, nisi prius castigatos: Et hic mos cùm exempli causa initiò sic seruabatur, ut alij admoniti diligentius regerent mores, tùm uerò explorarentur animi, an seriò redirent ad Ecclesiam. Fuitq; tota res politicus ritus, non pertinens ad conscientiam seu remissionem peccatorum coram Deo. Sed postea ut fit, multæ superstitiosæ opiniones accesserunt, ex quibus deinde inextricabiles labyrinthi orti sunt. Quare necesse est de hac parte Ecclesias rectè doceri, præsertim cùm in refutatione errorum simul multæ grauissimæ res explicandæ sint. Illustra-

tur do-

tur doctrina de remissione peccatorum, monstratur discrimen remissionis culpæ, & remissionis pœnarum temporalium, recitantur pœnæ temporales, in quibus uult Deus iram suam aduersus peccata conspici, ut in pœna Dauidis, Manasse &c. Traditur discrimen uerorum & commentitiorum cultuum. Has tantas res complecti necesse est.

Ritus publicæ castigationis unde sit sumtus.

Ac ut de externo ritu harum castigationum initiō dicam, arbitror morem à primis Patribus sumtum esse. Nam uestigia manserunt etiam apud Græcos, ubi aliquis cædem iniustam fecerat, aut commiserat incestum, excommunicabatur, hoc est, excludebatur ex consuetudine communium officiorum, & addebantur signa quædam in uestitu, quæ significabant eum hominem, reum, pollutum, & uitandum esse, ac nemo unā cibum capiebat, donec illa signa reatus gerebat. Erant etiam certæ imprecationes & diræ, quæ contra pollutum dicebantur. Sic Phœnix apud Homerum narrat, contra se propter stupratam coniugem patris, diras recitatas esse.

Et Orestes discurrit in Græcia, abstinens ab aliorum conuictu, ac gerens signa reatus, & passim multa exempla inueniuntur, ut Pelei, Antilochi, Adrasti, qui ad Crœsum uenit, gerens signa reatus. Hæc exempla satis apparet ā primis Patribus sumta esse, qui hos ritus disciplinæ causa obseruarunt, ut homines cogitarent magnitudinem iræ Dei aduersus pollutos, & eō magis abhorrerent à talibus sceleribus.

Huius uetusti moris imago, etiam in Ecclesia in excommunicatione seruata est, excludebantur lapsi ex communi consortio, ac denunciabatur eis ira Dei, nec denunciatio illa fuit irrita, sed diuinitus sequebantur pœnæ, & cùm petebant se recipi lapsi, aliquot diebus ante absolutionem explorabantur, stabant extra locum Cœnæ Domini cum signis reatus, id est, plorantes & sordidati, et publicè petebant absolutionem. Hac promulgata rursus admittebantur ad Cœnam Domini, & recipiebantur in consortium.

Castigatio & exploratio publica sine impietate prodesset ad disciplinam.

Hunc ritum publicæ castigationis & explorationis nequaquàm improbamus. Imò optaremus eum grauiter sine falsis opinionibus, sine superstitione, sine immodicis oneribus seruari, & prodesset exemplum ad disciplinam, ut laudat Ecclesiam Corinthiam Paulus 2. Corinth. 7. quòd grauiter hanc censuram contra incestum exercuerat, quòd eum excluserat, postea uerō publicè declarantem pœnitentiam receperat: Tristicia, inquit, uestra, quantam excitauit indignationem, zelum & uindictam, id est, pœnam, uidelicet, ipsam excommunicationem polluti stupro nouercæ.

Satisfactiones extiterunt ex abusu publicæ castigationis.

Sed post Apostolos superstitione creuerunt Canones multarum, indicebantur aliquot anni ieiuniorum, & accedebat falsa persuasio, hæc opera mereri remissionem peccatorum & compensationes esse pro peccatis, Ideóq; satisfactiones uocabantur. Ita obscurabatur lux Euangelij de fide accipiente remissionem propter Christum. Tandem Canones illi cùm iam intolerabiles essent, relicti & neglecti essent, nomen mansit & umbra, de qua disputant Monachi, & multas corruptelas Euangelij hic gignunt, de quibus breuiter dicam.

Differunt satisfactiones canonicæ & ciuiles.

Primùm autem sciendum est, satisfactiones hic non intelligi ciuiles satisfactiones, ut qui defraudauit alios, compensare furtum debet, qui alterum iniuria affecit, qui conuiciatus est, aut iniustam uiolentiam exercuit, læso satisfacere debet, & retractare conuicia, ac pro uiolentia pœnam subire, hæc sunt opera debita, & ad contritionem pertinent, iuxta illud: Desinite malefacere.

Qui alterius uxorem raptam detinet, non habet contritionem, donec eam retinet. Sunt igitur ciuiles illæ satisfactiones rerum & famæ restitutiones, opera debita, mandata Lege Dei, necessaria ad ueram contritionem, & bonum propositum, ac bonam conscientiam.

Satisfactiones Canonicæ opera non debita.

At Monachi hic definiunt satisfactiones opera non debita, quibus uolunt redimi pœnas purgatorij, aut certè alias pœnas temporales. Sic enim docent, Deum, cùm sit misericors, remittere culpam, sed cùm sit etiam iustus & uindex, mutare pœnam æternam in temporalem purgatorij: Deinde addunt, partem pœnarum remitti potestate clauium, partem redimendam esse satisfactionibus. Hæc est summa commenti. Rectè autem fatentur, non remitti culpam propter satisfactionem, sed postea de compensatione pœnæ æternæ hallucinantur. Error est enim sentire, quòd æternæ pœnæ remittantur propter nostram compensationem & multò absurdius est, quòd fingunt propter opera non debita remitti, de quib. dictum est: Frustra colũt me mandatis hominum.

Sic ergo sentiendum est, Iungatur remissio culpæ & mortis æternæ. Id enim unum & idem beneficium est Christi gratuitum. Ac tollere culpam, est placare iram Dei, nec aliud est mors æterna, quàm sentire horrendam & inenarrabilem iram Dei manentem, sicut Ioannes inquit: Ira Dei manet super eum. Sciamus igitur culpam & mortem æternam simul tolli propter Christum, non propter ullam nostram compensationem: Ideò Paulus inquit: Aculeus mortis peccatum est, Deo autem gratia qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, & Rom: 6. Donum Dei uita æterna per Iesum Christum. Et Ose: 13. Ero mors tua ô mors, & pestis tua inferne. Ideò sentiendum est, fide propter Christum gratis nos liberari à culpa & à morte æterna. Sicut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus erga Deum, Christi beneficia hæc sunt, Tollere culpam & mortem æternam, id est, placare ingentem iram Dei. Quare Christum contumelia afficit, si quis remissionem mortis æternæ transfert in nostram compensationem.

Culpa et mors æterna tolluntur per et propter Christũ.

Secundò. Quanquàm non diuelli debent remissio culpæ, & remissio mortis æternæ, tamen necesse est discerni remissionem culpæ à remissione pœnarum temporalium huius uitæ, Imò quoties de pœnitentia cogitamus, magnitudo iræ Dei consideretur etiam in pœnis temporalibus huius uitæ. Etsi enim multæ causæ sunt, cur Ecclesia cruci subiecta sit, tamen præcipua causa est, Peccatum hærens in carne. Totum genus humanum oppressum est ingentibus calamitatibus & morte, sed magis etiam Ecclesia. Quia uult Deus in Ecclesia intelligi iram aduersus peccatum, quam mundus contemnit. Ideò Ecclesiam duriore sarcina onerat, ut agnoscamus nos circumferre pœnas, esse reos, & Deum uerè irasci peccato, sed propter Filium nos recipi. Adam etsi agnouit se recipi in gratiam, quia filius Dei pro genere humano deprecatus erat, & illud mirabile decretum de redemtione humani generis in consilio æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti factum erat, tamen subiectus est corporalibus pœnis, ut agnosceret suum lapsum, & secutæ sunt tristissimæ castigationes, in quibus uidit Adam uerè sibi circumdari signa reatus, ut ingentem luctum propter scelus Cain & necem Abel, & similia multa, quæ tot annis uiderunt miserrimi parentes. Præterea præter communes ærumnas sancti singularibus pœnis propter priuata quędam peccata puniuntur. Dauid propter adulterium quantas ærumnas sustinuit longo tempore? Primùm stuprata est filia, stuprum cædes filij

Remissionem culpæ discerni oportet à remissione pœnarum temporalium.

des filij secuta est. Deinde mota seditio à filio, stupratæ coniuges, interfecti ciues, pater pulsus est, & minus fuit Dauidem regno spoliari, quàm exui ingenti gloria uirtutis & fauoris Dei. Hic se uerè sensit excommunicari, & sibi has tantas miserias & dolores tanquam signa reatus circumdari, non ab homine, sed à Deo, ut agnosceret Deum uerè irasci peccato, sese Deo subijceret, non arrogaret sibi laudem iusticiæ, nec efferret se supra cæteros peccatores. Item ut alij hoc exemplo monerentur. Sic puniti sunt peculiaribus supplicijs Samson, Salomon, Osias percussus lepra, Iosias, Nabuchodonosor, & alij sancti innumerabiles, quotidiè tales aliquas pœnas peculiares sustinent. Nec loquor de impijs & reiectis, quorum scelera enormia Deus, cùm sit custos politicæ iusticiæ & societatis, regulariter insignibus supplicijs in hac uita punit, ut de Catilina, Nerone, & quotidianis latronibus: Sed de Ecclesia, & de Sanctis loquor, horum multi lapsus omnibus temporibus peculiaribus pœnis puniuntur. Iuxta hoc dictum Psalmi 88. Visitabo in uirga iniquitates eorum. Item, Iudicium à domo Dei incipit

Tertiò sciendum est, etsi sustinent conuersi pœnas temporales, tamen hæ prorsus nihil pertinent ad potestatem clauium, nec imponuntur, nec remittuntur potestate clauium, ut res ipsa ostendit, nec morte, nec morbos, nec bella imponi aut tolli posse à ministris Euangelij. Sed his ærumnis finit nos Deus tanquam signis reatus circumdari, cùm certa peccata punit, ut nos ipsos & alios de iudicio suo aduersus peccatum admoneat. Et quoniam hæ pœnæ plerunque sunt exempla, multi insignibus calamitatibus onerati, tanquàm in spectaculo monstrantur. Nam Dauidis expulsio, quàm triste spectaculum fuit? Quàm atrox tragœdia est Mauritij Imperatoris interitus? Hunc cùm Phocas ex fuga retraxisset, iubet eum ad se cum coniuge, filiabus & filijs adduci, hic primùm filias inspectantibus patre Mauritio & honestissima coniuge interfici mandat, postea filium adolescentem, aberat autem minimus natu apud nutricem, hunc cùm afferri iussisset, nutricis maritus affert non alumnum sed suum filium. Tanta erat fides in eo amico. Sed cùm aspexisset puerum Mauritius, interpellat Phocam monens hunc alienum esse, nec se uelle calamitatem suam in amicum deriuare. Adfertur igitur Mauritij filius, ac interficitur. Postea misera mater trucidatur, in tanta calamitate nulla uox impia ex Mauritio audita est, sed astitit spectator harum ingentium ærumnarum, & confessionem suæ culpę edidit, inquiens: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Postremò & ipse occisus est. Fuit aũt Mauritius & alijs magnis uirtutib. præditus, & Christianę religionis cultor. Sed cùm esset iracundior, quædam fecit asperius, ideò in has pœnas incidit, ante quas admonitus, egit pœnitentiã. Sed Deus hac calamitate & in ipso augere pœnitentiam, & alios de suo iudicio admonere uoluit. Satis autem intelligi potest, has pœnas nihil pertinuisse ad potestatem clauium.

Pœnæ temporales non pertinent ad potestatem clauium.

Quartò. Nec sunt hæ pœnæ compensationes purgatorij, aut pro morte æterna, imò multorum calamitates, ut Ioannis Baptistæ, Ieremiæ, longè alias causas habent, nec sunt pœnæ propter ipsorum delicta aliqua irrogatæ, sicut Deus ipse Iob excusat.

Pœnæ temporales non sunt compensatio mortis æternæ, nec semper pœnæ certorũ delictorum.

Causæ igitur aliæ cur Ecclesia subiecta est cruci, cognoscendæ sunt, quas quidem prodest sæpè cogitari. Possunt autem hoc ordine numerari.

Causæ X. propter quas Ecclesia subiecta est cruci.

Prima est. Peccatum commune generis humani, propter quod omnes homines uniuersaliter subiecti sunt morti.

II. Cùm mundus non agnoſcat illum morbum & contemtum Dei, & iram Dei aduerſus hoc malum, Deus magis premit Eccleſiam, ut agnoſcat hæc mala, & uocemur ad pœnitentiam.

III. Quia Diabolus rabioſius ſæuit in Eccleſiam.

IIII. Vult Deus creſcere in nobis agnitionem infirmitatis noſtræ, & deponere nos fiduciam noſtri, et accendi inuocationem Dei, ideò magis exercet ſanctos, ut Paulus inquit: Reſponſum mortis in nobis habuimus, ne eſſemus confidentes noſtræ uirtuti, ſed inuocaremus Deum.

V. Vt afflictiones ſint teſtimonia immortalitatis, & futuræ gloriæ. Quia enim hic non eſt diſcrimen inter Neronem & Paulum, poſtea futurum eſſe neceſſe eſt.

VI. Vt afflictiones ſint teſtimonia doctrinæ. Quia enim ſancti anteferunt confeſſionem ſuæ uitæ, apparet eos ſeriò ſic ſentire.

VII. Vt efficiamur ſimiles imaginis Filij Dei. Sic Abel, Iſaac, Baptiſta, Ieremias, Eſaias fuerunt typi Chriſti.

VIII. Sæpè afflictiones ſunt pœnæ certorum delictorum, ut Dauidis, Manaſſę exilia, regis Babylonici morbus.

IX. Vt appareat Sanctos obedientiam præſtare, non ſuæ uoluptatis cauſa, ſed propter Deum.

X. Vt Eccleſia ſciat ſe non humanis præſidijs niti, ſed habere cuſtodem Deum. Ideò exercetur Abraham periculis peregrinationum, in quibus circumfert doctrinam. Sic populus retinetur in deſerto &c.

Hæc tota doctrina de præcipuis fontib. calamitatum humanarum ignota eſt Philoſophiæ, quæ putat mortis humanæ cauſam eſſe materiæ fluxibilitatem, ſicut Beluinæ mortis, & cumulari miſerias aut caſu, aut humana imprudentia. Sed Eccleſia monſtrat alias potiores cauſas. Omittantur ergo fabulæ de compenſatione Purgatorij, quæ nulla habent teſtimonia in ſcriptura Prophetica & Apoſtolica, & cogitentur aliæ maiores cauſæ calamitatum, ut iram Dei agnoſcamus & expaueſcamus, & rurſus ueram conſolationem nobis proponamus. Deniq; ſciamus hunc extremum finem eſſe omnium calamitatum, ut creſcant fides & inuocatio. Iuxta illud: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te.

Pœnæ mitigantur aut prorſus remittuntur propter pœnitentiam.

Quintò. Etſi Deus ſæpè punit certa peccata certis pœnis, tamen ſciendum eſt, pœnas mitigari noſtra pœnitentia, aut prorſus remitti, ut teſtatur hiſtoria Ionæ. Et Eſai: 1. dicitur: Si fuerint peccata ueſtra ut coccinum, erunt candida ut nix. Item, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Ierem: 3. Conuertimini filij, & ſanabo auerſiones ueſtras. Et 30. Caſtigabo te in iudicio, ne tibi innocens uidearis, id eſt, admonebo te de tuo peccato caſtigatione aliqua, nec tamen perdam te. Ioël. 2. Conuertimini ad Deum, quia miſericors eſt, &c. & remittens pœnam. 1. Corinth: 11. Si nosipſi iudicaremus, non iudicaremur. Pertinent huc & illa dicta, quæ petunt mitigationem in pœnis, & ſimul teſtantur peccata mereri maiorem pœnam: Sed Deum parcere infirmitati noſtræ, ut, Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit, id eſt, Si pœnas omnes exequi uelles, ſubitò omnes extingueremur. Item, Domine ne in furore tuo arguas me. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. Ierem: 10. Corripe me Domine, uerùm in iudicio, & non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me. Oſeæ 11. Quomodo dabo te Ephraim, quomodo affligam te Iſraël? Iuſtè te

stẽ te delerem sicut Adama & Seboim. Cor meum mutatum est intra me, exarsit commiseratio mea. Non faciam furorem iræ meæ, non delebo Ephraim, Quia Deus ego sum, & non homo in medio tui sanctus, id est, Cùm inter uos me patefecerim, meum uerbum uobis tradiderim, nolo uos prorsus deleri, Reliquias inter uos seruabo. Habacuc 3. Cùm iratsceris, misericordiæ recordaris.

Postremò semper in conspectu sit dictum Ezech: 33. quod etiam de mitigatione pœnarum cõcionatur. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Pertinent huc & plurima exempla eorum quos sanat Christus, quibus præsentes pœnæ remittuntur.

Has sententias & similes quotidiẽ nobis in precatione proponamus, cùm de publicis & priuatis pœnis cogitandum est, & petenda mitigatio. Ipsæ nos ærumnæ de his sententijs admoneant, & meminerimus utrunq; castigari nos præsentibus pœnis, & mitigari eas nostra pœnitentia & inuocatione. Hanc esse sententiam multorum aliorum dictorum etiam iudico, ut: Eleemosynæ liberant à peccato, uidelicet quod ad præsentes pœnas attinet, id est, merentur mitigationem calamitatum huius uitæ. Hæc doctrina de pœnis præsentibus, & earum mitigatione utilis est, ac pias mentes de multis magnis rebus admonet, de ira Dei, de causis multarum magnarum calamitatum, de promissionibus diuinis, de exercitio fidei & bonorum operum. Docemus enim tota pœnitentia mitigari pœnas hominum, non illis ritibus satisfactionum, de quibus Monachi loquuntur, quos dicunt esse opera indebita, & ualere etiam cùm fiunt in peccato mortali. Sed multa sunt deliramenta in opinione Monachorum, quorum aliqua satis est refutasse.

Incõmoda quæ sequuntur ex doctrina Monachorum de satisfactionibus.

Sextò: Satisfactiones Monachorum obscurant Legem & Euangelium, & amplificant dignitatem traditionum humanarum. Fingunt enim in satisfactionibus aliquid amplius fieri quàm Legem Dei, somniant reliquis operibus Legi Dei satisfactum esse. Necesse est autem in Ecclesia extare hanc doctrinam, quòd in hac uita procul absint etiam renati à perfectione Legis.

Deinde obscurant Euangelium, quia fingunt mortem æternam nostra compensatione aboleri: Imõ indocti facilè transferunt satisfactiones etiam ad remissionem culpæ.

Tertiò amplificant traditiones humanas, definiunt enim satisfactiones esse opera non debita, hoc est, ceremonias humanas, certorum dierum ieiunia, certorum ciborum abstinentiam, certarum precum lectionem. Necesse est autem in Ecclesia extare hanc uocem: Frustra colunt me mandatis hominum, id est, obseruationes humanæ non sunt cultus Dei, ac multò minus æstimationis tantæ, ut sint compensatio pro morte æterna.

Ex his omnibus cõstat, etiamsi uetustos ritus aliquos habuit, quibus poluti à cæteris discernebantur, tamen opiniones Monachorum de satisfactionibus & compensationibus commentitias & inanes esse. Falsum est enim mortem æternam aboleri nostra compensatione, sed piæ mentes deducendæ sunt ad Christum propiciatorem, & lux fidei retinenda est, ut meritum Christi agnoscatur. Hæc docet gratis, non propter nostra opera, tolli culpam & mortem æternam, & tamen interim sciendum est, Ecclesiam cruci subiectam esse, & sæpè puniri certa delicta certis pœnis temporalibus. Has uerò mitigari tota pœnitẽtia nostra, & debitis operibus. Quare ut pœnitentia crescat, accendatur

studium

ſtudium proficiendi in bonis operibus uocationis & uniuerſa obedientia Deo deb ita, & diſcernantur ueri cultus ab obſeruationibus humanis.

Clament alij de ceremonijs Canonicarum ſatisfactionum quantum uolent, tamen hæc quæ dixi uera, perſpicua, firma, & pijs utilia ſunt, & in Eccleſia ſæpē proponenda.

Nec ego ignoro quæri nunc uarios prætextus ad defenſionem eius ceremoniæ. Sophiſtica enim infinita eſt. Allegant Cyprianum, qui de cenſura loquitur, quæ erat mos politicus, ad exemplum pertinens, non ad remiſſionem peccatorum. Denicq; opiniones Monachorum de compenſatione pœnarum Purgatorij &c. nondum natæ erant Cypriani tempore.

Aliud eſt ſatisfactio caſtigatoria, Aliud excōmunicatio.

Quidam contendunt, ſatisfactionem caſtigatoriam retinendam eſſe, ſicut inceſtum caſtigauit Paulus. Ea caſtigatio erat excommunicatio, quæ cūm fit uero iudicio, eſt graue fulmen, addit enim Deus pœnas, ut ſcriptum eſt: Maledicam maledicentibus tibi. Toties autem diximus, contumaces excommunicatione feriendos eſſe. Si uult Eccleſia etiam exempli cauſa cum quadam grauitate & moderatione addere notam in recipiendis lapſis, talis mos non improbatur, modō non miſceantur opiniones de compenſatione. Nec fingatur mos ille neceſſarius eſſe propter compenſationem pœnarum æternarum, aut Purgatorij, ſicut olim ſuperſtitione ritus ſatisfactionum creuerunt.

I. Obiectio Aduerſariorum de commutatione pœnarū.

Obijciunt aduerſarij hæc argumenta. Sicut miſericordiæ Dei eſt remittere peccata, ſic iuſticiæ eſt punire. Neceſſe eſt igitur fieri commutationem pœnarum, ſicut non remiſit Adæ & Dauidi ſine pœna.

Reſpondeo: Verū eſt antecedens, Eſt iuſticiæ Dei punire, & principalis pœna ac placans irā Dei, translata eſt in Filiū. Deinde in conuerſis etiam uniuerſaliter punit Deus peccata in contritione, ſicut inquit Ezechias: Sicut Leo cōtriuit omnia oſſa mea. Hic dolor in Adā, in Dauide, et alijs pijs multō acrior eſt, quām mors ipſa. Deinde punit & pleraq; delicta certis pœnis preſentibus ſæpē tamen etiam parcit, nec omnes pœnas exequitur. Nam hæc infirma natura tantā iram ſuſtinere non poteſt, ſicut dicitur: Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit? Et Pſal: 77. Et non accendit oēm iram ſuā. Ideō promittit mitigationem harum pœnarum agentib. pœnitentiam. Vult. n. non ſubitō extingui homines, ſed manere Eccleſiam, & multos eſſe idoneos ad labores uitę & Eccleſię neceſſarios. Parcit igitur multis, ut hāc militiam tolerare poſſint.

II. Obiectio ex dicto Pauli, Si nos ipſi iudicaremus, non iudicaremur. Ne igitur &c.

Obijciunt & illud: Si nos ipſi iudicaremus, non iudicaremur. Ne igitur Deus caſtiget, rectē facit Eccleſia, imponens pœnas, ut anteuertat diuinas. Hoc argumentum, cūm ſit ſpecioſiſſimum, diligenter conſiderandum eſt. Nam hic in re maxima fit inſignis confuſio hypocriticæ & ueræ caſtigationis.

Pauli dictum ſalutaris doctrina & conſolatio eſt, ac loquitur de tota pœnitentia: Si nos iudicaremus, id eſt, ſi nos ipſi accuſaremus, & caſtigaremus uero dolore, & conuerteremur, non obrueremur pœnis à Deo. Sicut ſententiæ ſuprā citatæ docent, pœnitentia tolli uel mitigari pœnas, Eſaiæ 1. Et Ioēl. 2. Conuertimini ad Dominum, quia bonus eſt, & remittens pœnam. Et aliæ ſimiles ſententiæ.

Et rectē ſequitur: Caſtigante Eccleſia mitigari caſtigationem diuinam. Sed hæc non intelligantur hypocriticè de ceremonijs, ſed de uero miniſterio Eccleſiæ, quæ pœnitentiam proponit, non in ceremonijs, ſed in conuerſione ad Deum. Eſt igitur uera caſtigatio, uerus dolor cordis, & morum emēdatio. Non eſt ſpe-

est spectaculum certi ritus excogitati ab hominibus, ut fuerunt spectacula satisfactionum. Ecclesiæ ministerium spirituale est, & de conuersione cordis ad Deum, de uero dolore, de uera renouatione spirituali concionatur. Hæc merentur mitigationem pœnarum, est enim cultus Deo placens.

Nec uerò castigationes aut ulla opera sine alijs partibus pœnitentiæ, id est, sine contritione, & sine fide merentur mitigationem. Quia opera sine timore & sine fide non sunt cultus Dei, quantumuis splendida sunt. Nam Lex Dei de corde præcipit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde &c. Et Roman: 7. dicitur, Seruiamus in nouitate Spiritus, non in uetustate literæ, id est, uera conuersione cordis ad Deum, non externis tantùm officijs & ritibus. Diligenter ergo in hoc loco obseruetur hæc confusio, quòd pro uera castigatione, id est, integra pœnitentia proponunt umbram, scilicet externas ceremonias satisfactionum, cùm dictum Pauli, Si nos iudicaremus, &c. transferunt ad sua spectacula satisfactionum. Estq; fallacia à dicto secundum quid, ad simpliciter, iuxta exemplũ: Est homo pictus, ergo est homo, ubi umbra pro reb. ostenditur.

Opera sine timore Dei & fide non sunt cultus Dei.

Ornant satisfactiones & titulo Mortificationis, Cùm præceptum sit de Mortificatione carnis, rectè (inquiunt) Ecclesia imponit aliquas mortificationes agentibus pœnitentiam. Hic iterum admonendi sunt pij, ut discernant hypocrisin seu opera indebita à mortificatiõe debita. Mortificatio nõ simulata est aut uerus dolor in contritione, aut patientia sustinens ueras afflictiones, ut Dauid obiurgatus à Nathan, cùm uerẽ expauisset agnitione iræ Dei, & esset in uero dolore. Item deinde cùm calamitates quę secutę sunt perferret, sustinuit mortificationem, de qua dicitur 2. Cor: 4. Vndiq; mortificationem Domini Iesu Christi in corpore circumferentes. Et Rom: 6. Vetus noster homo simul crucifixus est. Et Roman: 12. Exhibete corpora uestra hostiam uiuentem rationalem &c. Hæc dicta non de simulata toruitate, sed de uero dolore, & uera tolerantia loquuntur, de quibus in Psalmo dicitur: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et apud Petrum: Humiliamini sub potenti manu Dei, &c. Hæc patientia debitum opus est, & uerus cultus Dei, de quo aliàs dictum est. Et cùm Ecclesia cruci subiecta sit, intelligit hunc cultum Deo necessariò præstandum esse, & longẽ discernit à simulatis externis exercitijs, aut commentitijs satisfactionibus. Nec sunt mortificationes sine mandato Dei accersitæ corporis lacerationes, sicut sacrificuli Baal sibi ipsis uulnera faciebant. Tales ultrò accersiti cruciatus pertinent ad regulam, Frustra colunt me mandatis hominum. Item pugnant cum his præceptis, Non occides. Item, Habete honorem corpori, &c. Vult enim Deus nos agnoscere, hanc nostram uitam, & mirificam omnium partium ac sensuum naturam & harmoniam, suum opus & donum esse, imò & Dei imaginem continere. Ideò reuerenter tractari & seruari uult hominum naturam, non uult contaminari sceleribus, non uult corrumpi eam seu uoluptatibus seu cruciatu. Sed quia peccatum hęret in nobis, alioqui satis erit calamitatum, quæ citò hanc mortalem naturam absumunt. Has ferre iubet, cùm inquit: Sufficit diei afflictio sua, id est, non accersite uobis ultrò maiores calamitates, sed rectẽ tolerate illas quæ propter mundi miseriam uos attingunt, etiam non accersitæ. Hæc de uocabulo mortificationis utile est monere, ut ab hypocrisi discernantur ueri dolores. Deinde est alia quædam uoluntaria diligentia coërcendi carnem, uidelicet temperantia in cibo, potu, sedulitas in laboribus, acris intentio in studia, precatio, &

Differunt hypocrisis seu opera indebita, & mortificatio debita.

alia ne-

alia negocia uocationis, reprimere errantes motus libidinum, frenare iracundiam. Hęc omnia sunt opera debita, & uirtutes, de quibus sæpē præceptum est. Luc. 21. Cauete ne corda uersta grauētur crapula. Ro: 6. Non exhibete membra uestra arma iniusticię. 1. Cor: 9. Captiuo corpus meum, & in seruitutem redigo.

Hæc exercitia coërcendæ carnis docenda, prędipienda & prędstanda sunt, non ut sint compensationes pro prędteritis peccatis, sed ut deinceps arceant peccata. Nam luxus, ocium & negligentia inuitant multa uicia, ut dicitur: Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Et quotidiana uita declarat, uerissimē dictum esse:

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis. *Item:*

Pectora dum gaudent, nec sunt astricta dolore
Ipsa patent, blanda tunc subit arte Venus.

Diligentia coërcendi carnē potest esse etiam in non renatis.

Ac potest esse diligentia coërcendi carnem, etiam in non renatis, ut in Socrate, Pomponio Attico, & similibus fuerunt multæ uirtutes, temperantia, continentia, mansuetudo. Sed in renatis aliæ sunt causæ, adiuuantes, & alij fines. In Ioseph hæc concurrunt, ipse regit oculos suos, & fugit adulterium, simul autem petit auxilium Dei, ut adiuuetur, ne uincant illecebræ: Deinde suam continentiam refert ad gloriam Dei, non uult doctrinam scandalis deformare. Hanc luctam pios intelligere oportet, & quia res difficilis est, ideō Paulus nomine mortificationis & hanc luctam comprehendit, ut cūm inquit: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis. Non enim tantūm coërceri præcipit, ut Socrates coërcuit, sed spiritu, id est, intuentes Deum, deplorātes infirmitatem naturæ, petentes auxilium Dei, repugnantes Diabolo. Sic & alibi dicit: Mortificate membra uestra, expauescite cogitatione iudicij Dei, & frenate prauos affectus.

Exercitia coërcēdæ carnis & debita sunt & esse perpetua debent.

Hæc exercitia sciamus & debita esse & oportere esse perpetua, non ut satisfactiones certi temporis & modi erant. Ideō Ecclesia perpetuō ea præcipit in concionibus. Sed quæ singulis forma conueniat, cuiusq; conscientiæ, & opportunitati relinquendum est, ne laquei conscientijs injiciantur, & præscriptio certæ formæ, certorum ciborum ac ieiuniorum, cūm sit traditio humana, pertinet ad regulam: Frustra colunt me mandatis hominum, & ad temperantiam non multum conducit. Nos uerō memores simus perpetui mandati de temperantia & continentia: Ebriosi, Fornicatores, non possidebunt regnum Dei.

DE PRÆDESTINATIONE.

CVm nulla sit Politia humana, nullus cœtus magnus sine multis uicijs, & omnes Gentes aliæ alijs calamitatibus exerceantur, sæpē quærunt animi hominum, an aliqua pars generis humani peculiariter curæ Deo sit, & quæ sit illa pars, an Deus aliquos audiat, aliquibus opem ferat, an aliquid agat cum ullis, nisi ut mouent causæ secundæ. Deinde accedit difficilior quæstio, cūm res ipsa loquatur, nulla imperia perpetua esse, & magnas accidere omnium Gentium dissipationes, ubi mansura sit Ecclesia Dei in hoc mundo. Vidit eam Iohannes Ephesi, Smyrnæ, & locis uicinis. Nunc in ijsdem locis omnia plena sunt Turcicis furoribus damnantibus Euangelium, nec sedes ulla perpetua est Ecclesiæ Dei in hac mortali uita. Aduersus has quæstiones firmis & illustribus testimo-

Quæ res præcipuè exerceant animos hominum.

testimonijs Deus ipse nos muniuit, ac primùm esse aliquem cœtum quem diligat, curet, & æternis bonis ornaturus sit, ipse manifestis miraculis declarauit, ad quæ oculos referamus, ut nos confirmemus, ad seruationem Noë in diluuio, ad eductionem populi ex Aegypto, ad missionem & facta Prophetarum, ad restitutionem mortuorum factam à Christo, Prophetis & Apostolis. Hæc omnia testantur esse cœtum illum Deo curæ, cui exhibentur hæc beneficia, & Deum uerè illis adesse, & multa agere præter ordinem & motum secundarum causarum. Est igitur aliqua Ecclesia Dei, nec totum genus humanum ad interitum, & præsentes miserias ac uices materiæ pereuntis conditum est, ut poma aut pecudes, quarum materia ruit subinde, aliam formam in his uicibus generationum & corruptionum induens. Etsi uerò oculi uident humana corpora nunc similiter obnoxia esse morti, tamen illa miracula & resuscitatio mortuorum testantur, humanum genus aliter, & ad alios fines conditum esse, ac Ecclesiæ patefacta est origo hominum, & causa mortis, & restitutio humani generis.

Est & erit aliqua Ecclesia.

Hæc doctrina humanis opinionibus & illis de materia speculationibus opponenda est, & cogitemus non minus beneficium Dei esse, quòd sese patefecit humano generi tam multis & tam illustrib. testimonijs, quàm ipsam rerum creationem. Quanquàm autem assiduæ & magnæ sunt regnorum ruinæ tamen mansuram esse Dei Ecclesiam, sciamus ex ipsis Dei testimonijs. Vt hanc consolationem teneamus, utile est aliquid de Electione seu de Prædestinatione præcipere.

Mansura est aliqua Electorum Ecclesia.

Christus inquit Ioan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego noui eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manibus meis. Et Ephe. 1. dicitur, Elegit nos in Christo ante creationem mundi. Et 2. Timoth. 2. Fundamentum Dei stat firmiter, habens hoc sigillum, nouit Dominos suos.

Mansura est igitur semper aliqua Electorum Ecclesia, quam Deus mirabiliter etiam in hac uita seruat, defendit & gubernat, sicut Iesaiæ 46. dicitur: Portamini in utero meo, gestamini in meo aluo, usq; ad senectam ego portabo, id est, etiam ultimis tristissimis temporib. ego senescentem Ecclesiam portabo, ego feci, ego feram, ego gestabo & saluabo, &c. Talibus sententijs ac promissionibus consolemur nos, cùm in his confusionibus & ruinis imperiorum soliciti quærimus, ubi mansura sit Ecclesia.

Semper autem disputatum est de causa Electionis, Sicut fratres duo Cain & Abel disputarunt cur alter alteri prælatus sit. Disputarunt idem Esau & Iacob, ac plerunq; hi, qui nihil nisi rationis aut Legis doctrinam norunt, cogitant de iudice humano, causam electionis Legem esse, seu nostra merita & dignitatem. Sic Iudæi sentiebant, sic scripserunt plerique Sententiarij. Sed nos teneamus has tres hypotheses.

De causis electionis tenendæ tres hypotheses.

Prima est. Nec ex ratione, nec ex Lege iudicandum est de Electione, sed ex Euangelio.

Altera est: Totus numerus saluandorum propter Christum electus est. Quare nisi complectamur agnitionem Christi, non potest de Electione dici.

Tertia est. Non aliam iustificationis, aliam Electionis causam quæramus. Ideò Petrus est electus, quia est membrum Christi, sicut ideò iustus est, id est, Deo placens, quia fide factus est membrum Christi. Vt igitur cùm de iu-

Eadem causa iustificationis quæ electionis gratia seu misericordia.

ſtificatione loquimur, ab Euangelio, ſeu agnitione uocis Euangeliȝ ordimur, ſic de Electione dicturi complectamur uocem Euangeliȝ. Sic nobis iudicandum eſt, qui ā Chriſti agnitione & Euangelio ordiri debemus.

Quæramus ergo promiſſionem, in qua uoluntatem ſuam expreſſit Deus, & ſciamus non eſſe aliam uoluntatem quęrendam de gratia extra uerbum, ſed mandatum Dei immutabile eſſe, ut audiamus Filium, ſicut dixit, Hunc audite. Hæc uox promiſſiones omnes complectitur. Sit igitur infixum animis, & in quotidiana inuocatione ſemper cogitetur mandatum Dei æternum & immutabile eſſe, ut promiſſioni gratiæ credamus, quæ eſt ſumma Euangeliȝ, ſicut perpetuo conſenſu docent Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli, ut Ioan:3. dicitur: Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat.

Mandatum eſt æternum ut promiſſioni credamus, quæ eſt uniuerſalis.

Et Ioan:6. Hæc eſt uoluntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat uitam æternam.

Deniqȝ hæc propria & præcipua uox eſt Euangeliȝ. Vt autem prædicatio Pœnitentiæ uniuerſalis eſt, & omnes arguit, ut Rom:3. clarē dicitur: Ita & promiſſio Gratiæ eſt uniuerſalis, ut multa dicta teſtantur.

Matth:11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis. Ioan:3. Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat. Rom:3. Iuſticia Dei per fidem Ieſu Chriſti, quæ eſt in omnes, & ſuper omnes credentes. Rom:10. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum. Rom:11. Concluſit Deus omnes ſub inobedientiam, ut omnium miſereatur, id eſt, arguit omnium inobedientiam, omnes uocat ad pœnitentiam, rurſus etiam omnibus miſericordiam offert. Sic & Ieſaias in utraqȝ concione ponit uniuerſales particulas cap:53. Omnes nos quaſi Oues errauimus, & poſuit Dominus in eo iniquitates Omnium noſtrum. Actor:10. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eū. Act:13. In hoc omnis qui credit, iuſtificatur. Sic intelligantur ſimpliciter & hęc dicta, Deus uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis peruenire. Actor:10. Non eſt acceptor perſonarum Deus. Deut:10. Deus potens & terribilis non accipit perſonam, & ſæpē alibi. Cūm enim ſit iuſtus Deus, eſt æqualis æqualibus. Omnes arguit propter peccatum: Econtrà omnes qui confugiunt ad Filium, recipit.

Promiſſio non tantùm eſt uniuerſalis, ſed & gratuita.

Poſtquām conſtitutum eſt, promiſſionem eſſe uniuerſalem, illud etiam ſciendum eſt, gratuitam eſſe, id eſt, recipi nos propter filium Dei, non propter noſtram dignitatem, &c. Omnes ſumus rei, & ut Pauli uerbo utar, Omnes concluſi ſumus ſub peccatum, & Paulus ſæpē ac diligenter inculcat particulam Gratis. Tradidit igitur promiſſionem ſtatim primis Parentibus, & ſæpē inſtaurauit, & latē ſparſit. Imō per Apoſtolos circumtulit inter omnes gentes, quia uult Eccleſiam æternam Filio colligi. Cauſam igitur reprobationis certum eſt hanc eſſe, uidelicet peccatum in hominibus, qui prorſus non audiunt nec accipiunt Euangelium, aut qui abȝiciunt fidem antequām hinc diſcedunt.

Cauſa reprobationis peccatum hominū

In his certum eſt cauſſam eſſe reprobationis peccatum ipſorum, & humanam uoluntatem. Nam ueriſſima eſt ſententia, Deum non eſſe cauſam peccati nec uelle peccatum. Nota eſt enim uox Pſalmi, Non Deus uolens iniquitatem tu es. Et Oſeę 13. dicitur, Perditio tua eſt Iſraël. Tantum in me auxilium tuum eſt. Saul uolens effudit Spiritum ſanctum, uolens mouenti Spiritui ſancto repugnauit.

gnauit. Hæc de causa reiectionis seu reprobationis certa sunt, Promissio enim requirit fidem. Econtrā uerō rectē dicitur, causam electionis esse misericordiam in uoluntate Dei, qui non uult perire totum genus humanum, sed propter Filium colligit & seruat Ecclesiam. Hoc uult Paulus, cùm cap: 9. ad Romanos citat dictum, Misereor cuius misereor. Negat propter legem, propter prærogatiuam generis, homines electos esse, ut fiat illustrius, propter Filium electam & conditam esse Ecclesiam, sed tamen in accipiente concurrere oportet apprehensionem promissionis, seu agnitionem Christi. Nam ideò electi sumus, quia efficimur membra Christi. Ergo in iustificatione diximus, aliquam esse in accipiente causam, non dignitatem, sed quia promissionem apprehendit, cum qua Spiritus sanctus simul est efficax, ut Paulus inquit, Fides ex auditu est, ita de electione à posteriore iudicamus, uidelicet haud dubiē electos esse eos, qui misericordiam propter Christum promissam fide apprehendunt, nec abijciunt eam fiduciam ad extremum.

De electione iudicandum à posteriore.

Sic cùm Ioan: 6. dictum esset, Nemo uenit ad me, nisi Pater traxerit eum, sequitur statim, Omnis qui audit ā Patre, & discit, uenit ad me. Orditur Deus, & trahit uerbo suo & Spiritu sancto, sed audire nos oportet & discere, id est, apprehendere promissionem, & assentiri, non repugnare, non indulgere diffidentiæ & dubitationi.

Etsi autem multa disputantur durius, tamen quantacunq; moles disputationum cumulatur, necesse est in uero agone ad hanc arcam confugere, uidelicet, quōd de uoluntate Dei iudicandum sit ex uerbo expresso, & quòd promissio sit uniuersalis, & quōd sit mandatum Dei æternum & immutabile, audire Filium, & assentiri promissioni. Obtemperemus igitur, nec uagentur animi, nec se mergant in tenebras, quærentes electionem extra uerbum, & relicto Christo, & omisso mandato de amplectenda promissione, sed teneamus certō, nec dubitemus Deum uerē patefecisse uoluntatem suam in promissione, & uerē præstare quod promisit.

Ad quæ necesse sit confugere in uero agone.

Statuamus promissionem gratiæ non inanem fabulam esse, sed uera fide erecti petamus beneficia, & præstari ea nobis statuamus, quæ in promissione proposita sunt. Hæc fides crescat in quotidiana inuocatione, sicut scriptum est, Petite & accipietis. Item, Quantō magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus, non ait contemnentibus, aut repugnantibus, sed agnoscentibus miseriam, & quærentibus auxilium. Item, Habenti dabitur. Item, Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Et Philippen: 1. Qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; ad diem Iesu Christi, id est, adiuuamur ā Deo, sed nos oportet audire uerbum Dei, non repugnare Deo trahenti.

Sic & dulcissima promissio traditur ad Philip: 2. Deus est qui efficit in uobis ut uelitis, & ut perficiatis, ut ipsi grata fiant. Deus trahit mentes ut uelint, sed assentiri nos, non repugnare oportet, & promittit se affuturum nobis, ut perficiatur incoata salus, ut aliqua bona fiant inter homines ipsi grata, quasi diceret, In mundo furenter ruunt Diaboli, & eorum organa, ut faciant ingrata Deo, confirment Epicureos furores, idola, oppressionem Euangelij, iniusta bella, flagitiosas libidines, furta, mendacia, quæ iram Dei irritant: At ne totum genus humanum ad perniciem conditum sit, oportet aliqua fieri Deo grata & placentia. Hæc fiunt pijs in Ecclesia, uidelicet uera Dei inuocatio, fiducia Christi, gratiarum actio; propagatio Euangelij, tolerantia in cruce, iusticia erga proximos

ximos,amor castitatis,ueritatis,pacis & aliæ uirtutes. Et hæc bona fiunt à petentibus,ut dictum est, Dabit Spiritum sanctum petentibus.

Ad Ephes:1.dicitur: Elegit nos in Christo, ut doceat nos causam electionis esse non nostram dignitatem,sed Christum, ne remoto Christo & Euangelio, de electione cogitemus, sed causam electionis in promissione Christi quæramus.Item Rom:8. Quos elegit hos & uocauit.Dulcem, salutarem, & multiplicem consolationem continet hæc sententia, quæ tamen uelut inanis ab ociosis lectoribus præteritur.

In dicto Pauli, Quos elegit hos & uocauit, Triplex inest consolatio.

I. Prima consolatio est, quòd affirmat nusquàm esse electos nisi in cœtu uocatorum. Vocati sunt autem soli hi, qui audiunt, discunt, & profitentur Euangelium. Hic uisibilis cœtus est Ecclesia, in qua semper necesse est aliquos esse electos,& hæredes uitæ æternæ. Plurimum autem prodest pijs scire, Ecclesiam electorum in hac uisibili Ecclesia collocatam esse, ut sciamus nos omnes ad uocem & ministerium Euangelij alligatos esse,nec alibi electionem, aut peculiares reuelationes quærendas esse. Commendat igitur nobis hoc dictum curam audiendi & discendi Euangelij,colendi ministerij, & amandæ societatis Ecclesiæ,& affirmat in hoc cœtu uisibili electos esse.

II. Secunda consolatio est,quòd monet hæc sententia non remouendam esse uocationem à consilio electionis. Elegit Deus, qui uocare nos ad Filij agnitionem decreuit, & uult generi humano suam uoluntatem & sua beneficia innotescere.Approbat igitur & eligit obtemperantes uocationi. Quare uocationem intueamur, adsentiamur Euangelio, & non repugnemus ei. Per id enim trahit Deus,& adsentientes certò recipit & adiuuat. Toties enim iam dictum est, Deum efficacem esse per Euangelium.

Ideò Augustinus, quamlibet durus est in hac disputatione, tamen in libro de Prædestinatione & gratia sic scripsit: Eos qui uocationis munus congrua pietate susceperunt,& quantum in homine est,Dei in se dona seruantes, adiuuat.

III. Tertia consolatio est,quòd testatur huic uocato uisibili cœtui uerè adesse Deum,et in hoc cœtu uocato,ac uisibili efficacem esse. Id.n.hæc uerba conuincunt: Quos uocat,hos & iustificat,Quos iustificat,hos & glorificat.Obseruet igitur Lector hic doctrinam de Ecclesia, de præsentia Dei in hac uisibili Ecclesia, de electione, & uocatione coniungenda.

Quare non deflectamus oculos atq; animos à promissione uniuersali, sed in hanc nos ipsos includamus, & sciamus uerè in ea uoluntatem Dei expressam esse,sicut Paulus deducit nos ad uerbum inquiens: Ne dixeris, quis ascendit in cœlum, ne uagentur animi quærentes sine uerbo Dei uoluntatem eius,sed propriè est uerbum in ore tuo, & in corde tuo. Nec caput 9.ad Romanos dissentit ab hac sententia,quam recensui,quod dextrè intellectum dulcissima consolatio est pijs mentibus. Vt.n.tũc Iudaici Pontifices propter ordinariam successionem & legem damnabant Apostolos: Ita nunc Pontifices et cæteri, qui defendunt eorũ errores propter titulum seu successionem ordinariam, ut uocant, iactitant se esse ueram Dei Ecclesiam, & promissiones ad se transferunt, & dicunt Ecclesiam non posse errare, damnant & occidunt alios, qui Euangelij puritatem amplectuntur, & tanquam seditiosos dicunt bellum inferre Ecclesiæ. Aduersus hanc speciem de successione ordinaria, necessaria est doctrina & consolatio tradita in capite 9. ad Romanos.

Ac du-

Ac duplex consolatio proponitur: Docemur quæ sit uera Ecclesia, uidelicet cœtus credens in filium Dei, & præmonemur hanc Ecclesiam ueram, non alligatam esse ad titulum seu successionem ordinariam Pontificum et collegiorum. Deinde docemur nec Legem esse causam Electionis, sed propter Filium Dei offerri misericordiam omnibus apprehendentibus. Et quidem apertè dicit, causam reprobationis esse pertinaciam aduersus Filium. Quare Israël sectando Legem iusticiæ, non peruenit ad Legem iusticiæ? Quia inquit, non ex fide, sed tanquam ex operib. legis, id est, ideò reiciuntur, quia nolunt audire filium, et assentire promissioni, & prætexunt causam, quia defendunt iusticiam legis, quòd uideatur laxatio disciplinæ fieri, cùm detrahitur gloria operibus.

Duplex consolatio tradita in cap. 9. ad Roman: aduersus speciem de ordinaria successione.

Cùm igitur fascinati errore suo aduersantur Euangelio, causa reprobationis in ipsis est, sicut & postea in cap. 10. clarè dicitur: Tota die expandi manus meas ad populum contradicentem. Hic affirmat Deus offerre se beneficium omnibus, sed contradicentes non accipere. Econtrà dulcissimè dicit, Non est uolentis, neq; currentis, sed Dei miserentis, id est, misericordia est causa electionis, sed hanc oportuit in uerbo reuelari, & uerbum accipi oportet. Ideò expresse proponit uniuersalem, repetita eadem sententia in utroq; capite, Omnis qui credit in Filium, non confundetur. Vult igitur cum misericordia concurrere apprehensionem in accipiente promissionem.

Sciant etiam Studiosi phrasin Hebraicam in illis uerbis, Ego indurabo cor Pharaonis, significare permissionem, Ego sinam indurari. Vt in quotidiana precatione, Ne nos inducas in tentationem. Et occurrunt exempla passim, quæ testantur hac phrasi Hebraica sæpissimè permissionem significari. Magna caligo est in animis hominum, in cogitatione de Deo, ac sine luce diuina homines plerunq; aut habent Epicureas imaginationes, aut Stoicas, id est, magna pars imaginatur homines non curari à Deo. Alij fingunt Deum sedere in cœlo, & scribere fatales Leges, quasi in tabulis Parcarum, secundum quas uelit distribuere uirtutes & uicia, sicut Stoici de fato suo sentiebant, & cogitant fatali motu impelli Paridem & similes. Sed nos abiectis his deliramentis humanæ caliginis, referamus oculos et mentem ad testimonia de Deo proposita: Sciamus Deum esse agens uerè liberum, et tantùm uelle bona, nec uelle peccata, et hanc uoluntatem suam expressisse, ac se patefecisse perspicuis & ingentibus testimonijs, resuscitatione mortuorum & alijs, & alligasse nos ad Euangelium suum, in quo dicit Christus, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos. Liberè & uerè iuxta promissionem recipit confugientes ad Filium, & sinit ruere in horrendam iram aspernantes Filium.

In illis uerbis, Indurabo cor Pharaonis, phrasis Hebraica.

Imaginationes Stoicæ uel Epicureæ de Deo sine uerbo.

Remoueamus igitur à Paulo Stoicas disputationes, quæ fidem & inuocationem euertunt: Quomodo enim potest Saul credere aut inuocare, cùm dubitat promissionem ad se pertinere, aut cùm obrepit illa tabula Parcarum? Iam decretum est te reiciendum esse, non es scriptus in numero electorum, &c. Aduersus has imaginationes discamus uoluntatem Dei ex Euangelio, agnoscamus promissionem esse uniuersalem, ut fides & inuocatio accendi possit.

Cæterùm de effectu electionis teneamus hanc consolationem, Deum uolentem non perire totum genus humanum, semper propter Filium per misericordiam uocare, trahere & colligere Ecclesiam, & recipere assentientes, atq; ita uelle semper aliquam esse suam Ecclesiam, quam adiuuat & saluat, si-

De effectu Electionis.

cut Christus inquit: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego noui eas, & sequuntur me, & uitam æternam do eis, & nemo rapiet eas de manu mea. Hæc de effectu electionis prodest scire, ut statuamus nos exaudiri & iuuari, & sciamus Ecclesiam à Diabolo non posse deleri. Magnum certamen significat hęc uox. Nemo rapiet eas de manu mea. Excitemus igitur fidem, & inuocemus filium Dei seruantem oues suas, quia simul dicit: Audiunt me, & sequuntur me.

DE REGNO CHRISTI.

Regnum Christi est spirituale.

EVangelium clarè docet regnum Christi esse spirituale, hoc est, Christum sedere ad dextram Patris, & interpellare pro nobis, & dare remissionē peccatorum, & Spiritum sanctum Ecclesiæ, hoc est, credentibus in ipsum, & inuocantibus Deum fiducia ipsius, eosq; sanctificare, ut resuscitet eos in nouissimo die ad uitam & gloriam æternam. Et ut hæc beneficia consequamur, ordinatum est ministerium Euangelij, per quod uocantur homines ad agnitionem Christi. Et Spiritus sanctus per Euangelium est efficax, &c. Interim uerō ante nouissimum diem Ecclesia in mundo patietur persecutionem, & erunt mali bonis admixti in Ecclesia. Hæc est uera & germana sententia Euangelij de regno Christi & Ecclesiæ. Estq; execrandus & damnandus error ille Iudaicus, Anabaptistarum, qui fingunt Ecclesiam ante nouissimum diem, politiam quandam mūdanam futuram esse, in qua regnent pij, & armis deleant omnes impios, & occupent omnia imperia, etc. Colligemus itaq; testimonia de spirituali regno, nō solùm ad refutandos fanaticos spiritus, sed etiam, quia prodest has sententias habere in conspectu, ut nos consolentur, & exuscitent ad exercitia spiritualia, ad fidem, ad orationem, ad pœnitentiam. Nam error ille Iudaicus præter cætera incommoda, hoc quoq; habet, quōd obscurat & prorsus obruit consolationes spirituales, & delet exercitia spiritualia, quia mentes humanæ expectantes tantùm illa noua imperia, obliuiscuntur rerum spiritualium, & opprimuntur desperatione, cùm non contingit illud speratum ocium, quod somniarunt.

QVOD REGNVM CHRISTI SIT SPIRITVALE.

Testimonia de regno Christi spirituali.

Iohan: 17. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis uitam æternam: Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Hic Christus testatur suum beneficium, & regnum suum esse uitam æternam. Et definit quid sit uita æterna, uidelicet non aliqua mundana dominatio, sed uera & ardens noticia Dei, & Domini nostri Iesu Christi.

Rom: 8. Qui est in dextra Dei, & interpellat pro nobis ꝛc. Et Esa: 11. Stabit radix Iesse, ipsum gentes deprecabuntur, ꝛc. Hæ sententiæ describunt sacerdotium et regnum Christi, et testantur utrunq; spirituale esse, hoc est, Christum non constituere aliquod mundi imperium, sed apud Patrem pro nobis interpellare, ita regnare ut uelit inuocari, exaudire, sanctificare, custodire Spiritu sancto eos, qui ipsum inuocant, sicut & aliàs scriptum est: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Item, Dabo Legem meam in corda eorum. Hæc beneficia obscurantur, cùm expectamus regnum corporale, etc.

Rom: 8. Cohæredes Christi, siquidem simul patimur, simul etiam glorificabimur. Item, Spe salui facti sumus. Item: Quos præsciuit, hos uult conformes fieri

fieri imaginis filij sui. Item, Propter te mactamur tota die, reputati sumus uelut oues occisionis, etc. Hæ sententiæ testantur, quòd glorificatio non cotingat in hac uita, sed oporteat nos in hac uita afflictiones & persecutionem pati. Matth:16. Si quis uult me sequi, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & me sequatur. Ioan:16. In hoc mundo pressuram habebitis. Et 2. Tim:3. Omnes qui pie uolunt uiuere in Christo, persecutionem patientur. Hæ sententiæ clarissime docent, Ecclesiam in hac uita subiectam esse afflictionibus. Col:3. Vita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Quando Christus manifestabitur, qui est uita uestra, tunc & uos com eo manifestabimini in gloria. 1. Ioan:3. Nunc filij Dei sumus, sed nondum manifestum est quales erimus: Scimus autem quando manifestabitur, similes nos ei futuros esse, quia uidebimus eum quemadmodum est, etc. Docet & hic locus, gloriam regni Christi non esse imperium mundanum, sed spirituale, hoc est, ut resuscitati, habeamus nouam & æternam iustitiam ac uitam, qualis est Christi resuscitati gloria.

Testimonia q̃ Ecclesia in hac uita uersabitur in periculis et afflictionibus.

Item Paulus clarè dicit, Antichristum dominaturum esse usq; ad nouissimum iudicium, in quo ueniens Christus, destruet regnum Antichristi: Igitur uera Ecclesia non occupabit imperia, sed multò magis uersabitur in maximis periculis & afflictionibus. Et 2. Pet:3. dicitur, uẽturos esse postremis temporibus illusores, qui palàm derideant religiones. Erunt igitur qui persequentur Ecclesiam. Et Daniel clarè dicit, Bestias, hoc est, imperia conijci in ignem, cùm apparet Christus ad iudicandum. Durabunt igitur imperia aliqua impia usq; ad nouissimum diem. Ioan: 20. Cùm Christus mittit Apostolos, tantùm dat mandatum docendi, & inquit: Sicut me misit Pater, sic ego mitto uos. Constat autem Christum missum esse ad ministerium Euangelij, nõ ad occupanda imperia mundi, sicut ipse inquit: Regnum meum non est de hoc mundo. Et prohibet Apostolos imperia rapere, cùm ait: Reges Gentium dominantur, uos autem non sic. Item Matth:5. Ego autem præcipio uobis, ne resistatis malo, hoc est, ne prætextu Euangelij, & noui regni constituendi, arma capiatis.

Apostoli missi sunt ad docendum, non ad rapienda imperia.

Sunt igitur missi Apostoli ad ministerium Euangelij, hoc est, ad docendum, non ad rapienda imperia mundi. Ideò & Paulus inquit: Euangelium est ministerium Spiritus, id est, in Euangelio offeruntur bona spiritualia & æterna, non constituimus noua imperia mundi. Et 2. Corinth:10. inquit: Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad demoliendas cogitationes etc. Item 2. Corinth: 5. Pro Christo legatione fungimur, commendantes nos tanquàm Dei ministros, in afflictionibus. Item: Non dominamur fidei uestræ.

Cùm igitur Apostoli tantùm habeant mandatum docendi, impium est sentire, quòd doctores Euangelij debeant armis constituere noua quædam imperia, sicut Iudæi & Anabaptistæ somniant, postremis temporibus regnum Dei in terris tale constituendum esse, in quo sancti dominentur, & armis deleant omnes impios, nec in Ecclesia hypocritas ullos futuros esse. Atq; hoc Iudaicum delirium sæpè in Ecclesiam irrepsit. Fuerunt enim & olim fanatici spiritus Chiliastæ & Pepusiani, qui tale regnum Anabaptisticum somniarunt.

Reliquum est, ut testimonia colligamus, quæ docent in Ecclesia usq; ad nouissimum diem promiscuè futuros bonos & malos. Lucæ 17. Sicut factum est in diebus Loth, sic erit qua die Filius hominis reuelabitur. Item, In illa nocte

Testimonia quòd in Ecclesia usq; ad nouissimum diem sint futuri boni & mali.

erunt duo in lecto uno,unus assumetur,& alter relinquetur.Matt:13. de zizaniijs: Sinite utraq; crescere usq; ad Messem,&c.Et paulò pòst:Messis consummatio seculi est. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala,& eos qui faciunt iniquitatem,etc. Item, Sic erit in consummatione seculi, Exibunt Angeli, & separabunt malos à iustis, & mittent eos in caminum ignis,etc. Hæ sententiæ testantur, non futuram esse separationem sanctorum ab hypocritis, nisi in nouissimo iudicio.

Pastores habent potestatẽ excommunicandi reos manifestorum scelerum.

Præterea & hoc considerandum est:Pastores habere mandatum excommunicandi uerbo,sine ui corporali,reos manifestorum scelerum. Non est humani iudicij corda inspicere,& de illis iudicare,qui non habent manifesta delicta.Ideò Paulus dicit:Aduersus Presbyterum non recipias accusationem nisi testibus adhibitis: Ergo qui non possunt conuinci testimonijs, non debent humano iudicio separari. Impossibile est igitur talem Ecclesiam constituere ante nouissimum diem,in qua nulli sint hypocritæ: Sed Pastores faciant suum officium, purè & fideliter doceant, & Ecclesiæ glorificationem commendent Christo. Interim in hac uita semper erunt Ecclesiæ admixti mali, & multi impij tenebunt imperia mundi,& crudeliter persequentur Ecclesiam usq; ad glorioſum Christi aduentum. Et tamen in his persecutionibus Christus suo consilio aliquas reliquias seruat, ne penitus deleatur Ecclesia. Tale est regnum Christi in hac uita.

Constat & illud: Etiamsi noua aliqua talis Ecclesia futura esset, tamen doctores proprio consilio, sine manifesto mandato Dei non debent arma capere ad talem Ecclesiam constituendam, etc. Quanquàm nec ullum nouum mandatum expectandum est. Non enim edet Christus mandatum contrarium Euangelio.

De obiectionibus Iudæorum & Anabaptistarum ex Prophetis de regno Christi mundano.

Quòd uerò Iudæi & Anabaptistæ citant Prophetas, qui cũm de regno Christi loquuntur, sæpè figuris utuntur, sumtis ab imperijs mundi. Ad hoc primùm respondeo: Euangelium est interpretatio Prophetarum. Cùm igitur Euangelium clarè doceat regnum Christi esse spirituale, afferre bona spiritualia & æterna, nec occupare dominationem in mundo, sed magis pati persecutionem, debemus & Prophetas intelligere iuxta Euangelium. Itaq; Apostoli in Actis, sententias de regno promisso Dauidi, clarè transferunt ad hoc regnum spirituale,subiectum persecutioni,&c. Et Christus reprehendit ipse Apostolos,cùm haberent Iudaicam persuasionem,ac putarent se occupaturos esse mundi imperia.

Prophetæ disertè testantur regnum Christi fore spirituale.

Secundò.Prophetę ipsi quanquãm uarijs utuntur figuris,tamen interim etiam disertè testãtur,regnum Christi fore spirituale.Daniel clarè dicit: Christus occidetur. Et Esaias: Ponet animam suam pro peccato. Ergo non habebit dominationem corporalem in hac uita. Præterea affirmant regnum Christi esse æternum, nulla autem corporalis politia est æterna in hac uita. Ideò figuras corporalis politiæ, quas interdum accommodant ad regnum Christi æternum, necesse est allegoricè intelligi. Atq; id regnum æternum in hac uita, in Spiritu & fide incoatur, & postea durat perpetuò post hanc uitam. Ideò Prophetæ interdum ita loquuntur, ut non discernant tempora huius uitæ & futuræ uitæ. Interdum uerò discernunt, & palàm uaticinantur, Ecclesiam in hac uita passuram esse persecutiones, sicut docet Psalmus 2. Astiterunt reges terræ,& principes conuenerunt in unum,aduersus Dominum,

num,& aduersus Christum eius. Et Palm: 115. Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Et Pſal:71. Precioſus ſanguis eorum coram ipſo. Et ueruſtè deſcribit Eſaias Eccleſiam in hac uita,cap:30. Dabit uobis Dominus panem arctum,& aquam exiguam,& non auferet ultrà à te doctorem tuum, etc. Hic teſtatur Eccleſiam conſeruandam eſſe, ſed tamen inter afflictiones. Daniel apertè uaticinatur de perſecutione ante nouiſſimnm diem: Et docti in populo docebunt plurimos,& ruent in gladio. Et poſtea ſtatim ſequitur: In tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis qui ſcriptus eſt in libro: Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in uitam æternam, alij in opprobrium ſempiternum. Hi loci & ſimiles tenendi ſunt, ut habeamus conſolationem in cruce, & uerè intelligere diſcamus regnum ſpirituale, hoc eſt, quærere conſolationes ſpirituales, & exercere fidem. Et ſatis perſpicuè refutant hi loci Iudaicam & fanaticam perſuaſionem de corporali dominatione Sanctorum in hac uita.

DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

NOn ſolùm doctrina quæ affirmat futuram eſſe hominum mortuorum omnium reſurrectionem,ſecuturum poſtea iudicium,æternam uitam,piorum gloriam æternam,& impiorum pœnas æternas, in Euangelio ſeu prædicatione noui Teſtamenti clarè & perſpicuè ſine ullis inuolucris tradita eſt,ſed res etiam incoata eſt, & initia illius nouæ uitæ, in qua erit noua lux, ſapientia, & iuſticia, ſine peccato & ſine morte, Apoſtolis & reliquo cœtui coniuncto cum Apoſtolis monſtrata ſunt, & palàm ob oculos poſita,cùm Chriſtus poſt mortem reuixit,& alij multi Patres & Prophetæ reſuſcitati ſunt. Id tam miran dum opus non fruſtra propoſitum eſt Eccleſiæ. Voluit Chriſtus hanc ſuam & aliorum reſuſcitationem, & hos familiares congreſſus & colloquia dierum quadraginta apud Apoſtolos, & reliquum cœtum ipſis coniunctum illuſtre & euidens teſtimonium eſſe de reſurrectione & uita æterna. Quod ſi ſæpè cogitaremus,non ſolùm aſſenſus, ſed fides in animis noſtris de hoc articulo confirmaretur, ſed etiam facilius ferremus ærumnas huius uitæ breuiſſimæ & fugaciſſimæ,intuentes in illud iucundiſſimum ſodalitium Chriſti,& reſuſcitatorum. Sublata eſt enim dubitatio tot dierum quadraginta uidelicet conuerſatione, & tot hominum congreſſibus, oculis, complexibus & colloquijs. Non enim cogitemus Chriſtum & cæteros reſuſcitatos, ut fugacia ſpectra, ſi quando Apoſtolos adierunt, ſubitò euaniſſe, ſed crebri ac diuturni congreſſus fuerunt, & familiares ſermones de hoc tanto Dei opere, de inſtauratione humanæ naturæ, de tanta gloria donata nobis per Filium, de propagatione Euangelij inter Gentes. Denicq exhibita ſunt certa uitæ & læticiæ teſtimonia. Nihil ſimile aut maius ullo unquam tempore mundi accidit. Et cùm rem tantam Deus non fruſtra ſpectandam exhibuerit, ſemper hanc ſcholam horum quadraginta dierum intueri nos animo oportebat. Hinc igitur & de multis alijs rebus,& de reſurrectione ac uita æterna teſtimoniũ petamus. Teneamus etiam perſpicua dicta in concionibus Chriſti,ut Matt:25. Venite benedicti Patris mei,poſſidete paratum uobis regnum. Et Ioan:5. Item,6. Hęc eſt aũt uoluntas Patris mei qui miſit me,ut omnis qui uidet Filium,& credit in eum,habeat uitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Et Paulus 1. Cor:15.

Reſurrectio mortuorũ non tantùm in doctrina tradita, ſed reipſa incoata eſt reſurrectione Chriſti.

Teſtimonia ſcripturæ de reſurrectione mortuorum.

acriter

acriter propugnat,& splendidè illustrat hunc articulum.Cùm autem dicta in scriptis Apostolicis nota sint,colligemus uetusta Prophetarum testimonia,ut perpetua Ecclesiæ Patrum, Prophetarum & Apostolorum sententia de hoc Articulo, & consensus uniuersæ Ecclesiæ Dei conspiciatur.

Esai:26. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, Expergiscimini & lætamini, qui habitatis in puluere, quia ros tuus erit uelut ros pratorum, & terra mortuos ejiciet. Vade populus meus intra cubicula tua,claude ostia tua, abscondere modicum ad momentum, donec transeat indignatio mea. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut dissipet iniquitatem habitantium terram contra eos, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet ultrā interfectos suos. Hæc concio clarissimè loquitur de resuscitandis mortuis, de gaudijs sanctorum, de pœnis impiorum, & de præsenti afflictione Ecclesiæ. Quare diligenter consideranda est,Mortui tui (inquit) uiuent. Vocat sanctos mortuos Dei, ut significet Ecclesiam hic affligi propter Deum, Q. d. Filij tui & interfecti propter te,& qui tibi curæ sunt, iterum uiuent.Qualis autem erit uita æterna? Lætamini inquit,hoc est, pñ perpetua lætitia,perfecta agnitione Dei,& perfecta iustitia, sine peccato & morte, semper uirebunt & florebunt, sicut prata reuirescunt rore. Deinde aspergit consolationem de afflictionibus.Sed aliquantisper oportet Ecclesiam affligi,& mortem perpeti,Erunt inclusi uelut in cubiculo, scilicet, quia seruabuntur in Ecclesia & uerbo usqꝫ ad iudicium. Postea concionatur de pœnis impiorum, & repetit sententiam de resurrectione : Non operiet terra ultrà interfectos suos,&c.

Esa:66.Sicut cœli noui &terra noua,dicit Dominus,sic stabit semen uestrum, & nomen uestrum coram me. Et erit Mensis ex Mense, Sabbatum ex Sabbato, & ueniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur & uidebunt cadauera uirorum, qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt usqꝫ ad satietatem uisionis omni carni. Describit & hic locus utrunqꝫ, pœnas æternas impiorum,gaudia iustorum.Et qualis sit uita æterna,docet, cùm ait, Perpetuos menses & perpetuum Sabbatum fore, hoc est, perpetuum festum diem, ut perpetuò adorent Dominum omnes sancti. Erit ergo uita æterna perpetua adoratio,id est,Dei cognitio & iustitia sine peccato & sine morte.

Esai: 65. Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendet super cor, sed gaudebitis & exultabitis in sempiternum,cū his quæ creo.Quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium.Et exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in ea ultrà uox fletus & uox clamoris. Non erit ibi amplius infans, qui non adolescat. Aut senex qui non perueniat ad maiorem ætatem.Nam puer centum annorum morietur,& peccator centum annorum maledictus erit.

Sententiæ de resurrectione mortuorū aliæ alijs clariores.

Aliæ sententiæ alijs planiores sunt. Sed tamen hæc quoqꝫ testatur futuram renouationem totius creaturæ, & pios habituros esse perpetua gaudia. Non audietur in ea ultrà uox fletus, &c. Ergo erunt sine peccato & morte. Item, Infantes & Senes perpetuò uiuent. Sed pueri centum annorum, & peccatores centum annorum, hoc est, illi qui perseuerant in impietate,dabunt pœnas. Et quia hi loci docent Ecclesiam futuram esse in afflictionibus ante resurrectionem,et primùm glorificandam post resurrectionem,et post renouationem

tionem

tionem uniuersæ creaturæ, clarè testantur Prophetæ, regnum Christi spirituale esse, nec esse politiam mundi ante resurrectionem, qualem Iudæi et Anabaptistæ fingunt.

Esai: 25. Et deuorabitur in monte hoc facies inuolutorum, qua omnes populi inuoluti sunt, & operimentum, quo omnes gentes coopertæ sunt. Et mors deuorabitur omnino, & absterget Dominus Deus omnem lacrimam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de uniuersa terra.

Docet & hic locus clarè, mortem abolendam esse, & populum Dei liberandum esse ab opprobrio & lacrimis, hoc est, à peccato, morte & persecutionibus. Quòd autem initiò dicit, Facies inuolutorum, etiam intelligit mortem. Quia mortui solebant inuolui pannis, cùm sepeliebantur: Hæc inuolucra tollentur, id est, mors tolletur.

Esai: 24. Et erit in die illa, uisitabit Dominus super militiam cœli, & super reges terræ. Et congregabuntur congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere. Et post multos dies uisitabuntur, & erubescet Luna, & confundetur Sol, cùm regnabit Dominus, &c.

Esai: 35. Qui liberati fuerint, & redemti à Domino, uenient in Zion cum laude & lætitia sempiterna.

Esai: 9. Christus uocatur Pater æternitatis, hoc est, Autor perpetuæ uitæ.

Daniel: 12. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in uitam æternam, alij in opprobrium, ut uideant semper.

Ose: 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.

Ezech: 37. Ecce ego aperiam tumulos uestros, & educam uos de sepulcris uestris populus meus &c.

Huc pertinet & hæc sententia Ezech: 33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Pertinent ex Prophetis huc omnes sententiæ, de æterno regno Christi & Sanctorum.

Ex Psal: 15. Caro mea requiescet in spe. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Cùm enim Propheta de Christo loquitur, etiam membra Christi complectitur. Scit enim per Christum destrui regnum peccati & mortis.

Psal: 21. Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, Viuent corda eorum in seculum seculi.

Psal: 33. Mors peccatorum pessima. Ergo etiam cùm peccatores in hac uita non puniuntur, necesse est eos postea puniri.

Et econtrà Psal: 115. Preciosa in cõspectu Domini mors sanctorum eius. Ergo sanctis benè erit post hanc uitam. Eodem pertinet locus: Multæ tribulationes iustorum, sed ex his omnibus liberabit eos Dominus.

Psal: 48. Conferuntur impij fortunati, & pij afflicti. Hic docet in morte mutari utrorumq; conditionem. De impijs dicit: Velut oues in fouea ponuntur, & mors depascet eos, usq; in æternum non uidebunt lumen. Econtrà de pijs dicit: Veruntamen Deus redimet animam de manu inferni, cùm acceperit me. Eodem pertinet collatio in Psal: 4. Ipsi abundant frumento & uino. In pace in id ipsum dormiam & requiescam.

Huc etiam pertinent omnes sententiæ de æterno regno Christi. Iob 19.

Scio

Scio quod Redemtor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum,& rursus circumdabor pelle mea,& in carne mea uidebo DEVM,quem uisurus sum ego ipse,& oculi mei conspecturi sunt,& non alius.Hic est insignis locus, qui testatur uerè nos eadem corpora recepturos esse, sed renouata, sicut Paulus docet &c.Item docet qualis sit uita æterna, scilicet noticia Dei, &c.

Ex Mose argumentatur Christus : Ego sum Deus Abraham, &c. Ergo Abraham uiuit. Quia Deus non curat ea quæ nihil sunt.

Et ratiocinari similiter ex promissionibus & exemplis firmissimè possumus, in quibus hic articulus de æterna uita, quasi inuolutus est. Vt Deus promisit se seruaturum esse Abraham & alios Sanctos. Ego sum protector tuus, &c. At sancti in hac uita sunt afflictissimi & uidentur deserti, cùm tamen uerè curæ sint Deo. Ergo restat alia uita & ingens gloria, qua glorificabuntur post hanc uitam, in quam intuentes cogitent omnes iniurias, ærumnas, calamitates contemnendas esse, & nullo modo conferandas ad illud ingens præmium.

Item in prima concione dicitur Gen. 4. Si benefeceris, recipies. Si malè egeris,peccatum tuum quiescet,donec reuelabitur. Ergo necesse est restare aliam uitam,in qua Abel recipiat præmium. Sequitur & hoc, restare aliquod iudicium omnium peccatorum, atqꝫ illorum etiam, quæ in hac uita non sunt punita. Et huius uniuersalis iudicij exemplum est diluuium. Item Sodomorum conflagratio,& similes historiæ,quòd Deus haud dubiè puniturus sit omnium peccata.

Item prima promissio Genes: 3. uaticinatur de abolendo regno Diaboli, hoc est, de abolendo peccato et morte. Ergo natura hominis renouabitur. Et Iacob uaticinatur de Saluatore omnium Gentium, quem intelligebant Patres autorem fore non alicuius corporalis regni,sed iusticiæ et uitæ æternæ. Videbant Ecclesiam in hac uita futuram in reliquijs peccati & afflictionibus, sicut uiderant interfici Abel,et Abraham iussus est filium tanquam hostiam mactare. In hoc typo satis intellexit illud Semen,quod promissum erat, futuram esse hostiam.

Enoch & Elias uiui translati sunt ad Deum, ut textus de Enoch, clarè dicit, Hæc facta certè sunt manifesta testimonia uitæ æternæ. Nam si extinguerentur,non essent apud Deum. Versari enim apud Deum, est uiuere quadam diuina uita apud Deum. Hæc igitur exempla plus ualent, quàm si promissio uerbis tantùm sine exemplis proposita esset. Nec dubium est,quin sancti Patres copiosè explicarint,cùm promissiones,tùm hæc exempla.

Testantur & Angelorum colloquia cum Abraham & cæteris Patribus, aliam esse uitam.Et significant Angeli,nos socios esse illius æternæ uitæ,in qua sunt ipsi,quia nos curant & defendunt &c.In Numero 23.dicit Balaam.Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Et 24. Videbo eum,sed non modò : Intuebor eum, sed non propè.

DE SPIRITV ET LITERA.

COgitantibus de discrimine ueteris & noui Testamenti,de Litera & de Spiritu,omnia sunt illustriora,cùm mente intuemur consummationem liberationis nostræ, ut suprà diximus. Cùm cogitamus resurrectionem Christi & aliorum

& aliorum resuscitatorum, qui tunc noua et perpetua gloria donati sunt, in his ipsis resuscitatis uidemus Euangelium, lucem, sapientiam, iusticiam & uitam perpetuam adferre, non ostendere umbras morituras.

Litera igitur significat doctrinam quamcunq; , cogitationes, assuefactiones, disciplinam, & bonas intentiones, sine Spiritu sancto, id est, sine uero timore, & sine uera fide seu fiducia consolante mentes, sine agnitione & inuocatione Christi. *Litera.*

Econtrã, Spiritus significat uerẽ Spiritum sanctum incoantem, & deinde perficientem in cordibus nouam lucem, sapientiam, iusticiam, & uitam perpetuam placentem Deo, & motibus Spiritus sancti ardentem, uidelicet timore, fide, inuocatione, dilectione, & in uita æterna fruentem conspectu Dei & celebrantem Deum. Denicq; ut Petrus inquit, significat societatem diuinæ naturæ, sicut scriptum est: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Illustris enim Emphasis est in particula, cùm ait, De Spiritu meo: Meo inquam, qui à uoluntate æterni Patris & Filij procedit, & accendit lucem, sapientiam, iusticiam, & uitam congruentem uoluntati diuinæ. Sic de Spiritu loquitur Paulus, cùm ait: Nos reuelata facie spectantes gloriam Domini, in eandem imaginem transformamur, tanquàm à Domini Spiritu. Id est, cùm experimur agnita ira Dei, & rursus erigimur consolatione, et fide acquiescimus, agnoscentes misericordiam propter Christum donatam, uerẽ cùm Deo agimus, sentimus iram & misericordiam, & luce noua à Spiritu sancto perfundimur. Cùm Saul Hypocrita, & Dauid renatus, similia externa opera faciunt seu moralia, seu ceremoniarum, seu politica, regia & forensia, tamen in mente dissimilitudo est. In Saule hypocrita cogitatio de bono opere et ipsa actio, sunt literæ mortuæ & umbræ, id est, Mens est sine uero sensu timoris Dei, sine consolatione erigente animum fiducia præsentiæ & auxilij diuini: Sed dubitat, an à Deo respiciatur, exaudiatur, iuuetur. Hæ cogitationes sunt sine luce diuina, & pugnantes cum luce fidei. Ideò sunt umbræ morituræ. At in Dauide, seu belligerante, seu sacrificante, semper est sensus timoris Dei, & fidei consolantis animum, ac statuentis uerẽ Deum adesse, gubernare & adiuuare hanc uocationem: Hi motus oriuntur à Spiritu sancto, & uerè agnoscunt Deum: Nec sunt fugaces & morituræ umbræ, sed sunt incoatio uitæ æternæ. Et hanc lucem accendi & augeri petit, cùm inquit: Cor mundum in me crea Deus, id est, cor rectè de Deo sentiens, agnoscens iram Dei & promissam misericordiam, statuens uerè nos respici, exaudiri, iuuari, protegi & seruari. Et spiritum rectum, id est, firmum, innoua in uisceribus meis, id est, sit firma hæc lux de Deo, non extinguatur Diaboli præstigijs, cogitationibus Epicureis, aut Academicis, sicut multi sapientes merguntur in æternas dubitationes. *Locus Pauli, de spiritu & Litera.* *Motus Spiritus sancti sunt incoatio uitæ æternæ.*

Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum ne auferas ã me, id est, Spiritu sancto tuo guberna consilia & omnes motus meos, & accende in me motus congruentes Legi tuæ, timorem, fidem, dilectionem Dei, tolerantiam, industriam in uocatione &c.

Redde mihi læticiam salutaris tui, id est, sustenta me tua consolatione in ærumnis, ne pauoribus aut doloribus fractus peream. Spiritu spontaneo confirma me, id est, largiaris mihi robur in afflictionibus, ut sustinere eas possim, & tibi uolens obtemperem, non deficiam à te fremens, ac dubitans de tua misericordia, sicut Saul. Sic petit ordine, primùm lucem, qua uerẽ agnoscat Deum, &

um, & eius agnitionis infirmitatem. Deinde renouationem, & gubernationem in actionibus. Postea consolationem & sustentationem in ærumnis.

Cùm igitur hæc lux in mente Dauidis accensa est, omnes eius bonæ actiones, interiores & exteriores, morales, politicæ & ceremoniæ, sunt actiones Spiritus sancti, non sunt Literæ aut umbræ.

Econtrà in Hypocrita Saule, qui est sine luce Spiritus sancti, oppressus dubitationibus hypocriticis seu Academicis, omnes actiones interiores et exteriores, bonæ intentiones & opera seu moralia, seu politica, seu ceremoniæ, sunt Literæ & umbræ morientes, nec incoantes uitam æternam.

Locus ad Corinthios de Litera & Spiritu.

Hæc est Pauli sententia 2. Corinth. 3. cùm Legem uocat Literam ac ministerium mortis. Euangelium uerò ministerium Spiritus. Sentit enim sine notitia Euangelij, Legem tantùm aut disciplinam Philosophicam aut terrores efficere. At disciplina, id est, iusticia humanæ rationis, ut Pomponij Attici, aut Hypocritarum sine uero timore Dei, & uera fide inuocante Deum, agnitione Christi, nihil est nisi Litera, hoc est, umbra non adferens uitam. De terroribus, ut in Saule manifestum est, mentes perterrefactas agnitione iræ Dei, cùm non eriguntur uoce Euangelij, fugere Deum & ruere in desperationem & æternum exitium.

Lex est litera & ministeriũ mortis.

Euangelium ministerium Spiritus.

At Euangelium est ministerium Spiritus. Hac uoce nihil dulcius ac gratius cogitari potest. Manifestè adfirmat per Euangelij prædicationem dari Spiritum sanctum, sicut ad Galatas dicit: Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Cùm mentes perterrefactæ audiunt uocem Euangelij, & credunt propter Mediatorem uerè remitti peccata, concipitur Spiritus sanctus, & noua lux & uita in cordibus accenditur, sicut apud Zachariam scriptum est. Effundam super eos Spiritũ gratiæ & precum, id est, mea consolatione erigam eos, & adiuuabo Spiritu sancto, ut agnoscãt se receptos esse in gratiam, et recepti inuocent Deum, & ei obtemperent. Sed Paulus disertè dicit, dari Spiritum sanctum per fidem, seu credentibus. Quare ijs qui non expauescunt sensu iræ Dei, nec credunt uoci Euangelij, sed manent in contemtu Dei, aut dubitatione, Euangelium tantùm est litera & umbra sine effectu.

Deliramenta Origenis.

Explodantur ergo deliramenta Origenis, qui literam ait esse sensum Grammaticum in descriptione ceremoniarum & historiarum: Spiritum uerò, allegoricam interpretationem ceremoniarum & historiarum. Hanc secutus hypothesin, postea nimis magna licentia, & profectò non concedenda in Ecclesia, lusit fingendis interpretationibus, ferè ut pictores ludunt cùm pingunt Chimæras, Scyllas, Centauros.

Vna est sententia natiua orationis Propheticæ & Apostolicæ in singulis membris, quam phrasis dextrè intellecta iuxta præcepta harum communium artium, quæ loquendi rationem monstrant, gignit. Postea ipsi ritus aut historiæ sunt interdum imagines aliarum rerum, aut exempla: Vt Agnus pascatos fuit signum uenturę mactationis Christi. Daniel seruatus inter Leones, exemplum est multorum doctorum & uniuersæ Ecclesiæ, quæ simili Dei beneficio intra grassantes Tyrannos tegitur. Hæ collationes sunt allegoricæ interpretationes, quas aptè & concinnè instituere, magnæ eruditionis, prudentiæ & consilij est, & tamen ut leges nõ figuratæ, sine ardentibus motibus à Spiritu sancto accensis, sunt literæ & umbræ. Sic hæ allegoricæ interpretationes sine motibus illis, sunt doctrinæ ac literæ.

In ritibus et historijs interdũ imagines aut exempla.

Quõd

Quòd enim Paulus dixit Rom: 7. Legem esse spiritualem, manifestè de morali loquitur, nec uult eam transformari in allegorias, sed uocat spiritualem, quòd sit iudicium Dei spirituale, non tantùm politica disciplina, id est, Leges Solonis & similes concionantur de externa disciplina: At Lex Dei postulat ardentes motus spirituales, agnitionem, timorem, fiduciam, dilectionem Dei, denicp obedientiam perfectam. Et econtrà iudicium Dei est, & horribile ministerium irę diuinæ opprimentis omnes homines, non tantùm propter externa delicta, sed etiam propter interiores tenebras & immundiciem. De hoc horrendo iudicio loquitur Paulus, nõ de Origenicis allegoriis aut fabellis. Dolendum est grauissimam doctrinam & Ecclesiæ propriam de usu Legis, de ministerio Euangelij, de fide, de donatione Spiritus sancti, de ueris fidei exercitijs in inuocatione, deq; motibus à Spiritu sancto accensis, obscuratam et obrutam esse illis somnijs Origenis, non rectè interpretantis Literam & Spiritum.

Lex Dei spiritualis, quæ & quomodo.

Semper omnibus temporibus omnis doctrina seu Legis, seu Euangelij, non renascentibus tantùm est Litera, & fugax umbra, hoc est, non adferens eis nouam & æternam lucem & uitam. At Euangelij promissio omnibus temporibus fuit ministerium Spiritus credentibus, seu fide renascentibus: Quia cùm accipitur donata reconciliatio propter Mediatorem, & accenditur fides, Spiritus sanctus nouam & æternam lucem & uitam in nobis incoat, ut Roman: 8. dicitur, Sensus Spiritus uita est & pax. Valdè autem prodest in hoc ipso articulo considerare ministerij Euangelici uim & dignitatem. Clarè affirmat hic locus 2. Corinth: 3. per Euangelium dari Spiritum sanctum. Non igitur alias reuelationes aut Enthusiasmos sine Euangelio quæramus, sed acquiescamus in ipsa Euangelij promissione, quod cùm facimus, certum est Spiritum sanctum efficacem esse.

Doctrina seu Legis seu Euangelij non renascentibus est litera.

Cæterùm de disciplina suo loco dictum est, omnes homines non renatos, aut imbecilles, coërcendos & ad uirtutem assuefaciendos esse disciplina, iuxta Legem Dei, quæ ad nos pertinet. Et causas alibi quatuor commemoraui, quarum prima est, quia necesse sit Deo præcipienti disciplinam, obedire. Secunda est, ut uitemus pœnas, quia Deus uiolationem disciplinæ horribiliter punit, ut omnes mundi calamitates ostendunt. Tertia est, quia reliquis hominibus opus est tranquillitate, Nõ enim tantùm nobis uiuere putemus. Quarta est grauissima, quòd uidelicet Lex est Pædagogus in Christum, Est autem Pædagogi officium, non solùm coërcere, sed etiam docere. Commendat igitur nobis hæc descriptio Legem, uult eam proponi, ut doceat nos de ira Dei, de bonis operibus, assuefaciat nos ad bonos mores, ad studium cognoscendæ doctrinæ de Deo, coërceat etiam teneros animos metu pœnarum, sed illa magna laus est, quòd hac disciplina ait uocari nos ad Christũ, non quòd mereatur disciplina remissionem peccatorum, sed quòd Christus non sit efficax in contemtoribus disciplinæ qui perseuerant in uiolatione disciplinæ contra conscientiam. Hæc suprà copiosius exposita sunt.

Disciplina necessaria est propter quatuor causas.

DE CALAMITATIBVS ET DE CRVCE, ET DE VERIS CONSOLATIONIBVS.

ETsi omnium sapientum cogitationes & eloquentiam in Ecclesia & apud Ethnicos consumtam esse apparet in deploratione humanarum miseria-

rum,tamen omnes confessi sunt magnitudinem huius tristissimi oneris, quod uniuersa humana natura sustinet,comprehendi non posse.

Quantum est horribilium exemplorum in Tragœdijs & Historijs, quæ quidem ideò recitantur,ut admoniti de nostra fragilitate, simus modestiores,nec accersamus nobis pericula & pœnas stultis cupiditatibus.Nec minus tamen exemplorum indoctis quotidiana uita monstrat. Ac de causa, cur hæc hominum natura, quæ antecellit cæteris animantibus, tantis miserijs subiecta sit,Sapientes semper disputarunt,unde mors sit, unde tot morbi, unde corporum exitia non accersita nostris consilijs, unde in imperijs tantæ confusiones, mutationes,ruinæ,pestilentiæ,fame necati populi,mersæ urbes dehiscente terra,diluuijs totæ gentes obrutæ,magnæ urbes subitis incendijs prorsus deletæ, denicq; alia multa sunt tristia,quæ uel multis uel singulis accidunt sine ipsorum consilio.

De causis miseriarum humanarum semper quæsiuerũt sapientes.

Philosophi causas miseriarũ quærunt in materia, positu stellarum ac uoluntate hominis.

Philosophi quærunt causam in materia, quam aiunt ruere æterno impetu ad alias formas,ac appetere uices. Hinc extruxit Aristoteles suum illud dogma,de priuatione in materia.Nec dubito motum esse primum humanę mortis & miseriarum cogitatione. Deinde assiduis uicibus,quas uidemus omnes, generationum & corruptionum,plantarum et animantium omnium. Has incomprehensibiles uices cogitauit ita ruere, ire & redire propter uagas in materia priuationes seu appetitiones.

Deinde accesserunt & alij Philosophi,qui addiderunt causas efficientes, scilicet stellarum concursus ac positus,qui materiam uariè temperant. Vnde illa sunt apud Manilium:

Omniaq; ad numen cœli faciemq; moueri,
Sideribus varijs mutantibus ordine fata.

Ita quęrunt Philosophi in densa caligine mortis humanæ causas.Nec falsum est illud Menandri,quanquãm αὐτόματα mala sint infinita,tamen lõgè plura esse ἐκούσια, id est,quorum causa est,aut error in iudicando,aut uoluntas recto iudicio contumax. Vt Pompeius errore accendit bellum ciuile: Paris uolens rapit Helenam,atq; ita bellum attrahit in Asiam. Homicida uoluntario scelere accersit sibi pœnam. Dauid uolens rapit alterius coniugem, & sibi ac uniuersæ Genti horribiles calamitates accersit. Huius generis exempla uelle numerare,perinde est,ac si uelis arenas omnium aquarum numerare.

Doctrina Ecclesiæ mõstrat causas miseriarum.

Ac de uoluntarijs aliquo modo uident causam Philosophi, sed de autoritatis hominum malis non uident præcipuam causam. De hoc fonte concionatur doctrina Ecclesiæ tradita ab initio uoce Dei, & propagata per Patres, Prophetas,Christum & Apostolos. Ideò obseruemus hic discrimen humanæ Philosophiæ & doctrinæ cœlestis.Nec fons tantùm monstratur,sed etiam uerę ac firmæ consolationes & remedia proponuntur.

Contumacia primorum parentum prima causa mortis & calamitatum.

Principalis causa mortis,& plurimarum calamitatum totius generis humani,piorum & impiorum est,prima contumacia primorum parentum, & illa ipsa labes propagata in posteros. Sic dicitur Roman:5.Per peccatum mors intrauit in mundum,& in omnes homines peruasit mors,eò quòd omnes sunt rei. Si natura humana non fuisset auersa à Deo, mansisset in ea uigor uiuificus à Deo inditus naturæ humanæ, nec computruissent homines ut poma, ut floſculi

floſculi, ut pecudes: Sed poſtquām amiſit integritatem, materia languidior facta, pomorum & pecudum naturæ ſimilis eſſe cœpit. Itaq; propter peccatum iratus Deus, ſinit miſeram naturam orbatam ſuo dono, in mortem ruere, ut Pſalm. 89. Defecimus in ira tua &c. Iam ad eandem cauſam morbi & omnia αὐτόματα mala pertinent.

Ex naturæ corruptione quæ mala ſint ſequuta.

Deinde quia poſt hanc naturæ corruptionem, magna eſt caligo in mentibus, & multi errores, magna imbecillitas, multæ cupiditates, & errantes impetus, & contemtus iudicij diuini. Cain, Eſau, etiamſi ex generoſis parentibus nati, & diligenter ad uirtutem inſtituti ſunt, tamen accenduntur prauis cupiditatibus, ambitione, inuidentia. Et quotidie accidit illud quod Græcè dicitur, διὰ ἐπιθυμίας κενοὶ κενὰ λογίζονται. Abſolon, Antonius, & innumerabiles alij ſimiles ſomniant ſe imperijs potituros eſſe. Erroribus igitur & prauis cupiditatibus quæ ſequuntur naturæ deprauationem, adeō cumulamus mala, ut etiam Ethnicus Poëta exclamauerit, lugens humanas miſerias: πλείη γαῖα κακῆς, πλείη δὲ θαλάσσα.

Tertia cauſa incitator Diabolus.

Accedit autem ad noſtros errores, & ad cupiditates noſtras incitator Diabolus, ſpiritus inimicus Deo, & odio Dei ſæuiens in imbecillem naturam hominum. Cumulat igitur αὐτόματα & ἐκδόσια mala, auget furores Caligulæ, Neronis, & ſimilium, ut irritata ira Dei, creſcant pœnæ & miſeriæ.

Quis hos fontes malorum ſatis cogitare poteſt? uidemus in ipſis exemplis, & experiemur in noſtris miſerijs humanas ærumnas triſtiores eſſe, quām ut earum magnitudinem cogitatione complecti, aut uerbis explicare homines poſſint.

Sed difficilius eſt cogitare cauſæ magnitudinem, quantum malum ſit peccatum, quid ſit ira Dei, certa lege punientis ſcelera, quanta ſit rabies Diaboli augentis hominum miſerias. Hæ cauſæ in genere cogitentur de malis graſſantibus in tota natura hominum, in Eccleſia, & in impijs. Sed hic multō difficilior quæſtio oritur: Cūm mors & cęteræ calamitates ſint pœnæ humanorum peccatorum ac ſcelerum, cur multō magis Eccleſia Dei miſerijs onerata eſt, quām impia multitudo? Cur Abel interficitur à fratre? Cur Eſaiam crudeliſſimè ſcindit ſerra Tyrannus Manaſſe? Cur Ieremiam interficit Apryes? Cur Zachariam Pontifices? Cur Baptiſtam Herodes? Cur Chriſtum Pilatus? Denicq; exempla nota ſunt. Plerunq; Eccleſia Dei eſt exiguus cœtus ueræ doctrinæ profeſſionem retinens, & ſuſtinens uarias & ingentes ærumnas communes & peculiares. Iacob amittit coniugem in partu, amittit filium Ioſeph, uagatur miſer ſine certa ſede inter homines improbos & petulantes.

Cur Eccleſia Dei magis ſit onerata quàm impia multitudo.

Et plerunq; imperia tenent prophani Principes ignorantes & contemnentes doctrinam Propheticam & Apoſtolicam, & antecellunt Eccleſiæ, non ſolùm opibus, gloria & uoluptatibus, ſed etiam politicis uirtutibus, ut quot putemus fuiſſe Principes pios, uirtute Alexandro, Pyrrho, Scipioni, aut ſimilibus conferendos?

Cùm autem Eccleſiæ miſeriæ multos moueant, ut ualdē dubitent, an illa pars humani generis curæ ſit Deo, an ſit aliqua Dei Eccleſia, an hi ſoli ſint populus Dei, qui amplectuntur doctrinam Propheticam & Apoſtolicam, an Deus hunc cœtum exaudiat in ærumnis: Denicq; cùm illa ſpectacula triſtia Eccleſiæ impellant multos, ut à Deo deficiant, ut amplectantur Epicureos furores, neceſſe eſt Eccleſiam aduerſus hæc ſcandala præmuniri, & doceri, cur

Ecclesia tantis ærumnis subiecta sit,& quòd tamen exaudiatur,iuuetur,sustentetur, & tandem liberetur. Hæc est sapientia Ecclesiæ propria.

Causæ calamitatum Ecclesiæ.

Primùm igitur causæ impulsiuæ & finales recensendæ, discendæ, sæpè cogitandæ sunt, hæ uidelicet.

Prima.

Prima propter lapsum primorum Parentum,et reliquias peccati hærentis in hac corrupta natura,Ecclesia Dei subiecta est morti corporali, & cæteris ærumnis, ut reliquum totum genus humanum. Roman: cap: octauo, Corpus morti destinatum est propter peccatum, Spiritus autem uita est propter iustitiam.

Secunda.

Secunda,Cùm mundus hanc interiorem immunditiem humanę naturæ, dubitationes de Deo, & neglectionem Dei non ducat esse res à Deo damnatas,& contemnat iram Dei, magis premitur Ecclesia, quia uult Deus iram suam aduersus peccata conspici,& uult in nobis pœnitentiam crescere. 1.Pet:4. Iudicium à domo Dei incipit.Et Ierem:30.Castigabo te in iudicio,ne tibi uidearis innocens.Et Esai:ultimo,Ad quem respiciam? Nisi ad contritum spiritu, & trementem sermones meos.

Tertia.

Tertia causa, Quia Diabolus ardet maiore odio Christi & Ecclesiæ, inflammatur rabiosius Ecclesiæ, & sæpè magnas dissipationes facit, ut cùm hæreses excitat,sæpè euertit Sanctos, ut Dauidem,& longam telam miseriarum texit, ut multos irretitos adigat ad desperationem. De hac causa dicitur in Genesi cap:3.Serpens mordebit calcaneum eius.Quanta uerò miseria sint illi uenenati morsus,sæpè experiuntur pij,ut Dauid impulsus,uix iterum ex illis tot peccatis & scandalis eluctatus est.Item Matth:12.Redibo in domum meam unde egressus sum.Item 1.Pet:ult:Aduersarius uester Diabolus tanquam Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret.

Quarta.

Quarta, Sæpissimè calamitates sunt pœnæ certorum delictorum, quas Deus uerè irascens peccatis irrogat hominibus simul ut puniat scelera, & ut retrahat lapsos ad pœnitentiam. Et hæ pœnæ cùm propter ipsos lapsos irrogantur,tùm uerò etiam tanquàm exempla proponuntur, ut cæteri commonefacti Deum timere discant, & mores regant diligentius. Sic Dauid propter adulterium & proditum Vriam,multis magnis ærumnis excruciatur & punitur:Filius interficit fratrem,postea mouet seditionem, expellit regno patrem, polluit incestis stupris coniuges patris. Denicq; nulla uox humana eloqui potest magnitudinem calamitatum,quas Dauid multos annos sustinuit: Sic Osias punitur lepra, propterea quòd contra legem sacrificaturus esset. Sic Manasse abducitur in exilium propter cultus idolorum, & propter interfectos Prophetas.Et de uniuersi populi exilio & excidio urbis Ierosolymæ,inquit Ieremias cap:22. Et dicet unusquisq; proximo suo,Quare sic fecit Dominus huic magnæ ciuitati? Et respondebunt, eò quòd dereliquerit pactum Domini Dei sui,& adorauerint Deos alienos &c. Et Amos 2. Deceperunt eos idola sua & mittam ignem in Iuda,& deuorabit ædes Ierusalem, quia cõterunt capita pauperum. Et filius & pater eius ierunt ad puellam unam, ut uiolarent Nomen sanctum meum. Denicq; conciones & historiæ Propheticæ plenæ sunt exemplorum & testimoniorum, quæ ostendunt hanc quartam causam latissimè patere.Plerunq; certa delicta puniuntur certis calamitatibus communib.aut peculiaribus, quod ut sit manifestius, sæpè cum delictis pœnarum formæ congruunt,ut Sapient:11.dicitur; Per quæ peccat quis,per ea cruciatur. Vt quia Dauid

Dauid rapit alienam coniugem,uicissim ipsius coniuges cõstupratæ sunt.Item filius fratrem interficit,& aduersus patrem arma capit,quia semen suum adulterio polluit. Impiorum historiæ habent innumerabilia exempla, in quibus pœnarum formæ congruunt cum sceleribus, ut Oedipus genuit ex matre, filij igitur mutua cæde pereunt.Antigona filia interficitur. Ita res ostendit maledictam fuisse generationem. Ita historiæ ostendunt latè uagari pœnas, & ex uno scelere innumerabilia peccata & multiplices calamitates oriri. Quare cùm miramur aut deploramus magnitudinem calamitatum humanarum, tot uitæ confusiones, tot ruinas regnorum de hoc fonte cogitemus: Vt cumulantur peccata,sic cumulantur pœnæ,etsi Deus eas mitigat,ut postea dicam. Sed de Ecclesię pœnis propriè dicamus.Hanc quoq; sciamus puniri,& testimonia nobis proponamus. Micheæ 7.Iram Domini portabo,quoniam peccaui ei. Psa:88.Visitabo in uirga iniquitates eorum,misericordiam autem meam non auferam ab eis.Esai:64.Ecce tu iratus es,& peccauimus,ac diu in peccatis fuimus,& tandem liberati sumus. Cecidimus quasi folium, & iniquitates nostræ quasi uenti dissipauerunt nos.Mira descriptio est & tristissimum πάθος. Dissipantur Ecclesiæ,Gentes,familiæ,tanquam uentis propter certa peccata, ut decem tribus Israël, in quibus tamen reliquiæ Ecclesiæ manserunt, abductæ in exilium latè dissipatæ sunt. De hoc genere pœnarum loquitur Christus Ioan: 5.Ne iterum pecces,ne quid tibi deterius accidat.Et Paulus. 1.Corint:11.Cùm iudicamur,à Domino corripimur,ne cum hoc mundo damnemur. Apocal: 3. Ego quos diligo, arguo & castigo.

Quinta causa,Vt afflictiones sint testimonia doctrinæ.Etsi enim Esaias, Ieremias,Baptista, non propter peculiaria facta puniuntur, tamen sustinent ingentes ærumnas propter alias causas,uidelicet, Primùm, ut agnoscant iram Dei aduersus commune peccatum generis humani. Deinde suscipiunt certamina propter confessionem doctrinæ, Vtrunq; enim conspicitur in ærumnis Pauli,quòd uidelicet non circumferat Euangelium suæ utilitatis, aut uoluptatum causa, quia propter doctrinam magnas miserias sustinet, cùm alioqui inter suos honesto loco tranquillè uiuere posset. Deinde quòd re uera ac seriò sentiat ueram esse hanc doctrinam,eò confirmat,quia mortem mauult sustinere,quàm abijcere professionem Euangelij.De hac causa dicitur Matth:16. Qui uult me sequi,tollat crucem suam,& sequatur me, Et 2. Timoth: 3. Omnes qui piè uolunt uiuere in Christo,persecutionem patientur.Psal:126. Qui seminant in lacrimis,in exultatione metent. Psalm:115. Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. *Quinta.*

Sexta, Vt afflictiones sint testimonium immortalitatis. Cùm enim Deus promiserit suis bona,et hic horribiliter eos opprimi ab impijs sinit,et tamen apertis testimonijs ostendit se approbare Baptistam, Paulum & similes, necesse est restare aliam uitam, in qua ornentur bonis Baptista & Paulus, & puniantur propter hos necatos,Herodes & Nero. Ideò inquit Petrus: Si autem primùm à nobis incipit iudicium, quis erit finis eorum, qui repugnant Euangelio? *Sexta.*

Septima, Vt efficiamur similes imagines filij Dei,ut Roman: 8. dicitur: Et ipse dicit: Non est discipulus maior Magistro. Christus subijt pœnam & ærumnas propter nostra peccata,factus pro nobis uictima,placauit iram Dei, ut recipiamur,quanquàm indigni; Sed quia recipimur, ut simus hæredes eius *Septima.*

glorię,quam meruit Christus,oportet prius hoc corpus peccati destrui, ut Roman:6.dicitur: Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.

Octaua. Octaua,Etiam in illis,in quibus non puniuntur peculiaria facta atrocia, est tamen interior immundities, securitas, admiratio sui, dubitationes multæ. Hæc mala emendantur in cruce,& cauentur futuri lapsus,ut 2.Corinth:1. dicitur, Responsum mortis in nobis habuimus, ne mea uirtute confiderem. Et ad hanc causam multa dicta & exempla pertinent. Vult enim Deus in omnibus Sanctis crescere pœnitentiam & dona.2.Corinth:4.Etsi noster homo exterior corrumpitur,tamen interior renouatur quotidiē.Prouerb:3.Quem diligit Dominus,corripit. Hebr:12.Flagellat omnem filium,quem recepit. Psalm:118. Bonum mihi,quòd humiliasti me,ut discam iustificationes tuas.Esa:28.Vexatio dat intellectum. Item: Quem docebit scientiam? Ablactatos ā lacte, auulsos ab uberibus. Esai:26. Domine in tribulatione uisitant te,angustia, in qua clamant, disciplina est eis.

Nona. Nona, ut appareat Sanctos uniuersam obedientiam præstare non ambitione,aut tantùm præsentium utilitatum aliquarum causa,sed principaliter, ut Deo seruiant,& ipsum celebrent,ut Psalmo 43.Hæc omnia uenerunt super nos, nec oblíti sumus te, &c.

Decima. Decima, Vt appareat Ecclesiam non humanis consilijs & præsidijs, sed ab ipso filio Dei capite Ecclesiæ,ac duce,diuina potentia colligi, defendi & seruari,& ut in nostra infirmitate conspiciatur præsentia et potentia Christi propugnantis nos aduersus Diabolorum & Tyrannorum furores. 2.Corinth:4. Circumferimus thesaurum hunc in uasis testaceis, ut excellentia potentiæ sit Dei,& non ex nobis.Psalm.19.Illi in curribus & in equis,nos autem in nomine Domini Dei nostri. Psalm:43. Deus auribus nostris audiuimus, & Patres nostri annunciauerūt nobis, Opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis: Manus tua Gentes disperdidit,& plantasti eos. Nec enim gladio suo acquisiuerunt terram,& brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua,& brachium tuum,& illuminatio uultus tui,&c.

Ioan:15. Sine me nihil potestis facere.

1.Corinth:1.Qui gloriatur,in Domino glorietur.

Oseæ 13.Perditio tua est Israël,tantummodo in me auxilium tuum. Esai: 46. Qui portamini in utero meo, qui gestamini in meo aluo, senescentem Ecclesiam ego portabo. Ego feci, ego feram, ego portabo & saluabo. Esaiæ 48. Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.

Recensui causas,propter quas Ecclesia ingentibus ærumnis subiecta est, Nec esse hanc commemorationem confictam utcunq; ad demulcendos animos Rhetorica consuetudine, sed causas ueras & magni momenti esse, ita intelligemus,si & nostras ærumnas,& publicas attentē considerabimus.Ridentur hæc ab Epicureis & omnibus alijs qui ebrij uoluptatibus sunt, aut gloria, Sed pij in ueris ærumnis ac doloribus agnoscunt, hanc doctrinam & ueram, & diligenter meditandam esse. Et hinc excitandos esse animos ad timorem Dei, & ad quærendas ueras consolationes. Vt enim remedia salutaria nō possunt adhiberi morbis, non explorata causa. Ita nos in Ecclesia ueras miseriarum nostrarum causas intelligere et deplorare discamus,ut iram Dei aduersus

commune

commune peccatum & noſtra peculiaria delicta agnoſcamus, & compeſcamus impetus aberrantes à Lege, conſiderata magnitudine horribilium pœnarum. Deinde etiam remedia quæramus.

Philoſophia nec cauſas calamitatum intelligit nec remedia.

Philoſophia utraq; in re errat, nec cauſas principales uidet humanarum miſeriarum, nec efficacia remedia proponere poteſt, defigit oculos in materiam, nec de homine aliter quàm de pomis aut uiolis, aut roſis cogitat. Vnde fit in hominum natura tanta labes, ignorat. Deinde non accuſat falſos errores & prauas cupiditates hominum, ſed radicem ignorat, nec uituperat ignorationem & contemtum Dei.

Remedia Philoſophica.

Deinde remedia proponit, quæ dolorem & indignationem frementis animi augent. Tantùm dicunt, malum cùm tolli non poſſit, neceſſariò ferendum eſſe, ut ſi equos aut boues iuberent mortem patienter ferre. Quid iuuat (inquiunt) ad neceſſarium malum inſuper addere inanes animorum cruciatus, & nihil profecturos? Bonus animus, inquit Plautus, in re mala dimidium eſt mali. Nec mitigationem, auxilium, aut liberationem proponunt, ſed iubent fugere omnes ærumnarũ occaſiones quantùm omnino fieri poteſt. Hinc Epicurei præcipiunt uitandam eſſe gubernationem reipublicæ, quia manifeſtum eſt, gubernationem plenam eſſe ſolicitudinum & periculorum, & ſæpẽ tragicos exitus adferre, ut Palamedis, Thraſybuli, Demoſthenis, Ciceronis, Pompeij, Cæſaris, & aliorum innumerabilium exempla teſtantur.

Aliqui grauiores etiam uirtutes aduocant, in qua oratione etiamſi multa omittuntur, tamen hoc uerum eſt, quòd dicunt propter dolores non faciendum eſſe contra ullam uirtutem. Cato propter mœſticiam non debet ſibi conſciſcere mortem, facit enim contra iuſticiam. Coriolanus propter iracundiam, non debet obſequi cupiditati uindictæ, & patriæ bellum inferre. Obliuiſcitur enim pietatis, quam debebat patriæ. Demoſthenes pulſus ciuitate non debet adeò muliebriter lamentari, facit enim contra modeſtiam, quæ in omni geſtu moderationem efficit.

His conſolationibus recitatis, deplorant generis humani miſerias, & colligunt multorum calamitoſorum exempla, quòd leuius uidetur eſſe onus, quia cum multis ferimus communem miſeriam generis humani. Tandem cùm uident quædam tragica mala nulla conſolatione leniri poſſe, delabuntur ad illud, Optimum non naſci: Ita in Philoſophica conſolatione tota, nuſquam mentio eſt Dei, nulla liberatio, nulli exitus, nullus opitulator oſtenditur. Etſi autem ut rectẽ ualentes medicorum ſermones non magnificiunt, ita ebrij uoluptatibus, nec Philoſophicas, nec Euangelicas conſolationes conſiderant, tamen ægrotus animus auidè inquirit, & medicinam, undecunq; offertur, accipit, Maximè uerò acquieſcit, ſi intelligat à Deo certis teſtimonijs conſolationem propoſitam eſſe. Deinde quærit ſapientum cogitationes, quæ in leuioribus ærumnis etiam nonnihil leniunt dolores. Et collatio ipſa doctrinarum bonæ menti ſuauius eſt, & addit lucem diuinis conſolationibus, eaſq; dulciores efficit, & animos exuſcitat, ut Deo gratias agant, quòd uerè affici ſe noſtrarum miſeriarum cura tam illuſtribus teſtimonijs oſtendit. Exhibuit enim nobis filium ſuum, ut eſſet teſtis & pignus ſuæ miſericordiæ erga nos, & multis concionibus ampliſſimis promiſit auxilium & liberationem calamitoſis petentibus opem, & exempla addidit liberationum inſignium, & experimur ipſi exempla

empla quotidiana. Vtile est igitur habere in conspectu, & ob oculos posita capita præcipua consolationum, quæ in doctrina cœlesti traduntur, & necesse est certas sententias annotatas tenere, quæ doceant mentes de uoluntate Dei. Ideō enim traditæ sunt, ut cogitentur, & accendant nos ad agnitionem Dei, & proponant auxilium.

Quinq; loci consolationum traditarum diuinitus.

Recensebimus autem quinq; locos consolationum, traditos à Deo, quos meminisse necesse est.

Primus à causis afflictionū. Vnde oriantur afflictiones.

PRIMVS locus est: Omnes homines ac præcipuē Ecclesiam oportet statuere non casu nos affligi, sed sciente Deo. Et quanquām afflictiones uel ā materia, uel à Diabolo, uel ab hominum sæuitia oriuntur, tamen sciamus eas permitti aliquo Dei consilio, & metas esse præscriptas, ultra quas sæuire Diaboli aut hominum malitia non poterit. Etsi autem hic primus locus nondum est integra consolatio, tamen initiō Epicureas opiniones ex animis euelli & extirpari oportet. Imō nihil dubium est, hanc ipsam ob causam præcipuē Ecclesiam exerceri tam duriter, & rursus liberari, ut crescat in nobis lumen uerē statuens, non casu nasci & occidere homines. Sed hunc uerē esse Deum, qui se patefecit misso Filio, & nobis tradidit uerbum suum, & uerē irasci eum peccatis, & sanare resipiscentes. Nec exiguum est certamen, liberare animos ab Epicureis furoribus. Ideō primum hæc dicta nobis ipsi inculcemus.

Matth: 10. Non´ne duo passeres asse ueneunt, & unus ex eis non cadet super terram sine Patre uestro? Omnes autem capilli capitis uestri numerati sunt: ne igitur timeatis, multis passeribus meliores estis. Act: 17. In ipso uiuimus, mouemur & sumus. Psal: 32. Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Psal: 93. Qui finxit oculum, non uideret? In Threnis Ieremiæ manifesta refutatio est sermonum Epicureorum cap: 3. Quis est iste qui dixit, fieri hæc non iubente Domino? Ex ore altissimi, nec bona nec mala egredientur? Quid murmurat homo contra Deum? Psal: 99. Scitote quōd Dominus ipse est Deus. Ipse fecit nos, & nō ipsi nos: Nos aūt populus eius, et oues pascuæ eius. Esai: 45. Ego Dominus, & non est alius, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, uidelicet pœnas. Ego Dominus loquens iusta & annuncians uera. Sophoniæ 1. Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem lucernis, & uisitabo uiros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet benè Dominus, & non faciet malè, & erit domus eorum deserta. 1. Reg: 2. Dominus mortificat & uiuificat.

Huc adscribat quisq; plura testimonia, ut firmissimē statuat, non accidere casu ærumnas, sed cerni à Deo, & re uera iustum iudicem, irasci peccatis, & punire sontes, & pios calamitosos suo quodam consilio exercere. Hunc primum locum confirmant & testimonia, quæ in sequentibus locis, & suprā in causis citantur, quia semper complectuntur mentionem Dei, tùm punientis, tùm castigantis, tùm liberantis, ut Castigans castigauit me Dominus.

Innumerabiles homines qui in secundis rebus aut mediocribus difficultatibus non habuerunt opiniones Epicureas, sed utcunq; tenuerunt hanc persuasionem, res humanas Deo curæ esse, ijdem cùm incidunt in magnas ærumnas, prorsus hanc persuasionem amittunt, & cogitant casu & sine ullo Dei consilio misceri omnia, oriri & occidere alia placidius, alia durius. Deniq; his telis præcipuē Diaboli spiritus mendaces sauciant animos in ærumnis, ut Deum con-

um contumelia afficiant, excitatis furoribus Epicureis. Ideò diligenter animi aduersus hæc tela Diabolica præmuniendi sunt.

Secundus locus consolationum diuinarum, finalis causa afflictionum.

SECVNDVS locus. Nihil diligitur aut placidè fertur, sine ulla boni ratione. Quare cùm Saul tantùm cogitat se puniri à Deo, fugit Deum tristissimo fremitu. Tenenda est igitur boni ratio in ærumnis. Causa finalis scienda est, cur Deus puniat. Suprà impulsiuas & finales recensui. Sed quæcunq; sunt impulsiuæ, quæ possunt esse uariæ & nobis ignotæ, nos semper hanc finalem teneamus certissima fide, quòd Deus puniat aut exerceat, non ut perdat nos, sed ut nos retrahat ad pœnitentiam, aut exuscitet, ut crescant in nobis timor, inuocatio & cæteræ uirtutes. Cùm hæc bona uoluntas Dei conspicitur, iam accedere animus ad Deum, & se subijcere ipsi utcunq; incipit, & tolerat pœnam seu ærumnas placidius.

Hæc est propria Euangelij doctrina inde usq; ab initio per Patres, Prophetas, Christum & Apostolos tradita, humanum genus tot ingẽtibus ærumnis subiectum esse, non ut ruat in æternum exitium, sed ut agnoscat iram Dei aduersus peccata, & hac admonitione retrahatur ad pœnitentiam, & redeat ad Deum opitulatorem. Id intelligebant Adam & Heua, cùm uiderent mortem Abel, sese admoneri de suo peccato sentiebant, sed tamen norant Deum uelle, ne spem uitæ æternæ abijcerent, meminerant traditam promissionem de Semine, quod abolita morte redditurum erat ipsis hunc Abel interfectum, sed tamen in tanto dolore difficile illis fuit eluctari ex dubitatione. Sæpè igitur repetita est hæc doctrina in Prophetis. Ezech: 33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Iurat Deus se punire, non ut perdat, sed ut retrahat nos ad pœnitentiam. 1. Cor: 11. Dum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Psal: 118. Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Apoc: 3. Ego quos diligo, arguo & castigo. Esai: 28. Vexatio dat intellectum. Item, Quem docebit scientiam? Ablactatos à lacte, auulsos ab uberibus. Esai: 26. Domine in tribulatione uisitant te, angustia, in qua clamant, disciplina est eis. Ad Hebr: 12. Flagellat omnem filium, quem recipit. Prouerb: 3. Quem diligit Dominus, corripit. Matth: 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Hic mandat Christus omnibus, qui se oppressos esse miserijs sentiunt, ut quærant hunc opitulatorem à Deo missum. Et Esai: 61. inquit se missum esse, ut consoletur omnes lugentes, & det oleum gaudij pro luctu &c.

Denicq; & sequentis loci testimonia idem docent, quæ continent promissiones, in quibus Deus pollicetur liberationem aut auxilium afflictis, & testatur se adesse calamitosis ipsum inuocantibus, ut Esai: 57. Habitans cum contrito & humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium, & corda contritorum. Et Psal: 33. Propè est Dominus his qui tribulato sunt corde. Non igitur punit ut perdat, sed iram declarat, ut nos hortetur ad pœnitentiam, sicut scriptum est: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Tristis carcer est concludi sub peccatum. Significat enim subijci iræ Dei, morti & ærumnis. Vt David tunc concluditur sub peccatum, cùm pellitur in exilium, & exuitur gloria uirtutis, perinde ac si à Deo abiectus esset. Mauritius Imperator tunc concluditur sub peccatum, cùm in eius conspectu, filiæ, filius, coniunx interficiuntur. Sed in his tantis miserijs tamen retinenda fuit altera sententiæ pars: Vt omnium misereatur. Sciendum est in summis ærumnis tamen Deum nõ deserendum

dum esse, sed statuendum, quòd uelit nos recipere & liberare ab æterna ira. Sed quàm difficile sit in magna calamitate hanc consolationem amplecti, experientia ostendit.

Tertius locus, promißio auxilij.

TERTIVS locus consolationis est promissio auxilij, mitigationis pœnarum, præsentiæ Dei, & liberationis. Hic locus procul à Philosophia recedit. Nam humana ratio non iudicat pulso Dauidi Deum adesse. Cùm Cato uidet Pompeium interfectum esse, Iulium uincere, incipit irasci Deo, & se uirum iustum, ut iudicat, & in causa honestissima deseri iniustè dicit. Sed doctrina Euangelij testatur homines non eò abiectos à Deo, quia sint in calamitate, sed potius tunc Deum promittere auxilium, & mitigationem malorum & liberationem. Nec putemus has consolationes inania uerba esse. Res uerè sunt, ac fides experitur euentus, ut exempla declarant. Primùm ergo aliquas promissiones colligamus ad nos confirmandos.

Nahum 1. Bonus est Dominus, & confortans in tribulatione, & agnoscens sperantes in se. Ioël 2. Conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia bonus est & misericors, & mitigans pœnam. Id. n. uult, cũ ait: Deum pœnitentia affici, cùm punit. Psalm: 33. Propè est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Psalm: 146. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Psal: 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Esai: 57. Habitans cum contrito & humili spiritu, ut uiuificet corda contritorum. Esai: 66. Ad quem respiciam? nisi ad miserum & contritum spiritu, & trementem sermones meos. Matth: 5. Beati pauperes spiritu, quia horum est regnum cœlorum. Beati qui lugent, &c.

Liberat Deus suam Ecclesiam tandem ex omnibus miserijs. Sed interim in hac uita necesse est obedire nos in aliquibus ærumnis, quia uult, ut dictum est, Ecclesiam subiectam esse cruci: & tamen quotidiè multos liberat, etiam ex corporalibus miserijs, & cùm non prorsus liberat, tamen mitigat. Hanc mitigationem sæpè describunt & petunt Prophetæ, & nos petere discamus. Nam hæc infirma hominum natura non posset sustinere iræ diuinæ magnitudinem, si exardesceret, ut nostra peccata merentur. Ideò clamat Dauid Psal: 6. Domine ne in furore tuo arguas me. Item Psal: 129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? id est, Si ira exarserit tanta, quantam peccata nostra merentur, omnes subitò peribimus. Psal: 77. Et non accendit omnem iram suam. Ierem: 10. Corripe me, sed in iudicio, non in furore, ne in nihilum redigar. Ose: 11. Quomodo dabo te Ephraim? Quomodo obruam te Israël? Num sicut Adama & Seboim delebo? Conuersum est in me cor meum, exarsit commiseratio mea. Non faciam furorem iræ meæ. Non perdam penitus Ephraim, quia Deus ego sum, et non homo, in medio tui sanctus, id est, parcam per misericordiam, cùm Deus sim, & non sinam deleri meum uerbum, quod tradidi. Abacuc 3. Cùm irasceris, misericordiæ recordaris. Esai: 64. Et nunc Domine, pater noster es tu, nos uerò lutum, & fictor noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine ualde, nec perpetuò memineris iniquitates nostras. Ecce respice, populus tuus omnes nos.

Hæc dicta de mitigatione diligentissimè consideranda sunt, ut etiam cùm non penitus tolluntur miseriæ, tamen sciamus nos interim iuuari, sustentari et corroborari, ut perferre onus possimus, et ipsas calamitates leniri. Agar pulsa domo Abrahæ cum filio, in magnis ærumnis, cùm penè siti perijssent ipsa &

ipſa & filius, exauditur à Deo, & iuuatur monſtrato fonte. Sic ſinguli petamus & expectemus mitigationem aliquam, ne noſtra infirmitas prorſus ſuccumbat. Ideò & Rom: 8. dicitur: Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.

QVARTVS locus, Eccleſia & ſinguli pij in calamitate conſiderantes tres locos, quos recenſui, debent adferre fidem & inuocationem. Ideò enim tradidit Deus has dulciſſimas & ampliſſimas promiſſiones, ut nos eas fide amplectamur, ut cõſpectu eius bonitate ſuſtentemur, denicq; ut ipſe inuocetur ac celebretur. Confugiamus ad Deum, admoniti his dictis: Petamus & expectemus auxilium diuinum, et acquieſcamus in his promiſſionibus, ut acquieſcebant pij in Aegypto, aut deſerto, aut exilio Babylonico, ſcientes Deum adeſſe, opitulari, & tandem futuros exitus lætos. *Quartus locus petitio & expectatio auxilij diuini, quam Deus præcepit.*

Quærunt omnes homines donec poſſunt uiſibilia præſidia in rebus aduerſis. Alius confidit pecunia, alius potentum amicorum fauore. Hæc cùm fallunt, multi franguntur animis, & nullam conſolationem admittunt. Hos dolor iſte oſtendit, ſolis uiſibilibus rebus confiſos eſſe, non Deo. Licet uti rebus à Deo ordinatis, ut Dauid utebatur ſuo exercitu. Sed fiduciam rerum ſine Dei fiducia, reijcit uox diuina: Maledictus qui confidit in brachio carnis, &c. Hæc iniuſta fiducia citò deprehenditur, cùm amittimus uiſibilia præſidia, cùm deſerimur ab amicis. Hinc querelæ ſunt tyrannorum potius ridiculæ quàm miſerabiles, φίλων ἔρημον ὦ τάλας ἀπώλυμαι. Cur enim illis confidens, immoderatas res aut iniuſtas mouiſti? Rectius Dauid inquit: Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem ſuſcepit me. Rectius mulier Cananæa, quæ abiecta omni ſpe remediorum humanorum, petit opem à Chriſto, nec deterreri ſe patitur, etiam cùm initiò durius reſpondet Chriſtus. In uſu uitæ, in periculis, in miſerijs diſcendum eſt, quam fiduciam Deus poſtulet, quam reijciat. Nec intelligi hæc præcepta ſine aliquo uſu poſſunt. Imò ideò Eccleſia onerata eſt cruce, ut in his exercitijs fides creſcat, quæ in ocio & uoluptatibus extinguitur, ut ſcriptum eſt: Sedit populus manducans & bibens, & ſurrexit ad ludendum. Item, Deut: 32. Incraſſatus eſt & recalcitrauit. Iam ut nos ipſos de hac inuocatione admoneamus, teneantur hæc dicta Pſalm: 49. Inuoca me in die tribulationis & eripiam te, & glorificabis me. Pſalm: 9. Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum, quia non derelinquis quærentes te Domine, Pſalm: 54. Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Pſal: 33. Iſte pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Pſal: 144. Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Ioan: 16. Petite & accipietis. Lucæ 18. Oportet ſemper orare, & non languefieri. Philip. 4. Ne ſitis ſolliciti, ſed in omni oratione & precatione cum gratiarum actione petitiones ueſtræ notæ fiant apud Deum. Ac fides ita exerceatur ſemper, ut primùm petat remiſſionem culpæ, poſtea mitigationem pœnæ, ut infrà dicam de Precatione.

QVINTVS locus. Cùm ſuperiores ſententias de uoluntate Dei in noſtris ærumnis conſiderabis, uidelicet quòd non accidant caſu, quòd Deus puniat non ut perdat, ſed ut retrahat nos ad pœnitentiam, quòd uelit opitulari, quòd à ſe peti & expectari auxilium uelit, ac iam bonam uoluntatem Dei in noſtris calamitatibus agnoſces, ſcias poſtremò mandatum Dei eſſe, ut in calamitatibus ſic ſentientes ei obediamus, nec iraſcamur ipſi, punienti nos, ſed agnoſcamus pœnam iuſtam eſſe, nosq; Dei uoluntati ſubijciamus, ac *Quintus locus mandatum de obedientia in afflictionibus.*

aliquo modo uelimus,hoc est,placidē feramus hanc pœnam, ut iustitiæ diuinæ obtemperemus. Vult enim Deus in omnibus pœnis conspici ordinem suæ iustitiæ,& iram aduersus peccatum,Cùm igitur hæc obedientia & doloris moderatio,etiam præceptis diuinis mandata sit, repugnandum est dolori & indignationi. Id docent hæc dicta.

Micheæ ultimo. Iram Domini portabo,quia peccaui ei. Et consolatio additur. Non enim satis est præceptum nosse aut tolerare malum,sed ut antē dixi, fides & inuocatio accedant,ideò & hic Micheas addit: Cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est.

1. Petri ultimo. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei. Præcipit ut Deo prementi nos obediamus, & nominat potentem manum, quod de utraq; re intelligatur. Manus Dei potens est, & ad euertendos superbos,& ad erigendos afflictos. Nulla est tanta potentia,tàm florens gloria & opibus, quam non facilē possit Deus euertere, ut historiæ omnium temporum ostendunt. Sed memento exempla sanctorum Dauidis & Nabuchodonosor, Hi ex summo fastigio dejecti,didicerunt se prius tutos fuisse non sua uirtute,non amicorum fide, non humanis prę̃sidijs,sed Deo seruante,protegẽte & gubernante eos. Nimis longus catalogus esset,si recenseremus Heroum casus,qui horribiliter euersi sunt: Herculis,Achillis,Aiacis,Iasonis,Philippi Macedonis,Pompeij,Cęsaris,Antonij & aliorum innumerabilium.

Horum Tragici exitus declarant hanc uocem: Abominatio est coram Deo,quicquid sublime est in mundo, id est,quicquid glorioſum est sine agnitione & timore Dei, id euertitur. Ideō tantæ ruinæ sunt summorum uirorum,qui non solūm potentia, sed etiam uirtute antecelluerunt.

Rursus potentiam suam Deus etiam in erigendis pijs sæpē ostendit, ut Ioseph ex carcere liberatus. Dauid pulsus restituitur in regnum. Manasses, cùm diu captiuus fuisset,tandem post pœnitentiam incolumis dimittitur. In his exemplis scriptis,adfirmatur Deum esse autorem harum liberationum,ut sciamus idem de non scriptis exemplis. Cùm nobis res aduersæ mitigantur aut tolluntur, fit hoc Deo nos iuuante,& gubernante consilia & exitus, ut Psalm: 27. dicitur: Dominus adiutor meus, & protector meus, in ipso sperauit cor meum,& adiutus sum. Sed redeo ad præcepta,quæ obedire iubent. 1. Cor: 10. Ne murmuretis,sicut quidam eorum murmurauerunt, & interfecti sunt ab interfectore,ut in Numeris capite 21. narratur de ignitis serpentibus. Psal: 37. Subditus esto Deo,& spera in eum. Breuis concio est de rebus maximis, & duas partes complectens, Præceptum de obedientia, & doctrinam de consolatione à Deo petenda & expectanda. Psalm: 45. Vacate & uidete quōd ego sim Deus. Mirum præceptum est, & ignotum Philosophiæ,sed conuenit cum dicto Iesaiæ, In silentio & spe erit fortitudo uestra. Quod est igitur illud silentium? Quid nam illud uacare? Primùm obedienter tolerare impositas ærumnas. Deinde non accersere negocia sine uocatione. Tertiō,Non ut solet humana diffidentia discurrere ad quærenda uana præsidia,& in his aliqua iniusta, aut sine iusto ordine,sicut reges Iuda nunc inclinabant ad Aegyptios, nunc ad Syriacos reges, nunc ad alios, impliciti stultis fœderibus postea cogebantur sequi alienos furores. Huic impatientię & discursationi quærentium auxilia sine iusto ordine, opponantur hæ uoces: Vacate,

Præcepta de patientia in afflictionibus.

Vacate,id est,quiescite,expectate Dei auxilium,non discurrite in Aegyptum, in Syriam,ad Turcos,ad Aphros. In bona causa sitis tranquillis animis, & ã Deo defensionem expectate,& si quid secus eneniet,tamen melius est sustinere ærumnas, quàm inhonestis consilijs bonam causam deformare.

In confirmatis fide patientia est cultus Dei.

Exposui quinq; locos traditos in doctrina Euangelij,de tolerandis miseriijs,ignotos Philosophiæ.Cùm autem hac fide confirmati animi tolerant afflictiones,tunc uerè patientia seu tolerantia est sacrificium, id est,cultus Dei seu opus ã Deo mandatum,& eõ factum,ut ipsi honos reddatur.Sicut Psal 30. dicitur: Sacrificium Deo spiritus contribulatus.Et Rom: 12. Offerte corpora uestra hostias uiuas &c.Nec uerõ ipsa laceratio corporis,ut Ethnici putabant, est sacrificium, sed uoluntatis obedientia, seu tolerantia in dolore,cùm quidem uoluntas Deũ intuetur,& petit & expectat ã Deo auxilium. Nec sunt sacrificia accersitæ calamitates,ut sacerdotes Baal fodiebant sua corpora, seu ut Decij se deuouebant pro republica.Hi furores Ethnici damnandi & execrandi sunt, sed illarum calamitatum tolerantia sacrificium est, quæ aut uocationem comitantur, ut Christi, Prophetarum, Apostolorum, & omnium piorum ærumnæ professionem ueritatis comitantes,aut quæ sunt pœnæ,sequentes communem imbecillitatem,aut nostra delicta, ut morbi, supplicia legitima, ut cùm fures aut homicidæ supplicijs adficiuntur. Harum miseriarum tolerantiam dicimus fieri sacrificium,ac de his dicitur: 1. Pet: 1. Paulisper ubi opus est contristati.

Consolationes in pœnis quæ.

Sic igitur fur cùm ducitur ad supplicium,feret suam calamitatem. Primùm statuet,se non casu hærere in hac pœna,sed sciente & permittente Deo, certo consilio. Quo nam? aut cur? Quid ego magis plector, quàm tot alij Harpali in aulis multõ plus furati? Te uult agnoscere iram suam aduersus peccatum,te uocat ad pœnitentiam.Nunc cogita quanta fuerit infirmitas tua. Impulsus cęca cupiditate alienum rapuisti,cessisti diabolo, qui delectatur pernicie hominum. Nunc igitur hæres in pœna. Nec rursus cedas diabolo, qui te prorsus ã Deo auellere conatur. Incipe agnoscere filium Dei Iesum Christum,& scito propter hunc te recipi. Is te consolabitur iam nunc quoq; ut latronem in cruce. Obedies igitur Deo,qui in his publicis pœnis ostendit exempla iræ suæ aduersus peccata,& commonefacit homines,ut cogitent quanta sit Diaboli malicia,qui imbecilles homines in tales miserias impellit. Dices ut Daniel. Nobis confusio,sed Deo tribuatur misericordia, qui in talibus spectaculis non prorsus abijcit miseros, sed confugientes ad Filium certõ & uerè recipit. Erigas igitur animum fide & agnitione Christi, petas consolationem,& expectes uitam æternam,ut Latro in cruce.

Discrimen patientiæ Christianæ & Philosophicæ.

In tali exemplo conspici potest discrimen patientiæ, de qua loquuntur Philosophi,& patientiæ,de qua Euangelium concionatur. Philosophi nihil dicunt de præcipuis causis,nihil de Deo, nihil de auxilio diuino aut liberatione, Sit igitur hæc definitio huius uirtutis,ut Philosophi definiunt: Patientia est obedire rationi in miserijs,ita,ut dolorem moderemur eatenus, ne faciamus contra iusticiam,aut alias uirtutes. Vt Cato facit contra iusticiam,sibi mortem consciscens. Coriolanus facit contra pietatem debitam patriæ, bellum ciuibus & cognatis inferens. Demosthenes facit contra modestiam,cùm muliebriter lamentatur, pulsus in exilium. Et quanquãm interdum uult aliquo modo pœnam iustam reus aliquis, ut Adrastus, qui casu interfecerat

Patientia Philosophica quid sit?

Crœsi filium,tamen iniustam pœnam præsertim atrocem, uelle humana ratio non potest. Palamedes,Socrates,& similes ferunt supplicia,non quòd uelint pœnam,sed perinde tolerant ac si dilaniarentur à Leonibus.

At Paulus uult aliquo modo supplicium,quia scit testimonium esse confessionis. Dauid uult aliquo modo pœnam, quia scit Deo debere nos hanc obedientiam,scit à Deo proponi exemplum iræ toti generi humano in hac sua pœna,præterea & mitigationem expectat.

Patiētia Christiana quid sit.

Addatur ergo definitio in Euangelio tradita: Patientia Christiana est, obedire Deo in sustinendis ærumnis,ita,ne uel à Deo deficiamus, uel ei irascamur,uel contra alia præcepta Dei faciamus, sed moderemur animi dolorem,& auxilium ac mitigationem à Deo expectemus. Collatio definitionum ostendit discrimen,quod in exemplis tamen clarius conspicitur. Dauid intelligit se Dei consilio puniri, & Deo obtemperat, & petit mitigationem. Socrates miratur iniusticiam,& nihil de Dei consilio cogitat, casu se opprimi arbitratur,ut si casu præterijsset, ruente aliqua turri,& eum opprimente, nec petit auxilium,aut mitigationem à Deo.

Christiani in ærumnis se seiungant ab Ethnicis.

Seiungamus ergo nos ab Ethnicis in nostris ærumnis, & discamus præcipuè hanc ipsam ob causam,totum genus humanum tantis miserijs onerari, ut ad agnitionem Dei,& ad inuocationem ueram excitemur. Cùm uidemus mortem,morbos,iniurias,bella,pestilentias,diluuia, excidia urbium, & alias innumerabiles calamitates priuatas & communes,uult uos admiratione tantarum miseriarum attonitos,de causis & de opitulatore quærere. Laudatur Platonis sententia in Epitaphio,quam Cicero expressit his uerbis:

Nam cui uiro ex se ipso apta sunt omnia, quæ ad beatè uiuendum fuerunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario pendere ex alterius euentis,& errare coguntur, huic optimè uiuendi ratio comparata est. Vera Platonis hæc sunt: ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα, ἢ ἐγγὺς τούτου, καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώπῳς αἰωρῆται, ἀφ' ὧν ἢ εὖ ἢ κακῶς πραξάντων πολλὰ δὴ ἀνάγκασαι, καὶ τὰ ἐκείνου, τότῳ ἄριστα πεπρᾶσκευασαι ζῆν.

Quod monet Plato,ne pendeant uniuersæ spes nobis à fortunæ bonis, aut hominum coniunctionibus, rectè docet: Sed quòd deducit nos ad nostras uirtutes,nondum satis est. Nam ad Deum deduci nos oportet. Multa enim accidunt homini, ubi humana uirtus sine Dei auxilio succumbit. Hic uult Deus se agnosci & inuocari,& pollicetur auxilium, & experiemur hanc consolationem non esse inanem Rhetoricam,si in uero dolore inuocabimus, sicut scriptum est: Propè est Dominus his qui tribulato sunt corde.

Dixi de causis ærumnarum,& de consolationibus, & uirtutem, quæ Patientia aut Tolerantia uocatur,quam Græci nominant ἀνεξικακίαν, utcunq; descripsi. Quæ etsi eò necessaria est, quia diuinitus hæc obedientia postulatur, tamen & utilitates magnæ exuscitent nos, ut eam maiore cura amplectamur. Vbi animi hac uirtute non confirmati sunt, uariè ruunt, irascuntur Deo,quærunt auxilia inconcessa, ut Saul consulit magicam mulierem, Reges faciunt iniusta fœdera, multi cupiditate uindictæ mouent Ecclesiam & imperia, ut Arium dolore repulsæ motum aiunt ad turbandam Ecclesiam: Et uidit nostra ætas exempla talia non pauca. Magnum incendium est uindictæ cupiditas in multis, ut in Alcibiade, Coriolano, & in alijs magnis uiris. Sed discamus priuato dolori anteferre publicam utilitatem, nec per impatientiam

Animi nō confirmati patientia uariè ruunt in calamitatibus.

patientiam non neceſſarios tumultus excitemus. Quantum decus fuit Scipionis moderatio, qui cùm facilè poſſet Tribunorum iniuſtas criminationes armis opprimere, tamen urbe cedere maluit, quàm ſine neceſſitate mouere rempublicam.

Ac præcipuè nos in Eccleſia pericula publica proſpiciamus. Motæ diſcordiæ cupiditate uindictæ, ſæpè horrendas dogmatum confuſiones, & bella ciuilia excitarunt. Hæc mala diligenter cauenda ſunt, & grauiter ac prudenter iudicandum eſt, quibus de rebus pugnandum ſit, & ubi non ſit pugnandum. Non dimicandum eſt de priuatis affectibus, non prætexendæ publicæ cauſæ priuatis odijs & liuori, ſed ueræ & neceſſariæ doctrinæ puritas grauiter & ſedatis animis defendenda eſt.

Etſi Philoſophia quærit in materia & uoluntatibus hominum propinquas calamitatum humanarum cauſas, tamen aliæ principales in Eccleſia Dei patefactæ ſunt, uidelicet peccatum in natura hominis, & furores diaboli, qui ut Deum contumelia adficiat, præſertim in Eccleſiam hoſtiliter graſſatur.

Etſi autem inde prima initia ſunt omnium calamitatum, tamen diſcrimina quædam ſunt. Vt alia cauſa propinqua eſt, cur Dauid affligatur, cùm ex regno propter adulterium & homicidium ejicitur. Alia cauſa propinqua eſt ærumnarum Ieremiæ, qui in confeſſione ueritatis interficitur. Propter hanc cauſarum diuerſitatem, genera calamitatum diuerſa nominari poſſunt, quæ ideò illuſtribus uocabulis diſcerno, ut doctrina de diuerſitate cauſarum planius intelligi, & facilius explicari poſſit, quam quidem intelligi neceſſe eſt, & propter conſolationes, & ad iudicandas diſputationes de ſatisfactionibus, & alias. *Differunt cauſæ calamitatum.*

Sit igitur primum genus τιμωρίαι quæ ſunt pœnæ certorum delictorum, quæ non quidem ſunt compenſationes ſeu ſatisfactiones, quæ mereantur remiſſionem culpæ aut pœnæ æternæ, ſed ſunt opera iuſticiæ diuinæ, per quæ uult Deus commonefieri & nos & alios de ſua iuſticia, ut ſciamus & quæ ſint peccata, & uerè iraſci Deum peccatis, & cùm in hac uita mortali, tùm in futura punire, niſi rurſus ad Deum conuertamur. Ad hoc genus pertinent plurimæ calamitates in toto genere humano, quia plerique homines etiam atrocibus delictis irritant iram Dei. Quanquàm autem hæ pœnæ ſunt opera iuſtiſſimæ iræ Dei, quæ uagantur per omnes gentes, tamen in Eccleſia extant promiſſiones firmæ & immotæ, quas Deus immenſa miſericordia nobis tradidit & patefecit, quæ adfirmant in hac ipſa ira Deũ tamen uelle ut ad filium Mediatorem confugiamus, & ſeruemur, ac ſalute æterna donemur, ſæpè etiam & in hac uita mortali tollantur aut mitigentur calamitates. Ideò apud Micheam cap. 7. ſcriptum eſt. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Hic apertè de pœna loquitur. Et tamen conſolationem addit: Cùm ſedebo in tenebris, Dominus lux mea eſt. Ac multa diſcit Eccleſia in his pœnis. Diſcit quę ſint peccata, agnoſcit iuſtum Dei iudicium & iram aduerſus peccata, & tribuit Deo laudem iuſticiæ, ut Daniel inquit: Tibi Domine iuſticia. Simul etiam ibi accenditur lux Euangelij, quæ docet gratiam exuberare ſupra peccatum, ut ad Romanos ſcriptum eſt. Diſcunt piæ mentes, immenſa bonitate & miſericordia Deum lenire ſuam iram iuſtiſſimam, & anteferre noſtram ſalutem indignationi ſuæ. Et tamen ut iuſticiæ ſatisfiat, deriuatam eſſe iram in Filium. Harum collationum iuſticiæ & miſericordiæ conſideratio, ſtudium *Primum genus calamitatum* τιμωρίαι.

erit cœlestis sapientiæ in uita æterna. Sed tamen nunc ut in tyrocinio, initia piè cogitanda sunt.

Secundum genus δοκιμασία.

Secundum genus sit δοκιμασία, cùm non propter certa delicta, sed exercendi & confirmandi causa, adfliguntur homines Deo placentes, & qui non habent saucias conscientias, ut carcer Ioseph, Dauidis ærumnæ, cùm Saul ei iniustè insidiabatur, calamitates Iob: Etsi enim in omnibus Sanctis in hac uita sunt peccata, tamen alia causa propinqua est, propter quam Deus tàm duriter hæc sua organa exercet. Non uult in ocio & luxu fidem & inuocationem extingui, sed uult in ipsis ærumnis crescere uirtutes, ut in gubernatione sint uigilantiores & feliciores.

Tertium genus μαρτύρια

Tertium genus est μαρτύριον, cùm propter confessionem ueræ doctrinæ homines Deum uerè colentes, adfliguntur aut interficiuntur, ut mors Abel, supplicia Ieremię, Pauli & aliorum, qui in confessione ueritatis interfecti sunt, nequaquàm sunt pœnæ certorum delictorum, sed testimonia, in quibus ostendunt se, cùm ueritatem uitæ anteferunt, seriò sic sentire de Deo, ut docent, ac uerè statuere nequaquàm fabulosam esse doctrinam Euangelij. Testantur item restare aliam uitam, & aliud iudicium post hanc uitam: Paulus reuocauerat mortuos in uitam, quo exemplo testimonium diuinitus ostensum est, Deo Paulum placere. Nec propterea abijcit eum, etiamsi à turpissimo tyranno interficitur. Restat igitur aliud iudicium, in quo Deus Paulo benefaciet, & de Nerone pœnam sumet. Et sicut filius Dei summos & acerbissimos cruciatus sustinuit, ita præcipua lumina Ecclesiæ præcipuas ærumnas sustinent, ut degustent passionem Filij Dei, & quidem Abel, Isaac, & alij Patres & Prophetæ typi fuerunt, significantes mortem Christi.

Quartum genus est λύτρον

Quartum genus est λύτρον. Est autem solius filij Dei obedientia, in omnibus ipsius adflictionibus & morte. Nam in hunc deriuata est ira æterni patris, aduersus peccata nostra.

Hæc quatuor genera distincta appellationibus considerare utile est, propter multarum disputationum explicationem.

DE INVOCATIONE DEI
SEV DE PRECATIONE.

CVM de cæteris uirtutibus, de temperantia, de mansuetudine, & alijs tàm accuratè scripta multa legantur, mirũ est de hac uirtute omnium summa, de inuocatione Dei, non solùm pauca tradita esse, sed etiam corruptelas admixtas esse de inuocatione mortuorum. Itẽ, negligi doctrinam de fide, quæ maximè in inuocatione lucere debet, negligi item discrimen promissionis gratiæ, & promissionis bonorum corporalium. Vtilissimum est autem rectè, diligenter, & copiosè erudiri Ecclesiam de inuocatione, quæ proprium solius Ecclesiæ opus est. Cæteræ uirtutes multæ, ut temperantia, mansuetudo reperiuntur etiam in his qui Deum ignorant, ut in Pomponio Attico, & similibus. Sed inuocatio tantùm est Ecclesiæ, & quidem præcipuus est Ecclesiæ murus, ut Salomon inquit: Turris fortissima nomen Domini, id est, Inuocatio uera Dei.

Inuocatio uirtus omnium summa et propriũ opus Ecclesiæ.

Gradus inuocationis petitio

Discernantur autem gradus: Aut petimus aliquid à Deo, id propriè uocatur Petitio, seu oratio. Aut agimus gratias pro accepto beneficio, hoc est,

est, testamur uerè à Deo nos adiutos esse,& ei gratias agimus, & celebratione huius beneficij nos & alios ad timorem Dei,ad fidem,ac ad inuocationem inuitamus. Has species sæpè nominat Paulus,& nota sunt uerba Philip: 4. Non sitis solliciti,sed in omni precatione & petitione, cum gratiarum actione postulationes uestræ innotescant apud Deum. Ne igitur precatio nostra sit inanis βαττολογία, & Ethnicum murmur, seiungamus nostram inuocationem ab Ethnica,Mahometica,Iudaica,& discamus quomodo rectè inuocandus sit Deus. *& gratiarum actio.*

Ac primùm sæpè inter inuocandum cogitemus, quid interfit inter ueram inuocationem, quam facit Ecclesia Dei,& Ethnicam, Mahometicam, & Iudaicam. Hic sciamus præcipuè duo esse discrimina: Alterum de Dei essentia: Alterum de uoluntate patefacta in promissione & Filio Mediatore. Quod ad prius attinet, aberrant Ethnici, Mahometistæ & Iudæi,& quicunq; idola aut mortuos inuocant, à uero Deo, qui se patefecit dato uerbo suo, & misso Filio suo. Inuocant Turci DEVM, ut dicunt, conditorem cœli & terræ: Sed nolunt hunc esse uerum DEVM conditorem cœli & terræ, qui dedit nobis hoc uerbum, traditum per Prophetas & Apostolos,nec assentiuntur Christum esse Filium Dei. Aberrant ergo à Deo, sicut Christus clarè inquit: Qui non honorat Filium,non honorat Patrem. Nec uult Deus aliter agnosci,quàm ut sese suo uerbo & per Filium patefecit. Ideò toties iam diximus, nullam Ecclesiam electorum cogitandam esse, nisi in cœtu uocato, ubi uerè sonat Euangelium. Et hic tantùm fit uera inuocatio, quia necesse est dirigi inuocationem ad hunc Deum,qui se patefecit dato hoc uerbo, & misso Filio suo Iesu Christo. *Differentia inter inuocationem Ecclesiæ et aliarum gentium.* *Discrimen de essentia Dei.*

Alterum discrimen non minus necessarium est. Etiamsi naturalis ratio fatetur esse Deum,mentem æternam,immensæ potentiæ, sapientiæ, iusticiæ, bonitatis,conditricem rerum,fatetur puniri sontes, tamen omnes ignari Euangelij nesciunt an Deus uelit recipere nostras preces, & cur recipiat. Ignorant Mediatorem Christum,& promissiones. Non est autem inuocatio,quæ dubitat an Deus recipiat nostras preces,& ignorat cur recipiat. Inane murmur est,ut apud Virgilium illa regis barbari oratio: *Discrimen de uoluntate Dei.*

An te genitor cùm fulmina torques,
Nec quicquam horremus, cœciq; in nubibus ignes
Terrificant animos,& inania murmura miscent?

Sic narrant in Creta Iouis statuam fuisse,quę nec aures nec oculos haberet,qua aliquis ἄθεος significauit nullam esse prouidentiam,non recipi preces hominum. Aduersus hoc malum docendæ sunt mentes, oportere adferri ad precandum hanc fidem,uerè recipi à Deo preces nostras, & recipi propter filium Mediatorem,iuxta promissiones.

Quare talis aliqua forma inter precandum cogitetur, quæ utrunq; discrimen complectitur,admonet nos de personis diuinitatis,& de promissione.

OMnipotens, æterne & uiue Deus,æterne Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui te patefecisti immensa bonitate, & clamasti de Filio tuo Domino nostro IESV CHRISTO, Hunc audite, conditor omnium rerum, & conseruator, cum Filio tuo coæterno, Domino nostro IESV CHRISTO, & Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos, sapiens,bone,misericors, *Formula precationis.*

sericors, iudex,& fortis,misereri mei propter IESVM CHRISTVM Filium tuum, Dominum nostrum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, mirabili & inenarrabili consilio,ut ostenderes iram tuam ingentem aduersus peccatum, & immensam misericordiam erga genus humanum,& sanctifica ac rege me Spiritu sancto tuo, serua & rege Ecclesiam tuam, & politias quæ sunt hospitia Ecclesiarum, adiuua studia discentium, doctrinam Ecclesiæ,& alias honestas artes &c.

Hæc forma aliquo modo recitantem commonefacit de Personis,de Mediatore,& de promissionibus. Nam cùm Mediatorem nominamus,ueniunt in mentem promissiones,ut postea dicam. Cogitandum est enim ad quem Deum dirigas inuocationem, ubi & cur se patefecerit. Ingens & inenarrabile Dei beneficium est, quòd tàm illustribus & certis testimonijs, uerbo suo,& misso Filio IESV CHRISTO se patefecit. Vult igitur sic agnosci,ut se patefecit,& hos solos exaudit ac recipit, qui hunc patefactum Deum inuocant,& Mediatorem agnoscunt.

Descriptio Dei apud Platonem.

Est sanè uenusta & erudita descriptio apud Platonem: Deus est mens æterna, causa boni in natura. Dicat aliquis,Quid requirendum est amplius? An non agnouit Plato Deum, ut est,æternum, sapientem, bonum, conditorem omnium bonarum rerum? Nondum satis dixit, nam deduci nostras mentes oportet ad DEVM, ut se patefecit,& tenenda est doctrina, de filio Mediatore.

V. Loci doctrinæ de inuocatione.

Postquàm hæc discrimina indicata sunt, iam distribuam doctrinam de inuocatione in Quinq; Locos.

I. Quis sit Deus quem inuocas.

Primùm cogitetur quem DEVM inuoces,ad quem DEVM mens tua directa sit. Non enim uagentur animi nostri, uelut Ethnicorum, sed ut Christus inquit Ioan: 14. Nemo uenit ad Patrem nisi per me. Hunc solum esse uerum Deum cogites,qui se inde usq; ab initio patefecit Ecclesiæ suæ, tradito suo uerbo,& misso hoc Filio Domino nostro IESV CHRISTO Mediatore. Formam igitur suprà posui,complectentem tres personas, & testimonium reuelationis.

Ac mox de uerbo cogitandum est. Dubitat enim mens ignara uerbi Dei, an Deus uelit inuocari, an curet nostros gemitus,an & cur uelit exaudire. Nullum uidetur leuius officium esse, quàm inuocatio. Semper enim & Ethnici & mali in Ecclesia aliquas precationes recitarunt. De his cùm cogitamus,disputant animi,qui magis curat Deus nos quàm illos, sæpè lapsi sumus,meruimus pœnas, sumus indigni beneficijs Dei. Aduersus hæc argumenta quibus inuocatio in multis languefieri, in multis prorsus extingui solet,muniamus nos sequentibus Locis.

II. Præceptũ de precando.

Est igitur SECVNDVS, præceptum de precando. Non solùm peccata sunt,cædes,furtum,adulterium, sed etiam peccatum ingens est, non reddere Deo hunc cultum,non petere,non expectare à Deo auxilium in periculis,non agere gratias pro beneficijs. Opponamus igitur præcepta incredulitati & indignitati nostræ. Cùm dubitas an Deus uelit inuocari,an curet nostros gemitus,lacrimas,uota,preces,propone tibi præcepta. Cùm enim iubeat se inuocari,non est inutile murmur oratio. Si te deterret indignitas tua, cogita quæ esset amentia in cæteris præceptis disputare, nos ideò nolle abstinere à furtis, aut cæde, quia non simus digni,qui Deo obtemperemus. Si quis paterfa-

paterfamilias imperet seruo legitimum opus, non recipiet serui excusationem, si is dicat se non esse dignum qui obtemperet.

Præcepta igitur sint in conspectu, & inter precandum, sæpè in mentem ueniant. Matth: 7. Petite & dabitur uobis. Est & addita uniuersalis: Omnis qui petit, accipit. Lucæ 18. Oportet semper orare, & non defatigari. Matth: 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. 1. Tim: 2. Adhortor ut faciatis deprecationes. 1. Thessal: 5. Semper gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim uoluntas Dei in Christo Iesu erga nos. Psal: 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te.

Inuocatio opus secundi Præcepti.

Dixi de præcepto. Pertinent autem hæ sententiæ ad secundum præceptum Decalogi. Estq; inuocatio opus secundi præcepti, & præcipuus cultus.

III. De Promissione.

TERTIVS locus est. Consideratis prę ceptis, mox quærat pia mens promissiones, ut sciat an & cur exaudiat Deus nos indignos, & meritos tristia supplicia.

Promissio de remissione peccatorum.

Ac ordo promissionum cogitetur. Initiò nobis proponamus promissionem de remissione peccatorũ. Vera est enim sententia, Peccatores Deus non exaudit, hoc est, non agentes pœnitentiam, & non quærentes remissionem peccatorum. Quare in omni inuocatione, etiam cùm alia quæcunq; petituri sumus, initiò cogitetur de remissione peccatorum promissa propter Christum, Et sint nobis in conspectu aliquæ clarissimæ sententiæ, ut Act: 10. dicitur, Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes credentes in eum. Et Roman: 5. Iustificati fide pacem habemus erga Deum.

Et prodest multa testimonia meminisse, ut suprà de Iustificatione & de Pœnitentia multa collegimus, ut sit infixũ animis, hanc uerè esse perpetuam Euangelij uocem, inde usque ab edita promissione ad Adam, certò propter Christum donari remissionem, & in omni inuocatione ad Deum accedendum esse fiducia Christi Mediatoris, ut Ephes: 3. dicitur, Per quem audemus accedere cum fiducia per fidem in ipsum &c. Et ad Hebr: 4. Habentes Pontificem Iesum accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.

Promissiones de bonis corporalibus & spiritualibus.

Postquãm autem de reconciliatione commonefacti sumus, deinde promissiones de bonis spiritualibus & corporalibus colligamus. Ioan: 16. Amen amen dico uobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. In nomine meo, id est, me nominato, id est, Si petetis me nominato Mediatore, ac Pontifice interpellante pro uobis. Iubet enim ut accedamus ad Deum fiducia Mediatoris, sicut toties iam dictum est, Nemo uenit ad Patrem nisi per Filium. Luc: 11. Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritũ sanctũ petentibus. Psal: 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Ioan: 15. Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. Hæc uerba alligant promissionem ad Ecclesiam, in qua rectè sonat uox Euangelij. Certa sit igitur Ecclesia Christi, id est, cœtus sonans Euangelium Dei, quòd reuera exaudiatur tantisper dum retinet Euangelium. Eodem modo de Ecclesia dicitur Matth: 18. Si duo è uobis consenserint in terra, de omni re quam petent, fiet eis à Patre meo cœlesti. Vbi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Hic quoq; proponitur Ecclesię dulcis promissio. Deut: 4. Nec est alia natio quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

Affir-

Affirmat uerē exaudiri Eccleſiam in qua ſonat uerbum Dei. Pſalmo 144. Propē eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Ieſaiæ 65. Antequām clamabunt, ego exaudiam adhuc loquentibus illis, ego audiam. Syrach 35. Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit, & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciet.

O inenarrabilem bonitatem & miſericordiam Dei erga Eccleſiam, ſonantem Euangelij uocem. Præcipit ut petamus bona, & addit ampliſſimas promiſſiones, ut inuitet nos ad inuocationem. Sed magna eſt imbecillitas, magnus ſtupor humani animi, fugientis Deum. Excitati igitur tot præceptis & promiſſionibus, corrigamus dubitationem noſtram, & accedere ad Deum ducente Chriſto incipiamus, nec putemus promiſſiones diuinas, inanes ſonitus eſſe, ut fingunt Epicurei. Non fruſtrā Deus ſeſe tot illuſtribus teſtimonijs patefecit, non fruſtrā uoluntatem ſuam declarauit, uult uoce ſua noſtram caliginem, noſtras dubitationes emendari. Præclarē igitur Taulerus inquit: Animum hominis nunquam tām auidum eſſe ad accipiendum, quin Deus multō auidior ſit ad dandum. Eſt enim uerax & ſeruans ſuarum promiſſionum.

IIII. Accenſio fidei in inuocatione.

QVARTVS locus eſt, Quòd fidem in inuocatione accendi neceſſe eſt. Ideō enim traditæ ſunt promiſſiones, ut fides accendatur. Et ut antea de ordine promiſſionum dixi, ita primùm hic ſciendum eſt in omni inuocatione, quæcunq; res petitur, oportere prælucere fidem, quæ accipit remiſſionem peccatorum, & ſtatuit nos placere Deo, & uerē recipi preces noſtras propter filium Dei Mediatorem. Ideō & teſtimonia de fide, quæ citat Paulus, etiam cùm alia obiecta externa ſimul complectuntur, tamen hanc fidem unā comprehendunt, quod qui non intelligunt, parum fideliter ā Paulo citari ſententias ex Geneſi & Prophetis contendunt. Memini enim me tales cauillationes audire, Sed non poterat Dauid petere uictoriam, niſi prius ſtatueret ſibi peccata remitti, ſe ā Deo receptum eſſe, & preces ſuas accipi ā Deo. Hæc ſuprā etiam attigi, cùm de Iuſtificatione dixi.

Spiritualia bona petenda ſine conditione.

Deinde diſcernendæ res ſunt, quæ petuntur. Aut petuntur ſpiritualia bona, quæ promiſit Deus nominatim ſe daturum eſſe, & uult ſine conditione peti, ut remiſſionem peccatorum, liberationem ab impietate & morte æterna, donationem Spiritus ſancti & uitæ æternæ. Hæc præcipua eſt Euangelij Promiſſio, quam etiam omnibus corporalibus commodis amiſſis, uult Deus nobis certiſſimam eſſe, ut Roman: 4. dicitur, Ideō ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio.

In his petendis fides nullam adfert conditionem, quia mandatum Dei eſt immutabile, quod præcipit audiri Chriſtum & præcipit ut credamus Euangelio, ac certò ſtatuant agentes pœnitentiam, recipi ſe ā Deo propter Chriſtum. Id qui non credunt, accuſant Deum mendacij. Ideō hic non aſſuenda eſt conditio aliqua, ſed credendum iuramento diuino: Viuo ego nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Saul prælijs aliquot uictus, tamen ā Deo deficere nequaquām debebat, ſed potius ad eum confugere, & reconciliationem petere. Dauid exutus regno & uniuerſa ſua gloria, tamen non deficit ā Deo, ſed ſciuit reconciliationem promiſſam eſſe, & hanc promiſſionem fide retinendam eſſe, etiamſi tota rerū natura aduerſaretur. Etſi enim Eccleſia ſubiecta eſt præſentibus miſerijs corporum, tamen propter eas non ſen-

tiendum

tiendum est,nos in æternum exitium abiectos esse,ut suprà recitaui sententias. 1. Corinth: 11.Cùm iudicamur,à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Et Christus ait,Beati qui lugent &c.

In omni petitione ad Deum afferri debet fides accipiens remissionem peccatorum.

Dixi de petitione spiritualium bonorum, nunc de beneficijs corporalibus dicam. Hic quoq; ut antè dictum est,præluceat fides,accipiens remissionem peccatorum, & statuens nos placere, & recipi preces nostras propter Christum. Hanc fidem uniuersaliter in omni petitione adferre ad Deum debemus. De rebus uerò ipsis hæc tria credenda sunt: Primùm, quòd Deus uerè sit dator horum beneficiorum,nec casu obijciantur, nec tantùm humana diligentia parentur. Vt igitur agnoscamus ea dari diuinitus, uult Deus ea à se peti,ut uictum,defensionem, tranquillitatem, pacem, successus in officijs uocationis,bonam ualetudinem. Deinde credendum, quòd Deus etiamsi Ecclesiam uult subiectam esse cruci,tamen ne deleatur, uelit ei dare beneficia corporalia,politias,hospitia mediocria, uictum, defensionem studiorum doctrinæ, scholas,successus in gubernatione, & alias res necessarias, Tertiò, credendum,quòd uelit Deus in petendis corporalibus exerceri, & crescere fidem reconciliationis.

In petitione corporalium tria sunt fide complectenda.

Hæc omnia in petitione corporalium bonorum cogitanda sunt. Et quoniam scimus oportere Ecclesiam subiectam esse cruci,semper hæc ita petantur,ut simul offeramus obedientiam nostram,si uelit Deus nos diutius exerceri. Vt Dauid petit & expectat reductionem in regnum,cùm à filio pulsus est, sed tamen offert Deo obedientiam suam, si eum non uelit reducere. Sic igitur dicit 2. Reg. 15. Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Sin autem dixerit mihi,non places,præstò sum. Faciat,quod bonum uidetur ipsi. Et Christus inquit: Pater,si possibile est, transeat à me Calix iste: Sed non quod ego uolo, sed quod tu uis,fiat. Et leprosus inquit: Si uis, potes me mundare. Et tres uiri Daniel: 3. Deus noster,quem nos colimus, potest nos eripere. Quòd si noluerit,notum sit tibi Rex, quòd Deos tuos non colimus. Et Paulus inquit: Nescimus quid petamus,quemadmodum oportet, hoc est, caro quidem oppressa magnitudine afflictionum,petit liberationem,& reformidat obedientiam,sed Spiritus reuocat animum ad obedientiam, & quamuis petit & expectat liberationem, tamen non repugnat uoluntati Dei, sed uult liberari cùm Deo placebit.

Cum petitione corporalium offerenda obedientia, si Deo ita placeat.

Semper igitur cùm pro Ecclesia,seu Republica,seu familia,seu schola petimus,adsit fides illa generalis,ut dixi. De rebus uerò ipsis credamus Deum aut liberaturum nos ab ijs calamitatibus,de quibus petimus, aut eas mitigaturum esse. Cùm enim Ecclesia in hac uita subiecta sit cruci,manent aliquæ ærumnæ, sed has pijs inuocantibus mitigat Deus. Sic Prophetæ de mitigatione precantur. Ieremias: Corripe me in iudicio, non in furore, Et Abacuc: Cùm irascaris Deus, recordare misericordiæ tuæ. Et Iesaiæ 64. Ne irascaris Domine ualdè.

Omnem petitionem præcedat fides generalis, sequatur specialis.

Et in tali precatione singuli non solùm pro sese petunt, sed primùm pro toto corpore Ecclesiæ. Id seruari oremus, etiamsi singula membra parata esse ad obedientiam debent, si quid erit tolerandum. Vt Dauid orans pro exercitu,uictoriam petit,ut Ecclesia sit incolumis. Interim scit aliquos uenire in periculum,aut interfici,& suam obedientiam offert. Nec precatio eius irrita est, recipitur enim à Deo, & impetrat multis mitigationem mali. Sic cùm

Precatio fiat & pro toto corpore Ecclesiæ & pro nobis.

precamur

precamur ut peſtilentia mitigetur, non de nobis ſolis angimur, ſed totam Eccleſiam eius loci complectimur. Pro his recipitur precatio ā Deo, & certō impetrat multis incolumitatem. Ac uult nos Deus in precatione affici aliorum & totius Eccleſiæ cura, ſicut ſcriptum eſt: Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem.

Apud Euripidem cùm Theſeus cadauera Argiuorum ad Thebas recipit,ac poſtea ſuis manibus abluit,miranturq; alij cur non mandet ſeruis hunc tetrum laborem lauandorum cadauerum, reſpondet quiſpiam: ſuperbiam aut delicias indignas eſſe homine, propter calamitates abhorrere ā miſerijs cùm opus eſt noſtro officio, οὐκ αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά. Huius honeſtiſſimi uerſiculi exemplum maximè in Chriſto conſpectum eſt. Is non duxit ſibi turpe eſſe,transferre in ſeſe pœnas noſtrorum ſcelerum,& affici cura noſtrarum miſeriarum:Sic nos ſinguli Eccleſiæ,Reipublicæ, parentum, liberorum, amicorum calamitatibus moueamur, & non tantùm nobis, ſed etiam alijs opem ferri petamus.

Fides ſpecialis uſu intelligitur.

Et quid ſit fides ſpecialis, nominatim expectans aut liberationem aut mitigationem,diſcamus intelligere in ipſo uſu,id eſt, cor inuocans Deum in periculis aut miſerijs corporalibus,etiam diſcat fide acquieſcere in Deo. Quò plus eſt dubitationis ac diffidentiæ, eò plus ſentimus cruciatuum in corde. Eſt autem in alijs ardentior,in alijs languidior fides. Erat ardens & firma fides in Cananæa petente pro filia. Item in Centurione.Erat languidior in patre adferente filium,primùm ad Apoſtolos,poſtea ad Chriſtum, Marci 9. inquit enim: Si quid potes,opitulare. Et poſtea lacrimans, agnoſcit imbecillitatem fidei,& petit ſe confirmari: Credo Domine,ſed opem ferto meæ diffidentiæ.

Etſi fides languida eſt, non tamen ſemper irritæ ſunt preces.

Diſcamus & nos agnoſcere trepidationes cordis fugientis Deum, etiamſi eſt languida fides,tamen ſemper caput teneamus,non eſſe irritas preces, non eſſe inutile murmur,ſicut Epicurei & Academici exiſtimant. Erigamus animos cogitatione tot promiſſionum, & rerum diſcrimina conſideremus. Sciamus nominatim petendam eſſe reconciliationem,& credendum eam accipi nec addendam eſſe conditionem, ſi placet. Expreſſit enim Deus uoluntatem ſuam,ac præcipit nominatim peti reconciliationem. Nec conturbemus ipſi nos quæſtionibus de prædeſtinatione,quas ſuprā dixi ſeponendas eſſe. Nos enim de uoluntate Dei ex uerbo expreſſo iudicare debemus.

Deinde & de corporalibus ærumnis nominatim petamus, aut liberationem,aut mitigationem. Hic enim obedientia noſtra neceſſaria eſt, ſic eam flagitet Deus. Nec tamen irrita eſt precatio, Impetrat enim uel alijs, uel tibi liberationem,aut mitigationem. Laurentij precatio in craticula non eſt irrita, etiamſi præſtat obedientiam, Nam etſi non liberatur, tamen precatio impetrat maius robur. Ionathas etſi ab hoſtibus interficitur,cùm patrem abiectum & infelicem ſequitur, tamen non fruſtrā pro exercitu & ſeſe precatur. Vincit tandem ea pars,quam ipſe ſuperiorem eſſe magis optabat, & ſuſtentatur ipſe arcana conſolatione.

Non propterea irritæ ſunt preces, quia nō ſemper reſpondet euentus.

Non igitur exiſtimemus,has petitiones corporalium beneficiorum irritas eſſe,quia non ſemper reſpondent euentus,ut nos optamus: Qui tamen ſæpè reſpondent,Agar impetrat filio potum,Iacob impetrat defenſionem in itinere,ne ab Eſau fratre opprimatur. Moſes impetrat uictoriam,orans pro exercitu

ercitu præliante,impositis brachijs saxo.Hanna sterilis mater Samuelis impetrat fœcunditatem. Iosaphat,Ezechias,Maccabæus,& alij multi precibus impetrant uictorias. Niniuitæ impetrant, ne ciuitas deleatur: In historijs Euangelicis plurima sunt exempla.

Ad has historias adiungamus quotidianas liberationes, quæ impetrantur Ecclesiæ precibus,omnibus temporibus. Quoties tibi,quoties mihi,quoties cuilibet nostrum,Deus quamuis trepidanter rogatus, sed rogatus tamen depulit,aut mitigauit ingentia mala? Non enim existimemus casu accidisse liberationem,ut alioqui inter homines usitatum est, ingratos post acceptum beneficium negligere opitulatores à quibus adiuti sunt. Mihi scio Dei ope aliquoties magnas calamitates mitigatas esse.

Liberationes exempla promissionum.

Omnes igitur liberationes seu alienas quas legimus,seu nostras quas experimur ipsi, sciamus exempla promissionum diuinarum esse, & commonefacti tùm promissionibus,tùm exemplis,discamus inuocare Deum, petere & expectare auxilium,& fides seu fiducia paulatim fiat firmior,acquiescat cor spe & expectatione auxilij diuini. Sic discamus usu hunc uersum: Iacta in Deum curas tuas,& ipse te sustentabit, & non dabit perpetuam fluctuationem iusto. Dat Deus corporalia bona, sicut hanc uitam, ut semper in terris aliqua Dei Ecclesia maneat,ut sint doctores & discipuli, ne deleatur doctrina, ne literæ intereant. Si mox omnes Apostoli interfecti essent, quis circumtulisset ac sparsisset in mundo Euangelium? Dat igitur Deus suum cuicp doctori curriculum, & interim defendit eius corpus, præbet domicilium, politiam, scholam,uictum,ut seruat nauim Pauli tantisper, donec in ea Paulus ad portum uenit. Causas igitur cogitemus ueras,propter quas dantur bona corporalia,ut ordinè & seriõ ea petamus,tãquam Dei beneficia Ecclesiæ necessaria.

Modus et tempus fidem exercent.

Exercent etiam fidem duæ circumstantiæ in petendo, Modus & Tempus. Moses nihil minus cogitat, quãm se quadraginta annis cum tanta multitudine, in tantis ærumnis in deserto uagaturum esse,sed sperat fortassis unius mensis iter fore. Sic plurima exempla docent, Deum alio modo & alio tempore liberare,quàm ut nos in hac imbecillitate nostrà uel cogitamus, uel optamus. Exercet enim nos,ut fide ab ipso pendeamus, non regamur nostris opinionibus. Ideò in Psalm: 4. dicitur: Mirificat Deus sanctum suum, id est,non humanis consilijs liberat Deus, sed mirandis modis, quos non potest humana ratio prospicere. Sic & Ephes: 3. dicitur: Deum facere posse, sed suprà quàm petimus, aut intelligimus. Et de mora sæpè dicitur, ut Lucæ 18. in exemplo de iudice segni & uidua, Et Abacuc 2. Si moram fecerit,expecta eum,quia ueniens ueniet,& non tardabit.

Modus et tempus consilio Dei permittenda sunt.

Non igitur nostrum est, præscribere Deo modum & tempus, sed hæc ipsius consilio prorsus commendanda sunt,ut oculi nostri interim non res ac euentus,sed Deum intueantur, & accendamur ad inuocationem. Huius regulæ exemplum illustre extat in historia Iudith, cap. 8. Cùm resciisset Iudith sacerdotem præscripsisse Deo quinqp dierum spacium, obiurgans sacerdotem inquit: Qui estis uos,qui tentatis Deum? Hic sermo magis irritat iram. Constituistis Deo tempus opitulandi.

Ignorantes igitur modum & tempus, Deum intueamur, & ab ipso petamus euentus placidos, sicut 2. Paralip. 20. dicitur: Cùm ignoramus quid agendum sit, hoc solum nobis restat,ut oculos nostros ad te dirigamus. Quæ

ſententia cũm dulciſſimam conſolationem contineat, ſemper in conſpectu ſit in omnibus rebus ambiguis, quæ humanis conſilijs extricari non poſſunt, cuiuſmodi ualdẽ multa homini accidunt. Adſcribam igitur Ioachimi Camerarij uerſiculos, quibus hoc dictum regis Ioſaphat expreſſit, ut admoneant de hoc præcepto ſtudioſos.

In tenebris noſtræ & denſa caligine mentis
Cùm nihil eſt toto pectore conſilij:
Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis,
Noſtra tuamq́; fides ſolius orat opem.
Tu rege conſilijs actus Pater optime noſtros,
Noſtrum opus vt laudi ſeruiat omne tuæ.

Idem docet Pſal:36. Commenda Deo uiam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. Et illuſtre exemplum eſt Exodi 14. cũm Pharao regium exercitum ducens, acceſſit ad Iſraëlitas, & oppreſſurus eos uidetur, quia Iſraëlitarum multitudo erat inermis, & partim mari, partim montibus incluſa, ne effugere poſſet, & periculum nullis humanis conſilijs diſcuti poſſet, clamat Moſes: Nolite timere, ſtate & uidete magnifica opera DEI, quæ facturus eſt hodie. Iubet ſtare, id eſt, non præſcribere modum Deo, non diſcurrere ad humana præſidia quærenda, ſed huc progreſſos ut Deo obedirent, in hac obedientia placidè expectare defenſionem à Deo ſicut ſententiæ ſuprà citatæ docent. In ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra. Item, Vacate & uidete quòd ego ſim Deus.

V. Locus Res petenda.

QVINTVS locus: Res petenda in precatione cogitetur, & recitetur. Ideò enim precatio eſt cultus Dei, quia hunc honorem tribuit Deo, quòd in tantis noſtris miſerijs opem ferat inuocantibus ipſum, nec ſit inane nomen, ut Epicurei furenter dicebant, nec ſit alligatus ad cauſas ſecundas, ut Stoici dicebant. Et prorſus eſt inanis καπολογία, recitatio quæ non monet accipi beneficia à Deo, nec agit gratias Deo pro acceptis beneficijs. Sciunt & Diaboli, hoſtes Dei, & certiſſimè norunt Deum eſſe æternam mentem immenſæ potentiæ, ſapientiæ, iuſticiæ, bonitatis & miſericordiæ, conditricem rerum, ſed hac ſua cogitatione non accenduntur ad amorem Dei, quia beneficia ab eo nulla petunt. Sit igitur petitio certi beneficij, ut agnoſcamus Deum non ſolùm ſibi bonum eſſe, ſed etiam erga nos beneficum. Hanc laudem poſtulat ſibi tribui. Sunt autem res petendæ, res non prohibitæ mandatis Dei. Non petat Saul tolli Dauidem, non petat Dauid interfici Vriam. Sed ut 1. Iohan:5. dicitur: Hæc eſt fiducia quam habemus erga Deum, quòd ſi quid petimus ſecundum uoluntatem eius, audit nos.

Primùm petenda reconciliatio.

Ac de ordine ſæpè dictum eſt ſuprà. Neceſſe eſt ante omnia peti reconciliationem, Imò fruſtrà petuntur cætera ſine fide reconciliationis. Fruſtrà peteret Dauid uictoriam, niſi ſimul peteret remiſſionem peccatorum. Præluceat ergo fides, petens reconciliationem, & ſtatuens nos recipi propter Chriſtum, omnibus aliarum rerum petitionibus.

Secundò conſideranda infirmitas noſtra.

Deinde ingentem infirmitatem noſtram conſideremus, quod ad animam & corpus attinet, ut intelligamus nobis opus eſſe Dei auxilio. Magna pars hominum in tantis tenebris uiuit, ut ſuas miſerias ne quidem conſideret. Homines ebrij uoluptatibus, opulenti, ſine magnis doloribus uiuentes, fruuntur

fruuntur præsentibus commodis,nec putant sibi opus esse auxilio Dei,sed alij qui ærumnas inextricabiles humano consilio sustinent,mole rerum oppressi, coguntur quærere auxilium Dei,sicut Iesaias inquit cap. 26. Domine in tribulatione uisitant te,angustia in qua clamant disciplina tua est eis. Primùm igitur opinionum & morum pericula consideremus. Tot summi homines horribiliter lapsi sunt: Adam, Aaron, Dauid, Petrus, & alij innumerabiles, quorum multi non resipuerunt,ut Samosatenus,Arius & alij. Nec solùm nostra infirmitas hic agnoscenda est,sed etiam insidiator diabolus, qui tanquam Leo rugiens circumit,quærens quem deuoret. Et longam telam texit diabolus,non hoc tantùm agit, ut Dauidem & Vriæ coniugem adulterio implicet, sed ut ab hoc initio longam Tragœdiam & inextricabilem Dauidi instituat, in qua tandem sperat Dauidem periturum esse,ut Saul perierat. *Pericula opinionum et morum.*

Ac profectò dolendum est,tantum esse stuporem hominũ, ut cùm quotidiana exempla cernamus tristissimorum casuum, quos manifestum est à diabolo ortos esse,tamen neq; aduersus tàm sæuum hostem, neq; aduersus tanta pericula nos diligentia & inuocatione nostri custodis Christi maiore cura muniamus.Manifestus Diaboli furor erat Anabaptistica seditio in urbe Monasterienſi,& exitus fuit tristissimus,nondum tamen aut illius furoris turpitudine,aut pœnis satis mouentur animi hominum, ut fugiant Anabaptistarum deliria. Quoties bella sine ullis ueris causis accendit Diabolus? Quoties priuatim nobis ingentia uulnera facit,cum deceptos aliquo specioso consilio implicat hominum malorum familiaritatibus? deniq; magnitudo malorum quibus Diabolus implicat homines, imò Ecclesiam describi uerbis non potest,sed aliquo modo agnoscitur historijs omnium temporum & quotidianis uitæ exemplis consideratis,obseruatis etiam nostris lapsibus.

Deinde pericula corporis, famæ, rerum, liberorum, Ecclesiarum nostrarum, & regionum quæ nobis & studijs honestis hospitia concedunt, plura & maiora sunt,quàm ut ratione comprehendi possint. Semper Ecclesia sic uiuit, ut Daniel sedens inter Leones. Semper undiq; Diaboli nobis insidiantur, & subinde multos euertunt, semper homines impij minitantur atrocia Ecclesiæ,semper aliqui sæui casus expectandi sunt. Vt multæ subitæ ruinæ,ac uerissimè dictum est: *Pericula corporis, famæ, rerum, liberorum &c.* *Ecclesia uiuit ut Daniel inter Leones.*

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ ualuêre ruunt.

Iuuentus adhuc ignara uitæ, imaginatur homines nasci ad delicias, & fruendas uoluptates, & has ociosis animis expetit & quærit: Sed senes, qui degustarunt communes miserias, longè aliter iudicant,ac intelligunt hanc uitam uniuersam plenam esse ærumnarum, nec dissimilem ciuitati, quæ cincta obsidione undiq; acerrimè ab hostibus oppugnatur, & in quam nunc ab hac parte,nunc ab alia hostes irruunt, excitant incendia,euertunt aliqua ædificia, & uix repelluntur. Mirantur certè sapientes omnes, cur hæc præstans, & tamen imbecilla hominum natura tantis miserijs onerata sit, quas perferre suis uiribus non potest.

Vetus dictum est: Vnumquenq; fabrum esse suæ fortunæ, quasi fortuna regi nostris consilijs,& prospici ac caueri humana diligentia omnes casus possint;Sed de uniuersa hominis gubernatione dictum illud accipi non posse

manifestum est. Adam non potest prospicere & impedire scelus filij Cain, nec eluctari suis uiribus ex magnitudine dolorum, qui illam fratrum tragœdiam sequuntur. Aliquid prodest diligentia in hac communi consuetudine uitæ in rebus leuioribus, quæ pendent à nostris uoluntatibus. Scipio sua moderatione faber est suæ fortunæ, quòd ipse non accendit bellum ciuile cupiditate uindictæ, ut postea fecerunt Marius, Pompeius, Cæsar. Sed nihil dubium est, multa tristia mala accidere homini, quæ aut non possunt prospici, aut si qua possunt prospici, tamen in tantis erroribus humanis, non cauentur, quia sæpè hallucinamur, & nobis ipsis bonas spes stultè fingimus, ut poterat Pompeius non mouere bellum ciuile, sed incensus cupiditate, & inani spe in consilio errabat, ut dicitur: κενοὶ κενὰ λογίζονται διὰ ἐπιθυμίας. Postremò postquàm alea iacta est, sæpè accidunt talia, quę perferre nisi Deo adiutore non possumus. Adam, Dauid succubuissent suis doloribus, nisi diuinitus sustentati fuissent. Causas uerò tantarum miseriarum suprà recitaui, quarum præcipuas ignorat Philosophia, quòd uidelicet Deus iustus iudex declaret his testimonijs iram suam aduersus communem prauitatem, hærentem in omnibus hominibus, & aduersus multa singulorum scelera, propter quæ communes pœnæ cumulantur.

Obiectio rationis humanæ.

Ac opponit quidem ratio humana argumentum multorum disputationibus agitatum, quod hic explicari prodest.

Iustis debet benè esse,
Ecclesia est iusta.
Ergo Ecclesiæ debebat benè esse.

Ecclesia in hac uita iusta imputatione & incoatione.

Primùm respondendum est ad minorem, Ecclesia est iusta, scilicet imputatione, & incoatione in hac mortali uita, sed adhuc in ea hæret magna caligo, multæ dubitationes de Deo, multi uiciosi affectus. Multi sunt etiam multorum insignes lapsus in ipsa Ecclesia, ut Aaronis, Dauidis, qui irritant iram Dei. Ac suprà dixi, magis premi Ecclesiam, quàm reliquam partem generis humani, non rectè inuocantem Deum, quia Deus in sua Ecclesia præcipuè uult agnosci iram aduersus peccatum: Tiberius & similes alij multi contemnentes Deum, etsi post hanc uitam daturi sunt pœnas, tamen hic minus premuntur quàm Ecclesia, quia Deus in Ecclesia suum iudicium uult conspici & metui, sicut scriptum est: Iudicium à domo Dei incipit. Et accedunt aliæ causæ, quas suprà recensui.

Iustis debet benè esse est sententia Legis quam interpretatur Euangelium.

Nunc ad maiorem respondeo: Iustis benè esse, congruit ordini diuino, & sic sancit Lex: Qui fecerit ea, uiuet in eis. Item, Hoc fac & uiues. Item Deut. 28. Si audieris uocem Domini Dei tui, & facies omnia mandata eius, benedictus eris egrediens & ingrediens, id est, in omni gubernatione politica & œconomica, in bellis, in pace, in liberorũ procreatione, gubernatione & successione, in tuenda Ecclesiæ puritate & honesta disciplina &c. Est igitur Legis uox uera, & ordinis diuini regula. Iustis benè esse, iustum est. Sed huius regulæ interpretationem tradit Euangelium: Iustis benè erit, cùm Ecclesia glorificabitur. Interim Deus differt præmia. Nam Ecclesia nondum est sine peccatis: Et cùm omnia bona & mala huius uitæ breuia sint ac momentanea, Deus non uult iustos fugacibus bonis ornare, nec iniustos breuibus supplicijs punire, sed uult suam iusticiam in rebus æternis ostendere. Ideò præcipua præmia & præcipuas pœnas differt in illam uitam æternam. Interim in hac uita regulariter

lariter tamen atrocia scelera punit manifestis corporum pœnis, tùm ut nos admoneat de ira sua,& de æterno iudicio,tũm politicæ pacis causa.

Philosophi attoniti admiratione huius confusionis, ut putant, cùm uident hic bonis,ut Palamedi,Socrati,malè esse, Malis uerò, ut Tiberio, benè esse,quærunt causas,& coniungere cum uirtute præmia conantur. Hinc illæ quæstiones sunt, an uirtus ad beatitudinem sufficiat, an Socrates sit beatus, cùm uirtuti non respondeant præmia. Hęc in Philosophia sunt inextricabilia, sed in Ecclesia dextrè explicantur: Paulus est beatus,cùm placeat Deo,ac habeat Deum custodem & gubernatorem,& quanquàm in hac uita scit se cruci subiectum esse propter certas causas,tamen postea scit Ecclesiam non fugacibus,non exiguo tempore duraturis bonis,ut est huius uitæ curriculum,ornandam esse. Ita suo tempore cum uirtute coniunguntur præmia, & quidem perpetua,non fugacia,ut sunt bona huius uitæ mortalis.

Philosophis causæ confusionum in genere humano.

Hanc explicationem argumenti uulgaris,quo disputatur, iustis debere benè esse, recitaui non solùm ut de communi Philosophorum quæstione lector admoneretur,sed ut nos ipsi attentius consideremus & miserias nostras, & earum causas ac remedia.

Cùm igitur cogitabis te ut in urbe cincta obsidione, quæ undiq; acerrimè oppugnatur,uiuere, cùm sentis ærumnas aliquas,ipsæ res admonent, ut opitulatorem quæramus. Ideò res petendæ,ut suprà dixi, in precatione comprehendantur,& earum ordo intelligatur. Primùm petenda est remissio peccatorum & reconciliatio,& cum his bonis lux Spiritus sancti accendens & confirmans in nobis agnitionem Dei,fidem, timorem, tolerantiam,dilectionem,denique regens nos in uocatione,& in omnibus consilijs, in docendo, in regenda republica.

I. *Petenda remissio peccatorum & bona spiritualia.*

Secundo loco petantur & bona corporalia communia & priuata, pax earum regionum,quæ Ecclesijs & pijs studijs hospitium præbent, honesta ciuitatum disciplina,fertilitas agrorum, tempestates secundæ, bona ualetudo, uictus,successus in administratione tua politica & œconomica, defensio liberorum,famæ,possessionum. Et illa ociosorum hypocritarum amentia prorsus explodatur,qui dicunt indignum esse bona corporis à Deo petere. Hæc deliramenta plena sunt impietatis: Imò præcipit Deus, ut petamus corporis bona,& præcipit,ut suprà dixi,propter tres grauissimas causas, quarum prima est,ut agnoscamus & certò statuamus bona corporis non temerè, non casu dissipari inter homines,sed Deum uerè earum rerum autorem esse, & ab ipso eas suæ Ecclesiæ dari & seruari suo mirabili consilio. Deus seruat uitam Abrahæ,Eliæ,Pauli,& curat eis hospitia,uagantibus inter ingentia pericula per multas regiones,ut Christus clarè dicit: Scit Pater uester uobis opus esse defensione corporum & promissiones horum bonorum suprà recensui. Secunda causa est,cur ea peti Deus uelit,ut sciamus in hac uita seruaturum esse Ecclesiam. Quandiu doceret Paulus,si mox interficeretur? Vt igitur aliquo spacio doceat,petit uitam,uictum,hospitia. Quomodo possumus seruire Ecclesiæ Dei,si corpora,sint fracta doloribus? Petamus ergo tranquillitatem, aut mitigationem miseriarum,ut seruire Ecclesiæ possimus, & propter hanc causam sciamus,Deum hæc bona uelle largiri,sicut sæpè testatur, ut cùm ait Christus: Primùm quærite regnum Dei,& cætera adijcientur uobis.

II. *Petenda bona corporalia communia & priuata.*

Tres causæ propter quas debent peti bona corporalia à Deo.

Tertia causa est,quia uult Deus in his exercitijs petendorum corpora-

lium confirmari fidem de reconciliatione. Semper enim in his petitionibus prælucere illam fidem de reconciliatione oportet.

Has cauſas inculco, ut ſint in conſpectu,& nos exuſcitent ad inuocationem. Chryſoſtomus & alij multi inſulsè deprauant precationem quam tradidit Chriſtus, cùm panem quotidianum nolunt intelligi de corporali pane. Imò ſciamus has res corpori neceſſarias, uitam, uictum, fruges, politias, eſſe ingentia & miranda opera DEI, & non temerè, non caſu ſpargi inter homines, ſed certo conſilio DEVM hæc adminicula uitæ, & attribuere Eccleſiæ & ſeruare.

Stoicum delirium.

Nec Stoici illi audiendi ſunt,qui uociferantur,cùm Deo gratis ſeruiendum ſit,non eſſe petenda bona corporum. Hæ nugæ ex magnis tenebris oriuntur. Non attendunt hi Stoici,qualis ſit huius uitæ imbecillitas. Non petuntur hæc bona ut præmia,ut compenſationes, etſi ſic quoq; ſuo ordine peti poſſunt, ſed petuntur ut uocationum adminicula: Non poſſet gubernare populum Moſes, ſi dolore animi aut corporis extingueretur. Petit igitur uitam, conſolationem, uictum, ut ſeruire poſſit in uocatione, & tamen liberali animo ſeruit. Non fremit aduerſus Deum,etiamſi fuerit euocatus ex hoc ſuo curriculo,aut etiamſi quæ difficultates maiores quas deprecatur, tolerandæ ſunt.

Cùm hoc ordine petimus, ut anteferantur bona æterna, nec deſeratur Deus, ſi bona corporis differat, aut non largiatur,placet Deo hæc petitio, & hoc honore coli ſe adfirmat,Nec opus eſt longa diſputatione.Nota ſunt enim præcepta,notæ promiſſiones, nota exempla ſummorum Patrum & Prophetarum,qui omiſſa illa Stoica ſeu potius Cynica Philoſophia,ſciebant omnia bona à Deo mirando ordine condita, res magnas & non contemnendas eſſe, ac Deum autorem agnoſcendum eſſe, & ab eo petendam uitam, & uitæ adminicula, ac defenſionem.

Exemplum Iacob.

Iacob cùm uidiſſet Dominum in ſcala ſtantem, audit pariter promiſſiones de rebus æternis,& de bonis corporis. Ideò enim uocat Iacob & eius poſteritatem,ut condat Eccleſiam,quæ exiſtere in hac uita non poteſt ſine hoſpitio,ſine uita & uictu docentium. De bonis æternis inquit: Benedicentur in Semine tuo omnes tribus terræ. De defenſione corporum ait: Ero cuſtos tuus quocunq; perrexeris. Ita nos uniuerſaliter,quoties promittit uox diuina manſuram eſſe Eccleſiam Chriſti (id autem ſæpè & clarè promittitur) complectamur argumentum, ut uocant, à connexis, ſimul uidelicet promitti uictum & domicilium Eccleſiæ. Deniq; impietas & furor eſt,abducere animos à petitione bonorum corporis,cùm Deus hoc honore affici uelit, & noſtram fidem his exercitijs excitari.

Bona æterna & corporalia ordinè petenda.

Petamus igitur,ut dictum eſt,ordinè æterna bona,& corporis bona, & quanquàm precatio etiam breui gemitu fieri poteſt, tamen utile eſt iunioribus & grandioribus, ſine ſuperſtitione tenere formam precationis eruditè compoſitam,compellantem uerum Deum & diſcernentem noſtram inuocationem,ab Ethnica, Turcica & Iudaica, & nos ſimul commonefacientem de promiſſione diuina,& res certas petentem. Tales ſunt pleræq; precationes primorum Patrum,& populi Iſraël.Diligenter hi quoq; diſcernunt ipſa compellatione uerum Deum à ficticijs,ac mentionem faciunt teſtimonij,quo ſe patefecit Deus. Interdum & promiſſionem proponunt,ſignificantes luctam in

inuoca-

inuocatione,ut Gen: 32. ait Iacob: Deus patris mei Abraham,& Deus patris mei Isaac,Iehoua qui dixisti mihi,Reuertere in terram tuam, & benefaciam tibi,minor sum cunctis miserationibus tuis. Erue me de manu fratris mei Esau, ne percutiat matres cum filijs. Tu locutus es, te mihi benefacturum esse &c. Tales multæ sunt formæ in scriptis Propheticis. Ac prodest attentè partes considerare. Compellatio est: Te uerum Deum patefactum patribus meis Abraham & Isaac inuoco,& confugio ad te,non fretus mea dignitate,sed dulcissimis promissionibus tuis. Agnosco enim me longè minorem esse tuis miserationibus,sed dixisti te mihi opitulaturum esse. Vide ut se sustentat cogitatione promissionis,& in hac acquiescit,deinde rem petendam subijcit,& causam,ne pereat Ecclesia,defende me,ne interficiantur matres & filij.

Et crebrò sic petunt Patres & Prophetæ: Deus Patrum nostrorum, Abraham,Isaac,Iacob,id est, Deus qui te certis testimonijs patefeciſti Patribus nostris, Abrahæ,Isaac,Iacob,& tradidisti eis promissiones. Postea etiam utuntur hac forma tradita in Decalogo, Deus qui eduxisti populum Israël ex Aegypto. Hæ formæ sæpissimè repetitæ sunt in Psalmis. Denique & Patres & posteri addunt communi appellationi Dei peculiare nomen. Elohe commune est,quo etiam Gentes utebantur: Sed Iehoua proprium est, quo Deum sola Ecclesia Patrum & Israëlitarum compellabat. Ita hic loquitur Iacob. Et Psalm: 19. dicitur,Nos nomen Dei nostri Iehoua inuocabimus. Et ubique obuia sunt exempla, adeóque usitatam pijs consuetudinem fuisse arbitror, ut hæc duo nomina recitata esse existimem à Thoma,Iohan: 20. cùm ad Christum inquit: ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου.

Vtendum forma precationis piè & eruditè compositâ.

Assuefaciamus igitur nos ad recitationem aliquam & utamur forma piè & eruditè composita,sine superstitione,sine magia. Non hymnos Orphei,aut Homeri,aut Callimachi recitemus: Sed uero animi motu confugiamus ad Deum fiducia patefacti Christi. Sit directa mens ad illum Deum creatorem, qui se patefecit misso Filio Christo,& dato Euangelio suo.

Multi ignaui,temulenti,securi,contemnunt recitationem. Sed hortandi sunt pij, ut se ad recitationem aliquam ut dixi, assuefaciant, & causæ multæ sunt grauissimæ. Nam hæc ipsa recitatio est confessio quædam,qua Ecclesia priuatim & publicè sese ab idolis seiungit, ac se quisque erudit,ac commonefacit de uero Deo, & de uero cultu. Deinde cogitatio patefactionis & promissionum accendit affectus, fit ardentior fides, cùm cogitat quanta bonitas sit, quòd se Deus patefecit, quòd ostenderit quomodo uelit inuocari, quòd proposuerit Mediatorem,quòd exempla plurima semper proposuerit, quòd uerè exaudiat inuocantes. Hos animi motus, hanc fidem excitari inter precandum oportet,ad quod erudita recitatio conducit. Fides enim ex auditu est, auditus per uerbum Dei. Necesse est igitur cogitatione uerbi diuini accendi fidem.

Quidam ex Eremitis dixit, nullum esse difficilius opus, quàm dicere precationes Deo. At nullum existimatur esse leuius ac uulgarius opus. Sed cùm Christus dicat: Veri adoratores adorabunt Patrem spiritu & ueritate, difficultas facilè intelligi potest: Fiat inuocatio spiritu,id est, non hypocrisi, non βαττολογία, sed pio motu cordis: & fiat in ueritate,id est, uera Dei agnitione,directa sit ad uerum Deum,& ad Mediatorem. Concurrere igitur ne-

ceſſe eſt cogitationem ueram de Deo,& motus cordis. Ideō ſe patefecit Deus uoce,miſſo Filio,ut conſpiceretur in carne,ut hunc Filium in precatione intueamur,& de Patre admoneamur. Non contemnas hanc uiſibilem filij Dei conuerſationem inter nos, nec putes fruſtrā ſuſceptam eſſe. Noſtræ imbecillitati Deus conſuluit, ſic agnoſci uoluit, intueri nos in hunc Filium patefactum iubet,& ut uiſibilis fuit conuerſatio,ita uult recitationes & compellationes fieri huius Dei,qui hunc Filium miſit, quem conſpexerunt oculi tot hominum,qui pependit in cruce,qui reuixit ex morte.

Sed quia difficilis eſt attentio in recitatione,ideō ignaui fugiunt recitationes. At Eccleſia ſemper eas propoſuit,& publicē & priuatim eas exerceri iubet,Ideō Pſalmi traditi ſunt ſummo conſilio compoſiti.Et Chriſtus ipſe formam precandi proponit,ac nominatim inquit Lucæ 11. Cūm oratis,dicite. Verba & recitationem certam præſcribit,ut antea præſcripſerat Ioannes. Teneamus ergo & recitemus formam diuino conſilio traditam.

Explicatio orationis Dominicæ.

Pater noſter qui es in cœlis.

I. Id eſt,qui ades ubiq;,ubiq; reſpicis & exaudis,omnipotens conditor rerum:Sed hac parte recitata,animum tuum detineat Patris appellatio. Quem Deum uocas Patrem? Et cur ita nominas? Per quem aditus tibi ad eum factus eſt? Hic ueniant in mentem Chriſti dicta Ioan: 14: Nemo uenit ad Patrem niſi per me.Et: Qui uidet me,uidet Patrem.Et Ioan: 16. Amen amen dico uobis,quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Hunc igitur Deum uocas Patrem,qui ſe patefecit miſſo hoc ipſo Filio Chriſto, & reſuſcitato,ac dato Euāgelio. Et uocas ideō Patrem noſtrum,quia placatus eſt per Filium,& hoc ſacerdote perferente noſtras preces recipit. Vt igitur me commonefaciam, addo hæc uerba: Omnipotens, æterne & uiue Deus, æterne Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui te patefeciſti immenſa bonitate, clamaſti de Filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto: Hunc audite, conditor omnium rerum,& conſeruator & opitulator,cum Filio tuo coæterno Domino noſtro Ieſu Chriſto,regnante tecum,& patefacto in Ieruſalem, & Spiritu ſancto tuo effuſo in Apoſtolos,ſapiens,bone,miſericors,iudex & fortis, Pater noſter qui es in cœlis: Ita diſtinguitur inuocatio ab Ethnica,Turcica,Iudaica, & admonetur mens de promiſſionibus.

II. *Sanctificetur Nomen tuum.*

Id eſt, Effice ut uerē agnoſcaris,ut uera doceantur, per quæ gloria tua uerē patefiat,ut te rectē inuocent,& colant homines. Nomen enim ſignificat noticiam,ſeu agnitionem & celebrationem nominis Dei, & inuocationem. Res igitur petenda, quæ hic initiō recitatur,eſt ſummum & primum bonum, de quo primum præceptum & ſecundum præcipuē concionantur, uidelicet, ut Deus rectē innoteſcat,ut doctrina uera de Deo uox Euangelij uerē & latē ſpargatur & rectē accipiatur,& multi homines uera inuocatione ac obedientia Deum celebrent.

III. *Adueniat regnum tuum.*

De effectu primæ Petitionis præcipuē loquitur. Sparſa Euangelij uoce, regas etiam nos Spiritu ſancto tuo, effice ut uerbo tuo credamus,incoa in nobis regnum tuum,ut fiamus hæredes regni tui, & deſtruas regnum Diaboli, horribiliter graſſantis in genere humano, & paſſim homines impellentis ad Epicure-

Epicureum Dei contemtum,aut colenda idola,scelerata homicidia, libidines, mendacia,& alios furores. Aduersus hæc mala defende nos æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, & rege nos Spiritu sancto tuo, sicut dixisti. Effundam de Spiritu meo.

Fiat voluntas tua.

Id est, Da ut omnes obediant tibi in terra. Da ut pastores Ecclesiæ,reges,magistratus,doctores,discipuli,ciues,suo loco singuli officium suum recte & feliciter faciant, ac omnes tibi obediant, sicut Angeli in cœlo tibi obediunt,& placent tibi. Tuum opus est efficere,ut nos miseri,stulti,infirmi,res geramus bonas & salutares,simus organa non iræ,sed misericordię,simus utiles Ecclesiæ,non simus pestes νοῦ ἀλάσορες. Politia Ezechiæ felix est te iuuante. Politia Sedechiæ infelix est, quia te adiutorem repellit. Nos non repellimus te, sed uero pectore, ueris lacrimis oramus, ut nostras Ecclesias, Doctores, Scholas, Principes, Gubernatores,Populum regas,ut aliqua fiant tibi grata, sicut inquit Paulus: Deus qui efficit ut uelitis, efficiet etiam ut perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant. Nam Diaboli & homines impij magno furore student ingrata Deo facere,confirmant Epicureos furores, idola, libidines, accendunt iniusta bella, efficiunt tristissimas uastitates. Sed ne totum genus humanum frustra conditum sit, ne omnes ingrata Deo faciant, Deus Ecclesiam uocauit, & Spiritu sancto suo trahit, ut bona & grata Deo faciat, sonet ueram de Deo doctrinam,audiat, recte inuocet Deum,agat ei gratias,obediat ei, multos feliciter abstrahat à Diabolo, pijs & salutaribus consilijs regat alios,tueatur pacem & honestam disciplinam. IIII.

Hactenus igitur petitiones complexæ sunt res summas, ac bona magis ad Spiritum,quàm ad corpus pertinentia, communia & priuata, & ordo sapienter institutus est. Primùm uera agnitio Dei petitur, deinde agnitionis effectus, ut gubernemur à Spiritu sancto. Tertiò, ut in sua quisq; uocatione seu functione suum officium ritè & feliciter faciat. Nunc sequitur petitio rerum corporalium.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.

Id est,uictum,pacem,defensionem,bonam ualetudinem, ut labores uocationum perferre possimus, successum in rebus gerendis iuxta uocationem, liberorum educationem, mediocrem tranquillitatem, hospitia, politias honestas,disciplinæ,iuris, iudiciorum custodes, & non dissipatas seditionibus, laxatione disciplinæ, aut bellis. V.

Et dimitte nobis debita nostra.

Toties iam dictum est, in omni precatione primùm petendam esse remissionem peccatorum,& fidem de reconciliatione semper oportere prælucere cæteris petitionibus. Semper initiò Mediatorem Christum intueamur, & petamus ac credamus nos propter eum recipi & exaudiri, sciamus hunc sacerdotem pro nobis interpellare,& hac fiducia ad Deum accedamus,sicut sæpè dictum est,Iustificati fide pacem habemus,& accessum ad Deum. Item:Habentes pontificem Iesum,accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Cùm igitur semper in inuocatione indignitas nostra nobis obstrepat, ac deterreat nos à Deo,ut trepidæ mentes fugiant Deum,hic simul iubet Christus,ut petamus reconciliationem,& non iuberet petere,nisi uerè daturus esset.Hic igitur VI.

attenta

attenta mens de remissione peccatorum,& de Mediatore Christo diligenter cogitet.Est autem insignis confessio Ecclesiæ,in his ipsis uerbis agnoscentis se circumferre peccata & multiplicem infirmitatem. Sed consolatio hic proponitur. Cùm enim ipse Christus iubeat nos petere remissionem, haud dubiè eam donabit. Et in hac recitatione mens simul recordetur expressas promissiones, ut 1. Ioan: 1. Si dixerimus nos non habere peccata, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Si confitebimur peccata nostra fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra.

Quòd autem hic additur: SICVT NOS REMITTIMVS, admonemur de pœnitentia, ne perseueremus in delictis contra conscientiam. Quia cùm mens retinet contemtum Dei, non exauditur iuxta illud: Peccatores Deus non exaudit, uidelicet perseuerantes in delictis contra conscientiam. Et Ioan: 3. dicitur. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus erga Deum impetraturos nos esse ea,quæ petimus, id est, si non perseueramus in delictis contra conscientiam. Eodem pertinet dictum Matt: 5. Si munus offeres ad altare, & recordatus fueris, fratrem aliquid contra te habere &c. Et passim Prophetæ inculcant hanc sententiam non placere Deo ceremonias & precationes eorum, qui perseuerant in delictis contra conscientiam, ut Iesaiæ 1. & 58.

Cogitemus autem quàm uerè miserum sit non posse confugere ad Deum,non habere Deum protectorem,non gubernatorem, non opitulatorem, posse opprimi à Diabolo,aut humanis erroribus dementatum ruere. In his tantis miseriis & periculis sunt omnes homines, qui cùm in delictis contra conscientiam perseuerent,non possunt inuocare Deum.Excitemus igitur nos ad pœnitentiam,& emendemus mores.Cæterùm & hoc sciamus, agenti pœnitentiam remitti culpam gratis propter Christum,ut suprà sæpè dictum est.

VII. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Id est,ne sinas nos pertrahi à Diabolo ad impietatem,& ad alia scelera, defende nos contra Diaboli insidias,rege nos tua luce, tuis consiliis, ne sinas nos ruere deceptos nostris erroribus aut impulsos imbecillitate carnis. Magna & admiranda sapientia & uirtus fuit Dauidis, hunc tamen uidemus aliquoties impulsum aliàs à Diabolo, aliàs humano errore, ut cùm iubet numerari populum. Cùm igitur magna sit infirmitas omnium, tu nos æterne Deus Pater Domini nostri Iesu Christi,rege & ostende nobis salutaria consilia in priuatis & publicis negocijs,& confirma corda nostra Spiritu sancto tuo, ut tibi obtemperent, ut simus non organa iræ,sed organa misericordiæ, & utilia Ecclesiæ.

VIII. *Libera nos à malo.*

Petitio generalis est,quæ petit liberationem ab omnibus miseriis & ærumnis huius uitæ,à peccatis,à tyrannide diaboli,à scandalis, à calamitatibus publicis & priuatis,ut uidelicet cum uniuersa Ecclesia erepta ex præsentibus miseriis,donemur luce,iustitia,& uita æterna & fruamur dulcissima consuetudine Dei æterni,& Domini nostri Iesu Christi, Amen.

Vides igitur res petendas optimo ordine complexum esse Christum in hac forma,quam nos recitare iussit. Expressè enim inquit: Sic dicentes precamini,ac nominat res æternas, spirituales, corporales, præsentes & futuras.

Vult

Vult te de tota uita cogitare, Imò de tota æternitate, de præsentibus et futuris periculis, quorum cogitatio certè exuscitare animos ad inuocationem debet.

Quòd uerò initiò monui, cogitandum esse quem Deum inuoces, ubi se hic Deus patefecerit, an, & cur exaudiat, id attentè considerandum est, ne uagentur animi in inuocatione, sicut Ethnicorum animi uagantur. Ideò Filius Dei æternus assumsit humanam naturam ac nobiscum familiariter uersatus est, ut inuocantes cogitent, hunc uerè esse Deum, qui se patefecit misso hoc Filio euidentibus testimonijs, & æternum Patrem de hoc Filio testificantem alloquantur. Formam igitur suprà recensui.

Forma precationis directa ad Patrem.

Omnipotens, æterne & uiue Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, & clamasti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo: Hunc audite, Conditor omnium rerum & conseruator ac opitulator, cum Filio tuo coæterno, Domino nostro Iesu Christo, regnante tecum, & patefacto in Ierusalem, & cum Spiritu sancto tuo effuso in Apostolos, sapiens, bone, misericors, iudex, & fortis, qui dixisti. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Dixisti item: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, & sanctifica ac rege me Spiritu sancto tuo, rege & defende Ecclesiam tuam, & politias, quæ sunt Ecclesiæ hospitia.

Forma precationis ad Filium.

Pia est & hæc forma alloquens Christum Filium Dei: Te inuoco Iesu Christe Fili Dei uiui, crucifixe pro nobis & resuscitate, λόγε καὶ εἰκὼν ἀϊδίε τοῦ πατρός, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos. Miserere mei, & intercede pro me apud æternum Patrem tuum, sanctifica & rege me Spiritu sancto tuo, defende me aduersus Diabolos, spiritus mendaces & homicidas, hostes tuos.

Testimonia de inuocatione Filij.

Hæc compellatio Christi, confessio est omnipotentiæ, Nam sic inuocans sentit Christum uidere motus cordium omnium hominum, & esse opitulatorem omnipotentem, dantem Spiritum sanctum, & iuuantem nos in periculis corporis & animæ. Complectitur autem & hæc forma tres personas, Filium alloquitur, & nominat intercessorem apud æternum Patrem, & fatetur ab ipso dari Spiritum sanctum.

Ita expressè compellatio Christi aliquoties in scriptis Propheticis & Apostolicis proposita est. Act: 7. Domine Iesu, suscipe spiritũ meum. 1. Thess: 3. Ipse Deus & Pater noster, & Dominus noster Iesus Christus gubernet iter nostrum ad uos. Nec dubium est in Genesi cap. 48. Iacob concionari de Christo, cùm inquit: Benedicat pueris istis Deus, & Angelus qui eripuit me ex cunctis malis. Et Psalm: 71: Et adorabunt ipsum semper.

Estq; hæc forma inuocationis testimonium illustre, docens, Christum esse natura Deum & omnipotentem. Nec ad has compellationes adiungatur, compellatio hominum mortuorum, quæ obscurat & corrumpit ueram inuocationem, sed regula teneatur. Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli seruies. Non est leue scelus stabilire inuocationem hominum mortuorum, cùm nulla testimonia de ea diuinitus tradita sint, & cùm manifestè obscuret Mediatorem Christum. Deinde cùm inuocatio inuisibilium tribuat potentiam inuocatis, iudicandi motus cordium, quod proprium est solius omnipotentis naturæ, ut 1. Paral: 28. dicitur. Omnia corda scrutatur Dominus, & uniuersas

Mortuorum hominum inuocationes improbandæ & fugiendæ sunt.

niuersas mentium cogitationes intelligit. Et Ierem: 17. Ego Dominus scrutans corda, &c. Hic honos Dei non est transferendus ad Prophetas aut Apostolos, aut Mariam. Et Iesaiæ 63. clarè dicitur: Abraham ignorat nos. Sed omissa inuocatione Mariæ, Prophetarum & Apostolorum, alia de eis piè, utiliter, & splendidè dici possunt, gratiæ Deo agantur, quòd per hos se patefecit, quòd per eos doctrinam suam tradidit, doctrinæ genus etiam consideretur, quod singuli docuerint, agantur gratiæ, quòd Deus addidit euidentia testimonia per horum facta, ut per Mosi, Eliæ, Elisæi miracula, quòd Ecclesiam subinde per aliquos instaurauit, quòd proposuit exempla misericordiæ receptis lapsis, ut Dauide, Magdalena, &c. quòd proposuit exempla, quæ ostendunt exaudiri nostras preces in periculis, et uerè impetrare liberationem, ut Agar filio potum impetrat: Iacob, Dauid, Ezechias impetrant defensionem. His exemplis nos ad inuocationem excitemus, ut imitemur illorum prænitentiam & fidem. Postremò ipsos etiam laudemus, quòd Deo uocanti obtemperauerunt, & Dei dona sua diligentia retinere studuerunt. Longa est oratio & plena pietatis de illis Ecclesiæ luminibus, de Prophetis, Apostolis, & alijs multis pijs hominibus, si historiæ eorum prudenter enarrentur, & ad nos docendos, ac ad imitationem pro nostro modo, proponantur. Hæc breuiter adieci, ut sciant pij lectores improbandas & fugiendas esse hominum mortuorum inuocationes. Ethnicus mos est, qui & Deos multos, & homines mortuos, qui uirtute aut rerum gestarum gloria antecelluerunt, quos Heroas nominabant, ut Herculem, Quirinum, & similes, inuocare soliti sunt. Nec dubium est hos furores à Diabolo ortos esse, qui ueri Dei agnitionem delere conatur. Fugiamus ergo exempla Ethnicorum furorum similia, & rectè discamus, quid de hac summa uirtute, de inuocatione Dei, certis testimonijs uerbi Dei traditum sit, ut rectè & piè uerum Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, & Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, & Spiritum sanctum effusum in Apostolos, inuocemus, & uera gratitudine celebremus.

Inuocare mortuos Ethnicũ est.

Postquàm de petitione beneficiorum & auxilij dictum est, commonefaciamus nos ipsi etiam de gratitudine, ut hæc coniungit Paulus 1. The. ultim: πάντοτε χαίρετε, ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε, ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε. Sed hic necesse est omnes homines fateri culpam. Omnes sumus ingrati Deo, & quò res sunt tranquilliores, eò negligentius de Deo cogitamus. Imò multi in rebus secundis prorsus obliuiscuntur Deum, & laxant frenos cupiditatibus, ut exempla summorum uirorum ostendunt, & experientia has sententias peperit:

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis,
Nec facilè est æqua commoda mente pati.

Cùm Sodoma manifesto Dei beneficio ab Abraham defensa fuissent, deleto exercitu Chaldæorum, ut in Genesi narratur, post hanc eximiam liberationem securę ciuitates ita se luxui dediderunt post paucos annos, ut propter turpitudinem scelerum singulari exemplo à Deo deletæ sint.

Magna hominum ingratitudo.

Magna & turpis ingratitudo est omnium hominum. Accipimus à Deo uitam, ingenia, educationem, uictum, literas, Euangelium, Ecclesiam, politias, defendimur & iuuamur sæpè, cùm ne quidem petimus auxilium, interim securi ludimus, aut quærimus uoluptates, & casu offerri nobis bona disputamus,

mus,non agnoſcimus Deum autorem eſſe,non ſtudemus eius beneuolentiam retinere,ſed iram accendimus noſtra petulantia. Hæc mala deploremus & nos emendemus,& cùm beneficia Dei agnouimus,fateamur ea nos à Deo accepiſſe,nec petulanter excutiamus Deum cuſtodem & opitulatorem, ſed ei placere ſtudeamus,& gratitudinem noſtram ueris officijs uitæ, & uoce celebremus.Poſtulat enim hanc confeſſionem,ut ipſe celebretur, ac primùm nos ipſos admoneamus,non caſu nobis offerri bona,ſed uerè nos Deo curæ eſſe, exaudiri noſtras preces,& nos iuuari à Deo. Deinde uult hanc noſtram confeſſionem teſtimonium apud cæteros homines eſſe de prouidentia, uult confirmari alios,ut uerè credant Deo curæ eſſe res humanas, exaudiri Eccleſiæ preces. Ideò toties in Pſalmis pro acceptis beneficijs Dauid offert hoc mutuum officium,uidelicet beneficij celebrationem,ut Pſalm: 117. Non moriar ſed uiuam,& narrabo opera Domini, celebrabo beneficia tua,& ero teſtis ueræ doctrinæ. Verè poſtulat & magnifacit gratitudinem Deus,Ideò etſi gratitudo etiam ſtudium obedientiæ complectitur, tamen ad certam uerborum commemorationem nos quotidiè aſſuefaciamus.Multi cùm è lecto ſurgunt, cùm eunt dormitum,cùm aſſident ad menſam,cùm diſcedunt à menſa, prorſus ut pecudes,ne cogitant quidem de Deo, unde ſint quotidiana beneficia. Hæc turpiſſima negligentia & uituperanda & corrigenda eſt. Quotidiè príuſquàm petis bona,de prioribus beneficijs cogites,& agas gratias Deo. Deinde adde petitionem,& extet publicè uel in literis, uel exemplis teſtimonium tuæ gratitudinis. Forma tali uti potes.

Formula gratiarum actionis ad Patrem.

AGO tibi gratias omnipotens,æterne & uiue Deus,æterne pater Domini noſtri Ieſu Chriſti,conditor omnium rerum & conſeruator ac opitulator, cum Filio tuo coæterno Domino noſtro Ieſu Chriſto,patefacto in Ieruſalem, & Spiritu ſancto tuo effuſo in Apoſtolos: quòd te patefeciſti nobis immenſa bonitate certis & illuſtribus teſtimonijs,& quòd condidiſti & elegiſti tibi Eccleſiam perpetuam,& uoluiſti Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro nobis fieri uictimam,dediſti nobis Euangelium tuum, & Spiritum ſanctum,remittis nobis peccata,& liberas nos à poteſtate Diaboli,& à morte æterna,& das nobis uitam æternam,& hactenus in hac uita me multis magnis beneficijs donaſti,dediſti uitam,uictum,doctrinam, pacem ijs locis, in quibus uixi,& mitigaſti pœnas, quas meritus ſum.

Formula gratiarum actionis ad Filium.

AGO tibi gratias etiam Domine Ieſu Chriſte Fili Dei uiui, crucifixe pro nobis & reſuſcitate,Emanuel,quòd copulaſti tibi humanam naturam, paſſus es pro nobis,& reſurrexiſti,ac redemiſti nos,ſeruas ac defendis Eccleſiam contra diabolos hoſtes tuos,& das & inſtauras ſæpè lucem Euangelij, remittis nobis peccata,& das nobis uitam æternam, & es Mediator & interpellator pro nobis aſſiduus,& uis nobis opitulari,ſicut dixiſti: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,ego reficiam uos.

Formula gratiarum actionis ad Spiritũ ſanctum.

AGO etiam tibi gratias Spiritus ſancte,uiuificator effuſe in Apoſtolos,quòd accendis lucem in noſtris mentibus,regis,doces,mones & iuuas me conſilio,gubernas labores uocationis meæ, & ſanctificas me ad uitam æternam.

Dicta gratiarum actione,ſequatur petitio,ut ſuprà recitaui.Nominatim etiam gratiæ agantur,quolibet tempore pro recenti beneficio tunc accepto. Hæc recitatio confeſſio ſit accepti beneficij,quam certè poſtulat Deus,& con-

gruat uox cum mente. Verè ſentiamus non caſu periculum depulſum eſſe, ſed nos à Deo adiutos ac ſeruatos eſſe, preces noſtras exauditas eſſe, celebret mens Deum, quòd non ſit inane nomen, non negligat homines, ſed uerè exaudiat inuocantes in Eccleſia, uerè diſcrimen Eccleſiæ & Gentium, quæ male dicunt Chriſto, quòd uerè reſpiciat & iuuet Eccleſiam ſuam, & ſeruet promiſſa. Hæc & nobis ipſis inculcemus, & commemoremus apud alios, narremus ubi ſimus adiuti ac liberati, ut alij ad agnitionem Dei inuitentur. Gratum Deo munus eſt per ſeſe gratitudo, ſed poſtulatur etiam exempli cauſa. Ideò Paulus dulciſſimè hortatur ut multi pro ſe petant, quò plures poſtea pro accepto beneficio gratias agant. 2. Cor: 1. ſignificans gratiarum actionem præcipuum eſſe ſacrificium, & Deo gratiſſimum, & eò à pluribus faciendam, quia Deus à multis agnoſci & celebrari ſe magis poſtulat, & cùm multi celebrant acceptum beneficium, exemplum fit illuſtrius, & plures alij inuitantur ad inuocationem, timorem, fidem. Horribilis eſt in natura hominum ingratitudo, ut perpetuæ omnium temporum querelæ teſtantur, & debiti officij præmiſſio diuinis & humanis ſententijs damnata eſt, & tamen uſitatius eſt præſtare hominibus gratitudinem, quàm Deo. Et aduerſus Deum ingratitudo crudelior eſt, quàm aduerſus homines. Saul etiamſi ingratus eſt Dauidi, tamen negare non poteſt, Dauidem benè meritum eſſe. Ingrati autem Deo, negant Deum beneficij autorem eſſe, fingunt caſu pericula depulſa eſſe. Aduerſus has tenebras, & hunc furorem muniamus animos teſtimonijs diuinis, & diſcamus uerè nos reſpici, iuuari, exaudiri à Deo. Et cùm adiuti ſumus, agnoſcamus, fateamur, prædicemus nobis & alijs Deum eſſe autorem beneficij, ut ſuprà recitaui aliquot ſententias. Pſal: 43. Non in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me. Et Chriſtus clarè inquit, Sine me nihil poteſtis facere.

Gratitudo & per ſe Deo grata, et exempli cauſa præſtanda eſt.

Et Pſalm: 33. Iſte pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Et Pſalm: 26. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem aſſumſit me. Pſalm: 59: Da nobis auxilium in tribulatione, & uana ſalus hominis. In Deo faciemus uirtutem, & ipſe rediget in nihilum tribulantes nos. Pſalm: 126. Niſi Dominus ædificauerit domum &c. Pſalm: 115. Dirupiſti uincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Ierem: 17. Maledictus homo, qui ponit carnem brachium ſuum, &c. Benedictus uir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.

Ingens labor eſt pijs mentibus, etiam poſt acceptum beneficium retinere hanc ſententiam, uerè nos à DEO adiutos & ſeruatos eſſe. Sed teſtimonijs, quæ & ſuprà & iam recitaui, confirmemus nos, ut ſtatuamus nobis non caſu, ſed Deo opitulatore, pericula depulſa eſſe, & beneficia Dei nobis & alijs prædicemus.

Hæc de præcipuo ſacrificio, uidelicet de gratiarum actione breuiter dixi, ad commonefaciendum pium Lectorem, quem quidem oro, ut de eadem re diligenter conſideret, & colligat ſententias in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, ut exuſcitet mentem ad fidem, ueram inuocationem, & ueram gratitudinem. Difficilè eſt enim retinere ueram ſententiam de præſentia Dei in tanta noſtra infirmitate, etiam cùm manifeſta teſtimonia uidemus. Sicut Iſraëlitæ in deſerto, etſi plurima teſtimonia præſentiæ Dei uiderunt, tamen toties dubitabant, à quo ex Aegypto educti eſſent. Et Chriſti facta uiderant Apoſtoli,

Apostoli,uiderant toties resuscitari mortuos,& tamen magna erat fidei imbecillitas. Ideò cùm Dei beneficijs pericula nobis depelluntur, ut sæpè fit, teneamus in conspectu sententias, quæ nos confirment,ut agnoscamus nos à Deo adiutos esse. Nec sinamus hanc sententiam in animis nostris obrui. Hoc certamen cùm difficile sit mentibus, ut experientia ostendit, & monent exempla scripta de Israëlitis in deserto,diligentiores nos esse decet in cogitatione testimoniorum,quæ in scriptis Propheticis & Apostolicis tradita sunt, ut fides & agnitio præsentiæ Dei in nobis confirmetur & crescat. Sit in conspectu confessio Iacob Genes: 48. qui prædicat se à Deo patrum suorum, Abraham & Isaac inde usq; ab infantia nutritum & defensum esse, & addit mentionem Angeli,id est,Filij Dei,per quem se ait ereptum ex omnibus malis. Ita & Dauidis morituri gratiarum actio nobis exemplo sit, 1. Regum 22. Liberauit me ab his qui oderant me. *Confessio Iacob.*

Agnoscamus humanis consilijs & præsidijs non posse pericula omnia discuti,sicut clarè inquit Ieremias capite 10.Scio Domine quòd non est hominis uia eius. Quàm multa Mosi, Samueli, Dauidi, Ezechiæ, deniq; omnibus gubernatoribus accidunt inextricabilia humano consilio? Ergo ut illi, regi nos & iuuari à Deo petamus,& cùm exitus sunt placidi, fateamur quod res est, à Deo nos adiutos & defensos esse. Vidit & hæc ætas exempla,quæ prædicare decet, ut Dei beneficia celebrentur,dedit Deus pacem tot iam annos Ecclesijs nostris, Nec pacem tantùm dedit, nec tantùm impedijt hostium conatus,sed etiam scandala multa passim exorta oppressit, & magna ex parte studia & iudicia eorum, qui præsunt Ecclesijs,ita rexit, ut doctrina in Ecclesijs nostris passim sincera tradatur. Pro his ingentibus beneficijs Deo æterno Patri Domini nostri IESV CHRISTI gratias ago, & eum propter Filium Iesum Christum Dominum nostrum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, oro toto pectore, ut nos Spiritu sancto regat deinceps & perpetuò, AMEN.

DE MAGISTRATIBVS CIVILIBVS ET DIGNITATE RERVM POLITICARVM.

HActenus Ecclesiam descripsi ac recitaui, quòd doctrinæ genus præcipuum & ignotum humanæ rationi circumferat, & quomodo Deum inuocet. Nunc quia necesse est eam inter homines uiuere in œconomijs, politijs, imperijs,ubi uult Deus audiri confessionem ueræ doctrinæ, imò ubi colligit sibi Ecclesiam,collocanda est in œconomijs,et societate ciuili,et docenda,quid de coniugio & de imperijs sentiendum sit.

Ac necesse est de his rebus rectè,dextrè, explicatè, ex testimonijs Prophetarum & Apostolorum erudiri homines,quia sæpè & olim & recens fuerunt hypocritæ superstitiosi & fanatici,qui coniugia à Deo ordinata, & Magistratuum functiones,iudicia,leges forenses,legitimas pœnas, imperia, bella legitima,militiam damnauerunt. Tales furores olim sparserunt Marcion & Manichæi,quorum deliria diu peruagata sunt Asiam & Africam. Circũtulerunt & similes errores ante trecentos annos Flagelliferi,ut uocabantur,et hoc nostro tempore Anabaptistę passim uagantes,adhuc circũferunt hos errores. *Coniugia & Magistratus semper habent in genere humano hostes, superstitiosos aut fanaticos.*

Nec desinit unquam Diabolus distortas mentes accendere,ut opiniones

Diabolus odit coniugia & ordinem politicum.

falsas de rebus politicis amplectantur, quia simul duo mala ingentia excitat, mouet seditiones in ciuitatibus, unde existunt multæ iniustæ cædes & dissipationes, & obscurat Euangelium. Dum enim fingunt iusticiam esse quandam nouam barbaricam politiam, in qua sine distinctione dominiorum, & sine imperijs uiuant homines, amittitur uera lux de iusticia interiore & perpetua in corde, de qua Christus inquit: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum esse uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Et Paulus: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Iusticia de qua concionatur Euangelium, est lux in corde, quæ fide & agnitione Christi mentes accendit ad ueram Dei inuocationem, & alios pios motus Legi Dei congruentes, & incoat uitam æternam: Foris ut uicibus temporum anni à Deo ordinatis, sic politijs & imperijs subijcit suo quenq; loco, ut Ioseph in corde circumferebat ueram agnitionem & inuocationem Dei, & promissi Mediatoris, & initia uitæ æternæ. Foris uerò in curia, in iudicijs, in contractibus, in possessione facultatum utebatur legibus Aegyptijs. Daniel similem lucem in corde circumferebat, & initia uitæ æternæ, ut Ioseph. Foris uerò in curia, in iudicijs, in contractibus, in possessione bonorum, in regenda prouincia, utebatur legibus regni Babylonici.

Leges & politiæ nõ pugnẽt cum Lege naturæ.

Illud tamen spectandum est in legibus & politijs, ne pugnent cum Lege naturæ, sed ut Paulus inquit, sint honori bono operi, & sint terrori malo operi. Deinde etiamsi formæ legum, iudiciorum, pœnarum, aliquas habent dissimilitudines, ut aliæ sunt leges Feudorum, ut uocant, Germanicæ: Aliæ Gallicæ, tamen sui quisq; loci legibus obtemperet. Ac dissimilitudo illa nihilo plus pertinet ad iusticiam Euangelij, quàm dissimilia spacia dierum ac noctium. Paulo in Macedonia longior est dies solstitialis, quàm Christo in Iudæa. Hæc dissimilitudo nihil pertinet ad iusticiam in corde utriusq;. Sed Diabolus, ut oculis atq; animis hominum tenebras offundat, ne ueram Euangelij lucem, de fide & agnitione Christi aspiciant, monstrosas illas opiniones de barbarica politia spargit, fingit magnam uirtutem esse, non habere proprium, fugere iudicia, ciuiles functiones, quæ tamen & necessariæ sunt generi humano, & à Deo ordinatæ, ut in eis luceant nostra fides, inuocatio & confessio, & ut sint exercitia obedientiæ, quam Lex Dei postulat, & mutuæ dilectionis, ut mox dicam.

Imperiti offenduntur confusionibus imperiorum.

Quare in templis et scholis diligenter erudiendi sunt homines de dignitate rerum politicarum, & præmuniendi aduersus illos Marcionis, Manichæorum & Anabaptistarum furores. Scio rudes moueri deformitatibus & confusionibus multis imperiorum, aularum, iudiciorum. Principes enim multa in gubernatione negligunt, multorum delicta & iniurias non uident, multæ sunt in iudicijs impostura & calumniæ, multa errata, magnæ in aulis ambitiones, rapacitates, & aliæ pestes, multæ fraudes in contractibus. Nam in hac infirmitate humanæ naturę, & in tantis furoribus Diaboli accendentis prauas cupiditates in multis Principibus, Gubernatoribus, Iudicibus, ministris & priuatis, non mirum est multas tristes confusiones ἡσυχαστασίας accidere. Hæ mouent animos non præmunitos, ut res totas, id est, ipsum ordinem politicum damnent, & existiment, imperia tantùm esse oppressiones imbecillium, ortas uel à Diabolo, uel ab humana audacia, & cupiditate.

Sæpẽ etiam Philosophi quærunt, unde sint imperia, cùm res ostendat nullum

nullum regnum ſine magnis cladibus generis humani conſtitui, nullum non habere horrendas confuſiones, nullum etiam perpetuum eſſe. Quantum ſui & peregrini ſanguinis fuderit Roma, donec imperio orbis terrarū potita eſt? Mox bellis ciuilibus Syllæ, Marij, Cinnæ, Cæſaris, Pompeij, Bruti, Antonij, Auguſti, quæ furiæ per uniuerſum orbem terrarum graſſatæ ſunt? quales legum & diſciplinæ perturbationes excitarunt? Poſtea barbaræ nationes, Gothica, Vandalica, Hunnica, Arabica, Turcica, infuſæ in Italiam, Aegyptum, Africam, Aſiam, prorſus diſſipauerunt imperium Romanum. Denique res oſtendit ueram eſſe querelam, quæ extat apud Ouidium:

Philoſophi quærunt de origine imperiorum & confuſionum cauſis.

ſic omnia verti
Cernimus, atq; alias aſſumere pondera gentes,
Concidere has. *Item:*
ſummisq; negatum,
Stare diu.

Et Scipionem aiunt capta Carthagine ſpectantem incendium urbis illacrimaſſe, ac dixiſſe deplorandam eſſe fortunæ inconſtantiam in rebus humanis, ſe non modò dolere, uicem Carthaginis, quæ olim florens uirtute, opibus & imperio, nunc ſpoliata & capta incendio pereat, ſed etiam de Romæ fato cogitare, quæ aliquantò pòſt ſimili calamitate peritura ſit, quia nulla imperia perpetua ſint. Mirantur igitur Philoſophi, ſi à Deo conſtituuntur imperia, cur tantum accedat ſcelerum & miſeriarum?

Sed Eccleſiæ doctrina grauiſſimè hæc dijudicat, ac diſcrimen proponit ordinis politici, perſonarum, & miſeriarum humanarum.

De ordine politico uniuerſaliter docet doctrina cœleſtis, hunc ordinem à Deo inſtitutum eſſe, & opus Dei eſſe quantum boni in gubernatione reliquum manet, uidelicet, quòd homines certis legibus coniuncti in ſocietate ciuili uiuunt, quòd multitudo regitur Magiſtratibus, iudicijs, pœnis, quòd Magiſtratus cuſtos eſt diſciplinæ & pacis, quòd dominia rerum diſtincta ſunt, & ſua cuiq; tuta ſunt, quòd res legitimis contractibus transferuntur, ad iuuandam communem uitam, quòd latrocinia armis reprimuntur, aut puniuntur.

Doctrina Eccleſiæ de ordine politico.

Ac paulò pòſt recitabo teſtimonia Prophetica et Apoſtolica, quæ utrūq; docent, & inſtitutum eſſe politicum ordinem uoce Dei, & quantum boni in gubernatione reliquum eſt, eſſe uerè opus Dei, non tantùm permiſſione, ſed quia à Deo uerè conſeruatur & iuuatur, ſicut ordo motuum cœleſtium, & terræ fœcunditas. Prius enim hoc diſcrimen ordinis, perſonarum, & miſeriarum humanarum explicabo, ut quærentibus unde tantæ ſint confuſiones & calamitates reſpondeam.

Eſt igitur, ut dixi, Politicus ordo res bona, pulcra, grata humano generi, ſingulare Dei opus, quòd uidelicet homines coniuncti legibus in ſocietate ciuili uiuunt, quòd multitudo regitur à Magiſtratibus, qui ſunt cuſtodes diſciplinæ, exercent iudicia, curant de Deo rectè doceri ciues, prohibent Epicureos furores & idola, periuria, libidines, iniurias corporum. Deniq; qui curant ut ciuitas ſit modeſtiſſima ſchola in qua luceat Dei noticia, & exerceantur uirtutis officia communis defenſio, & aliorum beneficiorum communicatio.

Politicus ordo opus Dei.

Sed dices me ideam Platonicam pingere. Quæ enim fuit aut eſt talis ciuitas, in qua nihil ſit uiciorum? Verùm hæc eò recito, ut diſcernamus ordinem

politicum, à uicijs. Et quanquãm nulla est ciuitas sine uicijs, tamen alia gubernatio honestior est, alia perturbatior, alia plus boni retinet, iuxta illam ideam, alia minus. Tempore Dauidis & Salomonis magis floruit Ierosolyma, & ordo politicus integrior erat, quàm Herodis tempore, & tamen, quantum boni reliquum fuit Herodis tempore, Dei opus erat. Deo iuuante seruabatur hospitium Zachariæ, Simeoni, Elisabeth, & alijs pijs. Inter tot latrocinia, bella, furores Diaboli & Herodis, tamen Deus texit Mariam, Elisabeth, & alios sanctos innumerabiles.

Personarum in imperijs magnum est discrimen.

Nunc igitur de personis dicam. Etsi res uidelicet ordo politicus est à Deo, ut coniugium, tamen sæpẽ personæ non sunt excitatæ à Deo, & magis turbant ordinem diuinum, quàm tuentur & ornant, ut Caligula, Nero & aliæ pestes plurimæ grassantes in imperio, quod diuinitus ordinatum erat, uelut in horto apri. Veneratur Paulus imperij Romani leges ac ordinem, sed Neronem odit & execratur tanquam Diaboli organum, lacerans bonum ordinem. Necesse est enim discerni in imperijs salutares principes à malis. Dauid, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Nabuchodonosor, Cyrus, Constantinus, Theodosius, Carolus, fuerunt salutares Principes, diuinitus excitati & adiuti, ut restituerent imperia & Ecclesiam utcunqꝫ iuuarent. Sunt & hi diuinitus excitati & adiuti, ut imperia & disciplinam utcunqꝫ restituerent, etiamsi Ecclesiam Dei non norant, Themistocles, Aristides, Alexander Macedo, Fabius, Marcellus, Scipio, Paulus Aemylius, Augustus. Gesserunt enim res salutares generi humano, & politias constituerunt, quæ aliquandiu floruerunt. Profuit igitur eorum labor ad hoc, ut manserit posteritas, ex qua collecta est Ecclesia.

Testimonia quòd salutares gubernatores excitentur & iuuẽtur à Deo

Excitari autem & iuuari salutares gubernatotes omnes à Deo, sæpẽ testantur dicta Prophetica, Psalm: 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem &c. Et Psalm: 143. Qui dat salutem regibus. Et Salomon inquit: Vt oculus uideat, & auris audiat, Deus facit utrunqꝫ, id est, ut gubernator sit intentus, & habeat felicia consilia, & populus ei alacriter obtemperet, Dei opera sunt. Vt quòd Scipionis consilia sunt felicia, & quòd exercitus hunc ducem amat, & alacriter sequitur, Dei beneficia sunt. Alij imitatores, nec res similes gerunt nec diliguntur ab exercitibus.

Sic & Baptista, etsi de gubernatione Ecclesiæ loquitur, tamen sententiam tradidit ueram de uniuersa gubernatione. Non potest sibi sumere homo quicquam, nisi sit ei datum à Deo, id est, nulla est gubernatio felix & salutaris, nisi Deo iuuante. Vt Themistoclis consilia fuerunt salutaria patriæ. At Periclis & Demosthenis politiæ sunt nimis polypragmonicę, mouent bella non necessaria, quæ fuerunt exitio Græciæ.

Quando politiæ florent.

Cùm uerò res & personæ iuuantur à Deo, politiæ magis florent, ut cùm Dauid regnat in Israël, cùm Augustus regnat Romæ. Neqꝫ tamen cuiusqꝫ gubernatio tàm placida, tàm felix est, quin multę calamitates misceantur, et multa uicia accedant. Nam & Diabolus uariẽ turbare conatur politias, & magna est hominum infirmitas. Præterea & Deus uult per duces à se excitatos puniri tyrannos, & mutari imperia, id non fit sine magnis cladibus. Felicissimus ac mitissimus regum fuit Cyrus, & tamen huius armis florentissima pars orbis terrarum, uidelicet Ionia horribiliter uastata est, uoluit enim Deus puniri libidines. Et quoties heroes excitati sunt, secutæ sunt magnarum urbium, & magnorum

gnorum regnorum euersiones,ut Cyrus,Alexander, Romani, Gothi, Turci, quot urbes & regna euerterunt?

Dixi igitur tertio loco discernendas esse ab ordine politico,miserias humanas. Dauidis politia minus est tranquilla, quia ā Diabolo sæpè turbatur, & magnæ sunt hominum imbecillitates. Cyri gubernatio est crudelior,quia Deus horribili exemplo puniri uoluit Ioniam propter flagitiosas libidines. Verūm,tales pœnæ fatales, etsi nobis uidentur nimis sæuæ, tamen reuera ad ordinem politicum pertinent,quia Deus iustus iudex declarat iram suam his horrendis pœnis, ut cūm euertit Sodomam,aut cùm fame,aut pestilentia totas gentes delet. *Differunt ordo politicus et miseriæ humanæ.*

Multa igitur mala in imperijs ducantur esse fatales pœnæ, ut exempla iustæ iræ Dei aduersus scelera hominum. Imō inde usq; ab initio imperia in deterius conuersa sunt,creuit seruitus,quia peccata hominum creuerunt. Prima Monarchia in statua Danielis pingitur aurea. Secunda argentea. Tertia ænea. Quarta ferrea. Pedes partim ferrei, partim lutei sunt,hoc est, Postrema ætate quædam erunt sæua imperia, ut Turcicum,quędam infirma,plena ignauiæ. Multum autem confusionum affert ignauia, ut res ostendit in multis Germaniæ locis. *Imago imperiorum in statua Danielis.*

Longē pulcrior status fuit regni Iudaici tempore Iosaphat,quām post reditum ex Babylone,& postea cùm ā Syriacis & ab Aegyptijs regibus, ac tandem ā Romanis Iudæa multis modis uexaretur, sed tamen manebant aliqui nerui politię.Id agnoscebant pij beneficiū Dei esse.Interim mala quæ fiebant, sciebant permitti diuinitus tanquam fatales pœnas, & mœsti ac gementes tolerabant,& sua modestia & diligentia in omni officio leniebant, non irritabant contumacia aut seditionibus,Deū etiā orabant,ut mitigaret seruitutem.

Cūm audiuissent ā Ptolemæo Lathuro,interfecta esse Iudæorum uiginti millia,& coactos captiuos uesci carnibus interfectorum parentū et fratrum, uidebant Diabolum rabiosius grassari in populum,quām in cæteras Gentes, & sese de pœnitentia,& de inuocatione commonefaciebant,& tamen norant uaticinia diuina,politiam mansuram esse,donec Messias concionaturus esset. Hæc præfari de discrimine ordinis politici,& confusionum, quæ ordinem inuerturbant,ut si harmoniam in cantilena bonis Musicis rectè canentibus, alius quispiam furens clamore suo interturbaret,necessarium esse duxi,ut prępararetur Lector ad cætera,nec propter confusiones,quæ aliundè accedunt, damnet beneficia diuina. Aliās autem ordo politicus magis,aliās minus est integer, aliās plus,aliās minus est confusionum.

Sed semper in hac misera & ærumnosa uita, in imperijs multæ magnæ difficultates existunt,tūm quia Diabolus conatur facere maiores dissipationes,tùm quia humana natura per sese est imbecillis, & facilē suis erroribus & cupiditatibus,mouet res iniustas,& harmoniam interturbat,tùm quia fatales pœnæ multæ accedunt,in quibus magnæ fiunt & regnorum & disciplinę perturbationes. Et hæ causæ omnes in hac postrema senecta magis concurrunt. *Difficultates in imperijs sunt à Diabolo & humana imbecillitate.*

Natura hominum tanquam effœta sine ulla dubitatione imbecillior est, quàm fuit initiō,sicut docti distribuunt tempora iuxta hominis partes, initiò aiunt regnasse τὸ ἡγεμονικὸν, id est, rationem gubernatricem. Artes enim ā primis Patribus inuentæ sunt, & sapientia homines magis quām ui regebantur. Deinde successit bellatrix ætas, in qua iam imperia armis constituta *Natura humana in hac senecta imbecillior.*

ſtituta ſunt,&quatuor Monarchiæ inde uſq; ab Abrahæ tempore ad Theodoſium,orbem terrarum rexerunt. Secuta eſt ætas poſtrema, in qua dominari aiunt ἐπιθυμητικὸν. Natura hominum facta languidior,nec ſapientiæ ſtudet ut olim,nec illos acerrimos labores militiæ ſuſcipit quos ſuſtinebant olim uiri fortes,Dauid,Achilles, Cyrus,Alexander, Hannibal, Marcellus, Scipio, C. Cæſar,ſed uelut eneruata,delicias & uoluptates quærit. Præterea cùm peccata cumulata ſint tempore,pœnæ quoq; creuerunt.His occaſionibus Diabolus utitur,& infirmam naturam rabioſius urget.Odio etiam Dei & Chriſti,quem ſcit non ita multò pōſt palām uenturum eſſe ad iudicandum,& Eccleſiæ datum bona æterna,& abiecturum Diabolos & impios in æternos cruciatus,ſæuit in ipſo fine ſuæ tyrannidis atrocius.

Hæc cogitemus,cùm confuſiones regnorum, tumultus, profuſiones & βαλιμίας Principum,expilationes populi, & alias miſerias ſeruitutis creſcere cernimus,& has ærumnas piē tolerare diſcamus,& Deum oremus, ut aliqua Eccleſiæ ſuæ hoſpitia ſeruet & regat.

Omnia regna omnibus ætatibus circa finem magis turbulenta fuerunt. Quoties multi Syriæ reges uno tempore de regno dimicarunt, Antiochus, Tryphon,Demetrius,& alij. Quantum fuit bellorum ciuilium inter Romanos principes ā Seuero uſq;,ut de uetuſtioribus ciuilibus bellis non dicam? Vidimus & hac ætate infeliciſſimē dimicantes duos reges de Pannonia. Prorſus igitur Eccleſiæ ſapientia ſingulari opus eſt ad ferendas has miſerias, de quibus & Chriſtus nos præmonet,prædicens ultimis temporibus magna bella,magnas regnorum ruinas,& populorum anguſtias futuras eſſe.

Nunc igitur redeo ad principalem quæſtionem, unde ſint imperia,an politica officia ſint res bonæ, & an Chriſtianis liceat gerere magiſtratus,emere, uendere, fungi munere iudicum, cauſas adferre in forum ſuas uel alienas, militare, armis depellere latrocinia,bella legitima gerere. Adhæc primūm reſpondeo: Et coniugium & politicus ordo res ſunt ā DEO æterno inſtitutæ & approbatæ expreſſa uoce diuina, & quantum boni in politico ordine manet, ſeruatur Deo iuuante. Voco autem politicum ordinem, ut ſuprā monui, non iniuſtas perturbationes ordinis, ſed ipſas leges cum ratione congruentes,coniungentes ſocietatem ciuilem,ut multitudini certi homines præſint. Item contractus, iudicia, legitimas pœnas, depulſionem latrociniorum, militiam.

Coniugium & ordo politicus ſunt res à Deo inſtitutæ & approbatæ.

Politicus ordo quid?

Coniugij definitio.

Ac de coniugio teſtimonia ſatis nota ſunt. Eſt autem coniugium perpetua coniunctio mariti & uxoris,inſtituta certis legibus ā Deo, quæ oſtendunt quas perſonas,& quomodo iungi liceat,ut Geneſ. 2. Leuit: 18. Matth: 19. 1. Corinth: 7. in his locis manifeſtē conſpiciuntur inſtitutio, adprobatio, & ordinatio coniugij, de quo aliās prolixius dicetur.Nunc teſtimonia addam de magiſtratibus, ſeu ciuili gubernatione.

Paludanus ſic tantùm ā Deo ortum eſſe politicum ordinem dicit, quia homini ratio ſit indita & noticia legum naturæ, quæ indicat hunc ordinem inter homines neceſſarium eſſe.Etſi uera eſt hæc ſententia, tamen nondum ſatis de cauſa ciuilis ſocietatis, ſeu imperiorum dixit. Nam ſolis humanis conſilijs & uiribus nequaquām retineri honeſtæ leges & ciuilis ſocietas poſſunt. Sciamus ergo uoce Dei inſtitutum eſſe hunc ordinem, & comprobatum, & uerē ab eo iuuari. De hac uoce manifeſtum teſtimonium eſt tota Lex Moſi, quæ

quæ etsi uni populo proposita est,tamen testimonium est uoluntatis Dei, de hac uita politica.Est autem Lex Moralis,ille ipse ordo societatis ciuilis,si dextrè intelligatur. Et eædem leges inde usq; ab initio mundi traditæ,& sæpè repetitæ sunt. In Paradiso prohibitæ sunt uagæ libidines. Genes: 4. prohibita & damnata est iniusta cædes. Et Genes: 9. expressè ordinatur imperium, edita hac lege: Quicunq; fuderit sanguinem humanum,per hominem fundetur sanguis illius, quia ad imaginem Dei factus est homo.Hanc legem politici ordinis caput esse nihil dubium est,nec frustrà putemus hanc uocem à Deo traditam esse.Cumq; nominatim dicat,per hominem fundetur sanguis homicidæ,instituit hominem magistratum,qui certo ordine tollat reum,& iudicium Dei administret. Extant ergo testimonia institutionis. *Testimonia de legibus & ordine politico.*

Et cùm Paulus tradit doctrinam de politico ordine Rom: 13. simul testatur & institutum esse à Deo,& comprobari,& ab eo iuuari. Estq; caput illud magno consilio à Spiritu sancto propositum Ecclesijs,ut manifestè refutet fanaticos furores damnantium ordinem Politicum,seu Magistratus & imperia. Quæ sunt potestates,à Deo ordinatæ sunt,id est,uult suo quenq; tempore & loco obtemperare legitimis magistratibus præsentibus,ideò dicit, Quæ sunt,quasi dicat,non requiras Cyri aut Alexandri imperium. Hæc Deus iustus iudex multò antè euertit,& constituit alia imperia. Quæ sunt igitur, id est,quæ quolibet tempore regnant,hæc scito à Deo ordinata esse. Et postea imperia nominat ordinationem Dei. Pondus uerbi obseruetur, quod nominat imperia ordinationem. Primùm manifestè discernit imperia à peccatis.Nam peccatum non est ordinatio Dei,sed est confusio & horrenda perturbatio diuini ordinis,quam Deus semper odit & execratur. Deinde monet nos,qualis res sit ciuilis status seu imperium. Ordo est,inquit, uidelicet series personarum & rerum,congruens ad regulam mentis diuinæ, lucentem & in nobis iuxta Legem naturæ,ut usitatè uocamus. *Testimonium Pauli de Magistratu.* *Peccatum est confusio & perturbatio ordinis.* *Qualis ordo politicus.*

Sit imperium ordo personarum,præsit Magistratus,obtemperent ciues suo quisq; loco, sit certus ordo inter maritum & coniugem,inter patrem & liberos,sit ordo iudiciorum: Leges ordinem officiorum & contractuum proponant & sanciant,monstrent ordinem generis humani erga Deum,prohibeant uagas libidines,quæ sunt contrariæ ordini diuino in hominum natura instituto,præcipiant æqualitatem in contractibus. Quantùm accipit emtor, tantùm reddat. Ne lædat ciuis ciuem,sed omnes sciant se inter sese deuinctos esse ad mutuam defensionem, & communem salutem, quæ consistit in compensatione æquali uoluntatum,officiorum & rerum. Si quis autem uiolauerit hunc ordinem,pœna afficiatur.

Non est ordinis intellectus in bestijs, sed homini impressa est ordinis notícia,cum qua, si natura hominum non corrupta esset peccato, etiam amor ordinis tuendi erga Deum & homines, uerus & ardens in pectoribus coniunctus esset. Nunc uerò facilè ruunt homines contra naturæ ordinem, alij tamen magis, alij minus amant ordinem,ut Euripides de Cyclopibus inquit, νομάδες ἄκοσμοι οὐδὲν οὐδεὶς οὐδένων. Multa fera ingenia putant unum hoc esse beatè uiuere, non coërceri legibus, ordine, disciplina tanquam carcere, sed liberè uagari, & cupiditatibus obsequi sine freno. Talibus ingenijs difficilè est persuadere magnum decus esse ordinis,aut declarare quantas res hic com-

plexus

plexus sit Paulus,& quãm perspicuè testetur,Magistratum & ciuilem statum esse res bonas,Deo placentes, non peccata.

Lex apud Spartanos.

Lex erat apud Spartanos,licere cum uxore alterius consuetudinem habere,si uir permitteret. Si igitur Spartanus aliquis uideat in Iudæa duci ad supplicium adulteram seu adulterum,dicet esse crudelitatem indignam hominibus. At Paulus hic monet supplicia legitima partes esse politici ordinis, & congruere ad normam in mente diuina. Sed homines feri non statim uident quid dicat Paulus,præsertim cũm tanta breuitate usus sit.

Adferant igitur ad hanc Pauli lectionem Studiosi mentes attentas, & immorentur huic loco,expendant uerba,quid ordo significet,partiantur ordinem personarum & rerum,Magistratuum,Ciuium, Legum, iudiciorum,contractuum,delictorum,pœnarum. Deinde normam ordinis esse sciant,æternam legem in mente diuina,de qua hic dicit: Magistratus honore afficiat bona opera,& puniat mala.Certissimum est autem ordinem congruentem cum mente diuina,rem bonam,& Deo placentem esse. Hoc igitur Pauli testimonium bonis mentibus & attentis satisfacit. Vtitur eodem testimonio & Irenæus aduersus fanaticos,qui illis primis temporibus furores sparserunt similes Anabaptisticis. Sed multa passim obuia sunt in Prophetis.

Testimonia Prophetarũ de ordine politico.

Daniel: 2. Deus transfert regna,& constituit, id est,efficit ut floreant, durent. Id enim uocat stare. Psalm: 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrã uigilat qui custodit eam. Custos est Deus ciuilis status,ergo eum approbat. Psalm: 143. Qui das salutem regibus. Hæc uerba adiuuari gubernatores à Deo testantur. Prouerbiorum octauo: Per me reges regnant. Prouerbi 16. Libra & pondus iudicia Domini sunt. 2. Paralip: 19. Non hominis exercetis iudicium,sed Domini. Iesaiæ 1. Quærite iudicium, subuenite oppresso,defendite uiduam.

Multa præcepta de politicis officijs apud Philosophos.

Præcipit Deus politica officia cuicq; pro sua uocatione. Non dubium est igitur,approbari ab eo politicum ordinem. Et in hanc sententiam multa dicta apud Prophetas reperiuntur,quæ nominatim politica officia præcipiunt. Lucæ 3. Baptista publicanis & militibus concionatur,ac tradit egregia præcepta politica. Functionem igitur approbat, cũm doceat rectè administrare. Ne plus quãm constitutum est, poscite. Respublica sine tributis necessarios sumtus sustinere non potest. Vult igitur pendi tributa,sed non uult supra legitima tributa,immoderatas expilationes fieri: Neminem concutite, neq; calumniemini. Exerceri uult iudicia,sed sine concussionibus, & caritis, neq; calumniemini. Exerceri uult iudicia,sed sine concussionibus, & calumnia.Et postremõ addit: Contenti estote stipendijs uestris. Hæc tota concio politicum statum,iudicia,militiam approbat. Et discernit ab ipso ordine uicia, seu confusiones, quas humana malitia admiscet. Et futilis,ieiuna,& insulsa cauillatio Anabaptistarum explodenda est, qui dicunt Baptistam hæc imperfectis permisisse, Christum postea docuisse aliter. Non pugnant Baptistæ & Christi conciones. Nec putemus Baptistæ leuem autoritatem esse. Magna eius uocatio & functio est, ut Christus ipse testatur, & Deus in Baptismo Christi illustri testimonio eius uocationem & doctrinam confirmat. Sed furentes Anabaptistæ non attendunt quid dicant,cũm de Baptistæ ministerio contumelioſẽ loquuntur.

Psal: 81.Ego dixi,Dij estis,id est,diuinum officium sustinentes,defensionem iusticiæ & pacis, quæ sunt bona diuina,propter quæ titulum suum Deus impertit

impertit Magistratibus, quia uult eos hæc bona secum impertire populis. Officium igitur approbat, cũm uocat diuinum. Psalm: 101. In conueniendo populos in unum & Reges, ut seruiant Domino. Et Esaiæ 49. Reges erunt nutritores tui, & reginæ nutrices. Hæc dicta & multa similia testantur Reges & Magistratus aliquos esse membra Ecclesiæ Dei, & Deo placere. Approbat igitur Deus imperia & politicum ordinem.

His confirmati testimonijs constantissimẽ damnemus furores Anabaptistarum, qui contendunt Christiano non concessum esse gerere Magistratus, improbant iudicia, leges, militiam, & cætera politica munera, quasi hæ res sint suo genere peccata, & pugnent cum Euangelio. Magnæ mihi cum multis contentiones de hac controuersia fuerunt, cum Carolostadio, Pelargo, Struthio, & alijs, & multi agnitis fontibus huius disputationis, quos iam recitaui, in uiam redierunt, abiectis Anabaptistarum delirijs.

Exempla gubernatorum qui Deo placuerunt.

Porrõ ad illa dicta quæ recitaui, adiungantur exempla, quæ sunt ualdẽ multa hominum qui Deum uerè inuocarunt, qui maxima regna gubernauerunt, alij alijs ætatibus, quia Deus uoluit subinde per aliquos suos cultores iuuari politias, tũm ut in eorum inuocatione luceret confessio, & uera doctrina latius propagaretur, tũm ut Ecclesia haberet aliqua hospitia. Non dubium est primos Patres in suo cœtu, Adam, Henoch, Noha, fuisse etiam politicos gubernatores, sicut traditur Nohæ Lex de puniendis homicidijs. Deinde Melchizedeck expressè Rex appellatur. Abraham etsi hospes fuit in alienis imperijs, tamen & Reges aliquos Ecclesiæ adiunxit, & rexit ipse politico imperio suam familiam, & præliatus est. Postea Ioseph non modò rexit, sed etiam nouis Legibus, regnum Aegyptium constituit. Nec dubium est formam regni Aegyptiaci institutam à Ioseph, donec floruit antecelluisse omnium regnorum ordini, quæcunq; fuerunt postea toto orbe terrarum, in Chaldæa, Ionia, Græcia, Romæ.

Valdẽ errant, qui Soloni aut Augusto maiorem tribuunt politicam sapientiam, quãm his uiris, qui diuina luce regebantur, & Deum uerè inuocabant, Ioseph, Danieli, Esdræ & similibus. Nec solus Ioseph inter Principes Aegyptios Deum rectè iuuocabat, sed eius gubernatio regem sua ætate regnantem, & multos qui unà rempublicam regebant ad agnitionem ueri Dei pertraxit. Postea Mosen & multos gubernatores in populo Israël Deo placuisse, nihil dubium est.

Refutatio Anabaptistarum.

Quòd uerò furiosi Anabaptistæ dicunt, propter imperfectionẽ populo Israël concessum esse domicilium & politica officia: Responsio est plena insulsitatis. Singulare Dei beneficium fuit, quòd certam sedem Ecclesiæ tradidit, ac defendit annos amplius mille quadringentos. Voluit enim Deus certum esse locum, in quo testimonia promissionum diuinarum ederentur, & in quo Christus nasceretur, sicut suprà de uetere Testamento copiosius dictum est. Cũm autem in populo Israël legem & politicum ordinem approbauit, & sæpè testatus est, se officia illa postulare, ut in eis inuocatio accendatur, luceat confessio, & dilectio erga Ecclesiam exerceatur, significauit se etiam apud alias gentes legem & politicum ordinem approbare, ut exempla ostendunt. Nam Ioseph, Daniel, & alij multi gubernarunt politias inter Ethnicos. Historias igitur in regnis cæteris extra Israëliticum consideremus. Daniel prouinciam Ethnicam regit, & suo ministerio Regum præstantissimos flexit ad agnitionem

nitionem ueri Dei, uidelicet euersorem Ierosolymæ Nabuchodonosor,& eius filium Darium Medum,Cyrum Persam, & multos principes. Ideō Deus populum Israël in Monarchijs aliās alibi dispersit,ut doctrina uera de Deo latius propagaretur. In historijs Euangelicis mentio fit Centurionum aliquot, qui Euangelio crediderunt. Imō in totam Cornelij militis Romani familiam Spiritus sanctus ingenti miraculo,perinde ut in Apostolos,effusus est.

Cūm igitur tot extent certa & illustria testimonia & exempla, quę ostendunt Deo placere politicum ordinem, Imò officia ordinis politici, in ijs qui Deum rectē inuocant,esse pia opera & præcipuos cultus Dei, discamus uenerari res politicas,imperia,magistratus,leges, iudicia, distinctiones dominiorum,contractus,tanquam dona Dei,& omnia ciuilis uitæ opera referamus ad hos fines,ut Deo in his ordinationibus obediamus,& ut inuocatio & confessio nostra in hac societate luceat,& ut exerceamus dilectionem mutuam.

De Heroicis uiris apud Ethnicos, qui fuerunt sine agnitione Dei.

Recitaui exempla gubernatorum,qui Deo placuerunt, ut Ioseph,Daniel,Nahaman Syrum,& similes. Hos cūm constet à Deo adiutos esse gubernationem esse opus & beneficium Dei manifestum est. Addam autem & de heroicis uiris apud Ethnicos,qui fuerunt sine agnitione uera Dei,& tamen ne genus humanum prorsus interiret, à Deo ardentibus motibus ad uirtutem excitati sunt,& in rebus gerendis adiuti,ut Alexander,Scipio,Augustus. Mirandi euentus in rebus gestis talium uirorum mouerunt omnes prudentes,ut faterentur eos habere impetus meliores & feliciores, quām reliquorum hominum multitudinem. Ideō Cicero inquit nullum fuisse uirum magnum sine afflatu diuino.

Viri Heroici testimonium præsentiæ diuinæ in imperijs.

Cúmqꝫ ad constituenda imperia,aut instauranda, & ad politias ac artes restituendas, DEVS inserat singulares motus talibus ducibus aut artificibus,manifestum testimonium ostendit præsentiæ suæ in politijs, sicut Plato in libro quarto de Legibus inquit: Quemadmodum boues non ā bobus, nec capræ ā capris reguntur, sed ā præstantiore natura, uidelicet ab hominibus, sic natura humana infirmior est, quām ut seipsum regere possit. Quare DEVS præfecit ciuitatibus non homines, sed præstantius & diuinius quoddam genus, heroas uidelicet, qui cùm habeant ipsi prosperos successus,nobis quoque imperia eorum grata & facilia sunt. Hi ita curant nos, ut pacem, pudorem, libertatem conseruent, & addit. Verum est dictum,ubi non Deus,sed mortalis aliquis dominatur,ibi malorum & ærumnarum nullum est effugium. Sapientissimē hæc & uerissimē ā Platone dicta sunt. Et hæc eius uerba intimis sensibus infigamus: λέγε δὴ ἡμῖν οὕτως ὁ λόγος ἀληθεύων χρώμενος, ὡς ὅσων ἂν πόλεων μὴ θεὸς, ἀλλὰ τις ἄρχει δυνατὸς, οὐκ ὄξι καὶ αὐτοῖς, οὐδὲ πόνων ἀναφυξις. Exempla suppeditant historiæ omnium ætatum. Placidum fuit imperium orbis terrarum regnante Augusto, quia Deus uoluit aliquantisper restitui pacem,iudicia,leges,disciplinam, ideóqꝫ Augustum adiuuit. Sub Valentiniano,Augustulo & similibus,subinde nouæ dissipationes exortæ sunt, & miseriæ sine modo cumulatæ.

Pœnæ atrociū scelerum.

Postremò testimonium est præsentiæ Dei in imperijs etiam hæc experientia,quòd manifestum est,diuinitus atrocia scelera manifestis corporalibus supplicijs puniri,periuri,latrones,tyranni,incesti, plericꝫ omnes hærent tandem in pœnis. Differuntur interdum pœnæ,sed tamen plerunqꝫ tandem opprimunt

primunt fontes,& pauciſſimi placidos exitus habent. Exempla tyrannorum interfectorum adeō crebra leguntur,ut ſcriptum ſit:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges,& ſicca morte Tyranni.

Pœnæ homicidarum.

De homicidis quotidiana exempla ſunt in conſpectu. Etiam cùm aliquandiu occultati ſunt,proferuntur tamen in lucem mirabili modo, & quanquàm initiō polluti iniuſta cæde effugerunt manus Magiſtratuum,tamen poſtea ad pœnam retrahuntur. Comitantur & inceſtos pœnæ,ut Oedipum, Aegiſthum, Herodem,& alios. De his pœnis loquitur Chriſtus: Qui gladium acceperit,ſcilicet non datum â legibus, gladio peribit. Ieſaiæ 33. Væ qui prædaris, nam uiciſſim ſpoliaberis. Iob 9. Verebar omnia opera mea, ſciens te non parcere delinquenti. Et Eccleſiaſtes ait cap. 8. Impius non poteſt euadere in bello,id eſt,bellis & alijs cladibus punit Deus atrocia ſcelera. Sic ciuilem iuſticiam Deus in mundo tuetur,ut regulariter puniat in hac uita eos,qui ciuilem iuſticiam uiolant,ſicut regulariter hyems frigida eſt, & æſtas calida. Quanquàm igitur,ut in tempeſtatibus interdum aliquid extra regulam Deus facit, & arcano conſilio differt pœnas & præmia, tamen regulam meminerimus,& metu iræ Dei coërceamus temerarios impetus.

Duæ cauſæ pœnarum comitantium atrocia ſcelera in hac uita.

Duæ ſunt autem cauſæ, propter quas regulariter in hac uita pœnæ comitantur atrocia ſcelera. Prior,quia Deus iuſtus iudex uult conſpici iram ſuam aduerſus peccata,& nos de ſua uoluntate commonefacit. Altera eſt,ut cuſtodiat ſocietatem ciuilem,quæ prorſus diſſiparetur,niſi ab ipſo latrocinia,tyrannides, & alij furores compeſcerentur. Quare etiamſi Tiberius placidè moritur,tamen propter unum atq; alterum exemplum, regula non contemnatur,quæ ſupplicia & cruciatus in hac uita minatur tyrannis & alijs, qui polluti ſunt atrocibus ſceleribus. Ruunt poſtea in pœnas, Caligula, Claudius, Nero,Domitianus,Commodus & alij innumerabiles. Non fruſtrà maledictiones in Lege Dei propoſitæ ſunt,quas non eſſe irritas, uniuerſa mundi hiſtoria teſtatur. Nam & publicè ingentibus bellis & diſſipationibus totæ gentes propter multorum ſcelera delentur, & priuatim quotidiè excruciantur multi magnis ærumnis & doloribus.Horum malorum cauſæ quæ ſint,conſcientias noſtras interrogemus. Ac commonefacit nos Ieſaias triſtiſſima concione,& dicto ualdè memorabili cauſam nobis quaſi digito monſtrat cap. 64. Et iniquitates noſtræ quaſi uenti diſſipauerunt nos.

Experientia in pœnis atrocium ſcelerum conuicit Ethnicos de Prouidentia.

Hæc uniuerſalis experientia etiam Ethnicos mouit,ut Dei prouidentiam & iudicium agnoſcerent. Et Iſocrates in oratione de Pace grauiſſimam ſententiam opponit Epicureorum furori, qui propter pauca exempla, regulam contemnunt,ac ſperant ſe impunitatem ſcelerum habituros eſſe. Etſi,inquit, non ſemper plectuntur ſcelerati,tamen plerunq; dant pœnas. Cùm autem futurum ſemper ſit incertum, prudentis eſt amplecti illud potius,quod ſæpius conducit.Et cùm intelligas iuſticiam Deo magis placere,ſtultiſſimum fuerit exiſtimare in deteriore fortuna iuſtos futuros eſſe,quàm iniuſtos. Cùm igitur experientia perpetua teſtetur atrocia ſcelera puniri, agnoſcamus Deum iudicem & uindicem eſſe, & eum timeamus,& fateamur politias ab ipſo defendi,retineri & mutari.

Hactenus & dicta & argumenta recitaui,quæ oſtendunt, politicum or-

dinem rem bonam esse,& Deo placentem. Ad hæc adijciendum est & hoc argumentum. Cũm toties præcipiat Deus precationes pro magistratu fieri, ut gubernatio maneat inconcussa,& stabiliatur,necesse est eam rem bonam esse, & Deo placentem, nec esse peccatum. Non est enim petendum, ut peccata stabiliantur.

Deus præcipit precationes pro Magistratu.

Extant autem præcepta de hac precatione. Ierem: 29. Orate pro regno Babylonico, quia in pace illius,& uobis pax erit. Iubet fieri precationes pro imperio,quod tunc erat Ecclesiæ hospitium. Et propter has precationes non modõ exilij & seruitutis ærumnæ mitigatæ sunt, sed etiam Regum pectora Deus ad ueræ doctrinæ agnitionem flexit. Et pro rege Abimelech precatur Abraham, Et Iacob benedicit regi Aegyptio, qui à Ioseph acceperat doctrinam de uera Dei inuocatione.

Et 1. Timoth: 2. Præceptum traditur plenum eruditionis: Hortor ut petitiones & gratiarum actiones fiant pro omnibus hominibus,pro regibus & omnibus qui præsunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus,cum omni pietate & honestate. Simul & de precatione præcipit,& docet qualis debeat esse gubernatio,& ad quos præcipuos fines referenda sint consilia gubernatoris. Et petere nos debemus,ut Deus pacem nostris ciuitatibus donet,& regat disciplinam,& boni Principes hæc opera efficere debent: Primũm ut domi pax sit,& tranquillitas,arceant externos hostes,quantũm possunt, & domi prohibeant latrocinia & seditiones. Nec finis sit pacis, ut in ocio possint ciues quærere uoluptates,& indulgere luxui. Sed pacis ulteriores fines sunt,ut propagari uera religionis doctrina possit, ut tegantur scholæ, & imbecillis ętas eruditi possit,nec prorsus dissipetur Ecclesia,aut deleantur seminaria Ecclesiæ. Deinde,ut mores regantur honesta disciplina.

Opera boni Principis.

Sic Dauid gerens bella, sciebat se tantos labores susc̃ipere & sustinere, non sua causa,ut postea ocioso & securo animo frueretur uoluptatibus, sed ut depulsis hostibus seruaretur Ecclesia Dei,ut domi interim procreari soboles, & rectẽ erudiri de Deo,& ad honestos mores institui posset, ut in scholis adolescentia,& populus ad conciones tutò conuenire posset. Denicꝙ ne doctrina de uero Deo,nomen Messiæ,inuocatio uera Dei deleretur. Hos fines inuebatur,quoties educebat exercitum,quoties instruebat aciem,quoties in hostilem exercitum impetum faciebat. Hi fines ignoti erant Alexandro, Scipioni, C. Cæsari. Sed tamen norant ideõ defendendam esse patriam, ut honesta disciplina homines in pace regerentur,nec prorsus interiret humanum genus,aut mores fierent feri & barbari. Addidit igitur Paulus precandum esse, non solũm ut pax sit,sed etiam ut in pace uiuamus piẽ & honestẽ, id est, ut doctrina uera de Deo propagetur,& Deus rectè inuocetur, & sint honesti mores. Ita paucis uerbis optimam politicam formam Paulus deliniauit.

Collatio Dauidis & Ethnicorum.

Postquãm igitur satis ostensum est, politicum ordinem esse rem bonam & Deo placentem,adijciam aliquot regulas utiles ad pacem, & ad alendam reuerentiam in bonis mentibus erga magistratus, & uniuersum ordinem ciuilis societatis, quæ certẽ digna est bonis ingenijs,& cùm refertur ad gloriam Dei, cultus est gratus Deo.

Regulæ aliquot de Magistratu utiles ad pacem.

PRIMA regula. Euangelium sicut nec abolet nec improbat Arithmeticam aut Architectonicam,aut Medicam artem,sic non abolet nec improbat œconomicum & politicum ordinem. Imò iubet agnoscere, has res esse dona

Prima regula.

dona Dei, quibus hæc uita corporalis non potest carere. Cùm autem uelit Deus non deleri genus humanum, sed in hac uita colligi Ecclesiam suam, seruat his rebus, cibo, potu, coniugio, politico ordine, artibus, ut agricultura, architectonica, medicina, uitam corporalem.

Vt autem cibus, potus, agricultura, architectonica, medicina, non pugnant cum Euangelio, quod concionatur de reconciliatione Dei, & nouam & perpetuam lucem in mentibus accendit, sic non pugnat cum Euangelio gubernatio politica. Sed qui ignorant ueram Euangelij doctrinam de iusticia interiore, de fide & uera inuocatione Dei, hi facilè hallucinantur in hac disputatione, & sibi ipsi fingunt Euangelium esse nouam & barbaricam politiam. Vt hypocritæ magnis laudibus uehunt solitudinem, & Monasticos ritus, uel potius illud Epicureum ocium, quo fruuntur illi, qui nec communes labores, qui sunt in gubernatione magni & uarij, sustinent, nec metuũt pericula & procellas, quibus sępè gubernatores horribiliter adfliguntur, ut experti sunt Moses, Aaron, Samuel, Dauid, Ieremias, & exempla multa quotidiana uita monstrat. Nec aduersantur huic primæ regulæ prohibitiones uindictæ, quæ passim sparsæ sunt in Euangelio. Grauissimam hæ doctrinam, & salutarem ipsis imperijs continent. Deus ordinem instituit, ut uindicta per Magistratus exerceatur. Vt igitur in cæteris præceptis nos uult ordini diuino parere, prohibet uagari libidines, sic prohibet uagari iracundiam, uult nos sine incendijs odiorum ordini diuino obtemperare, ac petere, ut Magistratus suum officium faciat, defendat innocentes, & coërceat ac puniat petulantes. Si facit, gratias agamus & Deo & Magistratui, & gaudeamus honestè regi disciplinam, & ciuitates esse tranquilliores. Si non facit, non conturbent ordinem diuinum priuati, non moueant seditiones, reprimant iracundiam & dolorem suum, sęcp hac consolatione sustentent, quòd sciunt Ecclesiam certis de causis subiectam esse cruci, & tamen Deo placere, imò tolerantiam iniuriarum & sæuitiæ alienæ sacrificium esse Deo gratum.

Dictum est igitur suprà duplicem esse uindictam. Altera est ordinata, id est, publica, quæ fit per Magistratus certo ordine, certis legibus. Hanc nequaquàm prohibet Euangelium seu Lex Dei, imò ut toties iam dictum est, diuinitus instituta & approbata est, & iuuatur à Deo. Hæc uindicta est pars politici ordinis, seu functionum Magistratus, sicut Paulus disertè Magistratum uocat uindicem. Vt igitur Magistratum approbari in Euangelio nihil dubium est, ita hanc uindictam quam exercet iuxta Leges approbari manifestum est. *Duplex uindicta una ordinaria.*

Hæc congruunt cum hoc dicto, Mihi uindictam, & ego retribuam. Deus iustus iudex irascitur peccato, & aut sine humana ope punit, ut cùm delet Sodoma, aut Aegyptios in Mari rubro: aut ad supplicia ordinaria, quæ commendauit Magistratibus, sontes retrahit, ut cùm latrones seueritate Magistratuum tolluntur, cùm Cyrus punit Ionum libidines, Augustus Antonium pollutum uarijs libidinibus, & mouentem bellum sine iusta causa. Hæ uindictæ & similes uerè pertinent ad hoc dictum: Mihi uindictam, & ego retribuam. Quod facilè intelligi potest à sanis, qui mentem & dexteritatem in iudicando adhibent.

Altera uindicta est aberrans ab ordine diuino, quam docendi causa priuatam uoco, cùm scilicet incensi iracundia aut odio, nostro furore, non iuben- *Altera uindicta aberrans ab ordine.*

tibus legibus arma capimus,& dolori noſtro ſeruimus,non ordinationi Dei in alijs tollendis,ut ſeruit ſuo dolori Ioab, interficiens Abner.

Etſi autem ingens eſt incendium animi & magnus furor cupiditas uindictæ,tamen pauci ita ſunt intenti,ut agnoſcant ſuum hoc uulnus, ſed plerunque ſpecies aliqua iuris prætexitur,quam amplexi homines, mouent iniuſta & pernicioſa certamina ſibi & Reip. ut Saul, cùm tantùm æmulatione ac liuore moueretur,fingit prętextus, queritur Dauidem eſſe ſeditioſum,& alens hunc furorem,tollere amicum benè meritum conatur.Ita Pompeius æmulatione ardens,delere Iulium conatur.

Vulgaris eſt peſtis,& latè graſſatur in omnibus gentibus, ciuitatibus & familijs. Ideò pij ſint intenti,uideant ne indulgeant huic furori. Vſitatum & notum malum eſt amor aberrans à Lege Dei,& multorum ingentium malorum cauſa eſt, ut propter amorem Paridis euerſa eſt Troia,& Græci magnas clades acceperunt. At iracundia,& uindictæ cupiditas, undecunq; oriantur, aliàs enim alij ſunt fontes, ſæpius excitat ingentia bella, & pernicioſos tumultus priuatim & publicè, ut hiſtoriæ Cain,Saul, Pompeij, Arij,& aliorum multorum oſtendunt.

Conſiderata igitur magnitudine huius peſtis, uidelicet priuatæ uindictæ ruentis contra ordinem diuinum, prudentes intelligent,quàm neceſſarium & ſalutare præceptum ſit Chriſti, toties ſeuerè concionantis de coërcendo hoc impetu. Ipſe enim uerè intelligebat, in Eccleſia, & in uniuerſa hominum ſocietate horrendas diſſipationes ex hoc fonte oriri. Vidit Pompeius creſcere Cæſarem, & eius gloria uritur, quærit igitur occaſiones & prætextus ad eum premendum, & adiungunt ſe alij ſimilibus cupiditatibus incenſi. Vidi ipſe multos liuore & æmulatione motos, conturbaſſe ueras ſententias in doctrina Eccleſiaſtica.

Deniq; omnes prudentes norunt latiſſimè uagari hoc malum. Ideò dicta Chriſti & Apoſtolorum infigamus intimis ſenſibus pectoris, & coërceamus uindictæ cupiditatem. Cùm igitur Chriſtus uindictam ordinatam mandatam magiſtratibus approbet, & econtrà priuatam ſæuitiam & ſeditiones prohibeat,res ipſa loquitur,his præceptis Chriſti optimè muniri politicum ordinem, & armari magiſtratus.

Refutantur calumniæ Celſi, Iuliani & aliorũ, quòd Euangelium tollat Magiſtratus.

Falsò igitur calumniati ſunt Euangelium, Celſus,Iulianus & alij,qui ſcripſerunt,Euangelium prohibitione uindictæ tollere magiſtratus, diſciplinam, leges,deniq; omnes neruos ciuilis ſocietatis, ac concedere infinitam licentiam omnium ſcelerum. Huic calumniæ nimis frigidè reſpondent Origenes & Nazianzenus, qui fingunt conceſſum eſſe uindicare, ſed perfectiorem uirtutem eſſe, non uindicare. Has ineptias ſuprà refutaui,ubi de præceptis & conſilijs dictum eſt. Et quomodo calumniæ Celſi & Iuliani reſpondendum ſit, ex hac noſtra diſtinctione ſatis conſtat, prohiberi priuatam uindictam, & econtrà confirmari magiſtratus & imperia. Hæc ſententia uera, pia, & ſalutaris eſt priuatim & publicè.

Euangelium munit & ornat imperia.

Muniuntur ergo & ornantur imperia uoce Euangelij. Pulcerrimus eſt ordo,quem in uita priuata & in imperijs inſtituit Deus de omni genere actionum, ſed humanæ mentes ſæpè occupatæ abſurdis opinionibus, hypocriſi, prauis exemplis, denique faſcinatæ à Diabolo, ordinem illum diuinum aſpicere nolunt. Ita multos uidimus Anabaptiſtas, qui in hac quæſtione mira pertina-

pertinacia ſuos furores defendebant, cùm ſatis clarè refutarentur. Nulla eſt enim obſcuritas in hac cauſa,modò ut afferat auditor mentem docilem. Diſſerui autem prolixius, ut iuuenes commonefaciam, ut aſſuefaciant mentes ad amandum politicum ordinem,& admoniti agnoſcant in eo lucere ſapientiam, iuſticiam, & bonitatem Dei erga genus humanum. Vſitatum eſt iuuenibus oſtentare ingeniorum acumen in legum & morum ciuilium reprehenſione. Sed illam Cynicam ſapientiam & petulantiam ſciamus fugiendam & deteſtandam eſſe.

Obijcitur & hoc, quòd ſæpè imperia rapiant & teneant improbi,quòd multum ſit uiciorum & confuſionum in imperijs. Ex hac parte argumentantur fanatici ſpiritus, imperia in uniuerſum res malas & à Deo damnatas eſſe. *Contra obiecti onem fanatico rum, quòd improbi ſæpè teneant imperia & ſit multum uiciorum.*

Reſpondeas autem,non eſſe ueram & firmam ratiocinationem à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. In generatione accedunt multæ uicioſæ cupiditates: Ergo generatio in uniuerſum à Deo damnata eſt. Suprà monui,ordinem politicum diſcernendum eſſe à confuſionibus, quæ aliundè admiſcentur, partim à Diabolo, partim ab hominum malitia, partim à communi infirmitate hominum, ut fit in alijs uitæ generibus ac gubernationibus à Deo ordinatis.

Nemo dubitat Eccleſiaſticam gubernationem à Deo inſtitutam eſſe, at quantum accedit confuſionum aliundè? Et tamen uox Euangelij eſt efficax, & Deo æternam Eccleſiam colligit,& audienda & ueneranda eſt. Adde exemplum coniugij & procreationis.Omnes ſani fatentur coniugium à Deo inſtitutum eſſe,eiq; placere ac iuuari ab eo procreationem, ut ſcriptum eſt: In ipſo ſumus,uiuimus & mouemur.At quàm multi ſunt crudeles mariti, patres negligentes liberorum & ἄσοργοι, non curantes inſtitui liberos ad agnitionem Dei: Hæc uicia quæ aliundè accedunt, à coniugij ordine & à procreatione diſcernantur.Fugiamus Manichæos & Anabaptiſticos furores, ac diſcamus Deo tribuere res ab ipſo uerè conditas & ordinatas,quæ erunt gratiores,cùm uicia ſegregantur, quæ non à Deo,ſed à Diabolo & hominum malicia,uel infirmitate oriuntur.Et de his tenendæ ſunt conſolationes à Deo traditæ,ut nũc certè pios oppreſſos,uel Turcica tyrannide,uel alijs imperijs diſcedentibus à legitima moderatione,commonefacere neceſſe eſt,quæ miſeriæ,quomodo ferendæ ſint, & quæ mandata detractanda.

Ac præcipuè nunc tempora poſtulant moneri bonas mentes, ut agnoſcant in hac ſenecta Mundi, imperia multò plus habitura eſſe confuſionum, quàm initiò habuerunt,ut ſtatua apud Danielem ſignificat, in qua Primum imperium eſt aureum. Secundum argenteum. Tertium æneum. Quartum ferreum.Planta partim ferrea eſt,partim teſtacea. Erit igitur languidior uirtus. Et experientia Platonem mouit,ut diceret certam eſſe periodum cuiuſq; ciuitatis,& cuiuſq; regni,qua circumacta,ait naturam non progredi ulterius, ut cùm planus numerus ſit ſolidus,uentum eſt ad metam,nec ſequuntur cubici,ut cùm poſitis 6. ſit ſolidus 18. non ſequuntur cubici. *In hac ſenecta mundi plus erit confuſionum.*

Et quidem hunc ſermonem attribuit Plato Muſis, quia cauſam eſſe mutationis regnorum præcipuam,non hominum ſcelera,ſed arcanum ac fatalem naturæ ordinem,uariè miſcentem materiam,exiſtimat. Sed doctrina cœleſtis ſæpè clamitat,ruinas imperiorum accerſi humanis furoribus, ac atrocium flagitiorum pœnas eſſe,ſicut ſcriptum eſt Eccleſiaſt. 10.Regnum à gente ad gentem

tem transfertur,propter hominum iniuſticiam & dolos. Hęc ad obiectionem quam recenſui,breuiter reſpondi,ut admoniti pij, diſcernant ordinem à Deo inſtitutum,à confuſionibus,quæ aliundè accedunt, & diſcant ſapienter ferre ſeruitutem,quæ pœna eſt,uelut carcer humanorum delictorum.

Secunda regula de Magiſtratu politico.

SECVNDA regula. Et conceſſum eſt Chriſtianis facere œconomica & politica opera,& neceſſe eſt eos iuxta uocationem in illis officijs ſeruire ciuili uitæ. Et cũm pij præſtant ea officia ut Deo obediant, placent illa Deo, & ſunt cultus Dei, & complectuntur multas magnas uirtutes. Rectè igitur & piè facit Chriſtianus, cũm iuxta uocationem magiſtratus gerit,exercet iudicia,militat,accuſat nocentem in foro, dicit cauſam, legitimo ſupplicio adficit iuſtè condemnatos. Hæc intelligere magiſtratus & iudices,qui Deum non contemnunt,neceſſe eſt.

Teſtimonia quòd neceſſe ſit facere officia politica iuxta uocationem.

Ac primùm de neceſſitate teſtimonia perſpicua ſunt,quòd uidelicet neceſſe ſit ciues, etiam eos qui uerè credunt Euangelio, facere politica officia iuxta uocationem.

Roman: 15. Neceſſe eſt obedire non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Lucæ 3. Neminem concutiatis, neq; calumniemini, & contenti eſtote ſtipendijs ueſtris. Ieſaiæ 1. Quærite iudicium, iudicate pupillo, defendite uiduam. Ac obſeruet ſimilia dicta ſtudioſus lector in alijs locis, ſæpè enim hæc præcepta repetuntur.

Officia politica in renatis cultus Dei.

Quòd autem ſint cultus Dei, ſæpè monent Prophetæ. Taxant enim ſuperſtitionem,quæ iudicat ſolas ceremonias eſſe cultus Dei, & negligentiam parit in officijs ciuilibus.Imò Monachi uitam œconomicam & politicam uix Deo placere poſſe putabant. Anteferunt ergo Prophetæ ceremonijs officia politica,& his affirmant promitti præmia. Ieſa: 1. Holocauſta ueſtra nolo, quærite iudicium, iudicate pupillo &c. Ieſ: 58.Frange eſurienti panem tuum. Mich. 6. Nunquid placari poteſt Dominus millibus arietum? indicabo tibi homo quid ſit bonum, facere iudicium, diligere miſericordiam, & in timore ambulare coram Deo tuo. Zach: 7. Nónne cùm comediſtis & bibiſtis,uobis comediſtis &c.Hæc dicit Dominus: Iudicium uerum iudicate,uiduam,pupillum,aduenam & pauperem nolite calumniari, &c.

Decus horum operum ita magis intelligetur,cùm ipſe ordo politicus & cauſæ ordinis conſiderantur. Deus condidit genus humanum ad ſocietatem, & huius ſocietatis uincula eſſe uoluit generationem, educationem, gubernationem,contractus,artes. Nec ſolus uir gignit,nec ſola mulier, nec genita ſoboles ſine aliena ope uitam retinet. Colligata eſt ergo hominum natura æternis uinculis. Sed ad quem finem præcipuum? Ad hunc, ut ad generationem & educationem opus eſt ſocietate,ita cœtu opus eſt ad docendum. Vult Deus agnoſci & celebrari,ut igitur alij alios de Deo, & de alijs rebus bonis doceant, conditi ſunt homines ad ſocietatem,cuius uincula ſunt, magiſtratus, leges,politica officia.

Finis ſocietatis humanæ.

Quo fine præſtanda ſint officia politica.

Primùm ergo in his officijs obedientia noſtra erga Deũ declaranda eſt: Secundò,luceat in ſocietate confeſſio noſtra. Ideò enim præcipuè ad ſocietatem conditi ſumus,ut latè propagetur noticia Dei & Filij eius Domini noſtri Ieſu Chriſti. Oſtende quid ſentias de Deo, ac teſteris te propter iudicium Dei uera profiteri,& iuſta facere.

Tertiò,cùm plenæ ſint ærumnarum & periculorum ingentium œconomiæ

miæ & politiæ. Ferreus est enim qui generationis et educationis pericula non considerat: Deinde quanta moles est curarum in curia, in castris? In his miseriis & periculis luceant fides & inuocatio. Ideò enim his difficultatibus onerata est infirma hominum natura, ut admoniti de fide & de inuocatione latè spargamus Dei noticiam. Fiunt ergo cultus Dei, labores œconomici & politici, & quia ad hunc finem referuntur, ut Deo præstetur obedientia, & quia his ipsis laboribus, misceri oportet inuocationem Dei. Sicut Dauid prælia turus, & Salomon regnum suum incoans, Deum inuocant. Et in Psalmo dicitur: Illi in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini Dei inuocabimus.

Quartò exercentur in his laboribus: dilectio erga proximum, tolerantia, & pietas in retinenda possessione doctrinæ de Deo. Miscentur igitur multæ uirtutes laboribus œconomicis & politicis, propter quas fiunt sacrificia, seu cultus Dei, id est, opera quibus Deus iudicat se honore affici.

Quid agit Dauid prælians?

Primùm, agnoscit se obedientiam Deo in hac uocatione debere, hoc est, in hoc gradu politico, in quem collocatus est. Secundò, profitetur se ciuem esse populi Israël, & inuocare Deum æternum, qui se patefecit, & uerbum suum Israëlitis tradidit certis testimonijs. *Exemplũ Dauidis prælantis.*

Tertiò, in periculis fidem suam exercet, & Deum inuocat.

Quartò, seruit hoc labore suis ciuibus, imò dimicat pro illis parietibus, intra quos sedent pueri & puellæ discentes lectionem Prophetarum, ut conseruetur & propagetur doctrina cœlestis. Interim quàm multæ aliæ uirtutes accedunt, iusticia, tolerantia, mansuetudo, & aliæ uirtutes gubernatori necessariæ?

Quintò, ad has uirtutes, quas recensui, accedit in his laboribus aliud ingens bonum, scilicet testimonium præsentiæ Dei, quo timor & fides confirmatur: Videmus puniri latrones & tyrannos, experimur Deum custodire politias, quæ sunt hospitia Ecclesiæ, experiuntur Iesaias & Ezechias exaudiri suas preces pro politia, quam gubernabant. Et Dauid testatur adesse Deum gubernantibus, inquiens: Benedictus Deus, qui docuit manus meas ad bellum. Item, Qui dat salutem regibus.

Hæ causæ & hi fines laborum œconomicorum & politicorum sæpè cogitandi sunt pijs, & faciendæ collationes politicæ uitæ & Monasticæ. Item pij gubernatoris & impij. *Causæ et fines laborum & œconomicorum & politicorum.*

Causa mandans obedientiam in munere politico est Deus. Hic fit mentio causæ efficientis.

Causa finalis, ut luceat confessio in societate.

Σωσίλαον, fides petens gubernationem in laboribus & periculis.

Causæ finales ulteriores, ut seruiatur proximo: Item, ut defendatur possessio doctrinæ cœlestis.

Effectus, testimonia præsentiæ Dei, quæ timorem & fidem augent, Harum causarum & effectuum cogitatio ornat uitam politicam, & pios consolatur in hac magnitudine laborũ, & accendit timorem Dei & fidem in mentib. *Collatio Dauidis & Eremitæ.*

Iam cõfer Dauidem & Eremitam. Eremita tanquam ex acie, fugit ex ordine politico, nec præstat Deo obedientiam, quam communi societati debet.

Fugit autem ideò in ſolitudinem,ut labores,pericula,incertos euentus negociorum,iniurias,ingratitudines,denicꝙ ut molem curarum & dolorum uitet. Simul igitur fugit fidei,inuocationis & confeſſionis exercitia, nec ſeruit proximis,non docet,non confert operam ad retinendam poſſeſſionem doctrinæ. Qualis autem eſſet uita,quomodo excolerentur aut propagarentur artes,qualis eſſet generatio,quę defenſio puerperarum, & infantum,ſi omnes boni uellent eſſe Eremitæ? Reiſciamus ergo uitæ genus,quod obedientiam Deo debitam in communi ſocietate iuuanda & tuenda negligit.

Collatio militis pij & prophani.

Hic etiam militem pium & prophanum confer. Cùm Celſus calumniaretur Euangelium de prohibitione uindictæ, ac diceret militiam prohiberi, reſpondit Origenes: Chriſtianam militiam eſſe pro imperijs Deum precari. Etſi de parte officiorum noſtrorum rectè Origenes reſpondit, tamen non ſatis dixit. Vtrumꝙ erat complectendum,& dimicat in acie Chriſtianus iuxta uocationem,& arma inuocatione Dei adiuuat, ut Dauid inuaſurus Goliath,inſtruit ſe precibus & funda. Antecellit igitur Chriſtianus miles prophano. Præterea fines differunt. Dauid præliatur,ut defendat cœleſtem doctrinam. Iulius præliatur,ut ſuam dignitatem defendat.

Collatio Eſaiæ & Ciceronis.

Sic antecellit gubernator Ieſaias Ciceroni: Cicero ad gubernationem tantùm ſua conſilia ſeu prudentiam ſuam, & diligentiam adfert. Ieſaias uerò, & preces & prudentiam, & ſæpè clamitat,ut ſcribitur 2. Paralip. 20. Cùm ignoramns quid faciendum ſit,oculos noſtros ad te attollimus. Hæc de ſecunda regula breuiter dixi,quæ pij lectores diligenter expendant, ut diſcant uitæ politicæ dignitatem intelligere,& conſiderent quid interſit inter politicum uirum pium, & prophanum.

Tertia Regula de magiſtratu politico.

TERTIA regula. Euangelium non præcipit ut noſtræ politiæ regantur legibus forenſibus Moſi, nec nouam aliquam corporalem politiam conſtituit,ſed iubet nos præſentibus Magiſtratibus ac legibus obtemperare, quæ tamen non pugnant cum legibus naturæ, & præcipit,ut præſentes politias tueri & ornare ſtudeamus. Sic enim inquit diſertè Paulus: Omnis anima poteſtati quæ præeſt,hoc eſt, præſenti poteſtati, obediat. Hanc regulam ideò recenſui, quia memini multos,Monetarium,Struthium,& alios,qui contendebant Chriſtianos oportere controuerſias forenſes iudicare ex legibus Moſaicis,& abolendum eſſe ius Romanum, quo nunc in foro utimur: Hoc quid erat aliud,quàm reſtituere politiam Moſaicam,quam ut DEVS oſtenderet non oportere perpetuam eſſe, funditus & horribili exemplo deleuit. Sæpè iam dictum eſt, Euangelium concionari de iuſticia ſpirituali & æterna, ut Paulus inquit: Euangelium eſt miniſterium ſpiritus,nec conſtituit certam corporalem politiam, ſed ſinit nos uti diſſimilibus politijs gentium, ut diſſimilibus dierum ſpacijs, modò ut leges non pugnent cum iure naturæ, ſed approbent honeſta facta, & puniant turpia. Nam hanc regulam iudex Chriſtianus ſequi debet, quam & Paulus recitat Roman: 13. Magiſtratus tribuat honorem rectè factis, & puniat turpia. Quæ uerò ſint honeſta, quæ turpia in moribus,dijudicat lex naturæ.

Euangelium non conſtituit certam politiam corporalem.

Diſſimilitudo legum politicarum nihil ad Eccleſiam.

Deinde nihil intereſt Eccleſiæ in his,quæ ſunt iuris poſitiui, quòd Gallicæ in pœnis, aut diuiſionibus hæreditatum,aut ſucceſſionibus diſſimiles ſunt Germanicis. Vtatur Chriſtianus in Armenia legibus politicis eius gentis: At in ciuitate Veneta utatur legibus Venetis. Memini qui nolebant ullos fures capitali

capitali ſupplicio affici, quia lex Moſi punit furem quadruplo. Etſi graſſatorem, ut latronem, etiam uetuſtæ leges, capitali ſupplicio afficiebant, et hac ratione quidam legi uſitatæ non imprudenter patrocinantur, quia in his barbaricis gentibus fures plerunq; ſunt graſſatores, & telis, & uoluntate nocendi armati, ut latrones, tamen iudex Chriſtianus & hoc conſideret, ſatis eſſe, ſi Lex congruat ad hanc regulam, ut turpia facta puniat: Deinde gradus permittendos eſſe legum conditoribus, ſeuerius puniendos eſſe fures in iſs gentibus, ubi diſciplina laxior eſt, quàm alibi, ubi fuerunt alia multa diſciplinæ uincula. Nec Deus improbat ſeueritatem, quia peccata noſtra ſine dubio merentur mortem, iudicio Dei. Lex Moſi Filium helluonem & contumacem uult ad iudices adduci, & condemnatum interfici. Hæc lex honeſtiſſima nunc nimis triſtis diceretur, quæ tamen oſtendit Deo placere diſciplinæ ſeueritatem. Omitto hic longiorem diſputationem, Nam hæc recenſui tantùm ad commonefaciendos rudiores, ne moueantur clamoribus illorum, qui contendunt rurſus in forum leges Moſaicas inuehendas eſſe, & ius Romanum abolendum eſſe.

Et eſt uſitata πολυπραγμοσύνη iuuenilium ingeniorum, uetera inſtituta mediocria reprehendere, nouas leges ferre, expeditiorem ordinem cognitionum in iudicijs præſcribere, regere forum, tanquàm ædilitijs edictis, ſtatuere rerum uenalium precia, ut memini Muſtelam aulas docere de ordine cognitionum. Nec ego nunc diligentiam ſapientum gubernatorum reprehendo, ſed iuuenilem πολυπραγμοσύνην, quam frenare utile eſt, præſertim in iſs qui miniſterio Euangelij funguntur. Hi proponant doctrinam de uera Dei inuocatione, & de cæteris officijs pietatis. Iudiciorum autem & fori gubernationem, ſciant alijs artificibus commendatam eſſe, & præcepti uſitati meminerint, ut ſuam quiſq; Spartam ornet.

Vſitata πολυπραγμοσύνη in reprehendis ueteribus inſtitutis.

Vt apud Ariſtophanem Cleon dicitur alterum pedem in curia, alterum in caſtris habere, ita iſti inquieti, alterum pedem in curia, alterum in Eccleſia habent, & interdum perinde condunt ciuitatem, ut ſimia in fabula Hermogenis, quæ aliquando capta ab hominibus uiderat urbes, domos, hominum conſeſſus, theatra, ſpectacula, ludos. Redit igitur ad ſimias, ac narrat, quid uiderit, hortatur ut hominum imitatione condant domos, quibus tegantur contra tempeſtates, & addant mœnia aduerſus leones, lupos, homines. Nec tantùm hæc utilitas proponitur, ſed commemorantur theatra & ſpectacula. Horum imitatio magnas uoluptates paritura uidebatur. Placet igitur conſilium. Et dimittunt uetulæ ſimiæ iuniores ad materiam cædendam, aut ſaxa conuehenda. Sed hic deprehendunt ſtulticiam ſuam ſimiæ, deerant ſecures, & ratio nulla erat uel cædendæ materiæ, uel coagmentandi lapides, denique ars tota Architectonica deerat, res igitur coëgit eas id quod ſtultè inſtituerant omittere. Tales Architectos ciuitatum multos uidimus, Struthium, Muſtelam & alios. Meminerint ergo ſaniores præceptum in hac tertia regula traditum, nec temerè de politicis inſtitutis, quæ non continent manifeſtam turpitudinem, contendant.

QVARTA regula. Euangelij doctrina adeò ſeuerè præcipit de obedientia, ut affirmet peccatum mortale eſſe, non obedire mandatis legitimi Magiſtratus, ſi tamen non iubeant facere contra mandata Dei.

Quarta Regula de Magiſtratu politico.

Hęc regula expreſſè traditur Ro: 14. Neceſſe eſt obedire nõ ſolùm propter

pter iram, sed etiam propter conscientiam. Primùm docet esse necessarium opus, deinde necessitatem declarat. Non solùm propter iram inquit, id est, propter pœnam corporalem, qua Magistratus afficit contumaces, sed etiam propter conscientiam necesse est obedire. Testatur ergo contumacia offendi Deum, & conscientiam ream fieri, quia Deus hanc obedientiam flagitat.

Violatio obedientiæ erga Magistratus lædit conscientiam.

Hic expende quantum malum sit, conscientiam ream iudicari à Deo, deseri hominem, & non regi nec defendi à Deo, sed pœnis in hac uita, & nisi resipiscat perpetuæ iræ post hanc uitam, obnoxium fieri. Nam regulam hanc seruat Deus, ut atrocem contumaciam etiam in hac uita atrocibus exemplis puniat, ut ostendunt historię Absolon, Semei, Ioab, & aliæ innumerabiles. Hic prudens lector conferat Philosophorum politica, ad hanc Pauli concionem. Quæ literæ philosophorum ita munierunt magistratum, ordinem politicum, & pacem, sicut hæc Pauli concio? Hæc est murus firmissimus Magistratuum. Nam bonorum omnium, & mediocrium animi, non terrore aut potentia magistratuum, sed hac doctrina cœlesti, cogi se iudicant, ut reuerenter obediant uoci Legum & Magistratuum, & imperia uenerentur.

Doctrina cœlestis plus tribuit Magistratui quàm leges Imperiorum.

Ac leges ipsæ imperiorum tantùm externam obedientiam in militia & in pace, labores corporum, collationem tributorum, & iusta officia externa in tota ciuili consuetudine postulant. Sed doctrina cœlestis amplius flagitat, iubet honore affici magistratus. Hic gradus obedientiæ summus est, non tantùm externa officia tribuere, sed etiam honorificam opinionem in mente, & beneuolentiam. Nam hæc duo præcipuè significat uocabulum Honoris. Honorifica opinio hæc continet, quòd totus ordo politicus, imperia & magistratus sint res à DEO institutæ & approbatæ, & defendantur ope diuina, & quòd Deus uelit humanum genus hac ciuili forma uitæ regi, & frenari libertatem, & in ipsa gubernatione multa exempla conspici sui iudicij de sceleribus hominum, ut pœnæ homicidarum, incestorum, tyrannorum, periurorum, manifestè testantur Deum his sceleribus irasci. Est ergo honorifica opinio, politicũ ordinem, imperia, magistratus, leges, iudicia, pœnas, esse opera Dei, in quibus sapientia Dei, iusticia & bonitas erga genus humanum conspiciuntur. Altera pars honoris est, quia hæ res sunt diuinæ, uoluntas nostra ultrò & uerò studio se subijciat imperijs, propter Deum, & amet has res, & ipsos magistratus, custodes politici ordinis. Hæc est sententia præcepti, quod iubet honorem tribui magistratibus.

Discernendæ sunt res & personæ.

Suprà autem monui discernendas esse res & personas. Agnoscebat Paulus & certò sciebat imperium Romanum singulari Dei consilio & ope constitutum esse, & ipsum ordinem ac leges amabat & uenerabatur, sed Neronem ut teterrimam pestem & Diaboli organum oderat ac execrabatur, & toli eum à Deo petebat, sicut & accidit. Etsi enim prius ab eo Paulus interfectus est, mirabili Dei consilio permittentis, ut à tali tàm tetro, turpi, et execrando portento, Apostolus DEO carus, & donis amplissimis ornatus, & per quem magna pars Ecclesiæ collecta erat, necaretur, tamen eodem anno sibi ipsi Nero mortem conscíuit.

Præcipuus honor, qui debetur Magistratui.

Cæterùm hic honos præcipuus est, Deum pro politia & Magistratibus inuocare, quod certè facient ardenter isti, qui uerè cogitant politicum ordinem opus & donum Dei esse, & bonos magistratus à Deo excitari & iuuari sicut fit. Non enim durabiles essent Politiæ, et artes, nisi subinde à Deo excitarentur

tarentur instauratores,ut post Manassen collapsum ferē regnum restituit Iosias. Hæc beneficia Dei qui considerant,ueris & ardentibus precibus imperia adiuuant, sicut & Paulus præcipit 1. Tim. 2. Adhortor uos precari pro Regibus & omnibus qui prę sunt &c. Finis etiam additur,ut uita sit tranquilla,non ut in ocio uoluptatibus fruamur, sed ut regantur mores disciplina,& doceri Euangelium ac propagari possit,& Ecclesiæ crescant,& nomen Dei & Domini nostri Iesu Christi celebretur. Præcipit & Ieremias capite 29. orari pro regno Babylonico. Quærite pacem ciuitatis,in qua eritis in exilio,& orate pro ea ad Dominum,quia in pace illius erit uobis pax.

Quinta Regula de Magistratu politico.

Addo & hanc regulam, traditam uoce Apostolorum : Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Cùm igitur mandant homines, seu Reges, seu Principes seu Pontifices, ut faciamus contra mandata Dei,non est obediendum,sed mandatum Dei anteferendū est,ut docet historia Danielis tertio.

Dixi præcipua,quæ in Ecclesia de causis & dignitate politici ordinis & Magistratuum sciri necesse est. Nunc etiam multa de officijs gubernatorum dicenda essent,sed non est nostri instituti complecti totam politicam doctrinam. Extant libri Philosophorum & Iurisconsultorum, qui continent officia Magistratuum. Nos tamen breui regula summam indicabimus. Aristoteles erudite tradidit definitionem Magistratus paucissimis uerbis, quæ tamen euoluta continet amplissimam doctrinam ἄρχων ὁ τὴν φυλακὴν νόμου. Cùm quæres quæ sint officia Magistratuum,cogita hanc definitionem,& tibi pingito magistratum,cui de collo pendeant tabulæ duæ legis Mosi. Harum custos esse debet Politicus gubernator, quod ad externam disciplinam attinet. Nam hæ sunt summæ leges,ex quibus cæteræ honestæ leges omnes,ut necesse est plures esse,quæ uitam Politicam & Forum regant,tanquàm ex fontibus deriuantur.

Magistratus est custos legum.

Cùm igitur Magistratus sit custos Legum, obtemperet eis ipse, & alios obtemperare cogat,& earum autoritatem fortiter defendat. Ideò enim à Deo armatus est gladio. Ac ut discrimen intelligatur Ecclesiastici gubernatoris, & Politici,& simul officia conspiciantur,hanc trado definitionem Politici Magistratus : Magistratus est minister Dei,& custodiens honestam disciplinam externam sui cœtus,& pacem,ac coërcens ac puniens contumaces legitimis pœnis corporum.

Differentia inter Doctorem Euangelij & Magistratum.

Hic differentiæ comparent inter Euangelij doctorem & Magistratum. Euangelij doctor proponit uerbum Dei,& administrat Sacramenta, per quæ Deus audientes uocat ad uitam æternam,& est in eis efficax. Deinde coërcet & punit tantūm uerbo Dei,scilicet uoce Euangelij,& excommunicatione,sine ui corporali. At Magistratus custos est externæ disciplinæ & pacis,& armatus gladio coërcet,& punit contumaces legitimis pœnis corporum.

Magistratus custos utriusq; tabulæ.

Cùm autem dico Magistratū disciplinæ custodem esse,intelligo utranque tabulam Decalogi ei custodiendam esse,id est, Non tantùm pacis est custos,uelut armentarius, nec tantùm uentri, sed primùm gloriæ Dei seruiat, quod ad externos mores attinet. Vt omnes Politiæ sanxerunt pœnas aduersus periuros,multæ etiam apud Ethnicos sanxerunt pœnas aduersus Epicureos seu Atheos,qui palàm dixerunt nihil esse Deum,aut nullam esse prouidentiam Dei,Sed nos legem Dei sequamur,quæ ait,Fugite idola. Item Leui: 24. Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur. Deut: 12. Euertite aras Idolorum &c. Deut: 18. Non sint magi aut incantatōres in terra.

Hæc

Hæc præcepta sunt iuris naturæ,& pertinent ad secundum præceptum. Non usurpabis nomen Dei uanẽ, Nec enim habebit Dominus hunc insontem,qui nomen Dei uanẽ usurpauerit. Hæc sententia omnibus hominibus, imõ omnibus creaturis intelligentibus concionatur. Suo quisq; loco prohibere manifestas Dei contumelias debet. Quare & Magistratus prohibere & punire debent Epicureos sermones,Idolorum honores,periuria, fœdera dæmonum,professionem impiorum dogmatum. Id præcipiunt & hæc dicta: Et nunc reges intelligite,erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino &c. Et prouerb. 25. Aufer impietatem ã uultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius. Et 1. Reg. 2. Glorificantes me glorificabo, & contemnentes me, reddam contemtos.

Ideõ non solũm Reges pij in Iuda, sed etiam aliarum Gentium Reges, postquàm didicerunt ueram de Deo doctrinam, prohibuerunt contumelias ueri Dei, ut Nabuchodonosor & Darius Medus.Ita & Constantinus & Theodosius rectẽ fecerunt,cùm delerent idola. Etsi enim magistratus non iudicat nec mutat arcanas opiniones in mente, tamen externa delicta prohibere debet propter gloriam Dei,& ne plures corrumpantur licentia & exemplis.

Inspectio & cura Ecclesiarum pertinet ad Magistratum.

Quare Reges,Principes & Magistratus etiam hoc tempore inspiciant Ecclesias,& curent eas rectẽ doceri, ut flectantur animi hominum ad ueram Dei inuocationem,& ad alia pietatis officia, & prohibeant coli idola, ac doceri & confirmari falsas opiniones pugnantes cum Euangelio, ã quocunque genere hominum sparguntur. Obtemperemus uoci æterni Patris præcipientí de Domino nostro Iesu Christo, Hunc audite. Amplectamur ergo & illustremus Euangelium Domini nostri Iesu Christi, reiectis Ethnicis, Iudaicis, Turcicis & hæreticis furoribus. Auferant Principes ex Ecclesia Ethnicam doctrinam Papæ,Ethnicos ritus inuocationis mortuorum,& horrendas prophanationes Cœnæ Domini. Id præcipiunt mandata Dei æterna & immutabilia. Non assumes nomen Domini tui uanẽ. Item,Hunc audite. Imperatit Deus Magistratibus societatem sui nominis hanc ipsam ob causam, ut res diuinas,id est,ueram Dei noticiam,& inuocationem,iusticiam & pacem tueantur. Quomodo dici possunt uicarij Dei,si Dominũ nec agnoscant ipsi,nec ab alijs agnosci curent?

Quòd Magistratus ciuilis possit iudicare de dogmatum controuersijs cessantibus aut aduersantibus Episcopis.

Alibi autem longiore disputatione ostendi, pertinere emendationem Ecclesiarum ad Magistratus officium,præsertim cessantibus Episcopis,aut aduersantibus Euangelio. Quõd enim aliqui dicunt,Magistratum prophanum non esse iudicem controuersiarum de dogmatibus, uera & explicata responsio est: Ecclesiam esse iudicem,& sequi normam Euangelij in iudicando,Cùm autem Magistratus pius uerè sit membrum Ecclesiæ,iudicet ipse cum alijs pijs & eruditis iuxta normam, quam dixi. Omnibus Ecclesiæ membris dictum est, Cauete ã Pseudoprophetis. Item, Si quis aliud Euangelium docebit,anathema sit. Quare ut cæteri pij,ita magistratus considerent dogmata, & si quis falsas & impias opiniones serit aut defendit,hunc iudicent esse anathema, aut compescant. Valdè errant Principes si hanc curam non pertinere ad se arbitrantur.

Cætera officia Magistratuũ.

De cæteris officijs Magistratuum,id est,de morum ciuilium gubernatione, de pacis defensione, de Forensi seu Prætorio munere,de seueritate,de ἐπιεικείᾳ, de Oeconomico seu de quæstorio munere dicendum est ab alijs artificibus,

cibus,uidelicet â Iurisconsultis. Euangelium monstrat causas & dignitatem politici ordinis, & in genere docet Magistratus, ut obtemperent mandatis Dei,quia pariter Deus præcipit Regibus,Principibus & Populo,pariter iudicabit Reges,Principes & Populum,sicut scriptum est. Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et Zach: 10. dicitur, Super Pastores iratus est furor meus. Et Micheæ 3. Audite Principes domus Iacob,propter uos Sion quasi ager arabitur. Et Ezech. 33. Propterea Pastores audite uerbum Domini &c.

Tantùm unam admonitionem adijciam. Non licet Regibus Principibus & Magistratibus facere contra ius diuinum,& contra ius naturæ. Est autem & diuini & naturalis Iuris hoc præceptum,Non furtum facies. Hæc uox discernit dominia,& suas cuiusq; possessiones,fundos, & res proprias cingit tanquam murus. Habet autem & populus res aliquas proprias iure diuino & humano. Ab his arcet Principes lex illa, Non furtum facies. Non existiment Reges & Principes,licere sibi ex facultatibus subditorum,quantùm uolunt rapere,aut nihil esse ciuibus proprium. *Non licet Magistratui facere contra ius naturæ & diuinum.*

Deus in Lege sua distinxerat dominia Israëlitarum, sanxit libertatem. Quare non licuit Achab aut cogere Naboth ad uenditionem uineæ, aut expellere eum ex possesso. Sed hac lege arcebatur ab alieno, Non furtum facies, Et Deus uindex nominatim taxat hanc iniuriam, quòd Achab alienam uineam occupauit,& punit eum memorabili exemplo, ut principes moneat, ut parcant ciuium facultatibus,sicut Baptista dixit: Estote contenti stipendijs uestris. Debet populus ordinaria tributa, ut Paulus docet Rom: 13. quæ Baptista uocat stipendia. Et cùm reipublicæ defensio,& aliqua probabilis causa nouas collationes postulat,ciues opitulari Ecclesijs & patriæ iustum est. *Non licuit Achab cogere Naboth ad uenditionem uineæ.*

Locus uerò in historia Samuelis de iure Regum, loquitur de stipendijs, Non concedit infinitam licentiam Principibus rapiendi ex bonis ciuium quantùm uolunt,quia tenent quædam propria iure diuino & humano.

Restant & quæstiones de Contractibus, de quibus in genere sciant pij, Contractus esse partem Politici ordinis,& res bonas â Deo ordinatas. Imò pulcerrima imago iudicij & uoluntatis Dei impressa est contractibus. In his docet nos Deus iusticiam æqualitatem esse, ut cogitantes de uoluntate Dei, sciamus eam iustam,id est,æqualem esse æqualibus. Tyranni non sunt æquales æqualibus,sed aliquos priuato affectu complectuntur, cæteros seu pares, seu meliores negligunt. Hæc inæqualitas uocatur προσωπολημψία, quæ non est in Deo,sed scito Deum æqualem esse, & tibi & latroni in cruce, & Mosi & Eliæ. Regulam proposuit,iuxta quam seruat æqualitatem, irascitur peccato in omnibus, ac rursus certò recipit omnes confugientes ad Mediatorem Christum. *Contractus sunt res bonæ & concessæ Christiano.*

Cernitur & exemplum iusticię Dei & æqualitatis in placatione irę Dei. Non sunt remissa peccata nisi æquale λυτρον esset pro nobis,scilicet Filius Dei. De hac æqualitate quotidiani contractus, emtiones, uenditiones, mutationes, locationes,conductiones,deinde & delictorum compensationes nos admoneant.

Postremò hæc ipsa æqualitas,quæ in contractibus postulatur, docet nos de dilectione proximi,& interpretatio est particulæ,Sicut,in hoc mandato: Dilige proximum sicut teipsum,id est,sit æqualitas inter te & proximum,non

augeas tua commoda cum illius incommodo,non premas eum, ut tua existimatio crescat,non decerpas de eius facultatibus, ut tuas cumules, Deniq; nulla in re quæras πλεονεκτήματα, sed ames æqualitatem, tribuas proximo ea quæ tibi tribuenda esse iudicas.

Dixi autem aliàs de Contractibus, & nunc hanc regulam trado, ex fontibus doctrinæ iuris intelligi posse,qui contractus sint approbandi, & in quibus seruetur æqualitas illa,quam sapiens & iustus Iurisconsultus efficiendam esse censet.

Cura literarum & Scholarum pertinet ad Principes.

Hic,etsi nostræ cohortationes non multum autoritatis habent, tamen hoc addam,ad Principum officium præcipuè pertinere curam literarum & scholarum,in quibus literæ & artes Ecclesiæ necessariæ traduntur,iuuandarum. Ideō Iesa.49. dicitur. Et erunt Reges nutritores tui,& Reginæ nutrices tuæ,id est, Reges & Principes: Item,Reginæ, id est, respublicæ, seu ciuitates, præbeant hospitium & alimenta Ecclesijs,& foueant doctores ac discipulos doctrinæ de Deo & earum artium quæ Ecclesiæ necessariæ sunt.Pro hoc officio magna præmia proposita sunt. Matth: 10. Qui aquæ potum dabit uni ex minimis istis,in nomine discipuli,id est,iuuandæ doctrinæ causa: Amen dico uobis,non perdet mercedem suam.

His præceptis & promissionibus, ut gubernatores moueantur ac inuitentur ad literarum studia iuuanda,faciat Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui certè alicubi aliquas scholas & literarum reliquias seruabit. Nam cūm Ecclesiam promiserit mansuram esse, etsi in hac postrema mundi senecta plus erit confusionum, tamen aliqua hospitia, aliquas politias & scholas habituram esse certum est. Et hac spe studia literarum colamus, & Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi oremus, ut nostros labores in docendo & discendo regat & adiuuet,ac faciat nos ὄργανα misericordiæ,salutaria Ecclesiæ Dei in nobis.

DE CEREMONIIS HVMANIS
IN ECCLESIA.

TOta superior pars huius operis primùm dogmata propria Ecclesiæ de Deo,& de rebus æternis,de Lege Dei,de Peccato, de Euangelio, de Gratia,Iustitia,& Sacramentis,postea etiam doctrinam de uita ciuili recitat. Nunc de gradu operum dicemus, longè posito infra doctrinam & opera, de quibus suprā dictum est,uidelicet de Ceremonijs, quæ institutæ sunt humana autoritate in Ecclesia,quarum magna sunt discrimina. Aliquæ enim utiles sunt ad bonum ordinem. Vt enim in scholis distribuuntur horæ & materiæ lectionum,& fiunt classes discentium, seu ut paterfamiliàs ordinem pueris præscribit,quo primùm manè preces recitant,deinde sumto ientaculo discunt literas,postea faciunt operas aliquas domesticas, Ita in publicis congressibus Ecclesiæ ordinem aliquem natura hominum requirit.

Ceremoniarum humana autoritate traditarum discrimina.

Sed præter has utiles ceremonias, quæ propter εὐταξίαν institutæ sunt, subinde homines omnibus ætatibus multas addiderunt,partim superstitione, partim auaricia,partim consilijs tyrannicis. Et quædam apertè pugnant cum mandatis diuinis.

Cùm autem humana infirmitas hos ritus ita admiretur, ut existimet eos summa opera esse,placantia iram Dei,& horum admiratione fascinata, lucem

Euangelij

Euangelij de Mediatore Christo,& de fide amittat, & sequantur magnæ tenebræ,& discordiæ in Ecclesia Dei,necesse est de his legibus & operibus iudicium Euangelij proponi & illustrari.

Ac primùm admoneo lectorem, in hoc loco non dici de legibus Magistratuum ciuilium, aut officijs ciuilibus, quæ propriè pertinent ad gubernationem Magistratuum ciuilium, & instituta sunt ad defensionem communem pacis, & imperiorum tranquillitatem, sed de earum legum autoritate loquimur, quæ ab hominibus in Ecclesia conditæ sunt,& iudicantur esse seu exercitia peculiaria pietatis,seu cultus Dei,ut cœlibatus,certæ formæ ieiuniorum, καταλογίαι &c.

Differunt ceremoniæ conditæ in Ecclesia humana autoritate à legibus Magistratuum.

Etsi autem uiri Politici non amantes Euangelium, tragicè queruntur labefactari legum autoritatem, quia aliquæ laxantur, & disputant exemplum perniciosum esse, tamen necesse est anteferri his querelis gloriam Christi, & salutem piorum,quos eruditi necesse est, ut lux Euangelij retineatur,& discrimen conspiciatur inter necessarios cultus Dei, & commentitias superstitiones.

Nec illa nos causa ab hac explicatione deterreat,quòd multi abutuntur doctrina libertatis. Sed utraq; re acerrimè pugnandum est in docendo,necessaria doctrina diuinitus tradita,purè &fideliter exponenda est,& abusus,qua lescunq; sunt, seuerè taxandi sunt,& castigandi sunt, qui prætextu huius libertatis,quæ Christi sanguine parta est,indulgent prauis cupiditatibus & mores accersunt,qui homines moderatos ab Euangelio deterrent.

Tres igitur Regulas recensebo.

Regulæ de ceremonijs humanis in Ecclesia, Prima.

PRIMA regula. Vt Heua peccauit,obtemperans Diabolo hortanti, ut contra mandatum Dei faceret: Ita peccant omnes qui obtemperant legib. aut edictis, quæ iubent facere contra mandata Dei, siue leges illæ ab Episcopis,siue à Regibus,siue alijs Magistratibus,siue à Diabolis propositæ sint. Vera est enim uox Apostolorum: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Itaq; cùm Rex Babylonicus iussit auream statuam adorari,necesse fuit non obtemperare, & magna fidei constantia ostendere,quæ sit uera Dei adoratio, ut tres Israëlitæ fecerunt,ut narrat Daniel.

Ita Apostoli contra mandatum summi Sacerdotis docent Euangelium. Act.5. & palàm testantur anteferendum esse Dei mandatum.

Edicta Regum & pontificum contra mandata Dei impia.

Hic pij leges pontificum & Regum edicta considerent,quæ iubent facere contra mandata Dei. Passim edicta impia proponuntur,ne puram doctrinam Euangelij audiat,legat,discat populus:Coguntur Sacerdotes usitato more ad prophanationem multiplicem Cœnæ Domini in Missa. Pertinaciter retinetur inuocatio mortuorum, prohibetur coniugium Sacerdotibus, cùm tamen non omnes sint idonei ad cœlibatum, & Deus coniugium præcipiat omnibus,qui cœlibes non uiuunt sine aliqua labe, ut 1. Cor: 7. clarè dicitur: Vitandæ scortationis causa,unusquisq; habeat uxorem suam. Διὰ δὲ τὰς πορνείας, ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω. Et postea: κρεῖσσον ἐστὶ γαμῆσαι, ἢ πυροῦσθαι.

Iam cogita quanta multitudo hominum his iniustis legibus oppressa teneatur, qui inuocare DEVM propter labes conscientiæ non possunt, & auelluntur à Deo,ac ruunt in æternum exitium. Horribiliter peccant Pontifices & Reges, cùm condunt leges impedientes ueram DEI inuocationem,

hoc est, cũm aliquid præcipiunt fieri, quod sine labe conscientiæ non potest fieri.

Sicut autem Heua peccauit, obtemperans uoci Diaboli, sic peccant reliqui, cùm impias leges anteferunt mandato DEI, & sinunt sibi excuti ueram Dei inuocationem.

Nemo magnitudinem peccatorum, quæ hæc tristissima seruitus adfert, satis deplorare potest, Imò nulla est tanta hominum sapientia, quæ magnitudinem horum malorum satis intelligat. Iacet oppressa magna pars eius populi, qui uocatur Ecclesia, tyrannicis legibus, quæ stabiliunt idolorum cultus, errores, nefarias libidines, & impediunt ueram Dei inuocationem. Et hæ leges defenduntur magna crudelitate suppliciorum. Interficiuntur homines honesti & pij plurimi, cùm aliquam impiam legem uiolant. Multi pij Sacerdotes propter coniugium crudeliter necati sunt, cùm nulla barbaries unquam propter similem causam homines occiderit.

Etsi mutatio est periculosa, tamen impijs legibus anteferendũ est mandatum Dei.

Etsi autem uociferantur uiri Politici, nullas legum mutationes concedendas esse, ne sequatur extremum malorum ἀναρχία, & postea labefactentur dogmata necessaria & leges diuinæ, & obijciunt uetus præceptum, quod recitat Aristot: in Politicis, μὴ φαῦλα εἶναι μικρὰ, Non negligenda parua initia, quibus paulatim fiunt accessiones, tamen illa æterna & immutabilis lex anteferenda est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item, Fugite idola. Quare necesse est & in docendo taxare impias leges, & contra earum dicta obtemperare mandato Dei. Non iam de seruitute corporum aut rerum dico, quas calamitates, quas negligentia aut asperitas parit in gubernatione ciuili, expilationes fori, confusiones, iniurias, bellorum mala: Seruitutem conscientiarum deploro, quæ impedit ueram inuocationem, & infinita agmina hominum aut in Epicureum Dei contemtum, aut in æternam desperationem impellit. Væ ijs, inquit Iesaias qui scribunt leges iniquas. Væ ijs etiam, qui nunc aut supplicijs, aut præstigijs sophismatum eas defendunt. Audet Pygius hanc turpissimam uocem edere, quę extat in eius scriptis: Minus peccare sacerdotem scortatione se polluentem, quàm ducentem uxorem. His uocibus applaudunt sapientes quidam. At nequaquàm inuocationi ueri Dei, nequaquàm saluti animarum anteferendæ erant superstitiosæ hominum leges, quarum manifesta est impietas. Etsi enim uafri quidam inurere fucos erroribus conantur, Tamen quædam est adeò perspicua ueritas, ut nulla Sophistica, nulla Sycophantica obrui possit. Sunt ob oculos miseriæ, ortæ ex lege de Cœlibatu. Nemo sanus sine gemitu & lacrimis cogitare potest, de obscuratione doctrinæ de Pœnitentia, de Fide, de uera Inuocatione, de Prophanatione Cœnæ Domini, de Inuocatione mortuorum.

Durior seruitus conscientiarũ quàm corporum.

Hanc de prima regula, non disputationem, res est enim manifesta, sed querelam abrumpere cogor, quæ multò breuior & languidior est, quàm qualem postulat magnitudo malorum, quæ ab impijs & tyrannicis legibus in Ecclesia tot iam seculis & orta sunt, & adhuc oriuntur, & deinceps orientur, donec liberabit Ecclesiam suam filius Dei Dominus noster Iesus Christus, ostendens se uniuerso generi humano, resuscitatis mortuis. Sed hunc Dominum oro, ut mitiget ærumnas Ecclesiæ, & aliquas sibi reliquias excerpat, & mundet filios Leui, id est, excitet passim Doctores rectè docentes, & non sinat extingui lucem Euangelij sui.

Secunda

Secunda regula. Quædam opera ſua natura ſunt ἀδιάφορα, quæ nec præcepta ſunt lege Dei, nec prohibita, ut non ueſci carnibus, uti ueſte communi, aut ueſte Monachorum. Etſi autem facere ἀδιάφορα ſine ſuperſtitione conceſſum eſt, tamen legibus de adiaphoris aduerſandum eſt docendo, quia adſuuntur multi pernicioſi errores, & doctrinæ exempla in uſu libertatis modeſtè oſtendere pium eſt. Recenſebo autem breuiter ſeptem errores, qui adſuuntur talibus traditionibus.

Secunda Regula de ceremonijs humanis in Eccleſia

PRIMVS error. Multi docuerũt & docẽt, ieiunia & ſimiles ἀσκήσεις mereri remiſſionem peccatorum, tum culpæ, tum pœnæ. Hic error Phariſaicus facilè capit animos populi, & obſcurat lucem doctrinæ de beneficijs Chriſti proprijs, & de fide. Cùm enim putant homines mereri ſe remiſſionem peccatorum his ſuis ritibus transferunt honorem debitum Chriſto in hos ritus, & aut inanem fiduciam aliquantiſper concipiunt, aut alunt dubitationes, quæ tandem eis ſunt exitio.

Septem errores de ceremonijs humanis. Primus quòd mereantur remiſsionem culpæ & pœnæ.

Ac præcipuè propter hanc cauſam tam acriter dimicat Paulus de abrogatione Circumciſionis, & aliarum Ceremoniarum legis Moſaicæ, ne hęc lux doctrinæ in Eccleſia extingueretur, quòd propter CHRIſtum Mediatorem credentes habeant remiſſionem peccatorum, & reputentur iuſti, & ſint hæredes uitæ æternæ, non propter Circumciſionem & alias Ceremonias Moſi, aut ſimiles. Et ſæpè monet, ut caueamus, ne nouis Ceremonijs humanis, lux illa Euangelij obſcuretur. Nec dubium eſt, hunc Phariſaicum errorem acriter taxandum eſſe.

SECVNDVS error minus eſt conſpicuus, ſed tamen pernicioſus. Quidam aſtuti nunc uident non poſſe defendi priorem illum Phariſaicum errorem, ideò delabuntur huc: Etſi, inquiunt, non merentur hæ Ceremoniæ remiſſionem peccatorum, tamen quia ſunt bona opera & cultus Dei, defendantur hæ traditiones, ut in lege Moſi Nazarçorum abſtinentia, etſi non merebatur remiſſionem peccatorum, tamen Deo placebat, & erat cultus Deo gratus, & præmia habebat.

Secundus error, q. ſint bona opera & cultus.

Hoc fuco recens iam quidam pingere traditiones didicerunt, qui tamen non de his adiaphoris dimicant, ſed alios tetros abuſus ſtabilire conantur. Neceſſe eſt autem pios hic cauere doctrinę inſidias. Magnus error in hoc ipſo fuco ineſt. Non rectè citatur Moſi exemplum. Ingens enim diſcrimen eſt inter opera à Deo inſtituta & ordinata, & inter illa quæ homines excogitant, nec mandata nec ordinata à Deo. Erant cultus Dei opera in Lege ordinata, etſi remiſſionem peccatorum non merebantur. At ἐθελοθρησκεῖαι excogitatæ ab hominibus ſine mandato Dei, nec fuerunt, nec ſunt cultus Dei, ſicut nec Ethnicę ceremoniæ & πανηγύρεις fuerunt cultus DEI, etſi multæ fuerunt elegantiſſimæ. Clamat Chriſtus: Fruſtra colunt me mandatis hominum. Et cùm aliàs ſæpè Prophetæ & Apoſtoli reijciunt ritus ſine uerbo Dei inſtitutos, tùm uerò 1. Tim. 4. uocantur doctrinæ Dæmoniorum, cuius dicti atrocitas profectò pias mentes mouere debet, ut conſiderent, qua prudentia adiaphora recipi poſſint. Etiamſi ordinis cauſa ritus aliqui honeſti ſeruandi ſunt ut in ſcholis lectionum ordo, tamen longè aliud eſt, ijs ritibus hoc decus tribuere, quòd ſint cultus Dei, id eſt, opera quæ Deus approbet, ita, ut ſe per ea iudicet honore affici, Et tamen recepto hoc errore, amplius tribuitur, uidelicet, quòd mereantur remiſſionem peccatorum. Reijcit Deus ac deteſtatur hanc audaciam hominum,

quæ fingit cultus ſuo conſilio. Vt Iſraëlitæ proponebãt uituli figuram, & inſtituebant ritus ſuo conſilio, ſic & Ethnici fecerunt, quorũ exemplum cur reprehenditur, ſi licet cuilibet, ſuo arbitrio cultus Dei fingere? Sed hoc arcanum peccatum non intelligunt homines, niſi benẽ cognita Euangelij doctrina. Amant.n.ſua inuenta, & ornant multis prætextibus, non ſolũm tanquã diſciplinam, ſed etiam tanquã Sacramenta proponunt, per quæ dicunt Deũ efficacẽ eſſe, lactitant Enthuſiaſmos, ſicut Corybãtes, Manichęi, et nunc Anabaptiſtæ.

Tales furores comitantur admirationem traditionum humanarum, qui aliquo modo indicant, quare S. ſanctus uocet eas doctrinas Dæmoniorũ, quia faſcinati homines his ritibus relinquunt ueram Chriſti agnitionem, fidem, tolerantiam, & fingunt ſibi noua dogmata, & furores ſine fine, ut fiebat à Marcionitis & Manichæis, & manifeſtẽ uidit fieri noſtra ætas ab Anabaptiſtis, & fanaticis erronibus, qui cum Pelargo paſſim uagabantur.

Cultuum Dei definitio.

Tenenda eſt igitur definitio cultuũ Dei. Cultus Dei eſt opus mandatum à Deo, ſeu certo Dei teſtimonio inſtitutũ, quo Deus pronunciat ſe honore afici, faciendum hoc fine aut immediato, aut principali, ut Deo obtemperetur, & ut Deus celebretur, & quidem faciendum prælucente fide in Chriſtũ. Operum primi præcepti finis immediatus eſt, ut Deus honore afficiatur, innoteſcat & celebretur. Operũ ſecundæ Tabulæ finis immediatus eſt, noſtri corporis & proximi defenſio, ut pij militis finis immediatus eſt, ut prælietur pro ſalute cõmuni, ſed tamen principalis finis ſit, ut Deũ honore afficiat. At hypocritæ fingunt immediatum finẽ eſſe, cur die ſexto non edant carnes, quia Deus iudicet ſe honore affici per hunc ritum. Hæc opinio cõmentitia eſt. Conſtituta igitur definitione facilẽ refutari poſſunt præſtigiæ, quas de cultu nunc illi Agyrtæ & Eurybati, qui pingunt traditiones humanas, comminiſcuntur.

Tertius error quòd ſint perfectiones.

TERTIVS error. Inſuper fingunt hypocritæ, perfectiones eſſe opera traditionum humanarum, hoc eſt, opera meliora & magis placentia Deo, quàm ea quæ Decalogus præcipit. Et hac perſuaſione prætulerunt Monachatum gubernationi Eccleſiaſticæ, Politicæ, Coniugio. Hæc amentia prorſus execranda eſt, & taxata eſt à Gerſone.

Quartus error, quòd obſeruatio ſit neceſſaria.

QVARTVS error. Addunt opinionem neceſſitatis, hoc eſt, fingunt neceſſariam eſſe obſeruationem traditionum humanarum, etiam extra caſum ſcandali, deinde hac perſuaſione eos, qui non obſeruant illos ritus, damnant tanquam deſertores Eccleſiæ, ſeditioſos, ſchiſmaticos, auulſos à populo Dei, & excluſos ex Eccleſia, ut olim damnati ſunt aliqui propterea, quòd diem Paſchatos non ſeruarunt cum cæteris. Hanc opinionem de neceſſitate in primis oportet taxari, ne exiſtimetur iuſticia Euangelij eſſe talis externa politia: Item ne oriantur diſcordiæ propter aliquam talium rituum diſſimilitudinem. Donata eſt hæc in Euangelio libertas, nec poteſt aboleri humana autoritate. Sic Chriſtus uult nos ſentire, non neceſſarios eſſe ritus ſeu Moſaicos, ſeu humanarum traditionum, ut Col: 2. dicitur: Nemo uos iudicet in cibo aut potu &c. id eſt, nemo obliget ac damnet conſcientiam propter hos ritus. Et rurſus Cùm mortui ſitis cum Chriſto ab elementis mundi, id eſt, ã præceptis ſeu ordinationibus, quibus hæc mundana uita regitur, cur adhuc tanquam uiuentes in mundo decreta facitis? Non contrectes, non guſtes &c. Et ad Gal: 5. In libertate qua Chriſtus uos liberauit, ſtate, ne rurſus iugo ſeruitutis implicemini, lubet ſententiam de libertate retinere, ne conſcientiæ ſtulta carnificina excrucientur,

crucientur, aut excitent discordias, si quis nostros ritus humanos non obseruet.

QVINTVS error. Opinio necessitatis peperit maiores tenebras, scilicet κακοζηλίαν legis Mosaicæ. Postq; hę persuasiones occuparunt animos, ut in Lege Mosi necessariæ fuerũt Ceremoniæ, ita nũc necessarias esse, regnũ Christi transformarunt in Politiam similem Iudaicæ. Vnum aliquem hominẽ prę fecerunt uniuersæ Ecclesiæ, tanq; summum sacerdotem, deinde gradus sacerdotum, & externum sacrificium finxerunt, addiderunt summo sacerdoti potestatem instituẽdi ceremonias, legem de cœlibatu. Hæc tota κακοζηλία magnam caliginem animis offundit, & Legis & Euangelij intellectum obscurat, ac acerrimẽ taxata est ad Galatas & ad Hebræos. Sacerdotes Leuitici significant nobis Euangelij ministros, & sacrificia Mosaica significant ministerium Euangelij, & in mentib. pœnitentiam, nouam iusticiam Spiritus, inuocationem, confessionem, tolerantiam crucis &c. ut Ioan: 4. dicitur, Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & ueritate. Et 1. Pet: 2. Offerte hostias spirituales, placentes propter Iesum Christum.

Quintus error, κακοζηλία legis Mosaicæ & transformatio Ecclesiæ in politiam Iudaicæ similem.

SEXTVS error. Accedit & hoc, quod Episcopi arrogant sibi potestatem condendi traditiones, quam tamen non concedit eis Euangeliũ. Sed cùm hæret persuasio, opera ab hominib. excogitata sine uerbo Dei, cultus Dei esse, Episcopi, quia prę sunt, ut uideantur augere studia pietatis, cumulant traditiones, ut fecerunt Gregorius primus, Innocentius, & multi Pontifices, qui quidẽ leges etiam exasperarunt, & confirmauerunt opinionem necessitatis, ut suam autoritatem amplificarent, Dixerunt reos esse æternæ iræ Dei, si quis non seruet traditiones ab Episcopis conditas. Hunc errorem refutant sententiæ, quas suprà recitaui. Coloss: 2. Nemo uos iudicet in cibo & potu. Et in Actis Apostolicis Petrus grauissimẽ obiurgat eos, qui ceremonijs Mosaicis onerare Gẽtes uolebant: Quid, inquit, tentatis Deum, imponentes iugum ceruicibus discipulorum, quod neq; Patres uestri, neq; nos portare potuimus?

Sextus error, quòd Episcopi arrogant sibi potestatẽ condendi traditiones.

Non est leue crimen tentare Deum, est enim non infirmitate labi, sed contemtu Dei, proposito ipsius uerbo, quasi cum eo certare, aliud instituendo, καὶ θελοθρησκείαν, & illius sapientiæ nostram anteferre, ut mandauit Deus populo Israël, ne alibi sacrificarent, nisi in eo uno loco, ubi collegium docentium & Arcam esse uoluit. Econtrà humana sapientia raciocinatur, sepositio uerbo Dei: Atqui decet Deum ubiq; coli, & uarijs officijs, condamus ergo ubiq; sacella & aras, mactemus non modò pecudes, sed etiam homines, ut in re magna & difficili studium nostrum conspiciatur. Tales fuerunt & sunt fontes cultus Idolorum. Ita recentior ætas cumulauit Missas, & mandauit cœlibatum. Sed hic meminerint pij uocem Petri quæ talium legum & opinionum defensionem docet esse graue crimen. Non enim paruum erratum est, tentare Deum, id est, nostram sapientiam ipsius sapientiæ anteferre, & lacessere eius iram studio quærendi contraria ipsius uerbo, & certandi cum eo. Hæc sunt arcana mala, quæ Politica sapientia non potest iudicare. Sed nos in Ecclesia ea considerare debemus, ut moniti subijciamus nos uerbo Dei, nec nostris opinionibus regi uelimus.

SEPTIMVS error. Cùm hæret opinio iusticiæ aut necessitatis, de traditionibus humanis, sequuntur atroces discordiæ, ut olim dissidia exorta sunt de die Paschatos & fermentato. Et nunc Pontifices non solùm fulmen

Septimus error dißidia quæ oriũtur

ex opinione iuſticiæ & neceſsitatis.

excommunicationis in ſacerdotes maritos torquent, & iniuſta aſperitate diſtrahunt Eccleſiam, ſed etiam Neroniana crudelitate interficiunt pios ſacerdotes, propter uiolatas iniuſtas traditiones.

Propter hos ſeptem errores ſeu omnes, ſeu pleroſq́, defenduntur traditiones humanæ, ut teſtantur libri eorum, qui ſe profitentur hoſtes eſſe noſtrarum Eccleſiarum. Quanquām igitur traditiones de rebus adiaphoris loquuntur, tamen hos errores retegi & taxari mandat DEVS, & paſſim Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli taxant. Nec ſint muti doctores, cùm aut Eccleſia impijs cultibus polluitur, aut conſcientiæ laqueis traditionum humanarum implicantur.

Exemplis etiam oſtendenda libertas in traditionibus humanis.

Prodeſt etiam exemplo refutare hos errores, poſtquām doctrina de ueris cultibus mediocriter tradita eſt. Nam opinio ſuperſtitioſa tenacius hæret, ſi nulla exempla libertatis oſtendantur. Ideō Paulus noluit Titum circumcidi, ut libertatis exemplum oſtenderet, & Petrum arguit, exemplo confirmantem pertinaciam eorum, qui Moſaicos ritus ſeruari uolebant,

Hiſtoria de Spiridone Cypri Epiſcopo.

Et recitatur hiſtoria de Spiridone Cyprio Epiſcopo digna memoria. Cū ad eum ueniſſet hoſpes die ieiunij, nec ſubitō emi aut parari cibi uſitati tali die poſſent, iubet carnes, quas habebat conditas apponi. Non ueſcor his hodie, inquit hoſpes, ſum enim Chriſtianus. Tum Spiridon: Et hanc ipſam ob cauſam te ueſci decet, quia Chriſtianus es. Nam omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiectum, quod cum gratiarum actione ſumitur. Obtemperat hoſpes, & admonitus hoc exemplo, diſcit longè alios maiores cultus Deo præſtandos eſſe, quàm hęc ciborum diſcrimina. Imō in hac ipſa cœna præſtat maiores cultus, agit Deo gratias, cogitat de libertate donata ā Domino noſtro Ieſu Chriſto, qua non ſolùm ab his ciborum legibus, ſed multō magis ab alijs triſtioribus uinculis nos liberauit, ac legem crucī ſuæ affixit, ne nos damnet.

Hæc commemoraui, ut pij ſciant cur & taxentur & exemplo uiolentur humanæ traditiones, & hanc commemorationem errorum opponant nouis oratoribus, qui nunc mira Sophiſtica pingere traditiones humanas didicerunt, quæ ſi ualeret, ſimilibus fucis etiam Ethnicæ religiones excuſari poſſent. Sed explodatur ex Eccleſia amor Sophiſtices, & Scapham Scapham dicamus, non ludamus uerborum præſtigijs. Poſtquàm autem errores, qui hærent in traditionibus, monſtrauimus & reprehendimus, nunc dicam quid de ritibus adiaphoris ſentiendum ſit, qui remotis illis erroribus, ſeruantur in Eccleſijs emendatis.

Tertia regula de ceremonijs humanis.

TERTIA regula. In Eccleſijs emendatis, reliqui ſunt ritus aliqui adiaphori, quia huius uitæ actiones ordine aliquo diſtribuendæ ſunt. Hominum natura intelligit & amat ordinem, qui quidem maximè decet Eccleſiam, & congreſſus publicos. Ideō Paulus grauiſſimè dixit 1. Cor. 14. πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. Non ordinem tantùm, ſed etiam ſingularem curam ornandi ordinis requirit, quare addidit εὐσχημόνως, ut uideamus quid perſonas, loca, tempora deceat. Maiore modeſtia in templis conueniatur, quàm in theatro. Actio & oratio docentium ſit placidior & grauior in illo cœtu diuinitus conuocato, cui Chriſtus & Angeli interſunt, quàm in ſcena.

Ritus Adiaphori ſeruandi propter bonum ordinem.

Itaq; dico, ritus adiaphoros in Eccleſijs emendatis ſeruandos eſſe, hoc ſine ſcilicet propter bonum ordinem, ſed ita, ne addantur opinio iuſticiæ, cultus aut neceſſitatis, aut cæteri errores, quos ſuprà recenſui. Et ſciendum eſt,

extra

extra casum scandali uiolari has traditiones, sine peccato. Quæ autem scandala uitanda sint, paulò pòst dicam.

Gerson magna uarietate quæsiuit ἐπιεικείας traditionum. Cùm uideret ingentem aceruum rituum carnificinam esse conscientiarum in hominibus modestis. Econtrà uerò homines minus patientes legum, induere contemtum Epicureum uniuersæ religionis, qui tam multas traditiones seruare non poterant, fecit gradus. Aliæ, inquit, ornatus causa, aliæ necessitatis causa institutæ sunt. Sed illæ Gersonis mitigationes non leuant conscientias. Autoritas diuina uoce Apostolorum proposita leuat, quæ expressè reiicit opinionem iusticiæ & necessitatis. Rursus autem munitur publica trãquillitas hac doctrina, quòd dicimus, propter εὐταξίαν eos ritus, qui boni ordinis causa instituti sunt, seruandos esse, & peccare homines petulantes, qui in Ecclesijs emendatis uiolant tales ritus cum scandalo. Hæc est uera traditionum ἐπιεικεια, quæ & leuat conscientias, & utilis est paci.

Gersonis ἐπιεικεια in traditionibus humanis.

Vera ἐπιεικεια proponitur in doctrina Apostolorum.

Aliqui homines natura feri, omnes Leges tanquàm carcerem oderunt. Hos certè prodest commonefacere de causa Legum, scilicet de bono ordine, & adhortari, ut uitent scandala, nec se sibi tantum, sed etiam alijs, imò Ecclesiæ Dei uiuere debere sciant.

Alij uerò placidi natura, & κοινωνικοὶ, ac intelligentes se ad societatem natos esse, imò præcipuum opus esse conferre studium ad iuuandam & fouendam Ecclesiam, sua sponte honestos & utiles ritus seruant, & uitant scandala, & cum sciant singulari consilio & beneficio Dei publicos congressus Ecclesiæ constitutos esse, & uelle Deum hanc frequentiam ornari, ut sonet publicè in terris uox Euangelij, student ordinem, tranquillitatem, grauitatem horum congressuum in templis & in scholis tueri, præsertim cùm ordo sæpè ad docendam rudiorem multitudinem conducat, ut series dierum festorum non temerè instituta est. Non enim omnes historiæ uno die recitari possunt, sed aliam partem alio tempore proponi commodius est. Et cùm distributio temporum congruit cum euentibus, non solùm gratior est, sed etiam memoriam adiuuat.

Nec tantùm homines seriem certam dierum seruarunt, sed etiam Deus ipse quorundam festorum ordinem suis mirandis factis in ueteri & nouo Testamento pariter seruauit. Vt agnum uoluit initio ueris mactari, ita eodem anni tempore Dominus noster Iesus Christus crucifixus est, & resurrexit. Vt quinquagesimo die post exitum ex Aegypto promulgata est Lex manifesto testimonio de monte Sinai, ita quinquagesimo die à Paschate datus est manifesto testimonio Spiritus sanctus.

Nunc agitur annus à natali Christo 1544. Quare & Deus ipse, & Dominus noster Iesus Christus, & Prophetæ, & uniuersa Dei Ecclesia, inde usq; ab exitu ex Aegypto, usq; ad hunc annum, diem Paschatos & Pentecosten tribuerunt certis sacris actionibus annos 3049. Hunc consensum Dei & Ecclesiæ, & hæc exempla intuens homo non Cyclopicus, iudicabit honestum esse aggregare se ad illum Dei & Ecclesiæ perpetuæ cœtum, & se adesse uelut spectatorem illorum euentuum cogitabit, quibus Deus illa tempora insigniuit. Imò cogitemus hos pulcerrimos congressus imaginem esse consuetudinis æternæ cum Deo, Christo, Patribus, Prophetis, Apostolis, & alijs pijs. Tales ritus utiles cùm hoc modo sine superstitione seruantur, prosunt ad docendum.

Vbi

Ordinem & disciplinam oportet esse in Ecclesia docendi causa.

Vbi enim nullus est ordo, nulla disciplina, doceri homines non possunt. Necesse est autem doceri & audiri Euangelium. Nam Deus non colligit aliter Ecclesiam suam, nisi uoce Euangelij, nec aliter Spiritus sanctus efficax est, nisi per Euangelium, nec ulla est Ecclesia electorum cogitanda, nisi in hoc cœtu uisibili, in quo Euangelium rectè & purè docetur. Ergo hic uisibilis cœtus amandus & fouendus est, & retinendum est Euangelij ministerium, & fiant honesti congressus. Ad hæc ordine & ritibus aliquibus opus esse constat.

Imò & quilibet paterfamilias domi suæ liberos manè & uesperi, legere aliquid, & dicere preces cogat. Non abeat dies sine inuocatione & sine gratiarum actione. Ideò enim conditi & redemti sumus, ut Deum celebremus, & hæc exercitia prosunt ad discendum, & excitant timorem & fidem. Et in his exercitijs meminerimus dictum Christi: Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Quare doceri, regi & sanctificari nos Spiritu sancto petamus. Idq; cùm petimus, fieri certò statuamus, & meminerimus Spiritum sanctum efficacem esse cogitatione Euangelij.

DE MORTIFICATIONE CARNIS.

Discernenda mortificatio de qua Paulus præcipit ab exercitio & satisfactionib. humana autoritate traditis.

DEfendunt aliqui Leges de ieiunijs, satisfactionibus ut uocarunt, & Monachorum superstitionibus prætextu sententiarum quæ de mortificatione concionantur. Cùm mortificatio, inquiunt, sit bonum & pium opus, cur non laudentur etiam hæ leges humanæ de ieiunijs & similibus ritibus? Hic rursus hypocrisis struit insidias ueræ doctrinæ, & ueris cultibus. Discernantur mandata diuina ab hominum mandatis, ac consideretur quid uerè Paulus uocet mortificationem, nec transferamus uocabulum rerum magnarum, quas Deus præcipit, ad futiles & ociosos ritus, ut omnibus ætatibus hypocritarum arrogantia insignibus titulis suas ceremonias ostentauit & uenditauit.

Mortificatio quid sit.

Mortificatio significat, aut patientiam mandatam à Deo in ueris doloribus, sensu iræ Dei, pauoribus & afflictionibus, aut temperantiam mandatam à Deo, frenantem cupiditates. Non significat ἐθελοθρησκείας, seu ceremonias accersitas sine mandato Dei.

Testimonia de tolerantia in doloribus.

De priore genere, id est, de tolerantia in ueris doloribus & in cruce, loquitur Paulus 2. Cor: 4. Semper mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes, ut & uita Iesu in corpore nostro manifestetur. Declarant autem sequentia uerba quid uocet mortificationem Christi. Semper, inquit, nos uiuentes in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita IESV manifestetur in mortali carne nostra, id est, sæpè morti obijcimur, rapimur ad supplicia, propter confessionem Christi, exercemur terroribus Diaboli. Hanc uocat mortificationem Christi, uidelicet similem afflictionibus Christi, & propriam Ecclesiæ.

De hoc genere & Rom: 12. inquit: Exhibete corpora uestra hostiam uiuam, sanctam, placentem Deo, rationalem cultum. Non de ceremonijs, aut simulata ἀσκήσει loquitur Paulus: Sed de cruce, id est, de tolerātia in ueris & magnis doloribus: Hęc est sacrificium in his qui fide filij Dei se sustinent, ut Psal. inquit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Ac suprā de hoc genere in titulo de Cruce dictum est.

De secundo genere, id est, de Temperantia mandata ā Deo, concionantur passim

tur passim multæ sententiæ. Lu: 21. Attendite ne corda uestra grauentur crapula, & ebrietate &c. Matth: 17. Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi ieiunio & oratione. Ephe: 6. Educate filios in disciplina & doctrina Domini, id est, doctrinam de Deo iuuentuti tradite, & assuefacite eam pia disciplina, regite mores, ut sint modesti, casti, pij, & exercete eos certo & honesto labore, ne, ut fieri solet, ocium & luxus pariant scelera excutientia Spiritum sanctum. *Testimonia de temperantia.*

Siue igitur mortificatio tolerantiam in cruce, siue temperantiam significat, loquitur de mandatis operibus, sed illud uerum est, liberum est cuilibet, priuatim eligere exercitia honesta, & conuenientia suæ ætati & uirib. suis, ut & scholæ gubernatori liberum est instituere lectionum & disputationũ ordinem. Ideò & Paulus inquit 1. Cor: 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo &c. Hoc fine, ne intemperantia impediat Spiritũ sanctum, intentionem animi in inuocatione, in studijs, in negocijs, Nec immediatum finem ieiunij hunc constituit, uidelicet, ut putet Deum tali opere honore affici.

Ac temperantia in genere præcepta est, sed exercitia alia alijs congruunt. Ideò horum electio libera sit. Aliter senes occupati curis, doloribus, negocijs, & imbecilles regant corpora: Aliter iuuenes uegeti, non confecti angoribus, ut Dauidi ante exilium magis opus erat exercitijs, quàm postea, cùm magnitudine dolorum fractus, uix languida membra semiuiuus traheret. Bona ualetudo corporis, & sensuum uigor eximia Dei dona sunt, necessaria studijs & negocijs. Ideò tuenda sunt, nec lædendum est corpus aut ingluuie, aut nimia inedia. Et Paulus habere honorem corpori iubet. *Temperantia in genere præcepta.*

Cùm igitur magna sit dissimilitudo, Ecclesia non fert leges, quib. unum modum ieiuniorum aut exercitiorum præscribat, sed in genere præcipit temperantiam, Et simul monet, ne superstitiosè exercitia transformentur in cultus, & iubet discrimen teneri inter opera à Deo mandata, & exercitia electa à nobis. Ideò Paulus inquit 1. Timoth: 4. Exerce te ad pietatem: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas uerò ad omnia utilis est. Grauissima admonitio est, discernens necessaria opera, & à Deo mandata, ab exercitijs electis nostro arbitrio. Iubet autem longè anteferri opera à Deo mandata, pœnitentiam, timorem Dei, fidem, inuocationem, confessionem, patientiam, castitatem, temperantiam, diligentiam in uocatione. Has uirtutes inquit ad omnia utiles esse, id est, DEVS in hac uita compensat, & ornat has uirtutes magnis bonis, maiore luce & sapientia spirituali, robore fidei, consilio, consolatione, successu in gubernatione publica & domestica, castitate, pace, uictu, & post hanc uitam præmia æterna dabuntur.

At corporum exercitatio ad modicum utilis est, Intelligit autem hæc exercitia à nobis electa, ut si quis in die semel tantum, & pauxillum uelit edere. Hæc cùm sine superstitione fiunt, non prorsus abijcit, sed infrà opera mandata à DEO collocat. Prosunt enim aliqua ex parte, uidelicet quia in sobrijs maior est intentio animi, in inuocatione, studijs, negocijs. Conuiuia, sodalitia, sermones prophani laxant animos, ut facilius admittant incendia cupiditatum, ut accidit Dauidi in ocio. Et noti sunt uersiculi: *Exercitatio corporum utilis est.*

Ocia securis insidiosa nocent. *Item:*
Curá fugit multo diluiturq; mero.

Et Seneca de sodalitijs inquit: Nunquam mores quos extuli refero. Ebriosi nec mente nec corporibus sustinere curas rerum magnarum possunt, amittunt

tunt tempora idonea rebus gerendis, facilè incauti ruunt in magna scelera. Sed hoc omnium tristissimum est, quòd inuocatio DEI in temulentis extinguitur.

Vitare peccata est uitare occasiones peccatorum.

Est autem dictum usitatum, non aspernandum: Vitare peccata, est uitare occasiones peccatorum. Ideò bonæ mentes intelligant lapsuum occasiones, & causas προκαταρκτικὰς, & sua quadam diligentia uitent pericula, ne nimium implicent se sodalitijs, ament temperantiam, & certos ac utiles labores suscipiant, quibus subinde misceant inuocationem Dei.

Multum etiam ualetudini & moribus prodest, non confundere ordinem temporum à natura præscriptum. Vt multi totum diem partim somno, partim conuiuijs tribuunt, deinde noctu uacant studijs, aut negocijs. Verè inquit Seneca: Hoc est luxuriæ propositum, gaudere peruersis, nec tantùm discedere à recto, sed quàm longissimè abire.

Nec cessat Diabolus cùm uidet animos cura uacuos esse, sed offert & ipse aliquas lapsuum occasiones. Hæc mala cauenda sunt, & nostra diligentia, & petitione gubernationis diuinæ, sicut scriptum est: Quantò magis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Monachorum Regulæ de exercitijs temperantiæ superstitiosæ.

Monachi conati sunt regulis comprehendere exercitia huius diligentiæ, Sed accesserunt superstitiosæ & stultæ opiniones, & uarietas hæc non potest legibus comprehendi, ideò non defendantur traditiones de discrimine ciborum hoc prætextu, sed boni & sapientes concionatores sæpè moneant de hac diligentia iuuentutem. Et præceptores coërcere eam disciplina quantùm fieri potest, studeant, ac Principes adiuuare nos in disciplina tuenda debebant. Hæc de mortificatione & de disciplina breuiter monui, ut hypocrisi reiecta, ueras uirtutes & utilia exercitia intelligere & amare discamus.

DE SCANDALO.

VOcabulum Græcum est σκάνδαλον, factum à σκάζω, id est, claudico, significat enim offendiculum, id est, quiddam ad quod impingens labitur, seu trepidat.

Scandalum quid sit & ratio nominis.

Est autem Scandalum, dictum aut exemplum, quo alius fit deterior, seu quia error in eo confirmatur, seu quia imitatur malum exemplum, seu quia flammas maiores odij aduersus Euangelium concipit. Hæc uocabuli expositio primùm consideretur. Nam Ecclesia sic utitur appellatione scandali, alijs scriptoribus hic usus ignotus est, qui dicerent exempla seu παραδείγματα nocentia. Et correlatiuum scandali est offensio, ac interdum promiscuè scandalum, quod significat obiectum, pro ipsa offensione sumitur.

Duplex est autem scandalum, seu duplex offensio.

Scandalum acceptum seu Pharisaicum.

Prior offensio est Pharisaica, seu, ut uocant, scandalum acceptum, uidelicet cùm impij irascuntur ueræ doctrinæ Euangelij, aut honestis ac necessarijs factis, ut cùm nolunt proponi ueram doctrinam, & taxari errores, aut nolunt aboleri cultus idolorum, nolunt sacerdotem pium honestè in coniugio uiuere.

Variæ causæ Scandali accepti.

Sunt autem uariæ causæ, cur impij ueræ doctrinæ, aut illis necessarijs mutationibus irascantur. Alij pugnant de uentris commodis, ut qui quæstus magnos, qui erant ex Missis, aut inuocatione mortuorum, diminui nolunt. Alij de autoritate dimicant, alij fascinati persuasionibus suis, nolunt ea quæ ipsi mirantur & probant taxari. Vt fascinati admiratione suæ iusticiæ nolunt audire

audire hanc uocem, homines non esse iustos propter propriam dignitatem & munditiem. Viri politici quia uident, ex dissensionibus opinionum oriri distractiones Principum, bella & perturbationem disciplinæ, nolunt moueri ullas de doctrina disputationes.

Exempla autem talium offensionum omnibus Ecclesię temporibus multa fuerunt, sunt & erunt. Sacerdotes aduersabantur Ieremiæ prædicenti excidiū Ierosolymę, & prætextus speciosos habebant. Christo et Apostolis aduersabantur plericę omnes, qui eruditione & autoritate in populo Iudaico antecellebant, & speciosis causis mouebantur. Videbant aboleri Legem Mosaicam. Existimabant autem summum scelus esse, legem unam & solam in toto genere humano traditam à Deo, deleri, & uidebant ex ea re secuturum esse interitum illius pulcerrimæ politiæ, non à Solone, non ab Augusto, sed clara uoce Dei, & certis testimonijs Dei constitutæ. His causis uehementissimè motos esse omnes sapientes in illo populo, non dubium est, præsertim fascinatos persuasione de regno Messiæ mundano. *Exempla Scãdali accepti.*

Etsi autem & ipsis Apostolis dolorem afferebat interitus populi, tamen hanc offensionem hypocritarū negligunt, & fortiter se opponunt iudicijs illorum, & clarè profitentur magis obediendū esse Deo, quàm hominib. obtemperant mandato Christi, qui eos colligere Ecclesiam uoce Euangelij iusserat. Errores de Deo, & Idola taxari necesse est, uel si fractus illabatur orbis: Oportet enim anteferri primum & secundum mandatum omnibus humanis rebus, uitæ nostræ, fortunis nostris, famæ nostræ, paci Reipublicæ.

Hinc regula hæc tenenda est. Necesse est confiteri uerā doctrinam, & fugere idola, & facere opera mandata à Deo, etiamsi fremunt & repugnant impij, & concipiunt maiores flammas odij aduersus Euangelium, & quanquām dissidia tristia oriuntur ex impiorum pertinacia. Peccant autem impij aduersantes Euangelio, & causæ sunt dissidiorum ipsi, quia cedere ueritati debebāt. Non peccant hi, qui iuxta uocationem rectè docent, aut confitentur Euangelium, ut peccabat Pharao, magno furore repugnans uoci DEI per Mosen sonanti, & testimonijs Dei. Non peccabat Moles, etiamsi totum Aegyptum discordia illa perdidit. *Regula de Confessione uerę doctrinæ et operum diuinorum contra Idola & similia.*

Hac regula pij se in Ecclesiæ certaminibus semper consolati sunt. Estq; nobis hac consolatione opus hoc tempore. Nam moderatis ingenijs dolorem affert ipse conspectus dissipationum, & conuicia illa, quę in nos conferunt hypocritæ, non facilè est contemnere, cùm nos hostes Dei, Ecclesiæ, parricidas, seditiosos, denicę pestes humani generis uocant.

Aduersus hęc tristissima iudicia necesse est claris testimonijs diuinis muniri animos. Mat: 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Non sequaris Deos alienos. Disertè discernitur uerus Deus, qui se patefecit in populo Israël à commentitijs numinibus, cùm ait. Hunc Iehoua, qui tibi uerbum suum tradit, & testatur se uerè DEVM esse mirandis factis, quibus eduxit te ex Aegypto, inuoces: Non alios commentitios, qui sine hoc uerbo tradito per Prophetas coluntur. Et 1. Corinth: 10. Fugite cultum idolorum, Hæc præcepta constat prorsus immutabilia esse. Et sæpè repetitur hæc concio à Prophetis. Oseæ 13. Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Aegypti. Et Deum præter me nescies, & Saluator non est præter me. *Testimonia quòd oporteat anteferri autoritatem mãdati diuini omnib. rebus humanis.*

Necesse est igitur inuocare uerum Deum, & fugere idola, nec stabilire ea

noſtra comprobatione. Et hæc mandata ſumma anteferenda ſunt omnib. rebus, noſtræ uitæ, famæ, paci publicæ, uitę liberorũ, beneuolentiæ Principum.

Mat: 10. Qui me negauerit coràm hominibus, negabo eũ & ego coram Patre meo cœleſti. Et additur conſolatio, ne frangamur metu diſſidiorum: Venì ſeparare hominem à patre ſuo, & filium à matre ſua. De magnis rebus & magnis periculis concionantur hæ ſententiæ. Præſtandum eſt igitur, ut ueras & firmas ſententias defendamus, nec moueamus tumultus, nec turbemus Eccleſiam falſis opinionibus, aut inanibus ſophiſmatum præſtigijs, quas interdũ excogitant ingenia petulantia, incenſa uel ambitione, uel cupiditate uindictę.

Ad Gal: 1. Si quis aliud Euangelium docebit, anathema ſit. Extremum omnium conuiciorum eſt, anathema, ſicut apud Græcos κάθαρμα ſeu ἀλάστωρ, ſignificat autem quiddam pollutum, & à Deo damnatum, ut niſi tollatur, totæ Gentes magnis calamitatibus, bellis, fame, peſtilentia, diſcordijs ciuilibus, & infinitis confuſionibus puniantur, ut de Sodomis, aut Lampſaci Idolo cogitamus, ubi Priapus colebatur.

Tales Alaſtoras eſſe defenſores impiorum dogmatum, Paulus affirmat, quod facilius intelligi poteſt cũm exempla intuemur illorum, qui manifeſtos & tetros furores defenderunt aut defendunt, ut Manichæos, Samoſatenum, Arium, Mahometum, Regem tragicum Anabaptiſtarum, qui uxorem grauidam interfecit, & per ſeditionem ſe Regio titulo & corona ornauit, & regnare ſe in Eccleſia Dei iactitauit.

Hypocritæ ardentes odio Euangelij hoc tempore ſimiles ſunt Phariſæorum.

Vt autem Phariſæi Chriſtum & Apoſtolos iudicabant tales peſtes eſſe humani generis, ſic Hypocritæ ardentes odio Euangelij, nunc quoq; de nobis, qui puram Euangelij doctrinam proponimus, ſentiunt, ut fulmina excommunicationum, & ſcripta Eccij, Coclei, Alfonſi, & ſimilium oſtendunt. Cũm autem ſimilia iudicia magnorum & ſapientum hominum ualdè excrucient moderatos homines rectè ſentientes, hanc Pauli conſolationem teneamus, qui affirmat non Euangelij ſtudioſos, ſed hoſtes uerè eſſe Anathemata, maledictos Alaſtoras. Quare uitanda eſt eorum ſocietas, ne contagium noceat pijs.

Et Ieſaias inquit capite 51. Ne timete probra hominum. Et ad Abraham dicitur: Benedicam benedicentibus tibi. Et Pſalmus triſtiſſimam maledictionem hoſtibus Euangelij minatur, cũm ait: induit maledictionem ueſtimentum. Et conſolatur pios, ne fulminibus execrationum hoſtilium moueantur, Maledicent illi, & tu benedices. Hanc admonitionem hoc tempore neceſſariam eſſe duxi.

Scandalum Datum quid ſit.

Dixi iam de Phariſaica offenſione, Nunc de altero genere ſcandali dicendum eſt, quod uocatur Datum, de quo Mat: 18. dicitur. Væ homini, per quem uenit ſcandalum. Eſt autem aut falſa doctrina, aut malum exemplum, quod alijs nocet, uel quia licentiam in alijs confirmat, uel quia alios ad imitationem inuitat, uel quia deterret aliquos ab Euangelio, uel quia præbet occaſionem maledicendi Chriſto, aut Eccleſiæ Dei, uel quia ſerit alia plura peccata. Talia ſcandala fuerunt inde uſq; à lapſu primo Heuæ, ſunt & erunt, falſæ doctrinæ, idolorum cultus, hæreſes, humanæ traditiones, quæ ſine peccato ſeruari non poſſunt. Item talia facta, quæ ſerunt alia ſcelera quoquo modo.

Regula de ſcãdalo Dato.

Et de hoc ſecundo genere teneatur certiſſima regula: Hæc ſcandala, id eſt, falſas doctrinas, & praua exemplа, uerè peccata eſſe, damnata hac uoce Chriſti: Væ homini per quem uenit ſcandalum. Quare hæc ſcandala, magna cura

cura & uigilantia uitanda sunt: Hic autem cogitent pij, quanta multitudo Diabolorum & hominum rea sit & fuerit propter huius generis scelera. Ac consideremus exempla quædam, ut discamus formidare magnitudinem peccatorum, cùm uidemus ab uno delicto oriri infinita peccata & pœnas, & in ipsis pœnis cùmulari peccata. O miseriam humani generis inenarrabilem.

Primus autor scandali huius generis fuit Diabolus, cùm decepit Heuã. Deinde à lapsu Heuæ & Adæ, quantũ mali ortũ est? Diabolus triũphauit aduersus Deũ, quòd hoc opus Dei horribiliter destruxisset, & auxisset contumelias aduersus Deum, grassaturas in genere humano. Præterea propter lapsum primorum parentum secuta sunt omnia totius generis humani scelera, & multorum hominum æternum exitium. Cùm uiderunt Heua & Adam necem filij Abel, agnouerunt à suo peccato id triste spectaculum ortum esse. Ita unum peccatum trahit secum ingens agmen scelerum & pœnarum. *Primus autor scandali Dati Diabolus.*

A Dauidis adulterio quanta scelerum & calamitatum moles orta est, Primũm inter se filij dimicarunt, postea filius mouit seditionem aduersus patrem, polluit coniuges patris, matronas quæ fuerant plenæ Spiritu sancto, perdidit multa millia ciuium. Hic quales triumphi fuerunt Diabolorum, quæ mœstitia fuit piorum, quantũ contristatus est Spiritus sanctus in bonis mentibus? Et credibile est, hunc dolorem multis pijs attulisse mortem. Pater certè sensit huius uulneris magnitudinem, qui intellexit se tot scelerum reum esse, se esse fontem horum malorum, se esse maledictum, Anathema, Alastorem populi DEI. Nec fuit ei facilè eluctari ex hoc dolore, cùm iram DEI sentiret, sed uicit tandem, adiutus à Messia, sicut clamat: Beati omnes qui confidunt in eo. Hæc exempla recito, ut tantorum malorum cogitatio metum iræ Dei in nobis excitet, & ut sua quisq; scandala mente intueatur, & meminerit in uno delicto multa inuoluta esse, & in ipsis pœnis cumulari peccata. Nihil paruum, inquit Hippocrates, nihil contemne. Et Thucydides inquit de bellorum erratis, ἡ ὀλίγου πρᾶξις. Hæc multò ueriora sunt de hominum peccatis, sed securitas humana magnitudinem suarum miseriarum & iræ Dei non agnoscit. Verũm ideò non solùm uoce nobis concionatur, sed etiam tristissimis pœnis, ut eius iudicium aliquo modo agnoscere & timere incipiamus, & admoniti uoce Dei & nostris calamitatibus nonnihil ex tenebris eluctemur.

Plerunq; autem plus nocent doctrinæ scandala, quàm morum delicta, ut initiò Diabolus Heuæ letale uulnus fecit, offundens falsam persuasionem. Et omnibus temporibus postea Ecclesiam horribiliter dissiparunt autores impiarum opinionum, qui docuerunt idola coli, aut sparserunt blasphemias & hæreses. Quanta agmina animarum traxerunt in æternum exitium, Arius, Manichæi, & alij multi Hæretici? *Plus nocent doctrinæ quàm morum scandala.*

Nulla mens humana magnitudinem malorum cogitare potest, quæ his ultimis mundi temporibus orta sunt à Mahometo, & à Pontificibus, qui deprauarunt Cœnam Domini, qui stabilierunt inuocationem mortuorum, qui Euangelium de fide & uera inuocatione Christi falsis opinionibus obrui permiserunt, qui legem de cœlibatu Sacerdotum, & uota defenderunt.

Vna lex cœlibatus, quàm multorum conscientias sauciauit, ne possent inuocare Deum? & in his plurimi æterno exitio oppressi sunt: Et recens Anabaptistarum uirus multos perdidit & adhuc perdit. Horum horribilium exemplorum mentio ideò hic facienda est, ut bonæ mentes cogitent, non tantũ *Scandala orta ex lege de cœlibatu.*

mala exempla morum,ſed etiam falſas opiniones ſcandala eſſe,dãnata â Deo, & diligenter uitanda, ac de utriſq; concionatur Chriſtus : Væ homini per quem uenit ſcandalum. Nec tantũm humanæ diligentiæ eſt uitare hallucinationes & errores doctrinæ:Sed ardentibus uotis aſſiduè petendum eſt â Deo, ut luce Spiritus ſancti regat mentes noſtras,ne implicentur erroribus,ſicut toto Pſalm. 118. petit Propheta : Da mihi intellectum, & ſcrutabor Legem tuam,& cuſtodiam illam in toto corde meo. Et Chriſtus inquit, Mat: 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Hactenus dixi de neceſſariò faciendis, & neceſſariò uitandis, nondum dixi de Adiaphoris. Manifeſtum eſt,doctrinam ueram neceſſariò proponendam eſſe,nec propter impiorum offenſiones tacendum eſſe. Sic pius ſacerdos ducat honeſtam coniugem, nec deterreatur offenſionibus Phariſaicis.

Tertia Regula de Adiaphoris

Sed hic tertia regula addenda eſt de Adiaphoris, ut de eſu carnium die ſexto,ac ſimilibus ritibus inutilibus, de his ſic ſentiendum eſt.

Primũm,doctrina quæ monſtrat ueros cultus,& taxat commentitios,& cauſam oſtendit libertatis in Adiaphoris,proponenda eſt,Nam qui non didicerunt cauſam libertatis, & adhuc putant ritus illos eſſe cultus, cum dubitatione conſcientiæ uiolant traditiones.Omnis autem dubitatio conſcientiæ impedit inuocationem. Quare apud eos qui doctrinam non audierunt, & ſunt homines modeſti & dociles,non ſubitò mutanda eſt conſuetudo,ſed prius doceri eos utilius eſt,ſicut Paul: inquit:Infirmum in fide aſſumite,non ad dubitationes,id eſt, homines dociles, qui amplexi ſunt Euangelium,ſed tamen adhuc aliquid dubitationis habent de cultibus,erudite &confirmate,ut ſciant ſe non peccare abiectis his ritibus. Ideõ autem confirmentur, ne ſi cum dubitatione abiiciant,conſcientiæ fugiant Deum, & excutiantur Fides & Inuocatio. Verùm quando ſit utile mutationes facere, iudicium eſt piæ mentis, tantùm abſit petulantia.

Poſtquàm autem doctrina de ueris & falſis cultibus, & de libertate iam propoſita eſt,concedendum eſt exempli cauſa,ut inutiles ritus abiiciantur,nec pertinacia eorum laudanda eſt, qui cùm agnoſcant doctrinam ueram eſſe, tamen acerbè flagitant omnes ritus.

Pertinacia flagitãs omnes ritus promiſcuè utiles & inutiles, cauſa eſt multiplicis ſcandali.

Hæc pertinacia multiplex ſcandalum eſt, quia confirmat hoſtes ueræ doctrinæ,& adducit imbecilliores in dubitationem,qui metuunt non probari uſum libertatis illis, qui doctrina uel autoritate antecellunt, & contriſtatur interdum Spiritus ſanctus in imbecillioribus, cùm dolent ſe accuſari leuitatis.Hac de re prodeſt recitare hiſtoriam,quæ extat in 5. libro Euſebij.

Hiſtoria Attali & Blandinæ ex Euſebio.

Nobiliſſimi coniuges Attalus & Blandina, Lugduni in carcere erant propter Euangelij profeſſionem comprehenſi, ac ſæpẽ producebantur in loca ſuppliciorum,ut flecterentur ad abiiciendam Chriſti inuocationem. Erat autem unã alius quiſpiam Chriſtianus in carcere, qui ſingularibus exercitijs ſe macerabat,non uino,non carne utebatur.Hic Attalo diuina reuelatione mandatum eſt,ut diceret illi duriori, ut communibus cibis uteretur, nec ſingulare exemplum cæteris proponeret, Et ratio addita eſt, quòd rudiores exiſtimarent, hæc diſcrimina ciborum eſſe præſtantiorem cultum Dei, quem errorem taxari profit, non confirmari.

Attalus reuelationem illi duriori & cæteris in carcere exponit, quare & ille obtemperat, & cæteri hac uoce admoniti erudiuntur & confirmantur.

Hæc hi-

Hæc hiſtoria grauem cauſam recitat, cur horum pertinacia, qui intelligunt diſcrimina cultuum, non ſit probanda, ne ſcilicet error in ignaris, & dubitationes in imbecillioribus confirmentur.

Etſi autem illa duricies interdum eſt quædam grauitatis ſimulatio, tamen ſæpè aliàs habet ueras cauſas, non ſeruit Deo, ſed aucupatur beneuolentiam potentum, qui aduerſantur Euangelio. *Pertinacia in rebus Adiaphoris ſæpè hypocriſis eſt.*

Multò etiam magis peccant, qui cum hoſtibus Euangelij colludunt, premunt rectè docentes, impediunt arte Euangelij curſum,& ſignificant ſe alium Eccleſiæ ſtatum deſiderare & expectare. Et hi in his controuerſijs uideri uolunt iuſti cenſores, neutri parti addicti, integri, incorrupti. Sed meminiſſe debebant uocem Chriſti: Qui non colligit mecum, diſpergit.

In ciuilibus controuerſijs hoc fieri poteſt, ut non ſumas tibi iudicium de alterutra parte. Nihil enim opus eſt ſingulis ſcire aliena negocia. Non opus erat Pomponio Attico quærere utrius, Pompeij an Iulij cauſa iuſtior eſſet. Sed de controuerſijs doctrinæ neceſſe eſt ſingulos pios iudicare, amplecti & profiteri uera. Iuxta illud: Si quis aliud Euangelium docet, anathema ſit. Et confeſſio mandata eſt: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre cœleſti.

Hæc cogitent bonæ mentes, & ſtudeant ſua confeſſione & ſuis officijs fouere & tueri Eccleſias rectè docentes, ornent hunc præſentem ſtatum, ut dicitur, Spartam quam nactus es, orna. Non colludant cum hoſtibus ueritatis, nèc quærant animo aliam Eccleſiam, aut aliud miniſterium, cùm ſciant quæ Eccleſia rectè doceat. Deus uult nos amare Eccleſiam rectè docentem,& ſtudium ei noſtrum declarare, uult miniſterium Euangelij honore affici & iuuari, ſicut & Pſalm: præcipit: Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem. Et additur promiſſio mercedis: Erit abundantia diligentibus te.

Cùm igitur manifeſtum ſit defendi Idola & errores ab hoſtibus Eccleſiarum noſtrarum,& neceſſe ſit fugere Idola, & conſtet in Eccleſijs noſtris rectè doceri, & remotos eſſe Idolorum cultus, pietas eſt, has Eccleſias fouere, & his ſe adiungere. Vitemus ſcandala omnis generis, non prætextu Euangelij ſeruiatur priuatis affectibus, non premantur rectè docentes, non impediantur ſtudia piæ doctrinæ, ſed ut in alueolis apes ſingulæ conferunt labores ſuos ad communem utilitatem, ita nos conferamus ſinguli omnia ſtudia & officia noſtra, ad ſalutem & tranquillitatem Eccleſiarum rectè docentium, & iuuemus pia ſtudia, ut ad poſteros doctrina pura de DEO, & de Domino noſtro Ieſu Chriſto propagetur. *Pietas eſt diſcedere ab aduerſarijs defendentibus Idola & errores ad noſtras Eccleſias rectè ſentientes.*

In ſecundo Præcepto dicitur: Non habebit Deus inſontem, quicunq; nomen Dei uanè uſurpauerit. Non dubium eſt igitur, pœnas Deo daturos eſſe omnes qui Euangelij doctrinam ſcandalis dedecorant. Ac his ultimis temporibus in tanta confuſione opinionum & gubernationum, profectò neceſſe eſt nos circumſpectiores & uigilantiores eſſe. Nunc illam uocem Chriſti nobis inculcemus. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et hac nos conſolatione ſuſtentemus, quòd eodem tempore inquit Chriſtus: Expetiuit uos ſatanas, ut cribraret uos ac diſſiparet, ſed ego pro te orauí, ne deficiat fides tua.

Te oro, Filij DEI Ieſu Chriſte, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, miſerere noſtri, & Spiritu ſancto tuo ueram lucem in cordibus noſtris accende, & auge, & rege mores & ſtudia noſtra.

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

SI quis Principum in Babylone audiſſet ludæos in exilio gloriari, ſibi diuinitus libertatem donatam eſſe, dixiſſet amentiam eſſe hæc prædicare. Ita nũc derideri nos à uiris Politicis arbitror, cùm in his triſtiſſimis ruinis regnorum, cùm creſcit ſeruitus ubique, cũmq; multa millia piorum hominum à Turcis quotannis penè ob oculos noſtros abduci uidemus, cúmq; paſſim fœuitia in pios iniuſta exercetur, adhuc libertatis mentionem facimus, & libertatem noſtram glorioſè prædicamus. Primùm igitur hoc præfandum eſt, nos quoq; dolere uicem Eccleſiæ DEI, quæ his fœuis & Tyrannicis temporibus, & in hac confuſione Regnorum paſſim dura ſeruitute premitur.

Et ut maximè foueretur imperijs mitioribus, tamen Eccleſia ſemper à Diabolo excruciatur, & adhuc morte & multis calamitatib. in hac uita onerata eſt. In quantis doloribus uixerunt Adam & Heua, cùm uiderunt neces & ſcelera poſteriorũ, etiamſi nondũ erant regia imperia aut tyrannides. Semper ingentib. miſerijs oppreſſa fuit, eſt, & erit ante reſurrectionem Eccleſia Dei.

Quid igitur uocamus Libertatem? Num inane uocabulũ eſt, ut ſunt Stoicorum Paradoxa, ſeu ineptiæ, qui ducunt ſolos ſapientes liberos eſſe? Longè alia eſt doctrina Euangelij de Libertate, de qua Chriſtus loquitur, cùm ait: Si uos Filius liberauerit uerè liberi eritis. Verè, inquit, liberi, nõ inani titulo, aut umbra libertatis, ſed re ipſa, deleto peccato, placata ira Dei, abolita morte, ſublatis omnibus calamitatibus humanis, donati æterna iuſticia, luce, uita, gloria.

Alia doctrina Euangelij de libertate quã politica.

Complectitur Chriſtus integram libertatem, quam ipſe attulit & peperit ſua morte Eccleſiæ ſuæ. Nunc quidem in hac uita incoatur illa uera libertas, ſed in reſurrectione erit integra, cùm deletis omnibus malis, Eccleſia fruetur æternâ & dulci conſuetudine Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. In illam æternam & integram libertatem mente intueamur, quoties nomen libertatis audimus, & ſimul cogitemus, eam in hac uita incoari. Sed remoueamus ſomnia de Politica libertate corporum, de imperijs, ut ludæi adhuc libertatem & inſtaurationem regni in Palæſtina ſperant. Nihil hæc ſomnia ad hanc doctrinam pertinent, quam de libertate proponit Euangelium.

Libertas Chriſtiana incoatur in hac uita, erit integra in æterna.

Somnia de Politica libertate corporũ remouenda à libertate Chriſtiana.

Etſi igitur Eccleſia non ſolũm ab imperijs oppreſſa eſt ſeruitute in hac uita, ſed etiam ingentibus calamitatibus alijs exercetur, tamen doctrina de libertate conſolationem in his ipſis malis firmiſſimam proponit. Affliguntur Hercules, Priamus, Agamemnon, Palamedes, Cato, Cicero, Brutus, & alij innumerabiles, ignorantes Deum. Sed ſuccumbunt ſuis ærumnis, nec habent Deum mitigantem euentus, aut confirmantem animos, ſed opprimuntur æterna deſperatione, & æternis tenebris de prouidentia & de iuſticia Dei. At Ioſeph, Dauid, Ionathas, Ezechias, Ieremias, Baptiſta, Paulus, etiam cùm affliguntur, tamen cernunt Dei præſentiam, qui confirmat animos, & ſæpè mitigat ipſis euentus, & cùm opprimuntur, tamen paulò pòſt Eccleſiæ proſunt horum agones, & hi ſciunt ſe poſt hanc uitam in reſurrectione habituros æternam gloriam. Ita habent in hac uita incoatam libertatem, quia à Deo recepti ſunt, reguntur ab eo, defenduntur & adiuuantur, & ſciunt poſt hanc uitam ſe habituros eſſe integram libertatem. Iam cogita quantum bonum ſit, quanta libertas etiam in medijs ærumnis, & media morte, Deum habere propicium, opitulatorem, gubernatorem & protectorem.

Hæc concio de libertate res ueras, certas, quæ habent euidentia teſtimonia in

nia in Ecclesia, & quas Ecclesia, ego & tu & omnes pij experiuntur, proponit, non affert inania somnia Iudæorum, aut Stoicorum, aut Anabaptistarum, aut Struthij, qui plebem liberare tributis uolebat.

Distribuo autem usitatè docendi causa libertatem Euangelicam in quatuor gradus.

Primus est, Vt summa mala sunt peccatum & ira Dei, ita necesse est primùm dici de hoc gradu, quomodo ab his malis liberemur. Est ergo primus gradus libertatis, quòd GRATIS propter Filium Dei donantur nobis remissio peccatorum, reconciliatio, iustificatio seu imputatio iusticiæ, & acceptatio ad uitam æternam, & hæreditas uitæ æternæ. *Primus gradus libertatis Christianæ.*

Hæc est libertas, quòd propter Christum gratis hæc tanta bona certò donantur. Vult nos Deus certò statuere & credere, nos agentes pœnitentiam, recipi in gratiam, exaudiri & saluari propter Filium gratis, etiamsi Lex & nostra ratio nos accusant ac deterrent, ne hæc bona accipiamus. Sumus igitur liberati à peccato, ab ira Dei, ab æterna damnatione, à Lege accusante nos, & à conditione meriti. Et alia res proposita & donata est, propter quam accipimus remissionem peccatorum & iusti, id est, accepti à Deo pronunciamur, scilicet filius Dei Mediator, non Lex aut merita nostra, ac reconciliati reputantur iusti, id est, accepti à Deo ad uitam æternam, etiamsi procul absunt à perfectione Legis, sed propter Christum fide. O ingens beneficium, quòd quanquàm adhuc hærent in reconciliatis reliquiæ peccati, quanquàm magna mole sordium premimur, tamen placemus certò propter Christum, ac si prorsus Legi satisfaceremus.

De hoc gradu libertatis concionatur Paulus, cùm ait: Christus nos redemit à maledictione Legis, factus pro nobis maledictum. Breuè dictum est, sed longè omnium Angelorum & hominum sapientiam superans, quia uera, ingens & ineffabilis ira aduersus peccatum significatur, cùm Filius, in quem deriuata est ira, uocatur maledictum. Hic factus est pro nobis λύτρον & uictima. De uictima & de hac liberatione semper & in omni inuocatione cogitandum est, & fide statuendum, quòd propter Dominum nostrum IESVM CHRISTVM uerè nostra peccata remittantur, tecta & sepulta sint, & quòd uerè uelit nos propter Mediatorem recipere, exaudire, saluare. In his exercitijs inuocationis quotidiè crescet intellectus huius libertatis, de qua in hoc primo gradu dicitur, qui doctrinam de Iustificatione, quæ suprà copiosius recitata est, continet.

Secundus gradus est donatio Spiritus sancti, qui nouam lucem in mente, & nouos motus in uoluntate & corde accendit, gubernat nos, & incoat in nobis uitam æternam. Etsi autem hic secundus gradus cum primo coniunctus est, tamen docendi causa discerno, ut quoties de Liberatione à Lege dicitur, intelligatur non tantùm auxilium, ut Augustinus plerunq; enarrat, sed etiam gratuita imputatio iusticiæ. *Secundus gradus libertatis Christianæ.*

Augustinus plerunq; sic loquitur: Liberati sumus à Lege, id est, donato Spiritu sancto iuuamur, ut legi obediamus, nec iam frustra nitimur coacti à Lege. Rectè de auxilio dicit, sed necesse est conspici & alterum beneficium, scilicet gratuitam remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ, quæ donatur propter Christum. Hoc ingens munus cõspici necesse est, ut Christo suus honos tribuatur, & conscientiæ teneant ueram & firmã consolationem, & possint inuocare Deum.

Loquitur autem Christus de utroq; gradu, cùm ait: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Et quidem de integro beneficio concionatur. Filius placat iram Dei, tollit peccatum & mortem, dat iusticiam & uitam æternam, resuscitat nos ad æternam gloriam & læticiam, qua fruemur in consuetudine Dei, Angelorum, & uniuersæ Ecclesiæ. Hæc integra libertas est beneficium, de quo Christus concionatur, quam tamen hic incoari oportet.

Adhuc subiecti sumus cruci & morti corporis, exercemur ingentibus calamitatibus, hærent adhuc in nobis sordes & multum caliginis, & oppugnamur à Diabolo, qui interdum implicat nos malis inextricabilibus. Et nemo tam cautus, tam diligens est, ut non aliquando in deliberationibus erret. Denicq; regere ipsi difficilimum & periculosissimum uitæ cursum, & uocationum negocia sola humana diligentia non possumus, ut inquit Ieremias: Scio Domine, quòd non est hominis uia eius.

Quanquàm igitur in tristi carcere adhuc inclusi uidemur, tamen sumus liberi, Primùm, quia certum est nos propter Christum habere Deum propicium, & defensorem, ut docet primus gradus libertatis, Deinde, quia adiuuamur & gubernamur à Spiritu sancto. Dauid inextricabili malo conflictatur, cùm pulsus regno exulat, sed tamen hac se certa consolatione sustentat, quòd à Deo non sit abiectus, meminit uocem Nathan: Abstulit Dominus peccatum tuum. Deinde petit auxilium & gubernationem Spiritus sancti, & expetitur se à Deo iuuari. At Themistocles Græcia expulsus, nullam harum consolationum nouit, sed tantisper dum habet receptum & humana præsidia, fert exilium tranquilliore animo.

Sancti in periculis experiuntur auxiliũ S. sancti.

Didicerunt secundum gradum libertatis omnes sancti in periculis, cùm experti sunt se iuuari, & confirmari à Deo, sicut Stephanus in confessione, & agone mortis, Laurentius & alij multi, in confessione.

Quare & nos nostram infirmitatem & pericula considerantes, de hoc gradu cogitemus, petamus auxilium & gubernationem Spiritus sancti, sicut præcipit Christus inquiens: Petite & accipietis. Item, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Cùm inuocabimus, sine ulla dubitatione sentiemus nos iuuari, regi consilio, gubernari exitus, depelli pericula, mitigari ærumnas.

Hæc inuocationis exercitia erudient nos de hoc secundo gradu libertatis. Iam quanta beneficia Dei sint hi duo gradus, secum quisq; cogitet. Sunt enim liberationes ex summis malis, à peccato, ab ira Dei, à morte æterna, donatio iusticiæ & uitæ æternę, defensio aduersus Diabolum, gubernatio in omnibus negocijs & periculis, regente corda Spiritu sancto, & accendente in nobis cogitationem uerbi Dei, denicq; præsentia æterni Dei, nos iam complectentis propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum. His bonis nihil est melius aut maius.

Itaq; libertas parta sanguine Christi, quam offert Euangelium, ingens & immensum bonum est, nec est inane nomen, aut Stoica imaginatio, ut homines impij iudicant.

Discrimen libertatis Christianæ & politicæ pijs non est difficile.

Nec difficile est sanis mentibus & pijs uidere discrimen inter hanc liberationem à peccato & ira Dei, & Politicam libertatem, seu liberationem à tributis. De hac externa politica tranquillitate uel seruitute in his duobus gradibus nihil dicitur. Habet hos gradus libertatis animę Ioseph, quamuis seruus & conie-

& coniectus in carcerem. Habet eos Daniel sedens inter Leones: Laurentius iacens in craticula. Nam politica libertas aut seruitus nihilo magis ad hos duos gradus pertinet, quàm robur corporis, aut imbecillitas, ut Gal: 3. dicitur. Omnes filij Dei estis per fidem in Christum Iesum, non est Iudæus, nec Græcus, nec seruus, nec liber. Sed facilè est pijs hæc intelligere. Alia animæ bona sunt, aliæ res sunt corporum discrimina.

Tertius gradus tandem de externa & Politica uita traditur, uidelicet Christianos non esse alligatos ad politiam Mosi, aut ullam certam unius gentis politiam sed singulis locis parere Magistratib. & legibus præsentibus debemus, si modò leges sint consentaneæ iuri naturæ, nec præcipiant aliquid fieri contra mandata Dei. Vt alijs dierum & noctium spacijs utimur in alijs regionibus, ita licet uti alijs Magistratuum, imperiorum & legum formis, modò ut Leges sicut dixi, nihil præcipiant fieri contra mandata Dei. *Tertius gradus libertatis Christianæ.*

Ideò autem de hoc tertio gradu libertatis rudiores docendi sunt, quia sæpè pernicioſæ seditiones motæ sunt ab indoctis, qui contenderunt oportere Christianos regi legibus Mosaicis. Hic error taxandus est, ut clarè docent Prophetæ, Christus, & Apostoli, finem fore politiæ Iudaicæ post passionem & resurrectionem Christi. Et ipsæ ruinæ Ierosolymorum testantur ante annos 1470. politiam Iudaicam deletam esse. Hinc regula traditur, abrogatas esse ceremonias Mosaicas, nec leges iudiciales Mosi ad Ecclesiam Christi pertinere, Politia illa ad certam Gentem pertinebat, & duratura erat certo tempore non pertinet ad alias Gentes, aut alia tempora. Hęc confirmantur multis perspicuis testimonijs, ut Act: 10. Et ad Gal: 3 cap. & 5. In Christo Iesu nec circumcisio aliquid ualet, nec præputium, sed fides quæ per dilectionem est efficax.

Sed hic quæstio agitatur, cùm dicitur de abrogatione Legis, totáne Lex intelligitur abrogata, an tantum duæ partes, scilicet ceremoniæ & forenses? Atqui maius onus est, & durior carcer, Lex moralis, quàm ritus illi externi ceremoniarum?

Respondeo. De Ceremonijs & Forensibus Legibus responsio non difficilis est. Sicut Athenis Tabulæ Solonis, aut Romæ decemuirales, mutata re publica interierunt, sic Ceremoniæ & Forenses leges Mosi promulgatæ, ut certo tempore durarent, & deleta politia Mosaica neminem obligarent, nunc extinctæ sunt. Suprà autem in discrimine ueteris & noui Testamenti dictum est, cur constituta sit illa Politia. *Ceremoniæ et Forenses leges Moisi sunt abrogatæ.*

Sed de Lege Morali difficilior est responsio, quam explicat Christus & Apostoli, & non intelligunt homines prophani, & sine pœnitentia uiuentes. Nam Lex Moralis non est lex mutabilis, ut Ceremoniæ, aut tabulæ decemuirales. Sed Lex Moralis est æterna & immutabilis regula in mente diuina, præcipiens facienda, & prohibens ac puniens non facienda. *Lex moralis non est Lex mutabilis.*

Vt hæc propositio æterna & immutabilis est, Deus est sapiens, bonus, iustus: Sic hę propositiones æternæ & immutabiles sunt, Deus iudicat iustum esse, se conditorem à creatura rationali diligi, & anteferri omnibus rebus, Deus iudicat uagas hominum libidines malas esse, Deus approbat obedientiam quam postulat, Deus irascitur contumaciæ.

Et huius Legis sententia transfusa est in creaturas rationales, nec potest illis manentibus aboleri, sicut noticia numerorum aboleri non potest.

Manet

Lex moralis semper manent.

Manet igitur semper hæc regula, scilicet Lex moralis, & manet semper ordo diuinæ mentis, ut creatura obediat. Obligat autem omnis lex ad obedientiam, uel ad pœnam.

Cùm igitur homines non præstiterint obedientiam, necesse fuit aut ipsos in pœna interire, aut alium persoluere pœnam, seu λύτρα. Itaq; mirando & inenarrabili consilio soluit λύτρα Filius Dei pro nobis intercedens, & deriuauit in sese iram, quam nos sustinere oportuit. Quare non sine cõpensatione Deus legem suam mitigauit, sed iusticiam seruauit in flagitanda pœna. Ideò Christus inquit, Non ueni soluere legem, sed implere eam, scilicet subeundo pœnam pro genere humano, et docendo & instaurando eam in credentibus. Difficilis est explicatio huius rei, sed pios oro, ut hæc quæ dixi expendant. Et cùm Christus λύτρα persoluerit, liberati sumus à Lege propter ipsum, scilicet ne maneamus in maledictione, modo ut fide beneficiũ eius nobis applicemus. Ideõ Paulus disertè inquit, nos liberatos esse à maledictione legis, s. quia Christus persoluit λύτρα. Non remissa sunt peccata in uoluntate Dei, aliqua mobilitate sine causa, sed intercessit magna compensatio propter iusticiam Dei. Sic primi Patres etiam ante Mosen, Abraham, Isaac, Iacob, & deinde Moyses, Samuel, Dauid, Baptista sentiebant sibi remitti peccata, & se recipi propter Filium Dei, non propter Legem, & se reconciliatos, quanquàm non erant sine sordibus, tamen DEO placere, quia à Lege liberati essent propter Filium, quem sciebant λύτρα persoluturum esse, sicut Baptista inquit, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, id est, Victima à Deo destinata. Hæc est abrogatio Legis moralis, de qua Paulus concionatur, disertè dicens, per Christum nos à maledictione Legis redemtos esse. Ita liberati sumus, si beneficium Christi nobis fide applicamus.

Christiani liberati à maledictione legis.

Hæc doctrina nos de utraq; re admonet, de ingenti ira DEI aduersus peccatum, quod non remissum est sine compensatione, & de admirando beneficio Christi. Semper odit Deus peccatum, sed quia iram suam in Filium deriuauit, nos recipit. Lex enim obligat, ut dixi, ad obedientiam, uel ad pœnam, & pœna à Filio persoluta est.

Liberati sumus à maledictione legis, sed ordo Dei immutabilis manet.

Nunc igitur ad principalem quæstionem respondeo. Liberati sumus à maledictione Legis moralis, quia filius persoluit λύτρα, & propter Filium recepti sumus, sed manet ordo Dei æternus & immutabilis, ut creatura Deo conditori obtemperet. Non accusat, non damnat lex reconciliatos, sed manet ordo in mente diuina, & in nostra mente, ut Deo obediamus. In hanc sententiam dicitur, Abrogata est Lex, quod ad maledictionem attinet, non quod ad obedientiam attinet. Ideò & Spiritus sanctus datur, ut deinde uerè accendantur in cordibus nostris motus congruentes legi Dei, ut 1. Cor. 3. Nos retecta facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.

Ex his intelligi potest dictum Pauli, Non estis sub lege, sed sub gratia, scilicet quia in Christum translata est pœna, credentes liberati sunt ab ira, & iam propter Christum iusti seu accepti sunt, etiamsi hęrent in eis reliquiæ peccati, quibus repugnant spiritu. Quòd dicitur, Iusto non est Lex posita, manifestè eo loco apud Paulum de disciplina dicitur, ait legem positam iniustis, adulteris, homicidis &c. ut coërceantur, accusentur, puniantur. Hac disciplina & hoc carcere iustus, id est, renatus Spiritu sancto, non damnandus est, sed regitur

gitur Spiritu sancto, prælucente uerbo Dei, cui scit creaturam rationalem subiectam esse. Et eo loco apud Paulum emphasis est in uerbo κᾶται. Iustum lex non premit, non obruit.

Quartus gradus est libertatis, quòd Euangelium docet ritus humana auctoritate factos in Ecclesia de adiaphoris, non mereri remissionem peccatorum non esse iusticiam Euangelij, non seruandos esse cum opinione necessitatis, sed posse omitti extra casum scandali. Hæc clarè traduntur in his dictis. Frustra colunt me mandatis hominum. Item, Nemo uos arguat in cibo, potu, &c. Recensui autem suprà quos errores addant Hypocritæ illis humanis ritibus, quos errores cùm refutare necesse sit, de hoc gradu libertatis in Ecclesia dicendum est. Deus uult se & uoluntatem suam agnosci ex uerbo suo, non concedit nobis licentiam fingendi opiniones nostro arbitrio, ut finxerunt Ethnici, & Idolorum cultores omnibus temporibus. Nam hic fons est multorum errorum, quòd homines putãt sibi licere, de Deo fingere opiniones, & bono studio, ut dicunt, cultus instituere. Piũ ducunt Thebani petere à Deo ubertatẽ uinearum, Ideò Bacchanalia instituunt. Pium ducunt Siculi petere, ut frumentũ feliciter proueniat, ideò Cererem & filiam colũt. Pium ducunt Romani petere uictoriam in bellis, ideò Martem colunt. Et hi cultus cumulantur.

Quartus gradus libertatis Christianæ.

Non sunt fingendi cultus aut opiniones de Deo sine uerbo.

Omnes autem hi errores ex hoc uno fonte oriuntur quòd putant homines, sibi licere fingere suo arbitrio opiniones de Deo, & cultus. Sicut & Aaron putabat, fingens cultum ad uituli simulacrum, & Ieroboam audacissimè abducens populum Israël à templo Dei, ad sua sacrificia.

Hic clamant sapientes: Quid hæc res mali habet? Cur non concedere tur augere honesta exercitia? Quid Ethnici, quid Aaron, quid Ieroboam aliud uolebant nisi ut noticia Dei conseruaretur, ut populus ad inuocationem inuitaretur, ut bonis exercitijs ad pia opera assuefieret? Hæ species, & hæ πιθανολογίαι semper fefellerunt, fallunt & fallent genus humanum.

Quomodo pingant sapientes cultus humana autoritate institutos in Ecclesia

Ita nunc sapientes ratiocinantur: Quid mali est, à multis & singulis offeri Christum? Fiunt ibi precationes pro uiuis & mortuis. Quid mali est, circumgestare partem sacramenti? Augetur populi inuocatio, & sacramentum honore afficitur. Quid mali est, petere à mortuis qui uiuunt apud Deum, ut pro nobis intercedant? Haud dubiè tota Ecclesia in cœlo & in terris semper coniungit preces. Speciosa hæc sunt, & ab eloquentibus ornari possunt.

Sed hæ speciosæ rationes & πιθανολογίαι abducunt homines à uerbo Dei. Ideò hi ludi à Deo prohibiti sunt. Nam simili audacia fingunt hæretici suos errores, alij alios, imò luctante conscientia de remissione peccatorum, & de uoluntate Dei in magnis calamitatibus animi sic assuefacti, ut rationis opiniones sequantur, amittunt ueras consolationes à Deo traditas.

De paruis rebus inquiunt uiri politici moueri certamina, quæ sint exitiosa imperijs, Hærent enim discordiæ, & crescunt factionum studijs & odijs. Nam homines non moderati dissentiunt. Cur igitur inquiunt, de lacte, de ouis, de esu carnium tantas agitis tragœdias? Cur non antefertis his minutis rebus publicam concordiam & tranquillitatem.

Vera & firma responsio est, non de paruis rebus dimicari, sed de multis magnis rebus, quæ sunt anteferendæ nostræ uitæ omnibus corporum cõmodis, imperijs & concordiæ publicę, uidelicet de uera agnitione & inuocatione Dei, ne de Deo & eius uoluntate quærantur opiniones, extra uerbum ab ipso traditum,

traditum, ſicut fecerunt Ethnici & omnes fanatici ſpiritus, Samoſatenus, Arius, Manichæi, Pelagius, Mahomet.

Talis furor reprehenditur, qui etiamſi diſſimiles materias proponit, tamen uniuſmodi eſt. Ex ijſdem tenebris oriuntur Bacchanalia, & Samoſateni error, & leges Manichæorum de cibis, & lex Pontificum de cœlibatu Sacerdotum, & ſacrificulorum, temeritas de uenditione Miſſarum & inuocatione Mortuorum.

Mentes humanæ ſunt alligatæ ad uerbum.

Vult DEVS mentes noſtras alligatas eſſe ad ſuum uerbum, à quo cùm diſceſſum eſt, ſequuntur infinita deliria & idola. Itaq; de hac regula dimicamus, ne à uerbo Dei diſcedatur. Quare de re omnium maxima Eccleſiam commonefaciamus, & quidem mandato diuino. Nota eſt enim ſententia: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema ſit.

Præterea ſapientes illi politici, excerpunt minuta in ſpeciem, eſum carnium aut ouorum, his, aiunt, anteferenda erat concordia publica. At non tantùm de eſu carnium, aut talibus minutis rebus contendimus. Dixi de fonte eorum commonefaciendam eſſe Eccleſiam, id eſt, de audacia humana diſcedente à uerbo Dei, quæ finxit non tantùm leges ciborum, etſi hæ ſolæ etiam multum errorum gignunt, ſed etiam alia manifeſtiora Idola, ut uenditiones Miſſarum pro uiuis & mortuis, inuocationes mortuorum, legem cœlibatus, & alia. Nec finis eſt horum furorum. Nunc Anabaptiſtæ ſimili furore nouas opiniones & nouos ritus excogitant. Neceſſaria eſt igitur Eccleſiæ doctrina de hoc quarto gradu libertatis, & diligenter conſideranda eſt cauſa, quòd neceſſe ſit admoneri Eccleſiam, ne à uerbo Dei diſcedatur. Lucerna pedibus meis uerbum tuum, inquit Propheta.

πιθανολογίαι captioſæ ſapientum.

Faciles ſunt autem lapſus, & initiò obſcuri, cùm hac luce excuſſa, amplectuntur animi humanas opiniones, quæ ſtabiliunt idola, & quæruntur πιθανολογίαι, quas Paulus ipſe inquit, ſpeciem habere ſapientiæ, cùm tamen ſint impoſturæ. Quid uetat, inquiunt, cùm nobiſcum uniuerſa Eccleſia, in cœlis & in terra ſemper oret Deum, ne ſinat extingui ueram doctrinam, ſed ut colligat ſibi & regat Eccleſiam, compellare etiam Sanctos, qui fruuntur Dei conſuetudine, & hortari, ut ſuas preces ad noſtras adiungant, Certè norunt hanc eſſe uoluntatem piorum. Hæc plauſibiliter dicuntur, ſed hic prætextus quanta ſcelera confirmat?

Exaudire ſingulorum uota & ſpectare motus cordium ſolius eſt Dei, ſeu omnipotentis naturæ, ut clarè dicitur 2. Paral: 6. Tu ſolus noſti corda filiorum hominum. Hunc honorem mortuis tribuunt illi, qui compellant ſingulos. Deinde accedunt maiora deliria, fingunt mortuos ipſos eſſe opitulatores, & alijs alia munera attribuunt, prorſus ut Ethnici à Iunone diuitias, à Pallade ſapientiam, à Venere felices amores, à Marte uictorias, & ab alijs alia petebant. Ita cumulantur delicta, cùm initiò propter plauſibilem rationem non procul diſceſſiſſe à uerbo Dei uidemur. At conſtat nullum eſſe exemplum inuocationis mortuorum in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis. Conſtat non eſſe inuocationes inſtituendas humana audacia. Hæ regulæ opponendæ ſunt illis fucoſis excuſationibus, quibus nunc aſtuti quidam pingunt Idola, ut olim in feſtis pingebantur ſtatuæ Sanguineis ebuli baccis, minioq; rubenti.

Hæc ad commonefaciendos ſtudioſos dixi, ne præſtigijs illis excuſantium errores & Idola, abduci ſe à ueritate ſinant. Nam ſi ludi illi audaciſſimi excuſantium

cusantium Idola concedentur,quæ religionum confusiones erunt? Horresco cogitans has Diaboli insidias. Et quia nulla humana diligẽtia satis cauere has γοητείας potest, Oro Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis crucifixum & resuscitatum,ut ipse puritatem sui Euangelij defendat, & omnia Idola destruat,& mentes nostras regat, ut uera & salutaria doceamus & agamus.

Nunc ad usitatum argumentum respondebo,quod obijcitur.

Potestati necessariò obediendum est:
Potestas Ecclesiastica instituit ritus, tùm de rebus adiaphoris, tùm de aljs.
Necesse est igitur seruari ritus,præsertim in rebus adiaphoris.

Quæ sit autoritas & potestas Episcoporum in condendis ritibus, & quatenus eis obedientia debeatur.

Respondendum est ad maiorem, quæ non est uera, cùm potestas præcipit,ut impia doceamus & faciamus. Tunc enim necesse est aduersari, iuxta illas regulas: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Primùm igitur, cùm traditiones apertè præcipiunt ea quæ sine peccato non possent fieri, constat eas esse doctrinas Dæmoniorum, nec obediendũ eis esse, sed redeundum ad mandata Dei. Tales sunt multæ Traditiones Pontificiæ,ut abusus Cœnæ Domini, inuocatio mortuorum, lex de cœlibatu. Hæ traditiones reijciendæ sunt,& obtemperandum mandatis Dei, Primùm mandatum inquit, Non habebis Deos alienos. Non igitur inuoca mortuos, sed inuoca omnipotentem Deum,conditorem omnium rerum, qui se patefecit dato Euangelio, & misso Filio suo Domino nostro Iesu Christo,pro nobis crucifixo & resuscitato, & sic inuoca,quemadmodum ipse docuit nos inuocare fiducia Filij Mediatoris &c.

Deinde etiam cùm traditiones loquuntur de rebus sua natura adiaphoris, tamen fiunt impiæ & doctrinæ Dæmoniorum propter errores, qui simul proponuntur ac defenduntur,uidelicet quòd mereãtur remissionem peccatorum,aut sint cultus Dei, id est,opera quibus Deus iudicet se honore affici, aut quòd Episcopi habeant potestatem instituendi tales cultus. Hos errores taxari necesse est. Et exempli causa aduersandum est,ut Ecclesia intelligat,non discedendum esse ã uerbo Dei ,nec laxandos esse frenos humanæ audaciæ, ut fingant homines suo arbitrio opiniones & cultus.Propter has causas &Christus accusat Apostolos,uiolantes traditionem Pharisaicam,Mat: 15.

Hæc prima solutio maximẽ perspicua & plana est, sed tenenda est & altera,quæ etiam uera & firma est. Maior uera est de obedientia,qualem docet Euangelium. In his quæ sunt iuris diuini,conscientia necessariò debet obedire Pastoribus,Iuxta illud:Qui uos spernit,me spernit.De ritibus adiaphoris,qui boni ordinis causa instituti sunt, Euangelium præcipit, ne sentiamus cultus aut necessarios esse,sed seruari concedit sine opinione iusticiæ aut necessitatis. Hanc sententiam diuinitus traditam, non potest humana autoritas abolere. Quare etiam cùm præcipiunt Episcopi, obedientia sit talis, ne deleat sententiam à Deo traditam.

Res adiaphoræ nõ sunt cultus aut res necessariæ.

Hæ responsiones ueræ sunt & firmę,nec pugnant cum hac uoce Christi: Super cathedram Mosi sedent Scribæ & Pharisæi, Omnia quæ dicunt facite. Nam hæc sententia non pręcipit, ut facias aut sentias aliquid contra mandata Dei,Imõ alio loco præcipitur,Cauete ã fermento Pharisæorum,Et Matth:15. expressẽ reijciuntur humanæ traditiones, quæ sunt corruptelæ Legum diuinarum. Et Paulus inquit: Si quis aliud Euangelium docebit,anathema sit.

Nequaquã amplectendæ fuerunt interpretationes Phariſæorum, quæ finxerunt ſacrificia Leuitica mereri remiſſionem peccatorum, Meſſiam non fore uictimam pro peccatis, ſed occupaturum eſſe mundi imperium, & diſtributurum regna ludæis. Tales furores certè non erant amplectendi. Ideò dictum illud Chriſti, non accipitur de traditionibus aut opinionibus pugnantibus cũm uerbo Dei.

Neceſſariò debetur obedientia miniſterio in ijs quæ ſunt iuris diuini, in cæteris quæ ſunt iuris humani nõ item.

Nec uerò dicuntur hæc, ut quiddam de uera autoritate miniſterij Euangelici ac Paſtorum detrahatur. Imò horum autoritas munitur. Affirmamus deberi neceſſariò obedientiam rectè docentibus in ijs rebus omnibus, quę ſunt iuris diuini, luxta illud: Qui uos audit, me audit. Sed hæc ſententia non poteſt transferri ad opiniones aut leges pugnantes cum Euangelio, nec regnum extra Euangelium conſtituit.

Deinde & hoc addimus, cũm boni ordinis cauſa, tempora & lectiones diſtribuunt, ita ſeruandos eſſe eos ritus, ut ſcandala caueantur. Ac præſertim nos in Eccleſijs emendatis meminerimus, qui honos debeatur miniſterio Euangelij.

Præcipuum beneficium Dei eſt hoc miniſterium, & ingentibus miraculis ã Deo ſubinde inſtauratũ eſt, & defenſum in genere humano. Et uult Deus ſonare ſuum Euangelium in publico cœtu, & honeſtis congreſſibus, ſicut ſcriptum eſt, Laus eius in Eccleſia ſanctorum. Ibi nomen ſuum inuocari & celebrari uult in quadam frequentia, & addit promiſſionẽ congregationi: Vbi duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, in medio eorum ſum. Iterum dico uobis: De quacunq; re duo in terra conſenſerint, quam petunt, fiet eis à Patre meo cœleſti. Vult etiam illos ipſos congreſſus publicos teſtes eſſe tuæ confeſſionis, uult & conſpici ſeiunctionem ueræ Eccleſiæ retinentis Euangelium, ab aliarum Sectarum conuenticulis.

Publici cõgreſſus neceſſarij ſunt ad miniſterium retinendum.

Itaq; publici Eccleſiæ congreſſus neceſſarij ſunt ad retinendum miniſterium Euangelij. Quare in Eccleſijs quæ rectè docentur, omnes & ament & adiuuent congreſſus publicos, obtemperent paſtoribus rectè docentibus, qui tẽpora & lectiones diſtribuunt. Quoties in templum uenis, cogita de immenſo beneficio Dei, colligentis ſibi Eccleſiam æternam miniſterio & uoce Euangelij, & ſimul de tota doctrina creationis & redemtionis humani generis ipſe te commonefacito, memento promiſſionem datam de præſentia Dei. In hoc cœtu uult Deus inuocari & exaudire. Hic oſtendas in inuocatione & uſu Sacramentorum te membrum eſſe populi Dei, te auditorem Chriſti. Ac ſimul illam uocem tecum repete, quam uellem omnium templorum parietibus inſcriptam eſſe: Quos elegit, hos & uocauit.

Nulli electi ſunt extra cœtum uocatorũ.

Nulli ſunt electi extra hunc cœtum uocatorum, non alibi populum Dei niſi inter uocatos quærito. Sunt autem uocati, qui ſunt ſocij huius cœtus audientis Euangelium, & Sacramentis inſerti huic cœtui. Quanta hæc conſolatio eſt piæ menti, noſſe tantum in his cœtibus eſſe hæredes uitæ æternæ, non alibi? Agas igitur gratias Deo æterno Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, quòd te uocauerit ad Euangelij agnitionem, & ad hos cœtus & congreſſus. Et omni officio horum congreſſuum frequentiam adiuues ac tuearis. Ipſos etiam Paſtores rectè docentes ama, & eis reuerenter obedias in functione miniſterij, & benignè confer ad eos alendos, ubi opus eſt. Hæc & cogitanda pijs, & uero ſtudio facienda ſunt. Sic & de ſcholis, in quib. ſonat uox Euangelij, ſentiamus, ſciamus Deum uelle tale eſſe docentium &

tium & discentium congressus, & has partem esse Ecclesiæ, in qua multi sint electi, hæredes uitæ æternæ, & quidem ex hoc ipso cœtu sumit doctores, per quos ministerium Euangelij publicum seruat. Regnat CHRISTVS ad dextram Patris æterni, ut dona det hominibus, Pastores & Doctores: Adest ergo in hoc ipso piarum scholarum consensu, & ex hoc numero eligit, ac præparat Spiritu sancto pios scholasticos, ut Ecclesiæ suæ deinde seruiant, & Euangelij propagationem adiuuent. Amandi sunt igitur, & fouendi hi cœtus, & adiuuandi congressus, qui quidem nos etiam de æterna uita admoneant.

In æternitate qualis sit futura consuetudo piorum.

Nam illa infinita æternitas, talis erit consuetudo conuenientis Ecclesiæ, ad audiendum Dei & Domini nostri Iesu Christi sapientiam, & ad mutua colloquia cum primis Patribus, Prophetis, Apostolis, & alijs, quorum sermone lætabimur. Imò quoties adsumus in Ecclesiæ aut scholarum congressibus, optemus, ut quàm primum lętissimus ille dies illucescat, in qua filius Dei Dominus noster Iesus Christus, resuscitatis mortuis, hunc uniuersæ suæ Ecclesiæ congressum, & hanc scholam nobis ostendet.

EXAMEN EORVM QVI AV-
DIVNTVR ANTE RITVM PVBLICÆ
ORDINATIONIS, QVA COMMENDATVR EIS MI-NISTERIVM EVANGELII. TRADITVM VITEBERGÆ ANNO M. D. LIIII.

Quidnam docebis?

DOCEBO Euangelium Domini nostri Iesu Christi.

Quid interest inter doctrinam Ecclesiæ Dei, & alias Sectas?

Sectæ extra Ecclesiam Legis tantũ particulam docẽt, Euangelium prorsus ignorant.

Omnes aliæ Sectæ extra ueram Ecclesiam, ut Ethnici, Blasphemi, Iudæi, Mahometistæ, & alij, tantũm docent particulam Legis de quibusdam externis & ciuilibus officijs, & adduntcultus idolorum, aliæ alios. Prorsus autem ignorant filium Dei & Euangelium, id est, promissionem de gratuita remissione peccatorum, & de reconciliatione, & de hæreditate uitæ æternæ donandæ per Fidem in Filium mediatorem,

Ecclesia retinet integram Legis & Euangelij doctrinã.

At in Ecclesia retinetur integra & incorrupta Legis & Euangelij doctrina, & noticia filij Dei, crucifixi pro nobis & resuscitati. Sola autem illa congregatio, in qua agnoscitur filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis & resuscitatus, est Ecclesia, in qua sunt multi uerè placentes Deo, & rectè inuocantes eum, & electi ad uitam æternam, iuxta hæc dicta Iohannis 5. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui misit eum. 1. Corinth: 3. Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Iohan: 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Item: Qui credit in Filium, habet uitam æternam. Qui non credit Filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Iohan: 14. Nemo uenit ad Patrem, nisi per Filium. Item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Hæc sciri necesse est,

Qui cœtus sint uera Ecclesia.

Non est facienda confusio Ecclesiæ & aliarum gentiũ.

contra Thammerum, Latomum Louanienſem, & similes, qui infinitam confusionem faciunt, & fingunt, Ecclesiæ membra ubiq; esse, Ethnicos & alios, quorum mores sunt honesti.

Quid est Deus?

DEVS est essentia Spiritualis, intelligens, æterna, alia ã creaturis omnibus, uerax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensæ sapientiæ & potentiæ, irascens peccatis, Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius, imago Patris coæterna, & Spiritus sanctus procedens ã Patre & Filio, sicut patefacta est diuinitas, certo uerbo, & testimonijs diuinis, quõd Pater æternus cum Filio & Spiritu sancto condiderit & conseruet cœlum & terram, & omnes creaturas, & adsit omnib. creaturis, quo ad conseruationem, & colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter Filium, & per eum, & sit iudex iustorum & iniustorum.

Deus adest omnibus creaturis quoad conseruationem.

Quid est Persona?

PERSONA est subsistens uiuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio. Græcè ὑφισάμενον. Essentia uerõ nominatur, quod reuera est, etiamsi est communicatum. Et teneatur discrimen inter οὐσίαν & ὑφισαμένας. Sunt autem TRES PERSONAE DIVINITATIS, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ὁμοούσιοι, non plures, nec pauciores, quia sic se diuinitas patefecit.

Discrimen inter Personam & Essentiam.

Quomodo

Quomodo discernuntur?

PATER æternus est prima persona diuinitatis, non nata, nec aliunde procedens, Sed quæ ab æterno genuit Filium, imaginem suam, & à qua procedit Spiritus sanctus, & quæ cum Filio & Spiritu sancto omnes alias res creauit, & earum substantias conseruat.

Quid nominas Creare?

CREARE est ex nihilo aliud facere, sicut Deus cœlum & terram, angelos & totam hanc mundi machinam dicendo fecit ex nihilo, non ex aliqua præcedenti æterna materia, ut multi Philosophi cogitauerunt. *Deus dicendo creat ex nihilo.*

GIGNERE est alium de sua essentia gignere.

FILIVS æternus est secunda persona diuinitatis, quæ est substantialis & integra imago æterni Patris, quam Pater sese intuens & considerans ab æterno gignit, quæ nobis quidem sic manifestatur, quòd sit persona, per quam Pater dicit decretum & totum ordinem creationis & reparationis hominum, & mittitur ut patefaciat Euangelium, & assumat humanam naturam, & sit Mediator, Redemtor, Iustificator & Saluator.

SPIRITVS sanctus est tertia persona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, & est substantialis amor & lætitia coæterna, inter Patrem & Filium. Et nobis sic manifestata est, quòd mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem & lætitiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse. Sicut 2. Timoth. 1. expressè scriptum est: Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei & castificationis. *Spiritus S. tales motus in cordibus accendit qualis ipse est.*

Quid differunt Nasci & Procedere?

NASCI est à potentia cognoscente. Quia genitum est imago gignentis. Vt autem in hominibus potentia cognoscens format imagines & loquitur: Sic Filius est æterni patris imago, cogitatione genita, & est λόγος ostendens eum in reuelatione Euangelij. PROCEDERE autem est à uoluntate, quia Spiritus sanctus est motor, seu agitator. *Procedere.*

Quare Filius nominatur λόγος?

Non solùm quia cogitatione nascitur, sed etiam quia est persona proferens Euangelium ex sinu æterni Patris, & conseruans ministerium Euangelij, & efficax in his qui credunt Euangelio, & uoce Euangelij dicens consolationem in cordibus eorum, & uiuificans eos, sicut inquit: Ego uitam æternam do eis, & ostendens Patrem, & effundens Spiritum sanctum in corda eorum. Etsi enim fit uiuificatio per omnes personas, tamen hoc ordine fit: Filius qui colligit Ecclesiam immediatè uoce Euangelij mouet corda, & monstrat Patrem, & dat Spiritum sanctum. Ideò dicit Athanasius: Quandocunq; dicitur in homine esse Spiritus sanctus, est ibi per VERBVM. Considerandum est igitur, Filium dici λόγον, & respectu Patris, & respectu nostri, quia est λόγος, per quem Pater se nobis patefecit: Ideò in Iohanne dicitur: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et Dominus ipse respondet interrogantibus, quis sit, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, id est, ego sum uerbum, quod loquor uobis initiò, sum illa persona, initiò loquens uobiscum, proferens Euangelium ex sinu æterni Patris. Item: Nemo nouit Filium, nisi Pater, & nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui Filius uolet reuelare. *Viuificatio quo fiat ordine.* *Filius dicitur λόγος & Patris & nostri respectu.*

De vocabulo Spiritus.

Vocabulum SPIRITVS significat agitationem seu agitatorem.

Spiritus sanctus est uelut flamma.

Nam Spiritus sanctus est persona sic nobis patefacta, quōd sit uelut flamma, immediatē tales motus accendēs in corde, qualis ipse est. Sicut Ro:14. dicitur: Regnum Dei est iusticia & pax, & gaudium per Spiritum sanctum. Et ad Timotheum dicitur: Spiritus roboris, dilectionis & castificationis. Vt autem hęc uocabula aliquantò melius intelligantur, intueamur imaginem Dei in homine, in quo sunt tria hæc præcipua, Mens seu substantia animæ. Deinde cogitatio, quæ est imago rerum quæ cogitantur. Et uerbum & cogitationem sequuntur in uoluntate & corde motus seu agitationes, ut dicitur: Ignoti nulla cupido. Sed cogitationes & agitationes in hominib. sunt res euanescentes. At ā Patre æterno est Filius, qui est substantialis imago, nata cogitatione, & est ὑφιστάμενον, id est, quiddam subsistens, non est quiddam fugax. Cum cogitatione est & agitatio & lætitia, quæ etiam est ὑφισαμένη.

Imago Dei representata in homine.

Quæ Persona assumsit humanam naturam?

FILIVS, qui est coæterna imago æterni Patris, & nominatur λόγος ā Iohannne, assumsit humanam naturam in Maria uirgine matre, ut Iohannis 1. dicitur: Et uerbum caro factum est. Talis est aūt assumtio, ut huic personæ soli, quæ est λόγος, hæc massa humanæ naturæ assumta, sit unita unione hypostatica, id est, ut sit unum ὑφιστάμενον, λόγος sustentans hanc massam, & ipsa massa naturæ humanæ. Non enim conuersa est una natura in aliam, sed personæ quæ est λόγος, unita est massa naturæ humanæ assumta. Ac ad declarationem prodest considerare quatuor gradus præsentiæ Dei.

Vnitio, nō Physica confusio naturarum est in Christo.

Quatuor gradus præsentiæ Dei.

I. Primus est præsentia uniuersalis, quæ est præsentia conseruationis, qua Deus omnib. creaturis adest, ita ut conseruet eas tantisper, donec uult eas conseruare, de quo gradu dicitur Ierem. 23. Non ne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Item: Enter, præsenter, Deus hic & ubiq; potenter. Iuxta hunc gradum etiam malis adest. Et manifestum est, Deum sic separabiliter rebus adesse, quia destruit naturas quas uult destruere, ut Pharaonem, & maximam partem generis humani in diluuio.

II. Secundus gradus est, quo adest beatis Angelis & hominibus, & conseruat non tantùm uitam eorum, sed etiam uiuificat eos uita æterna, & implet eos sua luce & iusticia, & uisibiliter & immediatē conspicitur ab eis, & quamquām non discedit ab eis, tamen adest eis tantùm societate.

III. Tertius gradus est, quo adest in hac uita renatis, ut Dauidi, quo uidelicet non tantùm uitam eorum conseruat, sed etiam efficit in eis motus sibi placentes, & tamen non conspicitur uisibiliter, ut in uita æterna conspicietur, & adest separabiliter.

IIII. Quartus gradus longē alius est, quo sola hæc persona λόγος assumit humanam naturam, non solùm inseparabiliter, sed etiam tali ratione, ut sit unum ὑφισάμενον. Et sicut hæc persona λόγος æterna est, ita postea impossibile est, hanc massam λόγῳ insertam non simul manere. Ac sit notissimum dictum Damasceni omnibus: NATVRAM HVMANAM QVAM SEMEL ASSVMSIT λογος, NVNQVAM DESERIT.

λόγος & natura adsumta unum sunt ὑφισάμενον.

Damascenus.

Etsi autem exemplum huius unionis nullum est in creaturis, quod prorsus congruat, tamen uetustas, ut aliquo modo declararet unionem personalem, monstrauit hominem. Sicut anima hominis & corpus sunt unum ὑφισάμενον completum, & corpus dissoluitur destertum ab anima: Ita λόγος & assumta natura

Imago unionis duarum naturarum in Christo sumta ab homine.

tura sunt unum ὑποστάμενον, & redigeretur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur & sustentaretur ā λόγῳ. De hoc exemplo inquit Iustinus: τίνες μὲν τῶν ἑνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ μὴ καὶ πάντα, καὶ τὶ γὰρ.

De discrimine Idiomatum.

Discernendæ sunt appellationes, quæ significant proprietates naturarum, & appellationes officij. Vt, propria sunt humanæ naturæ, pati, uulnerari, mori. Propria autem Diuinæ naturæ sunt, esse omnipotentem, esse immortalem. Sed nomina officij sunt, Mediator, Redemtor, Saluator, Sacerdos, Rex, Pastor. Hæc nomina officij competunt personæ, non tantūm humanæ naturæ. Quanquām aūt actiones quædam sunt in natura humana propriæ, ut dolores omnes & agones in passione, tamen missio Filij fit ab initio Ecclesię. Filius perpetuò adest Ecclesiæ, patefacit promissionem, colligit & seruat Ecclesiam, & uult illam suam obedientiam, est intercessor, propiciator & Saluator, propter illam futuram obedientiam, quæ est personæ, postquām assumsit naturam humanam. Nec missio & obedientia tollunt æqualitatem potentiæ, sicut expressē inquit Cyrillus.

Proprietates naturarum.

Nomina officij, quæ competūt toti personæ.

Filius ab initio adest Ecclesiæ propter futuram illam obedientiam.

Hinc modi loquendi considerentur. Verissima est propositio: Natura diuina non uulneratur, non moritur. Et rursus uerissimæ sunt propositiones, cūm de Christo loquimur: Christus est uulneratus, Deus est uulneratus, Deus est mortuus.

Modi loquendi de filio Dei.

Quæ est ratio diuersitatis?

Respondeo. Propositio in Abstracto significat naturam secundum se consideratam, ideō necesse est dici: Natura diuina non moritur. Propositio in Concreto significat personam, seu subsistens seu ὑποστάμενον, ut, Deus est homo. Christus est mortuus. Deus est uulneratus. Deus est mortuus. Hæ propositiones ueræ sunt communicatione Idiomatum.

Abstractum.

Concretum.

Est autem Communicatio Idiomatum prædicatio, in qua proprietas uni naturæ conueniens, tribuitur personæ in Concreto, quia hæ duæ naturæ, λόγος, & natura assumta, sunt unum ὑποστάμενον.

Communicatio Idiomatū.

Argumentum.

Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa,
Saluatio hominis est opus ad extra,
Ergo non aliter fit per Filium quàm per Patrem & Spiritum sanctum.

Respondeo. Vera est hæc Regula: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, Sed seruata cuiusq; personæ proprietate. Filius & Spiritus sanctus mittuntur. Pater non mittitur. Et æternus Pater est efficax, sed per Filium & Spiritum sanctum. Filius immediatē profert Euangelium ex sinu æterni Patris, & ostendit uoluntatem æterni Patris, & sanctificatur Ecclesia dato per eum Spiritu sancto. Sic dicitur Iohan: 1. Omnia per ipsum facta sunt. Et 1. Corinth: 15. Deo gratia, danti nobis uictoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et sic dictum est: Filius agit per se, sed non ā se.

Seruantur proprietates personarum in saluatione hominis.

Quod est discrimen ueræ inuocationis in Ecclesia, & aliarum impiarum inuocationum?

Respondeo. Duæ sunt præcipuæ differentiæ, Altera de Essentia Dei,

Ethnici cùm inuocant errant de Essentia & uoluntate Dei.

Altera de uoluntate. Ethnici & alij impij negant hunc esse Deum, qui se patefecit misso Filio, æternum Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Aberrant igitur Ethnici à uero DEO, & alloquuntur aliud quiddam commentitium, quod non est uerus & patefactus Deus. Ideò scriptum est: Vos nescitis quid inuocetis. Deinde ignorant promissiones & Mediatorem. Ideò manent in perpetua dubitatione, & ignorant, an & quare exaudiantur. Inuocatio uerò sine fide, & oppressa dubitatione, inanis est, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt, si non credunt? Romanos 10.

Ecclesia alloquitur Deum patefactum in tribus personis.

Ecclesia uerò alloquitur uerum Deum, patefactum illustribus testimonijs, & agnoscit eum sicut se patefecit. Scit etiam promissiones, & agnoscit Mediatorem, & scit Deum uelle inuocari & exaudiri fiducia mediatoris, sicut ipse Dominus inquit: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Assuefaciamus igitur nos, ut in inuocatione mens cogitet patefactiones Dei, & alloquatur hunc uerum Deum, qui se patefecit misso Filio, Et simul tres personas intueatur, & fiducia Mediatoris petat gratiam & alia beneficia.

Quid est Lex Moralis?

LEX MORALIS est æterna & immota sapientia, & regula iusticiæ in Deo, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens contumacibus, seu denuncians horrendam iram aduersus contumaciam, repugnantem huic ordini in Deo, & patefacta est hominibus in creatione, & postea sæpè repetita, & declarata uoce diuina, ut sciamus quòd sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulans, ut omnes sint conformes Deo, & damnans ac destruens omnes non conformes Deo, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium Mediatorem. Huius legis summa comprehensa est in Decalogo, quare nomine Decalogi sæpè utimur pro lege Morali, ut quasi monstremus præcipua capita. Etsi autem nullius creaturæ sapientia penitus intelligere Decalogum potest, tamen immutabile mandatum Dei est, ut eum discamus & consideremus, & intelligamus iuxta enarrationes Christi, Prophetarum & Apostolorum. Ac inde usq; ab Adam repetiuit Deus & conseruauit in Ecclesia uocem huius Legis, & uult eam semper doceri, & illustribus exemplis pœnarum in atrocibus delictis per omnia tempora ostendit, hanc Legem esse ordinem diuinæ sapientiæ & iusticiæ.

Nomine Decalogi utimur pro Lege Morali.

Lex Moralis semper fuit et est in Ecclesia.

Leges Mosaicæ Forenses & Ceremoniales, quæ fuerunt traditæ tantùm ad illius politię Mosaicæ constitutionem, & tandem deleta politia Mosaica extinctæ sunt, discernantur ab æterna Lege, quæ Moralis nominatur. Sunt autem Ceremoniales Leges, quæ externos gestus ordinant in Sacrificijs, & loca, tempora & personas distinguunt, & alia quædam exercitia externa describunt, ut sint signa & distinctiones politiæ Mosaicæ ab alijs gentibus.

Lex Ceremonialis.

Lex Forensis.

Leges Forenses sunt Leges de externa defensione disciplinæ, iuxta totum Decalogum, de Magistratibus, de pœnis Blasphemiæ & periurij, seditionis, homicidij, adulterij, de distinctione facultatum uel dominiorum, de hæreditatum distributione, de pœnis furtorum, de ordine iudiciorum. Quia etiamsi Deus ipse est autor & custos ordinis politici, tamen homines uult esse organa gubernationis, & uult conspici in pœnis discrimen rectè & non rectè factorum, & uult agnosci, Deum esse sapientem, iustum, castum & uindicem scelerum, & uult conseruari humanam societatem, & propter has causas deleri contumaces contra suam Legem.

Quomodo

Quomodo intelligenda est abrogatio Legis Mosaicæ?

A iustificatione omnes partes legis Moysi remouentur.

Respondeo. Quod ad iustificationem attinet, eodem modo de omnibus partibus Legis Moysi sentiendum est, uidelicet quòd non mereantur remissionem peccatorum, & quòd persona non sit iusta, id est, accepta Deo ad uitam æternam, propter opera Legis Moralis, & alia. Item quòd hæc nostra obedientia, quam utcunq; præstat homo in hac uita, non sit iusticia æterna, seu integra Legis impletio. Ideò Paulus inquit de omnibus partibus Legis Moysi Roman: 3. Ex operibus Legis non iustificabitur omnis homo.

II. Responsio.

Quo ad obedientiam Lex Moralis manet.

Sed quòd ad obedientiam attinet, differentia est, quia Leges Forenses & Ceremoniales sic sunt abolitæ, ut prorsus omitti possint, & sint extinctæ. Verùm Lex Moralis cùm sit in Deo sapientia, & norma iusticiæ æterna, & patefacta sit hominibus, ut homo sit conformis Deo, non potest extingui, sed manet ordo diuinus, ut homo iterum fiat conformis Deo, sicut Rom: 3. dicitur: Per Fidem stabilimus Legem. Item Rom: 8. Vt ius Legis in nobis impleatur.

Quare Leges Ceremoniales & Forenses prorsus omitti possunt?

Respondeo, Quia tantùm promulgatæ sunt, ut durarent ad certum tempus, donec mansura erat politia Mosaica, quæ constituta est hoc consilio, ut esset certus locus, & certa stirps, in qua nasceretur, doceret, ederet testimonia, offerret sacrificium, & resuscitaretur Messias. Et hanc gentem uoluit Deus conspici, & segregari ab alijs gentibus, ideò attribuit ei certos ritus. Prædixit autem Deus postea eam politiam interituram esse. Ac anni sunt ab exitu Israelitarum ex Aegypto, usq; ad destructionem postremã Ierosolymæ 1582. Ac simul cum politia Mosaica extinctæ sunt leges Ceremoniales & Iudiciales, quia hæ reipsa fuerunt nerui huius politiæ, seu potius ipsa politia, ac nequaquàm obligant alias gentes, ut ex Actis Apostolorum capite 15. & Epistola ad Galatas manifestum est.

Anni ab exitu ex Ægypto usq; ad destructionem Ierosolymorum.

Cùm igitur Lex Moralis non possit deleri, quis est eius usus?

I.

Tres sunt usus. Primus est pædagogicus seu politicus, ad omnes homines pertinens, etiam non renatos & Ethnicos, quòd uidelicet obligat omnes, ut regant externa membra seu Locomotiuam, ut externa facta congruant cum Lege Morali, & sancit pœnas etiam corporales in hac uita aduersus eos, qui admittunt externa delicta, quas Deus uel per Magistratus, uel alijs modis summit de sontibus. De hoc usu dicitur: Lex est posita iniustis, id est, premens eos, coërcens uel puniens ac destruens contumaces. Huc pertinent hę Regulæ: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Væ qui spolias, quia spoliaberis, Quibus dictis confirmatur regula: Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis in hac uita, quia Deus est custos suæ iusticiæ seu Legis. Etiam in uita politica uult seruari normam suæ iusticiæ, & non seruantes horribiliter destruit. Id exempla quotidiana ostendũt. Sunt igitur & ex doctrina primorum Patrum, & ex experientia traditæ sententiæ legales etiam apud Ethnicos.

Lex est posita, iniustis, i. punit ac destruit

Cernit Deus omnia vindex.

Οἷα τ' ἀνὴρ ἔρξῃ τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει. Et similes innumerabiles.
Ἐντὶ μὴν ἀνατῶν φρένες ὠκύτεραι

κέρδος

κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκης δόλιον,
ξαχθαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίσδαν δ' ὅμως. Item:
βέβαιον ἕξεις τὸν βίον δίκαιος ὤν.

Et quia talis est præsentia Dei in toto genere humano scelera puniens, ideò Aristoteles inquit, in his uersibus Empedoclis descriptum esse Ius naturæ, in quibus dicitur, Primum Ius, id est, ordinem diuinum, seu Deum ipsum ordinantem & uindicem adesse in tota natura.

De iure naturæ uersus Empedoclis citati ab Aristotele.

Ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιμον διὰ τ' εὐρυμέδοντος,
Αἰθέρος ἠνεκέως τέταται κοὐ ἀπλέτου αὐγῆς.

II. Secundus usus Legis est iudicium uniuersale, accusans omnia peccata in hominibus, interiora & exteriora, & totam deprauationem, iuxta dicta: Deus est ignis consumens. Item: Vt totus mundus reus sit Deo. Item: Per Legem cognitio peccati. Item: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex est. Huius iudicij in contritione aliqua initia sentire oportet, ubi discimus, Lege non iustificari homines, sed accusari, iuxta dictum: Lex iram efficit.

III. Tertius usus est in renatis, docere qui cultus placeant Deo, quia etsi humana ratio scit aliquo modo discrimen honestorum & turpium, tamen necesse est, habere testimonium Dei expressum, quæ opera ipsi placeant, iuxta dictum Ezechielis 20. In præceptis meis ambulate. Item in Psalmo, Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Nec cessat in tota æternitate hic ordo, ut creatura rationalis sit subiecta Deo creatori, & sit ei conformis. Item, semper in renatis in hac uita crescere pœnitentiam oportet, ideò semper arguit Lex reliquias peccati. Quare semper in Ecclesia Deus conseruauit & repetiuit uocem Legis, & simul docuit in Euangelio, quomodo placeat incoata obedientia. Est autem singulare testimonium, ostendens solius Ecclesiæ doctrinam ueram & diuinam esse, & solam Ecclesiam esse cœtum Deo placentem, quòd tantùm in ea semper mansit & manet incorrupta uox Legis, quia uult Deus in Ecclesia restare iudicium aduersus peccata, deinde & doctrinam, quæ opera ei placeant: Item, ideò renouamur, ut in tota æternitate sit in nobis conformitas cum Deo, sicut in Lege Morali describitur, ut Rom: 8. dicitur, Vt ius Legis in nobis impleatur. Ex his omnib. intelligi potest, quare dictum sit: Non ueni soluere Legem, sed implere. Sicut in tota æternitate manet eadem & immutabilis sapientia & rectitudo uoluntatis in Deo, sic manet Lex Moralis, quæ nobis patefacta est, ut sciamus, quòd sit Deus, & qualis sit. Implet autem Christus Legem quatuor modis.

Ordo immotus est, ut creatura rationalis Deo obediat.

Vox Legis incorrupta signũ est ueræ Ecclesiæ.

Quot modis Christus impleat Legem.

I. Primùm, Sua propria obedientia.
II. Secundò, Deriuando in se pœnam.
III. Tertiò, Restituendo in nobis iustitiam & uitam æternam.
IIII. Quartò, Sanciendo sicut dicit: Non ueni soluere Legem, &c.

Quid est Peccatum?

Definitio breuis extat in Epistola Iohannis: Peccatum est quidquid est contra Legem Dei. Ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Hæc breuis definitio dextrè intelligatur, uidelicet non tantùm de actionibus, sed etiam de interioribus defectibus, de caligine & dubitationibus in mente, de auersione uoluntatis & cordis à Deo, de tristissima desertione, quòd non lucet in homine Sol iustitiæ Filius Dei, ostendens Patrem, & accendens corda Spiritu sancto. Intelligatur & reatus in definitione, quòd uidelicet homo propter peccatum reus sit æternæ iræ Dei, & pœnæ,

Peccati definitio in Iohanne de quibus rebus intelligatur.

& pœnę, nisi fiat remissio propter Mediatorem. Nam & hic reatus in Lege includitur, iuxta dictum: Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in Lege. Et lex esset inanis sonitus, nisi horribilium pœnarum comminatio addita esset, quę ordine diuinitus sancito sequuntur nisi quantum fit mitigatio diuinitus, propter Mediatorem.

Reatus includitur in Lege.

Consideranda est igitur explicatio in definitione apud Ioannem. Nostra definitio expresse eadem continet. Peccatum est defectus, uel inclinatio, uel actio contra Legem Dei, offendens Deum, & commerens iram æternam, nisi fiat remissio propter Filium Mediatorem.

Quæ sunt diuisiones Peccati?

Prima est, Peccatum aliud nominatur Originale, aliud Actuale. PECCATVM ORIGINALE est reatus propter Adæ lapsum, & propter priuationem lucis diuinæ, & firmæ agnitionis Dei in mentibus hominum, & propter auersionem uoluntatis à Deo, & propter contumaciam cordis, quę mala sequuta sunt lapsum Adæ in natura hominum, & sunt inimicitiæ aduersus Deum, & damnata à Deo.

Peccatum Originale quid.

Descriptio circumfertur in Ecclesia, sumta ab Anshelmo: Peccatum Originale est carentia iusticiæ originalis debitæ inesse hominibus. Hæc descriptio reipsa congruit cum nostra. Sed uocabula rectè interpretanda sunt. Iusticia originalis significat & acceptationem & rectitudinem, quæ fuit ante lapsum, uidelicet lucem & firmam agnitionem Dei in mente hominis, & congruentiam uoluntatis & cordis cum Deo, qui in hominibus uelut in templo suo habitasset, & suam sapientiam, iusticiam, & læticiam eis communicasset, si non essent lapsi. Hæc omnia significantur in hac descriptione Anshelmi nomine Iusticiæ. Ergo nomine peccati originalis contraria mala significantur, scilicet & reatus & caligo in mente, & in uoluntate auersio à Deo, & in corde contumacia contra Legem Dei, & non esse templum Dei. Hæc mala sic descripsit Hugo: Peccatum originale est ignorantia de Deo in mente, & inobedientia in uoluntate & corde. Alij uno nomine hęc mala omnia nominarunt malam concupiscentiam, quia Paulus sic loquitur, Rom: 7.

Definitio Anshelmi.

Interpretatio definitionis Anshelmi.

ACTVALE est omnis actio pugnans cum Lege, tum in mente, ut dubitationes de Deo, tum in uoluntate & corde, ut incendia malorum adfectuum, tum in membris externis, ut externæ actiones pugnantes cum Lege Dei.

Peccatū Actuale quid.

Alia diuisio.

Peccatum aliud est Regnans, seu Mortale, Aliud est non regnans, quod usitatè nominatur Veniale.

REGNANTIA peccata, seu Mortalia dicuntur omnia peccata in non renatis, originale & actualia, interiora & exteriora, quæ ideō dicuntur Mortalia, quia non renatus propter illa omnia reus est iræ Dei, & pœnæ æternæ, id est, ordinatus ad pœnam æternam, sicut Ioan: 3. dicitur: Qui non credit Filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum. Rursus peccatum regnans seu Mortale est, cùm is, qui fuerat renatus, assentitur errori in fundamento, aut labitur contra conscientiam. Tunc enim amittit gratiam, Spiritum sanctum & fidem, Sicut Adam & Eua, Aaron assentiens facientibus Idolum, Dauid rapiens alterius coniugem, contristant & excutiunt Spiritum sanctum propter talia delicta, & rursus fiunt rei æternæ pœnæ. Posse, n, sic labi renatos perspicuum

Peccatum regnans seu mortale.

Sanctos interdum labi.

perſpicuum eſt ex cap. Matthæi 12. & 2. Petri 2. Aliqui uerò redeunt ad pœnitentiam, & ſalui fiunt. Multi non redeunt ad pœnitentiam, & pereunt, ut poſtea dicemus.

Peccatum non regnans ſeu ueniale.

PECCATVM non regnans quod nominatur Veniale, id eſt, propter quod non amittuntur gratia, Spiritus ſanctus & Fides, eſt in renatis in hac uita malum originis, & dubitationes & incendia malorum adfectuum, quibus tamen repugnant renati, ne ruant contra conſcientiam, & dolent propter has ſordes, & credunt ſe propter Mediatorem Deo placere, tegi has ſordes, & gratiam exuberare ſupra peccatum.

Vnde ſumta eſt hæc diſtinctio?

Reſpondeo. Certum eſt hanc eſſe perpetuam doctrinam ueræ Eccleſiæ, & illuſtria teſtimonia in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis extant. Rom. 8. expreſſè ponitur hæc diſtinctio: Si ſecundum carnem uiuetis, moriemini, Sin autem actiones carnis Spiritu mortificabitis, uiuetis. Item 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam. Item Gal. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, Qui talia faciunt, regnum Dei non poſſidebunt. 1. Corinth: 6. Ne erretis, adulteri, homicidæ, idolatræ, regnum Dei non poſſidebunt. Item, 1. Iohannis 3. Qui facit peccatum ex Diabolo eſt.

QVOMODO DOCENDI SVNT HOMINES DE LIBERTATE VOLVNTATIS HVMANÆ.

Reſpondeo. Cùm fit mentio Liberi arbitrij, non miſceantur Stoica deliramenta de Neceſſitate omnium actionum in omnibus Elementis, in pecudibus & hominibus, bonis & malis: Sed tantùm nos ipſos aſpiciamus, & conſideremus, quomodo Legi DEI obedire homines aut non obedire poſſint. Semper hæc ſimplex & uera diſtinctio teneatur, diſciplinæ externæ & iuſticiæ Spiritualis.

Diſtinctio inter diſciplinã, externam & iuſticiam ſpiritualem.

Primùm igitur de diſciplina externa hoc ſciatur, omnes homines, etiam non renatos, habere hanc libertatem, id eſt, facultatem, ut aliquo modo poſſint regere locomotiuam, & facere externa opera congruentia cum Lege Dei. Nam Paulus nominat quandam iuſticiam carnis, id eſt, quam homo non renatus facit, quæ eſt externa honeſta diſciplina, id eſt, gubernatio externorum operum iuxta Legem Dei. Vult enim Deus hac libertatem reliquam eſſe in homine, ut intelligatur diſcrimen inter agens liberum, & inter agentia non liberè: Sicut ignis non poteſt non urere admota corpora. Item, ut ſciamus ipſum Deum eſſe agens liberrimum. Item, ut poſſit in ſocietate humana gubernatio aliqua eſſe externorum membrorum. Ac nequaquàm uult Deus prorſus inutilem eſſe uocem Legum in ciuili gubernatione ſeu pædagogia, Ideò inquit Paulus: Lex pædagogus eſt, ſcilicet docens & coërcens membra.

Quare Deus uelit eſſe reliquam libertatem rectionis locomotiuæ.

Secundò ſciendum eſt, homines ſine Euangelio, & ſine Spiritu ſancto, nec poſſe incoare interiorem obedientiam, præceptam in Lege Dei, uidelicet uerum timorem Dei, ueram fidem, inuocationem & dilectionem Dei, iuxta hęc dicta Rom. 8. Qui ducuntur ſpiritu Dei, hi ſunt filij Dei. Item: Si quis Spiritum Chriſti non habet, non eſt ipſius. Item: Sine me nihil poteſtis facere. Sit igitur notum diſcrimen inter externam diſciplinam & inter motus interiores, qui fiunt quotieſcunq; filius Dei uoce Euangelij conſolatur corda, & Spiritu ſancto

Motus interiores quomodo fiant.

ritu ſancto accendit fidem & inuocationem Dei,& alios motus ſpirituales, de quibus dicitur: Accepiſtis Spiritum clamantem Abba pater,id eſt,confugientem ad Deum fiducia Filij, & in ueris pauoribus mouentem corda, ut acquieſcant in Deo,propter Mediatorem.

Et manifeſtiſſimum eſt,non poſſe deponi uiribus naturalibus ἀταξίαν, quę nobiſcum naſcitur, quæ nominatur Mala concupiſcentia, & Mortem. Nec poſſe hominem perfectè ſatisfacere Legi Dei. Dictum eſt igitur Rom.8. Impoſſibile erat Lege iuſtificari. Item: Senſus carnis Legi Dei non ſubditur,nec poteſt ei ſubdi. Propter hæc teſtimonia perſpicua, ſciamus falſam & impiam eſſe opinionem Pelagianorum, quam ſequuti ſunt Monachi, qui docuerunt, homines poſſe Legi Dei ſatisfacere uiribus naturalibus, mereri remiſſionem peccatorum,& eſſe iuſtos Legis impletione. *Refutatur dogma Pelagianorum.*

Rurſus etiam errores Manichæorum & Enthuſiaſtarum fugiendi ſunt. Manichæi fingunt, alios homines ortos eſſe ā bono Deo, qui neceſſariò beneſaciunt:alios ā malo Deo, qui non poſſint conuerti ad Deum. Enthuſiaſtæ, Anabaptiſtæ, & Stenckfeldiani fingunt, expectandos eſſe uiolentos raptus, qui hominem etiam repugnantem conuertant. Has portentoſas opiniones fugiamus,& conſideremus ordinem ā Deo ſancitum: Fides ex auditu eſt,auditus per uerbum Dei &c. *Error Manichæorum.* *Error Enthuſiaſtarum.*

Colligit Deus æternam Eccleſiam uoce Euangelij, & non aliter, arguit peccatum, & uult nos expaueſcere, non perſeuerare in delictis contra conſcientiam. Tradidit etiam promiſſionem gratiæ,cui uult nos aſſentiri,& non indulgere confidentiæ, ſed luctari cum imbecillitate noſtra, & ſimul petere auxilium Spiritus ſancti, quem promiſit ijs, qui ſe fide ſuſtentant, ſicut dicitur, Gal. 3. Vt promiſſio Spiritus ſancti detur credentibus. Item: Quantō magis Pater ueſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? quaſi dicat,non repugnantibus. Item:Petite & accipietis. Item:Conuerte me,& conuertar. Huc pertinent hæc dicta: Trahit Deus,ſed uolentes trahit. Item:Gratia præeunte,comitante uoluntate.

Concurrunt igitur in conuerſione hæ cauſæ, uerbum Dei, Spiritus ſanctus,quem Pater & Filius mittunt, ut accendat noſtra corda, & noſtra uoluntas adſentiens,& non repugnans uerbo Dei. Ac ne indulgeamus diffidentiæ, conſiderandum eſt,utramq; concionem uniuerſalem eſſe, concionem pœnitentiæ,& promiſſionem gratiæ, ſicut in Eſaia expreſſè dicitur, capit. 53. Omnes nos quaſi oues errauimus, unuſquiſq; in uiam ſuam declinauit, & poſuit Deus in eo iniquitates omnium noſtrum. Et de accuſatione uniuerſali paſſim obuia ſunt teſtimonia: Omnis caro fœnum. Item: Rom. 3. Vt omne os obturetur, & reus ſit totus mundus Deo. Rurſus & promiſſiones uniuerſales in conſpectu ſint: Concluſit Deus omnes ſub peccatum, ut omnium miſereatur. Item: Omnis qui inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit. Item: Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis,& ego reficiam uos. Item: Apud Deum non eſt προσωποληψία. Hæ ueræ & dulciſſimæ conſolationes ſemper in conſpectu ſint,nec ponantur in Deo contradictoriæ uoluntates. Vult nos Deus credere Filio,& promittit gratiam omnibus confugientibus ad Filium, & petentibus auxilium,ſicut Pſalm: inquit: Beati omnes qui confidunt in eum. Non igitur repugnemus,ſed aſſentiamur promiſſioni, & hanc precationem adſiduē repetamus: Credo Domine,ſed opem fer meę imbecillitati. *Quæ cauſæ in conuerſione hominis concurrant.* *Vtraq; concio & pœnitentiæ & promiſſionis uniuerſalis eſt.* *In Deo nō ſunt contradictoriæ uoluntates.*

DE IVSTIFICATIONE.

Quid significat vocabulum Iusticia?

SEmper in hac doctrina initiō consideretur,& quid uocabula significent, Iusticia,Gratia,Fides,& discernatur iusticia carnis à iusticia fidei.

Iusticia carnis quid. Est autem Iusticia carnis obedientia externa,iuxta omnia mandata Dei, quam homo etiam in hac imbecillitate naturalibus uiribus utcunq; efficere

Gubernatio locomotiuæ. potest.Est aūt hæc obedientia gubernatio locomotiuæ,id est,externorū gestuum,quæ fit cogitatione mentis & actione uoluntatis,ciente aut reprimente or-

Litera. gana locomotiuæ. Nominatur autē Litera, id est, pictura, quasi illita cerebro

Foliū fici. cogitatione, quia non est lux intuens Deum,nec est incendium & uita in corde,sicut folium fici tegebat externam deformitatem in Adam, non tollebat eam. Quanquàm autem hæc diligentia rationis in regenda disciplina externa non meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia coram Deo, nec est impletio Legis, tamen seueriſſimē præcipit Deus, ut hanc disciplinam præstemus,& in hac mortali uita punit atrocibus pœnis atrocem uiolationem disciplinæ,& nisi fiat conuersio ad Deum,punit eam æternis pœnis.

Causæ propter quas præstetur externa disciplina. Sciamus autem quatuor esse causas, propter quas omnes, etiam non renati, debent præstare disciplinam.

I. Prima est,Mandatum Dei,quia omnes creaturæ rationales Deo obedientiam debent.

II. Secunda, Necessitas uitandi atroces pœnas, iuxta dicta: Qui gladium acceperit,gladio peribit. Væ qui spolias, quia spoliaberis. Leuit. 18. de incestis: Omnis anima quæ fecerit has abominationes,euometur ex terra. Item:

Vsus pœnarū. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Sanxit autem has pœnas Deus, & exercet,ut hæc tristia spectacula commonefaciant nos de discrimine honestorum & turpium,& ut sciamus esse Deum, & esse sapientem,castum, & uindicem scelerum, deinde ut conseruetur societas generis humani.

III. Tertia causa est, Necessitas non turbandi alios,quia homo non uiuit sibi tantùm,sed etiam ut adiuuet communem conseruationem,iuxta dictum: Diligas proximum sicut te ipsum.

IIII. Quarta, Vt disciplina sit pædagogia in Christum,id est,quia Deus non est efficax in his,qui scientes perseuerant in sceleribus contra conscientiam.

Dixi autem hanc Iusticiam carnis nequaquàm esse integram obedientiam Legi debitam,sed esse frenum externorum gestuum. Interea tamen in mente caligo est de Deo, plena dubitationum, & corda sunt sine uero timore Dei,sine fiducia,& sine dilectione Dei,& magna incendia sunt malorum affe-

Iusticia carnis discernenda est ab integra obedientia. ctuum. Ideō discernenda est Iusticia carnis,ab integra obedientia,qualis fuisset in natura integra,& qualis erit, cùm Deus erit omnia in omnibus. Illa integra obedientia seu conformitas cum Deo nominatur Iusticia. Galat. 5. Nos enim spiritu ex Fide spem iusticiæ expectamus, ubi Iusticia de integra nouitate dicitur. Sed interea sæpē etiam in renatis Nouitas & bona opera renato-

Bona opera renatorum etiam dicuntur Iusticia. rum dicuntur Iusticia. Quanquām enim nouitas in hac mortali uita non est integra,tamen placet propter Mediatorem,ut postea dicetur. Sic Mat: 5. Nisi abundauerit uestra iusticia,plus quàm Scribarum & Phariseorum. Et Rom. 6. Præbete membra uestra serua iusticiæ in sanctificationem. 1. Iohan. 3. Qui facit iusticiam iustus est. Et in Psalmo, Feci iudicium & iusticiam. Hæ formæ loquendi congruunt ad Legem. Ac prudenter discernenda sunt dicta propria Le-

pria Legis,& alia propria Euangelij de reconciliatione propter Mediatorem, ut: Iustificati fide pacem habemus.

Definitio apud Clementem loquitur de nouitate, & simul complectitur uniuersalem & particularem iusticiam: Δικαιοσύνη ἔστι κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος, id est, iusticia est communicatio, qua Deus se nobis communicat, & est conseruatio ordinatæ æqualitatis. Prior pars loquitur de prima tabula, & de actionibus diuinis in renatis. Secunda de æqualitate,loquitur de actionibus ordinatis erga proximum. Hæc congruunt ad Legem,sed dextrè intelligenda sunt. Osiander ipsum Deum mouentem nos ad iusta facienda,nominat iusticiam. Hoc loquendi modo etiamsi quis uolet uti, tamen prius dicendum est de Iusticia imputata propter filium Dei, qua Deo propter Mediatorem credentes placent. Distinguenda est etiam causa, scilicet, Deus ipse, ab effectibus in nobis, & in infinitum anteferenda est obedientia filij Dei nouis actionibus, quæ fiunt in nobis.

Definitio Iusticiæ, quæ est apud Clementem.

Quid Osiandro sit Iusticia.

Causa ab effectibus discernenda.

Postquàm hæc legalia recitata sunt, nunc sciamus, quia iusticiam Legis integram, seu integram obedientiam, non habemus, ideò in promissionibus Gratiæ aliam iusticiam reuelari, scilicet imputatam propter filium Dei, quæ cùm fide accipitur, Filius Dei simul est efficax in cordibus credentium, uiuificat & donat Spiritum sanctum,ut Rom: 5. dicitur: Per ipsum habemus gratiam,& donum per gratiam.

IVSTICIA *imputata.*

Nomen Gratiæ certissimum est hic intelligi oportere reconciliationem gratuitam propter Filium promissam,Deinde donum,sanctificationem & restitutionem uitæ æternæ, quæ simul omnia nominat Daniel, Iusticiam sempiternam. Verum est autem,sanctificationem & restitutionem uitæ æternæ fieri filio Dei per Euangelium consolante nos, & dante Spiritum sanctum, & postea glorificante Ecclesiam post resuscitationem ex mortuis. Prorsus eodem modo loquitur Iohannes: Lex per Mosen data est, Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est, id est, Remissio peccatorum, & reconciliatio gratuita nobis propter obedientiam Filij donatur, & per eum fit ueritas, id est, uera & non euanescentia bona, sed æterna bona nobis donantur, id est, in hac uita fit incoatio uitæ æternæ & conformitatis cum Deo, quæ postea consummabitur,quia filius Dei incipit in nobis renouare imaginem Dei, cum suo uerbo nos assimilat per Spiritum sanctum, accendentem tales motus, qualis ipse est. Non enim ideò annunciatur remissio,ut maneant peccatum & mors,sed ut re ipsa aboleantur,& iusticia & uita æterna restituantur.

GRATIA *quid significet*

Quomodo fiat restitutio uitæ æternæ in nobis.

Cùm igitur de iustificatione peccatoris dicitur, necesse est semper primùm cogitare de remissione peccatorum, de reconciliatione iuxta promissionem. Quia etiamsi haberemus omnes Angelorum uirtutes, & non sciremus nos placere Deo,nullam consolationem haberemus.

In doctrina de Iustificatione primùm dicatur de remiss: peccat:

Ideò iuxta Paulum semper hoc modo definimus Iustificationem: Iustificatio est acceptio remissionis peccatorum, & reconciliationis, seu acceptationis gratuitæ propter Filium Dei,quæ cùm fide accipitur,uerissimum est simul filium Dei corda uiuificare, dicere consolationem in cordibus per Euangelium,& Spiritu sancto accendere tales motus,qualis est ipse,iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum. Quia igitur necesse est accipi remissionem peccatorum, & nouitas non est integra in hac uita, Paulus nominat imputationem iusticiæ reconciliationem, qua propter Mediatorem recipimur.

IVSTIFICATIO.

Quare Iusticia nostra nominetur imputatio.

Quis est vsus nominis Gratiæ?

Gratia apud Paulum in hac doctrina significat Ebræa phrasi misericordiam gratuitam, uidelicet remissionem peccatorum & reconciliationem, seu acceptationem gratuitam propter filium Dei, quæ cùm fide accipitur, simul Filius Dei uiuificat corda, & per Euangelium dicit consolationem in corde, & accendit Spiritu sancto tales motus, qualis ipse est. Sic nominat Paulus gratiam, & donum per gratiam, ut suprà dictum est.

Quis est vsus nominis Fidei?

Fides est fiducia.

Fides est assentiri omni uerbo Dei nobis tradito, atq; ita promissioni gratiæ, & est fiducia acquiescens in Deo propter filium, accedens ad Deum, & inuocans eum, & clamans Abba pater, quæ sentitur in credentibus, & in ueris pauoribus adfert consolationem & lætiam, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus.

Appellatio fidei complectitur omnes articulos.

Complectimur ergo appellatione fidei omnes articulos simul, & nominatim hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, & uitam æternam, qui sic intelligendus est in uera conuersione: Credo remissionem peccatorum non tantùm alijs dari, sed mihi quoq;. De hac fide, qua sibi unusquisq; in conuersione & consolatione promissionem applicat, loquitur Paulus Rom. 4. Ideò ex fide gratis, ut sit firma promissio. Promissio autē & cæteros articulos Symboli continet. Hæc plana & perspicua sunt in uera consolatione & inuocatione.

Aliud notìcia tantū historiæ, aliud Fides, quæ est adsensus & fiducia acquiescens in Deo.

Ac discrimen conspici necesse est, inter noticiam historiæ, qualis est in Diabolis & impijs, & hanc fidem, quæ simul & historiam nouit, & est adsensus, quo promissionem gratiæ amplectimur, & fiducia, qua agnoscentes promissionem, acquiescimus, & lætamur in Deo propter Filium.

Sint igitur in conspectu hæc duo dicta: Dæmones credunt & contremiscunt, id est, norunt historiam, & eò furiosius irascuntur, quia certò norunt Filium Dei iudicaturum esse, & prospiciunt suas pœnas, quibus in tota æternitate cruciabuntur. Promissionem uerò Gratiæ sciunt ad solos homines pertinere, iuxta dictum: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, &c. Hæc noticia in Diabolis in infinitum discernenda est ab hac fide, de qua dicitur: Iustificati fide pacem habemus, quæ est assentiri omnibus articulis symboli, & promissioni, & qua credis, tibi ipsi remitti peccata,

Proprietates fidei Ephes. 3.

cuius fidei proprietates dulcissimē recitantur Ephes. 3. cùm inquit, nos hac fide habere παῤῥησίαν & fiduciam accedendi ad Deum. Saul oppressus dubitatione horribili fremitu fugit Deum, optat se redigi in nihilum, sicut scriptum est, Lucæ 23. Dicent montibus, cadite super nos. Dauid autem audita consolatione, erigitur fide accedit ad Deum, & audet inuocare, sicut inquit: Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino, ā uigilia matutina

Cum fide filius Dei simul est efficax.

usq; ad noctem. Et hac fide simul ipse Filius Dei λόγος dicit consolationem in corde tuo, & uiuificat te, & extrahit te ex inferis, ac ostendit misericordiam Patris uoce Euangelij, & dat Spiritum sanctum lætificantem nos. Ideò inquit Paulus Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus nostris 1. Iohannis 4. In hoc scimus, quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quia ex spiritu suo dat nobis. Et Athanasius inquit: Vbicunq; dicitur Spiritus sanctus in aliquo esse,

Athanasius.

ibi est per Verbum.

Differt igitur fides, de qua dicitur: Iustificati fide pacem habemus, ā noticia, qua-

ticia,qualis est in Impijs, obiecto & causa efficiente. Quia uera fides intuetur promissionem,& accenditur per Filium Dei, qui Spiritu sancto cor lætificat, & ad inuocationem exuscitat. *Discrimen sumtũ ab obiecto & causa efficiente.*

Quomodo accipit homo remissionem peccatorum,& reconciliationem, seu iustificationem, & donationem Spiritus sancti & vitæ æternæ.

Respondeo. Homo in conuersione, id est, in ueris doloribus & pauoribus accipit remissionem peccatorum, propter Mediatorem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, Deum & hominem, Gratis, sola fide, non propter propriam dignitatem,seu propter uirtutes proprias aut propria opera seu merita. Et in his pauoribus semper sit in conspectu discrimen Legis & Euangelij, & sciamus æternum & immutabile mandatum Dei esse, ut credamus nos recipi propter filium,iuxta dictum: Viuo ego, dicit Dominus,nolo mortem peccatoris,sed ut conuertatur & uiuat. Item: Gratia exuberat supra delictum. Cúmq; erigimur fide,& accipimus remissionem peccatorum,filius Dei uerè est efficax,& uoce Euangelij dicit consolationem in cordibus,ac fide simul accipimus imputationem iusticiæ seu reconciliationem,& Spiritum sanctum,& efficimur hæredes uitæ æternæ gratis propter Christum. Hæc omnia comprehendit dictum: Iustificati fide pacem habemus. Et Galat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et Roman. 5. Iustificati sanguine ipsius seruabimur per eum ab ira eius. Huc adiungantur alia testimonia,ac præcipuè propositio Epistolæ ad Romanos cap. 3. & confirmatio capite 4. *Discrimẽ Legis & Euangelij in conuersione sit in cõspectu.*

Contra.

I. Argumentum.

Vbi multa simul sunt,non est ponenda Exclusiua,
In conuersione multa simul sunt, vt, contritio, fides, dilectio, bonum propositum, spes,& aliæ virtutes,
Ergo non est dicendum, sola fide iustificamur.

Respondeo ad minorem: Quanquãm multæ uirtutes simul sunt in conuersione,tamen non sunt causæ seu merita iustificationis, id est, remissionis peccatorum & reconciliationis & uiuificationis,& donationis uitæ æternæ: Sed solius Filij Dei obedientia est causa seu meritum iustificationis. Hic est propiciator,ut Roman.3. dicitur.Et Iohan:1. Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. *Virtutes quæ simul sunt in conuersione nõ sunt causæ iustificationis.*

II. Argumentum.

Impossibile est vllam rem esse iustam sola noticia,
Fides est tantùm noticia,
Ergo non est dicendum,sola fide.

Respondeo ad minorem: Fides non significat hic noticiam,qualis est in Diabolis,sed comprehendit noticiam omnium articulorum fidei, & fiduciam in uoluntate, acquiescentem in Deo,propter Mediatorem, agnita misericordia in promissione.Quia Fides de qua Paulus loquitur,est adsensus,quo omni uerbo Dei nobis tradito adsentimur, ac simul etiam promissioni gratiæ, cum quo adsensu inseparabiliter coniuncta est fiducia acquiescens in DEO, iuxta *Quid fides qua iustificamur propriè significet.*

promissionem. Sed noticiam præcedere necesse est, quia noticiæ sunt apprehensiuæ. Et in hoc ipso adsensu Filius Dei est efficax, dicit uoce Euangelij consolationem in corde tuo, ostendit uoluntatem Patris, retrahit cor ex inferis, & uiuificat te, & dat arrabonem Spiritum sanctum, qui accendit læticiam & inuocationem in corde, iuxta dicta: Accepistis Spiritum clamantem Abba pater. Item: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum &c. Quòd autem Fides sit adsentiri promissioni gratiæ, manifestum est ex capite 4. ad Romanos, ubi Paulus correlatiuè copulat promissionem & fidem: Ideò ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Paulus correlatiuè copulat promißionem & fidem.

III. Argumentum.

Fide sumus iusti,
Fides est opus,
Ergo operibus sumus iusti.

Fide, id est per misericordiã.

Respondeo ad maiorem: Propositio hæc, Fide sumus iusti, intelligitur correlatiuè, uidelicet, per misericordiam sumus iusti propter filium Dei, & id beneficium oportet fide accipi. Quanquàm enim fides est excellens uirtus, tamen etiam est imperfecta & languida. Et hoc uult doctrina Ecclesiæ, credentes per misericordiam propter filium Dei accipere remissionem peccatorum & reconciliationem, ac placere non propter propriam dignitatem. Ideò inquit Paulus, Sumus dilecti in dilecto, id est, propter Filium. Alij quærunt alias responsiones, quas hoc loco omitto.

IIII. Argumentum.

Iusticia est obedientia secundum omnes virtutes, seu iuxta totam Legem, seu conformitas cum Deo.
Fides non est omnes virtutes,
Ergo non est iusticia.

Quia legis iusticiam non habemus, Deus imputatam patefecit in Euangelio.

Respondeo. Maior est uera de Iustícia legali. Quia uerò Legis iusticiam (scilicet integram obedientiam, interiorem & exteriorem) non habemus, hanc ipsam ob causam immensa misericordia patefecit Deus promissionem de Gratia, & imputata iusticia propter meritum filij Mediatoris. Et simul fit incoatio obedientiæ seu conformitatis cum Deo, iuxta dictum, 2. Corinth: 3. Transformamur in eandem imaginem, tanquàm à Domini Spiritu.

V. Argumentum.

Deus iustificat,
Deus est dilectio,
Ergo dilectio iustificat.

Dilectio qua Deus nos diligit iustificat.

Respondeo. Concedo totum, si sine ambiguitate argumentum intelligatur. Deus est dilectio, scilicet, qua nos diligit, id est, est essentia uerè ac seriò diligens homines propter Filium. Et hæc dilectio, qua Deus nos diligit propter Filium, iustificat. Huius propositionis correlatiua est: Fide iustificamur id est, hac fide qua agnoscimus & statuimus nos diligi propter Filium. Aduersarij uerò cogitant, nos iustos esse dilectione, qua homo diligit Deum.

VI. Argumentum.

Virtutes non sunt confundendæ, cùm Paulus discernat: Fides, Spes,

Spes, Dilectio, tria hæc, sed maior inter has dilectio,
Fiducia est actio seu actus spei,
Ergo fiducia est discernenda à Fide.

Respondeo ad maiorem. Verum est, uirtutes non esse confundendas, sed rectè intelligenda sunt discrimina. Nam Fides non est tantùm noticia, sed est simul assentiri promissioni, in qua offeruntur remissio peccatorum, reconciliatio, donatio Spiritus sancti & uitæ æternæ. Et est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, accedens ad Deum, & accendens inuocationem, & clamans Abba pater. Et quia Fides in præsentia accipit remissionem peccatorum & reconciliationem, est fiducia præsentis beneficij. Sed spes est certa expectatio uitæ æternæ, gratis dandæ propter Mediatorem, & est expectatio mitigationis pœnarum corporalium iuxta uoluntatem Dei. Cùm igitur fiducia nominatur actus spei, intelligitur fiducia futurę liberationis, seu futuræ mitigationis. Dilectio est obedientia quæ prælucente fide præstatur Deo, iuxta omnia mandata, sic ut cor lætetur in Deo.

Fidei proprietas.

Spei proprietas.

Dilectio.

VII. Argumentum.

Mala opera damnant,
Ergo bona saluant, quia contraria habent contrarios effectus.

Respondeo. Contraria, si sint pariter integra, habent contrarios effectus. Sed mala opera sunt integrè mala, quòd de non renatis manifestum est. Nam etiamsi in Aristide & Scipione sunt magnæ uirtutes, quia nisi esset aliquorum gubernatorum excellens uirtus & sapientia, non posset conseruari humana societas: Tamen hæ uirtutes non sunt impletio Legis, manèt in corde tenebræ de Deo, & de Filio Dei, dubitationes & horrendi fremitus aduersus Deum. Deinde manifestum est, etiam in renatis, quanq; est in eis incoata obedientia, tamen non esse integram legis impletionem. Ideò dicitur in Psalmo: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Iob cap. 9. inquit: Verè scio, quòd non iustificetur homo coram Deo. Cùm igitur non sit integra obedientia, non ualet consequentia: Mala opera damnant. Ergo bona opera saluant, quia contraria non sunt æqualia. Hæc antithesis illustrat beneficium Christi, qui tegit reliquias peccati in renatis, iuxta dictum: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, id est, renati placent propter Mediatorem fide, non propter propriam dignitatem, quia incoata obedientia adhuc procul abest à perfectione Legis.

Christus tegit reliquias peccati in sanctis.

VIII. Argumentum.

Impossibile est nosse voluntatem DEI erga nos, iuxta dictum:
Quis consiliarius eius fuit?
Credere quòd habeas remissionem peccatorum, est aliquid adseuerare & adfirmare de voluntate Dei erga nos,
Hæc igitur affirmatio est impossibilis.

Respondeo. Hæc ipsa imaginatio Academica seu Pyrrhonia omnium hominum mentes turbat. Sed maiorem constantissimè negari oportet de Voluntate reuelata. Ac primùm de Lege manifestissimum est, sciri Voluntatem Dei in Lege reuelatam, iuxta dicta: Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidæ

1. *Voluntas Dei in Lege est reuelata.*

non possidebunt regnum Dei, Lex enim ideò patefacta est in creatione, & deinde sæpè repetita, ut sciatur quòd sit Deus, & qualis sit, & quòd uelit nos esse conformes suæ sapientiæ, quòd sit uindex. Et huic noticiæ addit testimonia in quotidianis & horribilibus pœnis scelerum.

II. *Voluntas Dei in Euangelio est reuelata, quæ opponenda est dubitationi.*

Secundò etiam immensa bonitate Deus propter Filium & per eum reuelauit uoluntatem de remissione peccatorum & reconciliatione in Euangelio, iuxta dictum: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Hanc ipsam ob causam tradita est promissio gratię, quia ratio naturalis non uidet hanc admirandam uoluntatem Dei de remissione. Et hæc reuelatio de reconciliatione & restitutione humanæ naturæ per Filium, discernit Ecclesiam ab omnibus gentibus. Ideò sciendum est, hanc reuelationem opponendam esse naturali & Academicæ dubitationi.

Alia obiectio.

Sed opponit hoc argumentum humana ratio: Addita est conditio Legi: Hoc fac & uiues. Cùm igitur non satisfiat Legi Dei, dubitandum est &c. Respondeo, Et hoc ipsum in reuelatione Euangelij considerandum est, ideò immensa misericordia missum esse Filium, ut nos à maledictione Legis redimeret, & gratis propter Filium donari reconciliationem. Quanquàm autem pœnitentia necessaria est (siue parua, siue magna) tamen remissio non pendet ex dignitate nostra, sed propter Mediatorem & gratuita & certa est. Dauid post lapsum agens pœnitentiam, statuit se uerè recipi in gratiam audita hac uoce: Dominus abstulit peccatum tuum. Eadem est uox Euangelij ad singulos agentes pœnitentiam. Et mandatum immutabile est, ut filio credamus: Hunc audite. In hac breui responsione fontes considerentur, patefactio, & discrimen Legis & Euangelij discrimen uoluntatis reuelatæ, & non reuelatæ &c.

Remißio est gratuita, & certa.

IX. Argumentum.

Prorsus simile argumentum est, quod huc detorquetur ex capite 9. Ecclesiastæ non rectè enarrato. NESCIT HOMO, AN AMORE VEL ODIO DIGNVS SIT.

Respondeo. Hæc sententia prorsus congruit cum doctrina de Fide, quam recitauimus, quia reuocat homines in iudicando à spectaculis humanorum euentuum in hac uita ad uerbum. Non iudicet homo de fauore & odio Dei ex secundis aut aduersis rebus in hac uita, ut: Dauid non iudicet se abiectum esse à Deo, etiamsi est expulsus regno. Achab non iudicet se placere Deo, etiamsi est Rex potens & uictor. Sed Dauid iudicet ex uerbo Dei, se placere Deo, quanquàm exulem, quia dictum est: Dominus abstulit peccatum tuum. Achab iudicet se displicere Deo, quanquàm est Rex potens & glorioſus, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui facit idolum, quod est abominatio Deo.

Perspicuum est igitur, dictum Salomonis prorsus congruere cũ nostra sententia, quæ iubet de uoluntate Dei ex uerbo iudicare. Nec difficile est copiosè refutare enarrationes Papistarum. Insaniunt enim si hoc dicunt, non scire homicidas & adulteros, an sint digni odio Dei. Manifestè igitur apparet ipsorum interpretationes esse tetram corruptelam.

De uoluntate Dei iudicandũ est ex uerbo.

Sed Regula uniuersalis teneatur: De uoluntate Dei ex uerbo ipsius iudicandum esse. Et uerbum Dei uniuersaliter omnes damnat, qui non sunt cõuersi ad Deum, iuxta dicta 1. Corinth. 6. Nolite errare, idolatræ, homicidæ, adulteri, &c. non sunt hæredes uitæ æternæ. Item: Qui non credit in Filium, ma-

um,manet ira Dei ſuper eum. Rurſus uniuerſaliter recipit Deus omnes, qui in conuerſione ſeu pœnitentia credunt in Filium, iuxta dicta: Viuo ego, dicit Dominus nolo mortem peccatoris,ſed ut cõuertatur & uiuat. Item: Sic Deus dilexit mundum,ut Filium ſuum unigenitum daret,ut omnis qui credit in eũ, non pereat,ſed habeat uitam æternam. Hæ regulæ ſummæ ſemper in conſpectu ſint, quæ multis aliis ſententijs lucem adferunt.

Deus recipit omnes confugientes ad filium.

X. Argumentum.

Cùm dictum ſit: Delicta quis intelligit,Nemo poteſt omnia ſua peccata ſcire,
Ergo poſſibile eſt, hominem habere delictum ignotum, propter quod diſpliceat Deo,
Quare non eſt affirmandum,quòd placeat Deo.

Reſpondeo. Nego conſequentiam,& ratio eſt, quia firmiſſimè retinenda eſt Regula: Omnis conuerſus ad Deum,rectè tenens fundamentum, debet credere, ſe placere Deo,etiamſi habet delicta ignorantiæ, ſicut in omnibus hominibus magna hæret infirmitas. Ac propterea traditur doctrina de remiſſione propter Filium, iuxta dictum: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Quia in nobis non eſt integra impletio Legis.

Conuerſi placent Deo,etſi habent peccati reliquias.

XI. Argumentum.

Nemo placet Deo, niſi habens nouas virtutes,ortas à Spiritu ſancto,
Nemo poteſt affirmare, ſe habere illas virtutes, quia poſſunt eſſe virtutes ſimiles ortæ à ratione,
Ergo nemo poteſt affirmare,ſe placere Deo.

Reſpondeo. Nego minorem, quia in uera conuerſione ſeu pœnitentia utrunq; debemus affirmare, & quòd detur remiſſio propter Mediatorem, & ſimul uiuificemur per Filium dato Spiritu ſancto, erecti uoce Euangelij. Et quanquàm intueri mens fide Mediatorem debet, non nouitatem in nobis, tamen ſimul in ueris doloribus ſentit hanc conſolationem,iuxta hæc dicta: Iuſtificati fide pacem habemus. Item:Clamamus Abba pater. Et rectè inquit Auguſtinus: Credens ſcit ſe credere,ſcilicet in doloribus ſentiens conſolationem.

In conuerſione & remiſſio peccatorũ datur,& fit uiuificatio.

Auguſtinus.

De hoc argumento non ſolũm aduerſarij dimicant, ſed etiam piæ mentes apud ſeſe quærunt, an Deo placeant, cùm ſentiant infirmitatem, nec ſentiant illuſtres motus lætitiæ in Deo.

Et Stenckfeldius turbat pias mentes his clamoribus: Ideõ ſtatuas te iuſtum eſſe,quia ſentis in te Deum habitare,te habere ingentes motus lætitiæ in Deo. Sic abducit homines ã conſpectu Mediatoris,& à promiſſione,ad Nouitatem propriam.

Stenckfeldius abducit homines, à promiſſione.

Contra has imaginationes teneatur hic uerus ordo: Cũm dolores non ſunt ſimulati in pœnitentia,corda intueantur non uirtutes in nobis, ſed Mediatorem in uerbo oſtenſum, & cogitatione ſcriptæ promiſſionis ſe ſuſtentent,& ſciant, ſe uoci Euangelij debere aſſentiri, & non quærere alias illuminationes. Hoc cũm faciunt, experiuntur conſolationem. Eſtq; hoc diſcrimen inter aſſenſionem philoſophicam & fidem. Sequitur aſſenſio experientiam in Philoſophia. Vt medicus expertus Zinzibere calefieri uentriculum, poſtea hoc adfirmat,Sed in diuina conſolatione prius adſentiendũ eſt uerbo externo,deinde ſequi-

Ordo in uera cõuerſione ad Deum.

Aſſenſio in Philoſophia ſequitur,in Theologia præcedit experientiam.

de sequitur sensus consolationis. Hæc in ueris exercitijs pœnitentiæ & inuocationis discenda sunt.

XII. Argumentum.

Remittite & remittetur vobis,

Ergo nostra condonatio meretur remissionem peccatorum.

Respondeo. Nego consequentiam, quia fallacia est ā non causa ut causa. Quia in illo dicto prior pars est præceptum seu prædicatio pœnitentiæ. Altera pars est promissio, de qua ex Euangelio scire necesse est, quōd propter Mediatorem gratis detur remissio credentibus. Nec ualet consequentia: Nostra contritio est necessaria, Ergo est causa remissionis. Et perspicua est refutatio de hoc dicto. Quia si cogitandum esset, propter nostram condonationem dari remissionem, fieret incerta reconciliatio. Quanquàm enim conuersi repugnant odijs, tamen aliqua cicatrix seu imbecillitas in nobis manet.

In multis dictis scripturæ primùm concio pœnitentiæ est, deinde promissio.

Hæc simplex responsio congruit ad multa dicta, in quibus primūm concio pœnitentiæ proponitur, deinde promissio, ut apud Danielem: Libera te ā peccatis iusticia & eleemosynis erga pauperes, & erit sanatio delictorum tuorum. Prior pars præcipit emendationem, nec tantūm loquitur de eleemosynis, sed de conuersione iuxta omnia præcepta, id est, agnoscas uerum Deum, qui se patefecit in Israël, & promisit remissionem propter uenturum Dominum, &c. Deinde sit & gubernatio tua iusta, non sis crudelis contra captiuam Ecclesiam Dei. Sic intelligatur concio Regia de magnis rebus, & de nostra conuersione. Postea promissio consideretur de remissione peccatorum, de reconciliatione hominis Ethnici, & polluti horribili idolomania. Nec dubium est ab ipso Daniele hanc promissionem copiosius enarratam esse, & Regi dictum esse, cur detur promissio, per quem restituatur iusticia & uita æterna, & promissionem fide accipiendam esse. Eadem responsio est ad concionem Esa. 1. Desinite malè facere, si peccata uestra sunt ut coccinum, eritis candidi ut nix.

Locus Danielis explicatur.

XIII. Argumentum.

Maxima virtus maximè iustificat,

Dilectio est maxima virtus,

Ergo maximè iustificat.

Respondeo. Concedo totum argumentum de iusticia Legis. Sed quia non habemus integram iusticiam Legis, Euangelium concionatur de alia, & docet imputari credenti iusticiam propter Mediatorem. Hæc est simplex & uera responsio, quæ prolixius explicari potest, si quis postulat. Ac sciendum est, longē aliud esse, loqui de collatione uirtutum inter sese, aliud de remissione peccatorum & reconciliatione coram Deo.

Aliud est collatio uirtutum, aliud remissio peccatorum.

XIIII. Argumentum.

Si vis in vitam ingredi, serua mandata.

Ergo & fieri Lex potest, & bona opera merentur vitam æternam.

Respondeo breuiter. Intellige, serua mandata, scilicet complectendo Euangelium. Nam Christus finis est Legis. Ac semper legalibus dictis necesse est addere uocem Euangelij, quod docet fide reconciliari hominem, & simul incoari obedientiam accepto Spiritui sancto, & placere incoatam obedientiam propter Mediatorem, etiamsi languida & infirma est. Hæc ἐπιείκεια expressa est Rom. 8. Idem igitur uult dictum Pauli: Milita bonam militiam, retinens fi-

Legalib. dictis semper addenda est interpretatio ex Euangelio.

nens fidem & bonam conſcientiam. Hinc non ſequitur, Legi ſatisfieri in hac uita, quia uox Euangelij expreſſè dicit: Senſus carnis non eſt ſubditus Legi, ac ne poteſt quidem ſubdi. Ac non ſequitur, Bona opera eſſe meritum uitæ ęternæ, quia fides prælucens gratis accipit propter Mediatorem remiſſionẽ peccatorum & hæreditatem uitæ æternæ.

XV. Argumentum.

Qui non diligit, manet in morte,
Ergo non ſola Fide ſumus iuſti.

Reſpondeo. Nego conſequentiam: Quia eſt fallacia ã non cauſa, ut cauſa. Etſi enim ueriſſimum eſt, dilectionem eſſe in cõuerſo, tamen dilectio non eſt cauſa ſeu meritum remiſſionis peccatorum, ſeu iuſtificationis, ſeu reconciliationis. Vt, ueriſſimum eſt, Qui non mouetur, non uiuit, nec tamen ſequitur, motum cauſam eſſe uitæ, ſed uita eſt immediata cauſa motus: Ita fides agnoſcens miſericordiam Dei propoſitam propter Mediatorem oſtendit bonitatem Dei, qua cognita, accenditur dilectio Dei, & cor ſubijcit ſe Deo. Hæc reſponſio ad ſimilia dicta congruit. Si omnem fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil ſum. Concedo totum. Quia uerum eſt, oportere in reconciliato fidem & dilectionem eſſe, ſed non ſequitur, dilectionem eſſe cauſam ſeu meritum reconciliationis.

Motus non eſt cauſa uitæ, Sic dilectio non eſt cauſa remiſſionis peccatorum.

XVI. Argumentum.

Naturalia ſunt immutabilia,
Dubitatio de reconciliatione eſt naturalis, ut nunc quidem naſcimur,
Ergo eſt immutabilis.

Reſpondeo. Concedo eſſe immutabilem in hac deprauatione ſine uoce Euangelij, & ſine auxilio diuino. Sicut Adam non ſolũm in dubitatione manſiſſet, ſed etiam oppreſſus eſſet æterna deſperatione, ſi promiſſio gratiæ non prolata eſſet ex ſinu ęterni Patris, & per uerbum Deus flexiſſet cor S. ſancto ad aſſenſionem, & ſic in illa conſolatione Filius uoce Euangelij primos parentes retraxiſſet ex morte. Hoc exemplum intueamur, quod oſtendit quomodo fiat hæc conſolatio & liberatio à dubitatione, & docet promiſſionem Euangelij non eſſe natura notam, & diſcernendam eſſe à lege & ab alijs naturalibus noticijs.

Adam deſperaſſet niſi audè uiſſet promiſſionem.

XVII. Argumentum.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum,
Ergo propter dilectionem fit remiſsio.

Reſpondeo. Duplex eſt abſolutio. Altera priuata conſcientiæ luctantis cum ira Dei. In hac abſolutione neceſſe eſt intelligi, quòd fide accipiatur remiſſio, non propter noſtras uirtutes. Ideõ & hic inquit Dominus: Fides tua ſaluam te fecit. Nec nititur fides dilectione noſtra, ſed tantùm miſericordia promiſſa propter Mediatorem. Nec exiſtere dilectio poteſt, niſi ſit apprehenſa remiſſio. Huc pertinet dictum: Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, ſaluos fieri per nomen eius, omnes, qui credunt in eum.

Abſolutio duplex.
I.

Dilectio non poteſt eſſe ſine fide.

Altera eſt abſolutio publica coram Eccleſia. In hac conſpici neceſſe eſt ab alijs teſtimonia conuerſionis, ut hic Chriſtus Phariſæo oſtendit, cur eam recipiat, quia extent teſtimonia conuerſionis.

II.

Si cui

Si cui hæc ſolutio non placet, utatur altera: Vſitatæ ſunt Synecdochæ, Remittuntur ei multa, quia conuerſa eſt. Et tamen Synecdoche explicanda eſt. Cùm multæ ſint partes conuerſionis, contritio, fides, dilectio, ſpes, bonum propoſitum, tamen ſciendum eſt, dari remiſſionem, non propter dignitatem harum uirtutum, ſed propter Mediatorem. Hæc declaratio ſumitur ex Paulo, dimicante de particula Gratis fide propter Mediatorem.

Synecdoche.

XVIII. Argumentum.

Vita æterna nominatur merces,
Ergo eſt debita pro operibus.

Reſpondeo breuiſſimè. Phraſis nota eſt, Mercedem dici non tantùm compenſationem debitam, ſed fructum qui ſequitur. Deinde uerum eſt, uitam æternam, etiamſi propter aliud datur, tamen etiam eſſe mercedem, quia compenſat benefacta, ut patrimonium eſt merces officiorum filij, etiamſi accipitur propter aliam cauſam.

Phraſiũ Legis interpretatio ſumẽda eſt ex Euangelio.

Conſiderandum & hoc eſt. Sæpè utuntur Prophetæ phraſi Legis, ubi tamen interpretatio ex Euangelio ſumenda eſt. Vt, Reddet unicuiq; ſecundum opera ſua, ubi tota conuerſio intelligitur, & tamen ſciendum eſt fide primùm gratis reconciliationem accipi, poſtea placere Deo fidem & incoatam obedientiam. Et pias mentes ſemper ſonare decet dictum Iacob: Minor ſum cunctis miſerationibus tuis.

XIX. Argumentum.

Iacob 2. Videtis igitur, quod ex operibus iuſtificatur homo, non fide tantùm.

De alia fide Paulus, de alia Iacobus loquitur.

Reſpondeo. Manifeſtum eſt, in Iacobo fide tantùm intelligi noticiam hiſtoriæ, de qua noticia dicit: Dæmones credunt & contremiſcunt. Fatemur autem, neminem eſſe iuſtum ſola illa noticia, ſed Paulus loquitur de fide, quæ eſt agnitio & fiducia miſericordiæ, quæ pacem adfert cordibus, ut inquit: Iuſtificati fide pacem habemus. Et diſcrimen in uera conuerſione intelligitur, in qua fides uincit ueros pauores, & eſt motus Spiritus ſancti, qua corda uiuificantur, & accenditur uera inuocatio, qua clamamus, Abba pater, ut dicitur in Zacharia: Effundam ſuper domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Non igitur pugnat Iacobus cum Paulo, ſed de alia re loquitur.

Iuſtificari ad Iacobo ſignificet.

Deinde cùm ait: Ex operibus iuſtificamur, phraſis intelligenda eſt. Non enim hic iuſtificari eſt reconciliari, ſed poſtea habentes bona opera iuſtificantur, id eſt, approbantur, habentes iuſticiam operum, quæ in reconciliatis iam placent Deo.

XX. Argumentum.

Iuſtificare eſt ex iniuſto iuſtum facere.
Iuſtus eſt habens iuſticiam, id eſt, obedientiam integram, ſeu conformitatem cum Deo,
Ergo non ſola Fide iuſtificamur.

Reſpondeo ad Maiorem. Iuſtificare iuxta doctrinam Euangelij primùm eſt ex reo non reum facere. Nam hoc agitur in ueris doloribus, quæritur remiſſio peccatorum & reconciliatio. De hac re dimicat conſcientia. Ideò

Act. 10.

Act. 10. dicitur. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Sic clamat Propheta: Saluum me fac propter miſericordiam tuam. Etſi autem uerum eſt, in hac conſolatione, cùm fide eriguntur corda, & retrahuntur ex inferis, ſimul dato Spiritu ſancto incoari obedientiam, & habitare Deum in corde renato, tamen ſemper hæc conſolatio præluceat, quòd credens placeat propter Mediatorem. Ideò iuſtificare primùm hic ſignificat ex reo non reum facere, & hanc relationem in uerbo iuſtificare comprehendit Paulus, cùm inquit: Iuſtificati fide pacem habemus. Et nititur fides obedientia Chriſti, non propria nouitate, In infinitum enim anteferenda eſt Chriſti obedientia noſtrę nouitati, ſicut Paulus inquit: Iuſtificati ſanguine ipſius.

Iuſtificare eſt ex reo non reum facere.

Quare neceſſe eſt retineri excluſiuam, Sola fide, ſeu Gratis?

Propter quatuor cauſas. Primùm ut tribuatur honos debitus Filio Dei, quòd hæc ſola hoſtia ſit precium pro nobis, iuxta dictum: Hic eſt Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. I.

Secundò, ut conſcientiæ habeant firmam conſolationem, iuxta dictum, Rom. 4. Ideò ex fide gratis ut ſit firma promiſſio, Si enim penderet remiſſio ex dignitate noſtrorum operum, ſemper eſſet incerta, opprimerentur perterrefactæ mentes deſperatione. II.

Tertia cauſa eſt, ut conſpiciatur diſcrimen Legis & Euangelij, quia particula Gratis fide propter Mediatorem, præcipuè diſcernit Legem & Euangelium. III.

Particula gratis, diſcernit legẽ et Euãgeliũ

Quarta, ut inuocatio fieri poſſit, quæ impeditur conſpectu noſtræ infirmitatis. Ideò accedendum eſt ad Deum fiducia ſolius Mediatoris, iuxta dictum: Per hunc habemus acceſſum. Item Epheſ. 3. In hoc habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem eius &c. IIII.

DE BONIS OPERIBVS
QVÆSTIONES TRES.

I. Quæ opera docenda & facienda ſint.
II. Quomodo placeant Deo.
III. An maneant in ſanctis peccata in hac uita, & quæ peccata.

DE PRIMA QVÆSTIONE.

Quæ opera docenda & facienda ſunt?

Reſpondeo. Præcepta in decalogo rectè intellecto, iuxta dictum Ezechielis 20. In præceptis meis ambulate, & facite ea. Ideò enim Deus immenſa bonitate etiam uocem Legis Moralis in Eccleſia ſemper inde uſq; ab Adam ſonare uoluit, ut arguat peccatum, & oſtendat, quæ opera & qui cultus DEO placeant, ut regantur corda uerbo Dei in fide & operibus, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis Verbum tuum. Et in capit. 15. Numeri: Non ſequantur cogitationes ſuas, & oculos meretricios, ſed memores præceptorum Domini faciant ea, & ſint ſancti Deo: Ego Dominus Deus ueſter, qui eduxi uos de terra Aegypti. Et cùm Iohannes inquit: Peccatum eſt, quidquid contrarium eſt

Cur Deus Legem uelit ſonare in Eccleſia.

Norma operũ est lex Dei. Legi,uult sciri, normam esse operum Legem Dei. Et statim addit: Qui facit peccatum,ex Diabolo est. 1. Corinth. 6. Scortatores, Idolatræ,adulteri &c, regnum Dei non possidebunt.

Error Antinomorum. Execrandi sunt igitur ἀντίνομοι, qui nolunt doceri legem Moralem in Ecclesia, & fingunt omnes suos impetus esse motus Spiritus sancti, & nolunt gubernari lege Dei. Hæc deliramenta Antinomorum sunt horrendi furores diabolici, quales fuerunt olim similium sectarum multarum, aduersus quos muniamus nos uerbo Dei: In præceptis meis ambulate. Item: Pater sanctifica eos in Veritate, sermo tuus est Veritas. Petamus etiam ardentibus uotis,ut ipse Filius Dei gubernet nos, ne contagijs errorum polluamur, sicut precatur Propheta: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

SECVNDA QVÆSTIO.

Quomodo placent bona opera Deo?

I. Respondeo. Placent in conuersis ad Deum hoc modo. Primũm necesse est credere,quõd persona sit reconciliata Deo propter Christum gratis, fide,non propter dignitatem nostram.

II. Secundõ sciendum est,nos non satisfacere Legi,sed hærere in nobis multa interiora peccata, dubitationes & malas inclinationes, peccata ignorantiæ & omissionis. Et deploranda est nostra immundities,& repugnandum dubitationibus & affectibus.

III. Tertiõ sciendum est, tamen oportere in nobis esse incoatam obedientiam iuxta præcepta Dei, & hanc Deo placere in reconciliatis propter Mediatorem,sicut dictum est,offerte Deo hostias spirituales,placentes Deo propter Iesum Christum.

Hostiæ spirituales.

TERTIA QVÆSTIO.

Manent ne peccata in Sanctis in hac vita?

Respondeo. Sunt & manent peccata in renatis in hac uita, uidelicet, non delicta contra conscientiam, sed interiora mala, multum caliginis & dubitationum, multæ ignorantiæ, omissiones, prauæ inclinationes, & flammæ malorum affectuum,quibus tamen repugnant sancti Spiritu,retinentes timorem Dei, fidem & inuocationem, nec ruentes contra conscientiam,sed deplorantes nostram infirmitatem, ac petentes & credentes remissionem, iuxta dictum: Si Spiritu mortificabitis actiones carnis,uiuetis. Item: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

Peccata in sanctis in hac uita

Quæ peccata non sunt in sanctis,id est,propter quæ illi, qui fuerant renati amittunt gratiam & Spiritum sanctum, & rursus fiunt rei æternæ pœnæ?

Renati amittunt Spiritum sanctum. Responsio. Propter peccata contra conscientiam, & lapsus contra fundamentum,id est,contra articulos fidei,renati amittunt Spiritum sanctum, & fiunt rei æternæ pœnæ, & nisi rursus ad Deum conuertantur,ruunt in æternas pœnas,ut Adam uerè fuit reus æternæ iræ propter lapsum. Et Paulus inquit 1. Cor. 6. Scortatores,adulteri,homicidæ &c. non possidebunt regnum Dei. Item Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, Adulterium,scortatio,Idolatria &c. qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Et Matthæi 12. expresse di-

presse dictum est: Redit Spiritus nequam &c. Et 2. Pet. 2. Cùm redeunt ad uomitum ut canes, fiunt eis postrema deteriora prioribus.

Aliqui autem rursus, per pœnitentiam redeunt ad Deum, ut Adam, Aaron, Dauid, Manasse, & alij multi.

DE PECCATO BLASPHEMIÆ.

Differunt ne peccatum contra conscientiam, & Blasphemia?

Respondeo. Prorsus differunt: Dauid habuit magna & tristia delicta contra conscientiam, & tamen non fuit Blasphemus. Nam peccatum contra conscientiam est genus, id est, uiolatio cuiuscunq; mandati, quæ fit à sciente & uolente. *Peccatum contra cõscientiã.*

Sed singularis species est Blasphemia, quæ est contra conscientiam oppugnare agnitam ueritatem à Deo patefactam, uel perseuerantia in Epicureo contemtu Dei, uel desperatio, ut anteferre peccatum meritis filij Dei, contra dictum: Exuberat gratia supra delictum, sicut Cain inquit: Maius est peccatum meum, quàm ut remitti possit. Non fuit autem Blasphemia in illis, qui redeunt ad pœnitentiam, ut in Aaron, Manasse, Petro, Paulo. *Blasphemia.*

Et nos regulam tenere debemus: Omne peccatum remitti agenti pœnitentiam, & fide amplectenti promissionem Gratiæ, promissæ propter filium Dei, iuxta iuramentum: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris &c. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. *Omne peccatũ remittitur agẽti pœnitentiã.*

Quomodo differt doctrina de Iustificatione in Ecclesijs nostris, à Papistica doctrina?

Multipliciter differt. Sed tres præcipuæ antitheses sint in conspectu.

I. Primùm Papistæ dicunt, oportere homines mereri remissionem peccatorum propríjs operibus, & coram Deo iustos esse propríjs operibus.

II. Secundò dicunt Papistæ, cùm nemo sciat, quando satis operum habeat, semper maneas in dubitatione, an sis in gratia.

III. Tertiò dicunt Papistæ: Homo potest in hac uita legi Dei satisfácere, & impletione Legis diuinæ meretur uitam æternam de condigno. Et quidem dicunt Monachi, homo non renatus Spiritu sancto, potest efficere dilectionem Dei, & mereri remissionem peccatorum. *De condigno.*

Contra hos Ethnicos errores, qui delent lucem Euangelij de beneficijs filij Dei, clarè docent Ecclesiæ nostræ.

I. Primùm, Neq; mereri homines remissionem peccatorum propríjs operibus, neq; coram Deo iustos esse propríjs operibus.

II. Secundò, Propter Filium Dei gratis homines in conuersione accipere remissionem peccatorum, & reconciliationem, sola Fide, & sic homines certò iustos esse, id est, reconciliatos Deo propter Mediatorem Fide. Nec manendum esse in dubitatione, sed fide uincendam esse dubitationem. Qui uerò iubent manere in dubitatione, prorsus delent Euangelium de promissione Gratiæ & de Fide, & tantùm Ethnica somnia docent, & extinguunt lucem doctrinæ de filio Dei, & impellunt homines in desperationem, & æternum exitium. *Dubitatio Papistica delet Euangeliũ de promissione.*

III. Tertiò, certissimum est, in hac uita neminem habuisse neq; habere integram legis impletionem, nisi ipsum Mediatorem, Dominum nostrum IE-

Legis impletio erit in uita æterna.

SVM CHRISTVM. Sed tunc erit integra Legis impletio, cũm Deus erit omnia in beatis, id est, cùm lucebit in eis Deus, ita ut non simul sint reliquiæ peccati. Notæ sunt enim sententiæ Rom. 7. & octauo. Et dictum Psal: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

DE ECCLESIA.

Quid est Ecclesia?

Ecclesia uisibilis in hac uita, est cœtus uisibilis amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & rectè utentium Sacramentis, in quo cœtu Filius Dei efficax est, & uoce Euangelij & Spiritu sancto multos regenerat ad uitam æternam. Sunt tamen in eo cœtu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

In cœtu Ecclesiæ sunt multi non sancti.

Contra.

Articuli Fidei non sunt visibiles,
Ecclesiam esse est articulus fidei,
Ergo Ecclesia non est visibilis.

Complexum. Subiectum in multis propositionibus est uisibile.

Respondeo ad Maiorem. Concedo, articulos fidei, scilicet propositiones, non esse uisibiles, seu ut est usitata phrasis, Complexum non est uisibile, tamen subiecta in multis propositionibus uisibilia esse necesse est. Vt, cùm dico: Sol est creatura Dei. Nos sumus resurrecturi, propositiones fide accipiuntur, sed tamen subiecta sunt uisibilia.

Sic cũm dicitur: Ecclesia est populus Dei, in quo Deus uerè colligit cœtum, cui dat remissionem peccatorum, & iusticiam, ac salutem æternam. Hæc propositio est articulus fidei, & subiectum, id est, homines amplectentes Euangelium, sensu agnoscuntur, cũm certa signa incurrant in oculos & aures, quę discernunt eos ab alijs hominibus.

Ecclesia non est Idea Platonica.

Non igitur de Ecclesia loquimur, ut de Idea Platonica, sed monstramus Ecclesiam, iuxta dicta: Dic Ecclesiæ. Hic necesse est intelligi uisibilem Ecclesiam. Item: In omnem terram exiuit sonus eorum &c.

Quæ sunt signa Ecclesiæ propria?

Signa non fallacia simul hæc tria sunt.

I. Consensus in doctrina Euangelij incorrupta, scilicet in fundamento.
II. Legitimus usus Sacramentorum.
III. Obedientia Ministerio debita iuxta Euangelium.

An necesse est, singulos homines saluandos fieri ciues veræ Ecclesiæ?

Respondeo. Prorsus necesse est, singulos saluandos iunctos cum esse uera Ecclesia, fide, confessione, inuocatione Dei, & uoluntate seruandæ Ecclesiæ, seu coniunctionis in Ecclesia, iuxta dicta:

Quibus rebus cõiungatur Ecclesia.

1. Corinth. 1. Non sint inter uos schismata.

Ebræos 10. Non deserentes congregationem uestram.

Gal. 1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

Psalmo 26. Vnum petij à Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ.

Psalmo 83. Beati qui habitant in domo tua Domine.

Psal.

Psal. 91. Plantati in domo Domini, in atrijs Domus Dei nostri florebunt &c.

Rom. 8. Quos uocauit, hos & elegit &c.

Quæ res necessariæ ad ϒnitatem Ecclesiæ?

Consensus in fundamento, uidelicet in doctrina Euangelij incorrupta, & in usu Sacramentorum legitimo, & obedientia debita Ministerio, iuxta Euangelium.

Testimonia manifesta sunt de doctrina 1. Cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod Iesus Christus. Item, Galat. 1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

De obedientia 1. Cor. 1. Non sint inter uos schismata. Et Ebr. 1. Non deferentes congregationem uestram. Item: Obedite his, qui præsunt uobis, scilicet in his, quæ sunt propria Ministerij, iuxta Euangelium.

Sed similitudo rituum, qui sunt ab hominibus instituti, nequaquàm necessaria est, ideò contra superstitionem multa testimonia tradita sunt. Rom. 14. Regnum Dei non est esca & potus, sed iusticia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Nam qui in his seruit Christo, placet Deo, & approbatus est hominibus. Item Col. 2. Nemo iudicet uos cibo, potu &c. *Similitudo rituum in Ecclesia non est necessaria.*

Quid nominatur Sacramentum in Ecclesia?

Sacramentum in Nouo testamento, ut Ecclesia loquitur, est ritus diuinitus institutus, additus promissioni in Euangelio traditæ, ut sit testimonium & pignus exhibitæ & applicatæ promissionis Gratiæ. Ideò uetustas dixit: Sacramentum est signum Gratiæ. *Sacramentum est signum Gratiæ.*

Quare additi sunt ritus promulgationi promissionis?

Multæ causæ sunt, sed maximè illustres sunt hæ duæ. Quia cùm Deus colligat Ecclesiam edita promissione, & tantùm illi fiant hæredes uitæ æternæ, qui promissioni de Mediatore credunt, uult etiam illustri testimonio uisibili omnibus hominibus ostendere promissionem, & ijs applicare, qui eam fide amplectuntur, id est, testificari, quòd promissio ad ipsos pertineat. Nam promissio generalis est. Fides autem & usus Sacramenti applicant eam ad singulos credentes. Ita primùm Sacramenta sunt signa uoluntatis Dei erga nos, uidelicet commonefacientia nos de promissione, & applicantia, id est, testificantia quòd promissio ad nos pertineat. *Sacramenta applicant promissionẽ singulis.*

II. Altera causa est, quòd cùm uelit Deus omnes saluandos inseri Ecclesiæ, & adiungi ministerio Euangelij, sicut dictum est: Quos elegit, hos & uocauit, tradidit ritus manifestè discernentes Ecclesiam ab omnibus gentibus. Et ut agnosceretur Ecclesia, & ipsi ritus testimonia essent, qui ostenderent, uelle Deum, nos esse auditores uocis Euangelij, nec eos, qui non audiunt uocem Euangelij, nec fiunt ciues huius cœtus uocatorum, esse electos. Ita uult Deus Ecclesiam conspici oculis, & uisibilem esse, ut cogitemus, ubi sit doctrina ipsius quærenda. *Sacramenta discernunt Ecclesiã ab alijs gentibus.*

Sunt igitur Sacramenta signa confirmantia fidem erga Deum, quia sunt testimonia applicationis, sicut Paulus nominat Circumcisionem σφραγίδα δικαιοσύνης, id est, sigillum iusticiæ, quia testabatur, promissionem pertinere ad Abraham. Deinde sunt signa societatis Ecclesiæ & confessionis. *Circumcisio, sigillum iusticiæ.*

Allegoriæ Sacramentorũ.

Consideratis autem principalibus finibus, postea Allegoriæ & significationes aliæ addi possunt. Vt, Circumcisio fuit in illa arcana parte corporis, ut esset miranda admonitio de uenturo semine. Ac simul multa significabat, uidelicet ex posteris Abrahæ uenturum esse salutare semen, de quo antea dictum fuerat: Semen mulieris conteret caput serpentis. Significabat item Circumcisio, in hac generatione carnali nasci naturam hominum ream, immundam, & præcidendam, hoc est, morti addictam, sed propter promissum semen iuxta uerbum Ecclesiam habituram esse nouam & æternam iusticiam & uitam.

Baptismus.

Sic Baptismus principaliter significat, nos mergi in sanguinem Christi, & ablui ā peccatis. Postea significat etiam, Ecclesiam mergi in adflictiones.

Cœna Domini. I.

Cœna Domini significat principaliter, nos esse membra Christi, & inseri eius corpori, & ablui nos ipsius sanguine. Est igitur testimonium & exhibitæ promissionis Euangelij, & applicatæ ad singulos. Deinde est commonefactio de gratiarum actione. Ideò nominatur Εὐχαριστία, & sicut Cyprianus optimē dicit, est commemoratio dati & accepti.

II.

III.

Est item neruus publicæ congregationis. Item testimonium mutuæ dilectionis & concordiæ in eadem Ecclesia, sicut antiquitas fœdera fecit societate ceremoniarum & mensæ. Vnde & nomen

IIII.

Σπονδαὶ, id est, libationes.

Σπονδαὶ, id est, libationes, pro fœderibus usurpabant. Item:, Vetustas dixit: τοὺς ἅλας, κὴ τὴν τράπεζαν μὴ παραλύειν. Ita in Ecclesia societas huius pulcerrimæ communis manducationis intelligatur uinculum esse communis concordiæ, quo copulati omnes unum simus in ipso Christo, & non distrahamus Ecclesiam furoribus opinionum, ambitionum & odiorum. Sed semper initiò principales fines considerentur.

QVID EST BAPTISMVS?

Est instituta à Filio Dei mersio in aquam, cum pronunciatione uerborum: Ego baptizo te in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, testificans, quia hoc testimonium diuinitus institutum est, cum qui eum hac pronunciatione uerborum mergitur, reconciliari Deo propter Christum, & sanctificari Spiritu sancto ad uitam æternam.

Quæ est sententia Verborum Baptismi?

Ego baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, id est, Ego minister hoc ritu testificor in nomine, id est, mandato diuino: Te, qui sic mergeris, recipi à uero Deo in gratiam, qui est æternus Pater Domini nostri IESV Christi, & Filius, & Spiritus sanctus, & recipi te propter Filium, & sanctificari te Spiritu sancto.

In uerbis Baptismi cõprehendenda est correlatiua sententia.

Et comprehendenda est correlatiua sententia: Ego testificor te recipi in nomen, id est, agnitionem & inuocationem ueri Dei, qui est Pater æternus Domini nostri Iesu Christi, & Filius & Spiritus sanctus, & recipi te propter Filium redemtorem Ecclesiæ, & sanctificari credentem Spiritu sancto, quem agnosces & inuocabis, & palām uicissim testaris hoc baptismo, te omnia commentitia numina execrari.

Sunt ne infantes Baptisandi?

Respondeo. Infantes sunt baptisandi. Confirmatio hæc est ex Euangelio sumta.

Omnes

Omnes ſaluandos oportet inſeri Eccleſiæ in hac vita, iuxta dictum: Quos elegit, hos & vocauit. Vnde regula tradita eſt: Extra Eccleſiam non eſt ſalus,
Ad infantes pertinet promiſsio Gratiæ & Salutis æternæ,
Sunt igitur baptiſandi & inſerendi Eccleſiæ.

Extra Eccleſiam non eſt ſalus.

Minor manifeſta eſt, quia Dominus inquit: Sinite paruulos ad me uenire, quia talium eſt regnum cœlorum. Item: Non eſt uoluntas Patris mei, ut pereat unus de paruulis eſtis. Hæc dicta manifeſtè adfirmant, ad infantes pertinere promiſſionem Gratiæ & uitæ æternæ. Et loquuntur de infantibus in Eccleſia.

Ad infantes pertinet promiſsio Gratiæ.

Nec facienda eſt confuſio Ethnicorum & Eccleſię, quaſi etiam inter blaſphemos ſint membra Eccleſiæ, ſed retinendæ ſunt ſententiæ: Quos elegit, hos & uocauit. Item: Vbi ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Et in Pſalmo: Beati qui habitant in domo tua Domine. Item, Plãtati in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri, florebunt.

Ad hos igitur infantes pertinet promiſſio, qui ſunt in Eccleſia, hos recipit propter Mediatorem, cuius nomen ſuper eos inuocatum eſt, & in his Deus efficax eſt, & ſanctificat eos Spiritu ſancto, pro ipſorum captu, quia hæredes uitæ æternæ ſanctificari Spiritu ſuo S. neceſſe eſt, iuxta dicta: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. Item, 1. Cor: 15. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, ſcilicet ſine regeneratione.

Infantes in Eccleſia ſanctificat Spiritus S. pro ipſorum captu.

Grati igitur hoc beneficium Dei agnoſcamus, quòd uerè in Eccleſia recipit infantes, & lætemur, in cœtu uocatorum electos eſſe, & ſciamus uoluntatem Dei eſſe, ut quãm primum ætas doctrinæ capax eſt, ſemina Euangelij eis inſtillentur, iuxta dictum, Epheſ. 6. Educate pueros in diſciplina & doctrina Domini.

Hic ad confirmationem adiungantur & teſtimonia primæ Eccleſiæ. Origenes expreſſè inquit in 6. capite ad Roman: Eccleſia ab Apoſtolis accepit traditionem, etiam paruulis dare Baptiſmum. Sciebant enim illi, quibus arcana myſteriorum commendata fuerunt, quòd ſint in omnibus genuinæ ſordes peccati, quas per aquam & Spiritum ſanctum aboleri oportet.

Origenes.

Sciamus autem, Baptiſmum non tantùm eſſe fœdus Infantiũ cum Deo, ſed omnium adultorum, omni tempore, qui etiamſi lapſi ſunt, tamen rurſus ad Deum conuertuntur. Quia in conuerſione homo per fidem ueriſſimè & integrè reſtituitur per Mediatorem in poſſeſſionem promiſſionis Gratiæ, & hæreditatis uitæ æternæ, iuxta dictum Matt: 18. Remittes ſeptuagies ſepties.

Baptiſmus eſt etiam adultorum fœdus cũ Deo.

Certò igitur ſciant conuerſi, ipſis renouatum eſſe fœdus Baptiſmi & ad ipſos pertinere promiſſionem Baptiſmo additam: Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Et ſicut alijs promiſſionibus, ita uerbis de baptiſmo dictis ſe uerè confirment, ſciant ſe receptos eſſe ab hoc uero Deo, qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & quidem propter Filium Mediatorem, & ſanctificari ſe Spiritu ſancto ad uitam æternam.

Conuerſi ſciãt ipſis renouatũ eſſe fœdus Baptiſmi.

Sciant rurſus Baptiſmum ipſis ſtipulationem eſſe bonæ conſcientiæ erga Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt in dextra Dei, ut ſcriptum eſt in Epiſtola Petri, id eſt, ſciant tunc mutuum fœdus eſſe factum inter Deum & baptiſatum. Deus recipit te propter Filium reſuſcitatum, & per eum, & pro-

Baptiſmus eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ erga Deum.

pter eum delet tua peccata,& sanctificat te ad uitam æternam. Tu uicissim agnoscis, hunc uerè esse Deum, qui se in hoc Filio resuscitato patefecit,& hunc uerum Deum inuocas fiducia Filij. Ita fit Stipulatio bonæ conscientiæ,& mutua obligatio, Dei & hominis baptisati, quæ est rata,& efficax propter Filium Dei resuscitatum, regnantem, & uerissimè colligentem Ecclesiam in genere humano per Euangelium. Eadem stipulatio & mutua obligatio rata est conuersis ad Deum, quia integrè restituuntur in possessionem promissionis gratiæ,& hæreditatis uitæ æternæ.

Vetus dictum contra Nouatianos.

Nouatianorũ error.

Recitatur uetus dictum: Post naufragium humanæ naturæ duas tabulas salutis hominibus datas esse Baptismum, & amissa prima tabula, Pœnitentiam. Hoc dictum apparet traditum esse contra Nouatianos, qui negabant, lapsos post Baptismum rursus conuerti posse ad Deum. Et necesse fuit refutari Nouatianos, sicut uox filij Dei manifestissima refutatio est, cùm inquit: Septuagies septies remittes. Sed tamen dictum uetus non absurdè intelligatur, quia nõ sic amittitur prima tabula, ut non recuperetur, sed re uera in totam Arcam Noæ recipiuntur conuersi, id est, in possessionem integram promissionum Ecclesiæ propter Mediatorem.

Hic etiam commonefaciendi sunt homines de omnibus furoribus Anabaptistarum,& tenenda regula: Ex fructibus ipsorum agnoscetis eos, id est, ex manifestè falsis dogmatibus, quæ sunt testimonia non fallacia, unde sciri potest, eos fascinatos esse à Diabolo. Et sint in conspectu præcipui eorum errores, quos breuiter recitabo.

ERRORES ANABAPTISTARVM.

Secta Anabaptistica multiplex confusio est.

VAlde prodest extare ueras historias certaminum Ecclesiæ, ut rectis iudicijs omnium temporum confirmemur, & uideamus, quales furores in impijs sectis significauerint eas à Diabolo ortas esse. Etsi autem non est una consentiens Anabaptistica, sed multiplex & monstrosa Chimæra, & alij magis, alij minus tetras opiniones habent, tamen omnium communes sunt furores, inde usque à Carpocrate, Marcione, Pepusianis & Manichæis. Ac nisi historiæ scriptæ essent à Iustino, Clemente & Epiphanio, fide dignissimis, nemo nunc crederet, fuisse tales furores ætatis proximæ Apostolis, quales nostra ætas uidit in Monasterienſi tragœdia. Sed sciamus, omnibus temporibus horribiliter Diabolos turbare Ecclesiam, & muniamus nos aduersus Diabolorum insidias, uera cognitione doctrinæ, precatione & iudicijs ueræ Ecclesiæ, quæ manifestos furores hominum fanaticorum refutauit.

Omnes fanatici, Carpocrates, Marcion, Pepusiani, Manichæi, damnauerunt Politicum ordinem uitæ humanæ, Magistratus, Iudicia, distinctionem dominiorum. Et aliqui damnauerunt prorsus coniugia. Aliqui contrà docuerunt, Vxores debere communes esse, ut Carpocrates. Et horribilia exempla recitantur in historijs. Ita deleuerunt secundam tabulam Decalogi.

Anabaptistæ delent secundam tabulam Decalogi.

Ratio autem iudicare potest, nequaquàm ex Deo esse, docentes contraria mandatis Decalogi, quæ etiam rationi nota sunt. Cùm autem similia multa docuerint & doceant Anabaptistæ nostra ætate, manifestum est, sectam ipsorum

ipsorum esse furorem Diabolicum. Itaq; propter hæc manifesta signa execrandi & fugiendi sunt, sicut scriptum est: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Item: Si quis dicit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei &c.

Refutationes autem horum errorum firmæ & perspicuæ notæ sint omnibus, præsertim rectè instituti sæpè de eis admoneantur.

Errores contra primam tabulam sunt magis tetri, sed sunt obscuriores, & magna confusio est opinionum. *Anabaptistæ delent primã tabulã Decalogi.*

Aliqui blasphemias Serueti contra tres personas diuinitatis circumferunt. Multi prorsus nihil dicunt de discrimine personarum, quid sit Filius, cur nominetur λόγος & imago æterni Patris. Quid sit Spiritus sanctus.

Omnes Anabaptistę fingunt, nullum esse peccatũ Originis, & propterea negant, Infantes baptisandos esse.

Postea de Iustificatione alij uelut Monachi fingunt, se iustos esse suis operibus, uidelicet externa disciplina, patientia, toruitate, desertione ciuilis uitæ, conturbatione distinctionis dominiorum, & simili barbarie. *Error de Iustificatione.*

Alij Enthusiastici fingunt, se iustos esse adflatibus diuinis, quos tamen non habent, sed imaginantur, adflatus suas speculationes, uel simulata suspiria. Et interdum accedunt Diaboli impulsiones, quibus uelut attoniti seu πετυφωμένοι stupefiunt, & edunt inusitatas uoces, sicut Anabaptistæ in urbe Monasteriensi in medijs plateis cadentes, uociferati sunt, se rapi mirandis motibus.

Hi Enthusiastici seu fanatici deinde addunt hunc pernicios issimum errorem: Affirmant Deum non efficacem esse cogitatione uerbi scripti, ut prorsus abducant homines ã uerbo Dei scripto. *Anabaptistæ negat Deum efficacem esse per uerbum.*

Cũm autem homines abducti sunt ã uerbo scripto, præcipuè tria ingentia mala sequuntur.

I. Amissio certæ doctrinæ, Legis & articulorum Fidei.
II. Amissio consolationis.
III. Extinctio ueræ Fidei, seu exercitiorum Fidei.

Primùm amittitur doctrina, quia cũm mens non regitur uerbo scripto, homines fanatici fingunt opiniones, ut libet, contra Legem & articulos Fidei, sicut multi fecerunt in Adulterijs.

Secundõ, in ueris doloribus non sustentant se scripta promissione, & sic ruunt in desperationem.

Tertiõ, neq; sciunt neq; discunt, quid sit Fides, quia quærunt adflatus, non sustentant se cogitatione scripti uerbi, cũm dictum sit: Fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei.

Constantissimẽ igitur explodenda sunt delira Stenckfeldij, & similium, qui abducunt homines ã scripto uerbo, & negant Deum efficacem esse cogitatione scripti uerbi. *Stenckfeldius explodendus.*

Semper autem in conspectu sint firma testimonia. Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, Rom. 1. Item: Propẽ est uerbum in ore tuo, & in corde tuo. Item: Fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei &c.

Sciamus autem, Filium Dei λόγον adesse cogitationi uerbi scripti, & per hanc immediatè efficacem esse, iuxta dictum Ioannis 8. τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Ad Ebræos 4. Viuus sermo Dei efficacior est gladio, & iudicat cogitationes, *Filius Dei est efficax per cogitationẽ uerbi scripti.*

& non

& non est abscondita creatura coram eo. Iohannis 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Et prouerb: 8. dicit Sapientia: Fui cum eo artifex, & delectationes meæ cum Filijs hominum. Antea uerò dicit: Clamo in uertice ciuitatis. Ita iungit uerbum uocale, & Filium Dei, qui immediatè efficax est in Ministerio Euangelij. Ideò regnum Christi est immediatè ipsum esse efficacem in ministerio Euangelij, & eum colligere & seruare Ecclesiam.

Regnum Christi.

Qui igitur abducunt homines à uerbo scripto, simul abducunt ab ipso filio Dei, & sunt hostes regni Christi. Hæc diligentissimè considerandа sunt, & inuitantur bonę mentes ad amorem & studium lectionis & cogitationis uerbi scripti, & ad uera exercitia Fidei, cùm cogitabunt, sic & non aliter, efficacem esse Filium Dei, uidelicet cogitatione uerbi scripti.

In qualibet secta totum doctrinæ corpus considerandũ.

Cùm autem inquit Dominus: Ex fructib. ipsorum agnoscetis eos, uult in qualibet secta totum doctrinæ corpus considerari. Ac si qua secta defendit insignes errores, manifestè pugnantes cum Lege diuina & Euangelio, sciamus eam sectam agitari à Diabolis, & fugiendam esse.

Anabaptistæ tollunt discrimen peccatorum.

Est autem horribilis error in secta Anabaptistica, quòd tollit discrimen inter peccata, quæ hærent in Sanctis, non contra conscientiam, & inter lapsus contra conscientiam. Et fingit, ruentes contra conscientiam tamen esse iustos, & retinere Spiritum sanctum. Hic furor Antinomorum latè uagatus est, etiam apud alios. Sed manifestè damnatur illustribus testimonijs diuinis.

1. Tim: 1. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Item 1. Cor: 6. Scortatores, Adulteri, Homicidæ &c. non possidebunt regnum Dei.

Rom: 8. Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis.

Item de Aaron: Dominus uoluit conterere eum.

DE POENITENTIA.

Quid nominet Ecclesia Pœnitentiam.

ETsi nomen POENITENTIA magis congruit ad contritionem, seu pauores & dolores, tamen Ecclesia sic nominat conuersionem ad Deum, quę & dolores & consolationem continet, seu mortificationem & uiuificationem, ut Paulus nominat. Et interdum narrationes Euangelicæ sic loquuntur: Gaudium est Angelis de uno peccatore, pœnitentiam agente.

Nec tamen λογομαχίας mouemus, si quis aliter uult loqui, non pugnamus cum eo. Retinemus bono consilio uocabulum in Ecclesia notissimum, ut res citius intelligatur, & magis perspicua sit refutatio errorum & labyrinthorum, quibus Monachi multis seculis doctrinam de pœnitentia corruperunt.

Quid est Pœnitentia seu conuersio ad Deum?

POENITENTIA SEV CONVERSIO ad Deum est contritio, id est, uerus pauor & dolor cordis propter peccata nostra, & Fide in Christum accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, iustificationẽ, & uiuificationem, & incoare nouam obedientiam.

Quot sunt partes Pœnitentiæ?

Tres sunt: Contritio, Fides & Noua obedientia. Hanc partitionem docẽdi causa bono consilio sic tradidimus, & petimus eã sine calumnijs intelligi.

Quid

Quid est Contritio?

Est uerè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata nostra, & dolere quòd Deum offendimus, iuxta hæc dicta: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et Esaiæ 66. Ad quem respiciam? nisi ad contritum spiritu, & trementem sermones meos. Et Ieremias inquit: Postquàm ostendisti mihi, percussi femur meum, id est, consternatus sum.

Qui sunt præcipui errores Papistarum de Contritione?

Duo sunt præcipui errores Papistarum de Contritione. Prior est, quòd dicunt: Oportere esse sufficientem contritionem, cùm nulla possit esse sufficiens. Et ubicunq; crescunt dolores sine consolatione & fide, ruunt homines in æternum exitium. *Nulla potest esse sufficiens contritio.*

Alter error est manifesta contumelia contra Christum, quòd fingunt, Contritionem mereri remissionem.

Est ne Contritio necessaria?

Respondeo. Est necessaria aliqua Contritio, quia in iuramento dicitur: Viuo ego, non uolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Oratio copulatiua est, & utrunq; affirmat. Vult fieri conuersionem & promittit uiuificationem. Significat autem in eo dicto Conuersio non simulatum dolorem, & mutationem prioris propositi. *Iuramentum est copulatiuũ*

2. Corinth: 7. Contristati estis ad pœnitentiam, & tristicia secundum Deum, pœnitentiam ad salutem non pœnitendam efficit.

Romanos 6. Vetus noster homo simul crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, ne seruiamus peccato.

Item: Initium sapientiæ, Timor Domini.

Suprà citatum est dictum Esaiæ: Ad quem respiciam? nisi ad contritum Spiritu, & trementem sermones meos.

Item: Scindite corda uestra.

Item: Deus ignis consumens est.

Deus uarijs calamitatibus hanc miseram naturam ideò onerauit, ut iram aduersus peccatum agnoscamus, & perterrefacti confugiamus ad Mediatorem. Esaiæ 28. Vexatio dat intellectum. Psalmo 118. Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. *Cur simus subiecti cruci.*

Contra.

De ignoto non potest esse dolor,
Multa & magna peccata, quæ tamen non nouimus, remittuntur,
Ergo non est necessaria Contritio.

Respondeo ad Maiorem: De ignoto non potest esse dolor, scilicet in specie. Deinde ad minorem respondeo: Multa & magna peccata, quæ tamen non nouimus, scilicet in specie, remittuntur, sicut scriptum est: Delicta quis intelligit? Sed in genere notum est, in hac deprauata massa caliginem & dubitationes esse, & multas errantes flammas, ut sentimus. Ideò Propheta in Psalmo simul complectitur hæc mala: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Necesse est igitur, aliquem uerum dolorem in nobis esse, in quo cùm fide erigimur, accipimus remissionem peccatorum. *Aliquis uerus dolor est in nobis.*

Nec disputandum est, an sit sufficiens dolor, quia non pendet remissio ex meri-

ex merito, aut magnitudine doloris, sed certissimum est, nullum esse sufficientem dolorem, & cũm crescit dolor sine consolatione, homo ruit in æternum exitium. Experimur autem omnes, in uera conuersione luctam ingentem esse, & non sine magno certamine apprehendi consolationem fide, sicut inquit ille: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. Item: Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Item: Spiritus opitulatur infirmitati nostræ.

In conuersione ingens luctа est.

Quid interest inter Timorem Seruilem, & timorem Filialem?

Respondeo. Timor Seruilis est pauor & sensus iræ Dei, sine fide, id est, sine fiducia misericordiæ accedente ad Deum, & sine consolatione, erigente corda in doloribus inferorum, ut pauor in Saule, Iuda & similibus, quę fit horribilis fremitus aduersus Deum, & fugit Deum, de quo dicitur 1. Iohan. 4. Perfecta dilectio foràs eijcit Timorem.

Pauor sine fide fit fremitus aduersus Deum.

Timor Filialis est pauor & sensus iræ Dei, sed cum Fide, id est, cũm fiducia misericordiæ, accedente ad Deum, qua liberantur corda ex doloribus, & clamant ad Deum: Abba pater, inter ipsos dolores, quos tamen uincit consolatio, sicut Dauid in excellentibus doloribus tamen erigitur, ut cũm inquit Psal. 41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad te Deus meus. Item: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me: Spera in eum, quoniam adhuc confitebor eum, Salutare uultus mei & Deus meus.

Talis est Sanctorum contritio in hac tota uita. Et huc pertinet dictum: Timor Domini initium Sapientiæ. Alias descriptiones timoris Seruilis & Filialis uolens omitto, quas ociosi disputatores fingunt: Timorem Filialem esse, qui non timet pœnas. Sed sciamus, mixtos esse hos ingentes motus in Sanctis. Timorem & sensum pœnæ, & fidem accedentem ad Deum. Quia uult Deus sanctos aliquo modo intelligere iram aduersus peccata, ut Ierem. 13. dicitur: Postquàm ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum & erubui, conuerte me & conuertar. Item Esaiæ 28. Facit alienum opus, ut faciat proprium.

Timor & sensus pœnæ & fides sunt motus mixti in sanctis.

Contra.

In prima Epistola Iohannis capite 4. dicitur: Timor non est in dilectione, sed perfecta dilectio foràs pellit timorem,
Ergo non est in sanctis Timor.

Respondeo. Vsitata interpretatio est dicti Iohannis: Timor non est in Dilectione, scilicet, Seruilis. Rectè sic dicitur. Sed hæc non de ociosis speculationibus intelligantur, sed sciamus, Timorem seruilem nominari fugam & fremitum aduersus Deum, sine fide, ut fugiunt Cain, Saul, Iudas, Cain inquit: Maius est peccatum meum, quàm ut remittatur.

Hunc timorem inquit Iohannes eijci, scilicet, quia Fide corda eriguntur, ut quanquàm sunt in dolore, tamen eluctentur, & simul accedant ad Deum, sicut inquit Paulus: Gratia exuberat supra delictum. Et Psalmo 13. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remittis mihi impietatem peccati mei.

Timor seruilis, qui est sine fide, eijcitur.

Accedente autem Fide, Timor fit Filialis, & simul accenditur Dilectio, quæ fides adfert pacem qua cor acquiescit in Deo, iuxta dictum: Iustificati fide pacem

de pacem habemus erga Deum. Et deinde dicitur: Dilectio Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum &c. Et tamen simul adhuc corda quatiuntur dubitationibus & magnis doloribus. Et semper repetenda est precatio: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. Item: Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Item, Interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Interea simul dolor de peccato fit purior, & Timor fit ordinata reuerentia erga Deum. Et nos loquimur de motibus, qui sensu percipiuntur in hac uita, in qua sensus iræ Dei etiam in Sanctis affert tristem consternationem, sed ex qua eluctantur erecti uoce Euangelij, & Fide.

In conuersione dolor fit purior. Timor fit reuerentia erga Deum.

DE FIDE.

IN conuersione necesse est fieri mentionem, non solùm horrendi doloris, qui nominatur Contritio, sed etiam consolationis, quia Deus inquit: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, Sed ut conuertatur & uiuat. Et manifestum est, filium Dei missum esse, non ut oppressi ira Dei ruamus in æternum exitium, sed ut reconciliati propter ipsum, & liberati ab ira Dei & æternis pœnis, rursus donemur iusticia & uita æterna, & Deus palàm se nobis communicet, & sit omnia in omnibus, sicut inquit Christus: Sic Deus dilexit muudum, ut Filium unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Ideò necesse est, Fidem poni alteram partem conuersionis, sicut Paulus loquens de conuersione, nominat Mortificationem & Viuificationem.

Fides altera pars est conuersionis.

Ac necessariò taxamus Monachos, apud quos in doctrina de pœnitentia prorsus est silentium de consolatione & fide, Imò expressè iubent dubitare, an recipiamur in gratiam, & manere in hac dubitatione. Contra has pernicio-sissimas tenebras, ut magis conspici possit consolatio & doctrina de Fide, nobis usitatum est, numerare Fidem partem conuersionis, quæ certè complectitur Mortificationem & Viuificationem.

Fides cur sit pars conuersionis.

Si quis amans rixarum mouerit λογομαχίας non pugno: Sed sic loquimur, quia hæc distributio est utilis commonefactio de Fide. Et certè ueteres descriptiones non sunt sufficientes. POENITENTIA EST PLANGERE PRAETERITA DELICTA, ET PLANGENDA NON FACERE. Hic enim non fit consolationis mentio.

Vetus definitio pœnitentiæ insufficiens.

Quòd autem Gratis Fide propter Mediatorem accipiatur remissio peccatorum, & Iustificatio seu Reconciliatio, & Viuificatio, quæ fit per Filium donato Spiritu sancto, & hæreditas uitæ æternæ, manifesta testimonia sunt:

Actorum 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Hic Petrus recitat testimonium diuinæ patefactionis, repetitum in uniuersa Ecclesia, subinde missis Prophetis, quorum uoci Deus etiam illustria testimonia addidit. Hunc consensum Catholicæ Ecclesiæ, & tanquàm perpetuam Synodum, citat Petrus, ut breuiter summam doctrinæ Propheticæ ostendat, & discernat propriam Euangelij uocem ab omnibus impijs, Ethnicis & Pharisaicis opinionibus, & significet, uocem Euangelij non esse nouam, sed omnibus temporibus in uera Ecclesia propagatam esse.

Petrus in doctrina iustificationis citat perpetuum consensum Ecclesiæ.

Adiungantur autem Petri dicto & alia testimonia sæpè alibi repetita, uidelicet in capite 3. 4. & 5. ad Romanos propositio de Iusticia fidei, & confirma-

tio,ubi dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Et ex Esaia: Noticia serui mei iusti iustificabit multos etc.

FIDES. Est autem FIDES assentiri omni uerbo Dei nobis tradito, & in hoc promissioni gratiæ,& est fiducia promissæ misericordiæ,qua cor propter Mediatorem, & per eum liberatur ex doloribus inferorum, & accedit ad Deum, & inuocat eum, clamans Abba pater, & hac uera consolatione acquiescit per Filium,dato Spiritu sancto,ut dicitur Galatas 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per Fidem: Et, Iustus fide sua uiuet.

Vt aũt hęc uera Fides rectè intelligatur,necesse est,semper in conspectu esse admonitionem Bernhardi, in qua dixit: Credere te oportet, Tibi remitti. Scit Diabolus,remitti aliquibus hominibus peccata,& multi homines,ut Saul & Iudas,credunt alijs remitti. Quare hæc necessaria admonitio sit infixa mentibus nostris: Credas Tibi ipsi remitti peccata. De hac fide loquitur Paulus Roman:4.cùm docet, promissionem fide accipi. Non accipiunt promissionem,qui credunt,eam alijs,non sibi,offerri,sicut in Epistola Iohannis scriptum est: Qui non credit in Filium, accusat eum mendacij.

Bernhardi dictum.

Credas TIBI remitti.

Cùm igitur recitas articulum Symboli: Credo remissionem peccatorum,intelligas non tantùm alijs,sed Tibi quoq; dari. De hac fide dicitur: Iustificati Fide pacem habemus. Nec alia consolatio quærenda est,sed hac fide in Deo propter Mediatorem acquiescendum est. Sic accipitur Spiritus sanctus, iuxta dictum in Zacharia: Effundam super domum Dauid Spiritum Gratiæ & precum. Quia tunc testificatur Spiritus sanctus in cordibus,quòd simus in Gratia, quia in ea consolatione sentimus nos eripi ex doloribus inferorum. Nec iam fugimus Deum, sed inuocamus, & ad eum accedimus. Et tunc uerissimum est, Filium Dei adesse, & efficacem esse in cordibus, & uerbo ostendere Patris præsentiam & misericordiam, & dare Spiritum sanctum, sicut inquit: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui uolet Filius reuelare. Item, Ego sum uitis, uos palmites &c.

Articulus symboli admonet TIBI remitti.

Repetenda est etiam doctrina de exclusiua. In uero agone semper disputat mens de dignitate: Video me non esse dignum reconciliatione,non habere benefacta,qualia habuerunt Aaron,Petrus,Dauid,quos Deus recepit,sentio multum in me dubitationum esse, & errantium cupiditatum. Hæc tentatio quotidie omnes pios in inuocatione languefacit, ut trepidi fugiant. Has trepidationes nominat Paulus peccata, quæ per Legem existunt. Sed contra has tentationes erigamur uoce Euangelij, de gratuita remissione propter Filium. Paulus inquit: Ideò ex fide Gratis, ut sit firma promissio, Roman:4. Sic & suprà dictum est de propositione, Sola fide iustificamur, id est, Gratis propter filium Dei,per Christum. Semper in conspectu sit uox Pauli: Gratia exuberat supra peccatum. Quantacunq; sunt peccata,tamen certum est,filium Dei potentiorem esse.

Renouanda est disputatio de dignitate propria.

Remissio est gratuita.

Quid nominatur Noua obedientia?

Necesse est in hac uita ante mortem corporalem fieri conuersionem ad Deum, iuxta dictum Apocalyp: 2. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam. Et ad Corinthios: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Cùm igitur post contritionem,remissio peccatorum Fide accepta est, sequatur noua obedientia,quæ proprijssimè est, iuxta Pauli definitionem, Militare bonam

In hac uita fieri oportet conuersionem.

Noua obedientia.

nam militiam,id est,retinere Fidem,& bonam conscientiam. Talis cursus habet magna certamina, sed sciamus, adesse inuocantibus filium Dei, sicut inquit: Venite ad me omnes,qui laboratis, & ego reficiam uos. Item: Ego sum uitis,uos palmites. Item: Spiritus opem fert infirmitati nostræ. Item: Deus est,qui facit ut uelitis & perficiatis,ut aliqua ipsi grata fiant. Et in his certaminibus renati transformantur ad imaginem Dei, ut lux in mentibus fiat similis uerbo Dei.

Quæ fuit impia doctrina Nouatianorum de Pœnitentia?

In urbe Alexandria Meletius fuit,qui negauit,post Baptismum lapsis in manifesta scelera remitti peccata. Eundem errorem Nouatus Romæ sparsit. Et cùm uterq; magnos cœtus superstitiosorum hominum haberet,applaudentium huic fanatico dogmati, magna dilaceratio Ecclesiarum facta est, & fuit diuturnum schisma.Et superbè nominarunt se illi hypocritæ καθαροὺς.Sed sit in conspectu refutatio. *Miletius.* *Nouatus.*

Petrus post tristem lapsum receptus est ã Christo. Item: Incestus apud Corinthios post pœnitentiam receptus est ã Paulo. Et adolescens educatus ã Iohanne.Et Galatarum Ecclesiæ in Apocalypsi reuocantur ad pœnitentiam. Et Petrus Episcopus Alexandrinus refutauit Meletium exemplis prioris Ecclesiæ.Certissimum est igitur, lapsos iterum conuerti posse ad Deum, & cùm redeunt ad pœnitentiam,fide accipere remissionem peccatorum. Hæc exempla ad dulcissimam regulam congruunt, Matth: 18. Remittite septuagies septies. Vbi mentio fit numeri non exigui, ut cogitent omnes pij non leues sordes hærere in omnibus hominibus, & multos lapsus accidere, etiam præstantibus hominibus, sicut acciderunt Adam, Aaroni, Moysi, Dauidi,Iosiæ,Petro,& alijs.Simus igitur memores dicti: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et piè dictum est: Ante tuos oculos nil nisi culpa sumus.Sed sciamus conuersionem necessariam esse, & non perseuerandum esse in delictis contra conscientiam, sicut inquit Dominus: Nisi pœnitentiam egeritis,omnes similiter peribitis. Quod ipsum dictum etiam refutat Nouatianos, quia Christus hortatur Apostolos ad pœnitentiam. *Lapsi post Baptismum,recipiuntur.* *Magnus numerus nominatur in Matthæo.* *Conuersio est necessaria.*

Quomodo numerant Papistæ partes pœnitentiæ?

Recensent & ipsi tres partes, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem.

I. DE CONTRITIONE.

COntritio necessariò recensetur, ut suprã dictum est, quia necesse est, non perseuerare in sceleribus contra conscientiam, sed dolere propter nostram immunditiem,& delicta actualia,iuxta dictum 2. Corinth: 7. Tristitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam efficit ad salutem. Item: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Item: Vbi habitabit Dominus? In Spiritu contrito,& tremente sermones meos. Suprã autem dictum est, Papistas addere duos errores præcipuos, uidelicet, quòd oportet sufficientem esse contritionem, & quòd mereatur remissionem. Hos pernicioso errores taxari necesse est. *Errores Papistarum de contritione.*

II. DE CONFESSIONE.

PRimùm scias uocabulum confessionis non uno modo usurpari in scriptis Propheticis,& historijs Ecclesiæ. In Psalmo 31. Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remittis impietatem peccati mei. *Duplex significatio est uocabuli confessionis.*

I. Hic & sæpè alibi confessio significat ueram contritionem erga Deum, qua homo immediatè coram Deo dolet, se habere peccata, & fide petit remissionem culpæ, & mitigationem pœnarum, sicut in Daniele dicitur: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Item Micheæ 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Hæc confessio immediatè ad Deum reipsa contritio est, & necessaria est.

Chrysostomus. Ad hanc accommodari potest dictum Chrysostomi, quod rectè intelligatur: οὐδὲν οὕτως ἵλεων ποιεῖ τὸν θεὸν ὡς ἡ ἐξομολόγησις, nihil sic placatum facit Deum sicut confessio.

II. Secunda significatio est, Confessio offensionis & petitio reconciliationis apud homines offensos, ut dicit Iacobus: Confitemini mutuō peccata uestra, id est, Sanate inter uos offensiones, sicut Matth: 5. dicitur: Vade prius, & reconcilieris fratri tuo. Hæc confessio apud offensos etiam est pars contritionis seu nouæ obedientiæ, in talibus negocijs, quæ non sunt occulta. Hæ significationes in scriptis Propheticis & Apostolicis rectè discernendæ sunt à decreto Pontificio, quod præcipit confessionem, id est, enumerationem delictorum etiam arcanorum, faciendam administrantibus Sacramenta. De hac enumeratione quæritur, qua occasione recepta sit, & paulatim cumulata, & an sit necessaria.

Decretum Pontificium de cōfessione.

Vnde est confessio, quæ est enumeratio apud administrantes Sacramenta?

Ritus confessionis. Respondeo. Hic ritus ortus est à spectaculis publicę pœnitentię, quam sic nominarunt. Nam polluti sceleribus, quæ passim nota erant, cū redituri essent ad Ecclesiam, petebant se recipi, commemorabant sua delicta, ut, sicut tunc consuetudo erat, per aliquot dies starent in templo, cum signis reatus, & deinde publicè reciperentur.

Publica pœnitentia non merebatur remissionem peccatorum. Hoc spectaculum nominabatur publica pœnitentia, & pertinebat tantūm ad pollutos sceleribus, quæ passim nota erant, & nequaquàm merebatur remissionem peccatorum, neq; culpæ, neq; pœnæ, sed commonefactio erat apud alios homines, ut essent diligentiores in cauendis lapsibus, & cogitarent de magnitudine peccatorum &c. Item, Exploratio erat, quæ ostendebat, istos seriō petere remissionem.

Est ne enumeratio omnium aut aliquorum delictorum necessaria?

Nulla enumeratio delictorum est necessaria. Respondeo. Nulla enumeratio delictorum necessaria est, quia manifestum est, nusquàm extare præceptum diuinum de Enumeratione singulorum. Et enumeratio omnium est impossibilis, sicut scriptum est: Delicta quis intelligit? Sed petitio Absolutionis priuatæ retinenda est propter multas grauissimas causas. Nam uox Euangelij & multis & singulis, qui ad Deum conuertuntur, & consolationem petunt, remissionem peccatorum annunciat, iuxta dictum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et nihil dubium est Sacramenta uerè esse applicationem generalis promissionis ad singulos, sicut Paulus inquit: Circumcisionem fuisse sigillum iusticiæ, id est, commonefactionem de promissione, & testimonium applicationis.

Absolutio priuatæ cur retinenda.

I.

II.

III. Præterea retento ritu priuatæ absolutionis magis in Ecclesia conspicitur discrimen Legis & Euangelij, & ostenditur testimonium ipsis exemplis, quòd

quõd in Euangelio mandatum traditum sit de remissione peccatorum, sicut Petrus Alexandrinus ritum publicum citauit contra Nouatianos.

Contra.

Iudex non potest absoluere nisi causa cognita,
Pastor est Iudex,
Ergo necesse est fieri cognitionem, ad quam necessaria est Enumeratio.

Respondeo. Nego Minorem. Pastor enim est minister Euangelij, habens mandatum, ut Euangelium annunciet, seu multis, seu singulis. Et hæc absolutio fit ratione ministerij, & est consolatio coram Deo. Alia est absolutio in criminibus, quæ nota sunt, quæ fit ratione iurisdictionis, quæ distinguenda est à principali ministerio, & recipit eum, qui reus fuerat publicorum criminum coram Ecclesia. Hæc alibi copiosius declarantur.

Absolutio quæ fit ratione ministerij, discernenda est ab absolutiõe quæ fit ratione iurisdictionis.

III.

DE SATISFACTIONIBVS.

NOmen Satisfactionis à spectaculo publicæ pœnitentiæ sumtum est. Nam ut suprà dixi, mos fuit in Ecclesia uetusta, pollutos atrocibus & manifestis sceleribus, cùm se recipi petebant, collocare in loco certo templi spectandos in ueste lugubri. Sicut nostro tempore interdum Anabaptistæ deposito errore ita recepti sunt, ut aliquot diebus ante templum starent in conspectu populi, & signa suæ pœnitentiæ ostenderent.

Vetus consuetudo recipiendi lapsos.

Hic mos nequaquàm existimabatur mereri remissionem peccatorum, seu culpæ seu pœnæ, sed erat spectaculum publicum, institutum ad alios commonefaciendos, ut cogitarent similes lapsus uitandos esse. Erat etiam qualiscunq; exploratio, an illi seriò peterent se recipi. Fuit in omnibus rebus Vetustas seuerior, quàm hæc ultima & delira mundi ætas. Ideõ excommunicati propter cædes, postea arcebantur à conuictu aliorum hominum, & gerebant certa signa reatus, ut alij homines scirent, eorum consuetudinem uitandam esse.

Vetustas fuit seuerior.

Hic mos haud dubiè à primis Patribus acceptus est: Nam & apud Ethnicos, apud quos ueteris disciplinæ uestigia retenta sunt, eadem consuetudo manslit. Orestes interfecta matre gessit signa reatus, ut ubicunq; uagabatur, cæteri homines à conuictu eius abstinerent. Hæc signa postea in absolutione amota sunt. Sic & Adrastus apud Herodotum gessit signa reatus.

Mos gerendi signa reatus sumtus à patribus.

Talibus exemplis uetustas commonefacere alios homines uoluit, ut magis abhorrerent à sceleribus.

Huius uetusti moris uestigium fuit spectaculum satisfactionum, ut nominabatur. Græci nominauerunt ἐπιτίμια, id est, castigationes. Sed postea superstitione creuerunt ritus, & accesserunt stultæ & impiæ opiniones. Ac Monachi quia fontes ignorabant, portentosas opiniones de Satisfactionibus finxerunt. Hæc historica ualdè prodest omnibus notissima esse, facilius enim postea disputationes de Satisfactionibus dijudicari possunt. Primùm autem refutatio hæc tenenda est.

ἐπιτίμια.

In furto restitutio rei alienæ necessaria est, iuxta regulam: Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Et Paulus inquit: Qui furatus est, iam non furetur.

Restitutio autem est Satisfactio,
Ergo Satisfactiones sunt necessariæ.

Restitutio non est satisfactio Canonica.

Respondeo. Nego minorem, quia restitutio non est Satisfactio illa, quæ Canonica appellatur, quæ est opus non debitum Deo, & de qua Monachi loquuntur, sed est opus debitum Deo, pertinens ad contritionem & Nouam obedientiam. Quia qui sciens retinet rem alienam, retinet animum furandi. Necesse est autem non perseuerare in sceleribus contra Conscientiam, iuxta dictum: Milita bonam militiam, retinens Fidem & bonam conscientiam.

Quid nominant Canonicam Satisfactionem?

Nominant opus indebitum, id est, non mandatum à Deo, quo fingunt compensari pœnas æternas seu purgatorij. In hoc deliramento magnum chaos est errorum, quod totum euidenter refutatur hoc uno dicto: Frustra colunt me mandatis hominum.

Est ne distincta remissio culpæ à remissione pœnæ æternæ?

Remissio culpæ non est diuellenda à remissione pœnæ æternæ.

Respondeo. Nequaquam distincta est. Ac remissio culpæ prorsus eadem est, quæ est remissio pœnæ æternæ, iuxta dictum: Iustificati Fide pacem habemus. Item, Iustus fide sua uiuet. Item, Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro mundo, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Nam æterna pœna est sensus iræ Dei. Remissa autem culpa, fit reconciliatio, & filius Dei uoce Euangelij consolatur cor, & retrahit ex doloribus inferorum, de quibus dicit Ezechias: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et sequitur: Tu autem eruisti animam meam, ne periret: Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Item Micheas: Proijciam peccata uestra in profundum mare. Item: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Item totum caput octauum ad Romanos idem dicit.

Certissimum est igitur, semper simul fieri fide propter filium Dei, & per eum remissionem culpæ & pœnæ æternæ. Hoc scire ad consolationem necessarium est.

Est ne distincta remissio culpæ à remissione pœnæ temporalis in hac vita?

Respondeo. Est distincta. Vt, Adam, Dauid, accipiunt remissionem culpæ, & tamen simul subijciuntur pœnis in hac uita, quæ tamen nequaquam sunt compensationes aut merita pro pœna æterna, ut insulsè & impiè finxerunt Monachi, sed habent prorsus alias causas. Et hic tota doctrina de causis humanarum calamitatum consideranda est, quæ in sola Ecclesia diuinitus patefacta est, & ignota est sapientiæ humanæ & Philosophiæ.

Sola Ecclesia nouit causas humanarum calamitatum.

Philosophi quas ponãt causas humanarũ calamitatum.

Philosophi dicunt causam mortis & morborum esse Materiam. Deinde multarum calamitatum causas esse errores iudicij in mentibus hominum, inordinatos affectus, & uoluntates non obtemperantes recto iudicio. Etsi autem uerum est, has esse causas propinquas, tamen rursus quæritur de principali causa, unde sit in Materia, Mente & Voluntatibus tanta infirmitas & confusio? Hæc principalis causa primis parentibus statim nota fuit. Postea uerò Deus semper in Ecclesia doctrinam de ea causa repeti uoluit. Sunt autem hæ causæ.

Prima

Prima communis toti generi humano. Propter peccatum primorum parentum & peccatum nobiscum nascens, omnes homines sunt subiecti morti, tyrannidi Diaboli, & communibus calamitatibus, iuxta dicta, Genes: 3. & Rom: 5. Per peccatum Mors. Item Ephes: 2. ait Paulus, Diabolum efficacem esse in impijs, ut horribilis historia totius Mundi ostendit, cædes facta ã Cain, & deinceps idolomaniæ, bella & incestæ libidines.

Deinde de Ecclesia hæ causæ sunt.

Causæ humanarum calamitatum notæ Ecclesiæ.

I. Prima communis, propter Peccatum nobiscum nascens.

II. Secunda. Quia Diabolus præcipuè insidiatur Ecclesiæ, iuxta dictum: Inimicicias ponam inter Semen Mulieris & Serpentem. Item: Diabolus circuit tanquãm Leo rugiens. Et in Iob est: Diabolus est inter filios Dei &c.

III. Tertia. Quia Deus præcipuè in Ecclesia uult intelligi iram suam aduersus peccata, & crescere pœnitentiam, lucem Fidei, & Inuocationem, & reprimi prauas inclinationes, iuxta dictum: Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Item: Cùm iudicamur ã Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Esaiæ 26. Angustia clamoris disciplina eis est.

Actualia delicta puniuntur singularibus pœnis.

IIII. Quarta. Multi in Ecclesia habent etiam actualia delicta, quæ puniuntur singularibus pœnis, quæ interdum sunt προκαταρκτικαὶ, ut totæ Gentes puniantur, ut, Dauidis adulterium, stuprum in Beniamin, idolatria Aaronis, Manasse, & aliorum. De his dicitur: Iram Domini portabo, quia peccaui ei: Et tamen cùm sedebo in tenebris, Dominus erit lux mea. Item: Cùm iudicamur, ã Domino corripimur, ne cum hoc Mundo damnemur.

V. Quinta. Vult Deus præcipua membra Ecclesiæ conspici insigniter conformia imaginis filij Dei, & eorum neces testimonia esse de doctrina & de futuro iudicio. Vt quia sinit interfici Paulum ã Nerone, significat restare aliud iudicium.

VI. Sexta. Sinit Deus accidere sanctis inextricabilia humano consilio, ut ostendat præsentiam suam in Ecclesia. Num: 14. Vt sciant, quòd sis in populo isto. 1. Reg: 14. ut sciat omnis terra, quòd sit Deus in Israël. Et Ieremias inquit: Misericordiæ Domini, quòd non consumti sumus &c.

Vsus doctrinæ de causis calamitatum.

Has causas in conspectu habere necesse est, ad discernendam doctrinam Philosophicam, item superstitiones, & doctrinam Ecclesiæ, & ad confirmandam fidem, obedientiam in calamitatibus, spem, inuocationem, petitionem & expectationem liberationis aut mitigationis, sicut re ipsa differunt ab exitijs Ethnicis castigationes Ecclesiæ, de quibus dicitur: Non accendam totam iram meam. Item in Abacuc: In ira misericordiæ recordabitur. Item: Non faciam furorem iræ meæ. Item: Domine ne in furore tuo arguas me. Item: Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. Item: Castigans castigauit me, & morti non tradidit me: Non moriar, sed uiuam, & prædicabo opera Domini. Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me. Item: Si iudicaremus nos ipsos, non iudicaremur à Domino &c.

Hæ causæ calamitatum considerandæ sunt, & simul conferendæ consolationes, & accendendæ sunt mentes, ut crescant Pœnitentia, Fides, Spes, Inuocatio, & cæteræ uirtutes.

Calamitates non sunt satisfactiones.

Hæ calamitates communes aut singulares, quibus Deus nos castigat, nequaquam sunt satisfactiones, id est, merita remissionis culpæ aut pœnæ æternæ, aut Purgatorij, sed habent alias causas, uidelicet, aut ut sint Exercitia, ut carcer Ioseph, ut in tertia causa suprā dictum est, aut ut sint τιμωρίαι, ut pœna Dauidis, ut in quarta causa diximus, quia uult Deus conspici exempla iusticiæ suę in pœnis homicidarum, etiamsi conuertuntur ad Deum. Aut sint μαρτύρια, ut Prophetarum supplicia, Abel, Iohannis Baptistæ, Esaiæ, & aliorum.

Argumentum.

Dauidi post remissionem culpæ imposita est pœna,
Ergo Satisfactiones ad remissionem culpæ accedere debent.

Respondeo. Nego consequentiam, quia aliud est pœna temporalis Diuinitus imposita, aliud satisfactio. Et longē aliud Satisfactio ab Hominibus excogitata. Etsi autem sæpē sequuntur pœnæ temporales atrocia delicta, quia uult Deus intelligi, se esse, & iustum esse, & uindicem, ac destruere non conuentes ad suam iusticiam: Tamen has ipsas mitigat agentibus pœnitentiam, nec punit omnia delicta talibus pœnis temporalibus. Ideò inquit: Non accendam totam iram meam, &c.

Pœnæ mitigantur agentibus pœnitentiam.

Pœnæ diuinæ non tolluntur potestate clauium.

Præterea hæ pœnæ temporales Diuinitus impositæ non tolluntur potestate Clauium, ideō nihil huc pertinent commentitiæ Satisfactiones, quæ nominantur canonicæ. Ac ut discrimina afflictionum melius intelligi possint, genera distinguantur iuxta causas finales. Sunt autem hęc quatuor genera.

Quatuor genera adflictionum.

I. Omnes afflictiones aut sunt τιμωρίαι, id est, pœnæ, ut pœna Dauidis, id est, destructio propter scelus.

II. Aut sunt δοκιμασίαι, ut carcer Ioseph, quia Ioseph non meruit peccato aliquo actuali, ut ita malē tractetur.

III. Aut sunt μαρτύρια, ut supplicia Abel, Baptistæ, Ieremiæ, Esaiæ & aliorum, sunt testimonia de doctrina.

IIII. Aut λύτρον, ut solius Christi meritum.

Aliud Argumentum.

Si nos iudicaremus, nos iudicaremur à Domino, 1. *Corinth:* 11.
Satisfactione nos iudicamus, id est, punimus,
Ergo non iudicamur à Domino, id est, Deus tollit pœnas propter nostram Satisfactionem.

Respondeo. Nego minorem, quia satisfactione Canonica, ut uocant, non iudicamus nos, sed uera conuersione, iuxta dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Paulus uocat iudicare totam conuersionem, non externas & simulatas tragœdias, ab hominibus excogitatas. Nec pœnæ æternæ, nec pœnæ corporales tolluntur per opus impij militis, cùm iter facit Cataphractus ad sanctum Iacobum, sed cumulantur peccata idolorum cultu, sicut ex opinione Papistica de Satisfactionibus magna scelera & tetri errores orti sunt, quod ostendunt ipsi Canones de Satisfactionibus, & multa exempla meminimus.

Iudicare significat totam cōuersionem.

Errores de satisfactione Papistica spectris cōfirmati sunt.

Errores etiam isti ā Spectris confirmati sunt. Ego amitam habui, quæ cùm mortuo marito uicina partui mœsta sederet ad focū uesperi, duo ingressi sunt domum, quorum alter habebat mariti speciem, & sese esse maritū mulieris mor-

ris mortuum dicebat. Alter longus Franciscani Monachi speciem habebat. Et cùm ad Focum accessisset is, qui induerat Mariti speciem, salutat uxorem mœstam, iubet eam esse sine metu, quia uenerit mandata quædam ei daturus, & illum longum Monachum iubet tantisper ingredi in hypocaustum. Deinde colloquens petit ut Sacrificulos conducat, qui Missas celebrent. Discessurus petit, ut sibi dextram porrigat. Cùm uerò perterrefacta contaretur, & ipse promitteret, non fore ut læderetur, dat dextram, quæ etiamsi non est læsa, tamen ita usta est, ut semper atra manserit. Postea reuocat illum longum Franciscanum, & discedentes mox euanescunt. Tales historiæ multæ non leguntur tantùm, sed etiam hominibus fide dignis notæ sunt.

Necesse est igitur errores de Satisfactionibus taxari, & restituenda est dicto Paulino natiua sententia dulcissima. Hoc enim docet, mitigari pœnas etiam in hac uita, his qui conuertuntur, ut, Dauidi, Manassæ, Niniuitis mitigantur pœnæ post conuersionem. Sicut & in Zacharia dicitur: Conuertimini ad me, & conuertar ad uos. Et Esai: 33. dicitur: Panis ei dabitur: Regem in decore suo uidebit. Et Esai: 58. Frange esurienti panem tuum, & eris uelut hortus irriguus. Ad has sententias congruit Pauli dictum: SI NOS IVDICAREMVS, NON IVDICAREMVR A DOMINO. Et loquitur de uera conuersione. Et consolationis causa sæpè cogitandum est, ut sciamus, Deum pœnas corporales mitigare ijs, qui ad ipsum conuertuntur.

DE COENA DOMINI.

Quid est Cœna Domini?

EST communicatio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sicut in uerbis Euangelij instituta est, in qua sumtione filius Dei uerè & substantialiter adest, & testatur se applicare credentibus sua beneficia, & se assumsisse humanam naturam propter nos, ut nos quoq; sibi insertos fide membra sua faciat, & nos ablutos esse sanguine suo. Simul etiam testatur, se uelle in credentibus deinceps esse, & se, cùm sit λόγος æterni patris, docere, uiuificare & regere credentes, sicut inquit Iohannis 15. Manete in me, & ego in uobis: Qui manet in me, & ego in eo, id est, qui fide retinet Euangelium, in eo uerè adest filius Dei.

In sumtione filius Dei uerè & substantialiter adest.

Quis est fructus Sumtionis?

Vsitatè respondetur, quòd sumtio fiat ad confirmandam Fidem, uidelicet ut applicentur credenti beneficia Christi, sicut suprà dictum est, Sacramenta esse testimonia applicationis, quod necesse est intelligi, non ut Papistæ loquuntur, ex opere operato, id est, sine bono motu utentis in adultis, sed cùm Fide accipiunt. Sic enim & non aliter colligit æternam Ecclesiam filius Dei, uoce Euangelij, & usu Sacramentorum, sicut dicitur: Fides ex auditu est, auditus per uerbum Dei. Trahit igitur uoce Euangelij, & uult nos assentiri. Eodem modo de Sacramentis dicitur, sicut Augustinus confert Verbum & Sacramenta, cùm dicit, Sacramentum esse Verbum uisibile.

Sumtio fit ad confirmandam fidem.

Augustinus, Sacramentum est uerbum uisibile.

Est igitur hic primus fructus, hoc testimonio confirmare Fidem, & statuere, quòd hoc tanquàm pignore seu sigillo filius Dei se tibi applicare sua beneficia testetur, sicut & Paulus Circumcisionem appellat Sigillum Iusticiæ, id est, te-

est, testimonium confirmans nos. Postea hæc applicatio magis declaretur. Ita fit applicatio beneficiorum, ut credens inseratur Christo, & fiat eius membrum, & testimonium habeat, quòd filius Dei assumserit humanam naturam propter NOS, ut nos sibi insertos tanquam surculos seruet, cùm totum genus humanum funditus periturum fuisset, nisi ipse massam nostram assumsisset, & nos sibi insereret. Sic igitur prodest sumtio, & fit dulcissima, cùm hos fructus cogitamus.

Sumtionis fructus.

I. Primùm, cùm Fides in conuersione intuetur filium Dei, testificantem, se tibi applicare remissionem. Deinde testificantem, se ideò assumsisse Humanam naturam, ut sustentet nos, colligat æternam Ecclesiam, uiuificet eam, & semper sit in credentibus filius Dei λόγος cum uoce Euangelij, gestet & gubernet eos.

II. Secundò accedat Gratiarum actio pro Filij missione, pro assumtione Humanæ naturæ, pro ipsius passione, pro redemtione, pro donatione Euangelij, pro uiuificatione, quæ fit per ipsum & Spiritum Sanctum, pro restitutione uitæ æternæ, pro collectione Ecclesiæ, deniq; pro omnibus beneficijs. Vtrumque complectitur Dominus, uidelicet, confirmationem Fidei, & Gratiarum actionem, cùm inquit: Hoc facite in mei commemorationem. Quia recordatio non simulata, est in uera conuersione petere & credere remissionem propter Mediatorem, & hac fide erigi & uiuificari per eum, & deinde uerè gratias agere. Ideò uetustas usa est nomine Εὐχαριστίας.

Hoc facite in mei recordationem, duo complectitur.

III. Tertiò simul cogitandum est, ueriss imè Deum uelle hanc sumtionem in publico congressu fieri, ut sit neruus honestæ congregationis, quia Deus semper uoluit Ecclesiam esse uisibilem cœtum, habere honestos congressus publicos, in quibus sonet uox Euangelij de filio Dei, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum.

Dei doctrina nõ est similis mysterijs Eleusinijs.

Non uult Deus, suam doctrinam similem esse arcanis mysterijs Eleusinijs. Sed uult in toto genere humano exaudiri & agnosci Filium. Ideò & ipse miranda potentia seruat & seruabit honestos Ecclesiæ congressus, & uult singulos adiuuare horum publicorum congressum conseruationem, ut Ministerium docendi conseruetur.

Honesti & publici congressus.

Ibi uult Deus communem precationem & gratiarum actionem fieri, ibi uult ostendi confessionem, quod genus doctrinæ singuli amplectantur. Ibi uult etiam membra Ecclesiæ inter se simul facere officia mutuæ dilectionis, & ostendere, se esse unum in Christo, & consentientia unius Christi membra. Sicut Paulus inquit: Vnus est panis, unum corpus multi sumus. Ac semper uetustas fœdera confirmauit societate sacrorum: Ideò Σπόνδαι significant fœdera, cùm σπονδὴ propriè sit libatio, à σπίω, quod est à πίνω.

Σπόνδαι.

Hæ tres grauissimæ causæ semper in Synaxi cogitandæ sunt, quæ quidem pias mentes & ad conseruationem publici Ministerij, & ad sumtionem inuitant.

Quid differunt Sacramentum & Sacrificium?

Semper hoc in conspectu sit in Ecclesia, Sacramenta non tantùm esse signa professionis externæ, ut Toga discernebat Romanum ab alijs hominibus: Sed esse signa uoluntatis Dei erga nos, & quidem in nouo Testamento esse testimonia gratiæ, addita promissioni, id est, testari quòd Deus propter filium credentes recipiat, & applicet eis promissionem.

Sacramenta sunt testimonia gratiæ principaliter.

Etsi au-

Etsi autem multi tantùm iudicant politico more, hos ritus esse signa professionis, instituta ut discernant homines: Tamen sciamus, hunc non esse principalem finem Sacramentorum, quanquàm hic finis etiam postea accedit, ut, Circumcisio primùm significabat promissionem de uenturo Semine, & de Gratia, Postea etiam erat signum discernens Israëlitas à gentibus.

Deinde Sacramenta etiam à Sacrificijs discernenda sunt. Sacramenta *Sacramenta.* sunt ritus diuinitus instituti, in quibus Deus affirmat, se nobis aliquid dare, id est, testatur credentes recipi à se, & eis applicari promissionem, ut de Circumcisione dicit: Ego ero Deus eorum.

Sed Sacrificia nominantur opera quæcũq; à Deo præcepta, quę nos red- *Sacrificia.* dimus Deo, ut ostendamus, nos agnoscere, hũc uerè esse Deum, quem sic colimus, & uelle eum coli, sicut docet, Vt, Israëlitarum confessio contra Nabuchodonosor, & constantia in supplicio est Sacrificium, id est, est res quæ offertur Deo, qua tribuunt ei debitum honorem, id est, ostendunt, hunc esse Deum, quem sic colunt, & non alios, & uelle eum coli sicut docet. Sic castitas Ioseph est Sacrificium, id est, opus quod Ioseph Deo reddit, & testatur hac obedientia, se sentire, hunc uerè esse Deum, quem sic colit, & uelle eum hac obedientia coli.

Est igitur Sacrificium opus à DEO mandatum, factum in agnitione *Sacrificium quid.* Mediatoris & fide, ad hunc finem, ut Deo præstetur honos, id est, ut eo opere testemur, hunc uerè esse DEVM, & uelle eum sic coli. Hac distinctione considerata, postea facilius intelligi potest disputatio de oblatione, seu de sacrificio.

Vtile est & alteram distinctionem considerare. Osiander fecit tres spe- *Osiander.* cies Sacrificiorum.

I. τυπικὰ.
II. ἱλάσικον.
III. Διδακτρον.

ἱλάσικον est unicum CHRISTI Sacrificium, quo Christus se offert æterno Patri, & deriuat in sese iram, & meretur nobis sua obedientia reconciliationem.

τυπικὰ nominat omnia Leuitica. Et in his erant Διδακτρα, quatenus inde alebantur Leuitæ, & eorum familiæ. Sed addo meam distinctionem. Vnicum Sacrificium est ἱλάσικον, scilicet tota Christi obedientia. Aliorum omnium pio- *Species sacrificiorum.* rum sacrificia sunt εὐχαρισικὰ. Et hæc aut sunt τυπικὰ, aut sunt moralia.

De Vocabulis publici ritus Cœnæ Domini.

Prima appellatio est, Cœna Domini, 1. Corinth. 11. qua appellatione ritus simplicissimè appellatur.

II. Postea in Græca Ecclesia nomen usurpatum est usq; ad hæc tempora λατρεία, quod significat simpliciter administrationem publici boni, ut si quis dicat instrui & apparari nauim, esse λατρείαν. Est. n. à λίτον, id est, bellando par- *Λατρεία est ministerij nomen non sacrificij.* tum, non à λιτὴ, id est, precatio. Non est igitur sacrificij nomen, sed Ministerij, in quo unus multis seruit, exhibens Sacramentum. Notissima est. n. appellatio λατρεία de oneribus publicis, ut sciunt oẽs mediocriter docti in Græca lingua.

III. Tertia appellatio est σύναξις, à congregatione, quia Deus uult publicos esse Ecclesiæ congressus honestos, & eos immensa bonitate seruat, & hanc Ceremoniam uult esse neruum publicæ congregationis.

IIII. Quarta

IIII. Quarta appellatio Εὐχαριστία, est Gratiarum actio, quia ueriſſimum est, filium Dei in illa Cœna primùm uelle Fide accipi beneficia ſua. Deinde & gratias agi pro tota redemtione, & collectione Eccleſiæ.

Ἀγάπη. V. Quinta appellatio est Ἀγάπη, ſiue quia olim ſimul afferebantur ad Cœnam Domini panes & aliæ res diſtribuendæ pauperibus: Siue quia iudicabant eſſe fœdus mutuæ dilectionis. Quod etſi uerum eſt, tamen alius eſt prior & principalis finis, ſcilicet, Teſtimonium ſeu pignus eſſe uoluntatis Dei erga nos.

Miſſa unde dicitur. Romani uſi ſunt nomine MISSA, nec ſcitur, an id nomen ab Ebræis ſumtum ſit, an uerò Latinam originem habeat. In Deuteronomio capite 16. legitur uocabulum Miſſa pro contributione, quia in feriis, ut iam dixi, multa afferebantur diſtribuenda pauperibus.

Alij dicunt Latinum eſſe Miſſam pro remiſſione peccatorum, ſicut & Cyprianus utitur uocabulo Remiſſa pro Remiſſione, quia ibi annũciatur Remiſſio peccatorum omnibus conuerſis, qui ad Cœnam Domini admiſſi ſunt. *Verba abſolutionis.* Fuerunt igitur tanquam uerba abſolutionis: λάοις ἄφεσις ἔσω, populis ſit remiſſio, id eſt, ſit uobis remiſſio, qui acceſſiſtis ad communionem. Quod Latini imitati ſunt: ITE MISSA EST, id eſt, remiſſio peccatorum uobis certò annunciata eſt. In his uocabulis publicè uſitatis nullum eſt, quod oblationem aut ſacrificium propriè ſignificet.

Quare neceſſe eſt MISSAM Papiſtarum taxari?

Miſſa Papiſtica eſt Idolatrica. Quia omnis Idolatria eſt taxanda, fugienda & abolenda. Idolatricum eſt autem, quod dicunt Papiſtæ, Sacrificulos ſua oblatione & Miſſa mereri remiſſionem peccatorum facienti & alijs. Et quidem cumulant errores, cùm addunt, eam oblationem mereri ex Opere operato, ut ipſi loquuntur. Quæ opinio palàm Ethnica eſt. Neceſſe eſt igitur Papiſticam MISSAM taxari, uitari & aboleri.

MINOR probatur. Quia ad Ebræos expreſſè ſcriptum eſt: Vnico Sacrificio conſummauit Sanctos. Præterea nullum opus externum in nouo Teſtamento placet, ut illi loquuntur, ex opere operato. Quia ſcriptum eſt: Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & ueritate.

Alia ratio.

Nihil habet rationem Sacramenti extra uſum inſtitutum. Tenenda eſt Regula: NIHIL HABET RATIONEM SACRAMENTI EXTRA VSVM, QVI INSTITVTVS EST A DEO. Oblatio non inſtituta eſt in uerbis Euangelij, ſed ſumtio. Igitur non eſt facienda oblatio.

Contra.

Vniuerſalis Eccleſia non errat,
Græca & Latina Eccleſia faciunt mentionem oblationis,
Ergo eſt aliqua oblatio.

Oblatio quid ſit ueteri Eccleſiæ Græcæ. Reſpondeo. Vetus Eccleſia Græca loquitur de oblatione gratiarum actionis, non de Merito, ſeu propiciatione pro peccatis, quia expreſſè dicit: Offerimus pro Patribus, Prophetis & Apoſtolis, uidelicet Gratiarum actionem, ſicut uerum eſt, ſemper in Cœna Domini hæc facienda eſſe ordinè, publicè & priuatim.

Quæ ſint facienda in Cœna Domini. I. Proponendam eſſe doctrinã de beneficijs Chriſti, de Pœnitentia & Fide.

II. Secun-

II. Secundò, Faciendam esse Inuocationem.

III. Tertiò, Sumtionem, qua Fides confirmetur in conuersis, qui statuant, uerè sibi applicari beneficia Mediatoris. Et in eo exercitio Fidei sumtio habet rationem Sacramenti, quia accipit beneficia Dei. *In exercitio fidei sumtio habet rationem sacramenti.*

IIII. Quartò, Accedat gratiarum actio publicè & priuatim de toto beneficio redemtionis & collectionis Ecclesiæ, & de alijs beneficijs, spiritualibus & corporalibus. Ideò uetustas usa est nomine εὐχαριστίας. Sed prius intelligenda est ratio Sacramenti.

DE INVOCATIONE, PRECATIONE ET GRATIARVM ACTIONE.

Quid est cultus Dei?

REspondeo. Est opus à Deo mandatum, factum in Fide, id est, uera agnitione & fiducia Mediatoris, quod refertur ad hunc finem, ut Deo tribuatur honos, id est, ut testemur, hunc uerè esse Deum, quem sic colimus, & eum sic uelle coli. Sit igitur regula cultuum Decalogus rectè intellectus, iuxta dictum Ezechielis 20. In præceptis meis ambulate, non in præceptis Patrum. Et in prima Tabula præcipuè de Inuocatione præcipitur, iuxta dictum: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Decalogus rectè intellectus regula est cultuum.*

Quid est Inuocatio seu Adoratio?

Est aut petere à Deo propter Mediatorem bona necessaria, aut pro beneficijs Deo aut Mediatori gratias agere. Quòd uerò aliqui tertium genus adiungunt, celebrare laudes Dei, id spargitur in illa duo genera, aut certè est doctrina ostendens quid & qualis sit. Quod si quis uult esse tertium genus, non repugno. *Tertium genus adorationis.*

Quomodo facienda est Inuocatio seu Petitio?

Satis intelligi potest, alium motum in corde esse, petentem ut nobis aliquid detur: Alium, lætari accepto beneficio. Primùm igitur discatur, quomodo facienda sit petitio. Ac turpis negligentia est, cùm de cæteris uirtutibus tam multa & scripta & disputata sint, de uera precatione, quæ est summa uirtus, minus cogitari. Necessaria est autem præcipuè & Sex rerum consideratio. *Sex in Inuocatione sunt cogitanda.*

I. PRIMO cogitandũ est, QVID ET QVEM DEVM, VBI PATEFACTVM INVOCES, VT DISCERNAS TVAM INVOCATIONEM AB ETHNICA. Ideò Iohannis 4. scriptum est: Vos adoratis quod nescitis, Nos adoramus quod scimus.

Vult Deus nos intelligere in precatione, quid agamus, & quid inuocemus. Vult se uerum Deum à commentitijs numinibus discerni. Ideò dictum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Vult non uagari cogitationes nostras, ut uagatur Hecuba apud Euripidem: O Iupiter, quidquid es, siue hoc cœlum, siue Mens, quæ uehitur in cœlo. *Hecuba uagatur in inuocatione.*

Ac semper Deus illustre testimonium proposuit, quo uoluit agnosci & discerni, sicut in decalogo nominat Eductionem ex Aegypto. Et antea dicunt Patres: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, id est, te uerum Deum inuoco, qui te patefecisti Abrahæ, & ei promissionem tradidisti. Ac testimonia omnia referantur ad Filium.

Inuocatio sit directa ad Deum patefactũ in tribus personis.

Sit igitur directa mens ad hunc uerum Deum, qui se patefecit misso Filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & resuscitato. Et quidem nominentur personæ initio precationis, & cogitetur, quæ cuiusq; sit proprietas, ut discernatur Deus ab omnibus creaturis, & discernatur inuocatio uera ab Ethnica inuocatione.

FORMA PRECATIONIS.

OMnipotens æterne & uere Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefeciſti immensa bonitate, & clamasti de Filio tuo, Domino nostro Iesu Christo: HVNC AVDITE, creator cœli & terræ, & Ecclesiæ Angelicæ & Humanæ, unà cum Filio tuo coæterno, Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & resuscitato, qui est imago tua, & λόγος ad Ecclesiam missus: Et cum Spiritu sancto tuo, sapiens, uerax, bone, iuste, iudex, misericors, caste & liberrime, qui dixisti: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Item: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum, confiteor tibi, me miserrimum peccatorem horribiliter peccasse, & doleo toto corde, quòd offendi te, Miserere mei, & exaudi me, & iustifica me, per & propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα σὸν ἀΐδιον, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, καὶ μεσίτην, καὶ ἱκέτην, & sanctifica me Spiritu sancto tuo, &c.

Distinctio personarum in inuocatione cogitanda.

Simul etiam cogitet mens de distinctione personarum, Pater est persona quæ genuit Filium λόγον, & per eum uult innotescere, & cum filio & Spiritu sancto omnes creaturas condidit & sustentat, & in Baptismo Filij dicit: Hic est Filius meus dilectus &c.

Filius quare nominetur λόγος.

Filius nominatur λόγος, & respectu Patris, quia est integra eius imago, & respectu nostri, quia persona est, ad Ecclesiam missa, ut primùm proferat ex sinu Patris mirandum decretum de reconciliatione & restitutione uitæ æternæ, quod omnibus creaturis ignotum est, & deinceps semper adsit Ecclesiæ, illustret promissionem in Prophetis, & sustentet & restituat ministerium Euangelij, & immediatè efficax sit in eo ministerio, & assumta humana natura sit propiciatio pro nobis, & ostendat quomodo Pater agnoscendus sit ipso agnito, & ut ipse sit efficax in ministerio, dicat consolationem uoce Euangelij, uiuificet credentes, seruet ministerium Euangelij, iuxta dictum: dat dona hominibus &c. Et per ipsum detur Spiritus sanctus, sicut expressè in Actis dicitur, cap: 2. Dextra Dei exaltatus promissionem Spiritus sancti accipiens à Patre, effudit eum &c. Et rectè inquit Athanasius: QVANDOCVNQVE

Athanasius.

DICITVR ESSE IN HOMINE SPIRITVS SANCTVS, EST IBI PER VERBVM.

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus est agitator tanquàm flamma, quæ accendit affectus in corde tales, qualis ipse est, amorem Dei, & læticiam in Deo, & alias uirtutes. λόγος ostendit menti Patrem & uoluntatem Patris, uoce Euangelij noticiam accendens, Spiritus sanctus est uiua flamma agitatrix in corde.

Hæ proprietates personarum in uera inuocatione cogitandæ sunt, & sæpè professio Symboli recitanda est, & discernenda nostra inuocatio ab Ethnicis & alijs erroribus &c.

II. SECVNDA consideratio est præceptum. Cogitandum est Deum uelle coli petitione gratiæ & aliorum donorum, ut discernatur à malis naturis, & tribuatur ei hic honos, quòd sit sapiens, bonus, beneficus, dator uitæ, sapientiæ & aliorum bonorum, & quòd uelit sua bona nobis communicare, sicut Psal: 49. inquit, se uelle hoc modo coli: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te &c. Ac ut uiolatio præcepti, Non occides, displicet Deo, sic displicet & uiolatio secundi præcepti neglectio inuocationis, cùm dictum sit: Petite & accipietis.

Quare Deus uelit peti à se bona.

Neglectio inuocationis displicet Deo.

III. TERTIA consideratio est conuersionis. Dicat enim aliquis: Quid petam, cùm scriptum sit: Peccatores Deus non exaudit: Hic tenenda est uox Iuramenti: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Non perseueret inuocans in sceleribus contra conscientiam, sed uerè conuertatur ad Deum. Et in qualibet uera inuocatione fit aut crescit conuersio seu pœnitentia ad Deum. Ioël 2. Scindite corda uestra, & conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia misericors est, & pœnitet eum mali.

In inuocatione fit aut crescit conuersio ad Deum.

IIII. QVARTA consideratio est Promissionis. Neq; conuersio ad Deum, neq; inuocatio fieri potest, nisi simul promissione gratiæ & fiducia Mediatoris erigamur, ut accedamus ad Deum, iuxta dictum ad Ephesios: Per hunc habemus accedere confidenter per fidem in ipsum. Necesse est igitur primùm fide accipere remissionem peccatorum, & reconciliationem, & statuere, quòd inuocatio placeat Deo, nec sit irrita. Deinde & cæteræ promissiones de alijs beneficijs & mitigatione calamitatum intuendæ sunt. Necesse est enim semper in conspectu esse doctrinam de distinctione promissionum.

Distinctio promissionum considerandarum.

Prima & summa promissio est, promissio Gratiæ & uitæ æternæ propter Mediatorem dandæ gratis. Hoc summum bonum est, quod uult Deus accipi, etiam omnibus bonis corporalibus amissis, iuxta dictum Iob: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Nec peti alia bona possunt, nisi prælucente promissione gratiæ, iuxta dictum: Nemo potest accedere ad Patrem, nisi per Filiũ.

Promissio gratiæ.

Item: Quomodo inuocabunt, nisi credent?

Item: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit uobis.

Aliæ sunt promissiones de bonis necessarijs in hac uita. Quia enim Deus in hac uita colligit Ecclesiam uoce Euangelij, & non aliter, tribuit etiam aliqua uitæ spacia, & Politias & Oeconomias, iuxta dictum: Non mortui laudabunt te Domine. Item 1. Timoth: 4. Pietas promissionem habet præsentis uitæ, & futuræ. Item: Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis, Scit Pater uester cœlestis, uos illis rebus indigere.

Promissiones rerum corporalium.

V. QVINTA consideratio est de Fide. Hic primùm sciẽdum est, fidem quæ petit remissionem, reconciliationem & uitam æternam, gubernationem animæ, oportere in specie hæc ipsa bona petere & expectare, sine conditione. Quia Deus uult hæc nominatim peti. Et non habere hæc dona est manere hostem Dei, & contumelia Deum afficere. Ideò dictum est: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat.

Bona æterna petenda sine conditione.

Sed Fides, quæ petit bona corporalia, ut Dauid petens se reduci in regnum, petit cum conditione, SI DEO placet: Quia utrunq; sciendum est, & petenda esse hęc bona, & tamen Ecclesiam subiectam esse cruci, & debere obedientiam Deo, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei.

Bona corporalia petenda cum conditione.

Nec tamen irrita est precatio. Aut enim tollitur pœna, aut mitigatur, ut

In omni precatione aut

tollitur pœna aut mitigatur.

Iob, Dauid, Manasses restituuntur in sua regna. Amasiæ & Osiæ mitigatę sunt pœnæ, sicut plerunqꝫ fit, iuxta dictum: Non faciam furorem iræ meæ. Item: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Item, Domine in iudicio corrigas me, ne ad nihilum redigas me.

Promissio gratiæ semper est retinenda.

Deniqꝫ necesse est firmissimè hanc regulam tenere: Etiam amissis omnibus bonis corporalibus, & cùm uita corporis certò amittenda est, tamen retinenda est promissio gratiæ & uitæ æternæ, iuxta hæc dicta:

Ezechielis 18. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat.

Item: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Item: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, Ego reficiam uos.

Item: Etiamsi occiderit me, sperabo in eum.

Item: Sacrificium Domino Spiritus contritus, Cor contribulatum Deus non despicies.

Et est æternum & immutabile mandatum omni tempore, ut ad Deum conuertamur, iuxta dictum: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Et non uolens conuersionem, nec petens remissionem, manet hostis Dei, & contumelia eum afficit, iuxta dictum: Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum. Ideò omni tempore necessaria est conuersio.

VI. SEXTA consideratio est rerum petendarum, sicut Iohannes inquit: Quidquid petieritis secundum uoluntatem eius, dabit uobis, id est, non sunt res petendæ prohibitæ à Deo, sed quarum petitio congruit cum Decalogo, & promissionibus diuinis de bonis spiritualibus & corporalibus, sicut suprà dictum est, de distinctione promissionum. Et promissiones aliæ loquuntur de bonis spiritualibus, aliæ de bonis corporalibus, Vt:

Res prohibitæ à Deo nõ sunt petendæ.

Quantõ magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctũ petentibus?

Item: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te.

Item: Si quis egebit sapientia, petat sine dubitatione, & dabitur ei.

Item: Pater & Mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.

Item: Timenti Dominum non deerit omne bonum.

Item: multæ tribulationes iustorum, sed ex omnibus liberabit eos Dominus.

Ac uult Deus exerceri Inuocationem & Fidem petitione corporalium rerum, iuxta dictum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie etc.

Fides debet præcedere in petitione corporalium bonorum.

Semper autem Regula tenenda est. In petitione corporalium bonorum oportere præcedere Fidem, quæ accipit promissionem Gratiæ, iuxta dicta: Nemo accedit ad Patrem, nisi per Filium. Item: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Item: In Christo omnes promissiones sunt ratæ.

De mora, & modo liberationis.

Addenda est & admonitio de mora, & de modo liberationis. Vult Deus suam præsentiam agnosci in Ecclesia, & à se peti & expectari auxilium, uult exerceri Fidem, Inuocationem & Spem, nec uult consilia humana seu cogitationes humanas dominari in gubernatione uitæ, sed uult sciri, Ecclesiam diuinitus regi, sicut inquit: Ne dicatis, manus nostræ hæc fecerunt.

Non igitur dat euentus mox, & ijs modis, quos cogitat humana ratio.

Vt, Quan-

Vt, Quanquàm promiserat Deus, se seruaturum esse stirpem Iuda, donec nasceretur Messias: Tamen erant inanes imaginationes hostium Ieremiæ, qui disputabant, non posse deleri Templum & Politiam eius temporis. Poterat enim Deus aliter & seruare & restituere, quàm ipsi cogitabant. Et reuera maior gloria fuit populi in exilio quàm domi fuisset, quia propagata est doctrina in magna parte regni Babylonici & Persici, sunt conuersi quatuor Reges, Nabuchodonosor, Ephimerodas, Darius Medus, & Cyrus. Edita sunt miranda testimonia, seruati tres uiri in igni, Daniel inter Leones, etc.

Maior gloria fuit Israelitarũ in exilio, quàm fuisset domi.

Obiurgat igitur Iudith cap: 8. ciues, qui dies quinq; præfinierant: QVI ESTIS VOS, QVI TENTATIS DOMINVM, POSVISTIS TEMPVS MISERATIONIS DOMINO.

Sed regula tenenda est de Circumstantijs, Abac: 2. SI MORAM FECERIT, EXPECTA EVM, QVIA VENIENS VENIET, ET NON TARDABIT.

Et Lucæ 18. Oportet semper orare, & non languefieri &c.

Hæ regulę non solũm de tempore, sed etiam de alijs circumstantijs intelligantur, uidelicet de modo liberationis, de personis. Vt, Longè aliter liberati sunt Ioseph, Ionas & plurimi omnibus temporibus, quàm ipsi cogitauerunt, ut Psalmo 71. dicitur: Liberauit Pauperem, cui non erat adiutor. Psalmo 26. Pater & Mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Et in dicto Iosaphat: Cùm nescimus, quid agendum sit, Oculi nostri ad te Deus noster &c.

Alij aliter liberantur.

Quid est Gratiarum actio?

Respondeo. In genere est professio, unde sit acceptum beneficium, & est obligare sese ad mutua officia. Nam gratitudo est uirtus composita ex duabus summis uirtutibus, scilicet, ex ueritate & iusticia. Veritas profitetur, unde sit acceptum beneficium. Iusticia præstat mutua officia. Ergo ingratus & mendax & iniustus est.

Gratitudo ex duabus uirtutibus composita.

Vult autem Deus intelligi ab hominibus Gratitudinem, ut eam erga ipsum præcipuè exerceamus, & simus erga ipsum ueraces & officiosi.

Ac sicut petitionem in inuocatione postulat, ut agnoscamus esse Deum, & esse omnipotentem, præsentem, opitulatorem, ut in tali agnitione se nobis communicet: Ita Gratiarum actionem postulat, ut perseueret hæc uera agnitio, ut deinceps etiam sese nobis communicet.

Est ergo Gratiarum actio erga Deum Veritas, quæ profitetur, accepta esse à Deo beneficia, & uerè esse Deum, esse omnipotentem, præsentem & opitulatorem. Et est opus iusticiæ, qua te obligas ad officia Deo grata.

Gratiarum actio.

Cùm igitur Mendacium & Iniusticia sint horribilia peccata, manifestum est, Ingratitudinem erga Deum esse horrendum scelus. Vt cùm Alexander cogitat, casu aut sua uirtute partum esse regnum, nec fatetur à Deo datum esse, mendax est, et quidem contra Deum. Postea fit iniustus, non reddens Deo officium debitum, cùm iubet se coli ut Deum.

Ingratitudo ingens scelus est.

Ex hac puerili commonefactione & descriptione Gratitudinis intelligi potest, maximè necessarium cultum esse Gratitudinem. Et cùm extinguitur agnitio Dei in ingratis, Deus desinit se eis communicare. Sicut plerunq; securi homines post accepta beneficia ludunt talibus cogitationibus: Fortassis casu liberatus es &c. Ita amittunt agnitionem Dei, & præsentiæ Dei, cùm se-

Ingratis Deus se non communicat.

quenti commemoratione & professione alere & confirmare agnitionem Dei & Fidem deberent.

Præcepta de petitione & gratiarum actione sunt cõiuncta.

Cùm igitur Gratiarum actio sit necessarius cultus, plerunq; præcepta coniuncta sunt de petitione & Gratiarum actione, quia utraq; necessaria est ad agnitionem Dei. Psal: 46. Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & glorificabis me &c.

Prodest autem commonefactionis causa, quotidie expressis uerbis & certa forma uerborum recitare gratiarum actionem.

FORMA GRATIARVM ACTIONIS
AD ÆTERNVM PATREM.

OMnipotens, æterne, uiue & uere Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator cœli & terræ, & hominum, & omnium creaturarum, & conseruator, dator uitæ, legis & sapientiæ, & opitulator, unà cum Filio tuo coæterno, Domino nostro Iesu Christo, λόγῳ καὶ εἰκόνι σῷ ὁμοίῳ, & Spiritu sancto tuo, effuso in Apostolos, casto & ueraci, sapiens, bone, uerax, iuste, iudex, misericors, caste, liberrime, tibi gratias ago, quòd reuelasti te nobis, quòd misisti Filium, & uoluisti eum assumere humanam naturam inenarrabili sapientia & bonitate, & fieri uictimam pro nobis, & colligis æternam Ecclesiam, & quòd inter nos colligis, seruas ministerium Euangelij, das Spiritum sanctum & uitam æternam, & quòd das nobis bona corpori nostro necessaria, & mitigas ac tollis pœnas, denicq; pro omnibus beneficijs animæ & corporis &c.

Pater reuelat se nobis propter Filium.

AD ÆTERNVM FILIVM.

AGO tibi gratias omnipotens Fili Dei, Domine Iesu Christe, uerbum & imago æterni Patris, crucifixe pro nobis, & resuscitate, nate ex uirgine, Emanuel, sedens ad dextram æterni Patris, colligens & seruans æternam Ecclesiam uoce Euangelij, quòd patefecisti nobis æterni Patris misericordiam, & decretum de redemtione, & semper collegisti Ecclesiam, & assumsisti humanam naturam, es Mediator, Redemtor, Iustificator & Saluator, es Summus Sacerdos, semper intercedens pro nobis, dans uocem Euangelij, & es efficax per eam, & das remissionem peccatorum, & es Rex, colligens, seruans & protegens Ecclesiam, & das Spiritum sanctum ijs, qui ad te conuertuntur, & Euangelij uoce se sustentant, & restituens in nobis iusticiam & uitam æternam, das lucem in consilijs, intellectum uerbi tui, depellis Diabolos, das etiam bona corpori necessaria &c.

Filius patefecit decretum de redemtione.

AD SPIRITVM SANCTVM.

AGO tibi gratias omnipotens, uerax, caste Spiritus sancte, procedens ab æterno Patre & Filio, Domino nostro Iesu Christo, effuse in Apostolos, quòd confirmas corda nostra, ut firmiter assentiantur uerbo Dei, & flectis ea ad inuocationem Dei, & ad omnes motus legi diuinæ congruentes, & lætificas ea, ut acquiescant in Deo, petant & expectent omnia beneficia Dei. Das etiam bona corpori necessaria &c.

Spiritus sanctus confirmat corda nostra.

QVARE

IECTA EST CRVCI?

De causis calamitatum, & de locis consolationum.

CVm nulla uisibilis natura sit præstantior quàm Humana, sapientes omnes quærunt, unde sit illa magna moles errorum, uiciorum, & calamitatum in tam præstanti natura. Quoties omnes sapientes errant in consilijs? Quàm facilè ruunt in scelera? Deinde unde sunt Mors, morbi, & horrendæ confusiones in uita, bella, & assiduæ uastationes Gentium? Et quare iusti ab iniustis opprimuntur?

PHILOSOPHIA dicit multa casu accidere. Quædam fatetur habere causas fatales. Deinde Mortis & morborum causas dicit esse Materiam. Causas autem scelerum dicit esse uoluntatem humanam.

Sed si quæras, unde in materia hominum, & in Voluntatibus hominum tanta sit infirmitas, fontem horum malorum non monstrat. Sed principales & ueras causas Deus in Ecclesia patefecit, & doctrinarum collatio ostendit, Ecclesiæ doctrinam perfectiorem esse, quæ & primas causas calamitatum, & firmas consolationes monstrat, ignotas Philosophiæ. Et efficacia in consolationibus ostendit, Ecclesiæ doctrinam à Deo traditam esse, quia liberationes sunt testimonia præsentiæ Dei.

Philosophia fontem malorum non monstrat.

Quæ est causa uiciorum, erratorum, Mortis & aliarum miseriarum in toto genere humano?

Prima & uniuersalis causa est Peccatum hærens in natura, iuxta dictum: Per peccatum Mors. Et accedunt deinde in tali uiciosa natura errores, & in uoluntate scelera spontè electa, quæ attrahunt singulares pœnas. I.

Altera causa est Diabolus, qui impellit homines odio Dei ad horribilia scelera, & auget calamitates uarijs modis, iuxta dicta: Ponam inimicicias inter Semen mulieris & serpentem. Item: Satanas intrauit in eum. Vt, Cain occidit fratrem impulsus à Diabolo. II.

Sed hic rursus quæritur: Quare Ecclesia subiecta est ingentibus miserijs, cùm sit iusta? Et obijcitur hoc argumentum.

Iustis debet benè esse, iuxta dictum: Qui fecerit ea, uiuet in eis,
Ecclesia est iusta,
Ergo Ecclesia debet esse sine calamitatibus.

Respondeo primùm ad Minorem. Ecclesia est iusta, scilicet, imputatione & incoatione, sed hæret adhuc in ea peccatum. Vult autem Deus iusticiam suam & iram aduersus peccata præcipuè in Ecclesia agnosci, & uult quæri remedium, Ideò magis premitur Ecclesia, iuxta dictū: IVDICIVM A DOMO DEI INCIPIT. Item: Dedi dilectam animam meam in medium inimicorum meorum.

Ecclesia est iusta, imputatione & incoatione.

Simul autem reuelat Deus in Euãgelio futuram liberationem integram. Ideò postea ad Maiorem respondendum est: IVSTIS DEBET BENE ESSE, scilicet iuxta reuelationem Euangelij, cùm erunt prorsus liberati à peccato, nõ tantùm imputatione & incoatione, sed consummatione nouitatis.

Iustis benè est, iuxta declarationem Euangelij.

Causæ autem præcipuè sunt octo, propter quas Ecclesia durius premitur ꝙ reliqua pars generis humani, sicut dictum est: Iudicium à domo Dei incipit.

I. Prima causa est Peccatum hærens in natura, quod cùm contemnat Mundus, Deus in Ecclesia uult conspici iram suam aduersus interiora & exteriora peccata. Et ut eam agnoscamus, & nos subijciamus iudicio suo, commonefacit nos uarijs modis, iuxta dictum: Filium quem diligit, corripit. Item: Innocens non erit innocens coram te. Et Iob fatetur, se coram Deo iniustum esse, etiamsi afflictionum suarum non sint causæ actualia scelera, sicut amici disputant.

II. Secunda causa est: Quia diabolus magis odit ECCLESIAM, quàm alios. Gen: 2. Ponam inimicicias inter Semen mulieris & serpentem. Item in Iob: Diabolus stetit inter filios Dei, & insidiatur sanctis.

III. Tertia causa est, ut in cruce exerceantur & crescant Pœnitentia, Fides, Inuocatio & tota Nouitas, iuxta dictum: Bonum mihi quòd humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas. Item: Vexatio dat intellectum. Item: Alienum opus facit, ut faciat proprium. Item: Qui non est exercitatus, qualia scit? Item. παθήματα μαθήματα. Item: Quæ nocent, docent &c.

IIII. Quarta: Quia plurima sunt in Ecclesia etiam Actualia delicta atrocia, ut Dauidis adulterium, scelera Manassæ, quæ punit Deus propter suam Iusticiam, & propter exemplum, & ut multos ad pœnitentiam reuocet.

Propter actualia peccata Ecclesia etiam punitur.

Propter hanc causam plurimæ calamitates uagantur per uniuersam Ecclesiam. Et paulatim tota hominum natura fit deformior & languidior. De hac causa dicitur: Iram Domini portabo, quia peccaui ei: Sed cùm sedebo in tenebris, Dominus erit lux mea. Item: Cùm iudicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

V. Quinta, ut Sanctorum mors sit testimonium de sequuturo iudicio. Quia cùm Deus antea testatus sit, sibi placere Paulum, non negligeretur in morte, nisi restaret aliud iudicium, in quo ostendet damnari Neronem.

VI. Sexta, ut Sanctorum mors sit testimonium de doctrina, quòd uerè sic sentiant, nec sui commodi causa circumferant fictam doctriam.

VII. Septima, ut fiamus conformes imaginis Christi.

VIII. Octaua, ut liberationes in calamitatibus, quæ nõ sunt extricabiles humano consilio, sint testimonia præsentiæ Dei in Ecclesia, ut precatur Moyses cap: 14. Numerorum: Ne deleas nos, ut sciant Aegyptij, quòd sis in hoc populo. Et 1. Reg: 17. Vt sciat omnis terra, quòd sit Deus in Israël. Et Esai: 37. Libera nos, ut sciant omnia regna terræ, quòd in Israël sit Deus.

Hæc doctrima de causis, propter quas Ecclesia cruci subiecta est, semper in conspectu sit, ne offensi ærumnis Ecclesiæ, existimemus, cœtum hunc deformem à Deo negligi.

Genera adflictionum.

Ex his causis partim impulsiuis, partim finalibus, sumitur & hæc distinctio de generibus calamitatum. Genera sunt quatuor.

I. Τιμωρία, ut exilium Dauidis.

II. Δοκιμασία, ut carcer Ioseph.

III. Μαρτύρια, Vt interfectio Baptistæ, Esaiæ, Ieremiæ, Pauli & aliorum.

IIII. Ἀγῶν, solius Christi obedientia est.

LOCI CONSOLATIONVM.

VTilissimum est scire fontes doctrinæ de causis calamitatum, & de locis consolationum, & conferre humanas & diuinas consolationes. *Philoso-*

Philosophici loci præcipui sunt septem.

I. Primus NECESSITAS, ut, quæ mutari non possunt, minore dolore feruntur, cùm cogitatio in Mente flectit cor ad moderationem, sicut dicitur. Bonus animus in re mala dimidium est mali.

II. Secundus locus est DIGNITAS VIRTVTIS. Non est enim iniustè faciendum propter dolorem, ut Cato discedit ā lustitia, cùm fractus dolore sibi conscisçit mortem. Cicero discedit ā Modestia, nimium lamentans propter exilium, cùm tranquillis animis tulerint exilia multi præstantes uiri, Aristides, Camillus, Metellus, & alij. Et huc pertinent dicta: Tamen per ipsas lucet ærumnas decus: Item Aristoteles: ᾧ δ' ὑσυχίαις λάμπει τὸ καλόν.

Cato.

Cicero.

III. Tertius locus est BONA CONSCIENTIA, iuxta dictum: Est aliquid magnis crimen abesse malis. Est enim duplex dolor, externus cruciatus, & uulnus cordis.

Dolor duplex est.

IIII. Quartus: EXEMPLA. Quia cùm similia alijs multis & melioribus accidere cernimus, uidetur inæqualitas & superbia esse, nihil uelle communium ærumnarum ferre. κοινὸν γὰρ ναυάγιον ἑκάστοις τὸ δαμώδιον.

Superbia est nihil uelle communium malorum ferre.

V. Quintus. SPES LAETI EXITVS, iuxta illud: Durate & uosmet rebus seruate secundis. Sed sæpissimè humano iudicio nullæ spes cernuntur, ut in morte Socratis, & plurimis Ethnicorum calamitatibus.

VI. Sextus: CAVSAE FINALES, ut, Militi facilior est Mors profutura patriæ.

VII. Septimus: COLLATIO EVENTVVM, ut, melius est ægrotare, quàm accedere ad conuiuium, & incidere in tumultum. Aeschines ait, se lætari, liberatum se ab Attica Reipublica, tanquam ā rabiosa cane, & ait, se habere officiosum hospitem in exilio. Socrates dicit, se eō mortem facilius ferre, quia si anima sit immortalis, optare se colloquia sapientum uirorum, Palamedis, Nestoris & aliorum, ā quibus discat deinceps ea quæ ignoret etc.

Æschines.

Socrates.

Hi loci Philosophici cùm ex Legis doctrina magna ex parte sumti sint, etiam sunt Theologici. Sed accedunt ex Euangelio alij tres, qui continent multò efficaciorem consolationem. Sint igitur loci Theologici decem.

Loci consolationum theologici decem sunt.

I. Primus NECESSITAS, id est, mandatum Dei, quod præcipit ut flectamus animos ad obedientiam in tolerandis aduersis, nec irascamur Deo, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei. Item: Subditus esto Deo, & spera in eum etc.

In omni consolatione autem sic tantùm minuitur dolor, cùm obiectum bonum intuemur. Vt, cùm Dauid scit, Deo obedientiam in exilio placere, & pœnam non esse signum reiectionis, sed commonefactionem de Pœnitentia. Hac bona uoluntate Dei considerata, fert pœnas minore dolore. Sic Latro conuersus ad Deum leuius fert pœnam, scit ordinationi diuinæ obediendum esse, & hanc mortem non esse signum reiectionis.

Propter obiectum bonum minuitur dolor.

II. Secundus: DIGNITAS VIRTVTIS, id est, Saul non rectè facit, quòd sibi mortem conscisçit propter infelicem pugnam.

III. Tertius: BONA CONSCIENTIA, ut Laurentio fit leuis cruciatus propter optimam conscientiam.

IIII. Quia uerō sæpissimè mala conscientia dolores auget, ostenditur in Euangelio quartus locus, prorsus ignotus Philosophiæ, scilicet: REMISSIO PECCATORVM. Dauid non frangitur ingentibus calamitatibus, etiamsi

Cōsolatio propria Ecclesiæ.

amsi habet triſtiſſima uulnera conſcientiæ, ſed iam tenet remedia, ſcit dictum eſſe: DOMINVS ABSTVLIT PECCATVM TVVM, Hæc conſolatio propria eſt Eccleſiæ, prolata ex ſinu æterni Patris in uoce Euangelij, & nequaquam Philoſophiæ nota eſt.

V. Quintus locus, qui etiam Euangelicus eſt, uidelicet AGNITIO PRAESENTIAE DEI IN AERVMNIS ACCEPTA REMISSIONE, ut dicitur: Deus habitat in adflictis. Leuatur ergo dolor, cùm ſcimus nos à Deo iuuari, & ſpem habemus mitigationis in hac uita.

VI. Sextus locus, qui etiam Euangelicus eſt, uidelicet: SPES VLTIMAE LIBERATIONIS ET AETERNAE SALVTIS, iuxta dictum: Etiamſi occidet me ſperabo in eum. Item: Scio quòd Redemtor meus uiuit, & rurſus circumdabor pelle mea &c.

Exempla crucis et propter Legem & propter Euangelium proponenda ſunt.

VII. Septimus: EXEMPLA quæ & propter Legem & propter Euangelium proponenda ſunt.

Legale eſt: Cùm patiantur alij propter peccata, ut Adam, Eua, Dauid, Manaſſe, & alij plurimi, quorum pœnæ ſunt commonefactiones de iuſtitia Dei: Fateamur nos quoq; iuſtitiæ Dei pœnas debere, iuxta dictum: Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei noſtræ, ſicut & hodie uiro Iuda & Hieruſalem. Et Elias inquit: Non ſum melior Patribus meis.

Euangelicum eſt, quòd oportet nos fieri conſimiles filij Dei in cruce & liberatione, Ideò tota Eccleſia cruci ſubiecta eſt, & expectat ſequuturam uitam & lætitiam æternam, ſicut Filius liberatus eſt, iuxta dictum: Veníte benedicti Patris mei, poſſidete regnum uobis paratum etc.

VIII. Octauus: CAVSAE FINALES, uidelicet ipſe Deus, & confirmatio fidei in alijs credentibus. Vt: mitigatur dolor Laurentio, cùm ſcit, ſua conſtantia latius ſpargi noticiam Dei, & confirmari fidem in alijs, ſicut Paulus inquit, ſe immolari propter Sacrificium & miniſterium fidei aliorum, id eſt, quia ſeruierit alijs rectè docendo, & quia mors eius ſit futura teſtimonium de doctrina. Nam morientes in confeſſione fidei oſtendunt, ſe non ſimulaſſe profeſſionem Voluptatis aut quæſtus cauſa. Oſtendunt item, ſe expectare uenturum iudicium.

Paulus immolatur.

IX. Nonus: COLLATIO EVENTVVM præcipuè in Eccleſia conſideranda eſt: Quia ibi oſtendit Deus & teſtimonia iuſtitiæ ſuæ, quòd iraſcatur peccatis, & exempla miſericordiæ, quòd pœnas tamen mitiget, iuxta hæc dicta: Non accendit Deus totam iram ſuam.

Item Oſeæ 11. Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego ſum, non Homo, id eſt, quia naturæ Hominum impoſſibile eſt ſuſtinere itam Dei, ſi ſine miſericordia punirem. Quanquàm igitur punit Deus, mitigat tamen pœnas, ne prorſus deleatur Eccleſia.

Cùm iuſtè punimur, leniuntur tamen nobis pœnæ.

Quare ſemper ad cæteras accedat hæc conſolatio: Agnoſcamus nos iuſtè puniri, & meritos eſſe atrociores pœnas: Leniri tamen iram propter Mediatorem, & ne tota Eccleſia funditus deleatur. Obediamus igitur in præſentibus pœnis, & petamus & expectemus mitigationem, ſicut in Prophetis dicitur: In ira miſericordiæ recorderis. Item: Bonus eſt Dominus, & pœnitet eum magnitudinis pœnarum.

X. Decimus: DESIDERIVM CLARI CONSPECTVS DEI, ET LIBERATIONIS A TOTO PECCATO. Hæc conſola-

consolatio propriè ad Mortem pertinet, de qua dicit Paulus. Cupio dissolui, & esse cum Christo, id est, Sicut iter faciens nocte in densis tenebris, ignarus uiæ & locorum, maximè expetit diem, & lætatur cùm iam Aurora lucem spargere incipit: Ita omnes pij cogitantes in caligine huius uitæ, qualis sit Deus, & qualis sit distinctio Personarum, maximè expetunt clarum conspectum in altera uita. Item: quia sentiunt, se adhuc circumferre immunditiem in hac uita, quæ displicet Deo, lætantur cùm sciunt in morte has exuuias immundas deponi.

Pij cogitantes in hac uita de Deo, expetunt eius conspectũ in uita æterna.

Hæc decem capita consolationis sint in conspectu, quæ sine ulla dubitatione pijs prosunt. Et qui ea diligenter considerabunt, intelligent ex ueris causis sumta esse, uidelicet, ex Lege & Euangelio, & amplissimam de singulis doctrinam in scriptis Propheticis & Apostolicis propositam esse.

Erit & hæc consideratio grata, uidere quomodo antecellat in hac tanta re doctrina Ecclesiæ remedijs Philosophicis, quæ non tollunt peccatum & mortem.

Certissimum sit autem, efficaciam harum consolationum experiri conuersos ad Deum in uera inuocatione, iuxta dictum: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me.

Item: Petite & accipietis.

Item: Facit alienum opus, ut faciat opus proprium.

DE CHRISTIANA LIBERTATE.

Quot sunt gradus Christianæ Libertatis?

DOcendi causa gradus distinguimus, & primùm de nomine monemus.

Cùm Ecclesia in hac uita adhuc circumferat peccata, et sit subiecta morti & cruci, & adfligatur à Diabolis, Tyrannis, & fanaticis hominibus, & in Impetijs oppressa sit tristi seruitute, uidetur Ecclesia falsò & stultè hanc gloriosam appellationem libertatis sibi tribuere.

Ecclesia uidetur stultè sibi nomen Libertatis tribuere.

Sed intuenda est primùm consummata libertas, cùm post resurrectionem Deus erit omnia in omnibus saluatis, id est, cùm Ecclesia uiuet uita æterna, & fulgebit in ea Deus ipse, communicans suam lucem, sapientiam, iustitiam, lætitiam æternam, sine peccato, sine morte, sine ullis calamitatibus.

Hanc consummatam libertatem intuentes intelligemus utcunq;, hoc uocabulo magna & uera bona significari. Sed tamen incoari hæc æterna bona in hac mortali uita oportet. Et de incoatione & consummatione dictum est Ioh: 8. Si uos Filius liberauerit, uerè liberi eritis.

Libertas Christiana de incoatione & consummatione intelligitur.

Liberat autem filius Dei dupliciter: Merito & efficacia. Hinc sunt quatuor gradus libertatis in hac uita.

Quatuor gradus Libertatis.

I. Primus est Gratia, id est, liberatio à Lege, & à condẽnatione ęterna, quòd uidelicet certò dantur remissio peccatorum, reconciliatio, imputatio iustitiæ propter mediatorem, gratis, fide, qua fit uiuificatio & liberatio ab ęterna morte, & donatur hæreditas uitæ æternæ.

II. Secundus gradus est cum priore coniunctus, uidelicet: Donum per gratiam, id est, Filij efficacia in credentibus per Euangelium, & per Spiritum sanctum, quæ efficacia est Viuificatio, id est, consolatio & incoatio uitæ æternæ, iuxta

næ, iuxta hoc dictum: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Est & incoatio nouæ obedientiæ, & Deus præsens per Filium & Spiritum sanctum mirabiliter regit, seruat & defendit Ecclesiam, & mitigat calamitates. Vt: hoc gradu libertatis liberi sunt tres uiri in fornace Babylonica, qui etsi sunt in medijs flammis, tamen non uruntur. Sic semper Ecclesia mirabiliter inter medias flammas seruatur.

Tres uiri in fornace Babylonica liberi sunt.

Hi duo gradus comprehenduntur his dictis: Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est, id est, Reconciliatio, & uera ac æterna bona. Item Rom: 15. Gratia Dei, & donum per Gratiam Iesu Christi in multos exuberauit.

III. Tertius gradus, ut docendi gratia non subtiliter loquamur, est Liberatio à ceremonijs & forensibus legibus Moysi. Quod sic intelligatur: Cùm iusticia, de qua propriè concionatur Euangelium, sit remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo, & consummata nouitas, quam in hac uita incoari oportet, sit & ipsa æterna uita, in qua Deus erit omnia in omnibus, & colligatur Ecclesia ex omnibus Gentibus, non sunt alligati Christiani ad ullius Gentis politiam: Sed possunt uti imperijs & legibus politicis, non pugnantibus cum Naturali ratione, ubicunq; uiuunt, Sicut spacijs dierum dissimilibus utuntur Christiani Venetijs & in Saxonia.

Iusticia Euangelij.

Christiani non sunt alligati ad ullius Gētis politiam.

Ingens beneficium Dei fuit, quòd Ecclesiæ certam sedem dedit in politia Moysi annos mille quingentos octuaginta duos. Et ut hæc politia distincta esset à gentibus, certos ritus habuit: Quia Deus uoluit notum esse locum, & notam gentem, ubi nasceretur, conspiceretur & audiretur Messias.

Politia Moysi stetit annos 1582.

Interea tamen ualde multi etiam ex Gentibus uocati fuerunt ad agnitionem Mediatoris, & ad æternam iusticiam, ut Nabuchodonosor, Cyrus, Cornelius, & alij. Hi intellexerunt, aliud esse politiam Moysi, aliud reconciliationem & æternam lucem & iusticiam in mente & corde.

Hoc discrimen intelligi necesse est, quia semper fuerunt fanatici homines, qui stultè uociferati sunt: Forenses leges Moysi, quæ tamen non sunt iuris Naturalis, sed Positiui, nobis necessarias esse. Et multæ sunt impiæ καινοζηλίαι Pontificum & Monachorum de Ceremonijs. Vt in Moyse prohiti sunt quidã cibi, Postea igitur similes prohibitiones humana temeritate institutæ sunt.

καινοζηλίαι Pontificum de ceremonijs.

Hic neganda est consequentia: Quia tunc uoluit Deus politiam Moysi distinctam esse à cæteris gentibus, ut esset certus & notus locus, & certa & nota gens, ubi nasceretur Mediator, ubi ederẽtur testimonia de promissione &c. Postea politia illa horribili exemplo propter multas causas deleta est. Et quamquàm sæpè tentata est restitutio, tamen Deus seditiones Iudæorum, & nouas ædificationes oppressit. Vt, Bethoron triennio obsessa, tandem ab Adriano expugnata & deleta est, & interfectus est Ben Cosban Kochab. Tempore Iuliani terræ motu disiecta sunt fundamenta noui templi, quod tunc cœperant ædificare, & simul multa millia Iudæorum ruinis oppressa sunt. Hæc alibi copiosius declarantur.

Deus ædificationes Iudæorum oppreßit.

IIII. Gradus Libertatis est liberatio à traditionibus humanis in Ecclesia, uidelicet primùm, quòd nulli creaturæ liceat instituere cultus Dei, aut aliquam legem contrariam legi diuinæ condere.

Secundò etiamsi in hac uita, cùm uelit Deus honestos congressus publicos esse, opus est ordine temporum & lectionum, & Ecclesiæ concessum est, tempo-

tempora,& lectiones distinguere: Tamen hoc fiat sine opinione cultus,& sine opinione Necessitatis. Et sciant homines,extra casum scandali tales ritus sine peccato omitti.

Tempora distinguenda sine opinione cultus & necessitatis.

Hæc regula breuissimè tollit multas falsas opiniones de humanis traditionibus, quæ & obscurant Euangelium de gratia, & de ueris cultibus,& sunt periculosæ carnificinæ conscientiarum, ut alibi copiosius dicitur.

Testimonia autem regulæ sint in conspectu.Hæc prohibent opinionem cultus: Matth. 15. Frustra me colunt mandatis Hominum.Et Ezech. 20. In præceptis meis ambulate,non in præceptis patrum uestrorum &c.

His dictis expressè prohibetur opinio necessitatis: Colos. 2. Nemo uos iudicet in cibo,potu,uicibus dierum festorum &c.Et Gal.5. In libertate,in qua Christus uos uocauit, state, & non iterum iugo seruitutis subijciamini. Nec condendæ nec intelligendæ sunt traditiones contra hanc doctrinam in Euangelio traditam.

Contra.

Non minus debetur obedientia Ecclesiæ,quàm potestati politicæ,
Violatio politicarum legum est peccatum, Roman. 13. Necesse est obedire, non solùm propter iram,sed etiam propter conscientiam,
Ergo & violatio Traditionum humanarum in Ecclesia,est peccatum.

Respondeo primùm ad maiorem: Ministerio Euangelico debetur obedientia, quatenus est Ministerium Euangelij,non in alijs doctrinis aut legibus extra Euangelium. Quia ministerium Euangelicum non habet potestatem condendi alias leges. Nec habet prohibitionem. Sed potestas politica habet duo mandata. Primùm proponendi legem diuinam Moralem,& exequendi pœnas. Alterum, addendi ius Positiuum,id est,determinationes circumstantiarum:Sed non pugnantes cum legibus diuinis,quæ ad nos pertinent.

Quatenus ministerio debeatur obedientia.

Duo mandata potestatis politicæ.

Respondendum est etiam ad Minorem, Dissimile est: Violatio legum politicarum est peccatum,quia hoc ita diuinitus sancitum est. Vult .n. Deus corporalem uitam regi legibus Magistratuum,& habere eos potestatem condendi aliquas leges.

Contrà uerò expressè sancitum est in Euangelio, ne existimetur esse peccatum,uiolatio rituum, qui sunt ordinati ab Episcopis seu Pastoribus. Quia uult Deus Ecclesiam tantùm suo uerbo regi, quo redduntur iusticia & uita æterna. Non uult addi humanas traditiones. Ac semper in mundo creuerunt idola, cùm hac persuasione hominum animi fascinati fuerunt, humanos ritus esse cultus,& esse res necessarias.

Violatio rituum q̃ sũt ordinati à pastoribus non est peccatum.

DE MAGISTRATV POLITICO.

Quid est Magistratus Politicus?

MAgistratus Politicus est persona à Deo ordinata, ad conseruationem Legis in externa disciplina, & quidem utriusq; tabulæ Decalogi,& ad pacis defensionem, Et habet potestatem puniendi ui corporali.

Quæ sunt præcipua officia Magistratus politici?

Respondeo : Quatuor sunt.

Decalogus est lex naturæ.

I. Primũm: Sonare uocem Decalogi in genere humano. Intelligo autem appellatione Decalogi uniuersam legem Naturæ. Ac uult Deus primas normas esse omnium legum & uniuersæ gubernationis, has leges, quarum summam in Decalogo complexus est, quem rectẽ uult intelligi. De hac norma inquit Sapientia diuina, Prouerb. 8. Per me Reges regnant, & Principes iusta decernunt.

Deus in pœnis ostendit iudicium suum.

II. Secundum est: Magistratus sit executor legum Decalogi, in punienda earum uiolatione, ui corporali: Quia Deus uoluit in pœnis ostendere iudicium suum. Et cùm uelit regi hominum uitam per Magistratum, armat eos hac potestate, imò dat mandatum, ut puniant uiolantes Decalogum, iuxta dictũ: Non parces ei, nec misereberis &c. Et sæpè repetitum est dictum Aeschinis: οὐδὲν ὄφελος πόλεως ἥτις μὴ νεῦρα ἔχει τοὺς ἀδικοῦντας.

III. Tertium est addere aliquas leges Decalogo, id est, legibus Naturæ, de ciuilibus negocijs. Sed hæ additiones non pugnent cum legibus Naturæ: uerùm sint determinationes certarum circumstantiarum, additæ communibus noticijs Naturalibus.

Vt: Noticia naturalis est: Fur est puniendus: Sed modum pœnæ determinat Lex addita à Magistratu: Talem habent potestatem condendi nouas leges Politici Magistratus, ac tantùm de ciuilibus negocijs.

Magistratus politicus non cõdat dogmata in Ecclesia.

Non condant dogmata in Ecclesia, nec instituant cultus, ut fecit Nabuchodonosor. Et recens in scripto, cui titulus est Interim, potestas politica extra metas egressa est. Sicut imperatori Constantio dixit Episcopus Leontius: ἕτερα διέπειν τάχθεις, ἑτέροις ἐπιχειρεῖς.

Non sunt confundendæ functiones, ut Paulus dicit: Propria facite. Et Petrus dicit: Non sitis ἀλλοτριοεπίσκοποι. Et Aristoteles dixit: Beatam fore uitam hominum, si artifices de artibus iudicarent.

IIII. Quartum officium est: Magistratus sit executor etiam suarum legum in pœnis, ui corporali. Et habent pœnæ suos gradus.

Est'ne concessum homini Christiano Magistratus gerere, iudicia exercere, accusare & respondere in foro, militare, legitimas pœnas exequi? &c.

Respondeo. Concessum est, sicut manifesta exempla ostendunt: Cornelius & alter Centurio, de quo dicit Dominus: Non inueni tantam Fidem in Israël. Seruius Proconsul &c. Et omnibus temporibus à principio generis humani fuerunt, sunt & erunt aliqui Magistratus ã Deo ad æternam salutem electi, & ad societatem ueræ Ecclesiæ uocati.

Semper aliqui magistratus saluantur.

Abraham magno prælio uicit Chaldæos. Abimelech Rex fuit auditor Abrahæ. Deinde Ioseph & Daniel gubernauerunt maxima regna inter Ethnicos. Et cùm inquit Baptista: Contenti estote stipendijs uestris approbat Militiam. Et Rex Iosaphat inquit: Iudicium Domini exercetis &c. Et Psalmus 148. Reges terræ, & omnes populi. Principes, & omnes iudices terræ laudent nomen Domini.

Contra.

Iniuriæ non placent Deo,
In imperijs multæ sunt iniuriæ,
Ergo imperia non placent Deo.

Respondeo.

Respondeo. Nego consequentiam, & ratio est, quia plus est in Conclusione, quàm in præmissis. Quia debebat sic inferri: Ergo iniuriæ, quæ accedunt ad imperia, non placent Deo.

Postea de minore respondendum est: In Imperijs multæ sunt iniuriæ, Hic necesse est discerni Imperia, id est, totum ordinem politicum, à uicijs & confusionibus, quas addunt Diaboli & homines: ut, Societas generis humani, coniugium, generatio, educatio sobolis, contractus, artificia, iudicia, imperia, defensio, militia, pœnæ homicidarum, blasphemorum, incestorum, & aliorum sceleratorum. Hæc omnia nominantur ordo politicus, & sunt res sapientia & iusticia Dei in genere humano ordinatæ.

Imperia ipsa discernenda sunt à uicijs quæ aliunde accedunt.

Et quanquàm Diaboli & impij homines, organa Diabolorum, horribiliter turbant hunc pulcerrimum ordinem: Tamen quantum ordinis manet, seruatur potenter à Deo. Et hæc ipsa conseruatio est testimonium de Deo & prouidentia, & de præsentia Dei in genere humano. Quia manifestè uidemus, retrahi homicidas ad supplicia, iuuari Cyrum, Alexandrum, Augustum, & similes. Item: Vniuersaliter præsidia humana infirmiora esse, quàm ut possint custodire politias, nisi Deus custodiret, quas uult incolumes esse. Ideò Psalmus inquit: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat, qui custodit eam.

Deus ipse seruat politias.

Longè igitur discernatur Ordo politicus à uicijs, quæ Diaboli, & organa diabolorum addunt, ut discerni oportet custodiam gregis à Lupis, latrunculis, & seruis, qui ipsi furantur oues. Deus ut fidelis Pastor seruat politias, & dat aliquos fideles custodes. Sed Diaboli, latrones & Tyranni sunt uelut lupi. Rapaces domini sunt uelut fures. Hi turbant politias, tanctq; gregem: Et tamen interea Deus seruat magnam partem, & depellit lupos, Tyrannos, latrones, homines seditiosos & rapaces. Hæc imago utcunq; monstrat discrimen ordinis Politici & confusionum, quæ aliunde admiscentur.

Tyranni sunt uelut lupi.

Quod est discrimen Boni Principis & Tyranni.

Bonus Princeps est, qui habet προαίρεσιν rectè faciendi, & plerunq; & in præcipuis partibus officij sui rectè facit, etiamsi aliquando labitur.

Hac forma definiendi in hac uita utendum est de omnibus Gubernatoribus & ministris, in quocunq; genere officij. Et sumitur prima pars definitionis ex dicto Pauli: Hoc requiritur, Fideles ut simus. Secunda pars ex dicto Salomonis: Non est iustus in terra, qui benè faciens etiam non peccet. Ac placet Deo gerens magistratum, seu Dux seu Iudex, seu Miles, habens Fidem & bonam conscientiam, iuxta Pauli regulam: Qui & in officio bonam conscientiam retinet, uidelicet προαίρεσιν rectè faciendi. Nec ruit contra conscientiam, cõtra leges officij: Nec indulget sibi affectata ignorãtia, et affectata omissione.

Contrà uerò Tyrannus est, & Deo displicet, qui non habet προαίρεσιν rectè faciendi, & plerunq; sceleratè facit, etiamsi interdum iusta facit, ac negligit præcipuas officij partes, seu sciens, seu affectata ignorantia, seu affectata omissione, ut Saul, Cambyses, Sardanapalus &c.

Tyrannus.

An iure potuit Naboth recusare, se Regi petenti venditurum esse vineam, id est: An distinctio dominiorum sit iuris diuini inter facultates Regum & Subditorum?

Non furtum facies munit omnium hominum dominia.

Reſpondeo: Præceptum, Non furtum facies, obligat omnes homines, & diſtinguit & munit omnium hominum dominia. Regum & Subditorum. Iohannes dicit Regibus & Principibus: Contenti eſtote Stipendijs ueſtris: Neminem concutiatis, neq; calumniemini. Item: Non plus exigite, quàm conſtitutum eſt. Propria ſunt igitur Regum & Principum Stipendia, id eſt, tributa & uectigalia legitima. Et ab his diſtinguantur facultates ſubditorum, nec̀ conturbentur dominia, nec præter legitima ſtipendia, & ſine iuſta cauſa ſumant Reges ex facultatibus ſubditorum, quantum ipſis libet, Briarei manibus, ut Nazianzenus loquitur.

DE CONIVGIO.

COnſilia Dei omnia in creatione enarrari non poſſunt, ſed tamen aliquorum operum cauſam conſpici Deus uoluit, uidelicet præcipuorum, Certiſſimum eſt, Angelos & homines conditos eſſe, ut eſſent aliquæ naturæ, quibus ſuam ſapientiam, iuſticiam & cæteras uirtutes, & læticiam æternam communicaret, quia bonum eſt communicatiuum ſui, ac ut uiciſſim cognoſceretur ipſe. Tranſfudit igitur in mentem humanam ſapientiam congruentem cum ſua mente, ut in nobis teſtimonium extet, quòd ſit Deus, qualis ſit, & quòd ſit Iudex. In hoc opere non eſt obſcurum conſilium Dei.

Quare angeli & homines ſint conditi.

In Angelorum natura non eſt propagatio.

Nec uerò quærendæ ſunt omnium cauſæ, & reuerenter Deo obtemperandum eſt. Angelorum agmina ſimul condidit, nec eſt in ea natura propagatio. Homines aliter condidit, uoluit eſſe propagationem à paucis. Et tamen duos condidit initiò, quia ſemper uult Eccleſiam ſocietatem eſſe. Et uoluit in his lucere intellectum uirtutum, iuſticiæ, ueritatis & caſtitatis, beneficentiæ, & aliarum, quia his noticijs uult diſcerni naturam diuinam à naturis iniuſtis & immundis. Non enim amplectimur Deum brachijs corporis, ſed mente & fide intuendus eſt in inuocatione, & harum uirtutum attributione diſcernendus ab alijs rebus, & intuenda ſunt teſtimonia patefactionis &c.

Facit autem illuſtre diſcrimen Caſtitas, quia diaboli & homines ſunt immundi. Ac ut diſcernas Deum à Diabolis, ſemper in inuocatione cogites, te alloqui caſtum Deum.

Leges coniugij in Paradiſo editæ.

Sanxit igitur ordinem, & uagas libidines prohibuit, & ſeueriſſimè punit, & uult homines noſſe, & reuerenter tueri certas leges coniugij ab ipſo traditas, quarum primæ ſtatim in Paradiſo editæ ſunt.

I. Prior, ut ſit coniugium copulatio unius maris & unius fœminæ indiſſolubilis. Erunt duo in carnem unam, id eſt, unus mas, & una fœmina inſeparabiliter iuncti. In hac uoce manifeſtum eſt omnes uagas libidines prohibitas eſſe,

II. Altera de inceſtis: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Poſtea de inceſtis & aliæ leges uoce diuina additæ ſunt.

Coniugium quid.

Eſt ergo coniugium legitima & indiſſolubilis copulatio unius maris & unius fœminæ, inſtituta diuinitus, ut agnoſcamus, Deum eſſe mentem caſtam, & ei in caſtitate ſeruiamus, & hoc modo propagato genere humano colligatur æterna Eccleſia Deo. Et quidem Eccleſiæ initium fuit illa prima ſocietas duorum coniugium.

Partes definitionis.

Primùm

Primũm in definitione posita est particula Legitima copulatio, quæ restrictiones quatuor complectitur, de quibus loquuntur leges diuinæ, ac deinde humanæ, quarum uera est & digna reuerentia autoritas, scilicet de personis, de consensu, de conditionibus, & de errore. *Legitima copulatio quatuor complectitur.*

Prima restrictio de personis.

Sit notissimum caput 18. Leuitici, in quo recitantur personæ, quas non licet coniungi. Voluit enim Deus sua sapientia Castitatem intelligi, & ut intelligeretur, nequaquãm uoluit uagari libidines, sed personarum numerum & gradus sanxit, & in hac uita manifestis pœnis uniuersaliter punit incestas libidines. Ac sciendum est, leges in Leuitico, quæ prohibent commixtionem personarum, quæ ibi recitantur, esse leges naturæ, & obligare omnes gentes, sicut expresse dicit textus, Aegyptios & Cananæos puniri propter incestas libidines. Ergo etiam alijs gentibus extra politiam Mosi prohibitæ sunt incestæ libidines. *Leges in Leuitico de personis sunt leges naturæ.*

Ac discant iuniores numerare gradus consanguinitatis & affinitatis.

Consanguinei siue cognati sunt, ut luris consultus inquit, ab eodem orti & propagati. Estq; consanguinitas uinculũ personarum, quę propterea, quòd ab eodem stipite ortæ sunt, sanguinis & naturæ societate propius iunctæ sunt. Discernuntur autem lineis & gradibus. *Consanguinei ab eodem orti.*

Linea triplex est.
- I. Ascendentium.
- II. Descendentium.
- III. Collateralium.

Gradus est interuallum, quo cognoscitur, quæ persona stipiti propior sit. Vsitata autem consuetudo numerandi gradus hoc tempore, & expeditior hæc est: Incoanda est series ab uno stipite, ut Abraham: Supra ponantur maiores eius, infrã ponantur filij & nepotes. *Gradus.*

THARE.

Aram	Abraham	Nahor
	Isaac	
	Iacob	
	Ioseph.	

Adduntur in lateribus fratres & sorores. Traduntur autem regulæ tres ad gradus discernendos.

Prima regula traditur de recta linea, videlicet ascendentium & descendentium.

QVot sunt personæ, tot sunt gradus, una demta, uidelicet demto stipite, à quo incoanda est supputatio. Vt Ioseph distat tertio gradu ab Abraham, Iacob secundo. Isaac primo. Itaq; filius primùm gradum constituit, nepos secundum, pronepos tertium, abnepos quartum.

Ac de recta linea traditur uetus sententia. Nullos ascendentes & descendentes inter se posse connubium contrahere. Quare si Adam hodie superstes esset, non posset ducere uxorem. *De recta linea sententia.*

Secunda regula de collateralibus.

In linea æquali quoto gradu distat altera persona ā communi stipite, toto gradu inter se distant. Ergo duo fratres, seu frater & soror unum gradū tantum constituunt, uidelicet primum. Vt Iacob primo gradu iunctus est Esau.

ÆACVS.

Peleus	Telamon	Phocus
Achilles	Aiax	Epeus
Pyrrhus	Eurisaces.	

Iam si uis scire, quoto gradu inter se iuncti sint Achilles & Aiax, uide unam seriem, & obserua, quoto gradu distet Achilles ā stipite. Distat autem secundo gradu. Quare & inter se distant Aiax & Achilles secundo gradu. Ad hunc modum facilis est sequentium personarum supputatio.

ALIVD EXEMPLVM.

PELOPS.

Pytheus	Lysidice.
Aethra	Alcmena
Theseus	Hercules.

Fuerunt igitur cognati materna orgine Theseus & Hercules consobrini iuncti tertio gradu.

ALIVD.

ERNESTVS AVSTRIACVS.

Fridericus 3. Imp.	Soror
Maximilianus	Ernestus Saxo: Elector.
Philippus	Iohannes Elector.
Carolus V. Imperator.	Iohannes Fridericus primus.

Fratrum Filijs & Filiabus licuit olim contrahere.

Nunc inter collaterales prohibita sunt connubia intra quartum gradū. Olim fratrum filijs & filiabus licuit inter se contrahere connubia etiam Romanis legibus. Vt, Orestes duxit consobrinam Hermionem.

ATREVS.

Agamemnon	Menelaus
Orestes	Hermione.

Simile exemplum est in Genesi.

BATHVEL.

Rebecca	Laban
Iacob	Rachel & Lia.

Iacob iunctus est consobrinæ suæ Rachel secundo gradu.

ALIVD.

IEPHVNNE.

Caleb	Cenas
Axa	Othoniel.

Tertia Regula.

In linea inæquali, quoto gradu remotior distat ã stipite, toto inter se distant. *Linea inæqualis.*

THARE.

Abraham Aram
Sara.

Sara distat secundo gradu ã stipite, Ergo & Abrahæ iuncta est secundo gradu. Hoc gradu in linea inæquali prohibita sunt coniugia iure diuino, quia uniuersaliter maiorem reuerentiam Deus tribui uult superiori gradui, quàm æquali.

PARTHAON.

Oeneus Agrius
Tydeus Thersites
Diomedes.

Diomedes iunctus fuit Thersitæ tertio gradu, in linea inæquali.

THARE.

Abraham Nachor
Isaac Bathuel
Rebecca.

Rebecca distat tertio gradu à stipite. Ideò & ab Isaac distat tertio gradu.

DE AFFINITATE.

AFfinitas est propinquitas personarum, quæ sunt iunctæ copula carnali. Vt, Dauid alienus est ã Ionatha, sed quia duxit uxorem sororem Ionathæ, iam fit affinis Ionathæ.

REGVLA.

Quoto gradu quispiam est mihi consanguineus, toto Gradu uxor eius est mihi affinis, ut frater & frater sunt iuncti primo gradu consanguinitatis. Ergo fratris mei uxor est mihi iuncta primo gradu affinitatis.

PRIAMVS.

Helenus Hector.
Andromache uxor.

Ergo Andromache fuit iuncta Heleno primo gradu affinitatis.

HERODES.

Herodes Philippus,
Herodias uxor.

Ergo Herodias, fuit iuncta Herodi primo gradu affinitatis.

Iacob Nouerca Bala.
Ruben.

Ergo Ruben attigit nouercam primo gradu affinitatis. Sed eò fuit abominabilius scelus Ruben, quàm Heleni, quia Ruben uiolauit patris thorũ, cui *Scelus Ruben.*

maior reuerentia debebatur, quàm fratris thoro, iuxta dictum: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, Et cùm Ruben maledictus sit, manifestum est, prohibitionem primorum graduum esse iuris naturæ.

PELOPS.

Atreus — Thyestes.
Clytemnestra. Agamemnon. Aegysthus.

Ergo Aegysthus secundo gradu affinitatis attigit Clytemnestram.

CASIMIRVS REX POLONIÆ.

Sigismundus Rex Poloniæ. — Barbabara cõiunx Ducis Georgij.
Hedbigis posterior cõiunx Marchionis — Filia, prior coniunx Marchionis.

Ergo Sigismundi filia fuit consanguinea filiæ ducis Georgij gradu secundo. Fuit igitur Marchioni affinis secundo gradu.

Affinitas non latè uagatur.

Non latè uagatur affinitas, nam consanguinei mei, non sunt affines consanguineis uxoris meæ. Ego à consanguinea uxoris meæ abstinere debeo, & mei consanguinei debent abstinere à mea uxore, non à consanguineis meæ uxoris. Quare duo fratres cum duabus sororibus contrahere possunt. Non enim impediuntur affinitate. Pater & filius cum matre & filia contrahere possunt. Habent autem aliquæ personæ nomina.

Socer.	Socrus.
ἑκυρὸς	mariti pater.
ἑκυρά	mariti mater.
πενθερός	Pater uxoris.
πενθερά	mater uxoris.

Gener.
Nurus.
Vitricus.
Nouerca.
Priuignus.
Mariti frater, Leuir, δαὴρ.
Mariti soror, Glos, γάλως & fratris uxor.
Duorum fratrum uxores εἰνατέρες.

Hæ appellationes extant Iliados 6. ubi Helena Hectorem appellat δαέρα. Postea uerò Hector interrogat, an abierit aliquò Andromache ad sorores uiri, aut ad fratrum coniuges: ἦε πὴ ἐς γαλόων, ἦ εἰνατέρων ἐϋπέπλων.

OCTAVIVS.

Augustus — Octauia soror
Agrippa — Iulia. — Marcella.

Ergo Augustus fuit affinis Agrippæ in primo gradu, sed non fuit affinis fratri Agrippæ.

Duplex

Duplex prohibitio.

SAEpè repetita est hæc sententia, & sæpè cogitanda, noticias uirtutum à Deo traditas esse creaturis rationalibus, ut testentur quòd sit Deus, & doceant qualis sit, & ꝙ sit iudex & uindex. Ac præcipuè Castitas facit illustre discrimen inter Deũ & Diabolũ. Sanxit igitur Deus ordinem Coniugij, ut Castitas intelligatur, & seueriſſimè punit incestas commixtiones, ut Sodomorum, Cananæorum, Oedipi, Agamemnonis, Aegysthi, Paridis, regum Aegyptiorum, Dauidis & filiorum Dauidis pœnæ ostendunt. Et uniuersaliter multæ calamitates publicæ sunt libidinum pœnæ, sicut scriptum est: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Tueamur igitur Castitatem maiore cura, ac de gradibus personarum prohibitis sciamus duplicem esse prohibitionem: Altera est iuris diuini, altera iuris humani.

Castitas facit discrimen inter Deum & Diabolum.

Duplex prohibitio de gradibus personarum.

Prohibitio diuina extat Leui. 18. quæ in recta linea intelligatur prohibere commixtionem inter omnes sursum & deorsum. In collateralibus prohibet primum & secundum gradum in linea inæquali, hoc est, ne frater ducat sororem, ne nepos ducat amitam & materteram, nec neptis nubat patruo aut auunculo. Ac intelligatur textus de gradibus, non tantùm de personis, ut Iudæi nugantur.

Cæterùm lex diuina non prohibet connubia in secundo gradu in linea æquali, hoc est, duorum fratrum liberis concedit coniugium, ut Orestes potuit ducere Hermionem.

Agamemnon	Menelaus,
Orestes	Hermione.

MATHAT.

Iacob	Eli
Maria	Ioseph.

Etsi autem politia Mosi non pertinet ad nos, tamen regula uniuersaliter tenenda est: Mandata naturalia ad omnes homines, & ad omnia tempora pertinere, quia sunt normæ iusticiæ in mente & uoluntate diuina immutabiles. Quare & statim in Paradiso in primo gradu ascendentium & descendentium prohibitio edita est: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Et postea patrum uoce declarata est hæc uoluntas Dei, ut, Iacob maledicit filio, qui attigerat nouercam. Et textus in Leuitico affirmat, puniri Cananæos propter incestas libidines.

Mandata naturalia ad omnes homines pertinent.

Cùm autem Deus puniat gentes, quæ sunt extra politiam Mosi, & quæ fuerunt ante Mosen, perspicuum est, has prohibitiones esse æterna & immutabilia mandata, & pertinere ad omnes homines. Ideò & Paulus punit Corinthium, qui attigerat nouercam.

Huc addantur exempla pœnarum, quæ plurimæ leguntur in omnium temporum historijs. Sciendum est igitur, non ualere dispensationes, quæ concedunt commixtionem in gradibus prohibitis in eo textu Leuitici 18.

Dispẽsationes non ualent.

Additæ sunt autem diuinis prohibitionibus & humanæ quædã in proximis gradibus, Vt, in secundo gradu in linea æquali, & tertio gradu, ut maiore reuerentia diuinæ prohibitiones obseruentur. Hoc consiliũ honestũ & probandum est. Sed sciant omnes gubernatores discrimen prohibitionũ diuinarum & hu-

rum & humanarum. Diuinæ nequaquām ſolui humana autoritate poſſunt. Sed interdum probabilis ratio incidere poteſt, quare humanæ prohibitiones laxantur, quod tamen circumſpectē fiat per Paſtores & Magiſtratus, non priuata temeritate.

Fieri poteſt ut humanæ prohibitiones laxentur.

Cognatio ſpiritualis.

Cæterūm prohibitiones de cognatione ſpirituali prorſus reiiciēdæ ſunt, qualis eſt, ne quis ducat eam, cuius baptiſmo affuit. Pertinet etiam ad officium Magiſtratuum, quolibet loco re ſapienter deliberata cōſtituere, quas prohibitiones humanas retinere uelint.

DE EXEMPLIS PATRVM.

VIdimus etiam multos, qui uſitatas leges connubiorum ideò negligebant, quia leguntur diſſimilia ueterum exempla de Polygamia, & de coniugijs Iacob, qui duas ſorores duxit. Non eſt autem exemplis ſed legibus iudicandum. Et in hac tanta re conſiderentur præcepta diuina. Certiſſimum eſt legem coniugij primam in Paradiſo ita ſancitam eſſe, ut tantūm unius maris & unius fœminæ coniunctio eſſet: Erunt duo in carnem unam, id eſt, inſeparabiliter iuncti.

Non exemplis ſed legib. eſt iudicandum.

Etſi autem poſtea Lamech diſceſſit ab hoc ordine, & poſt diluuium Deus etiam in ſuo populo tolerauit exempla diſſimilia primæ inſtitutioni: Tamen Filius Dei nos ad primam inſtitutionem retrahit, inquiens Mat. 19. Ab initio non erat ſic. Et repetit dictum: Erunt duo in carnem unam. Et Paulus inquit: Vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed uxor.

Filius Dei nos ad primam inſtitutionē retrahit.

Præterea de gradibus cūm extent iam in Leuitico prohibitiones, obtemperare his neceſſe eſt, Nec quærendum eſt, quomodo excuſandi ſint patres, Quia ſancti non ſunt ſine uicijs: & omnes omnibus temporibus contagia quædam habemus ab erroribus & uicijs noſtri temporis. Quia uerò Patres uera inuocatione Deum colebant in agnitione Redemtoris, & erant fideles cuſtodes doctrinæ, & excellebant omnibus uirtutibus, & bonam conſcientiam alioqui retinebant, tales næui tegebantur, qui iam erant eius temporis mores politici.

Patres non ſunt excuſandi.

DE CONSENSV.

DIctum eſt in definitione, Coniugium eſſe legitimam copulationem. Hæc reſtrictio docet, perſonarum diſcrimina eſſe, Item ordinat conſenſum.

Primūm igitur ſit conſenſus expreſſus ſponſi & ſponſæ, ut regula ſæpē repetita in iure docet, coniugia mutuo conſenſu iungi. Et ab hoc conſenſu abſint error & uiolentia. Ac poſtea de errore dicam. De uiolentia uerō ſciendum eſt, non eſſe conſenſum, nec coniugia, cùm perſona ui cogitur, ut promittat coniugium, Et hac in re accidunt multa triſtia errata.

Coniugia mutuo conſenſu iungantur.

DE CONSENSV PARENTVM.

VEtuſta iura ita poſtulant conſenſum Parentum in ſponſalibus, ut cūm non accedit conſenſus parentum, concedant etiam ante commixtionem reſcindi deſponſationes. Et Ambroſius in hiſtoria Rebeccæ poſtulat conſenſum parentum, idq; dicit adeò honeſtum & naturæ conſentaneum eſſe, ut Poëtæ quoque idem docuerint, & recitat uerſus Euripidis, apud quem in Andromacha, cūm Oreſtes peteret connubium Hermiones, hæc reſpondet, eam rem pertinere ad arbitrium patris. Verſus hi ſunt:

Ambroſius.

Νυμφεύματων μεν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμός
Μέριμναν ἕξει, κοὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.

Nec longiorem disputationem addo, cùm constet in Ecclesijs harum regionum hoc seruari, ut consensus parentum requiratur, & desponsationes iudicentur irritæ refragantibus parentibus. *Consensus parentum requiritur.*

Sed ad officium iudicum pertinet considerare, ubi parentes probabilem causam habeant refragandi, ubi non sit probabilis causa.

Sciendum & hoc est, post concubitum non posse rescindi coniugia autoritate parentum, quia non est iam quæstio de futuro coniugio, & uiolata est autoritas parentum, & fieret iniuria desertæ mulieri.

DE CONDITIONIBVS.

Conditionum aliæ sunt honestæ, & pertinentes ad coniugium. Aliæ peregrinæ, nihil pertinentes ad coniugium. Aliæ turpes. Aliæ impossibiles.

Prima Regula est perpetua.

Conditio honesta, & pertinens ad coniugium, adiecta in principio contractus, si non fuerit impleta, dissoluit contractum. Quales sunt hæ conditiones: Si parentes consenserint. Si dos mihi dabitur pro nostris facultatibus conueniens. *Conditio honesta.*

Sed cùm sequitur concubitus, non expectata conditionis impletione, ea coniunctio iudicatur esse coniugium, quia personæ conuenientes discedunt à conditione.

ALIA REGVLA.

Si uerò est conditio Peregrina, non pertinens ad coniugium, ut: Ducam te, si dederis mihi centum aureos, ubi non intelligitur dotis mentio, talis conditio intelligitur esse ociosa & pronunciatur pro coniugio. Talis est conditio: Ducam te, si Cæsar inferet bellum Turcis. Pronunciatur etiam pro coniugio, cùm adduntur conditiones turpes, aut impossibiles, ut: Si inuenero te uirginem. Item: Si dabis mihi Byzantium. Hæ conditiones tanquam non additæ, reijciuntur, fortassis quia gubernatores sophisticam & petulantiam in decipiendo misero & imbecilli sexu prohibere uoluerunt. *Conditio peregrina.*

DE ERRORE REGVLA TRADITVR.

Dissolui posse sponsalia & coniugium, propter errorem personæ, non propter errorem fortunæ, id est, cùm dolus interuenit, seu error de homine, sicut Iacob tradita est Lia pro Rachel. Sed Iacob non est usus summo iure. *Error personæ.*

At propter errorem fortunæ non dissoluuntur sponsalia aut coniugium, ut si qua putet, sponsum esse diuitem aut nobilem, aut non habere liberos. Talis error nihil ad substantialia Coniugij pertinet. *Error fortunæ.*

Vetustas de uno quodam errore fortunæ etiam pronunciauit, posse dissolui contractum, uidelicet, si quis liber ignorans ducat seruam, putans esse liberam. Hæc constitutio prorsus politica est, & nunc, quia uetus consuetudo de seruis in Europa magna ex parte abolita est, non indiget longa disputatione. Olim uerò causa fuit eius constitutionis, quia nati ex ancillis excludebantur à successione, quæ propria erat ingenuorum, Sed cùm liber sciens ducit ancillam, Ecclesia non dissoluit, sicut inter Abraham & Agar uerè coniugium fuit.

Alius

Alius error est, de quo difficilior quæstio est: Si quis ignorans ducit ab alio compressam, aut grauidam ex alio, an liceat dissolui sponsalia & coniugium, ut sæpè petitur. Sæpè affertur hæc quæstio in iudicia, sed usitato iure pronunciatur, ut sponsus seu maritus retineat ante compressam ã se uel ab alio, siue sciens, siue inscius talem duxerit. Et fortassis in recentibus constitutionibus hoc sancitum est, ne facilè dissoluantur coniugia, & ne armetur leuitas eorum, qui libenter uxores qualicunq; prętextu abiiciunt, quoquo modo uoluntate mutata.

Maritus retinere debet antea compressam.

Nota sit igitur præsens consuetudo, de qua extant dicta expressa in iure Canonico. Sed in Deut: cap. 22. alia sententia est, quæ iubet lapidibus obrui compressam ab alio, quæ postea tanquam uirgo nupsit alteri, si fuerit accusata, & uir petit diuortium.

Sententia in Deut. seueriior.

Hæc fuit uetus seueritas in lege diuina, quam aliquantisper & aliæ gentes sapientiores imitatæ sunt. Crëusa apud Euripid. grauida nubit Xutho duci, & natus est ex ea Ion, quem mater infantem exposuit. Postea re prolata mater supplicium metuit, sed seruatur ã Pallade. Et apud Terentium in Hecyra, Pamphilus non uult recipere coniugem, quam putat ex alio grauidam fuisse. Erant igitur in eo casu usitata diuortia. Sed addam ordine de quibusdam casibus accommodatas commonefactiones.

PRIMA.

Lex Mosi iubebat eum, qui compressisset puellam, ducere eam uxorem, & ei dotem attribuere, siue promisisset coniugium, siue non promisisset. Sed nostra iura non cogunt te ducere à te compressam, si non promisisti coniugium. Dotis tamen mentionem faciunt: Ducat aut dotet. Quod idem fuit usitatum Attico iure.

SECVNDA ADMONITIO.

Fortassis ideõ ab antiqua consuetudine discessit recentior ætas, quæ cogit retinere compressam ab alio, quia si liceret accusare nouam nuptam, sæpè propter suspiciones aut offensiones qualescunq; in periculum uenirent innocentes. Sæpè etiam patefierent arcana delicta, quæ tegi multõ honestius & utilius est, iuxta illud: Omnia delicta tegit dilectio. Ita gubernatores prohibere accusationes uoluerunt. Nec uituperandum est hoc consilium.

Quare leges nunc cogant retinere ab alio compressam.

Etsi autem non fero nouas leges, tamen modestè dicere licet, quid uideatur prodesse. Primùm tentanda est reconciliatio, ut is, qui errore duxit compressam ab alio, retineat eam, præsertim si est modesta. Quia diuortia sæpè magnæ calamitates sequuntur, quarum habenda ratio est à Iudice, & ab actore. Sin autem reconciliatio perfici non potest, sapiens iudex, cuius ea est autoritas, ne postea mutetur sententia, imitari potest exemplum legis Mosaicæ, eõq; ut de diuortio pronunciet. Notum est enim, leges forenses Mosi non pertinere ad nostras politias, sed tamen ibi conspicitur, quid Deus approbet.

Possunt igitur legum conditores suo loco hanc legem ferre, ut in tali casu, si reconciliatio non procedat, fiat diuortium. Et multõ intolerabilior est error in hoc casu, quàm si quis ignorans duxisset ancillam. Et possunt addi aliæ rationes honestæ. Sed exemplum legis Mosaicæ plus munit conscientias, quàm alia argumenta. Quia ex testimonio legis diuinæ certi sunt legislatores & iudices, se non facere contra uoluntatem Dei.

Potest etiam ab alio compressa dimitti.

ALIVS

ALIVS CASVS.

SAEpè & de hoc casu quæritur: An habens uxorem, ut Dauid, & aliam attingens, possit deinde mortuis prioribus coniugibus, ducere compressam antea, cùm maritus esset alterius, aut ipsa alterius coniunx? Canones prohibent coniugium in hoc casu. Prohibent item, si facta sit machinatio ad interficiendam coniugem alterius. Hæc decreta bono consilio facta sunt, ut adulteria maiore cura uitarentur. Sed exemplum Dauidis ostendit, in hoc casu coniugium posse concedi, & hac ἐπιεικείᾳ iudex nunc quoque uti potest, præsertim cùm politici Magistratus adulteria non puniunt, & Deo ualde displicent uagabundæ commixtiones.

ALIA QVÆSTIO.

An liceat Christiano ducere Ethnicam, aut alioqui dissentientem de Religione?

PRohibent Canones ducere Ethnicam & Hæreticam, quod etiam bono consilio constitutum est: Quia & Lex diuina prohibuit coniugia cum Philistæis. Sed hic quoq; nosse regulam necesse est: Euangelium non abolet politias, Sed concionatur de iustitia cordis. Interea in uita externa sinit nos uti legibus politicis, non pugnantibus cum legibus naturalibus, sicut utimur diuersis dierum spacijs. Ideò Paulus expressè iubet, ut retineant Christiani coniuges, quæ uolunt in eodem coniugio manere, etiamsi non amplectuntur eandem religionem. Et addit consolationem: Sanctificatur uir infidelis per uxorem fidelem, id est, credenti usus coniugij fit mundus, id est, non displicens Deo, etiamsi coniunx, de religione dissentit, sicut dicitur: Sanctificatur cibus per uerbum & orationem, id est, est concessus, non displicet Deo usus cibi.

Euangelium non abolet politias.

Ita mater Augustini Christiana mansit in coniugio mariti ethnici, & quidem asperi, qui postea obsequijs & uirtute uxoris motus est, ut ad agnitionem Christi flecteretur. Ac talia exempla in historijs obuia sunt plurima, quorum consideratio & nostro tempore utilis est, ne propter religionem coniuges diuellantur, qui manere in eodem coniugio cupiunt, ut sæpè propter sobolem ægrè diuelluntur. Et Christianus suis obsequijs retinere beneuolentiam coniugis studeat, ne captare occasionem diuortij uideatur.

Mater Augustini.

DE DIVORTIO.

DIctum est in definitione, coniugium esse legitimam & indissolubilem coniunctionem unius maris & unius fœminæ. Nec dubium est, has restrictiones congruere ad primam institutionem. Quia Deus uoluit genus humanum non ut pecudes uagari commixtionibus, sed marem & fœminam certo ordine copulatos esse, & huius ordinis obseruatione obedientiam ipsi debitam præstare.

Et hunc ordinem seueriſſimis legibus sancit, & perpetuò tristissimis pœnis in toto genere humano omni tempore confusiones huius ordinis punit, ut ostendit diluuium, deletio Sodomæ, Sybaris, Thebarum, Troiæ, & plurimarum gentium.

Et huius tantæ seueritatis causa est, quòd uult Deus in genere humano lucere castitatis intellectum, ut sciamus & ipsum esse mentem castã, & Castitatis amantem, & huius uirtutis mentione discernamus eum à naturis immũdis.

Coniugia non sunt dissoluenda.

Sanxit igitur statim initiõ, ne dissoluerentur coniugia, inquiens: Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Nam in hanc sententiam Dominus ipse hoc dictum citat Mat. 19. Et huic præcepto primi patres Adã, Seth, & alij sine ulla dubitatione obtemperauerunt, & hanc doctrinam alijs tradiderunt.

Diuortia quomodo recepta sint.

Sed postea laxata ueteri disciplina, diuortia etiam recepta sunt, & cùm iam ante Mosen usitata essent, permissa sunt & uoce legis Mosaicæ. Sed tamen initiõ metæ circundatæ fuerunt, ne priuata leuitate fierent, sed in iudicijs prius cognoscebantur causæ.

Sanxit igitur lex singulari consilio, ne rursus duceretur dimissa, quæ postea alteri nupta fuit. Detestatur enim Deus confusiones libidinum.

Apud ueteres Atticos etiam consuetudo fuit, ut in iudicijs causæ diuortij cognoscerentur. Sed postea apud Iudæos & Gentes secuta est maior leuitas & licentia, & priuato arbitrio facta sunt diuortia, siue causæ graues essent, siue leues, siue nullæ. Sunt & reductæ, quæ antea dimissæ fuerant, ut, Cato petenti Hortensio cesserat Martiam, & post mortem Hortensij rursus eam sibi adiunxit. Talis leuitas occasionem quæstioni præbuit, Mat: 15. Prohibet igitur Dominus diuortia in eo loco, excepto uno casu, uidelicet adulterio, in quo casu, persona suo scelere dissoluit coniugium, & è medio tollenda erat. Nec dissolutionis causa est persona innocens. Ideò uox Filij Dei liberat innocentem personam. Extat & alter casus 1. Corinth. 7. de desertore uel desertrice.

In quibus casibus cõcedatur diuortium.

DE MODO PROCEDENDI.

NOn sunt autem facienda diuortia sine cognitione legitimorum iudicum, sed persona innocens, si uult fieri diuortium, petat à iudice uocari personam, quæ deliquit. Hic cùm utraq; pars uenit in iudicium, primùm adhortandi sunt utrinq;, ut redeant in mutuam gratiam. Si non procedit reconciliatio, pars innocens non potest cogi, ut recipiat ream.

Auditis igitur partibus, & confirmata accusatione, si accusator honestè uixit, & petit terri sententiam, pronuncietur hoc modo: Cùm persona quæ deliquit, suo scelere dissoluerit coniugium, iudex autoritate Euangelij personam innocentem pronunciat esse liberam, & expressè inquit, concedi ei, ut pro sua conscientia piè contrahat aliud coniugium.

Pontificij Canones nomine tantum faciũt diuortia.

Pontificij Canones faciunt diuortium nomine, non re, id est, non permittunt, ut persona innocens contrahat aliud coniugium. Sed cùm Euangelium in illis casibus concedat diuortium, intelligatur id non de inani uocabulo, sed de tali liberatione, quę fit re ipsa diuortium uidelicet, in quo non retineatur ligata persona innocens.

Ecclesia uetus habuit diuortia.

Et fuisse hanc consuetudinem in Ecclesia ueteri, annotatum est ab Origene in Matthæum. Item ab Eusebio in Ecclesiastica historia, qui pagina 88. recitat historiam ex Iustino Martyre, qui scribit, mulierem piam feciſſe diuortium cum marito, polluto flagitiosis libidinibus, & publicè accepisse libellum repudij, ut uocabant, id est, tabulas testificantes de diuortio. Et Hieronymus recitat Fabiolæ nobilis matronæ Romanæ historiam, quæ propter mariti scelera fecit diuortium, & nupsit alteri. Hæc exempla meminisse utile est, ad confirmandum morem iudiciorum in nostris Ecclesijs.

Sin autem persona quæ deliquit non uenit in iudicium, sed aut contumaciter

macicer abest, aut inueniri non potest, cũm accusator confirmata accusatione testes adducit, qui affirmant, eius famam integram esse, & petit se liberari, pronunciet iudex, eum liberum esse, ut antè dictum est.

Sed quid fiet de persona condemnata? An concedendum est ei, si adest, vt in ijsdem locis viuat?

REspondeo: Magistratus politicus adulteria punire debet. Ideò persona condemnata, si non punitur durius, pellenda est ex ijs locis, ubi uiuit persona innocens, cui altera, uidelicet condemnata, uelut mortua existimanda est. Et hæc seueritas ad politicum magistratum pertinet.

Quid sit Desertor.

IN quæstione de diuortio liberat uox diuina personam innocentem, cùm alter coniugum fœdus coniugij adulterio dissoluit, & innocenti personæ re iudicata ut dixi, conceditur contrahere aliud coniugium, idq; hoc modo seruatur in nostris Consistorijs. Seruatur idem de persona iniustè deserta, quia Paulus inquit 1. Cor: 7. Si autem infidelis discedit, discedat, non subiectus est seruituti frater, aut soror in talibus: Expressè pronunciat Paulus, personam iniustè desertam liberam esse, id est, non cogendam esse, ut uagabundum desertorem sequatur. *Persona iniuste deserta libera est.*

Etsi autem aliqui restringunt hoc dictum ad casum de religione, tamen uerè accommodatur in genere ad quamcunq; iniustam desertionem, cùm non sit ratio dissimilitudinis.

Et consentaneum est, desertores impatientes freni coniugalis, deinde non abstinere ab alijs mulieribus. Sed cùm uariæ sint causæ migrationum, definiendus est desertor. Nec concedendum est desertæ personæ coniugium sine iudicum cognitione.

Est igitur Desertor, qui discedit à coniuge, ac diutius abest, nulla honesta causa coactus, sed uel leuitate, uel iniusta impatientia freni coniugalis, uel alijs non necessarijs causis impulsus uagatur. *Desertor quid*

Et multi adeò sunt ἄσοργοι, qui agitãtur à Diabolis, ut etiam sobolem negligant. Talis desertor propter perfidiam & ἀσοργίαν supplicio publico puniendus erat. Ideò iustum est opem ferre personæ innocenti, quæ deserta est. ἄσοργοι.

Accedat autem, ut dixi, cognitio iudicium: uocetur ergo in iudicium, & cùm non uenit, audiantur testimonia de personæ innocentis integritate, & pronuncietur libera, &c.

Non est autem desertor, qui abest officij causa, ut legatus aut miles delectus autoritate legitima ad militandum. Aut si uoluntate coniugis maritus abest in mercatu, aut alio honesto negocio. *Qui abest officij causa non est desertor.*

Nec captiuitas dissoluit coniugia, nec deportatio, ut lex Alexandri Seueri in Codice de repudijs inquit: Matrimonium deportatione, uel aquæ & ignis interdictione non soluitur, si casus, in quem maritus incidit, non mutat uxoris affectum, id est, si non est tale scelus, quo alioqui coniugium dissolueretur.

De milite autem narrat constitutio Iustiniani in Autenticis: Olim si toto quadriennio nihil significasset uxori inquirenti miles de sua uoluntate, concessum fuisse mulieri aliud coniugium. Hanc breuitatem temporis reprehendit Iustinianus, inquiens, militi tristius esse uxorem domi amittere militiæ causa, quàm capi ab hostibus. Ideò sancit longius tempus, & requirit diligentem inquisitionem de uoluntate uiri.

Loquitur autem lex de militia legitima, non de leuibus hominibus, qui non uirtutis & militiæ causa domo absunt, sed ut liberius uagari possint, militum titulum assumunt. Hoc discrimen etiam iudex considerabit.

De tempore, post quod alia coniugia concedi possunt.

SI diuortium factum est propter adulterium, innocenti personæ non præscribitur tempus, postquam res iudicata est.

Quæstio desertionis.

Sed in quæstione desertionis annos considerari necesse est, ut intelligatur, personam uerè desertam esse, non leuitati aut perfidiæ prætexere umbram desertionis.

Lex in Codice concedit sponsæ post biennium alteri nubere, si ea non assentiente sponsus, qui tamen non est extra prouinciam, tam diu differt publicum ritum coniugij.

Alia lex de sponso peregrinante loquitur, de quo concedit sponsæ post triennium alteri nubere, uidelicet, nisi ea assentiente diutius absit.

Pontificiæ constitutiones desertæ personæ quantumlibet innocenti, nullo unquam tempore concedunt coniugium, nisi desertricem personam constet mortuam esse. Sed suprà recitaui dictū Pauli ex Corinthijs, quod liberat personam innocentem, & plerunq; desertrix persona simul adulterij rea est. Nequaquam igitur laquei inijciendi sunt innocenti personæ propter aliena delicta. Sed intelligatur & in hoc casu liberatio non de inani uocabulo, & personæ liberatæ concedatur coniugium.

Quando concedatur coniugium desertæ personæ.

Iustinianus expressè concedit coniugium desertæ personæ post decennium. Glosa in capitulo in præsentia, in Decretalibus ita inquit: Vbi post septennium uerisimiliter præsumitur de morte uiri, excusatur mulier, si nubat. Ac mitior est glosa, quām textus. Sed cùm iudex inquisiuit negocium, & comperit, querelam de desertione non esse inanem prætextū, & uidet mores personæ innocentis honestos esse, posset imitari legem Constantini de quadriennio, uel dictum de quinquennio in Digestis, in titulo de Diuortio.

Hæc moderatio non uidetur absurda: Nec tamen præscribo certum tempus, sed sapiens iudex simul considerabit, quid deceat exempli causa, & ne laqueos conscientiæ innocentis personæ inijciat.

DE NATVRA SPADONVM.

VErecundè sic nominantur illi, qui prorsus non sunt idonei ad commixtionem coniugalem: Et nominantur Spadones, siue natura tales sint, siue arte castrati sint.

Spadones non fiunt coniuges.

De his sciendum est, tales personas nequaquam fieri coniuges, sed cùm est explorata frigiditas, iudex pronunciet illas personas liberas esse. Nec fit tunc diuortium, quia non erat coniugium, iuxta dictum Matt. 19. Sed fit declaratio, ut alij sciant, illam societatem non esse coniugium, & personæ quæ habet naturæ uires integras, concedi aliam feliciorem copulationem legitimam. Sed ad explorandā frigiditatem iura tempus constituerunt, si res dubia est, ne ante triennium fiat seiunctio.

Læsi fascino.

Eodem modo pronunciant de ijs, in quibus natura ita læsa est fascino aut ueneficio, ut ope medica sanari non possit, si toto triennio frustra tentata est medicatio.

Tanta est autem uirtus aliquarum mulierum, ut occultent imbecillitatem

tem uirorum, ſicut uiri doctiſſimi Simonis Grynei ſocer narrauit, ſe mortua prima coniuge duxiſſe uiduam uirginem, quæ undecim annos nupta fuerat uiro frigido, nec unquam ulli ante mortem uiri hanc rem patefecit. *Simon Grynæus.*

De diuortijs propter ſæuitiam, ueneficia, & inſidias ſtructas uitæ.

CVM textus Matthæi 19. tantùm faciat mentionem Adulterij, ualdè pugnant aliqui, non poſſe fieri, diuortia propter ſæuitiam & inſidias uitæ ſtructas. Sed in Codice lex Theodoſij, quam exiſtimo graui deliberatione pijs orum ſcriptam, ut tunc uſitata diuortia reſtringeret ad certos caſus, concedit diuortium etiam in his caſibus. *Lex Theodoſij de diuortio.*

Etſi autem aliqui reijciunt hanc legem, & contendunt eam ab Euangelio diſſentire, tamen hi non rectè intelligunt diſcrimen Legis & Euangelij. Et cùm expreſſè dicat Dominus, in politia Moſi diuortia permiſſa eſſe propter duritiem cordis, ſignificat aliam eſſe gubernationem hominum ſanabilium, qui ſunt membra Eccleſiæ, & uolunt obtemperare Euangelio: aliam politicam impiorum & contumacium, qui frenos legum pati nolunt.

Si quis eſt igitur talis maritus, qui ſæuitiam in coniugem exercet, & admonitus à Paſtoribus non deſinit furere, & domeſticæ Eccleſiæ inuocationem turbare, & uxorem ita crudeliter tractare, ut uita in periculo ſit, hic certè Magiſtratus politici imperio coërcendus eſt, qui non ſolùm uitam perſonæ innocentis tueri debet, ſed etiam debet eius conſcientiæ conſulere, ne fracta dolore et indignatione, tandem abijciat inuocationem, aut aliquid iniuſtè faciat, ut dicitur: Furor fit læſa ſæpius patientia. In eo caſu in perſona crudeli, non pertinente ad Eccleſiam, Magiſtratus politicus Theodoſij lege uti poſſe uidetur. *Sæuitia uidetur facere poſſe diuortium.*

Imperia politica uult Deus honori eſſe bonis, & terrori malis. Vult Deus regi eos, quorum mores ſunt ſine ſcelere, uult eis concedi pacem ad inuocationem, ad educationem & ad inſtitutionem ſobolis, uult latrones reprimi, ſiue domi, ſiue foris latrocinia exerceant. Nec deſunt unquam in imperijs homines contumaces, iniuſti & ἄσοργοι, exercentes in ſuos iniuſtam ſæuitiam, quales nominat Dominus in hac concione Duros corde. *Imperia debẽt honori eſſe bonis.*

An propter morbos contagioſos & incurabiles, ut propter Lepram, diuortium fieri poſſit.

RESpondeo. Planè & perſpicuè affirmo, nequaquàm facienda eſſe diuortia propter morbos, nec deſerendum eſſe ægrotum maritum, nec deſerendam eſſe ægrotam uxorem, quia ſemper oportet hanc regulam eſſe firmam & immotam: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Quare omnis perſona uiuens, quæ uolens incoat diſtractionem, ſine ulla dubitatione horribiliter peccat, ut, adultera ſeu deſertrix incoat diſtractionem uolens, & facit contra hunc ordinem diuina uoce & lege ſancitum. Ita ſi perſona rectè ualens incoaret diſtractionem, eſſet ſimilis deſertrici & adulteræ, & rea magni ſceleris. Nam calamitas, quæ inter uiuentes accidit ſine culpa, nequaquàm diſſoluit coniugale fœdus. *Calamitas non diſſoluit coniugium.*

Omnia igitur dicta, quæ prohibent diſtractionem, proponant ſibi homines timentes Deum.

Geneſ. 2: Erunt duo in carnem unam.

1. Corinthios ſeptimo. Vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed uxor.

Nec uxor potestatem habet corporis sui, sed maritus.

Ephes. 5. Viri diligite uxores uestras. Nemo carnem suam odio habuit, sed eam alit & fouet.

Fœdus coniugale.

Cùm igitur maneat fœdus coniugale, inter tales personas, quas non distraxit culpa, manifestum est, non deserendam esse ægrotam personam, ac deberi ei beneuolentiam & auxilium, tanquam proprio corpori. Summus amicitiæ gradus est fœdus coniugale. Iniustissimum est autem, in calamitate amicum deserere, egentem auxilio, & confugientem ad amici beneuolentiam & fidem. Quare desertio coniugis propter calamitatem, in qua nulla est culpa, iniusta & scelerata est.

Ægrota persona non est mortuæ similis

Quidam uerò crudeliter disputant, Leprosos similes esse mortuis, & hoc prætextu consulere personæ rectè ualenti student. Sed hoc sophisma refutat manifesta crudelitas. Mortui non indigent aliorum hominũ auxilio. Aegrota persona adhuc indiget hominum auxilio. Quare, quòd ad ueræ amicitiæ officia attinet, nondum est mortuæ similis. Adhuc est caro tua, adhuc lex diuina tibi concionatur: Nemo carnem suam odio habuit. Et autoritate Magistratuum cogenda est persona rectè ualens, ne deserat ægrotam, & ne negligat eius uitam, sed ferat opem ægrotanti.

Etsi autem uidetur aliquibus hęc sententia durior, tamen iustam esse omnes bonæ mentes intelligunt. Si quis autem maritus pius indiget consilio, interroget Pastores eruditos & graues, & rectè intelligentes doctrinam Ecclesiæ. Potest enim responderi, ne perplexitate implicetur conscientia, & ne fides & inuocatio in uiro interrogante impediantur.

De desponsatione impuberum.

Sponsalia quid?

MVltum refert rectè intelligere sermonem uetusti iuris. Vetustas nominarsponsalia tantùm eas promissiones, in quibus fiunt pacta de futuro cõiugio, & quæ nequaquàm sunt initium præsentis coniugij, ut inter Octauium adolescentem, & Seruiliam adhuc paruulam, fiunt sponsalia. Ibi tantùm hoc agitur, ut aliquantò pòst per uerba de præsenti coniugium constituatur.

Sponsalia duplicia sunt.

De his sponsalibus inquiunt uetustæ leges, uoluntate partium dissolui posse sponsalia, ut Octauius non duxit Seruiliam. Hic obseruandum est, quomodo uetustas locuta sit. Recentior ætas finxit ambiguitatem: nominat alia sponsalia de futuro, alia de præsenti, cùm contractus, in quo per uerba de præsenti seu categoricè promittitur coniugium, sit iam uerum initium coniugij præsentis.

Prudenter autem considerandum est, ubi sint sponsalia de futuro, nec id ex cauillatione uerborum iudicetur, sed ex multis circumstantijs, an tunc uoluerint partes aliquid constituere, quod postea non posset mutari propter graue causam, cuius tunc fortassis ratio habita est.

Quæ sponsalia dissoluantur.

Sunt autem sponsalia de futuro, promissiones omnes, quibus addita est conditio honesta, cuius ratio in iudicando habenda est, ut Ducam te, si parentes adsenserint. Tales promissiones irritas esse, si conditioni non fuerit satisfactum, suprà dictum est.

Sunt & sponsalia de futuro, quando nomine impuberum fit promissio à parentibus, uel tutoribus, de coniugio contrahendo inter hos impuberes, cùm

cùm ætas erit idonea,aut cùm ipsi impuberes, uel altera persona, cuius ætas nondum est idonea,coniugium futurum promittit.

Hæc sponsalia dissolui posse, cùm deinde uoluntas puberum non accedit, certum est. Nec cogenda est persona repugnans,quæ se non obligauit ipsa postea,cùm ætas iam matura esset coniugio, & suo iudicio statuere posset.

Vt autem homines alij multis rebus bonis abutuntur, ita & coniugij umbra sæpè stultis,aut malis cupiditatibus prætexitur. Sæpè propter pecuniam aut præsidia fiunt pacta de impuberum coniugijs ,cùm in hoc tanto fœdere perpetuæ coniunctionis honestum iudicium,& mutua beneuolentia horũ ipsorum, qui iunguntur, requiri & ualere debeant, nec deceat corpora natorum uenalia esse,propter pecuniam,aut alia πλεονεκτήματα. Et punit Deus hanc ordinis deprauationem pœnis manifestis. Quare parentes honesti, considerantes ordinem diuinum, saluti filiorum & filiarum rectè consulant, nec cogant filios aut filias contra naturæ inclinationem ad coniugia,ã quibus abhorrent,eaçp in re moueantur his maximis causis: Vbi non est mutuus amor coniugum, ibi discordia sauciat mentes,impedit inuocationem Dei,turbat totam domesticam consuetudinem,& parit multa peccata. Interdum & cùm uoluntates distractæ sunt, sequuntur adulteria & pœnæ, in quibus multi ruunt in noua scelera, & in tragicas calamitates.

Coniugium prætexitur sæpè cupiditatibus malis.

Liberi nõ sunt cogendi ad coniugia.

Hæc infinita mala præcipuè parentes, qui ea aliquo modo intelligere possunt, considerent & metuant, & ne accidant filijs & filiabus, Deum ardentibus uotis precentur. Deinde ipsi caueant,ne stultis aut impijs consilijs ea acersant.

In multis deliberationibus nimis magna negligentia & futilitas est parentum de coniugijs suorum. Vnde postea & tristissimæ calamitates sequuntur, & familiæ fiunt non Ecclesiæ Dei, quod esse debebant, sed Diabolorum lustra, & multi miseri homines in illis calamitatibus ruunt in indignationem aduersus Deum, in desperationem, & in æternum exitium.

Familiæ fiunt sæpè Diabolorum lustra.

Oro autem Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, & custodem honestæ societatis, ut ipse nos gubernet, & faciat, ut nostra cõiugia & familiæ nostræ sint ueræ domesticæ Ecclesiæ, ipsum rectè inuocantes, & ei obtemperãtes,in tuendo ordine,quem instituit,nec sinat domesticis discordijs impediri inuocationem, & alia officia necessaria, Amen.

De officio Magistratus in tuendis legibus coniugij.

CErtissimum est, salutarem gubernationem Dei opus esse. Ac manifestum est,diuinitus institutum esse hunc ordinem in genere humano, ut præsint Magistratus multitudini.Et his Deus præcipua officia quatuor attribuit.

Quatuor officia Magistratus.

I. Primum est, ut Magistratus sonet uocem legis diuinæ in tuenda disciplina, quia prima & immota norma uitæ esse debet lex diuina.

II. Secundum, ut sit uigilans custos diuinæ legis, ac seueritate pœnarum coërceat & puniat contumaces, & defendat obedientes. Hunc ordinem ita sanxit Deus. Et manifestum est leges contemni, ubi nulla sunt pœnarum exempla. Sicut uerè laudat dictum Aeschinis Demosthenes: οὐδὲν ὄφελος τῆς πολιτείας, μὴ ἐχούσης νεῦρα καὶ ἀδικόντων.

III. Tertium officium est, Magistratus addere potest aliquas leges diuinis, nequaquam tamen dissentientes à diuinis, sed quæ sint adminicula, ut maiore cura seruentur.

IIII. Quartum, ut & has leges seueritate pœnarum tueatur.

Hæc officia Magistratus & in coniugij defensione considerent. Sciant seueríssimis mandatis Dei præcipi, ut leges coniugiorum conseruent, & puniant adulteria, uagas & incestas libidines, & tollant è medio illa dira portenta, quæ & iram Dei irritant, & polluunt genus humanum tetris libidinũ confusionibus, quia certissimum est, Deum horribiliter irasci, & ipsis libidinum confusionibus, & negligentiæ gubernatorum, qui eas non puniunt, nec fontes è medio tollunt.

Confusio libidinum est punienda.

Et propter hæc scelera uagantur in genere humano multæ pœnæ publicæ, bella, uastationes, dissipationes hominum, & aliæ magnæ calamitates, ut ostendunt exempla Sodomorum, Cananæorum, tribus Benlamin, exilij Dauidis, euersionis Troiæ, & alia innumerabilia.

Sic igitur inquit uox diuina Leuit. 18. de incestis: Cauete ne uos similiter euomat terra, cũm similia facietis, sicut euomuit Cananæos.

Et expressè gubernatorib. præcipit, ut tollant fontes, inquiens: Omnis anima, quæ fecerit quiddam harum abominationum, deleatur ex hoc populo.

Hæc mandata sæpè repetita sunt, ut de adulteríjs dicitur in Deut. cap. 22. Si dormierit uir cum uxore alterius, uterq; interficiatur, adulter & adultera, Et auferes malum ex Israël.

Vterq; interficiatur, adulter & adultera.

Dolendum est autem, in multis locis magistratus in hac tanta re segniores esse, quorum negligentia magis irritat iram Dei. Atq; ita pœnæ in genere humano cumulantur, ut adparet in historia tribus Benlamin, quæ penè funditus deleta est, quia stuprum uxoris Leuitæ punire noluit.

Certissimũm est enim, Deum punire uagas libidines omnes, etiam cũm cessant Magistratus, quia castitas & iusticia Dei immota est, & hanc regulam semper tuetur, Scortatores & adulteros punit Deus. Quanquàm autem conuersis Deus propter Filium pœnas mitigat, ut Dauidem non sinit prorsus extingui, nec accendit totam iram, ut Psalmi uerbis utar, tamen quanta sit moles pœnarum considera, Familia polluitur incesta commixtione, Filij inter se dimicant, Pater in exilium pellitur, Mota seditione filius & magna multitudo ciuium interficiuntur, Matronæ regiæ Deo dilectæ polluuntur scelere filij. Multò tristiora erant hæc tetra mala Dauidi, quàm mors sui corporis futura erat: Sed utrunq; ostendit Deus, uerè se irasci sceleribus, & ea punire, & tamen ab æternis pœnis eripere eos, qui ad filium Mediatorem confugiunt, in quem maior pœna deriuata fuit, quæ est precium pro nobis.

Pœnæ Dauidis adulteri.

Hæc doctrina & de pœnis & de conuersione omnibus cogitanda est, Ac hortandi & obtestandi sunt Magistratus, ut sint memores mandati à Deo officij, cogitent Deum castum & iustum esse, & sese in munere diuino collocatos esse, ut sint imago Dei, sint casti & iusti, & tueantur in populo castitatem & iusticiam. Hæc officia sunt grata Deo, & salutaria gubernatoribus & populo.

In multis regionibus politici gubernatores ideò negligentiores sunt in defensione castitatis, quia magna ex parte hanc curam reijciunt ad forum Episcoporum. Sed cùm alia quædam ibi contra normam à Deo traditam fiunt, tũm uerò ipsorum leges impediunt iustas pœnas, quia non sunt armati gladio.

Præterea

Præterea cùm ipſi iudices ibi plerumq; contaminati ſint uagis libidinibus, minus iraſcuntur ſimilibus, ut dicit Ariſtoteles, citans Euripid: ὁι φαῦλοι φαύλοις ἁδῆς, καὶ κακὸς κακῷ σωτέτηκεν. Interdum à miſeris mulierculis aliquid abradunt pecuniæ. In talibus iudicijs tantùm irridetur Deus.

Sint igitur rectè conſtituta iudicia de Coniugijs. Poteſtas Politica adiungat ſibi doctos & honeſtos uiros, electos ex toto corpore Eccleſiæ, & rebus inquiſitis & rectè cognitis, pronunciet, & in puniendo ſit miniſtra Dei, tollat ex uita omnes pollutos commixtionibus, quæ cum natura pugnant, inceſtos, adulteros, raptores, deſertores, adulteras, & deſertrices, ne Deus totas urbes & gentes propter hæc ipſa ſcelera, & propter Magiſtratuum negligentiam deleat. *Quomodo iudicia de coniugijs debeãt eſſe conſtituta.*

Oſtendant etiam honeſti gubernatores amorem Caſtitatis in defenſione coniugij. Aboleant impias & diabolicas leges Epiſcoporum de cœlibatu Sacerdotum, & concedant pium coniugium omnibus, qui ad id uitæ genus idonei ſunt, iuxta legem diuinam, 1. Cor. 7. Vnuſquiſq; habeat uxorem ſuam uitandæ ſcortationis cauſa. *Leges de celibatu abolendæ.*

Magiſtratus cùm ſit imago & miniſter Dei, amet caſtitatem, cùm ſciat Deum eſſe mentem caſtam, & ſeueriſſimè poſcere ordinem, Caſtitatis tuendæ cauſa inſtitutum. Non ſit imago & miniſter Diaboli, qui odio Dei miſeros homines impellit, ut libidinum confuſione polluantur, ut ira Dei augeatur, & ut hæc miſera creatura in maiore turpitudine ſit, & poſtea ruat in æternum exitium.

Hos horrendos furores diaboli adiuuãt omnes, qui uagas libidines quoquo modo augent, uel defenſione legis Pontificiæ de celibatu, uel neglectione pœnarum.

Nondum in hac uita turpitudo & magnitudo horum ſcelerum ſatis conſpicitur, ſed retegentur hæc ingentia mala in poſtremo iudicio, cùm oſtendet Deus omnibus Angelis & hominibus turpitudinem peccati, & maliciam Diabolorum. *In poſtremo iudicio turpitudo ſcelerum retegetur.*

Sed tamen in hac uita gubernatores honeſti & pij de hac re etiam uoluntatem Dei conſiderare debent, & dirigere gubernationem ad legem Dei, & quantum fieri poteſt curare, ne cumulentur peccata & pœnæ, ut apud Eſaiam dicitur: Væ illis qui ſcribunt leges iniuſtas.

ORO autem Filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, ueriſſimè amantem Caſtitatis & caſti Coniugij, ut ipſe flectat mentes omnium, qui eum inuocant, ad Caſtitatem, & defendat Coniugij leges, & reprimat diabolos, qui odio Dei impellere miſeros homines conantur, ut uarijs modis polluantur & pereant. Creſcit infirmitas naturæ humanæ in hac mundi ſenecta, & ſimul rabies in diabolis creſcit, quia ſciunt breui inſtare iudicium, in quo ipſorum turpitudo omnibus Angelis & hominibus clarè oſtendetur. Ideò te Fili Dei, Domine Ieſu Chriſte, crucifixe pro nobis & reſuſcitate oro, ut nos, ut adoleſcentiam, ut familias noſtras regas, & ad caſtitatem & ueram inuocationem æterni Patris pectora noſtra Spiritu ſancto tuo flectas, Amen. *Rabies Diabolorum creſcit, quia ſciũt inſtare iudicium.*

τέλος.

RESPON-

RESPONSIO PHILIPPI ME-
LANTHONIS DE CONTROVER-
SIIS STANCARI.

QVOD FILIVS DEI DOMINVS NOSTER IESVS Christus crucifixus pro nobis & resuscitatus orauit æternum patrem in agone suo, ut faciat, ut unum simus in ipso, idem haud dubiè semper orat. Ad huius summi Sacerdotis precationem nostra uota etiam adiungamus,&petamus item,ut mentes & corda omnium docentium in his Ecclesijs copulet, ut unum simus in Deo. Sit in nobis quoq; pium studium concordiæ, non quæramus incensi odijs, quod calumniosè in speciem exagitari possit,quædam etiam prætereamus, quæ moueri non est utile.

Filius Dei semper orat ut simus unum in ipso.

Postquàm igitur à me petitum est,ut de scriptis Musculi & Stancari meum iudicium exponam,tantùm præcipuas eorum controuersias attingam,non agitabo alia,quæ obiter aspersa sunt. Sæpè ex paruis initijs magna dissidia oriuntur, sicut his proximis annis multa exempla uidimus. Ideò si possem, præsens certamen tollere mallem,quàm accendere maiores contentiones. Ac Filium Dei oro,ut nos doceat & gubernet.

Sunt autem duæ Controuersiæ præcipuæ, quantum ego quidem intelligo, Altera de modo loquendi in communicatione Idiomatum, Altera de Mediatore.

De priore controuersia, hæc mihi uidetur esse iusta & plana uia concordiæ,ut nos omnes retineamus, formas loquendi approbatas graui autoritate in Ecclesia, quia mutatio aut errores aut dissidia parit.

Retinẽdæ sunt formæ loquendi approbatæ in Ecclesia.

Vidi Musculi Propositiones editas mense Maio anni superioris, in quibus rectè loquitur de duabus naturis in Christo nato ex uirgine. Et utrumq; Musculum & Stancarum scire non dubito, qui modi recepti sint. Ecclesia rectè & uerè dicit de Christo.

Deus est natus ex uirgine,passus,mortuus,resuscitatus, Non dicit: Natura diuina est passa, mortua,resuscitata,quia in concreto persona intelligitur, In abstracto tantùm altera natura.

Natura diuina non est passa &c.

Etsi autem multi qui fontes horum discriminum ignorant, putant esse inanem subtilitatem hos modos loquendi discernere,tamen eruditi sciunt gra uissimas esse causas.

Nestorius negabat has propositiones, Deus est natus ex uirgine, crucifixus &c. Ideò dicebat. Noli gloriari Iudææ: non enim Deum,sed hominem crucifixisti. Hinc aut ipse aut alij hoc extruebant, Christo affuisse naturam diuinam per societatem seu assistentiam, sicut affuit Eliæ, aut alijs Prophetis, nec fuisse unionem Hypostaticam, seu non fuisse unam personam.

Nestorij error.

Patiente Ioanne Baptista,quanquàm adest ei Deus, & metaphoricè dicitur Deus pati, tamen uulnus est personæ, quæ non est Deus, Relatio tantum, id est, contemtus ad Deum pertinet,ut cùm Legatus uiolatur, relatio ad Regem pertinet. Sed Christo patiente,alio modo dicitur Deus pati, quia hæc persona patitur quæ est Deus.

Hanc formam sermonis discimus ex ipso Filio sic loquente in Prophe-
Communicatio Idiomatũ unde sit sumta
ticis & Apostolicis scriptis, ut Iohan. 8. Amen amen dico uobis, priusquam Abraham natus est,ego sum.

Iohan.

Iohan.1. In mundo erat,& mundus per ipsum factus est,& mundus eum non cognouit.

Zachariæ 12. Aspicient me quem confoderunt.

In his & multis similibus dictis, manifestum est, de uno & eodem Christo dici,& tamen intelligi discrimina naturarū oportet. Hic Christus fuit ante Abraham secundum naturam diuinam,ac nunc idem est subsistens seu eadem persona, quanquàm natura humana assumta est.

Quare tradita sit doctrinæ de communicatione Idiomatum

Vt igitur discernatur hic Filius ab alijs sanctis, & aliquo modo conspiciatur discrimen inter hypostaticam unionem in Christo,& societatem seu auxilium Dei in alijs sanctis, rectè tradita est doctrina de communicatione Idiomatum,quæ est forma sermonis, in qua proprietas uni naturæ congruens, dicitur in concreto de persona,ut uulnerari,posse mori. Dicimus igitur in concreto, Christus est homo,λόγος est homo, Christus est uulneratus, Christus est mortuus,Deus est mortuus.

Communicatio Idiomatum quid.

Propria uerò diuinæ naturæ sunt æternitas, omnipotentia, immortalitas.Ita dicitur, Christus est λόγος æterni Patris, coæternus Patri, Christus est omnipotens, immortalis.

Communicatio fit in concreto.

Disertè autem dictum est, communicationem fieri in concreto, non in abstracto. Vt enim necesse est retineri unitatem personæ seu unionem hypostaticam, ita necesse est, agnosci duas naturas in Christo nato ex uirgine. Nec facienda est naturarum confusio. Nequaquàm igitur dicimus: Natura diuina dormit,uulneratur, moritur.

Athanasius.

Et Athanasius in libro de Incarnatione uerè inquit: Cùm non esset possibile ipsum uerbum mori, quippe immortalem Patris Filiū, corpus sibi quod mori posset,accepit,ut id corpus uerbi particeps factum &moreretur pro omnibus,& inhabitans uerbum incorruptibile maneret.Sic ille locutus est.

Petrus. Paulus.

Ac certum est,Ecclesiam sic loqui:Natura diuina non moritur,Et tamen ueræ sunt propositiones in concreto, Christus est mortuus,Deus est mortuus. Addidit autem Petrus declarationem. 1. Petri 4. Christus passus est carne. Ac Paulus usus est particula distinctiua,Secundum,Rom.1. & Rom.9. Et in Actis cap. 2. dicitur: Ex fructu lumborum eius secundum carnem. Sic postea Athanasius & Cyrillus utuntur particula, secundum, tanquàm distinctiua. Sæpè sic loquitur Athanasius, ut in lib. cui titulus est, De assumtione hominis,inquit: Non´ne hæc omnia secundum humanam naturam sustinuit? &c.

Particula secū dum patres utuntur tanq̄ distinctiua.

Hieronymus.

Sic & Hieronymus loquitur in expositione fidei,passus est secundum id,quod pati poterat.uidelicet, non secundum naturam quæ assumsit,sed secundum illam quæ assumta est. Ac mox addit: Mortuus est Dei Filius iuxta scripturas, secundum id quod mori poterat.

Vigilius Martyr.

Vigilius Martyr Episcopus Tridentinus lib. 4. inquit: Ipse igitur unus idemq̄ Dei Filius, Dominus Iesus Christus mortuus est secundum formam serui, & non est mortuus secundum formam Dei. Denicq̄ passim obuia sunt talia dicta.

Nusquam autem inuenitur hæc forma sermonis: Christus secundum utramq̄ naturam,diuinam & humanam est mortuus.

Irenæus.

Discrimen naturarum sic illustri forma uerborum monstrat Irenæus, pag.185. Sicut enim homo erat ut tentaretur,sic & uerbum erat,ut glorificaretur,Requiescente quidem uerbo,ut posset tentari,crucifigi & mori. Vsus est

Irenæus

Irenæus singulari consilio hac insigni descriptione. Quiescente uerbo, id est, Tunc non exerente suam potentiam in repellenda passione & morte, sicut ad Philippenses dicitur: Exinaniuit sese &c. Non ait, naturam diuinam mortuam esse, sed quieuisse, ut natura assumta mori posset.

Natura diuina quieuit.

Audio autem eos qui dixerunt, Christum secundum utramq; naturam mortuum esse, nunc addere interpretationem huic suæ formæ loquendi. Sed consulo, ut phrasin Pauli, quam & postea imitata est Ecclesia, retineamus, nec in re tanta nouæ & ambiguæ formæ loquendi spargantur. Vbi autem prædicatum conuenit utriq; naturæ in abstracto, ibi rectè sic loquimur, ut Christus est uiuus in cœlo secundum utramq; naturam &c.

Modi loquendi cognosci possunt ex Synodo Ephesina.

Tota hæc doctrina de modis loquendi nota est his qui legerunt Synodi Ephesinæ disputationes, quarum habemus summas in Apologia Cyrilli.

Et extat adhuc in Bibliotheca Phorcensi Synodus Ephesina integrè scripta Græcè, in qua singulorum qui sententias dixerunt integræ orationes recitantur, quam ante annos aliquot inspexi, ut melius cognoscerem controuersiam Nestorij, in qua multi sunt labyrinthi.

Controuersia Nestorij.

Nec tantùm rixæ de modis loquendi fuerunt, sed certamen de rebus maximis fuit: An λόγος assit humanæ naturæ tantùm per societatem seu assistentiam, sicut Eliæ aut Elisæo affuit, aut an alio modo. An sint duo filij, λόγος & natus ex uirgine, An sit Sacerdos tantùm secundum naturam humanam. Expresse enim in Apologia Cyrilli refutatur hæc obiectio Nestorianorum: Si Christus secundum naturam diuinam esset Sacerdos, sibi ipsi offerret. Item, An una adoratione adorandus sit Filius, & quomodo inuocandus sit filius.

Fons communicationis Idiomatum.

Fons autem doctrinæ de communicatione Idiomatum est doctrina de unione Hypostatica. Ideò enim prædicata communicantur, quia est unum ἐνεσάρκωσις, ut dicimus, Hic homo numerat, quanquàm tantùm mente numerat.

Quatuor modi præsentiæ Dei.

Considerandum igitur est aliquo modo discrimen unionis hypostaticæ in hac persona, & aliorum modorum præsentiæ Dei.

I. Primùm igitur sciendum est, esse uniuersalem præsentiam Dei, qua tres personæ assunt omnibus creaturis, quod ad conseruationem substantiæ, tantisper donec conseruantur.

Et hanc esse separabilem præsentiam, manifestum est, quia Deus destruit Pharaonem, & alios cùm uult.

II. Secundò, est alia præsentia, qua adest Deus beatis Angelis & hominibus, qua non solùm substantias conseruat, sed etiam præbet eis lucem, ita ut coràm cernant Deum, & sit Deus omnia in omnibus, accendens dilectionem, iusticiam & læticiam. Quanquàm autem à beatis non discedit, tamen beati sunt tantùm hospitia & templa Dei, à quibus discedere Deus posset, Et excepto Christo, quilibet beatus est ἐνεσάρκωσις, non est Deus.

III. Tertiò, est præsentia alia, qua adest renatis in hac uita, non tantùm conseruans substantias, sed etiam per filium & Spiritum S. incoans in eis nouam lucem & iusticiam, Nec tamen cernitur Deus, ut in uita æterna, sed per uerbum fide agnoscitur. Hanc præsentiam separabilem esse affirmat scriptura, & ostendunt tristissima exempla, Sicut dicitur Matt: 12. Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

IIII. Quartò, longè alia est præsentia, qua tantùm hæc persona λόγος assumit humanam naturam, non solùm inseparabiliter, sed etiam tali unione, ut sit unum

unum ὑπόστασιν, & sustentetur assumta natura, & quasi gestetur in λόγῳ. Etsi autem exemplum huius unionis nullū in creaturis ostendi potest, quod prorsus congruat, tamen & ueteres, Athanasius, Cyrillus & Iustinus, ut aliquo modo hanc unionem declarent, hominem ostenderunt. Sicut anima hominis & corpus, sunt unum ὑπόστασιν completū, et corpus dissoluitur desertum ab anima: Ita λόγος & assumta natura, sunt unum ὑπόστασιν, & redigeretur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur in λόγῳ.

Homo aliquo modo est imago unionis duarum naturarum in Christo.

Verba Iustini hæc sunt. Aliqui unionem, uelut Animæ ad corpus cogitantes, sic declarauerunt. Id exemplum concinnum quidem est, quanquām non prorsus congruit, sed tamen secundum aliquid congruit. Hæc Iustinus. Paulus hunc modum nominat σωματικῶς in Christo habitare Deitatem, id est, Non effectiuē tantūm, sed ut sit unum σῶμα, id est, una persona, ut nos loquimur.

Iustinus.

Deitas in Christo habitat σωματικῶς.

Multō longius abest similitudo, & ut ita dicam pictura, cūm dicunt humanam naturam insertam esse diuinæ, ut surculi inseruntur alienæ arbori. Sed his qualibuscunq; picturis uetustas uoluit aliquo modo beneficia huius copulationis ostendere. Massa assumta sustentatur ā λόγῳ, & accipit ab eo, ut sit & subsistat. Deinde nos quasi pendentes de illo surculo gestamur. Reuerenter considerandum est consilium Dei, & gratiæ Deo agendæ sunt, quōd misit Filium, & hac miranda assumtione fœdus nobiscum fecit, & ostendit ingentem amorem erga nos.

Ac pium est uti modis loquendi usitatis, & non procul quærere prophanas quæstiones, & modos loquendi inusitatos.

Sæpè autem cogito hanc ipsam ob causam in homine sic copulata esse animam & corpus, ut sit unum ὑπόστασιν, ut aliquo modo typus esset huius arcanæ copulationis, qua λόγος assumsit humanam naturam, & uiuificans illam suam massam, restituit uitam membris suis.

Cur in homine copulētur anima et corpus.

DE ALTERA CONTROVERSIA, AN CHRISTVS SIT MEDIATOR TANTVM SECVNDVM HVMANAM NATVRAM.

Discernendæ sunt appellationes quæ naturarum proprietates significant ab officij appellationibus. Deus, omnipotens, immortalis, sunt appellationes ad naturam diuinam referendæ, Homo, passus, uulneratus, mortuus, sunt appellationes ad naturam humanam referendæ. Sed nomina officij sunt, Mediator, Redemtor, Saluator, Rex, Sacerdos, Pastor, &c. Hæc nomina officij competunt personæ, non tantùm naturæ humanæ. Ac dissimilitudo est inter has propositiones, Filius Dei est mortuus, Et Filius Dei est Mediator, Rex, Sacerdos, Pastor. Hanc dissimilitudinem attentē cogitet pius lector. Quanquām enim actiones quædam sunt in natura humana propriæ, ut dolores omnes & agones in passione, tamen missio filij Dei ab initio fit ad Ecclesiam, Et Filius perpetuò adest Ecclesiæ, & uult obedientiam, ad quam mittitur, profert Euangelium ex sinu æterni Patris, intercedit pro Ecclesia, seruat & uiuificat eam, & Patres agnoscunt eum esse Mediatorem & Redemtorem, propter futuram obedientiam personæ post assumtionem humanæ naturæ. Nec missio & obedientia tollunt æqualitatem potentiæ, sicut expressē inquit Cyrillus.

Nomina officij competunt personæ.

Missio Filij ab initio fit ad Ecclesiam.

Nec intelligantur Mediator, Rex, Sacerdos, tantùm de natura patiente & mori-

Mediator, Rex Sacerdos, in-

telligantur de persona. & moriente, sed de persona placante, uictrice, exaudiente, exhibente promissiones Noui Testamenti, sicut de se Pastore inquit Dominus: Ego pono animam meam pro ouibus. Item: Ego uitam æternam do eis.

Agnoscamus igitur Mediatorem, Redemtorem, Saluatorem, Regem & Sacerdotem hunc Christum, Deum & hominem, & gratias agamus Deo pro hoc immenso beneficio, quòd Filium uoluit assumere humanam naturam, & hunc filium Deum & hominem uoluit esse Redemtorem & Saluatorem & caput Ecclesiæ, quod omnia perficit.

Testimonia. I. Huius nostræ fidei testimonia sunt manifesta, Iohan: 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut mundus saluetur per eum. Hæc neq; de sola natura humana intelligi possunt. Neq; sic accipi possunt, Quasi λόγος nihil agat apud Patrem pro nobis, aut nihil agat nobiscum.

λόγος non est ociosus.

Veteres promißiones. Item, Veteres promissiones manifestè comprehendunt utramq; uaturam. Semen Mulieris conteret caput Serpentis. Item, In Semine tuo benedicentur omnes gentes. Et Ieremiæ 23. dicitur: Suscitabo germen Dauidi, & regnabit Rex. Et hoc est nomen quo uocabunt eum, Iehoua, Iusticia nostra.

II. Symbolum. Secundò. Sic & in Symbolo dicitur: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Iam si tantùm natura humana est Redemtrix, quare dicitur Filius descendisse de cœlis propter nostram salutem.

III. Epistola ad Ebræos. Tertiò. Epistola ad Ebræos promiscuè utitur his uocabulis de Messia, Mediator noui Testamenti & summus Sacerdos. Cumq; discernit summum Sacerdotem noui Testamenti, à summo Sacerdote ueteris Testamenti, inquit: Lex homines constituit, summos Sacerdotes habentes infirmitatem, Sermo autem iuramenti post Legem, Filium in æternum consummatum.

Officia summi Sacerdotis. Ostendunt autem officia summi Sacerdotis & Mediatoris noui Testamenti, non tantùm intelligi naturam humanam, sed personam quæ est Deus & Homo, habentem actiones in utraq; natura. Est enim summus Sacerdos noui Testamenti persona immediatè missa à Deo ad patefactionem Euangelij, ad placandam iram Dei suo sacrificio, & ad precandum pro nobis, habens testimonium quòd exaudiatur, per quam & exhibentur bona promissa in nouo Testamento. Huius descriptionis membra recitari & declarari in Epistola ad Ebræos, agnoscit pius lector. Et hæc congruunt ad appellationem Mediatoris.

Summus Sacerdos.

Dicit autem Epistola ad Ebræos personam missam ad sacerdotium, esse hunc Filium, de quo inquit æternus Pater, Filius meus es tu, Ego hodie genui te. Ac missus est hic Filius statim initiò ad Ecclesiam ad patefaciendam promissionem. Semen Mulieris conteret caput Serpentis. Ideò scriptum est: Filius qui est in sinu æterni Patris, Ipse enarrauit nobis. Et quidem dicitur λόγος, quia per eum Pater se nobis patefacit. Ac propter eum & per eum immediatè semper initiò collecta est Ecclesia, semper affuit singulari modo patribus, sicut Iacob inquit: Deus coram quo ambulauerunt Patres mei, Abraham & Isaac, Deus qui nutriuit me quamdiu fui usq; in hunc diem, Angelus qui redemit me ex cunctis malis, benedicat pueris istis. Hic non dubium est, Angelum intelligi filium Dei missum ad Redemtionem & benedictionem.

Angelus, id est, Filius Dei.

Et Pau-

Et Paulus expreſſè inquit, Chriſtum affuiſſe Patribus in deſerto, Biberunt ex ſpirituali comitante eos petra, Petra autem erat Chriſtus. *Chriſtus adfuit patribus.*

Ioſuæ 5. Prope Iericho uidet Ioſue Dominum coràm, & eum adorat & alloquitur.

Iob 19. dicitur, Scio quòd Redemtor meus uiuit. Nominat Filium Dei redemtorem, tunc uiuentem, Et hunc ait reſurrecturum eſſe, & fore inſtauratorem uitæ.

Hic Filius inde uſq; ab initio ad Eccleſiam miſſus, quid agit? Docet, orat pro Eccleſia, uiuificat dato Spiritu ſancto credentes, exaudit inuocantes, protegit & ſeruat eos, Sicut de precatione expreſſè ſcriptum eſt, Pſal: 2. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem. Ideò recipit nos diuinitas, quia hic Filius eſt deprecator inde uſq; ab initio. *Filius eſt deprecator inde uſq; ab initio.*

Et Pſal: 16. dicitur: Ad ſanctos qui ſunt in terra omnis mea uoluntas. Et de impijs dicitur: Non aſſumam nomina eorum ſuper labia mea. Omni tempore pro ſanctis precatus eſt, & precatur, & deteſtatus eſt blaſphemos. Nominatur ergo Sacerdos in æternum.

Et cap: 7. ad Ebræos dicitur, Semper uiuens, ut interpellet pro eis. Et Danielis 12. In tempore illo ſtabit Princeps magnus Michaël pro filijs populi tui &c.

Zach: 1. Orat Angelus qui loquitur in Zacharia, uidelicet, λόγος. Vſquequo non miſeraberis Ieruſalem &c.

Quartò. Huius Mediatoris proprietas eſt, uidere corda inuocantium, diſcernere ueram inuocationem, & hypocriſin, exaudire inuocantes, & ingredi in conſilium arcanum æterni Patris, id eſt, uidere uoluntatem æterni Patris, & pro nobis deprecari. Hæc propriè ſunt naturæ omnipotentis. IIII. *Mediator uidet corda inuocantium.*

Nec dubium eſt Chriſtum loqui de ſe, tanquàm de Mediatore, cùm ait: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Hic uult nos accedere fiducia Mediatoris. Et uult ipſe in quantum Mediator, agnoſci, qui exaudit, & perfert preces noſtras in arcanum conſilium Patris. Sic & nos ad ſeſe accedere iubet, inquiens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Hic certè utranq; naturam complectitur, quia natura humana non recreat ſine diuina.

Cumq; de Inuocatione cogitamus, perſpicuè intelligitur hãc queſtionem non eſſe rixas de uerbis, ſed de re maxima agi, ſcilicet de honore filij Dei.

Quærit mens quid alloquaris in Inuocatione, quis exaudiat, quis opem ferat, quo obiecto debeat niti fides.

Cùm dicis, Miſerere mei Fili Dei, Domine Ieſu Chriſte, non tantùm alloqueris humanam naturam, ſed hanc perſonam Deum & hominem, & petis ut intercedat pro te, & ipſe opem ferat, id eſt, ut per Ipſum diuinitas tibi opem ferat. Sicut inquit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos, merito & efficacia. Et fides nititur hac perſona quæ eſt Emanuel, credis cerni gemitus cordis tui, quia hæc perſona eſt Deus, credis te recipi à Deo propter meritum & deprecationem huius perſonæ, credis hanc perſonam efficacem eſſe. Ideò Synodus Epheſina rectè decreuit una Latria adorandum eſſe Chriſtum Deum & hominem. *In inuocatione alloqueris perſonam.* *Fides nititur perſona.* *Chriſtus una Latria adorandus.*

Sic & Pſalmi docent, Pſal: 2. Oſculamini Filium. Et Pſal: 47. Et concupiſcet Rex decorem tuũ, quia ipſe eſt Deus tuus, & adorabis eum. Et Pſal. 72. Et

adorabunt eum omnes Reges terræ. Et Esaiæ 11. In die illa stabit Radix Iessæ, ut sit signum populis, gentes ad eum confugient, & requies eius erit gloria. Ieremiæ 23, nominatim fit mentio Inuocationis, Suscitabo Dauidi germen iustum &c. Et hoc est nomen quo uocabunt eum, Iehoua Iusticia nostra, Id est, Hæc persona germen Dauidis & Deus, sic inuocabitur, quòd sit Deus, & iustificet inuocantes, det remissionem peccatorum & uiuificet.

Refutatio obiectionum. Quòd autem obijcitur. Nemo est Mediator suijpsius. Item, Nemo est deprecator apud seipsum: Responsio perspicua est. Hæc uera sunt eodem respectu, & ubi unica persona est. Sed hic discerni oportet inter mittentem Diuinitatem & Filium missum. Filius in quantum missus est, est Mediator & Sacerdos.

Officium est personæ. Recitat Cyrillus prorsus similem obiectionem Nestorij. Si Christus secundum naturam diuinam esset Sacerdos, sibi ipsi offerret.

Respondeo, Officium esse personæ. Hæc missa persona est Mediatrix apud mittentem diuinitatem. Et tamen uerum est, Filium esse ὁμοούσιον æterno Patri, & æqualem potentia. Sed manet Personarum distinctio. Filius assumsit humanam naturam, non Pater, Filius perfectè nouit & honorat Patrem, & liberrima uoluntate uult obedientiam, & congruunt uoluntate diuina & humana in deprecatione. Sicut in Iohanne dicitur in precatione ante agonem: Sit in eis tua dilectio qua me diligis.

V. *Mediator est persona uictrix.* Quintò. Mediator, Rex, Saluator, non tantùm intelliguntur de natura patiente & moriente, sed de persona uictrice. Sicut personam uictricem comprehendit promissio, Semen mulieris conteret caput serpentis. Conteret hæc persona non tantùm merito in passione, sed etiam quia uincit mortem in suo corpore & in nobis, & restituit uitam & iusticiam æternam.

Et Matth: 1. Pariet Filium, & uocabis nomen eius Iesum, Ipse enim saluabit populum suum à peccatis suis, saluabit non tantùm merito in passione, sed etiam efficacia.

De Rege manifestissimum est comprehendi utramq; naturam, ut Psal: 2. Ego constituò Regem meum super Zion, Ego hodie genui te. Et nota sunt testimonia, ac Regis proprietas est uincere.

Obiectio. Quòd autem obijcitur. Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Victoria igitur & saluatio, est Patris, Filij, & Spiritus sancti, ac tantùm passio est Christi propria. Respondeo simpliciter ad Regulam: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, Seruata cuiusq; personæ proprietate, Filius assumsit humanam naturam, non alia persona, Filius & Spiritus sanctus mittuntur. Agit Filius non à se, sed per se, ut inquit Augustinus. Saluat & uiuificat Pater, Sed hoc ordine per Filium, ut Paulus inquit, Deo gratia, danti nobis uictoriam per Dominum Iesum Christum. Et Filius inquit: Pater nõ iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, Quod manifestum est sic accipiendum esse, Patrem iudicare non solùm, sed per Filium iudicare, & patefacere iudicium. Per Filium patefit Euangelium, seruatur Ministerium, datur Spiritus sanctus, Ephes: 4. Ac dicitur Ecclesia regnum Christi, quia uerbo colligitur inde usq; ab Adam per Filium. Postea inquit Paulus: Tradet regnum Deo Patri, id est, Nunc per uerbum cernimus Patrem, postea diuinitas coram conspicietur & regnabit, non ministerio Euangelij, sed immediatè.

Seruanda est cuiusq; personæ proprietas.

Ecclesia regnũ Christi.

Cur Saluator sit Deus & homo. Vetustas causas quæsiuit, quare Saluator non tantùm sit homo. Et causæ recen

recenſentur, quia ſola humana natura nec uidere nec ſuſtinere magnitudinem iræ Dei potuerit, nec uincere mortem, nec reddere uitam & iuſticiam æternam. Item, congruebat, ut precium maius eſſet peccato. Nec humana natura ſola uideret uoluntatem Dei in interceſſione pro alijs. Hæ cauſæ nihil ſunt apud illos, qui dicunt, tantùm naturam patientem & morientem eſſe mediatricem, & ſaluationem eodem modo eſſe patris, filij, & Spiritus ſancti, cùm promiſſio expreſſè dicat: Semen mulieris conteret caput ſerpentis

Chryſoſtomus loquens de Mediatore, hanc cauſam ponit, quare Mediatorem oporteat communicare ambobus, quorum eſt Mediator, quia Mediatorem oporteat cum Deo colloqui, Verba eius hæc ſunt: Nec homo tantùm eſſe Mediator potuiſſet, quia cum DEO Mediatorem colloqui oportebat. ἄνθρωπος δὲ οὐκ ἂν ἐγένετο μεσίτης, ἐπεὶ καὶ πρὸς Θεὸν διαλέγεσθαι. *Chryſoſtomus*

Irenæus loquitur hoc modo, lib. 3. Oportebat Mediatorem Dei & hominum per ſuam ad utroſq; cognationem in amicitiam & concordiam utroſque reducere, & facere ut Deus reciperet hominem, & homo reſtitueretur Deo. Qua enim ratione filij adoptionis eſſe poſſemus, niſi per Filium & niſi uerbum caro factum eſſet, & noſtræ naturæ ſociatum eſſet. Dicit in Mediatore duas eſſe naturas, quia nos non poſſemus eſſe filij adoptionis, niſi is qui natura filius eſt, aſſumſiſſet noſtræ naturæ maſſam. *Irenæus.* *Filij adoptionis ſumus per eũ qui eſt filius natura.*

Et Vigilius ſic ait: Talis hoſtia requirebatur, quæ ita media eſſet inter Deum & homines, ut & morti ſuccumberet per illud quod hominis habebat, & mortem uinceret eo, quod diuinitatem in ſe tenebat. Item, Niſi talis Mediator exiſteret, qui de cœleſtibus ueniens, couiretur terrenis. Vnde etiam medius erit ſi utrumq; non habuerit, quia niſi talem dederis inter Deum & homines, qui ita ſit medius, ut ex utroq; utrumq; ſit, id eſt, ut & Deus ſit propter diuinitatis, & idem homo ſit propter humanitatis naturã, humana diuinis quemadmodum reconcilientur, non oſtendis. *Vigilius.*

Cyrilli longa eſt commemoratio in Theſauri libro 12. Mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus eſt, non ſolùm quia reconciliauit homines Deo, ſed etiam quia naturaliter & ſubſtantialiter, & Deus & homo eſt in una hypoſtaſi. Item, Eſt autem Chriſtus Mediator Dei & hominum, quia in eo uno Deus & homo coniunguntur. *Cyrillus.*

Ambroſius, ut Mediator Dei & hominum eſſet, homo Chriſtus Ieſus, non ſine diuinitate, quia in Deo homo erat, & Deus in homine, ut ex utroq; eſſet Mediator. *Ambroſius.*

Sic Epiphanius & Hieronymus loquuntur. Nec his antiquis teſtimonijs anteferatur mutilatum dictum in Longobardo, diſtinctione 19. libro tertio, quod ex Auguſtino citatur, quod ait, Chriſtum eſſe Mediatorem ſecundum humanitatem, non ſecundum diuinitatem. Et tamen in eodem loco pugnantia mox citantur, unde nata eſt ocioſa diſtinctio de Medio & Mediatore. Fatentur Chriſtum ſecundum utramq; naturam medium eſſe, ſed Mediatorem ſecundum humanam. Manifeſtum eſt autem ideò dictum illud inſufficiens eſſe, quia tantùm de paſſione loquitur, non de uictoria, non de interceſſione perpetua, quæ fit coram patre, non de perpetua conſeruatione Eccleſiæ. *Epiphanius et Hieronymus.* *De medio & Mediatore ociosa diſtinctio.*

Nec dictum in Epiſtola ad Timoth. excludit diuinam naturam, quia nominat perſonam: Vnus Mediator Dei & hominum, Homo Chriſtus Ieſus, Chriſtus autem eſt nomen perſonæ, in qua ſunt duæ naturæ, quaſi dicat: Hic homo *Epiſtola ad Timotheum.* *Chriſtus eſt nomẽ perſonæ*

homo Christus est Mediator,non alij homines, Abraham aut Moises, de quo etiam scriptum est Deut. 5. Ego steti inter Deum & uos &c. Sed hic unicus filius Dei est Mediator,quia hic assumta natura humana est propiciator. Non igitur inde sequitur, solam naturam humanam mediatricem esse.

Ideō & enarrationes ueterum monent non excludi diuinam naturam. Ac miror quas causas esse cogitent, cur duæ naturæ unitæ sint, qui solam humanam naturam contendunt esse Mediatricem & Redemtricem, certē non frustra facta est hæc copulatio. Nec frustra dictum est: Sic Deus dilexit mundum,ut Filium unigenitum daret. Item, Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.

In Stancari scripto, quædam etiam de iustificatione inseruntur, ubi tamen non recitatur integra doctrina de eo articulo.Nobis autem magnum crimen, sed falsō obijcit, Ait nostram doctrinam ex Pelagiana extructam esse. Extant Confessiones consentientes multarum Ecclesiarum nostrarum de præcipuis Articulis,quas non dubito ueras esse. Ipse quid sentiat,& cuius Ecclesiæ ciuius sit,nondum scimus. Si publicis scriptis oppugnabit doctrinam Ecclesiarum nostrarum, non deerunt qui ueritatem tueri studebunt, nec deterrebuntur eius maledicentia.

Stancarus cuius Ecclesiæ ciuis sit nescitur.

Hæc scripsi meo nomine. Nam alijs attrahere certamina cum homine maledico non uolui. Causa hæc amplissima est & multas grauissimas disputationes continet,quarum explicatio illustrat doctrinam de Filio Dei, & utilis est ad consolationem & ad inuocationem.Nunc autem fui breuior,& quędam prætermj, quia uideo quosdam undicꝫ arripere calumniandi occasionem. Nec uerō defugio iudicia Ecclesiarum, & maximæ optarim, de multis rebus colloqui me posse,cum pluribus uiris doctis & pijs,qui sine acerbitate animorum sententias conferunt.

Subijcio igitur & me ipsum,& omnia mea scripta,& hanc ipsam responsionem,iudicio omnium Ecclesiarum quæ Augustanam confessionem amplectuntur,& oro Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum Deum & hominem,qui dixit: Venite ad me omnes qui laboraris & onerati estis, & ego reficiam uos,ut semper Ecclesiam sibi in his regionibus colligat & gubernet, & nos doceat & regat. AMEN.

Scripsit manu propria Philippus Melanthon, in die Festo Iohannis Baptistæ, in arce Dessaënsi, M. D. LIII.

QVæstio,An sicut uera est propositio, Christus est mortuus secundum naturam humanam, non secundum diuinam naturam, ita sit uera Propositio Christus est Mediator tantùm secundum naturam humanam, non secundum utrāqꝫ naturam. An uerō differentia sit inter propositiones quæ loquuntur de proprietatibus unius naturæ, & alias propositiones quæ loquuntur de officio quod conuenit personæ, ut Christus est Rex,secundum utramqꝫ naturam.

Alia Quæstio, An Christus tantùm sit Saluator, quia patitur, & non eō, quōd simul sit efficax, An sit Saluator merito & efficacia.

DEO GRATIA.

VERBA

VNVS enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Dei & Christi unam significat esse uoluntatem in saluandis hominibus. Vnde Deum Patrem quia ab ipso est omnis autoritas, unum esse fatetur, & unum Mediatorem Dei & hominum Christum Iesum. Missus enim ã Patre, factus arbiter reconciliauit Deum & homines, reformando eos ad agnitionem eius, quia enim unus est Pater & Filius, non persona, sed indifferenti natura, ut arbiter esset Dei & hominum, Filius, Dei assumta carne, homo natus est, ut Mediator Dei et hominum homo esset Christus Iesus, id est, non sine diuinitate, quia in Deo homo erat, & Deus in homine, ut ex utroq; esset Mediator, & utrunq; reconciliaret.

Vnus est Pater & Filius non persona sed indifferenti natura.

FINIS.

DEFINITIONES MVLTARVM APPELLATIONVM, QVARVM IN ECCLESIA VSVS EST, TRADITÆ A PHILIPPO MELANTHONE, TORGÆ ET VITEBERGÆ. ANNO M. D. LII. ET M. D. LIII.

DEVS EST ESSENTIA SPIRITVALIS, INTELLIGENS, ÆTERNA, uerax, bona, iusta, misericors, casta, liberrima, immensæ potentiæ, & sapientiæ, alia à mundi corporibus & creaturis omnibus. Pater æternus, qui filium imaginem suam ab æterno, genuit, & filius imago Patris coæterna, & Spiritus sanctus, procedens à Patre & Filio, sicut patefacta est diuinitas, certo uerbo & testimonijs diuinis, quòd Pater æternus cum Filio & Spiritu sancto condiderit & conseruet cœlum & terram, & omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis, quod ad conseruationem attinet, & in genere humano, condito ad imaginem suam, & certam obedientiam, colligat sibi Ecclesiam, ut ab ea hæc una & uera diuinitas, patefacta certis testimonijs, & per uerbum traditum Prophetis & Apostolis, agnoscatur & colatur, iuxta uerbum illud diuinitus traditum, & damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, & hæc uera diuinitas in uita æterna celebretur, & sit iudex bonorum & malorum.

Deus.

Hæc definitio Dei tantùm in Ecclesia nota est, ubi certis testimonijs personæ patefactæ & distinctæ sunt, quæ intuenda est quotidiè in Inuocatione, & cogitanda sunt testimonia tradita in Baptismo Christi, & nostro Baptismo, & in primo capite Geneseos, & in primo capite Iohannis & alibi, Vult enim Deus aliquo modo nota esse discrimina personarum, quia uult sciri, Filium esse Mediatorem, & uictimam, & non alias personas.

Personæ in Ecclesia patefactæ sunt.

Ethnici tenent definitionem Dei sine agnitione personarum. Est enim naturæ hominum insita noticia Legis, quæ est euidens & immotum testimonium, ostendens quòd sit Deus, & qualis sit, & quòd iudicet. Voluit Deus se ex multis uestigijs agnosci, sicut ex ordine corporum mundi, motuum cœlestium, perpetua conseruatione specierum, & ipsa distinctione honestorum et turpium in mente hominis, ideò apud Platonem extat hæc definitio: Deus est mens æterna, causa boni in natura. Sed hic non fit mentio discriminis personarum.

Noticia Legis.

Platonis definitio.

rum. Nos igitur in Inuocatione intueamur & teneamus definitionem in Ecclesia patefactam, & suprà recitatam.

Persona. PERSONA est substantia, individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alia natura. Sic loquitur Ecclesia, & uocabulo personæ hoc modo utitur. Græci ὑποστασιν & ὐφισάμενον dixerunt, id est, subsistens. Declarari autem descriptio utcunq; potest, Hominis solum corpus non est persona, ut hoc loco loquimur, non solùm, quia non est res intelligens, sed etiam, quia est quiddam sustentatum ab altero, Nam donec anima adest, uiuit corpus, discedente anima corpus dissoluitur: Ita in Christo nato ex uirgine, natura humana mirando fœdere copulata est τῷ λόγῳ, ac prorsus natura assumta in nihilum redigeretur, si non sustentaretur à diuina. In hac consideratione amplissima doctrina continetur: Totum genus humanum extinctum esset, nisi filius Dei coæternus æterno patri massam huius naturæ assumsisset. Seruat igitur propter assumtam massam nos quoq;, tanquam suæ naturæ membra, sicut dicitur: Os ex ossibus ipsius &c.

Natura humana Christi sustentatur à diuina.

Pater. AETERNVS PATER est prima persona diuinitatis, non nata, nec creata, nec procedens ab alia natura, quæ ab æterno Filium genuit imaginem suam, & unà cum Filio & Spiritu sancto suo condidit omnes creaturas, et conseruat earum substantias.

Filius. FILIVS æternus est secunda persona diuinitatis, non creata ex nihilo, sed à Patre ab æterno genita de ipsius substantia, & ὁμοόσιον Patri, & est substantialis & integra imago æterni Patris, quam Pater sese intuens & considerans gignit, quæ nobis sic manifestata est, quòd sit λόγος ac persona, per quam pater dicit decretum & totum ordinem creationis & reparationis hominum, & mittitur ut immediatè patefaciat Euangelium, & assumat humanam naturam, & sit Mediator, Redemtor, & Saluator, colligens Ecclesiam in genere humano uoce Euangelij, & resuscitans eam ad uitam æternam.

Spiritus sanctus. SPIRITVS SANCTVS est tertia persona diuinitatis, procedens ab æterno Patre & Filio, & ὁμοόσιον eis, & est amor & lætitia substantialis, & mittitur uoce Euangelij in corda credentium, ut sanctificet ea, id est, ut lucem in eis accendat ad intelligendam doctrinam, & assensionem confirmet, & efficiat motus congruentes DEO, & excitet Inuocationem & lætitiam in Deo acquiescentem.

Lex moralis. LEX DEI quæ nominatur Lex moralis, est sapientia æterna & immota in Deo, & norma iusticiæ in uoluntate Dei, discernens bona & mala, quæ est patefacta rationali creaturæ in creatione, & postea sæpè repetita & sancita uoce Diuina in Ecclesia, ostendens, quòd sit Deus, & qualis sit, & quòd sit iudex, obligans omnes rationales creaturas, ut sint conformes illi normæ Dei, & damnans omnes ac denuncians horribilem destructionem omnibus, quæ non congruunt ad illam normam Dei, nisi sit facta reconciliatio propter Mediatorem, iuxta dictum: Maledictus qui non manet in omnibus, quæ scripta sunt in lege. Item in Psalmo: Non Deus uolens peccatum tu es. Odisti omnes qui operantur iniquitatem &c.

Peccatum. PECCATVM est quicquid pugnat cùm Lege Dei. Hæc breuis definitio in Epistola Iohannis tradita est, quæ dextrè intelligatur. Potest autem his uerbis explicari: Peccatum est defectus uel inclinatio uel actio pugnans cum Lege Dei, et ream faciens creaturam æternæ iræ, nisi fiat remissio propter Mediatorem.

LIBE-

LIBERVM ARBITRIVM seu Libertas uoluntatis in Deo, est facultas, qua Deus in rectitudine sua potest spontẽ, sine ulla necessitate uel coactione, creare res & non creare, & uaria opera condere, & res creatas conseruare & abolere, & uariẽ moderari pro sua sapientia, ita, ut tamen ā sua rectitudine non discedat. *Liberum arbitrium in Deo.*

LIBERTAS uoluntatis humanæ ante lapsum, est facultas qua poterat Adam in rectitudine qua conditus erat, manere, & obedire Deo, & sine ulla coactione se ā Deo auertere. *Libertas ante lapsum.*

LIBERTAS uoluntatis humanæ post lapsum, etiam in non renatis, est facultas, qua homo potest regere locomotiuam, id est, imperare externis membris actiones, conuenientes Legi Dei, & non conuenientes, & uarias uiriusq; generis, Sed non potest tollere ex mente dubitationes, & ex corde uitiosas inclinationes, sine luce Euangelij, & sine Spiritu sancto. Cùm autem trahitur ā Spiritu sancto, potest obsequi & repugnare. Fit igitur maior libertas, cùm corda renata reguntur Spiritu sancto, sicut Paulus inquit: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei, Ac tunc libertas est facultas, qua homo renatus gubernanti Spiritui sancto potest obtemperare, & non solùm regere locomotiuam, sed etiam in corde motus Deo placentes, uerbo Dei & Spiritu sancto accendente, retinere, & resistere uiciosis motibus, & potest sua sponte sine coactione discedere ā uerbo Dei, & uelle contraria uerbo Dei, Vt, Saul & Dauid, spontẽ, sua uoluntate, & sine coactione ruunt. *Libertas post lapsum.* *Homo cum trahitur à Spiritu sancto potest obsequi et repugnare.* *Libertas in corde renato.*

EVANGELIVM est prædicatio pœnitentiæ, & promissio, quam non nouit ratio naturaliter, sed reuelata diuinitus, in qua Deus affirmat se gratis, non proter ulla nostra merita, aut dignitatem nostram, sed propter obedientiam Filij credentibus in Filium certō remittere peccata, & donare eis imputationem iusticiæ & reconciliationem, in qua filius Dei uoce Euangelij, consolatur & uiuificat corda credentium, & liberat eos ā morte æterna, & facit eos templa Dei, dato Spiritu sancto, sanctificante eos, & accendente tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus, & donat hæreditatem uitę æternæ, credentibus, quòd propter ipsum gratis habeant remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, reconciliationem, & hæreditatem uitæ æternæ. *Euangelium.*

VIRTVS in natura integra, est uera conformitas motuum cordis, & omnium uirium cum Deo, sicut se in Lege patefecit, & refertur ad hunc finem principalem, ut Deo præstetur obedientia debita, & ipse celebretur, iuxta dictum: Luceat lux uestra coram hominibus, ut glorificetur pater uester cœlestis. Et quidem est conformitas, quam efficit ipse Deus, cùm est omnia in omnibus, suam lucem in nos spargens, & hæc uerē dicitur Virtus. Nam disciplina in natura deprauata, etiamsi adiuuatur Heroicis motibus, ut in Scipione, tamen tantùm est qualiscunq; umbra uirtutis, tegens externam deformitatem, sicut folium fici tegebat deformitatem in Adam & Heua. Est igitur uirtus seu disciplina rationalis gubernatio locomotiuæ, iuxta Legem Dei, quæ in alijs magis, in alijs minus firma est. Vt, firmior est hæc uirtus in Scipione, quàm in Alexandro, etsi in utroq; sunt Heroici impetus. *Virtus in natura integra.* *Virtus in natura deprauata.*

IVSTICIA VNIVERSALIS est obedientia secūdum omnes Leges, sicut Aristides nominatur iustus. Et sæpē hoc modo scriptura loquitur de iusticia Legis, cùm uult intelligi uniuersalem obedientiam. *Iusticia uniuersalis.*

IVSTICIA PARTICVLARIS est uirtus, reddens suum unicuiq;. *Iusticia particularis.*

FIDES

FIDES. FIDES est assentiri omni uerbo Dei, nobis tradito, & in hoc promissioni gratiæ, propter filium Dei promissæ, quo assensu apprehenditur promissio remissionis peccatorum et recõciliationis, & est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, qua in ueris pauoribus erigimur, & sentimus uitam & lætitiam in Deo, & accedimus ad Deum, & inuocamus eum agnita eius misericordia & præsentia, clamantes Abba pater, sicut dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Item: Omnis qui credit in eum non confundetur. Hæc est uera definitio Fidei, de qua Paulus loquitur cũm ait: Fide iustificamur. Et comprehendit Paulus simul in potentia cogitante noticiam & assensum, & in uoluntate fiduciam. Sciendum est autem noticias esse apprehensiuas. Fiduciam uerõ in corde & uoluntate esse motum, quo acquiescimus in obiecto apprehenso. Ita ueteres dixerunt: Fidem esse uirtutem apprehensiuam, quia formatimagines, intuens obiectum. Sed alia est Fidei definitio, cũm de sola noticia historiæ dicitur, qualis est in impijs, quæ est nosse historiam, & ei assentiri. Hæc non est integra fides, sed mutila, quia non assentitur promissioni diuinæ, ad te pertinenti. Credunt Diaboli & Iudas, promissionem reconciliationis alijs offerri, sed non sibi. Non igitur credunt omnes articulos fidei, sed abijciunt articulum: Credo remissionem peccatorum, scilicet Mihi quoq; promissam esse.

Fides quid sit Paulo.

Fides est uirtus apprehensiua.

Dilectio. DILECTIO est obedientia secundum omnia præcepta Dei, cum fide & fiducia misericordiæ propter Mediatorẽ promissæ, & lætitia in Deo. Nam 1. Ioh: 5. dicitur: Hæc est dilectio Dei, mandata eius seruare. Nec mihi displicet, huc accommodari dictum: Deus est dilectio, id est, Deus est summẽ diligens nos propter Filium, tali ordine, qualem ipsius sapientia sanxit, & in nobis effecit talem dilectionem & ordinem, qualis in ipso est. Sed tamen oportet discerni creatorem Deum & creaturas, ut, Deum in Angelo efficientem sapientiam & dilectionem, quæ sunt lux ã Deo creata & accensa.

Discernendus est creator à creatura.

Spes. SPES est certa expectatio uitæ æternæ propter Mediatorem gratis dandæ, & est expectatio mitigationis cãlamitatum in hac uita, iuxta consilium Dei.

Ac obseruanda est differentia inter Fidem & Spem. Fides agnoscit, uultur per filium Dei in pauoribus, quem fide intuentur. Spes est uelle futuram liberationẽ, quæ nondum adest, & acquiescere oblato futuro bono. Non enim acquiescit uoluntas, nisi bono aliquo monstrato, seu præsenti uel futuro. Vsitatum est has tres nominare uirtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Dilectionem. Sed sunt aliæ multæ in singulis necessariæ, quæ tamen ad has referri possunt.

Fides & Spes differunt.

Tres uirtutes theologicæ.

Patientia. PATIENTIA est uelle obedire Deo in tolerandis aduersis, quæ iubet ferre, & nihil propter dolorem facere contra eius mandata, non deficere ab ipso, non ruere in desperationem & odium ipsius, non iniustẽ lædere homines propter dolorem, simul etiam in calamitate retinere fidem & spem auxilij diuini, & in hac Fide & Spe sentire mitigationem doloris, sicut Paulus inquit: Pax Dei gubernet corda uestra. Et Esaias: In silentio & spe fortitudo uestra.

Gloria. GLORIA est approbatio conscientiæ rectẽ iudicantis, & aliorũ rectẽ iudicantium. De hac gloria dicitur 2. Cor: 1. Hęc est gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostrę. Et Gal: 6. Opus suũ probet unusquisq;, & tunc gloriam habebit apud sese, et non apud alios, id est, Vnusquisq; rectẽ faciat officia uocationis

tionis suę, quod cùm facit, habebit apud se gloriam, id est, approbationem non falsam conscientiæ, non sauciæ, nec uolet iniustis modis colligere existimationem errore aliorum, uidelicet stulto applausu errantium, aut obtrectatione, Vt, Fabius rectè faciens, gloriam, id est, non falsam approbationem suæ conscientiæ habet, etiamsi displicet multitudini. Hæc uera approbatio conscientiæ est res bona & expetenda, quia est ueritas, non mendacium. Et Deus uult nos in iudicando ueraces esse, ut, Ioseph debet affirmare, se non attigisse coniugem Domini. Scipio debet tenere discrimen honestorum & turpium, & cùm turpiter fecit, debet improbare factum, & improbationem ordine diuinitus etiam naturæ insito sequitur dolor in corde, Rursus cùm rectè fecit, debet agnoscere, rectè factum esse, & honestè factum discernere à cõtrario. Sequitur autem approbationem rectè iudicantem lætitia in corde. Hæc sapientissimis cõsilijs Dei sic ordinata sunt, ut homo intelligat discrimen honestorum & turpium, & inde discernat Deum ab alijs naturis, & agnoscat peccata, & regat mores. Ideò Salomon dixit: Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ magnæ. Est igitur gloria iuxta hanc ueram definitionem, res bona et appetenda. Et dictum Augustini sit notum: Bona conscientia mihi opus est propter Deum, bona fama propter proximum.

Habere apud se gloriam.

Gloria est expetenda.

Augustinus.

Diligenter autem considerandum est, quòd in definitione mentio fit recti iudicij. Hic multa comprehenduntur, Alexander non rectè iudicat, cogitans se tantas uictorias habere suis uirtutibus, & non rectè Deum inuocans, nec gratitudinem Deo ostendens, sed propter successus sumens sibi licentiam omnium scelerum, & iniustè alios opprimens &c. errat iudicio, & plus sibi tribuit, quàm debebat. Thrasonis uanitas melius conspici potest, qui non rectè iudicat, quia palàm mentitur, prædicans de se falsa. Sed Ioseph rectè iudicat, seruat enim ordinem, scit personam iustam esse per misericordiam propter promissum dominum. Deinde scit in hoc periculo & in his illecebris cor suum à Deo confirmatum esse, & agnoscit, Deum esse fontem huius boni, & ei gratias agit: Postea affirmat quòd res est, se non esse adulterum. Sic Iob rectè iudicat, cùm ait, se iustum gubernatorem fuisse.

Rectum iudicium multa complectitur.

Alexander.

Thraso.

Ioseph.

Iob.

Expressè autem utramq; propositionem recitat, ait se non esse iustum coram Deo, & rursus inquit, se iustum esse, & iustè fecisse. Non est iusta persona propter proprias uirtutes, sed propter Redemtorem, quem nominat. Deinde in reconciliato placet obedientia.

Hinc sumatur & dicti explicatio: Qui gloriatur, in Domino glorietur, scilicet de iustificatione, sicut ibi Paulus loquitur. Quanquàm & generaliter uerè ita dicitur, quoties de principalibus causis bonarum rerum cogitatur. Vt, Ioseph scit se à Deo adiutum esse in tuenda castitate. Dauid scit se adiutum esse cùm interfecit Goliat, & tamen de effectu uerè affirmat Ioseph, se non esse adulterum. Hæc integritas conscientiæ est aliqua gloria, & res bona. Quare & tranquillitas cordis eam sequitur ordine diuino.

Explicatur dictum.

TIMOR est affectus, qui sensu percipitur in corde, & est fuga ueniẽtis mali cum dolore cordis, quod ita conditũ est, ut uel lætitia sit incolume, uel dolore compressum destruatur, quia uoluit Deus his diuersis affectibus in creatura rationali ostendere suum iudicium, quòd seruet obedientes, & destruat contumaces, & uult ipsos affectus executores esse huius sui iudicij, quia Lex sine executione esset inanis sonitus. Hæc primùm in genere de Timore considerentur,

Timor.

Lætitia & dolor adfectus sunt executores diuini iudicij.

siderentur,ut uocabulo Timoris sciant iuniores significari non ociosam cogitationem,sed acres motus, qui in corde percipiuntur.

Timor seruilis. TIMOR SERVILIS est expauescere sensu iræ Dei & pœnarum sine fide,& in hoc horrendo dolore fugere Deum, sicut fugiunt Saul, Iudas, & similes.

Timor filialis. TIMOR FILIALIS in hominibus in hac uita, est timor coniunctus cum fide, id est, est in uero dolore erigi agnitione misericordiæ Dei propter Filium promissæ, & uera inuocatione ad Deum accedere, quod cùm fit, subijcit se cor Deo uera reuerentia, & non uult eum offendere. De hoc timore dicitur: Timor Domini initium sapientiæ. Item: Ecclesiastici ultimo: Deum time,& mandata eius obserua. Hæc sit regula omnibus hominibus. In talibus dictis plurimis Timor significat prorsus idem, quod uerus & non simulatus cultus Dei,& intelligatur hic cultus seu timor de uniuersali obedientia.

Timor Dei significat uerum cultum Dei.

Hæc simplex declaratio nominis necessaria est ad multorum dictorum explicationem. In Epistola Ioannis dicitur: Perfecta dilectio forãs pellit timorem. Hic de timore seruili dicitur,quo cor horribili dolore fugit Deum,ut experientia ostendit in omnibus hominibus esse trepidationes. Sed cùm accedunt fides & dilectio,id est,lætitia in Deo,accedimus ad Deum,non fugimus. Ita pellitur seruilis timor, & oritur uera reuerentia subijciens cor Deo.

Conscientia. CONSCIENTIA est Syllogismus practicus in intellectu, in quo maior propositio est Lex DEI,seu quodcunq; uerbum Dei,nobis aliquid præcipiens. Minor uerò & conclusio sunt applicatio approbans rectè facta, uel condemnans delictum,quam approbationem in corde sequitur lætitia,et condemnationem dolor naturali ordine,sancito à Deo, qui uult in creatura rationali hanc noticiam sui iudicij esse, & executionem accedere, ut sit testimonium de ipso,ostendens esse Deum,& præcipere iusta,& prohibere iniusta, & punire. Vtitur autem Deus hoc ipso iudicio in nobis in puniendo, & suo tempore hos pauores auget,sicut dicitur :Deus ignis consumens est. Item: Lex occidit. Erant in Dauide statim condemnatio sceleris, & aliquis dolor, sed adhuc languidior. Sed in obiurgatione Nathan Deus ipse auxit hunc dolorem, feriens cor eius sensu iræ. Debebat cor humanum congruere cum Lege, etiam ante Delictum,sed tunc sæpè est contumax. Reliquit autem Deus hoc iudicium post delictum, quia Deus in hoc dolore uult se conspici, ac sciri, esse Deum, iusta præcipientem,& punientem iniusta. Hoc consilium Dei & testimonium de Deo sæpè cogitandum est. Hoc iudicium nominat Paulus ad Colossenses, Chirographum contra nos scriptum in lege, id est, Syllogismũ, in quo Lex & quodcunq; uerbum Dei nobis aliquid prçcipiens, est maior,applicatio ad nos sunt minor & conclusio, qua horribiliter condemnamur nostro testimonio. Huc multa dicta scriptorum pertinent:

Conscientiæ iudicium post delictum cur sit.

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora pro meritis spemq; metumq; suis.

Libertas in Deo. LIBERTAS in Deo est posse res creare & non creare, & cùm sit immutabiliter bonus, posse dare bona & posse non dare, conseruare naturam,aut non conseruare, agere per creaturas secundum naturæ ordinem quem instituit, aut naturæ ordinem moderari aut mutare, ac immediatè agere sine creaturis. Ita præest naturæ ut agens liberrimum,iuxta dictum Psalmi: Omnia quæcunq; uoluit fecit.

VERA

VERA VIRTVS in angelis & hominibus est motus diuinus, congruens cum Lege Dei, qui motus accenditur à Deo, ut castitas in Ioseph, fortitudo in Dauide, iuxta dicta: Deus est qui efficit in uobis ut uelitis, & perficiatis, ut fiant aliqua ipsi grata. Et 1. Cor. 2. Diuisiones donorum sunt, idem autem Spiritus. *Vera uirtus.*

OPERA Legis sunt cogitationes humanæ, & imperia uoluntatis cientis locomotiuam, ut externæ actiones congruant cum Lege Dei. Hunc qualemcunq; conatum in homine uocant Philosophi Virtutem. *Opera Legis.*

IVSTICIA VNIVERSALIS significat idem quod uirtus, & est congruentia cum tota Lege, seu est congruentia cum Deo. Idem est enim dicere, congruere cum Deo, & congruere cum Lege Dei, quia Deus talis est, sicut se in Lege describit. *Iustitia uniuersalis.*

IVSTICIA PARTICVLARIS est uirtus suum cuiq; tribuens. Hanc definitionem Plato accepit à Simonide. Apud Clementem extat definitio composita ex uniuersali & particulari, Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεῷ μετὰ ἰσότητος. Apparet autem autores uoluisse in priore membro complecti motus accensos à Spiritu sancto erga Deum, deinde officia erga proximos. Intelligatur autem æqualitas ordinata. *Iustitia particularis.*

NOTICIAE sunt actiones mentis & cerebri, quibus formantur imagines, quæ sunt lumen, quo res monstrantur, ut Iulius cogitans Pompeium absentem, ea ipsa cogitatione format imaginem eius. Hoc ita fieri manifestum est, quomodo fiat, nondum scimus, sed in illa æterna Academia discemus. Interea consideremus hoc mirandum opus Dei in hominibus, & discamus, hanc formationem imaginum nobis inditam esse, ut aliquo modo cogitemus, Filium Dei esse imaginem æterni patris, cogitatione genitam, ut inquit Epistola ab Ebræos: Filius est χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. *Noticiæ.* *Formatio imaginũ cur nobis indita sit.*

Fiunt autem illustriores Noticiæ, quando Deus ipse hoc lumen accendit, uidelicet, quando filius Dei ipse dicit consolationem in mentibus nostris, & ostendit Patrem uoce Euangelij, ut fit in uera consolatione. Ita scriptum est ad Ebræos cap. 4. Sermo Dei uiuus & efficax, & penetrantior omni gladio, penetrans artus & medullas, iudicans cogitationes cordium &c. Et cùm Filius dicit consolationem in mentibus, simul effundit Spiritũ sanctum in corda, qui nouos motus accendit, qualis ipse est, & miscetur spiritibus uitalibus, fitq; illustrior noticia, congruentibus motibus cordis. Est igitur sapientia generaliter, noticia uera, illustris aut mediocris, agnoscens res, quas Deus uult aspici & considerari, sicut Deut. 4. dicitur: Hæc est sapientia uestra, audire præcepta Dei. *Deus per filiũ noticias naturales reddit illustriores.* *Spiritus S. miscetur spiritibus uitalib.* *Sapientia.*

FIDES est assentiri omni uerbo Dei nobis tradito, atq; ita & promissioni gratiæ: & est fiducia in uoluntate & corde, acquiescens in Deo, propter Mediatorem, accensa per uerbum Dei & Spiritum sanctum, qua cor in sensu iræ Dei agnita misericordia Dei reuiuiscit, & lætatur in Deo, & accedit ad eũ, & inuocat eum, clamans Abba pater, iuxta dicta Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Item Rom. 8. Clamans Abba pater. *Fides.*

SPES est certa expectatio uitæ æternæ propter Mediatorem gratis dandæ, & est expectatio mitigationis seu liberationis præsentium calamitatum, iuxta consilium Dei, iuxta dictum 1. Pet. 1. Perfectè sperate uitam æternam. Intelligentes autem perfectè pro hac phrasi, sine simulatione. *Spes.* *Perfectè. i sine simulatione.*

Dilectio Dei. DILECTIO Dei est obedientia uniuersalis iuxta omnia mandata propter Deum,& coniuncta cum uera lætitia in Deo,iuxta dictum 1. Iohan.5. Hæc est dilectio Dei,seruare mandata Dei.

Patientia Philosophica. PATIENTIA Philosophica est obedire rationi in perferendis aduersis, quæ ratio iubet ferre,& non frangi dolore,ut contra aliquam uirtutem faciamus,ut Cato facit contra iusticiam sese interficiens.

Patientia Christiana. PATIENTIA Christiana est obedire Deo in perferendis aduersis, quæ Deus iubet ferre,nec frangi dolore,ut contra aliquod mandatum Dei faciamus,& est lenire dolorem agnitione uoluntatis Dei, & Spiritu sancto,qui est lætitia in Deo, & spem retinere liberationis aut mitigationis, & petere à Deo liberationem & mitigationem,iuxta dictum Psalmi 36. Subditus esto Deo,& ora eum. Item: Expecta Dominum, & custodi uiam eius.

Cultus Dei. CVLTVS Dei est opus à Deo mandatum, factum fide,agnoscente Filiũ Dei, & fiducia ipsius,cuius operis finis principalis mediatus uel immediatus est,ut Deo honos præstetur,id est,ut hac obedientia testimonium ostendatur, hunc uerè esse Deum,quem sic colimus.

Timor Dei. TIMOR Dei est uerè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccatum: Fit autem Timor filialis,cùm accedit Fides, qua cor erigitur consolatione,& fit talis timor,qui est sine odio Dei, & uult ei reuerenter obedire,& eum non offendere. Hoc modo Timor Dei significat totum cultum, ut, Beati omnes qui timet Dominum.

Timor seruilis TIMOR seruilis est Timor & dolor sine fide, & est fremitus aduersus Deum,& horribilis fuga,qualis est in Saule & Iuda. De hoc timore dicitur: Perfecta, id est, non simulata dilectio foras pellit timorem.

Iuramentum. IVRAMENTVM est inuocatio Dei, qua petimus,ut Deus sit testis de nostro animo, quòd non uelimus fallere homines ea de re, de qua asseueramus,& simul petimus,ut Deus sit uindex,si fefellerimus, quam inuocationem Deus sanxit,ut sit uinculum ueritatis inter homines,& se obligat ad tuendum hoc uinculum, uidelicet, ut seruantibus benefaciat, & non seruantes sine ulla dubitatione puniat. Quia uult intelligi ueritatem, ut sciamus & esse ipsum, & esse ueracem.

Veritas duo significat. I. II. VERITAS interdum noticiam seu doctrinam ueram, seu sermonem uerum significat. Ibi est congruentia sermonis cùm rebus. Vt cùm cogito aut dico,niuem candidam esse,Interdum significat uirtutem,quæ posset nominari Veracitas. Est autem uirtus, quæ amplectitur,amat & constanter retinet ueras noticias, ueram doctrinam, & ueros sermones, & abhorret à mendacijs & Sophistica, & efficit ut congruant dicta seu promissa & facta, & ut sermo ac gestus congruant cum animo, Vult autem Deus intelligi ueritatem, ut sciamus & esse ipsum,& ueracem esse,&uult nos acquiescere in ueris noticijs propter ipsum,& propter utilitatem uitæ,ideò inquit: Non dicas falsum testimonium. Item:Sit sermo uester,est,est,non,non,&c. Si enim concederetur infinita petulantia,& uanitas disputationum, qualis fuit Pyrrhoniorum, uocaretur etiam in dubium,an sit Deus.

Quare Deus uelit ueritatẽ.

Demosthenis dictum. Demosthenes dixit: Duabus rebus homines fieri similes Deo: Veritate & Beneficentia. Et sit in conspectu dictum Zachariæ: Diligite ueritatem & pacem.

SVPER-

SVPERSTITIO est obseruatio certi gestus, aut tribuere effectum gratiæ, aut mutationis naturalis rei, aut gestui sine mandato diuino, aut sine causis physicis. Hic non dicitur de politicis gestibus, qui sunt significationes sine superstitione, ut cùm Regi imponitur Corona, non fit naturalis mutatio, sed fit significatio ad commonefaciendos alios de distinctione ordinum, & de officijs &c. *Superstitio.*

ECCLESIA uisibilis est cœtus uisibilis hominum amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & rectè utentium Sacramentis, in quo cœtu filius Dei est efficax per ministerium Euangelij, & multos regenerat ad uitam æternam, quancp̃ sunt in eo cœtu & alij multi non sancti, sed tamen de doctrina & externa professione consentientes. Hæc est simplicissima definitio uisibilis Ecclesiæ. *Ecclesia uisibilis.*

REGNVM Christi, est Filium Dei instituere & conseruare ministerium Euangelij, colligere Ecclesiam, & uerè efficacem esse in credentibus, eos uiuificare uoce Euangelij, & sanctificare Spiritu sancto ad uitam æternam, defendere eos contra tyrannidem Diabolorum, & organa Diabolorum & postea resuscitare Sanctos ad uitam æternam, & tradere regnum patri, id est, adducere æternam Ecclesiam ad æternum Patrem coràm, ut postea regnet in eis diuinitas palàm, non per ministerium Euangelij. Donec enim adhuc per ministerium Euangelij colligitur Ecclesia, dicitur hoc regnum Christi in hac uita, quia Filius, qui est λόγος, profert Euangelium ex sinu æterni Patris, & Pater agnoscitur, cùm in ipsa consolatione agnoscimus, nos ab æterno Patre recipi, monstrato uoce Euangelij, & tamen filij regnum est ęternum, quia in tota ęternitate simul cum Patre & Spiritu sancto regnat, & manet caput Ecclesiæ. *Regnum Christi.* *Tradere regnum patri quid.*

MINISTER Euangelij est persona ordinata à Deo mediatè uel immediatè ad docendum Euangelium, & ad Sacramentorum administrationem, & ad puniendum uerbo, non ui corporali. *Minister Euangelij.*

MAGISTRATVS Politicus est persona, à Deo ordinata mediatè uel immediatè, ut sit uox & executor legis diuinæ in externa disciplina, & aliarum honestarum legum, & sit custos pacis, ac reprimat & puniat contumaces ui corporali, bellis & supplicijs aut nece corporum. Ad hanc executionem opus est præsidijs & sumtibus, ideò imperia oportet instructa esse satellitijs, qualia non habet minister Euangelij. *Magistratus Politicus.*

DEFENSIO legitima, est certo modo reprimere uiolentiam notoriam sicut Leges ordinarunt. Vt cùm uiator in prẹsenti periculo reprimit latronem. Sic licet reprimere Magistratum in præsenti periculo rapientem filiam aut coniugem alterius. Aliud autem est defensio in præsenti periculo, aliud pœna post atrox scelus, ubi etiam aliquando magnitudo iusti doloris excusat parentes, qui atrocia scelera puniunt, ut Harpagus, & ciuis Vicentinus, cui Tyrannus eripuerat filiam, & stupratam postea remisit dissectam in quatuor partes. *Defensio legitima.*

BELLVM est aut legitima defensio, aut legitima pœna, suscepta ab ordinaria potestate, propter iustam causam. *Bellum.*

SEDITIO est motus subditorum, qui inuadunt armis Magistratum, à quo non sunt affecti notorijs iniurijs, & quando non seruatur modus defensionis, sed rapitur dominatio. *Seditio.*

Στοργή. ΣΤΟΡΓΗ est motus cordi humano insitus diuinitus, congruens cum Lege Dei, ut amor erga parentes, natos, coniugem, fratres & benè meritos.

Nemesis. NEMESIS seu Zelus, id est, indignatio contra atrocem iniusticiam aut turpitudinem. Sunt autem σοργαί diuinitus insitæ hominibus, ut sint commonefactiones de Deo, qualis sit &c.

Gratitudo. GRATITVDO est uirtus complectens ueritatem & iusticiam. Veritatem, quia Deus uult nos agnoscere & fateri, unde beneficia accepta sint. Iusticiam uerō, quia obligat nos ad mutuam beneuolentiam, & ad alia certa officia.

Affectus. AFFECTVS sunt motus cordis, laxationes uel compressiones, sequentes noticiam, prosequentes aut fugientes obiecta, qui cùm aut lædant naturam, aut delectent, semper comitantur extremi affectus, dolor læsa natura, seu suauitas, id est, lætitia acquiescens in obiecto. Hi duo sunt ultimi affectus, quia Deus uult discerni honesta, & turpia, ideò cor sic condidit, ut sit tanquàm uindex, & dolor destruat hominem propter turpia, & lætitia sit uita, quæ debet habere honesta obiecta, ut congruat cum Deo.

Dolor & lætitia duo ultimi affectus sunt.

Dolor. Est autem DOLOR seu Tristitia in corde, fuga obiecti contrarij, quo læditur, & est sensus destructionis, cùm cor uelut fugiens constringitur, seu comprimitur. Et in hac compressione torrefit, & sanguis & spiritus uelut incendio absumuntur, & languefiunt omnes actiones cordis, donec uita prorsus extinguitur. Alibi dolor in alijs membris est tantùm sensus læsionis neruorum, qui sic conditi sunt, ut percipiant suaues & insuaues motiones. Nec alia causa quærenda est, nisi quia Deus uoluit nobis discrimina conseruationis & destructionis nota esse, & uoluit, ut naturæ iustæ benè sit, & iniusta destruatur.

Lætitia. LAETICIA est suauis motus in corde, & uelut laxatio, in qua sanguis fouetur, ac copiosæ ac lucidæ flammę spirituum gignuntur, quibus totum corpus fouetur. Ex his initijs cæteri affectus utcunq; describi possunt, quia plerique sunt compositi, seu mixti. Vt:

Cæteri affectus sunt mixti.

Ira. IRA est dolor cordis fugientis obiectum contrarium, & simul cupiditas depulsionis. Fit autem compressione dolor, Quare sanguis affluit, ut cordi opem ferat. Sed cupiditas depulsionis fit laxatione, in qua cor effundit sanguinem & spiritus in extrema membra, & tanquam armat ea, & utroq; motu crescente, fit incendium cordis & spirituum. Hinc sunt descriptiones:

Ora tument ira, nigrescunt sanguine uenæ,
Diraq; Gorgoneo lumina felle micant.

Odium. ODIVM est continuata ira, tanquam perpetuum incendium seu flamma in corde.

Amor. AMOR est compositus ex lætitia & ex attractione rei placentis. Fitq; dilatatio cordis uelut amplexu attrahentis rem placentem, ut res placens fiat unum quiddam in corde, ut dicitur: σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία.

Mansuetudo. MANSVETVDO est uirtus moderatrix iræ, nisi ubi Lex Dei iubet irasci & punire.

Zelus. Vicina uirtus est NEMESIS seu zelus, quæ est irasci & punire iuxta mandata Dei. Vt Phinees iratus propter gloriam Dei, interfecit accedentem ad peregrinam mulierem. Nec rectè dicunt Stoici: Pœnam exequendam esse sine ira,

Stoicorum error.

sine ira. Quia uult Deus etiam corda uerè commoueri, ideò tales motus indidit hominibus, & Spiritus sanctus ipse ciet eos in sanctis, iuxta dictum: Zelus domus tuæ comedit me.

MISERICORDIA est uirtus, qua dolemus in calamitate iustorum, aut propter probabilem rationem in calamitate iusta, eorum, qui tamen errore aut imbecillitate lapsi sunt, & lenire miseriam studemus. *Misericordia.*

AMICICIA est iusticia, in qua pro beneuolentia orta ex causis honestis reddimus beneuolentiam, & obligati sumus ad mutua officia honesta & possibilia. *Amicicia.*

ΕΠΙΕΙΚΕΙΑ est uirtus leniens seueritatem stricti iuris propter probabilem rationem, quia uidelicet in circumstantia est mitigationis causa, ut cùm Thrasybulus Atticus sancit, ne reducti ciues ereptas possessiones repetant, quia repetitio nouum bellum accensura erat. Sic Paulus inquit Philip. 4. Επιεικεια uestra nota sit omnibus hominibus. Vult enim in Christianis eminere bonitatem, condonantem multas priuatas offensiones tranquillitati publicæ, sicut & Dominus inquit: Remittite & remittetur uobis. Et noti sint dulcissimi uersus Nazianzeni: *ἐπιεικεια.* *In Christianis eminere debet bonitas.*

Εἰδὲ οἶδας ὄφλων, ἡδὺ πρόσχημα τὸ πρᾷον,
Οἴκτῳ γὰρ οἰκτῶν τῷ θεῷ σαθμίζεται.

Est autem maximè illustris ἐπιείκεια, quam Deus in Euangelio patefacit, recipiens incoatam obedientiam propter Filium, & quasi dispensans de lege sua. *ἐπιείκεια Euangelij.*

Vicinæ uirtutes sunt, seuera iusticia & ἐπιείκεια, sicut Liberalitas & Parsimonia. Item: Sicut mansuetudo & Nemesis. Item, sicut Veritas & candor. Est enim candor uirtus, in quacunq; interpretatione, non solùm, non deprauans rectè dicta calumnijs, sed etiam flectens ambigua ad meliorem sententiam, Et præceptum est de Candore: Nolite iudicare, ne iudicemini &c. *Seuera iusticia.* *Candor.*

FORTITVDO est uirtus ac firmitas cordis perferens dolores ac pericula, tùm in sustinendo, tùm in depellendo, iuxta legem Dei, quæ ostendit, quæ sint sustinenda, & ubi sit utendum depulsione. Hæc firmitas cordis, ut in Dauide sustinente iniurias, aut pugnante cum Goliath, est motus diuinus, & uniuersaliter heroica fortitudo, ut in Achille, motus diuinus est, nec assumitur humana cogitatione, quia est in corde, non tantùm est qualiscunq; gubernatio locomotiuæ in externo gestu, sicut uulgaris fortitudo. *Fortitudo.* *Heroica fortitudo motus diuinus est.*

GLORIA usitatè dicta de gloria hominis, est approbatio conscientiæ nostræ rectè iudicantis, & aliorum rectè iudicantium. De hac gloria Paulus inquit: Exploret unusquisq; suum opus, & sic gloriam habebit in seipso, & non ab alio. Id est, Si rectè feceris ea quæ sunt tui officij, habebis approbationem conscientiæ, quæ affert tranquillitatem, & non quæres gloriam obtrectatione aliorum, uel populari applausu. *Gloria.*

SVPERBIA conflata est ex multis uicijs. Est enim errore iudicij non agnoscentis propriam infirmitatem, esse securum & sine timore Dei, & sibi tribuere maiora uiribus, & fiducia sui extra metas uocationis maiora appetere, & alios despicere ac premere, irasci Deo & hominibus, cùm hic cursus impeditur. Vt Antonius uelut ebrius sese aspiciens, admiratur suam uirtutem & potentiam, & se dignum esse iudicat, qui solus teneat imperium, ideò omissa uocatione appetit monarchiam. De hoc malo dicit Salomon capite 16. *Superbia.*

Prouerb. Abominatio coram Deo omne cor ſuperbum. Item: Deus ſuperbis reſiſtit, uidelicet, quia multa peccata in eis concurrunt, cor eſt ſine timore Dei, & effertur fiducia ſuarum uirium, turbat uocationes, & fremit aduerſus Deum, cùm impeditur cupiditas. Dignum memoria eſt & Herodoti dictum: Solet Deus omnia ſublimia humiliare uel mutilare.

Herodoti dictum.

Humilitas.

HVMILITAS ſeu ταπεινοφροσύνη eſt uirtus ex multis compoſita. Eſt enim in agnitione propriæ infirmitatis uerè timere Deum, & fiducia auxilij diuini ſeruire uocationi, nec erumpere, nec maiora appetere, & agnoſcere gubernationem Dei opus eſſe, qui etiam imbecilliores poteſt facere ſalutaria organa. Ideò & iuſticia eſt, tribuens ſuum cuiq; locum, non deſpiciens alios, nec impediens, & non fremens aduerſus Deum in pœnis, ſed tribuens Deo laudem iuſticiæ, ſicut Daniel inquit: Tibi Domine iuſticia &c. Talis fuit Ionathas, intelligens regni molem non ſuſtineri poſſe humanis uiribus, & præſertim in populo Dei non eſſe felicem Regem, niſi diuinitus datum. Ideò non appetiuit regnum, ſed Dauidi ceſſit, & poſtea in calamitate Deo patienter obediuit. De talibus dicitur: Humilibus dat gratiam.

Humilitas iuſticia eſt.

Modeſtia.

MODESTIA eſt uirtus ſeruans conuenientiam ſecundum rectum iudicium in opinione de nobis, in ſermone, & in geſtu.

Perſonarum acceptio.

PERSONARVM acceptio eſt æqualibus inæqualia, aut inæqualibus æqualia dare, & ſic Ebraica phraſi dicitur reſpectus non principalis negocij, ſed circumſtantiæ in perſona, ut cùm iudex pauperem mœchum punit, & mœcho diuiti parcit, iuxta dictum: Dat ueniam coruis, uexat cenſura columbas. Et cùm debitum inæqualiter hoc modo diſtribuitur, pugnat acceptio perſonarum cum iuſticia diſtributiua, qua uult Deus diſcerni honeſta & inhoneſta, ſicut ſcriptum eſt Rom. 13. Magiſtratus ſit terrori malo operi, & honori bono. Hunc ordinem ſanxit Deus ut agnoſcamus qualis ſit ipſe, uidelicet iuſtus, & puniens iniuſta.

Acceptio perſonarũ pugnat cum Iuſticia diſtributiua.

Caſtitas.

CASTITAS eſt uirtus, quæ uitat omnes commixtiones & effuſiones ſeminis prohibitas lege Dei.

Coniugium.

CONIVGIVM eſt legitima & indiſſolubilis coniunctio unius maris & unius fœminæ, ordinata à Deo ad procreationem, & ad uitandas uagas libidines, iuxta dictum: Erunt duo in carnem unam, id eſt, inſeparabiliter iuncti. Et cùm dicitur Legitima coniunctio, comprehenduntur leges de gradibus cognationum diuinitus traditæ, & aliæ honeſtæ leges. Nam commixtio cùm cognatis prohibita lege diuina dicitur inceſta, id eſt, ad quam non poteſt accedere coniugalis ſolennitas, in qua ſponſa erat ornata cingulo, quod nominabatur κέσος, & inde inceſta conſuetudo dicitur, quaſi ſine ceſto, id eſt, ſine legibus coniugij.

Commixtio inceſta.

κέσος.

Sedulitas.

SEDVLITAS eſt uirtus, qua iuxta mandata Dei diligenter facimus labores proprios & neceſſarios uocationis noſtræ, & intra metas uocationis nos coërcemus. De hac uirtute, uidelicet de tuenda uocatione & diligentia in laboribus expreſſè præcipit Paulus primo Theſſalonicenſes quarto. Adhortamur ut excellatis magis, & in hoc ambitioſi ſitis, ut ſitis quieti, & propria faciatis. Et Rom. 12. dicitur de diligentia: Qui præeſt ſit diligens. Et in 9. cap. Eccleſiaſtæ: Quicquid inuenit manus tua ad faciendum, ualidè facito. Et cap. 11. Manè & ueſpere ſeminato ſemen tuum. Item: Mitte panem tuum in aquas tranſeuntes, quia poſt tempora multa inuenies, id eſt, doceas, iuues

Mittere panẽ in aquas tranſeuntes.

iuues communem ſtatum tuis laboribus,etiamſi apud multos, uidetur inutilis labor, ut ſi panem ſpargeres in aquas, erunt tamen aliqui, quibus tui labores profuturi ſunt: Sicut & Paulus nos conſolatur,inquiens: Non eſt irritus labor ueſter.Extrema uicioſa ſunt. Ignauia & πολυπραγμοσύνη,quæ aut in uocatione facit multa πάρεργα, & omittit neceſſaria,aut erumpit extra uocationem,ut ardelliones, ac alij ambitione, alij ſtulta imitatione ſeu κακοζηλίᾳ peccant, ut quia Macabæus feliciter liberauerat populum,multi uoluerunt eſſe imitatores,qui tamen erant infœlices, quia nec uocati erant, nec diuinitus excitati. Sic fuerunt infelices imitatores Themiſtoclis, Pericles & Demoſthenes, ac de talibus dictum Polybij dignum eſt memoria: πολλοὶ τὰ μὲν ἔργα τῶν εὐτυχόντων οὐ φθονοῦντες μιμοῦνται, τὰ δὲ πάρεργα ζηλοῦντες ἐκθεατρίζουσι τὴν ἑαυτῶν ἀκρισίαν. Sed imitantes parerga,producunt in theatrum ſuam ſummam inſcitiam.

πολυπραγμοσύνη.

Pericles & Demoſthenes.

FVRTVM eſt occupare uel auferre rem alienam inuito Domino.

Furtum.

PROPRIETAS eſt dominium rei,iuſtis modis acquiſitum,quo dominus,& non alius,ius habet de ea re diſponendi ſuo arbitrio,niſi quantum lege aut pacto prohibetur.

Proprietas.

DOMINIVM eſt ius,id eſt,facultas ordinata lege diuina uel humana,qua rem tenet Dominus, & non alius, & de ea re diſponit ſuo arbitrio, niſi quantum lege aut pacto prohibetur.

Dominium.

Sanxit autem diſtinctionem dominiorum ipſa uox præcepti, Non furtum facies. Ac tenenda eſt explicatio:

Diſtinctio dominiorum.

Naturalia ſunt immutabilia.
Communis vſus rerum eſt naturalis iuris, ſicut vſitatè dicitur:
Ergo eſt immutabilis.

Reſpondeo ad maiorem. Naturalia ſunt immutabilia,uidelicet noticiæ naturales artium & præceptorum:Sed non utilitates,quæ fuiſſent in natura integra,ut perpetua ſanitas corporis,& aliæ commoditates. Talis potuit eſſe in natura integra communio, nec tamen fuiſſet præcepti.

Quæ naturalia ſint immutabilia.

CONTRACTVS eſt mutua &honeſta conſenſio duorum uel plurium: de re aliqua legitimo modo transferenda, uel quo ad dominium,uel quo ad uſum,uel quo ad obligationem,diuinitus ordinata. Quia cùm ſinguli indigeant rebus quas ipſi non habent, uult Deus ſeruata æqualitate legitimis cõtractibus, & communicatione legitima, uitam hominum copulatam eſſe, ut intelligamus, iuſticiam eſſe æqualitatem, & ſciamus ipſum æqualem eſſe. Et ſunt contractus confirmati Leuit. 19. Non facite inæqualitatem in iudicio,in regula &c.

Contractus.

Vitam hominum oportet eſſe copulatã.

EMTIO eſt contractus,quo res transfertur,quo ad dominium pro iuſto precio,nec retinet emtor ius retrahendi precij. Et nominantur ſubſtantialia emtionis,merx,precium, & conſenſus emtoris & uenditoris.

Emtio.

MVTVATIO eſt contractus,quo transfertur pecunia,ſeu frumentum, ſeu alia res utilis, cuius uſus eſt conſumtio, cum hac obligatione,ut tantundem poſt certum tempus reddatur, & dans mutuò retinet ius tantundem petendi, quantum mutuò dedit.

Mutuatio.

VSVRA eſt lucrum, quod propter mutuationem petitur. Expreſſè autem prohibita eſt uſuræ petitio Leuit. 35. & Deut. 23. Et in Euangelio dici-

Vſura.

tur: Mutuum date, nihil inde sperantes. Et pugnant usuræ cum æqualitate. Nemo debet lucrari ex alieno. Accipiens usuras lucratur de alieno. Quia mutuatio transtulit dominium, & quidem rei non sua natura fructificantis. Non est igitur iustum lucrū. Ac res ostendit, propter hanc inæqualitatem exhauriri magnam partem hominum, eamq; ob causam sæpē seditiones in imperijs ortas esse.

Lex de Centesima. Ethnici tamen, ut modus aliquis esset, legem condiderunt de Centesima. Dicitur autem Centesima, usura centesimo mense æquans sortem. Vt si quis singulis mensibus de centum aureis soluat unum aureum. Fit mentio Centesimæ usuræ in libro Esdræ cap. 5. Cumq; fœneratores duas aut tres centesimas postularint, Lex de centesima sæpē renouata est, ut à Lucullo in Asia, à Cicerone in Cilicia, à Iulio & Augusto in toto imperio.

Interesse. INTERESSE est accidens aliorum contractuum, & est honestæ rei appellatio ex naturali æqualitate sumta, de qua dicitur: Nemo locupletetur cum alterius iniuria. Est igitur Interesse debitum, quod debet iure naturæ is qui efficacem causam damni alteri dedit, aut qui uerē impediuit alterius iusta lucra: ut si quis in locato corrumpit aliquid, debet id quanti interest, id est, debet sarcire damnū, etiamsi nulla pactio de hac re præcessit. Quōd aūt uocabulū honestæ rei Interesse prætexitur crudelibus usuris, pernicioſa sophistica est.

Interesse prætexitur usuris.

Locatio. LOCATIO est contractus, in quo res transfertur ad certum tempus, quo ad usum, pro certo precio, non quo ad dominium, & res illatæ sunt iure oppignoratæ locanti.

Mendacium. MENDACIVM est petulanter aut cupiditate nocendi aliud loqui, seu gestu significare, & aliud sentire. Non enim nomino mendacia figuras, quibus ex probabili causa aliquid tegitur, quod non necesse est dici, ut Raab negat speculatores domi suæ esse. Tales figuræ nominantur officioſa mendacia. Huc & Apologi ac poëmata pertinent, quæ omnia possunt dici figuræ seu similitudines.

Officioſa mendacia.

Maledicentia. MALEDICENTIA est seu falsa seu dubia scelera punienda legibus alicui obijcere, seu uera commemorare uanitate aut cupiditate nocendi, extra ordinem iudiciorum. Hoc uicium prohibetur Leuit. 19. Non eris criminator nec susurro in populo. Pertinent autem ad hoc genus conuicia seu falsa seu uera, quæ tamen uanitate aut cupiditate nocendi dicuntur. Item, calumniæ, quæ sunt, aut benē facta aut rectè dicta deprauare, aut ambigua in deteriorem partem flectere, aut quoquo modo crimen fingere, ut Palamedes ficto crimine opprimitur, item Naboth. De his omnibus dicitur in Ecclesiaste cap. 7. Calumnia conturbat sapientem, & perdit robur cordis eius. Et cap. 10. Qualis est serpens, qui clām mordet, talis est calumniator. Vicia linguæ multa sunt, alia magis, alia minus atrocia.

Conuicia.

Calumniæ.

Garrulitas. Scurrilitas. GARRVLITAS, futilitas, uanitas, iactantia, maledicentia, subsannatio, mentiri, calumniari, insulsitas, scurrilitas, quæ est obscœna dicere, aut in materia graui intempestiuis iocis, aut Mimica subsannatione ludere, aut contumelioſa dicere in superiores, aut in calamitoſos honestos, ut Semei scurratur maledicens Dauidi.

Libertas ciuilis. LIBERTAS CIVILIS est facultas corporalis ordinata legibus, honestē transferendi corpus, & eligendi honestas operas corporis pro arbitrio, & habendi res proprias, & disponendi de eis iure Dominij pro arbitrio, habens

habens & legitimam defensionem corporis & rerum,ut Ioseph emtus non potest transferre corpus,ac discedere à Domino suo &c. Dicitur autem facultas ordinata Legibus, quia libertas non est infinita licentia, nec uagatur beluarum more,sed est facultas honestè utendi corpore &rebus,liberior,quàm qualis est captiuorum aut seruorum, sed tamen Deo subiecta, & certis inclusa metis diuinitus, uidelicet legi Dei, & alijs legibus,quæ muniunt concessam facultatem, ut si cui liceat uti spacioso horti fructibus, & sint circumdati muri, ne irrumpant apri aut aliæ feræ. Sic dicit Lucius Crassus: Legum serui sumus, ut liberi esse possimus. *Quid sit reuera libertas.*

SERVITVS CIVILIS, quam Deus approbat, ut seruus fuit Ioseph,seu Onesimus, est priuatio Legitima facultatis possidendi res proprias,& eligendi operas proprio arbitrio, & transferendi corpus aut res proprio arbitrio. Habet autem & hæc seruitus ex lege diuina seu naturali suam mitigationem aut moderationem, nec domini cogant seruos facere contra leges diuinas. Vt,cùm Turci auferunt subditis filios & filias,& abstrahunt eos ad suam Idolomaniam, quia Deus est superior Dominus, & nulla creatura petere aut iubere aliquid debet contra mandata diuina,iuxta dictum: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Ac dictum Platonis obseruetur: Vtrāq; optima,moderata libertas, & moderata seruitus, Vtrāq; pessima, immoderata libertas,& immoderata seruitus. *Seruitus ciuilis.* *Seruitus lege diuina mitigatur.*

BONVM INCREATVM est Deus ipse, qui est essentia sapiens, æterna, omnipotens, uolens talia, qualia in Lege sua præcipit, creatrix & conseruatrix mundi,& causa boni, id est,sapientiæ iusticiæ,læticiæ, & ordinis in creaturis. De hoc perfecto bono dicitur: Nullus est bonus,nisi unicus,qui est Deus. *Bonum increatum.*

BONVM CREATVM, est creata conuenientia in creaturis cum mente diuina,omnia intelligente & ordinante. Est igitur sapientia, iusticia & lætitia in natura intelligente, & ordo in uniuersa natura, institutus à Deo. Hæc definitio est boni in genere, quod nominatur bonum naturale, & de hoc bono dicitur: Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona, id est, conuenientia cum mente diuina, sic ordinante, uidelicet in natura intelligente erant sapientia, iusticia & lætitia, & in natura uniuersa ordo. Deinde species recitantur. *Bonum creatũ seu naturale.*

BONVM HONESTVM morale creatum est ipsæ actiones uoluntatis in Angelis & hominibus, congruentes cum lege DEI, seu cum Deo. Idem enim significatur his loquendi formis,& quidem regi has actiones oportet cogitatione legis Dei. Osiander nominat iusticiam ipsum Deum, sed tamen necesse est increatam iusticiam discerni à creata, seu ab actionibus congruentibus, quæ fiunt in uoluntate Angeli aut hominis, ut crassissimè loquar, quarum aliqua causa est uoluntas angeli aut hominis, quæ non habet se prorsus passiuè,id est, in qua non agit DEVS,ut Sol spargit radios in dolium. *Bonum honestum morale.* *Discernenda est increata iusticia à creata.*

Et Iohannes inquit,nos fore similes filij Dei. Item Paulus ait, nos transformari, ut simus imago Dei. Non est autem imago archetypus. Est igitur aliquod bonum honestum creatum, quod in hac uita in renatis incoatur, postea erit integrum.

Philosophia loquitur de Actionibus honestis, quæ etiamsi sunt imperfectæ, tamen sciamus eas nominari bonum honestum seu morale creatum, ut *Actiones honestæ.*

actio

actio uoluntatis in Scipione, mandans omnibus membris, ut abstineant ab alterius sponsa.

Hæc actio perfectior esset, si mens & uoluntas intuerentur Deum, ut actio Ioseph fugientis adulteram. Hæc alibi copiosius enarrantur, Sed tamen rectè dicitur, aliquod esse bonum honestum seu morale creatum, etsi discerni necesse est actiones in beatis, item renatis in hac uita, & honestis Ethnicis, actiones Angelorum, Ioseph, & Scipionis.

Bona utilia. BONA VTILIA sunt omnes noticiæ sensuum & mentis, & omnes res & effectiones ordinatæ ad conseruationem uitæ, ut ordo in Elementis, & rebus nascentibus, frumento, metallis & alijs. Nec mihi displicet, ueras noticias in mente, cùm uoluntas congruit, dici bonum honestum: Sed cùm non congruit uoluntas, sunt bonum naturale & utile, sicut aurum, quo tamen homines abutuntur.

Bonum suaue. BONVM SVAVE in sensu est conuenientia obiecti cum neruis, ut cùm aqua calida recreat neruos læsos frigore, seu cùm potus conueniens recreat arefactam linguam & cætera membra. Aut bonum suaue est in mente & uoluntate lætitia, quæ oritur ab intellectu pulcritudinis, id est, ordinis & conuenientiæ cum Deo uel natura.

Malum naturale. MALVM NATVRALE est priuatio sapientiæ, iustitiæ, & lætitiæ in natura intelligente, & in alijs rebus est destructio ordinis in qualibet natura, ut morbus, mors, & quæcunq; destructio rerum.

Malum morale, seu culpæ, seu peccatum. MALVM MORALE est priuatio iustitiæ seu uirtutis in natura intelligente, seu est discrepantia à lege Dei, seu à Deo. Vsitatè uerò nominatur malum culpæ, & in Ecclesia nominatur peccatum. Tenenda est autem regula firmissimè, quòd Deus nequaquàm sit causa mali culpæ, id est, Deus nec uult, nec approbat, nec efficit, nec adiuuat peccatum.

Malum pœnæ. Aliud est malum pœnæ, quod est destructio, sequens malum culpæ, ut morbi, mors. Hoc malum est iusta executio pœnæ, ut oppressio Pharaonis. Nec est absurdum de tali iusta executione dicere, quòd Deus uelit & adiuuet eam, ut expressè de Sodomis dicitur: Dominus pluit super Sodomam ignem & sulphur &c. Item: Deus ignis consumens est. De hoc malo pœnæ intelligantur dicta: Non est malum in ciuitate, quod non fecit Dominus, id est, omnibus generibus pœnarum afflixit nos, morbis, lue, fame, bellis &c.

Oppositio consideranda est. Diligenter autem consideranda est oppositio. Bonum enim morale & malum culpæ inter sese opponuntur, ut habitus & priuatio, seu ut contrarij motus, ut fortitudo & timiditas, dilectio fratris in Cain, & odium. Differunt ab his, naturale bonum, & naturale malum. Vt, noticiæ, aurum, uinum, sunt naturalia bona, non sunt bona moralia. Mors est naturale malũ, non morale. Non igitur pugnat cùm bono morali, ut dicitur: Preciosa mors sanctorũ eius.

Angelus bonus. ANGELVS BONVS est persona Spiritualis, creata non ex Elementis, sed ex nihilo, ut in ea diuinitas se inter Spirituales naturas patefaciat, & in creatione ornata noticijs Legis & alijs, libertate uoluntatis, & iustitia, deinde uerò confirmata in bono, uidelicet in dilectione Dei, angelorum & piorum hominum, in ueritate & castitate, ut nunquam à Deo deficiat, ordinata ut quanquàm natura præstantior est, tamen Ecclesiæ seruiat, ut uolũtas Dei cõspiciatur, qui uult fortiores seruire inferioribus, & studiũ humilitatis approbat. Psal. 90. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis.

ANGE-

ANGELVS MALVS est persona Spiritualis, creata non ex Elementis, sed ex nihilo, in creatione ornata noticijs Legis & alijs, libertate uoluntatis & iusticia, deinde uerò propria uoluntate liberè auersa à Deo, contemto filio Dei, & abiecta in pœnas sine fine, furens odio Dei, mendax, blasphema, & odio Dei sæuitiam exercens in genus humanum, impellens alios ad alia scelera, ad blasphemias, ad mendacia, ad cædes, ad libidinum confusiones, non ut ipsi melius sit, sed propter ἐπιχαιρεκακίαν, & ut Deum, & dominum nostrũ Iesum Christum contumelijs adficiat. Quare hi duo tituli ei tribuuntur, quòd sit mendax, & homicida. Et nominatur διάβολος, quia uerbum Dei calumnijs in hominum mentibus corrumpit. Et Satan, quia aduersatur Deo, & domino nostro Iesu Christo, & Ecclesiæ. Baal Zebub, quia uolitat in aëre, ut crabrones, turbat genus humanum, & præcipuè Ecclesiam. Sicut Paulus nominat Diabolum, principem potestatis aëris, efficacem in his qui contemnunt Deum. Ideò autem hæc definitio diligentius consideranda est, ut ardentior sit precatio in petendo auxilio aduersus Diabolos. Cùm quidem ideò & libenter uelit filius Dei nobis opitulari, quia Diabolus nos propter ipsum præcipuè odit. Invocamus igitur te fili Dei Iesu Christe, crucifixe pro nobis & resuscitate, custos Ecclesiæ tuæ, ut nos gubernes & serues.

Angelus malus.

Diabolus. Satan. Baalzebub.

Diabolus nos propter Christum odit.

PROPHETAE in ueteri Testamento nominati sunt doctores, immediatè uocati à Deo ad repurgandam doctrinam, & præcipuè ad illustrandam promissionem de Messia, & ad aliqua politica consilia, & sunt ornati testimonio miraculorum, ut certum esset, doctrinam eorum diuinam esse, & eos non errare in doctrina, quia Deus de ea testificabatur, Tales fuerunt Adam, Seth, Nohe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moises, Dauid, Elias, Elisæus, Iesaias, Ieremias, Daniel, & alij. Ideò Iohannes inquit: Non sum Propheta. Quia non erat ad politica negocia missus, Sicut Iudæi expectabant Prophetam similem Samueli aut Eliæ, tubam belli contra Romanos.

Prophetæ.

Iohannes non est Propheta.

APOSTOLI sunt doctores in nouo Testamento immediatè uocati à Christo ad docendum Euangelium, & ad publicam administrationem Sacramentorum, non ad Politica negocia, & sunt ornati testimonio Spiritus sancti, & miraculis, ut certum esset, doctrinam eorum diuinam esse, & eos non errare in doctrina, quia Deus de ea testificabatur, & habent potestatem ubicq; docendi.

Apostoli.

Barnabæ dictum citatum à Clemente secundo libro collectaneorum, pagina 161.

Antequàm crederemus Deo, domicilium corruptibile & fragile cordis nostri uerè erat templum manu factum, quando erat plenum idolatria, & erat domus Dæmonum: Sed attendite, ut templum Domini gloriosè ædificetur. Quomodo? Accipiendo remissionem peccatorum, & sperando in nomen Christi, fiamus noui & denuò creati, eò quòd in domicilio nostro uerè Deus habitat. Quomodo? Quando habitat in nobis sermo fidei ipsius, uocatio promissionis ipsius, sapientia iustificationum, & mandata doctrinæ.

Quomodo tẽplum Domini ædificetur.

Episcopus seu Pastor est doctor uocatus à Deo, sed mediatè, scilicet per Ecclesiam, ad docendum Euangelium, & ad publicam administrationem Sacramentorum in loco certo, & recitat doctrinam traditam ab Apostolis, ab hac cùm discedit, errat, ut sæpè accidit, nec habet potestatem ubicq; docendi.

Episcopus seu Pastor.

Considè-

Considerandа sunt autem testimonia, quæ confirmant uocationem, quæ fit per homines, & ostendunt, Deum uelle suffragatione humana uocari Ministros Euangelij, & per tales efficacem esse. Paulus præcipit Tito, ut constituat Presbyteros passim in oppidis. Et 2. Tim. 2. dicitur: Hæc commenda hominibus fidelibus, qui idonei sint ad docendos alios.

Doctor. Doctor est persona uocata ad docendum Euangelium, non ad summam gubernationem Ecclesiæ. Tales olim erant Catechetæ, & nunc tales debent esse Doctores in Scholis.

Euangelistæ. Euangelistæ olim dicebantur, qui subinde ad diuersas Ecclesias mittebantur aut uocabantur, ut ibi Euangelium docerent. Tales scribit Eusebius nominatos esse Euangelistas, & celebrat Pantænum, lectorē Scholæ Alexandrinæ, qui peruagatus fuit multas Ecclesias in Oriente, & eas erudijt.

DE HABITIBVS.

SVprà dictum est de noticijs & Virtutibus. Et quid sint noticiæ actuales utcunq; dici potest. De habitibus magna caligo est.

Noticia actualis. Noticia actualis in parte cognoscente, quæ cerebro utitur, est formatio imaginum, quæ fit spiritibus uelut σφραγίδα imprimentibus cerebro, & cerebri motu ceu lingua formante sermonem, Vt cùm cogitas amicum, formas in cerebro eius imaginem.

Mirandum opus Dei est in hominum natura, sic conditum singulari cōsilio. Et commonefactio est de Deo, quòd Deus sit essentia intelligens. Deinde sunt aliæ multæ commonefactiones in toto ordine Noticiarum, Numerorum. Ratiocinationes Legum, quæ distinguunt honesta & turpia. De his tantis beneficijs Dei sæpē cogitandum est, & erigenda mens, ut aliquo modo conditorem intueatur.

Sed quid sunt Noticiæ Habituales?

Noticiæ habituales. Has credo esse memorias, id est, impressas imagines certæ parti cerebri, retentas, ut in cera retinentur imagines factæ sigillis. Et quò impressio est firmior, & sæpius facta, eò citius fit recordatio.

Habitus in mẽbris. Esse autem habitum deinde in membris amplius quiddam, iudicari potest ex ijs artibus, quæ non tantùm sunt noticiæ, sed etiam regunt externa membra, ut ars pingendi regens digitos in ducendis lineis. Hic non desunt memoria & intentio nouo discipulo, & tamen digiti tardiores sunt, quàm excellentis magistri. Idem fit in Citharœdo & multis alijs artificibus. Etsi igitur memoria dominatur, tamen fit sanè aliquid habitus, id est, agilitas crebra recordatione & usu parta. Et cogitemus talem esse Hominum naturam, ut crebram recordationem & assuefactionem sequatur in mente & corde & Locomotiua agilitas seu celeritas, quæ nominatur ἕξις, etsi quæ res sit obscurum est.

ἕξις unde & ubi sit.

De actionibus externis. Vicia conspectiora sunt. Ac primùm de actionibus externis dicamus, quæ plurimæ à prauis adfectibus oriuntur. Nec obscurum est, quid sint praui adfectus. Homines proni sunt ad incendia amorum, iræ, odiorum, ad timores, & ad alios adfectus. Et uagantur hi motus uariè.

Paris & Helena quia familiariter sæpè colloquuntur, & simul conuiuantur, incalescunt mutuò, ut natura sexum mouet erga sexum. Accenso corde postea uoluntas Paridis hoc decretum addit: Abducam Helenam in Asiam. Hic & fons actionis externæ, & quid sit hæc actio, intelligi potest. Nec quærũtur habitus.

Non

Non obſcurē & de bonis actionibus externis dici poteſt, oriri eas ā cogitatione Legis recta docente, & uoluntate imperante Locomotiuæ, ut reprimant aut cieant membra, ut externi motus congruant Legi. Vt cogitatio in Scipione: Non attingas alterius ſponſam, & hæc ipſa cogitatio ſeu uoluntas præcipiens neruis, ſunt cauſæ reprimentes externa membra, ne indecoros motus cieant. *Bonæ actiones externæ.*

Hanc diſciplinam regendi externa opera utcunq; efficere humana ratio, etiam in non renatis, poteſt. Et Paulus ſic nominat opera Legis, non nominat uirtutes. Quia quid ſit Virtus in non renatis, & quid ſint habitus illi, quos ſic nominat Ariſtoteles, difficile eſt oſtendere. Et ſi quid ſunt illi habitus in hac languida natura, ſunt infirmi, & facilē excutiuntur, ſeu flacceſcunt. *Paulus nominat opera Legis.*

In renatis uerō, ut in Ioſeph, Dauide, facilē poteſt monſtrari, quid ſit in ipſis Virtus, uidelicet, ipſe Spiritus ſanctus, accendens tales motus, qualis ipſe eſt, & confirmans corda. Ibi uirtus nominari poteſt uel ipſe Spiritus ſanctus, uel motio ab ipſo orta. Diſcernendus eſt enim Creator ā creatura, Sicut & Paulus diſcernit, inquiens: Deus eſt qui efficit, ut uelitis & ut perficiatis, ut fiant ipſi grata. Sed cūm cauſa nominatur, fons oſtenditur, ut in Pſalmis dicitur: Tu es Deus fortitudo mea. *Quid ſit uirtus in renatis.*

In aliquibus autem actionibus honeſtis, etiam nō renatorum, iuuatur cogitatio naturali σοργῇ, ut parentes tolerant ingentes labores in educatione ſoboliſ, quia naturali σοργῇ mouentur & confirmantur. Aliorū cauſa ne poſſent quidem ferre, Ibi conſpici poteſt cauſa talium actionum, quæ quidem eſt uirtus, & ſic rectē nominari poteſt, quia eſt inclinatio in natura hominum ā Deo condita, ut ſit ſemen bonarum actionum, id eſt, congruentium cum Lege Dei. *Cogitatio iuuatur naturali σοργῇ.*

Adiuuatur etiam cogitatio in multis mediocribus hominibus bonitate temperamenti corporum & cordis, quia intentio mentis firmior eſt, & cor minus citò incenditur errantibus adfectibus. Vt Cyrus non peccat iracundia, ſicut Alexander ebrius, qui minus uidet, quàm deformis ſit ira, et in corde ſpiritus magis feruidi ſunt, et magis tumultuantur. Ideò motus fiūt minus ordinati. *Cogitatio iuuatur bonitate temperamēti.*

Non poſſunt autem adſumi temperamenta aſſuefactione, ſed externi motus regi poſſunt. Et ad hanc diligentiam conducit aſſuefactio, quæ eſt crebra commonefactio, qua repetitur & confirmatur cogitatio Legum & pœnarum, & fit intentio maior, quæ magis conſiderat uirtutis pulcritudinem & cor utcunq; trahit, ut minus ſit contumax. Vt cūm ſæpē & attentē cogitamus præcepta Temperantiæ, et pœnas intemperantiæ, magis fugimus intemperantiam. Et cūm experimur temperantiæ commoda, magis eam amamus, & confirmamur, ut nocituras delicias fugiamus. Inde qualiſcunq; firmitas in cogitatione & corde, nominatur habitus, quæ ſit ſanè nouum quoddam robur, ut in curſore exercitia tollunt ſuperfluos humores, & faciunt carnem puriorem & ſpiſſiorem, τένοντας agiliores, & articulos uolubiliores. Etſi igitur obſcurum eſt, quid ſit in mente & corde habitus, tamen repetitio doctrinæ, intentio cogitationis, & repreſſio cupiditatum, aliquam certē firmitatem, quantulacunq; eſt, adferunt. *Aſſuefactio.* *Habitus.*

Hæc omnia conſiderari utile eſt eō, ut agnoſcamus imbecillitatem noſtram, nec ſtultē ſomniemus, in non renatis intus eſſe magnum robur, quod nominatur uirtus: ſed ſciamus utcunq; cogitatione legis gubernari externas actiones, unde & forma loquendi eſt, OPERA LEGIS.

Agnitio imbecillitatis nostræ docet nos confugere ad filium Dei.

Agnoscentes autem imbecillitatem nostram, agnoscamus filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui missus est, ut nos sanet, & petamus, ut cùm sit λόγος æterni Patris, sit efficax ipse in cordibus nostris uoce Euangelij, & sit nobis Sol iusticiæ, ac luce sua Patris uoluntatem nobis ostendat, & corda nostra ad Deum conuertat, in mentibus nostris adsensionem confirmet, ut constanter uoci diuinæ credant, & dato Spiritu sancto accendat in nobis motus congruentes Legi Dei, salutares nobis & alijs, sicut rexit Ioseph, Samuelem, Danielem, & alios pios, & sicut inquit: Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et quidem seueriſſimis mandatis præcipit, ut ad se confugiamus, & auxilium petamus. Sicut ait: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Item, Petite & accipietis. His mandatis & promissionibus filij Dei exuscitemur ad inuocationem, quod cùm faciemus, cernemus præsentiam Dei, & discemus, quid sit uera uirtus, de qua dicit Paulus: Intuentes lucem Dei transformamur in eandem imaginem à Domini Spiritu.

Differunt uirtutes in renatis, & heroica dona non renatorum.

Hic etiam monendi sunt iuniores, ingens discrimen esse inter uirtutes in renatis, & heroica dona non renatorum. Est in Achille, Alexandro, Iulio fortitudo heroica, quæ reipsa est donum Dei, uidelicet robur tale creatum in cordibus, ut minus metuant pericula, quàm alij, & fortius ac felicius præliari possint, Sicut est robur corporis creatum maius in Cyclope, quàm Vlysse, Sed illa Achillis fortitudo non regitur luce diuina, uera agnitione & inuocatione Dei, nec directa est ad hunc finem, ut ipsius uictoria sit testimonium de DEO, & prosit ad defensionem ueræ Ecclesiæ, nec iudicat Achilles, suam dextram regi à uero Deo, nec eum inuocat.

At in Dauide lucet noticia uocis Diuinæ, Ita in eo adest filius Dei, ostendens æternum Patrem, & adest Spiritus sanctus, accendens in corde lætitiam in hac obedientia, & ueram inuocationem & addens robur. Et directus est labor ad hunc finem, ut sit de uero Deo testimonium, & ut defendatur Ecclesia.

Dauid.

Achilles.

Discrimen igitur est inter Dauidem & Achillem. In Dauide habitat Deus, & lux uerbi regit pugnantem, & Spiritus sanctus flectens cor ad uerum Deum, addit robur, & gubernat dextram præliantis. At in Achille non habitat Deus, etsi fortitudo in eo est donum creatum à Deo, sicut robur corporis.

In quibus sit Spiritus sanctus.

Sed Spiritus sanctus in illis tantùm esse dicitur, in quibus lucet noticia ueri Dei, accensa uerbo diuino, et fit inuocatio ueri Dei. Nam Spiritus sanctus non dicitur in aliquo esse, sine luce uerbi diuini, sicut dicitur: Spiritus sanctus de meo accipiet. Et accendit inuocationem ueri Dei. Etsi magnum robur est corporum in Gigantibus & Cyclopibus, quod uerè est creatum à Deo, tamen horum pugnæ non sunt motus Spiritus sancti, quia in mentibus eorum non lucent noticiæ & inuocatio ueri Dei.

Hæ Antitheses ostendunt discrimina & hominum & actionum, quę considerari necesse est, ne fiat confusio Ecclesiæ & Ethnicorum. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, ut semper æternam Ecclesiam inter nos colligat, & eam luce suæ doctrinæ & Spiritu sancto gubernet,

Amen.

FINIS.

RESPON-

RESPONSIONES SCRIPTÆ 360

A PHILIPPO MELANTHONE, AD IMPIOS ARTICVLOS BAVARICÆ INQVISITIONIS.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO VVOLFFGANGO,

PRINCIPI PALATINO RHENI, DVCI BAuariæ, & Comiti Valentiæ, &c. Domino
suo clementissimo
S. D.

DILIGENTIA DIGNA EST HOMINE, CONSIDERARE GENTIum origines & migrationes, Imperiorum seriem, & familiarum excellentium propagationem, incrementa & inclinationes. Nam hæc consideratio non solùm est commonefactio de rerum humanarum inconstantia, de qua tamen etiam cogitare prodest, vt nos ad modestiam flectamus, & æternam patriam intueamur: Sed etiam ostendit multa iudicij diuini exempla in pœnis, & virtutum in familijs Heroicis. Ostendit & veterem Ecclesiæ formam, quam scire valdè prodest.

Coniunxerat se Rex Noricus seu Bauaricus cum Longobardis, qui crudeliter in Italia grassabantur, quos cùm repressisset Carolus, necesse fuit deinde Carolum cum socio Longobardorum dimicare, qui potitus Bauaria, deinde eam suis posteris reliquit. Hæc mutatio regni felix tunc Bauariæ fuit. Grata enim hæc sedes fortissimis Principibus fuit, qui Italiam inde, cùm vicina esset, magis tueri poterant, & Germania aduersus Hungaros & Henetos, qui sæpè ex Boiemia erumpebant, assiduè defendenda erat. Interea hi Francici principes ornârunt Noricum vbique legibus, doctrina Religionis, literarum, & disciplina. Etsi enim citò Apostolorum tempore vox Euangelij in Noricum perlata est, Narrant enim Lucium Cyreneum in Tiberia Augusta, quæ nunc est Regensburgk, Euangelium docuisse, tamen postea in Imperij Romani dilaceratione Ecclesiæ rursus dissipatæ sunt. Maior fuit tranquillitas post Carolum Magnum. Restitutæ sunt igitur Ecclesiæ.

Et quanquàm illa ætas in tantis tumultibus omnium Gentium, supra fundamentum extruere multum stipularum cœperat, tamen nondum nota erant pleraq; Idola, quæ postea Monachi recentiores in Templa collocârunt. Extant enim scripta illius ætatis, ex quibus iudicari potest, quale fuerit doctrinæ genus.

Constat autem familiam vestram, quæ nunc & Bauariam tenet, & Palatinorum regionem ad Rhenum, ortam esse ab Arnolphi Imperatoris filio. Fuit autem Arnolphus Imperator ex Caroli posteris, qui Italiam pacauit, & dissidia Pontificum sustulit: Normannos, qui inde vsq; à Baltico littore ad Vangionum vrbem accesserant, & Belgicum vastauerant, dissipauit, & Henetos repressit, fuitq; autor, vt Rex Boiemiæ doctrinam Ecclesiæ Christi reciperet.

Omitto commemorationem de excellentia virtutis in Carolo & Ludouico Pio. A talibus viris cùm orta sit Familia vestra, habetis domestica exemplа illustria omnium virtutum. Nec dubium est omnes natos in vestris Regionibus, quo in numero & ego sum, intuentes pulcerrimam seriem maiorum vestrorum, maximè optare, vt perpetuò

floreat posteritas, & vt non solùm politica gubernatio sit felix, sed etiam vt omnes Bauarici Principes sint vnum in Deo, & congruant omnes Ecclesiæ ad illam dulcissimam Psalmi vocem, Vt conueniant Reges & Populi simul, vt seruiant Deo. Oro igitur toto pectore Filium Dei, dominum nostrum Iesum Christũ, sedentem ad dextram æterni Patris, ac dona largientem hominibus, vt te & cæteros Principes Bauaricos gubernet, vt Patriam feliciter regatis in gubernatione politica, & vt vera inuocatione Dei & vos ipsi, & subditi omnes eum celebrent. His etiam qui puram Euangelij doctrinam Ecclesijs proponi curant, gratulor hanc pietatem.

Cùm autem ad me allati essent Articuli à Monachis compositi ad deterrendos homines à veræ doctrinæ studio, magnum accepi dolorem, & quanquàm rogatus sum, vt Responsiones formarem, quia insidiæ multæ sunt in illis quæstionibus, quæ sunt tanquàm Sphyngis ænigmata, tamen & Patriæ amore mouebar, vt aliquas admonitiones ederem: Respondi igitur breuius fortassis, quàm magnitudo rei postulat, & quæstiones quasdam horridiores consultò seposui, & hanc lucubrationem ad Celsitudinem tuam mitto, non solùm vt studium meum Celsitudini tuæ ostendam, sed multò magis, vt Celsitudo tua, quæ puram Ecclesiæ doctrinam optimè intelligit, & Deum rectè inuocat, sit Iudex & de voluntate mea, & de hoc ipso scripto. Optârim omnium, qui in nostris Ecclesijs docent, pium esse consensum, & vnà communem hostem reprimi. Nunc pròh dolor hoc fieri videmus, quod scripsit Thucydides, Tantisper victrices fuisse Athenas, cùm Duces aduersus præcipuum & communem hostem coniuncti fuerunt, postea eas victas esse, cùm distracti Duces, singuli propria bella quæsiuerunt, omisso communi hoste. Sed oro Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, vt vulneribus nostris medeatur, & clementer colligat sibi æternam Ecclesiam inter nos, & faciat, vt omnes nostræ Ecclesiæ vnum sint in ipso. Benè valeat Celsitudo tua. Anno 1559. Mense Augusto.

PHILIPPVS MELANTHON.

SEQVVNTVR ARTICVLI IMPII BAVARICÆ INQVISITIONIS.

PRIMA QVÆSTIO.

Quid sit Ecclesia sancta?

II.

Quæ sint signa monstrantia Ecclesiam Dei?

III.

An sit uisibilis Ecclesia?

IIII.

An credant firmiter & sine dubitatione, & doceant, quod sancta Romana & Catholica Ecclesia mandat credi & præcipit?

V.

An credant extra illam Ecclesiam nec salutem, nec remissionem peccatorum esse, & quòd omnes, qui se scientes & uolentes ab ea seiungant, sint damnandi ut Hæretici & Schismatici?

An cre-

VI.

An credant Catholicam Ecclesiam apud hos esse, qui nunc aduersantur Romanæ Ecclesiæ, & Episcopis, qui præsunt ordinaria successione: An uerò apud illos Christianos, qui nominantur Catholici, & retinent unitatem Ecclesiæ obedientes uni Romano Pontifici?

VII.

An credant, sancta οἰκουμενικὰ Concilia in causis Fidei, quorum sententiæ postea ab uniuersa Ecclesia receptæ sunt, errasse? Et an liceat decreta eorum rursus in dubium uocare?

VIII.

An credant in sancta Catholica Ecclesia septem Sacramenta esse, Et an credant ea esse efficacia & certa signa gratiæ?

IX.

An credant, quòd ui consecrationis seu recitationis uerbi diuini fiat in Missa transubstantiatio panis & uini in uerum corpus & uerum sanguinem Christi, hoc modo, ut mox post consecrationẽ uera ac uiuifica caro, uerus item & uiuificus sanguis Christi unã cum præsentia diuinitatis seu diuinæ naturæ filij Dei, tantùm manente externa specie symbolorum panis & uini, ante & post sumtionem, uerè, integrè, ac substantialiter adsit?

X.

An Sacramentum Altaris, quod ad usum ægrotorum & aliorum Christo credentium reponitur ac reseruatur, credant tantùm esse mysterium, significans beneficia Christi, non autem statuant esse reuera ipsum corpus & sanguinem Christi?

XI.

An credant Christum in Sacramento Altaris uerè præsentem supplicíter adorandum esse, quandocunq; manu Sacerdotis hostia eleuatur, ostenditur aut porrigitur?

XII.

An detestentur ut Idolatricum ritum, adorationem Sacramenti Altaris in repositorio aut in theatrica pompa circumgestationis?

XIII.

An credant uerum corpus & sanguinem Christi, atq; adeò totum Christum, sub utralibet specie Sacramenti contineri, ac proinde singulis Christianis, qui non sunt Sacerdotes, sub una specie exhiberi?

XIIII.

An credant hoc Sacramentum non conferre nec sumi ad remissionem peccatorum?

XV.

An credant quòd ad cauenda seu auertenda multiplicia pericula & scandala pio consilio ac rectè facta sint decreta in Concilijs Constantiensi & Basiliensi, non esse ullo modo impietatis nomine condemnandum morem sacrosanctæ Ecclesiæ, quo Laicis adimitur una pars Sacramenti, sed tanquàm pium ac licitum fideliter seruandum ac retinendum, donec per decretum Catholici Concilij generalis expressè permittatur Laicis usus integri Sacramenti?

XVI.

Quomodo intelligant hæc uerba: Hoc facite ad mei recordationem. Et, an hæc uox Christi mandantis uniuersaliter ad omnes Christianos pertineat?

XVII.

An in Missa sit facienda Oblatio pro uiuis & mortuis?

XVIII.

An consecratio Sacramenti ualeat facta per non ordinatos ab Episcopis?

XIX.

An credant, Tres esse partes Pœnitentiæ? Contritionem, Confessionem & Satisfactionem?

XX.

An credant circumstantias peccatorum mortalium, ut sunt, mora, circumstantia temporis, circumstantia loci, affectata negligentia &c. in confessione Sacramentali necessariò enumerandas esse?

XXI.

An credant nostram satisfactionem & pœnitentiam prodesse, nec detrahere seu derogare quicquam merito ac satisfactioni Christi?

XXII.

An credant in homine esse liberum arbitrium?

XXIII.

An sola Fide Homo iustificetur?

XXIIII.

An credant, Bona opera facta in Dilectione, esse merita uitæ æternæ?

XXV.

An credant Sanctos, qui in cœlo uiuunt, honorandos, & inuocandos, & ab eis auxilium & intercessionem petendam esse?

XXVI.

An credant animas hominum, qui decesserunt antequām satisfactionem integram præstiterunt, & antequām integrè purgati fuerunt, cruciari in purgatorio, & an eis opitulentur preces, Eleemosynæ & oblationes, quæ pro eis in Ecclesia fiunt?

XXVII.

An coniugium omnibus hominibus sine discrimine concessum sit?

XXVIII.

An approbent usum cereorum in Altari positorum ante sacramentum? Adhæc, an uenerationem Imaginum & Statuarum, Item cineris & ossium Diuorum approbent?

XXIX.

An consecrationes aquæ, herbarum & aliarum rerum, iuxta consuetudinem Catholicæ Ecclesiæ approbent?

An reli-

XXX.

An religiosas peregrinationes ad templa diuorum iudicent esse pias?

XXXI.

An utantur unctionibus & consecrationibus Olei?

Examinatores.

Iohannes Crassenicus Monachus, Concionator Aulicus.
Leonardus Abbas Furstenfeldensis.
N. Schueickhart Secretarius Bauaricus.
Stephanus Thrayner Consiliarius.
Iohannes Einckhirn, Quæstor Landeshuttanus.

RESPONSIONES SCRIPTÆ À PHILIPPO MELANTHONE, AD IMPIOS ARTICVLOS BAVARICÆ INQVISITIONIS.

PRIMA QVÆSTIO.

Quid sit Ecclesia sancta?

Respondeo.

ECclesia in hac uita est cœtus amplectentium Euangelium, & rectè utentium Sacramentis, in quo filius Dei per ministerium Euangelij uerè est efficax, & multos regenerat uoce Euangelij & Spiritu sancto, & facit hæredes uitæ æternæ, Et sunt in eo cœtu multi electi & alij non sancti, sed tamen de uera doctrina consentientes. *Definitio Ecclesiæ.*

Hæc definitio prorsus congruit cum descriptionibus, quæ sunt in capite 13. Matthæi de semine & de sagena. Et hæc Ecclesia dicitur sancta in hac uita ἀντικαθολικῶς, quia uerè filius Dei in ea regnat, & multa sunt membra sanctificata Spiritu sancto & electa.

Fit autem à principali nuncupatio, & membra sanctificata usitatè nominantur uiua membra Ecclesiæ. Alij non sancti nominantur mortua membra, si tamen de uera doctrina consentiant. Possunt autem & sancti habere aliquos errores, sed non euertētes fundamentum, id est, articulos fidei, sicut Paulus inquit. Supra fundamentum extruunt alij aurum, alij stipulas. Et cœca ac infelix arrogantia est, si putamus, nihil in nobis infirmitatis esse, nos nihil ignorare ac omniscios esse. *Viua & mortua membra Ecclesiæ.* *Sancti possunt habere errores, sed non cōtra fundamentum.*

Quanta caligo fuit in Apostolis, qui quanquàm post resurrectionem uiderant initia nouæ & æternæ uitæ, tamen somniabant regnum politicum, & multi uolebāt retineri cultus Leuiticos. Et multa sunt impropriè dicta in scriptoribus pijs, ut uix quisquam etiam tàm disertus & tàm circumspectus est, ut ubiq; uitare possit ἀκυρολογίας. Sicut apud Cyprianum multa horridè de satisfactionibus Canonicis dicta sunt, ut cùm ait, Frustra absolutionem pronunciari non seruanti ritum satisfactionis, Sed sancti sunt dociles, & cedunt rectè monenti. De his dicit Paulus, Infirmum in fide assumite; Comedens non abijciat *Qui sint infirmi apud Paulum.*

abijciat non comedentem, Deus enim assumsit eum. Qui autem palàm defendunt Idola, aut aliquem articulum fidei euertunt, ij non retinent fundamentum. Sicut Papistæ defendentes adorationem panis in circumgestatione, & mercatum Missæ. Item, Inuocationem mortuorum. Item, Delentes doctrinam de fide gratis accipiente remissionem & reconciliationem. Tales blasphemi etiamsi dominantur in Ecclesia, tamen nequaquàm sunt membra Ecclesiæ, nec uiua nec mortua, Sed prorsus existimandi sunt esse anathemata, sicut Paulus inquit: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

Respondi igitur clarè, quid sit Ecclesia, & qui homines sint Ecclesia, & quomodo dicatur sancta. Iam dicamus de signis monstrantibus Ecclesiam, & quomodo sit uisibilis.

II.

Quæ sunt signa monstrantia Ecclesiam Dei?

Respondeo.

Tria sunt signa monstrantia Ecclesiam.

Signa tria sunt monstrantia Ecclesiam, necessaria & uniuersalia, Doctrinæ Euangelij incorrupta professio: Vsus Sacramentorum conueniens diuinæ institutioni, & obedientia debita ministerio Euangelij. De primo & secundo dicitur: Oues meæ uocem meam audiunt. Item, Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Item, Vna fides, unum Baptisma. Et de omnibus simul dicitur 1. Corinth: 1. Idem dicatis omnes, nec sint inter uos schismata, & sitis coagmentati eadem mente & eadem sententia. Item, Obedite præpositis uestris. Hęc tria signa sunt necessaria.

Primatus Pontificis, ordinaria successio, similitudo rituum, non sunt signa Ecclesiæ.

Sed aduersarij deducunt homines ad alia signa, uidelicet ad politiam humana autoritate in Ecclesia constitutam. Dicunt signa esse Ecclesiæ ordinem Episcoporum, Romani Episcopi primatum, & deinde successionem ordinariam Episcoporum & similitudinem rituum, qui humana autoritate in Ecclesia instituti sunt. Hic breuis est responsio de Romano Episcopo & de alijs. Quantumcunq; amplificatur illa autoritas, tenendæ sunt hæ regulæ: Fugite Idola. Item, Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Cùm igitur manifestum sit, Romanum Episcopum & agmen Episcoporum ipsi adiunctum defendere Idola, & iniustam crudelitatem exercere ad delendam ueram doctrinam, necesse est ab eis dissentire, sicut necesse fuit dissentire & discedere à Iudaico Pontifice & Leuiticis Sacerdotibus, cùm tamen notissimum esset, sacerdotium illud diuinitus institutum fuisse. Nec necessariam esse similitudinem rituum humanorum in uera Ecclesia, manifestum est ex illis dictis: Regnum Dei non est esca nec potus &c. Item, Nemo uos arguat in cibo & potu &c.

III.

An sit Visibilis Ecclesia?

Respondeo.

Ecclesia est uisibilis cœtus.

VEram Ecclesiam etiam in hac uita esse uisibilem cœtum, sed non ut regnum Pontificium. Erat uisibilis cœtus in Iudæa audiens Zachariam & Simeonem, Maria, Elisabeth, Ioseph, Anna, & alij multi, etiamsi dissenserunt à Phariszæis & Zadducæis, qui ordinariam autoritatem tenebant. Et quidem cùm exerceant sæuitiam impij Pontifices in sanctos, manifestum est ueram Ecclesiam cœtum uisibilem esse. Vult Deus agnosci Filium in genere humano, sicut dicit:

cit: Hunc audite. Et uult ministerium Euangelij esse publicum & uisibile, sicut dictum est: In omnem terram exiuit sonus eorum. Et Dominus de uisibili Ecclesia loquitur, cùm ait: Dic Ecclesiæ. Nec fingimus Ecclesiam, quæ sit Idea Platonica, sed antea diximus, quæ sit Ecclesia, & qui homines sint Ecclesia. Nec uult Deus doctrinam suam esse arcana Eleusinia. Ac adfirmamus nostros uisibiles cœtus esse Ecclesiam Dei, in qua multos uerè sanctos esse scimus, qui habent testimonia Spiritus sancti in confessione & supplicijs, etiamsi multi sunt admixti, qui sunt putrida membra, & in ipsis Sanctis multæ sunt infirmitates.

Romanus Pontifex & eius satellites non sunt Ecclesia.

Contrà uerò adfirmamus Romanum Pontificem & eius satellites non esse Ecclesiam Dei, cùm manifestum sit, eos esse defensores Idolorum, blasphemos & parricidas. Credimus etiam ante hæc tempora fuisse multos sanctos rectè sentientes, etiamsi aliàs uera Ecclesia est frequentior, aliàs minus frequens, ut inquit Propheta: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, uelut Sodoma essemus facti. Item, Etiamsi erit populus ut arena maris, tamè saltem reliquiæ saluæ erunt. Item Dominus inquit: Nisi abbreuiati essent dies illi, nõ fieret salua omnis caro. Et scripta extant multorum, quos apparet fundamentum tenuisse, ut Ambrosij, Augustini, Prosperi, Hugonis, Tauleri, Drandorffij, VVesseli Gruningensis, VVesaliensis Concionatoris Moguntini, Hiltenij Isenacensis, & multorum aliorum, qui habebant auditores, qui erant cœtus uisibiles, & audiebantur ac adficiebantur supplicijs, ut Iohannes & Hieronymus Pragenses, & multi alij, etiamsi non erant cœtus uisibiles, ut Pompa Pontificia, & erant disiuncti ab ordinaria potestate, ut nominant. Sed talis cœtus est uera Ecclesia, qualem describit Propheta: reliqui mihi populum pauperem in terra, inuocantem nomen Domini. Item, Dabo eis Doctorem, & panem & aquam cum tribulatione. Est autem Ecclesia Monarchia, quod ad caput Christum attinet, Et Aristocratia, quod ad ministros attinet & auditores, ut honesta schola.

Ecclesia quomodo sit Monarchia & Aristocratia.

Differunt peccata ignorantiæ et blasphemiæ.

Discernantur autem peccata ignorantiæ à blasphemijs. Erat ignorantia in Apostolis & multis sanctis, donec Christus resurrexit, de regno politico Messiæ & de proferenda politia Mosaica. Hæc peccata remittebantur habentibus initia fidei. Sed postquàm lux Euangelij clarius sparsa est, Sacerdotes & Pharisæi manifestæ ueritati contradicentes blasphemi fuerunt, & habuerunt peccata quæ non remittebantur. Iam igitur manifestum fuit discrimen ueræ Ecclesiæ & hostium Ecclesiæ Dei, de quibus dicitur: Vos ex patre Diabolo estis. Et 1. Cor: 16. Si quis non diligit Dominum Iesum, sit Anathema, Maran Atha. Malachiæ 2. Et habuit filiam Dei alieni, eradicabit Dominus uirum, qui ista facit, & perdet magistrum & discipulum de tabernaculo Iacob. Iactitent ergo nomen & exempla Ecclesiæ quantum uolunt Aduersarij, nos utraq; consolatione constantissimè confirmemur, & quòd necesse sit agnitæ ueritati obedire, quia blasphemia non remittitur, & quòd iam patefactio errorum ostendat discrimen inter membra ueræ Ecclesiæ & blasphemos, quos certum est non esse membra ueræ Ecclesiæ.

IIII.

An credant firmiter & sine dubitatione, & doceant, quod sancta Romana & Catholica Ecclesia mandat credi & præcipit?

Respondeo.

Respondeo.

NOn recipio hunc articulum, quia sunt insidiæ in uerbo Romanæ Ecclesiæ. Etsi enim restrictio addita est, sancta Romana: tamen Aduersarij intelligunt Romanam Ecclesiam agmen Pontificium. Ideò reijcienda est confusio Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ. Nam Pontificium agmen non est Catholica Ecclesia, nec Romana Ecclesia est uniuersi orbis Ecclesia, nec decreta Romanæ Ecclesiæ, sunt uniuersalis Ecclesiæ decreta. Manifestum est Græcam Ecclesiam non prohibere Sacerdotum coniugium, ut faciunt Romani Pontifices. Manifestum est Græcam Ecclesiam extra monasteria, quæ recentia sunt, ne nunc quidem habere priuatas Missas. Manifestum est Græcam Ecclesiam ne nunc quidem habere circumgestationem & adorationem panis, qualē recens Pontifex Vrbanus instituit. Decretum Romani Pontificis est: Romanum Pontificem habere summam autoritatem iure diuino in Ecclesijs & in regnis. Id decretum nunquām Asia & Græcia receperunt. Est & insidiosa confusio in uerbis, quæ faciunt primūm mentionem Fidei, deinde pręceptorum. Aliud enim est loqui de Fide, aliud de præceptis rituum humanorum. Adfirmamus autem perspicuē & sine ambiguitate, nos credere omnes articulos Fidei comprehensos in Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano. Et extat de toto corpore doctrinæ confessio Ecclesiarum nostrarum, consentiens cum Catholica Ecclesia, uidelicet Symbolis & ueteribus probatis Scriptoribus. In hac uera doctrina uerum Deum inuocamus, qui se patefecit misso Filio Domino nostro IESV CHRISTO, crucifixo, & resuscitato, & colimus eum ijs cultibus, quos ipse præcepit, iuxta dictum: In præceptis meis ambulate. Et abhorremus ab omnibus fanaticis opinionibus, quæ pugnant cum Symbolis, & euertunt politicum ordinem, quales sunt opiniones Monachorum & Anabaptistarum. Fides autem qua amplectimur Symbola, nititur non autoritate aut mandatis Ecclesiæ, sed perspicuo uerbo Dei, tametsi Ecclesiam Catholicam docentem piē audimus, & sinceræ uetustatis testimonijs confirmatur, sicut Paulus uult infirmos à firmiori confirmari.

Romana Ecclesia non est Catholica.

Differūt fides & præcepta rituum humanorum.

Fides non nititur autoritate Ecclesiæ.

V.

An credant extra illam Ecclesiam nec salutem, nec remissionem peccatorum esse, & quòd omnes, qui se scientes & volentes ab ea seiungunt, sint damnandi vt Heretici & Schismatici?

Respondeo.

DE Catholica Ecclesia concedo. De Pontificio agmine, quod ipsi nominant Romanam Ecclesiam, nego. Vt enim in Iudęa impij Pontifices, Zadducęi, & Pharisæi, etiamsi dominabantur, non erant Catholica Ecclesia Dei, quia non retinebant doctrinam Catholicæ Ecclesiæ Dei, uidelicet Prophetarū. Sed Zacharias, Simeon, Maria, Elisabeth, Ioseph, & horum auditores, quanquām pauci erant collati ad multitudinem hostium: tamen erant Catholica Ecclesia Dei, quia retinebant doctrinam Prophetarum. Ita hoc tempore Pōtificij, cūm sint hostes Euangelij, non sunt Catholica Ecclesia Dei, etiamsi dominantur & iactitant successionem ordinariam. Et unitas Catholicæ Ecclesiæ est consensus in fundamento, uidelicet in articulis fidei, & mandatis diuinis, etiamsi qua est dissi-

Vnitas Ecclesiæ est cōsensus in fundamēto.

est dissimilitudo in ritibus humanis. Quare adfirmamus, nos nec discedere nec discessisse à Catholica Ecclesia, quę Symbola amplexa est, Apostolicum, Nicenum & Athanasianum, Nec à Patribus, Irenæo, Ambrosio, Augustino, Prospero & similibus, etiamsi qui ritus humani tunc alij fuerunt. Semper enim aliqua dissimilitudo rituum humanorum fuit, Sed à Pontificijs ut discederemus, necessaria causa est, quia scriptum est: Fugite Idola. Item: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Item, Blasphemia Spiritus non remittetur.

VI.

An credant Catholicam Ecclesiam apud hos esse, qui nunc aduersantur Romanæ Ecclesiæ, & Episcopis, qui præsunt ordinaria successione: An verò apud illos Christianos, qui nominantur Catholici, & retinent vnitatem Ecclesiæ, obedientes vni Romano Pontifici?

REspondeo perspicuè, Ecclesias nostram confessionem amplectentes verissimè esse membra Catholicæ Ecclesiæ Dei, & hoc tempore veram Dei Ecclesiam, iuxta dictum: Oues meæ uocem meam audiunt. Et in his nostris cœtibus uerè sunt electi multi, iuxta dictum: Quos elegit, hos & uocauit. Et multorum confessio in supplicijs ostendit præsentiam Spiritus sancti. Ac doctrinam nostrarum Ecclesiarum congruere cum ueteris & purioris Ecclesiæ sententia, fateri necesse est eos, qui dextrè iudicant. Nec ideò nostræ Ecclesiæ non sunt membra Catholicæ Ecclesiæ Dei, quia in aliquibus est infirmitas & ignorantia aliqua, qui tamen retinent fundamentum, & sunt dociles, nec oppugnãt agnitam ueritatem, quia de infirmis scriptum est: Infirmos assumite. Item: Alius supra fundamentum extruit stipulas.

Nostræ Ecclesiæ uerè sunt membra Catholicæ Ecclesiæ.

De altera parte Articuli distinguo. Certissimum est defensores Idolorum & errorum pugnantium cum mandatis diuinis & Articulis Fidei, præsertim patefacta ueritate, non esse membra Catholicæ Ecclesiæ Dei, ut apud Iudæos Blasphemi & Parricidæ, qui aduersabantur Christo & Apostolis, non erant membra Catholicæ Ecclesiæ Dei. Tales nunc sunt Pontifices Romani & eorum satellites, qui agnitæ ueritati aduersantur, & sęuitiam exercent in homines pios. Fuerunt autem ante hanc lucem Euangelij multi sub eis, ut Bernhardus, Bonauentura, et alij multi, qui etsi habuerunt contagia errorum, tamen de fundamento melius senserunt quàm plerique alij. Taxarunt etiam crassos errores. Hos confugientes ad misericordiam, & deplorantes ignorantiam suam, fuisse membra Catholicæ Ecclesiæ, non negamus, ut etiam sub impijs Pontificibus et Pharisæis scintilla ueræ doctrinæ in Nicodemo, Pharisæo & alijs multis similibus fuit, qui dociles erant, & ueritatem quærebant. Si qui nunc tales sunt exorta luce Euangelij, qui tamen infirmi sunt, hos hortamur, ut discant doctrinam patefactam, et uincant infirmitatem suam, nec suo exemplo stabiliant Idolorum cultus & errores, iuxta dictum: Fugite Idola.

Defensores Idolorum & errorum non sunt membra Catholicæ Ecclesiæ.

VII.

An credant, sancta διορθωτικὰ *Concilia in causis Fidei, quorum sententiæ postea ab vniuersa Ecclesia receptæ sunt, errasse? Et an liceat decreta eorum rursus in dubium vocare?*

Respondeo de secunda parte.

Si quid

Decreta Synodorum contra articulos fidei necesse est taxare.

SI quid ulla Synodus decreuit contra mandata diuina, seu contra Articulos Fidei, necesse est illud decretum taxare. Vt cùm proxima Tridentina Synodus decretum fecit: Hominem semper debere dubitare, an sit in gratia.

Huic impio decreto necesse est aduersari. Tollit enim articulum: Credo remissionem peccatorum, & doctrinam de hoc articulo in scriptis Propheticis & Apostolicis expressè traditam, ut in hoc dicto: Iustificati fide pacem habemus. Confirmatæ sunt in Synodis inuocatio hominum mortuorum, satisfactiones & indulgentiæ, & adoratio panis in circumgestatione. Item, Prohibitio coniugij. His manifestis erroribus contradici necesse est: Constat enim Synodos non condere nec abolere articulos Fidei, nec posse abolere ullum mandatum Dei. Semper igitur tenenda est Regula: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Hæc de secunda parte huius articuli satis sit dixisse. Sciunt enim omnes sani, hanc nostram responsionem ueram & firmam esse.

In priore parte Articuli mirificæ sunt præstigiæ. Interrogamur in genere, An sanctæ Synodi Oecumenicæ ac receptæ errauerint? Hac generali interrogatione odia contra nos accendere student, quòd uideamur omnes Synodos et omnia acta in Synodis reprehendere. Nos uerò palàm fatemur, oportere in Ecclesia iudicia esse, & adfirmamus multas pias Synodos fuisse, & profuisse Ecclesiæ, & maximè optamus nunc in his dissidijs rectè constitui iudicium Ecclesiæ. Sed hoc quoq; dicimus, Euangelium prolatum ex sinu æterni Patris, & Legem Dei, qua uniuersam rationalem creaturam sibi obligatam esse uoluit, non posse ab ulla Synodo mutari aut aboleri, iuxta dictum: Verbum Domini manet in æternum. Dicimus etiam, Synodos in dijudicatione dogmatum non habere potestatem Regiam seu prætoriam. Cùm ad politica iudicia adfertur dubitatio de lege aliqua, Rex aut Prætor dubia uerba legis humanæ interpretatur, & circumstantiam determinat. Hæc interpretatio & determinatio ualet propter autoritatem regiam seu prætoriam, & parere necesse est, quia Deus hac autoritate Magistratum armauit. Sed his politicis iudicijs dissimilia sunt iudicia Ecclesiæ de doctrina. Cùm est controuersia allata τοῦ ῥητοῦ καὶ διανοίας ad Synodum, & pia Synodus pronunciat, quam interpretationem amplectatur, ualet sententia nõ propter autoritatem ordinis, sed propter uerbum Dei, de quo pij suam confessionem alijs ostendunt, & ex fontibus ipsis docent, hanc esse perpetuam scripturæ Propheticæ & Apostolicæ sententiam & non aliam. Narrant etiam unde acceperint suam sententiam. Vt cùm Anabaptistæ contendunt, pios non debere uti defensione Iudiciorum, quia dictum sit: Si quis eripuerit tibi tunicam, relinque ei & pallium. Synodus pronunciat, hic non prohiberi nec damnari iudicia, nec petitionem defensionis in iudicio, quia alibi expressè & sæpè comprobatus est ordo politicus, & ex fontibus ostendit discrimen iusticiæ Spiritus seu æternæ, & ordinis politici. Ita Synodi sententia est confessio pij cœtus, quæ est uera, & ualet propter fontes, necesse est enim Fidem niti uerbo Dei. Sed tamen Ecclesia audienda est, quæ docet nos de fontibus, iuxta dictum: Nisi arasseris uitula mea, non inuenisseris. Et quia aliquæ Synodi lapsæ sunt, & omnibus temporibus homines labi possunt, ideò decreta Synodorum ad normam, id est, ad Legem Dei, & ad articulos Fidei conferenda sunt.

Oportet in Ecclesia Synodos esse et Iudicia.

Dissimilia sunt iudicia Ecclesiæ et politica.

Fuit frequentissima Synodus Syrmiensis, ubi mutatum est uocabulum in Symbolo ὁμοούσιον, & supposita uox ὅμοιον. Hanc pernicioſam mutuationem

rursus emendauerunt sancti propter testimonia Prophetica & Apostolica, non deterriti Synodi frequentia. Vt autem antea diximus, nos amplecti Symbola, Apostolicum, Nicenum & Athanasianum: Ita expresse adfirmamus, nos amplecti omnium Synodorum decreta, cum his Symbolis congruentia, ut congruit Antiochena Synodus, quæ damnauit Samosatenum, & antecessit Nicenam annis 60. Ibi cùm conuenissent multi, qui discipulos Apostolorum audierant, non addiderunt nouam interpretationem, sicut ambiguæ legi Rex aut Prætor addit nouam determinationem. Sed testati sunt à Iohanne hãc sententiam traditam esse, quòd λόγος ibi significet λόγον ὑφεσάμενον. Et protulerunt dicta de filio ante assumtionem humanæ naturæ. Item dicta de eius omnipotentia: Ego uitam æternam do eis. Quæ enim esset audacia de re tanta nouam interpretationem gignere, & addere Deo coæternum filium, nisi antea doctrina de filio testimonijs Prophetarum & Apostolorum tradita esset? Docentur ergo & confirmantur pij talibus testimonijs, iuxta dictum: Et tu conuersus confirma fratres tuos.

Quas Synodos amplectantur nostræ Ecclesiæ.

Antiochena.

Secunda est Nicena Synodus, quæ rursus testata est, hanc doctrinam propagatam esse ab Apostolis, & protulit dicta Prophetica & Apostolica.

Nicena Synodus.

Eadem Synodus fecit decretum contra Nouatianos, & iussit recipi lapsos redeuntes ad pœnitentiam. Hęc quoq; Synodus tantùm testis fuit de doctrina antea tradita. Quomodo enim auderent homines lapsis promittere reconciliationem, nisi uoluntas Dei expressa esset in scriptis Prophetícis & Apostolicis? Allegabantur etiam Exempla superiorum temporum: Receptus est Petrus, Iohannes adolescentem qui se adiunxerat latronibus recepit. Paulus recepit Corinthium incestum. Congruunt cum Symbolis & Constantinopolitana Synodus, quæ ã Theodosio seniore indicta fuit, & deinde Theodosij secundi tempore Synodus Ephesina prior. Item Martiani tempore Chalcedonensis, in quibus doctrina de duabus naturis in Filio recitata est, quæ cum Symbolis congruit.

Constantinopolitana Synodus.

Ephesina & Chalcedonensis Synodi.

Fuit & pia Synodus Gangrensis contra superstitiones Monachorum congregata, qui damnabant coniugia, & prohibebant quosdam cibos, & relicta communi congregatione in administratione Sacramentorum seorsum conueniebant, quia nolebant interesse ministerijs Pastorum, qui erant mariti. Deniq; scimus fuisse multas pias Synodos & utiles Ecclesiæ, & Deo gratias agimus, quòd subinde aliquas Synodos rexit ad emendationem errorum.

Gangrensis Synodus.

Sed fuerunt aliæ congregationes, quarum etiam fuit magna frequentia, in quibus facta sunt decreta contraria Symbolis, ut in Syrmio & Arimino tempore Constantij, ubi decretum est, ut pro ὁμοούσιον deinceps legeretur ὅμοιον, quòd partes dissentientes uiderentur hoc cothurno coniungi posse. Id gratum fuit Imperatori Constantio. Theodosij Secundi tempore, de controuersia Eutychis frequentissima Synodus conuenit in urbe Epheso, fuitq; ea Synodus post priorem Ephesinam altera, ubi Eutychis error stabilitus est ã factione Antiocheni Episcopi, & senex Flauianus Byzantij Episcopus uerberibus ex confessu expulsus, qui ita percussus est, ut post triduum extinctus sit. Hæc Synodus propter erroris confirmationẽ & propter Latrocinia nominatur λῃστρικὴ. Talia exempla ostendunt posse errare Synodos, & decreta earum conferenda esse ad normam, quæ nequaquàm est ambigua aut mutabilis, uidelicet ad scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola. Ideõ Synodorum decreta cum hac

Impiæ Synodi in Syrmio & Arimino.

Ephesina altera uocata est λῃστρικὴ.

tor ma pugnantia taxare neceſſe eſt, Quale eſt Synodi Conſtantienſis decretum, quod unam partem cœnæ Domini populo adimit. Sic & de cæteris impijs decretis, qualia multa in proxima Synodo Tridentina facta ſunt, iudicandum eſt. Hæc de Synodis hoc loco breuiter reſpondeo.

VIII.

An credant in ſancta Catholica Eccleſia ſeptem Sacramenta eſſe, Et, an credant ea eſſe efficacia & certa ſigna gratiæ? Reſpondeo.

Non ſunt ſeptem Sacramenta ut Papiſtæ numerãt

NEgo eſſe ſeptem illa, quæ Papiſtæ numerant. Nam ritus Papiſticus unctionis, qui nunc in uſu eſt, eſt manifeſta impietas. Conſecrationes olei, quæ nunc fiunt, ſunt ſimiles Magicis: Additur item Inuocatio hominum mortuorum. Hæc expreſſè damnamus. Falſõ autem citantur exempla Apoſtolorum, qui adhibebant olea ad curationem morborum. Nunc fingunt unctione tolli peccata, & manifeſtum eſt huic ritui unctionis non eſſe adiunctam promiſſionem gratiæ.

Ritus confirmationis, quem retinent Pontificij, prorſus inane ſpectaculum eſt, nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ adiunctam habet. Cũm autem Sacramenta nominentur actiones à Deo inſtitutæ, ut ſint teſtimonia promiſſionis gratiæ, ideoq; habeant adiunctam promiſſionem, adfirmo hæc duo, Baptiſmum & cœnam Domini eſſe Sacramenta. Si quis etiam abſolutionem uult nominare Sacramentum, non repugno, Quia promiſſio tradita eſt: Quorum remiſeritis peccata, &c. De effectu autem planè dico, In adultis fidem propriam in uſu Sacramentorum neceſſariam eſſe, qua ſinguli ſuſtentent ſe promiſſione gratiæ, & intuentes teſtimonium illud confirmentur, ac ſtatuant, non propter hanc obedientiam dari gratiam, ſed gratis propter filium Dei, iuxta dictum: Iuſtificamur autem gratis per redemtionem quæ eſt in Chriſto Ieſu per fidem.

Sacramenta actiones ſunt inſtitutæ à Deo.

Sacramenta non ualent ex opere operato.

Expreſſè autem deliramentum Phariſaicum damno, quod dicit, per Sacramenta ex opere operato, ſine bono motu utentis, dari gratiam.

DE IX. ARTICVLO, QVI LOQVITVR DE TRANSVBSTANTIATIONE, ET de tribus ſequentibus, qui loquuntur de adoratione, ſimul reſpondeo.

CVm uera Sacramenta in Eccleſia ſint actiones inſtitutæ à Deo, & nulla creatura poſſit talem actionem inſtituere, cui ſit addita promiſſio gratiæ, ſeu rem ad quam fiat adoratio, manifeſtum eſt nihil habere rationem ueri Sacramenti extra uſum inſtitutum, Vt ſi quis circumferret aquam Baptiſmi, & diceret, ibi incluſum eſſe Spiritum ſanctum, & iuberet fieri adorationem ad illam aquam, ibi prorſus eſſet Idoli cultus.

Nihil habet rationem Sacramenti extra uſum.

Eodem modo dico expreſſè de Papiſtica adoratione panis, quam exercent extra uſum, in ſua oblatione, repoſitione, & circumgeſtatione. Et adfirmo hanc manifeſtam Idolatriam cauſam eſſe neceſſariam, cur relinquendæ & fugiendæ ſint ipſorum congregationes, iuxta dictum: Fugite idola.

Scriptum eſt in Daniele de Antiocho: Deum Maozim colet auro & argento,

gento, Vbi non dubium est, significari id quod tunc fecit Antiochus, uidelicet,Idoli adorationem, quod collocarat Antiochus in templum ueri Dei. Etsi autem cur Daniel usus sit appellatione Maozim, disputatur,tamen soni uicinitas congruit ad nomen Maza, quod est panis seu cibus. Et cùm Antiochius sit typus Antichristi,cogitent pij,multa Idola in colluuie Pontificia coli uentris causa,inter quæ etiam est deprauatio Cœnæ Domini. Hæc dico,ut cùm obijcitur nobis,quòd Schismatum autores simus,pij se confirment & consolentur hac cogitatione,quòd mandato diuino cogamur Idola fugere.

Constituta hac firma sententia, quòd nihil habeat rationem Sacramenti extra usum institutum, Responsio perspicua est ad Interrogationem sedecimam, in qua Articulus quærit: *Quæ sit sententia horum verborum: Hoc facite ad mei recordationem.* Respondeo, Præcipit ut hoc faciamus,quod institutum est, scilicet,Accipite,manducate, bibite ex hoc omnes.Nulla syllaba ibi legitur de oblatione & alijs spectaculis, sed sumtio instituitur,et ita instituitur, ut fiat recordatio mortis &resurrectionis Christi,&beneficiorũ eius, quod intelligatur de publica et priuata recordatione,sicut hęc uerba docẽt:Quotiescũq; hoc facietis, mortẽ Domini annunciate. Neruum publicæ & honestæ cõgregationis esse hanc sumtionem Filius Dei uoluit.Et quidem in Paulo dulcis promissio addita est: Donec uenerit. Significat enim mansuram esse Ecclesiam,donec Filius Dei ueniet ad manifestum iudicium,& uelut Triumphans abijciet omnes hostes suos in æternos cruciatus, & adducet Ecclesiam lætam & triumphantem ad æternum Patrem. *Hoc facite ad mei recordationem.*

Hæc consolatio de duratione Ecclesiæ pijs grata est, & inuitare nos debet,ut libentius adiuuemus conseruationem instituti ministerij. Complectitur autem publica recordatio doctrinam uniuersam de filio Dei,& de eius beneficijs,de applicatione beneficiorum,de remissione peccatorum,de fide, Deinde & publicam gratiarum actionem,unde nomen est εὐχαριστία. Sit autem & priuata recordatio, quæ complectitur eadem, quæ recensui in publica recordatione.

Maxima pars Sacrificulorum facit illam suam oblationem, nec pœnitentiam, nec ullam piam cogitationem adferens, contaminata multis sceleribus,tantùm ibi quærit lucellum, quo hanc operam more Ethnico uendit. De talibus scriptum est Esaiæ 28. Omnes mensæ repletæ sunt uomitu. Hæc mala intelligantur & deplorentur,& nos memores simus dicti Christi: Hoc facite in mei recordationem. Cogitemus quid institutum sit, non oblatio, cùm dictum sit: Vna oblatione consummauit sanctos, Et sese obtulit Filius Dei,in sese deriuans iram æterni Patris, iuxta dictum: Ego me pro eis sanctifico. Sed sumtio instituta est,in qua fiat recordatio summæ Euangelij. *Abusus Sacrificulorum in missa.* *Non oblatio est instituta sed sumtio.*

Adferamus pœnitentiã, & cogitemus quãm mirum hoc fœdus sit, quòd hæc persona, quæ non est Angelus creatus,sed filius ὁμοούσιος æterno Patri,& omnipotens, assumit massam naturæ nostræ,& placata ira æterni Patris nos sibi inserit tanquãm surculos,& nos sibi membra facit. Hoc testatur in hac sumtione. Verè & substantialiter adest,applicat sese & sua beneficia communicatione corporis & sanguinis sui,& uult nos credere, quòd uerè sua morte meruit nobis remissionem peccatorum & iusticiã, & resuscitatus uiuat, & nos sibi membra faciat,& uerè uelit in nobis esse efficax,sicut Hilarius inquit: Hęc sumta & hausta faciunt ut Christus sit in nobis, & nos in Christo. *Filius Dei uerè & substantialiter adest in Cœna.*

In hac recordatione ardeant Fides, Inuocatio & Gratiarum actio. Hic usus à filio Dei institutus est, quem Ecclesiæ nostræ Dei beneficio retinent, & ut retineatur, omnes pij conseruationem eius adiuuare debent. Hic usus est dulcissima συνουσία, in qua & ipse Filius Dei nobiscum fœdus facit, quòd nos clementer recipiat, & nos uicissim cum ipso fœdus facimus, quòd ei credamus, & beneficia eius grati accipiamus. Facit & inter sese fœdus Ecclesia, ostendit confessionem, consensum & concordiam.

Nemo potest prohibere alteram partem cœnæ.

Ex istis fundamentis respondeo & ad sequentes Articulos. Ad Quintum decimum dico: Nec Synodum, nec ullum hominem posse prohibere alteram partem Cœnæ Domini, iuxta dictum: Testamentum hominis mutare non licet, quantò minus Testamentum Dei.

AD XVII.

An in Missa sit facienda Oblatio pro viuis & mortuis? Respondeo.

Non instituta est oblatio, sed sumtio & recordatio.

NON esse institutam Oblationem corporis & Sanguinis Christi, faciendam per Sacrificulos pro uiuis & mortuis, sed sumtionem & recordationem publicam & priuatam. Hæc nihil ad mortuos pertinent, ideò manifesta prophanatio est, fingere oblationem pro mortuis. Ac uetus Ecclesia propinqua temporibus Apostolorum, nec Purgatorium, nec sacrificia pro mortuis nouit. Et dissimilitudo est Canonum Missæ etiam apud ipsos Græcos. Quòd uerò interdum nomine oblationis aut Sacrificij uetustas utitur, intelligit totam actionem, Inuocationem & gratiarum actionem adiunctam sumtioni. Hęc rectè dici Sacrificia non dubium est.

AD XVIII.

An consecratio Sacramenti valeat, facta per non ordinatos ab Episcopis?

Ordinatio ministrorum in Ecclesijs nostris iusta est.

RESpondeo perspicuè, Ordinationem Ministrorum Euangelij iustam esse in Ecclesijs nostris, iuxta dicta Pauli, ad Titum 1. Constituas in urbibus Presbyteros, sicut ordinaui: Et 2. Timoth. 2. Hæc commenda fidelibus hominibus, qui sunt idonei ad docendos alios. Nec dubium est, filium Dei & conseruatorem esse ministerij Euangelici, & in Ministerio efficacem esse, ubicunque est cœtus rectè docens Euangelium, iuxta dictum: Sedet ad dexteram æterni patris, dans dona hominibus, Pastores & doctores. Et Iohannis 15. Ego sum uitis, uos palmites, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum copiosum. Hæc tota concio utrunq; confirmat: Et solùm hunc cœtum esse Ecclesiam Dei, in quo uox Euangelij est incorrupta: Et in eo cœtu adesse Filium Dei, & ibi efficacem esse. Et quidem corda piorum, quæ ueras consolationes sentiunt, testantur filium Dei in ministerio Ecclesiarum nostrarum efficacem esse, iuxta hęc dicta: Accepistis spiritū adoptionis filiorum, clamantem Abba Pater. Item: Sustinuit anima mea in uerbo eius, sperauit anima mea in Domino. Item: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: Iustificati fide pacem habemus apud Deum.

Tenebant partem ministerij Pontifices & Pharisæi in Iudæa per Tyrannidem, uidelicet Circumcisionem. Doctrinam uerò & sacrificia corrumpebant.

pebant. Interea tamen Deus efficax erat uoce doctrinæ, quam ſonabat uera Eccleſia, Zacharias, Simeon, Eliſabeth, Anna, Maria, & ſimiles. Ita nunc Pontificij retinent Baptiſmum. Doctrinam uerõ & Cœnam Domini horribiliter corrumpunt. Sed doctrinam Euangelij incorruptam, & uſum Sacramenti inſtitutũ Eccleſiæ noſtræ retinent. In his adeſt filius Dei, & eſt efficax in miniſterio inſtituto, ſicut inquit: Ego ſum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum copioſum.

Scio autem, atrociter declamare Pontificios, non fieri conſecrationem ab ijs, qui non ſunt ordinati ab Epiſcopis. Deinde non eſſe Epiſcopos, niſi confirmatos à Romano Epiſcopo. Hæc κακοζηλία, Papiſtica refutatur etiam exemplo Orientalium Eccleſiarum, quarum extat Epiſtola in 5. libro Theodoreti, in qua ſcribunt, Non oportere peti confirmationem à Romano Epiſcopo, ſed ſatis eſſe, electionem fieri ab Eccleſia eius loci, adhibito uicino Epiſcopo uno uel pluribus, iuxta Synodi Nicenæ decretum.

Non petenda confirmatio à Romano Pontifico.

Poſtremõ, quæ amentia eſſet, noſtros ab ijs petere ordinationem, à quibus, ſi ad eos accederent, interficerentur.

XIX.

An credant, Tres eſſe partes Pœnitentiæ, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem?

PLanẽ reſpondeo, Enumerationem delictorum nec partem Pœnitentiæ, nec neceſſariam eſſe.

Enumeratio delictorũ non eſt pars pœnitentiæ nec neceſſaria.

De Canonicis Satisfactionibus, quas Aduerſarij nominant opera indebita, Reſpondeo, Eas non ſolũm non eſſe partem pœnitentiæ, ſed etiam falſos cultus, Et aduerſarios affingere multos errores, quorum comprobatio eſt impia.

Canonicæ ſatisfactiones ſunt falſi cultus.

Ita ſimul reſponſum eſt de ſequentibus duobus Articulis. Nec ipſorum delictorum, nec circumſtantiarum enumeratio neceſſaria eſt, Nec ſatisfactio, quam nominant opera indebita, utilis eſt, Et ut Monachi eam declarant, eſt contumelioſa aduerſus ſatisfactionem filij Dei.

Cũm autem proſit in conſpectu habere aliquos inſignes errores aduerſariorum, quorum euidens falſitas confirmet nos, ut minus angamur cùm obijciuntur nobis ſcandala diſſidiorum & Schiſmatum, ſemper intueamur antitheſin doctrinarum de Pœnitentia, Ibi cũm tetros et pernicioſos errores Aduerſariorum aſpicimus, agamus Deo gratias, quõd reddidit lucem ueræ doctrinæ, & firmas conſolationes, Et lætemur nos ã ſocietate defenſionis errorum procul abeſſe.

Initium harum diſcordiarum fuit explicatio doctrinæ de pœnitentia, & refutatio impoſturarum, quas nominant INDVLGENTIAS. Quodque ſequutum eſt tam atrox Schiſma, non eſt culpa eorum qui ueritatem monſtrarunt, ſed ſatisfactionis Pontificiæ, quæ ueritatem delere conatur, non ſolũm edictis, ſed etiam tyrannica ſæuitia.

Longum autem eſſet hic repetere integram Antitheſin doctrinarum de Pœnitentia, & credo pijs omnibus notam eſſe. Hi intelligunt nos non mouere λογομαχίας, ſed res magnas & neceſſarias in Eccleſia illuſtrare.

Adfirmo hoc quoq; tale chaos eſſe in ſcriptis Monachorum de pœnitentia, ut ante noſtras explicationes Aduerſarij ne ſuos quidem Labyrinthos intellexerint.

Errores Pontificij in doctrina de pœnitẽtia.

De CONTRITIONE dicunt, oportere esse sufficientem contritionem. Hoc prorsus impossibile est. Et quõ magis crescceret dolor, sine fide, eõ magis ruerent homines in desperationem. I.

Secundõ dicunt, Contritionem mereri remissionem culpæ. Hoc mendacium contumeliosum est contra meritum Christi, & delet Euangelium de fide, quod præcipit, ut credamus remitti nobis peccata, & nos reputari iustos, gratis, propter solius filij Dei obedientiam, sicut scriptum est Rom. 3. & 4. Actor. 10. & alibi. II.

Tertius error est, quõd nihil dicunt de Fide, accipiente gratis remissionem peccatorum. Imõ docent, semper manendum esse in dubitatione. Ita uerã consolationem & uocem Euangelij, & discrimen Legis & Euangelij, prorsus delent. Hæc satis magna causa est, cur lætemur nos à societate iplorum abesse. III.

Quartus error: Vociferantur enumerationem delictorum necessariam esse, & addunt, Hanc pudefactionem mereri remissionem peccatorum. Hæc carnificina auxit dubitationes, quæ fidem & inuocationem impediuerunt, & aut prophanitatem aut desperationem attulerunt. IIII.

Quintus error: Non intelligunt, apud ueteres spectacula Satisfactionum tantũ fuisse ritus humanos, exempli causa receptos, ut alij homines cõmonefierent, nec fuisse merita remissionis culpæ aut pœnę coram Deo. Et apparet hos ritus à uetustate Ethnica sumtos esse. Nam & apud Ethnicos homicidæ gerebant signa reatus, ut agnoscerentur ab alijs, & uitarentur tanquàm polluti, nec cum eis mensæ & conuictus societas esset. Vt, Orestes queritur se uagatum esse, nec admissum ad aliorum mensas. Et Hercules interfectis filijs, uetat se ã Theseo attingi. Hæc uestigia fuerunt uetusti ritus patrum, quo fuerat ostensa Excommunicatio, erantq; politica spectacula, non merita remissionis peccatorum coram Deo. Sed in Ecclesia paulatim accessit superstitio. V.

Sextus error: Cùm Monachi ueteres historias nescirent, impudenter finxerunt, remitti pœnas æternas propter pœnas Purgatorij, Redimi autem pœnas Purgatorij operibus indebitis in hac uita, & sacrificio Missæ, & uarios ludos finxerunt. Monachatum, itinera ad longinqua templa, ut Orestes profectus est ad Dianam Tauricam. VI.

Hæ Tragœdiæ omnes tolluntur una Regula: Frustra colunt me mandatis hominum. Firmissimè etiam hæc regula tenenda est, Non distrahendam esse remissionem pœnæ æternæ ã remissione culpæ, sed semper simul remitti & culpam & pœnas æternas, Et quidem propter Filium Dei, gratis, sola fide, iuxta hæc dicta: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Item: O mors ero mors tua. Græci etiam nomine magis uerecundo usi sunt. Non nominarunt Satisfactionem, sed ἐπιτίμια, hoc est, increpationes seu castigationes.

Septimus error. Cùm creuissent illa onera, necessaria fuit relaxatio, quam nominarunt INDVLGENTIAS. Has postea uendiderunt, & uaria mendacia finxerunt. Dixerunt se merita Sanctorum applicare mentibus, & liberare animas ex Purgatorio. VII.

Recitaui manifestos errores, qui traduntur à Pontificijs in sua doctrina de Pœnitentia, quorum consideratio pios confirmet, cogitantes se habere necessarias causas cur ab eis dissentiant.

Doctrina de pœnitentia in nostris Ecclesijs perspicua est.

Contrà uerò simplex & perspicua ueritas in nostris Ecclesijs proponitur, comprehensa in his dictis Christi, quę summam doctrinæ continent, Marci 1.

Pœnitentia

Pœnitentiam agite,& credite Euangelio.Et Lu. ult: In nomine meo prædicate pœnitentiã & remiſſionem peccatorum. Et in iuramento dicitur: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut cõuertatur & uiuat. Dicimus conuerſionẽ ad Deũ neceſſariã eſſe,quod &in iuramẽto affirmatur,et in conuerſione comprehendi dolores & conſolationes.Hæc manifeſta ſunt ex ipſo uocabulo CONVERSIONIS, & ex omnium Sanctorum experientia. Vtrumq; comprehendit Rex Ezechias. De doloribus inquit: Sicut Leo contriuit omnia oſſa mea. Et de conſolatione: Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea. Item: Corripis me, & uiuificas me. Paulus uſitatè duas partes Conuerſionis facit: Mortificationem & Viuificationem, Quæ uocabula fiunt magis perſpicua, cùm ad conuerſionem accommodantur.

Duæ partes conuerſionis.

Retineo autem de doloribus nomen Contritionis, quia uſitatum eſt. Si quis uolet aliter loqui, ſi res eaſdem retinet,non pugno. Fugiendæ ſunt enim λογομαχίαι. De doloribus etiam perſpicuitatis cauſa uolens prætereo multorum labyrinthos: de attritione & contritione, de metu pœnæ & amore iuſticiæ &c. Cùm ſunt ueri dolores non ſimulati, Deus iudicat peccatum in cordibus,uerbo ſuo arguente peccatum, iuxta dictum: Per legem cognitio peccati. Item, Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me &c.

Contritio dolores ſignificat.

Accedat autem & FIDES cogitatione promiſſionis in Euangelio traditæ, quæ affirmat gratis remitti peccata,& imputari iuſticiam,& donari Spiritum ſanctum & uitam æternam propter filium Dei,& per eum. Hac fide & fiducia intuente filium Dei, certò accipitur remiſſio peccatorum,& conſolatio & uiuificatio, quæ eſt altera pars conuerſionis. Sic de conſolatione dicitur. Rom.5.Iuſtificati fide pacem habemus. Et ad Epheſ.3.Per hunc habemus fiduciam & acceſſum per fidem in Ieſum Chriſtum. Et Act.10. Hæc ſunt perſpicua omnibus piis,qui habent exercitia pœnitentiæ,& inuocationis. Hanc doctrinæ perſpicuitatem, quæ Dei beneficio lucet in Eccleſijs noſtris de pœnitentia ſeu conuerſione, conſeruare ſtudeamus.

Fides conſolatur & uiuificat in doloribus.

Certum eſt autem, illa fide, qua fit conſolatio in conuerſione, ſimul accipi Spiritum ſanctum,qui & læticiam & inuocationem accendit,iuxta dictum: Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, per quem clamamus Abba pater. Item, Effundam ſuper domum Dauid ſpiritum gratiæ & precum. Per hunc & NOVA OBEDIENTIA incoatur,iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum. Item,Per fidem lex ſtabilitur. Item, Milita bonam militiam,retinens fidem & bonam conſcientiam. Hæc omnia in Sanctis aſſidua lucta creſcunt, in qua aſſiduè clamandum eſt: Conuerte me Domine,& conuertar.

Fide uiuificãte accipitur Spiritus S. qui incoat nouam obedientiam.

Placet mihi etiam retineri ritum PRIVATAE ABSOLVTIONIS, propter multas grauiſſimas cauſas. Nec dubium eſt,uoce Euangelij & multis & ſingulis annunciari remiſſionem peccatorum, iuxta dictum: Quorum remiſeritis peccata,remittentur eis. Item ſi dixerit: Pœnitet me,remitte ei, Vbi expreſſè de uno loquitur. Nec tamen alliganda eſt remiſſio tantùm ad priuatam abſolutionem, ſed uerè fit remiſſio in omni conuerſione,in qua cogitata promiſſione Euangelij fide accipitur conſolatio. Habet & Cœna

Cauſæ cur proſit retineri priuatam abſolutionem.

Domini uim Absolutionis. Sacramenta enim sunt applicationes promissionum. Potest autem peti Absolutio priuata sine enumeratione delictorum.

Error pontificiorũ de dubitatione.

Expressẽ etiam taxamus errorem de DVBITATIONE, quem pertinacissimẽ defendunt Monachi, quòd uidelicet semper manendum sit in dubitatione, an sis in gratia. Qui error & in Tridentina Synodo impio decreto confirmatus est. Hæret in hac humana imbecillitate in omnibus tristis dubitatio. Ideò autem Euangelium prolatum est ex arcano sinu æterni patris, ut contra hanc dubitationem affirmet, uerè nos recipi propter Filium, gratis, & placere DEO, Et hanc promissionem uult FIDE accipi iuxta dictum: Ideò ex fide gratis, ut sit firma promissio, Et nisi fides repugnet dubitationi, & eam uincat, non fit inuocatio, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt, nisi credent? Fugit mens Deum, & fremit aduersus eum, non inuocat, nec consolationem ullam habere potest, nisi eluctetur ex dubitatione. Hac tanta de re necesse est homines sæpẽ commonefieri. Recensetur & hic error Pontificiorum inter grauissimas causas, propter quas necesse est nos ab eis seiunctos esse.

A uerbo Dei ordiendum, in quo & mandatum est uniuersale & promissio.

Et quia consideratio uoluntatis Dei ã uerbo incoanda est, nec extra uerbum DEI quærenda est, Et promissio uniuersalis & mandatum uniuersale & immutabile est, ut credas filio Dei, in ueris doloribus luctandum est, ut ei assentiaris, nec disputes contradictorias in Deo uoluntates esse, sed sustentes te hac uoce: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos. In hac lucta ipse filius Dei te adiuuat, & cùm uincit fides, certum est te accepisse remissionem peccatorum, nec alij raptus Enthusiastici quærendi & expectandi sunt. Ipsa fides est hoc lumen, quo Deus uerè uiuificat. Nec illa subitõ perficiuntur, sed crescere & dolores & consolationes debent, in quibus assiduẽ clamandum est: Conuerte me Domine, & conuertar. Hæc omnia uerissima esse pij norunt.

Refutatio argumenti aduersariorum de Satisfactionib.

Cùm autem integra doctrina de pœnitentia, Dei beneficio in scriptis nostrorum alibi sæpẽ fideliter recitata sit, hic sum breuior. Tantùm hoc usitatum Argumentum de Satisfactionibus hic repeto:

Adæ, Dauidi, Manasse, Nabogdonosor non remittitur peccatum sine pœna.

Ergo & Ecclesia debet nobis certas pœnas imponere.

Nego consequentiam, et ratio est, Quia differentia est inter remissionem æternæ pœnæ, & pœnæ temporalis. Sententia Dei & sententia Ecclesiæ eadem est de remissione pœnæ æternæ, Deus remittit culpam & pœnam æternam simul GRATIS, propter filium, & idem annunciat Ecclesia. Sed de pœnis corporalibus Ecclesia nullum habet mandatum. Deus autem uarijs modis eas imponit, aliàs aliter. Pœna Dauidis habet aliã causam quàm afflictio Iob.

Vniuersales et particulares causæ afflictionum considerandæ.

Considerentur autem & uniuersales & singulares causæ afflictionum, ut consolationes rectè accommodentur. Mors corporis est uniuersalis pœna primi peccati in omnibus hominibus in hac deprauata natura, in conuersis & non conuersis. Deinde sunt singulares pœnæ multorum, uel ante conuersionem, ut sint commonefactiones de pœnitentia, uel post conuersionem, ut horrentur, ut crescat pœnitentia, & sint exempla. Pœna Nabogdonosor & Manassę antecedunt conuersionem, quia Deus sic eos commonefacit de pœnitentia, iuxta dictum Esaiæ 29. Vexatio dat intellectum. Tristissima pœna Dauidis

uidis sequitur conuersionem, quia Deus uult insigne exemplum conspici harum regularum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Omnis anima quæ fecerit has abominationes, eradicabitur.

Ac differentias causarum docendi causa distinguimus, cùm quatuor gradus afflictionum recensemus. Aliæ enim sunt τιμωρίαι, ut Dauidis exilium. Aliæ δοκιμασίαι, ut carcer Ioseph, ærumnæ Iob. Aliæ sunt μαρτύρια, ut supplicium Baptistæ aut Pauli. Quartum est λύτρον, solius Christi passio. *Distinctæ causæ afflictionũ.*

Ecclesia autem nec imponit nec tollit mortem corporis, nec pœnas, quibus Deus aut punit homines aut exercet. Et obedientia erga Deum in talibus calamitatibus necessaria est. Ideò insulsè detorquent Monachi exempla illa ad Canonicas satisfactiones, quas nominant ipsi opera indebita.

Docendi sunt autem homines hoc quoq; Pœnas corporales multipliciter mitigari propter totam conuersionem & nouam obedientiam, & opera debita, ut in Zacharia dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Ierem. 3. Conuertimini ad me, & sanabo auersiones uestras. Esai. 33. Panis datus est ei, Regem in decore suo uidebunt. Esai. 1. Si fuerint peccata uestra ut coccinum & uermiculus, eritis candidi sicut nix. Et ad Corinth. dicit Paulus: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur à Domino, id est, si uerè conuerteremur ad Dominum. *Pœnæ corporales mitigãtur conuersione & noua obedientia.*

DE XXII. ARTICVLO.

An credant in homine esse liberum arbitrium?

Respondeo.

ETiam in homine non renato est aliqua libertas uoluntatis, quod attinet ad externa opera facienda. Vt Achilles potest imperare manibus, ut feriant Agamemnonem, ac potest eas coërcere, ne feriant. Alexander potest regere externos gestus, ne attingant Darij coniugem aut filias. *In homine est libertas quo ad externa opera.*

Hanc libertatem aliquo modo reliquam esse, in hac corrupta natura, manifestum est. Quia nunc quoq; talis est natura neruorum, ut, sicut cogitatione cientur, obtemperare possint. Hanc libertatem uult Deus in omnibus hominibus reliquam esse, ut aliquo modo intelligant discrimen inter agens liberum & non liberum, & ut regi disciplina possit.

Ego, ut intelligi possit, dici de externis gestibus, & ut disputationes quasdam obscuras præteream, nomino eam libertatem regendæ locomotiuæ, quæ forma loquendi perspicuè intelligi potest ex puerili doctrina de potentijs animæ. Hæc rectio locomotiuæ, quæ est facere opera externa legi Dei congruentia, nominatur usitatè externa disciplina, quam seuerè præcipi à Deo manifestum est, & ex diuinis præceptis & comminationibus, ut dicitur: Lex posita est iniustis, parricidis, &c. Et ex horribilibus pœnis, quæ per genus humanum uagantur propter uiolationem disciplinæ, sicut de cædibus dicitur: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. De confusionibus libidinum: Omnis anima quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. De furtis: Væ qui spolias, quia spoliaberis. De periurijs: Non habebit Deus insontem, quicunq; uanè usurpauerit nomen Domini. *Liberum arbitrium est libertas regendæ locomotiuæ in externis.*

Et

Et non tantùm præcepit Magiſtratui Deus, ut has pœnas exequatur, ſed etiam adiuuat Magiſtratum, et ceſſante eo, ſontes punit ipſe, ut in pœna Dauidis & in exemplis innumerabilib. conſpicitur. Quia oſtendit teſtimonia prouidentiæ, & uult intelligi diſcrimen iuſticiæ & iniuſticiæ, Et uult ſciri ſe & iuſtum & iudicem eſſe. Hæc de diſciplina ſæpè aliàs copioſè repetuntur.

Libertas regendæ locomotiuæ impeditur infirmitate humana & à diabolo.

Simul autem ſciendum eſt, hanc libertatem regendæ locomotiuæ, etiam horribiliter impediri duabus rebus, præſertim in impijs, uidelicet humana infirmitate & impulſionibus Diabolorum. Valdè ſæpè cedunt homines prauis affectibus, qui rectum iudicium in mente reprimunt, & alias cogitationes accendunt, quæ adiutæ impetu cordis, cient externa membra ad turpia opera, ut Medea inquit: Video meliora proboq́, Deteriora ſequor. Et Phædra inquit apud Senecam:

Sic cùm grauatam nauita aduerſa ratem
Propellit vnda, cedit in uanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado:
Quod ratio poſcit, impedit cœcus furor.

Quia utrunque naſcentes afferimus, & exiguam lucem, quæ eſt aliqua Legis noticia, & ingens incendium malorum affectuum, quos gignit peccatum originis, qui corda uacua timore Dei, & uera fiducia Dei, ſeu uacua DEO, ardent amore ſui, appetunt res prohibitas, dolent, fremunt, oderunt Deum, leges & homines impedientes, quò minus poſſint uagari ut cupiunt. De hac contumacia cordis dicitur Geneſ. 6. Omnis formatio cogitationum cordis humani uana & mala eſt omni tempore, id eſt, ea quæ format ipſa natura cordis, non Deus, uana & mala ſunt. Etſi igitur aliquo modo regi externi geſtus poſſunt, tamen ſæpè tantæ ſunt flammæ interiores cordis, ut turbato iudicio nerui impellantur effuſis ſpiritibus à corde, & cieant externa membra, Vt in ira effunduntur ſpiritus, & impellunt neruos, ſimul offuſa imaginatione, quaſi res bona ſit depulſio rei moleſtæ.

Mala naturæ fiunt atrociora accedente impulſione Diaboli.

Hæc mala naturæ fiunt atrociora, cùm accedunt ſingulares impulſiones Diabolicæ, de quibus ſcriptum eſt: Satanas intrauit in cor eius. Inde ſunt maxima mala generis humani, ut libidines & parricidia Neronis, furores iniuſta bella mouentium, audacia fingendi falſa dogmata, ut in Mahometo & innumerabilibus Hæreticis. Hæc impedimenta libertatis conſideranda ſunt, & ſciendum, in Eccleſia monſtrari remedia, iuxta dictum: Filius Dei apparuit, ut deſtruat opera Diaboli, ut infrà rurſus dicendum erit, cùm de libertate in renatis loquar.

Stoici & Manichæi furores.

Palàm etiam reijcio & deteſtor Stoicos & Manichæos furores, qui affirmant omnia neceſſariò fieri, bonas & malas actiones, de quibus omitto hic longiores diſputationes: Tantùm oro iuniores, ut fugiant has monſtroſas opiniones, quæ ſunt contumelioſæ contra Deum, & pernicioſæ moribus. Nam ſi omnia neceſſariò fiunt, nihil opus eſt deliberatione & diligentia, de qua Paulus dicit: Accuratè ambulate, non ut fatui.

Vulgare malum eſt, quod reprehendit Thucydides in ſuis ciuibus, Faſtidire uſitatas opiniones, & ſeruos eſſe abſurdarum. Ita ſæpè homines applaudunt monſtroſis opinionibus, tantùm quia monſtroſæ ſunt, & mirantur non intellectas. Huius morbi contagia fugiant iuniores, & fontes doctrinarum quærant. Firmiſſima ueritas eſt, Deum nec uelle peccata, nec impellere uoluntates

Deus non eſt autor peccati.

uoluntates ad peccandum, nec adiuuare nec approbare peccata, ſed uerè & horribiliter iraſci peccatis. Scriptum eſt enim: Deus non uolens impietatem tu es. Iohan. 8. de Diabolo: Quando mendacium loquitur, ex propriis loquitur 1. Iohan. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo eſt, quia ab initio Diabolus peccat.

Cùm igitur non ſit cauſa peccati Deus, nec uelit peccatum, nec impellat uoluntates ad peccandum, nec adiuuet, nec approbet peccatum, ſed uerè iraſcatur peccantibus, ſequitur, Voluntates in Diabolis & hominibus non coactas, ſed ſua libertate abutentes auertiſſe ſe à Deo. Eſt igitur contingentia, & contingentiæ noſtrarum actionum fons eſt libertas uoluntatis. *Cauſa peccati uoluntates Diabolorum & hominum.*

Scio autem multa inextricabilia in hac quæſtione diſputari, & fatendum eſt, multa fatalia & ordinata eſſe, ut pœnas ſcelerum, ſicut uerè in Græcis uerſibus dicitur: *Multa ſunt fatalia & ordinata.*

ἐιμαρμένον γαὰρ τῶν κακῶν βουλευμάτων
κακὰς ἀμοιβὰς ὅτι καρπὸν φρονοῦς.

Item Imperiorum translationes: & tamen non extruatur inde ſcelera neceſſariò fieri. Non oportuit Sextum Tarquinium Lucretiam ui opprimere, etiamſi pœna diuino ordine ſecuta eſt. Sit ea modeſtia ingeniorum, ut honeſtas ſententias, & quidem diuinitus traditas, modeſtè retineant, etiamſi non omnes præſtigias, quæ contrà ſtruuntur, deſtruere poſſunt. Memini Franciſcum Stadianum excellentem ingenio dicere, ſe utrancp propoſitionem credere: Eſſe determinationem diuinam, & eſſe contingentiam, ſed ſe non poſſe omnia contraria explicare. Quanquàm igitur in tanta diſſimilitudine euentuum, & in ipſis diſputationibus magna eſt caligo, tamen certæ regulæ teneantur: Deum non eſſe cauſam peccati. Et aliquam eſſe libertatem regendæ Locomotiuæ, quia Paulus nominat iuſticiam carnis, & manifeſtum eſt Deum uelle regi diſciplinam in omnibus. Nec diſcedamus ab his regulis, ne animi incidant in Pyrrhonias dubitationes, quæ adferunt profanitatem, & odium Dei & doctrinarum.

Etiam Plato intùens mirandam diſſimilitudinem euentuum, quanquàm diſſimiles cauſas recenſet, tamen uerecundè diligentiam addidit lib. 4. de legibus: Omnia quidem Deus & occaſio humana regunt uniuerſa. Placidius tamen eſt concedere tertium, ſequi diligentiam, ut in tempeſtate ars gubernatoris agentem adiuuat.

Recitata uera ſententia de hoc gradu libertatis in non renatis, profiteri & hoc neceſſe eſt contra Pelagianos & Monachos: Hanc diſciplinam nequaquàm eſſe impletionem legis Dei, quæ concionatur de perfecta conformitate cum Deo, & interiore & exteriore obedientia, nec eſſe incoationem interioris obedientiæ, nec eſſe iuſticiam coram Deo, nec tollere peccata, nec mereri remiſſionem peccatorum, Ac ſæpè perſpicuè refutati ſunt Phariſaici, qui in Monachorum ſcriptis de impletione legis extant. *Diſciplina nõ eſt impletio legis.*

Accedo ad ſecundam partem Quæſtionis. Et primùm expreſſè damno Pelagianos, qui finxerunt non eſſe peccatum originis, & ita amplificauerunt liberum Arbitrium, ut dixerint, Hominem uiribus naturalibus ſine Spiritu ſancto poſſe legi Dei ſatisfacere, interiore & exteriore obedientia. Abhorreo ab his blaſphemijs contumelioſis in filium Dei, & in Spiritum ſanctum, & delentibus ueram doctrinam de lege, peccato, gratia, & de beneficijs Dei, quæ per filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum no- *Non eſſe peccatum originis, error eſt Pelagianorum*

ctum nobis exhibentur. Et amplector dictum filij Dei: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Et dicta Pauli: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Item: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius, Et Deo gratias ago pro his summis bonis, pro donato Filio & Spiritu sancto. Non possunt tolli peccatum & mors libero Arbitrio hominum, nec potest uoluntas humana incoare interiorem obedientiam sine filio Dei, sine Euangelio, & sine Spiritu sancto. Talis non est libertas humanæ uoluntatis. Sed tamen in renatis qualis sit libertas, considerandum est, quia non est minor libertas in Ioseph, quàm in Scipione. Simul etiam considerandum est, quid interfit inter castitatem Ioseph, & castitatem Scipionis. Rursus igitur de rectione Locomotiuæ dico, quia hæ actiones magis à populo intelliguntur, & multæ sunt in communi uita, ac prodest omnibus hominibus, ostendi, quomodo etiam hæc disciplina in Sanctis Deo placeat, & fiat cultus Dei, de qua dicit Paulus: Sugillo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne alijs prædicans ipse reprobus efficiar. Sic igitur perspicuè dico: Manet in sanctis libertas regendæ Locomotiuæ, quia Spiritus sanctus non debilitat naturam neruorum creatam à Deo, sed potius adiuuat, quia cogitatio uerbi Dei fit illustrior & firmior in Ioseph, accensa à filio Dei per doctrinam, & motus in corde excitantur à Spiritu sancto. In Scipione etiamsi est cogitatio legis: Non mœchaberis, Tamen in corde non ardet dilectio Dei, & sunt multæ errantes flammæ. In Achille cor est plenum ira, etiamsi manus reprimuntur.

Liberum arbitrium non tollit peccatũ & mortem.

Manet in sanctis libertas regendæ locomotiuæ.

In Ioseph & Scipione: In Dauide & Achille causæ uirtutum dissimiles.

In Dauide cùm parcit Sauli, cogitationes multæ diuinitus offeruntur, & in corde est ingens miseratio. Quare etiamsi foris hæc opera uidentur similia, tamen intus causæ dissimiles sunt. Filius Dei accendens cogitationem in mente per doctrinam, & Spiritus sanctus, excitans motus in corde, qualis ipse est, & uoluntas obtemperat uolens, non coacta. Dauid præsertim cùm haberet Spiritum sanctum, repugnare incendio adulterij poterat, & uolens peccat, nec necesse fuit rapere eum alterius coniugem. Repugnat Ioseph illecebris, & uolens repugnat. Vt igitur & externa bona opera minus impediantur naturæ infirmitate & insidijs Diaboli, & ut iustitia bonæ conscientiæ retineatur, intelligamus quàm magna auxilia Deus nobis donauerit. Filius depellit Diabolos, iuxta dictum: Adparuit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli. Item: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis: Datur & Spiritus sanctus, qui intus nos adiuuat, iuxta dictum: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ ac precum. Ac docet nos uox diuina de utraq; re, & de precatione & de diligentia, ut: Orate ne intretis in tentationem. Item, Semper orate. Item: Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritũ sanctum petentibus? Item, Accuratè ambulate, non ut fatui. Et Rom. 6. dulcissimè sequitur: Exhibete membra uestra arma iustitiæ Deo, etsi in Græco uerbo παρίστατε maior est Emphasis, admouete. Nominat autem MEMBRA, quod usitatè dicimus potentias omnes, interiora & exteriora membra. Vult lucere in mente ueras cogitationes de doctrina diuinitus tradita, uult uinci dubitationes, & confirmari adsensionem in ueris sententijs, uult refutari contraria. Deinde uult comitem esse uoluntatem Filij DEI docentis mentem, & SPIRITVS SANCTI trahentis seu ducentis, ut uerbo Pauli utamur, uult in corde reprimi praua incendia, uult sensus, linguam, manus frenari, uult uitari occasiones

Auxilia donata hominibus contra naturæ imbecillitatem & insidias diaboli.

ones lapsuum. Hęc uera, perspicua & utilia esse omnibus pijs manifestissimum est. Prodest enim utrunq; confirmari, inuocationem & diligentiam, & in his exercitijs crescit lux in mente.

Simul etiam cogitandum est, quomodo hęc obedientia Deo placeat, quę etsi in alijs ardentior est, in alijs languidior, tamen nequaquām satisfacit Legi Dei, sed pertinet ad iusticiam bonæ conscientiæ, de qua Paulus dicit: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Persona iusta est sola fide propter Mediatorem. Deinde placet obedientia, quæ est iusticia bonæ conscientiæ, quæ regitur inuocatione Dei & Spiritu sancto, & est fructus Spiritus sancti, & cultus Dei, quia petitur, sentitur & prædicatur auxilium Dei, & ostenditur quòd Deo hic honos tribuatur, qui in credente propter Filium placet, sicut Petrus inquit: Offerte hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum: & in ea agnitione auxilij diuini aguntur gratiæ Deo. Hanc totam doctrinam, quomodo disciplina & præstari possit & placeat, utilem esse omnibus pijs manifestum est. *Obedientia renatorum quomodo placeat Deo.*

Iam considerentur, & actiones propriæ uocationum, de quibus dicit Ieremias: Scio Domine, non est hominis uia eius. Verissimum est, mirandis modis à Deo colligi, gubernari, protegi, liberari & seruari Ecclesiam, & dari bonos euentus, ut dicitur Esaiæ 46. Ego feci, ego gestabo & saluabo, ego ipse etiam in senecta gestabo uos. Nec magnitudini & multitudini periculorum & negociorum pares esse humanas uires, multaq; accidere omnibus hominibus inextricabilia humanis consilijs & uiribus, manifestissimum est, ut cùm familia Nohæ seruatur in undis: multitudo Israël ad mare rubrum, Daniel inter Leones. Et singuli suas ærumnas, mitigationes & liberationes intueantur. Quanquām igitur ualdē multa fiunt à solo Deo in talibus liberationibus, tamen non delendæ sunt regulæ, quæ præcipiunt inuocationem, diligentiam ac laborem, qui etiam in renatis aliqua ex parte sunt uoluntatis, de quibus dicitur Rom: 12. Qui præest, præstet diligentiam. 1. Corinth: 4. Hoc requiritur, ut fideles simus. Vult Deus conspici suam præsentiam in Ecclesia in mirandis liberationibus, uult sciri quòd exaudiat inuocantes, & uult inuocari, uult etiam nos esse organa aliquorum laborum, quos & ipse adiuuat, sicut dicitur: Labor uester non est inanis in Domino. *Actiones propriæ uocationum.*

Sunt in renatis in interiore homine multi magni dolores de peccatis & de pœnis propris & publicis: & rursus consolationes, fides, inuocatio Dei, lætitia in Deo, initium dilectionis Dei, timor filialis, patientia. De hoc genere etiam fatendum est, multa fieri in omnibus sanctis, in quibus uoluntas habet se tantùm ut subiectum patiens, ut 2. Corinth: 1. dicitur: Excellenter onerati fuimus supra uires, ut desperemus de uita, & quidem ipsi in nobis responsum mortis habuimus, ne confidamus in nobis, sed in Deo, qui exuscitat mortuos, qui ex tanta morte nos liberauit & liberat: Sed tamen in communibus exercitijs fidei & inuocationis, quia Paulus dicit: Mente seruio Legi Dei, significat etiam uoluntatem, quatenus sanari cœpit, comitem esse Spiritus sancti. Et tamen restat in homine multum caliginis, dubitationis, & magna contumacia cordis, ut in uulnere quod sanari cœpit, magna pars adhuc restat putris & purulenta. Nomina enim regenerationis & renouationis significant aliquam fieri mutationem, in aliqua parte hominis, non significant tantùm inhabitationem sine mutatione nostri, sicut in arcam uestis imponitur. Ideò etiam præcipitur, *Multa fiunt à solo Deo.* *Multa fiunt in sanctis, in quibus se uoluntas habet ut subiectum patiens.* *Regeneratio & renouatio significat mutationem in nobis.*

pitur, ut illa initia fidei exerceamus, ſicut Paulus iubet Timotheum ἀναζωπυρεῖν donum Dei, quod in ipſo erat. Et 2.Corinth:6. Hortamur ne fruſtra gratiam Dei acceperitis. Manifeſtum eſt enim creſcere fidem collectione teſtimoniorum, & precatione, ut præcipit Paulus: Eſto aſſiduus & intentus in lectione, doctrina & conſolatione. Item: Sermo Chriſti habitet in uobis opulenter, in omni ſapientia, & docete & emendate uos mutuò. Item: Orate ne intretis in tentationem: Petite & accipietis.

Fit & ipſa precatio ardentior, cùm accedit cogitatio de periculis & calamitatibus noſtris & noſtrorum. Item de præcepto diuino, de promiſſionibus, & de præſentia Dei exaudientis inuocantes. Deniq; nihil dubium eſt, ocio & negligentia languefieri aut extingui dona, ſicut docet parabola de negociantibus, Matth:13.

Diſputationi de indignitate & electione opponenda.

Manifeſtum eſt & uariè oppugnari fidem in illis ipſis quoq;, qui ad Deum conuerſi, renati, & ſancti ſunt, cùm aut aſpiciunt ſuam infirmitatem, aut diſputant de electione. His certè opus eſt labore quærente dicta, quæ Deus conſolationis cauſa propoſuit. Indignitati opponantur dicta de gratuita reconciliatione propter Filium, & de interceſſione Filij, qui inquit: Pater dilige eos ea dilectione, qua me diligis. De Electione teneant conſolationem: Beati mortui qui in Domino moriuntur, nec inquirant ea, quæ Deus non iuſſit inquiri, ſicut Siracides inquit: Quæ præcepit tibi Deus, ſanctè cogita.

Retineant igitur conuerſi certitudinem, nec ſuccumbant dubitationi, quæ affert prophanitatem aut deſperationem. Sicut Tridentina Synodus fecerat decretum, ſemper dubitandum eſſe. Reuera ſtatuant pij, cùm in ueris doloribus eriguntur uoce Euangelij, tunc ſe & habere reconciliationem & Arrabonem Spiritum ſanctum. Nitantur autem Verbo, iuxta dictum: Sperauit anima mea in uerbo eius, ſperauit anima mea in Domino. Excuteretur autem Spiritus ſanctus, ſi uoluntas ſuccumberet dubitationi. Semper in hac uita in ſanctis durat hæc lucta de indignitate & de particularitate, & cùm uincit dubitatio, ſequuntur in corde fuga & fremitus aduerſus Deum, & odium Dei, aut horribilis prophanitas, aut deſperatio, ſicut Cain inquit: Maior eſt iniquitas mea, quàm ut remitti poſſit. Et de multis extant hiſtoriæ, qui deſperatione oppreſſi ſunt propter diſputationem de electione ſeu de particularitate, ut ante paucos annos quidam nomine Spiera in Italia hoc modo periit. Et ego memini quendam, qui huc uenit ut conſolationem audiret, ac fatebatur ſe ſæpè relapſum eſſe in adulteria. Hic cùm doceretur à Reuerendo Domino Paſtore, Doctore Pomerano, ut ſi doleret ſe peccaſſe, peteret abſolutionem, & crederet Euangelio, ac ſtatueret ſe uerè recipi à Deo gratis propter Filium, Ibi ille contrà, ſe fortaſſis non eſſe electum, diſputat, Paſtor iubet eum credere promiſſioni, omiſſa illa diſputatione. Tum ille ſpreta uoce promiſſionis inquit: Qualis hic Deus eſſet, qui me non poſſet damnare? Hæc eſt rationis imaginatio diſcedentis à uerbo Dei. Non eſt autem efficax Spiritus ſanctus in eo, qui ne uult quidem audire Euangelium, cùm ſcriptum ſit: Fides ex auditu eſt. Sint igitur noti fontes ueræ conſolationis, & ſciamus non ex Lege, nec ex ratione iudicandum eſſe, ſed ex Euangelio, quod filius Dei ex ſinu æterni Patris protulit. Inde contra indignitatem & contra uocem Cain opponamus meritum Filij, & promiſſionem de gratuita remiſſione: Gratia exuberat ſupra delictum. Item: Iuſtificati gratis fide: & audiamus dicta quæ præcipiunt ut Filio credamus.

In ſanctis ſemper durat lucta cum indignitate et particularitate.

Fontes cõſolationis ſumendi ex Euangelio.

mus. Hunc audite. Qui non credit iam iudicatus est. 1. Iohan: 5, Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Est autem & in plurimis renatis languida fides, & ut parua scintilla in magna caligine, & incoata nouitas est ut parua guttula collata ad amplitudinē Oceani. Nemo unius præcepti magnitudinem perspicit, & hærent in renatis multæ sordes & multa peccata, sicut Iob inquit: Verē scio, quōd non est iustus homo coram Deo. Hæc quanquàm ita sunt, & nostra miseria ueris doloribus deploranda est, ut Paulus clamat, Miser ego homo. Et in Psalmis dicitur, Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino. Item, Tibi tantūm sum peccator, &c. tamen uincat fides, qua statuant conuersi ad Deum se habere remissionem peccatorum, placere Deo, et iustos esse sola fide propter Mediatorem, quanquàm adhuc in nobis tanta est infirmitas & immundities, cui opponamus hæc dicta: Gratia exuberat supra delictum. Item: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Item: Infirmum in fide suscipite. Item, Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. In his exercitijs crescunt fides & alia dona Spiritus sancti.

In plurimis renatis fides languida est.

Hanc consolationem Papistæ delent, qui iubent manere in dubitatione. Enthusiastici uerò transferunt ā uerbo Dei et fide in simulatos afflatus: Iubent etiam manere in dubitatione, donec sentias te rapi, & cogi repugnantem ut credas. Contra hanc imaginationem etiam uoce Euangelij nos sustentemus. Regula firmissima est: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Quare conuersi non recidant in dubitationem, ita ut uincat dubitatio, quam sequuntur fuga & fremitus aduersus Deum, uel prophanitas uel desperatio, ut multi recidunt, de quibus dicitur Lucæ 18. Diabolus rapit uerbum ex corde eorum. Habent autem conuersi auxilium, quōd non aspernentur, uidelicet SPIRITVM SANCTVM, quem non contristent, sed cogitatione uerbi Dei & ardenti precatione excitent, sicut Paulus iubet Timotheum ἀναζωπυρεῖν donum Dei.

Contra dubitationem Papisticam & afflatus Enthusiasticorum.

Quanquām autem hi motus in alijs ardentiores, in alijs languidiores sunt, tamen etiam infirmi sciant, se debere & posse iuuante Spiritu sancto dubitationi repugnare. Et hic monendi sunt infirmi, ut in inuocatione cogitent de æterno Patre & Filio domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto: Cogitent quid inuocent, cur exaudiantur, & cur detur Spiritus sanctus, non existiment eum frustra dari, sed uelle Deum, ut & ipsum Spiritum sanctum agnoscamus, & magnitudinem doni cogitemus, & seriō petamus, sicut scriptum est: Quantō magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petētibus? Item, Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Ac multi etiamsi quid cogitent in precatione de redemtore Filio, tamen nihil cogitant de Spiritu sancto, neq; quid sit, neq; cur detur. Hic stupor deplorandus & emendandus est.

Etiam infirmi Spiritu sancto debent repugnare dubitationi.

Sicut igitur etiam conuersi postea consolatione erigendi sunt, ita in ipsa conuersione dicendum est ijs, qui iam habent dolores, ne maneant in dubitatione, donec ui cogantur credere, sed audiant & cogitent Euangelium, quo Deus est efficax & trahit corda, & sciant se tunc esse illos auditores, ad quos dictum est: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Item, Vbi habitabit Dominus? In spiritu contrito, humiliato & trementes sermones meos. Nec tales, qui sunt in ueris doloribus, turbandi sunt disputationibus de electione, de qua perspicua & firma consolatio est ex effectu sumenda:

In ipsa conuersione audiendum Euangelium, neq; expectanda coactio uiolenta.

menda: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Iam in præsentibus doloribus cogitent quid præceperit Deus, uidelicet ut audiant Euangelium, nec omisso Euangelio quærant alia. Regulam igitur teneant: Quæ præcipit Deus, hæc sanctè cogita. Nota sunt autem præcepta immutabilia: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Item de Filio: Hunc audite. Cur prius scire uis, an sis electus, quàm credis Euangelio?

De electione iudicãdum ex promißione uniuersali.

Sed dicunt illi disputatores, Euangelium tantùm ad electos pertinere. Ad id respondeo, etsi non omnes accipiunt consolationem (ut prius de adultero illo dixi) tamen promissio est uniuersalis, & certum est pertinere eam ad omnes qui eam accipiunt. Proponamus igitur nobis uniuersalia dicta: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Rom:10. Idem omnium Dominus diues in omnes, qui inuocant eum. Rom:11. Cõclusit Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium misereatur. 1. Tim:3. Deus uult omnes homines saluos fieri. Rom:2. Non est acceptio personarum apud Deum.

Mandatum immutabile, ut omnes credant Euangelio.

Deniq; manifestissimum est, mandatum Dei uniuersale & immutabile esse, ut omnes credant Filio, iuxta dictum: Hunc audite. Et in Psalmo: Beati omnes qui confidunt in eum. Hi qui sunt in doloribus, non maneant in dubitatione, quia id esset cumulare horribilia peccata, nolle audire filium Dei, nolle cogitare de immensa bonitate Dei, mittentis Filium, copulantem sibi humanam naturam, nolle credere promissioni, fremere aduersus Deum. Sed repugnent dubitationi. Cumq; disputant fidem Dei donum esse, sciant donari per uerbum, & sustentantem se uoce Euangelij uerè trahi Spiritu sancto incoante consolationem & accendente inuocationem, qua assiduè petendum est: Conuerte me Domine & conuertar. Item: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ. Hæc in docendo & cõsolando, & in ipsa experientia usum habent. Hoc modo & in scriptis & coràm Lutherus interrogantes consolatus est, ut multi norunt, qui adhuc uiuunt. Et congruunt hæc ad uetera dicta: Præcedente gratia, comitante uoluntate. Et Nazianzenus uerecundè loquens de uoluntate, sic ait: Πᾶν τὸ κατορθούμενον θεῷ δεῦ δόξαι, ἑκόντι δὲ τοῖς καλουμένοις καὶ οὕτω νένευσαι. Orditur à uerbo, uocari & trahi inquit uoluntatem, quæ non expectet coactionem, sed luctetur, ut assentiatur promissioni. Donec enim omnino repugnat uoluntas, nulla facta est conuersio. Ideò inquit Chrysostomus: ἕλκει μὲν ὁ θεὸς, βουλόμενον δὲ ἕλκει.

Fides Dei donum est, sed per uerbũ datur.

Semper Ecclesiam hi duo exercitus hostiles circumsident, Pelagiani & Enthusiastici. Pelagianorum similes fuerunt Pharisæi, & deinde Papistici, & magnæ legiones Monachorum, qui finxerunt externa disciplina Legi Dei satisfieri, & mereri homines illa umbra disciplinæ remissionem peccatorum, & iustos esse. Enthusiastici sunt, qui glorioſè iactitant adflatus sine uerbo Dei, ut Anabaptistæ, & Stenckfeldius multis uoluminibus contendit, Deum se communicare hominibus sine ministerio seu cogitatione doctrinæ. Postea accedere doctrinam, ut exterior homo habeat exercitium. Hæc fanatica prorsus improbanda sunt.

Pelagiani, Pharisæi, Papistæ & Monachi inter se similes.

Enthusiastæ, Anabaptistæ & Stenckfeldius inter se similes.

Alij non uolunt uideri tollere doctrinam, Et tamen remouent consolationem, quæ incoatur uerbo, cùm disputant promissionem particularem esse, & ponunt contradictorias uoluntates in Deo. His oppono dictum: Fides ex auditu est. Et quæ potest esse fides, si depellatur mens à promissione his ſulminibus?

Non ponendæ cõtradictoriæ uoluntates in Deo.

minibus? Fortassis nihil ad te pertinet promissio, Expecto uiolentos raptus & coactionem.

Scio alias disputationes horridiores à quibusdam moueri, quarum certē modum aliquem esse oportet. Ego his qui sunt in cœtu uocatorum, & sunt in doloribus, propono uniuersalem promissionem, Nec pono contradictorias in Deo uolūtates, & sæpē cogito agonem cuiusdam sancti uiri, qui subinde repetebat hanc uocem ante mortem: Lucerna pedibus meis VERBVM tuum. Vidimus ipsum Lutherum in suo quodam agone ego & alij, sæpē repetentem hoc dictum, Concluſit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Memini sanctam Matronam his uerbis sæpē repetitis in agone ostendere se uera consolatione erectam esse, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

Et nota est mihi DEI beneficio antiquitas. Congruit hæc sententia in qua acquiesco, cum sanioribus Scriptoribus piæ uetustatis. Et qui Augustinum durius interpretantur, iniuriam ei faciunt. Et tamen simul fateor plurima Deum in omnibus sanctis ita agere, ut uoluntas tantūm sit subiectum patiens. Interea tamen regula tenenda est, Fides ex auditu est, cogitatione promissionis nos sustentemus, repugnemus diffidentiæ, & inter ueros gemitus dicamus, Credo Domine, opem fer imbecillitati meæ.

ARTICVLVS XXIII.

An sola fide Homo iustificetur?

REspondeo planē & perspicuē: Vera est propositio, & firmissimē retinenda: Homo iustificatur sola fide, scilicet, coram Deo, & particula exclusiua expressa est à Paulo uocabulo GRATIS. Nec alia est sententia huius propositionis in Ecclesijs nostris, quām quæ est uerborum Pauli Rom. 3. Iustificamur autem Gratis ipsius gratia per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, quem posuit propiciatorem per fidem in sanguine eius. Et quomodo intelligantur uocabula & tota propositio, id ex longioribus scriptis sumi potest. *Vera est propositio, Homo iustificatur sola fide gratis.*

Ac nequaquām transformo Pauli dicta in Synecdochen Origenicam aut Stenckfeldianam, qui omnes sic interpretantur Paulum: Fide præparamur ad iusticiam, ut postea alia re, scilicet, alijs uirtutibus, Dilectione seu Nouitate, seu iusticia Essentiali simus iusti coram Deo, ut si dicas: Motu corpus anima male calefit, id est, præparatur ad calorem, ut postea alia re, scilicet, calore, sit calidum. Sic Papistę dicunt, Homo est iustus fide formata, qui hoc uolunt, non fide, sed cæteris uirtutibus hominem iustum esse. *Origenica & Stenckfeldiana synecdoche explodenda.* *Papistarum error.*

Idem sentit Osiander, sed nominat causam pro effectu: Homo est iustus Deo ipso habitante in homine, & efficiente nouas uirtutes. *Osiandri error.*

Etsi autem uerum est, cūm in conuersione fit uera consolatio fide per Spiritum sanctum, habitare Deum in cordibus, & incoari nouam obedientiam, Tamen semper statuendum est in hac uita, personam iustam esse coram Deo, sola fide, id est, habere remissionem peccatorum, & reconciliationem seu imputationem iusticiæ, placere seu acceptam esse personam Deo ad uitam æternam & hæreditatem uitæ æternæ sola fide, id est, fiducia Mediatoris, Vt quanquām in Paulo renato habitat Deus, ut sunt excellentes uirtutes, Tamen quia adhuc in eo peccatum est in hac uita, persona habet remissionem peccatorum,

ciliationem & imputationem iuſticiæ,& eſt iuſta, placens Deo,,& accepta ad uitam æternam ſola fide,id eſt,propter ſolum Mediatorem.

Hic intellectus propoſitionis confirmatur per hanc Antitheſin: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Item: Verē ſcio, quōd homo non ſit iuſtus coram Deo.

Alterum membrum Antitheſis: Iuſtificamur gratis fide propter Chriſtum.

De dicto Pauli, Iuſtificamur gratis fide.

Agnoſcit Paulus,ſe in iudicio Dei nec propter opera,nec propter excellentes uirtutes donatas ā Deo, iuſtum eſſe, id eſt, habere remiſſionem peccatorum, & imputationem iuſticiæ, & acceptum ad uitam æternam: Sed propter Mediatorem,ſola fide.Ita ſemper accedimus ad Deum fiducia ſolius Mediatoris,ſicut Daniel inquit: Non propter iuſticiam noſtram, ſed per miſericordiam propter Dominum exaudi nos.

Hanc conſolationem ueram & neceſſariam eſſe omnes pij intelligunt.Et tamen poſtquām perſona fide recepta eſt,& pacem habet apud Deum,ſequens nouitas eſt iuſticia,id eſt,obedientia congruens cum uerbo Dei,& in credente placens Deo, ſicut Petrus inquit: Offerte Deo hoſtias ſpirituales, acceptas Deo per Ieſum Chriſtum.

Qui non retinent excluſiuā delabuntur in Synecdochen.

Deinde qui non retinent Excluſiuam, delabuntur in Synecdochen Orienicam aut Papiſticam,etiamſi apud alios aliæ ſunt uerborum præſtigiæ, ut, quicunq; ſic interpretantur dictum: Fide ſumus iuſti, id eſt, impreſſa nouitate.Id cùm dicunt, diſſentiunt à ſeipſis, quia hæc dicta diſcrepant, Sola fide, & Sola nouitate.

Quomodo iuſtificetur homo corā Deo.

Clamat autem uniuerſa doctrina Prophetica & Apoſtolica,Sola miſericordia homines in hac uita certō propter Mediatorem iuſtos eſſe, & hæc miſericordia apprehenditur ſola fide, qua audientes promiſſionem reconciliationis,& intuentes FILIVM Dei Mediatorem ſuſtentamus nos in ueris doloribus, ſicut in Pſalmo dicitur: Saluum me fac propter miſericordiam tuam.

Et hac ipſa fide per Spiritum ſanctum fit conſolatio,& liberatio ex doloribus inferorum,de qua dicitur: Iuſtificati fide pacem habemus apud Deum.

Et hæc ipſa fides & pax,id eſt,lætitia,qua acquieſcimus in Deo,ſunt motus accenſi per Spiritum ſanctum, in quibus motibus uerē agnoſcuntur æternus Pater remittens peccata, Et filius Mediator, propter quem remittuntur peccata, & imputatur iuſticia,Et Spiritus ſanctus lætificans & uiuificans corda,ſicut Paulus inquit: Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus,Abba Pater.Item Epheſ. 1. Audito Euangelio credentes obſignati eſtis Spiritu ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis.

Etſi autem interdum ueteres ſcriptores negligentius locuti ſunt, tamen non dubium eſt,omnes conuerſos ad Deum teſtari, hanc ſententiam ueram eſſe,quam multi didicerunt etiam in ſua conuerſione, quanquām in explicando aliās magis,aliās minus planē loquuntur.

Teſtimonium Bernhardi de gratuita iuſtificatione.

Rectē loquitur Bernardus in ſermone triceſimo ſecundo in Cantico, ſi ſine calumnia intelligatur: Quiſquis pro peccatis compunctus eſurit & ſitit iuſticiam, & credit in te, qui iuſtificas impium,is per ſolam fidem iuſtificatus pacem habebit apud Deum. Hæc uerba rectè intellecta ſuffragantur noſtræ ſententiæ.

Teſtimonium Baſilij.

Sic & Baſilius particula SOLA FIDE uſus eſt in concione de Humilitate:

litate: Qui gloriatur,in Domino glorietur,dicens quòd Christus nobis factus sit sapientia à Deo,iusticia & sanctificatio,sicut scriptum est: Qui gloriatur,in Domino glorietur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio in Deo,quando neq; propter iusticiam suam quisquam effertur,sed agnoscit se indigere uera iusticia,Fide autem sola in Christum iustificari. Denicq; Antithesis consideretur.Pontificij delent consolationem, quæ est proprijssima uox Euangelij. Iubent enim semper dubitare,an sis in gratia. Hæc dubitatio cùm sit impia,necesse est contradictoriam sententiam retineri, quòd in conuersione oporteat fide accipi remissionem peccatorum, & statui quòd sis in gratia. Et hæc fides nititur sola misericordia propter Mediatorem promissa, iuxta dictum: Ideò ex fide gratis,ut sit firma promissio.

Pontificij cùm iubent dubitare, delent consolationẽ Euangelij.

Effectus dubitationis.

Hæc antithesis ualdẽ perspicuè refutat Pontificios. Quia ubi hæret dubitatio,quam docent, corda fugiunt Deum,non inuocant, & sequitur aut prophanitas aut desperatio, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt non credentes. Et Augustinus inquit: Precatio sine fide peccatum est. Et extant perspicua dicta sanctorum scriptorum, quæ simul & dubitationem prohibent & continent exclusiuam, Vt, Augustinus inquit: Totius fiduciæ certitudo est in precioso sanguine Christi.Item,Tota spes mea est in morte Domini mei &c.

Extant autem nostræ declarationes & confirmationes, ex quibus etiam sumatur responsio ad præstigias, quibus obruere ueritatem Pontificij conantur.

ARTICVLVS XXIIII.

An credant Bona opera facta in Dilectione, esse merita uitæ æternæ?

PLanè respondeo: Bona opera etiam renatorum nequaquãm sunt merita uitæ æternæ: sed simul gratis propter Filium Dei, sola fide, iustificatur homo & uiuificatur Spiritu sancto, & fit hæres uitæ æternæ, sicut expressè Paulus inquit: Donum Dei est uita æterna. Et Iohan: 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat,sed habeat uitam æternam.Item Iohan:17. Hæc est uita æterna,ut agnoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Item, 1.Iohan:5. Qui habet Filium,habet uitam, &c.

Bona opera renatorum nõ sunt merita uitæ æternæ.

Illustrat autem & hanc sententiam Antithesis: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item,Verè scio, quòd non sit homo iustus coram Deo. Ergo nostra obedientia non est meritum seu precium uitæ æternæ, seu res digna uita æterna.

Hanc consolationem, quæ est perspicua uox Euangelij, retineri necesse est.Nec inde sequitur,Bona opera non sunt meritum uitæ æternæ. Ergo cessa est licentia scelerum, sicut Antinomorum doctrina & uita sonant. His opponimus hanc firmissimam propositionem: Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus.Item 1.Corinth:6. Ne erretis, neq; scortatores, neq; Idolatræ,neq; mœchi,etc. regnum Dei possidebunt.Galat:5. Talia facientes regnum Dei non possidebunt. 1. Timoth: 1. Milita bonam militiam retinens Fidem & bonam conscientiam. Neq; enim filius Dei ideò sustinuit inefabiles dolores in agone & in morte, ut tu furenter laxes frenum omnibus cupiditatibus: sed uenit ut destruat opera Diaboli, Et sic destruit: Merito & Efficacia, Meretur nobis remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, do-

Non sequitur, Si bona opera non sunt meritum uitæ æternæ, Ergo concessa est licentia peccandi.

nationem Spiritus sancti & uitæ æternæ. Et est efficax per Euangelium, cũm fit remissio peccatorum, & imputatio iusticiæ. Aeternus Pater & Filius effundunt Spiritum sanctum in corda audientium Euangelium, ut dictum est, Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Accenditur in cordibus fides per Spiritum sanctum, qua fit consolatio, & lætitia acquiescens in Deo, quæ est testificatio quòd sis in gratia, & sis ereptus ex inferis.

Cum hac consolatione simul coniuncta est uera inuocatio, ideõ nominatur spiritus precum. Hæc est incoatio nouæ obedientiæ in cordibus, Quia Spiritus sanctus & alios tales motus accendit, qualis ipse est. Hanc incoationem nouæ obedientiæ fieri in uera conuersione seu regeneratione certum est. Et fieri ideò, quia filius Dei uenit, non ut stabiliat & augeat peccatum, sed ut destruat, & nos fiamus templa Dei.

Quanquàm autem hæc incoatio est ut scintilla in densa caligine, & adhuc hærent in nobis in hac uita multa peccata, dubitationes, praua incendia affectuum, iniusta securitas, & impatientia, omissiones & ignorantiæ: Tamen uox diuina discernit peccata. Manent peccata in sanctis in hac uita, sed non ea, quæ fiunt contra conscientiam. Ideò dicitur: Retinete fidem, & bonam conscientiam. Nec est in sanctis defensio Idolatriæ aut erroris, qui pugnat cum fundamento, id est, qui delet articulum fidei, siue fiat ea defensio ab intelligente, siue ã non intelligente pertinaciter. Scriptum est enim: Qui non credit iam iudicatus est. Et 2. Ioh: 1. Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Item, Fundamentum aliud ponere nemo potest præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.

Quæ peccata maneant in sanctis, quæ non.

Affirmo igitur perseuerantes in delictis cõtra conscientiam, item defensores idolorum aut errorum, tollentium aliquem articulum fidei, nequaquàm conuersos esse ad Deum.

Adfirmo etiam, labentes in talia scelera excutere Spiritum sanctum & fidem, Et rursus fieri reos æternæ pœnę, quorum aliqui redeuntes ad pœnitentiam, ut Aaron, Dauid, rursus ad Deum conuertuntur & recipiuntnr in gratiam. Multi non redeuntes, ut Saul, ruunt in æternas pœnas.

Hanc doctrinam expressè traditam esse in scriptis Propheticis & Apostolicis manifestum est. Vt, Ezechielis 18. 1. Cor: 6. &c. Quare Antinomi somniantes in Euangelio licentiam concedi ruendi in scelera contra conscientiam, pugnant cum articulis fidei, & sunt inter eos, qui transferunt gratiam in ἀσέλγειαν. Hanc horrendam descriptionem utile est diligenter considerare.

Non est extenuandum peccatum, quod reliquum est in Sanctis in hac uita, quod quò magis proficiunt pij, magis agnoscunt & deplorant, sicut Paulus inquit: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me legi peccati, quod est in membris meis. Ingens & horribilis cõfusio est dubitationum, cum quibus tamen scintilla Fidei, accensa per filium Dei uoce Euangelij & Spiritu sancto, assiduè luctatur. Nec fit ea luctatio sine ingentibus doloribus. Sentiuntur & magni fremitus impatientiæ, & incendia cupiditatis uindictæ, amorum & odiorum. De his inquit Paulus: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis. Item, Non regnet peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis ei: Nec exhibete membra uestra arma iniusticiæ.

Non est extenuandum peccatum reliquũ in sanctis.

Necesse est igitur discerni Regnans peccatum, & non regnans. Et furor

Antino-

Antinomorum execrandus est, qui securitatem carnalem confirmant, & delent cõuersionem, ac fingunt homines esse iustos Fide, etiam ruentes in scelera contra conscientiam. Hunc furorem damnamus: & tamen dicimus, nouam obedientiam nequaquãm esse meritum uitæ æternæ. *Furor Antinomorũ execrandus de fide existente cũ peccatis contra conscientiam.*

Erant in Latrone conuerso in cruce initia Nouæ obedientiæ: Lucebat in conuerso tanta Fides, ut agnosceret uitæ futuræ datorem esse hunc Iesum, quem non solùm mori uidet, sed etiam audit hanc tristissimam uocem emittentem: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Habebat igitur hic conuersus Latro hæc summa bona, quæ describuntur in hoc dicto: Hæc est uita æterna, ut agnoscant te solum uerum Deum, et quem misisti IESVM esse Christum. Agnoscebat uerum Deum, patrem huius Messiæ, & in fiducia Mediatoris eum inuocabat. Inuocabat & ipsum Messiam. Et cùm uera fuerit conuersio, dolores etiam in eo magni de peccatis fuerunt, quos ostendit, cùm fatetur se iuste puniri. Petiuit remissionem, cùm ait: Memento mei Domine, cùm ueneris in regnum tuum. Et audiuit absolutionem addito iuramento: Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso. *Exemplum latronis.*

Hac consolatione audita sentit anima se uiuificari Spiritu sancto, qui lætitiam, dilectionem Dei, & multas magnas uirtutes simul adferebat. Iamq; Deo gratias agebat, habebat bonum propositum, Volebat aliquo modo hanc iustam pœnam à Deo ordinatam, quia Deus uult conspici iusticiam suam & iram aduersus scelera, Præstabat patientiam & humilitatem iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei. Ostendebat fidem in confessione contra alterum latronem, & pios audientes confirmabat ac fiebat eis Apostolus in cruce pendens.

Hæc omnia nominantur in Paulo Ambulare in nouitate Spiritus, Roman: 7. Et nominantur fructus Spiritus ad Galatas.

Prodest autem & ad consolationem & ad excitandos nos, ut data dona exerceamus, scire, quomodo hæc incoata & exigua obedientia Deo placeat, Quia utrunq; sciendum est, Et quomodo persona placeat, Et quomodo placeat incoata obedientia & bona conscientia.

Vtor autem docendi causa his tribus admonitionibus in hac re, Nec impedio, si quis uelit hæc copiosius explicare. Vera tamen & perspicua & necessaria me dicere non dubito. *Quomodo placeat incoata obedientia.*

1. Necesse est in conuersione statuere, quòd persona placeat Deo propter Filium gratis sola fide.

2. Agnoscamus nos nequaquãm Legi satisfacere, sed hærere in nobis adhuc multa peccata, & has sordes uero dolore deploremus.

3. Tertiò, sciamus tamen incoandam esse obedientiam, & oportere in nobis esse bonum propositum non faciendi contra conscientiam. Et hanc incoatam obedientiam quanquãm languidam, tamen etiam placere propter Mediatorem in conuersis, qui & repugnant infirmitati suæ, & credunt eam sibi remitti propter Mediatorem.

Hæc exercitia fidei, in quotidiana inuocatione considerentur. Et quanquãm hęc obedientia nequaquãm meretur uitam æternam, tamen iuxta promissiones de operibus, Date & dabitur uobis, & similes, habet in hac uita præmia spiritualia & corporalia, iuxta consilium Dei, mitigationem multarum publicarũ & priuatarum calamitatũ, sicut uidua Sareptana nutritur tempore famis. *Noua obedientia habet præmia spiritualia & corporalia.*

famis. Et Abdemelech Eunucho, promittitur incolumitas in excidio Ieruſalem, quia extraxerat Ieremiam ex puteo, Ieremiæ 38. Et Eſaias inquit capite 33. Panis ei dabitur, et regem in decore ſuo uidebunt. Matth: 10. Si quis dabit potum aquæ uni ex minimis meorum propter doctrinam, Amen dico uobis, non perdet mercedem ſuam: Et ad Corinthios, Si nos iudicaremus ipſi, non iudicaremur à Domino, Aaron, Dauid, & innumerabiles homines, etiam electi, attrahunt pœnas ſuis lapſibus: Denique etſi uita æterna propter Filium Gratis datur: Tamen & ipſa eſt ampliſſima remuneratio pro ſanctorum obedientia, ut Matth: 5. dicitur, Merces ueſtra copioſa eſt in cœlis, Vt patrimonium uenit filio, non quia meretur, ſed quia natus eſt ex illo patre: Et tamen eſt officiorum compenſatio.

Hęc doctrina uera & utilis eſt ad exercitia piorum, Ac iudico de ea conſenſum eſſe in noſtris Eccleſijs. Nec dubito eam eſſe & uocem, & incorruptam ſententiam traditam in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis.

Cùm autem hæc repetitio breuis ſit, uolo eam intelligi, ut in alijs probatis ſcriptis Eccleſiarum noſtrarum prolixius recitatur. Abſit autem Sophiſtica, & ſit modus diſputationum.

Hoſtes doctrinæ de Bonis operibus duplices.

Etiam in hac quæſtione de operibus Eccleſiam omnibus ætatibus circumſederunt duo exercitus: Alter Superſtitioſorum, uidelicet, Phariſæi, Papiſtæ, Monachi, & horum ſimiles, qui deleta doctrina Fidei, ſomniarunt ſe meritis ſuis in cœlum aſcendere, ut in tabula Cebetis aſcenſus in uerticem montis pingitur. Alter eſt Antinomorum, in quo multi Cyclopica barbarie oderunt legum uincula, ut Sophiſta ille apud Platonem nominat Legem Tyrannum. Aliqui aſtuti aut faſcinati iactant Enthuſiaſmos, ut Anabaptiſtæ, & olim Peputiani, & alij ſimiles, qui tollunt diſcrimen peccatorum, dicũt ſe manere iuſtos etiam cùm ruunt in ſcelera contra conſcientiam. Quidam mihi interroganti, quid doceret de operibus, reſpondit: Deus non curat opera. Quãm tetra & barbarica hæc uox eſt? An Deus non diſcernit adulterium Dauidis & caſtitatem Ioſeph? Quidam hanc propoſitionem negant: Noua obedientia eſt debitum, quia ſit ſpontanea. Et memini quendam cùm contenderet non rectẽ dici, Nouam obedientiam neceſſariam eſſe, hoc Epiphonemate ingentes plauſus excitare: Das Mus iſt verſaltzen.

Hæc impudentia ſiue à barbarie, ſiue à uanitate ingeniorum orta, manifeſtẽ refutatur dicto Pauli: Debitores ſumus. Et in Epiſtola Iohannis dicitur: Et nos debemus nos mutuò diligere. Et Lucæ 17. dicitur: Serui inutiles ſumus, quia quod debuimus facere, fecimus.

Quid ſignificant uocabula, Debitum et Neceſſarium.

Significãt autem hæc duo uocabula Debitum & Neceſſarium, ordinem diuinum & immutabilem, quo creatura rationalis Deo creatori ſubiecta eſt, quem ordinem intelligit creatura rationalis & libera, & ſcit ſua libertate non turbandum eſſe.

Eſt autem inſulſa interpretatio & ἀκυρολογία dicere, Debitum & neceſſariam eſſe metu aut coactione extortum.

Ludant his ineptijs, ut uolunt homines Indocti, Temulenti, Præſtigiatores, nos ueram ſignificationem uocabulorum & uerba Chriſti & Apoſtolorum in ſententia natiua retineamus.

Non utor his uerbis: Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem, quia hac additione AD SALVTEM, intelligitur Meritum. Sed hanc propoſitionem

sitionem adfirmo ueram esse, & contra Antinomos constanter retinendam esse, Nouæ obedientiæ incoationem necessariam esse, quia hic ordo diuinus & immutabilis est, ut creatura rationalis Deo obediat. Et loquor de obedientia sequente conuersionem seu regenerationem. Ibi & propter causæ & effectus consensum, necessaria est incoatio obedientiæ, iuxta dictum: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei, id est, tales motus accendit Spiritus sanctus, qualis est ipse, & datur, ut renouetur in nobis imago Dei. Ideò & uanitatem sophismatis illius de sequenti obedientia reijcio, quòd dicit, Sola excludit non dignitatem tantùm, sed præsentiam obedientiæ. An in Elia, Baptista, Paulo, uolunt non esse præsentiam obedientiæ: Sed omitto longiorem disputationem, & hortor pios, ut Sophismatum præstigias fugiant, & oro filium Dei, ut nos gubernet.

Noua obedientia est necessaria contra Antinomos.

Expressè autem Papistas damno, qui dicunt se Bonis operibus mereri uitam æternam, contra dictum Pauli: Donum Dei est uita æterna. Et affirmo, immensa misericordia Dei propter Filium Mediatorem gratis sola fide, accipi remissionem peccatorum, imputationém iusticiæ, uiuificationem per Spiritum sanctum, & hæreditatem uitæ æternæ.

Damnati Papistæ & Antinomi.

Damno & Antinomos, qui uociferantur, Nouam obedientiam non esse necessariam nec debitum, & tollunt discrimen peccati regnantis & non regnantis, contra regulam: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

ARTICVLVS XXV.

An credant Sanctos, qui in cœlo viuunt, honorandos esse & inuocandos, & ab eis auxilium & intercessionem petendam esse?

REspondeo primùm de inuocatione, postea de honore. Affirmo omnes inuocationes, quæ fiunt ad res, quæ non cernuntur, quæ non sunt Deus, esse impias & damnatas. Hæc asseueratio confirmatur illo dicto: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Confirmatur etiam hoc argumento: Inuocatio tribuit omnipotentiam illi quod inuocatur, quia oportet inuocatum absentem uidere motus cordis. Solus Deus est scrutator cordium. Igitur solus Deus inuocandus est.

Inuocationes eorum qui non sunt Deus, sunt impiæ & damnatæ.

Itaq; de inuocatione hominum mortuorũ, etiamsi uiuunt in cœlo, sentiendum est idem quod de inuocatione statuarum, de qua dicitur: Fugite Idola, quia sancti homines non sunt scrutatores cordium. Nec dubium est, hanc tetram consuetudinem inuocandi homines mortuos ab Ethnicis exemplis ortam esse, quæ multipliciter abducit homines à Deo, & à uera inuocatione. Sæpè dixit Lutherus: Cùm multæ sint causæ, propter quas execranda est inuocatio hominum mortuorum, hanc inter cæteras sæpè cogitandam esse, quòd ea consuetudine obscuratum sit testimoniũ de diuinitate Christi. Prophetæ affirmant Messiam inuocandum esse, Ergo testantur esse omnipotentem, sicut & Iacob inuocat Christum: Benedicat Deus &c. & Angelus qui liberauit me ab omnibus malis. Id Argumentum obruitur tetra consuetudine inuocandi homines mortuos.

De inuocatione mortuorum & statuarum idem sentiendum, quod sit impia.

Consideretur autem impudentia scriptorum Bauarici Articuli. Iubent peti non solùm intercessionem, sed etiam auxilium, Alij uerecundiores, qui defendunt

Impudentia scriptorum Bauarici articuli

defendunt illas inuocationes, tantùm iubent petere interceſſionem. Iſti iubeant etiam petere auxilium, ut confirment multa ingentia ſcelera, Volunt hominib. tribui opera propria omnipotentiæ Dei, quòd liberent à morte, à morbis, à poteſtate Diaboli, quòd dent diuitias & felices euentus in omnibus negocijs. His petitionibus auxilij omnibus opponantur perſpicua teſtimonia, quæ præcipiunt à ſolo Deo petere auxilium fiducia Mediatoris Chriſti, iuxta dictum, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Oſeæ 13. Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex terra Aegypti. Deum præter me neſcias, Et ſaluator non eſt præter me. Itẽ, O mors, ero mors tua, ō inferne, ero peſtis tua. Pſalm: 49. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & honorificabis me. Eſaiæ 43. Ego ego Dominus, & non eſt præter me Saluator. Et Filius dicit: Ego uitam æternam do eis. Item de beneficijs corporalibus, Deut: 20. Ipſe eſt uita tua, & longitudo dierum. Item, Niſi Dominus ædificauerit domum, &c. Hoſeæ 2. Et neſciuit, quòd ego frumentum ei dederim, ideō rurſus auferam frumentum meum. Prouerb: 10. Benedictio Domini diuites facit.

Refutatio articuli de petitione auxilij à ſanctis & interceſſionis.

His & ſimilibus teſtimonijs confirmati ſciamus bona æterna et corporalia Dei beneficia eſſe, & contumelia Deum affici, cùm creaturis tribuitur omnipotentia. Alij minus impudentes non auxilium, ſed interceſſionem petendam eſſe ab hominibus, qui uiuunt in Eccleſia cœleſti, dicunt. Sed ſciamus ab æterno Patre unicum interceſſorem in arcano conſilio diuinitatis conſtitutum eſſe, ſcilicet Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. 1. Timoth: 2. Vnus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Rom: 8. Qui & interpellat pro nobis. Et Ebræos 7. Semper uiuens ut interpellet pro eis.

Non eſt interceſſio petenda à ſanctis.

Sciendum eſt autem, hæc duo in officio Mediatoris contineri: & interceſſionem & applicationem meritorum ipſius, propter quæ petit nos recipi, & gemitus noſtros audiri. Diſcernit igitur uera Eccleſia ſuam inuocationem ab omnium gentium inuocatione, quòd & uerum Deum alloquitur patefactum miſſo Filio & dato Euangelio. Et accedit fiducia Mediatoris, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, crucifixus pro nobis, & reſuſcitatus, & interpellans pro nobis, propter cuius merita & interpellationem ſciamus certō nos recipi & exaudiri, nec inuocationem noſtram inane murmur eſſe. Ideō uetus Eccleſia in precationibus ſemper addidit: Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et ualdē prodeſt, commonefactionis cauſa habere formam precationis plenius ſcriptam, qua diſcernatur inuocatio Chriſtiana ab Ethnicis.

Duo officia Mediatoris interceſſio & applicatio meritorū ipſius.

Deteſtandus eſt etiam Caniſius, qui ut ſtabiliat inuocationes hominum mortuorum, negat Chriſtum nunc pro nobis interpellare, cùm manifeſtē ſcriptum ſit ad Ebræos: Semper uiuens, ut interpellet pro eis. Et paſſim extant pia dicta ueterum ſcriptorum in hanc ſententiam, ut Cyprianus in precatione ante ſupplicium pag: 505, inquit: Ego in tuo nomine peto, ut tu à Patre petas, ut detur mihi. Et Euſebius lib: 10. hiſtor: Eccleſ: pag: 112. In Græco Codice: Magnus uniuerſæ Eccleſiæ Pontifex ipſe Ieſus unigenitus Dei, benē fragrantem odorem & incruentas & incorporeas hoſtias precum ab omnibus læto uultu & ſupinis manibus accipiens, cœleſti Patri & Deo omnium creaturarū, offert, primus ipſe adorans, & ſolus Patri dignum tribuens honorem. Deinde omnibus nobis placatum manere & propicium ſemper precans. Et apud Auguſtinum dicitur: Stat Filius ad deprecandū pro nobis, & ſedet ad iudicandū.

Chriſtus aſſiduè interpellat pro nobis, contra Caniſium.

Inuocatio abſentum per ſeſe tribuit omnipotentiam illis, qui inuocantur, quia teſtatur illos cernere motus cordiúm in omnibus ubiq; terrarum. Ideóq; inuocatio eſt Honos, qui tantùm Deo tribuendus eſt, & cùm Prophetæ docent inuocandum eſſe Meſſiam, teſtantur Deum ac omnipotentem eſſe. Deinde petitio auxilij etiam tantùm ad Deum facienda eſt. Quia dare uitam tollere morbos, dare res naſcentes, hæc & ſimilia ſunt etiam opera omnipotentiæ Dei. Tertiò, nec honos mediatoris & interceſſoris in ullam perſonam transferendus eſt, præter Chriſtum. Quartò, nullus cultus in Eccleſiam inuehendus eſt ſine teſtimonio uerbi Dei, iuxta dictum: Fruſtra colunt me mandatis hominum.

Inuocatio cur ſit honos ſoli Deo debitus.

Ex his cauſis manifeſtiſſimum eſt damnandas eſſe inuocationes, quæ fiunt ad creaturas. Et cùm tales inuocationes ſint manifeſti cultus Idolorum, non ſolùm in miniſterio Euangelij damnandæ ſunt uoce doctrinæ, ſed etiam à Magiſtratibus politicis prohibendæ ſunt, & ſtatuæ ad quas fiunt concurſus, aut etiam inuocationes, delendæ ſunt, ut in primo Præcepto dicitur: Non facias tibi ſculptile. Et Deut. 12. Confringite ſtatuas. Hæc præcepta rectè intellecta non tantùm ſunt ceremonialia, ſed etiam moralia, quia certiſſimum eſt Magiſtratum debere blaſphemos & Magos punire, & ut delet magica inſtrumenta, ita etiam falſæ inuocationis inſtrumenta auferat. Fiant autem hæc ordine per Magiſtratus, non ſeditioſis tumultibus.

Inuocationes creaturarum ſunt cultus Idolorum.

Cùm autem in inuocatione hominum mortuorum & ſtatuarum Pontificij manifeſtos cultus idolorum exerceant, & multa habeant exempla ſimilia turpitudinis Ethnicæ, ſciamus & hanc cauſam neceſſariam eſſe, cur ab eis ſeiuncti ſimus, uidelicet, ut fugiamus cultus Idolorum, ſicut ſæpè præceptum eſt, 2. Corint. 6. Nolite diſtrahi in diuerſum iugum cum gentibus.

Inuocatio mortuorum et ſtatuarum apud Pontificios inter cauſas diſceſſionis ab ipſis.

Excogitauerunt Pontificij adeò futilia ſophiſmata ad defenſionem huius impij quæſtus, ut non ſit opus longa refutatione. Affingunt interpretationem alieniſſimam dicto in Geneſ. cap: 48. Legit noſter interpres, Inuocetur ſuper eos nomen meum, & nomina patrum meorum Abraham, & Iſaac. Ibi nequaquàm loquitur Iacob de precatione facienda ad ſeſe, & ad Abraham, & ad Iſaac, ſed de nominandis his nepotibus nomine patrum, quæ nominatio teſtetur eos eſſe hæredes promiſſionum, quæ patribus factæ ſunt.

De dicto in Geneſi Inuocetur ſuper eos nomen meum etc.

Hæc eſt natiua ſententia, ut omnes norunt, quibus linguæ Ebrææ phraſis nota eſt. Nec uerò tantùm abijciamus impiam conſuetudinem inuocandi homines mortuos, ſed etiam diſcamus, & ſeriò exerceamus ueram inuocationem, quæ fit ad uerum Deum patefactum in Eccleſia miſſo filio & dato Euangelio. Et fiat inuocatio mentione & fiducia filij, & in ipſa precatione cogitatio noſtra ſeiungat ueram inuocationem ab Ethnica, Turcica, & omnium impiorum inuocationibus. Rectè cogitemus de eſſentia & uoluntate Dei, & recordemur capita doctrinæ, quæ de uera inuocatione ſæpè recitantur, noſq; confirmemus cogitatione uerbi diuini, & fide accedamus ad Deum, petamus & expectemus neceſſaria, ſicut dulciſſimè dicitur Epheſ. 3. Per hunc audacter accedimus in fiducia per fidem eius. Ebræos 4. Habentes talem ſummum Sacerdotem accedamus cum fiducia ad Thronum gratiæ, & accipiamus miſericordiam & gratiam. Talem inuocationem ſciamus ſummum cultum & proprium eſſe Eccleſiæ Dei. Deniq; & præcepta & promiſſiones ſæpè re-

Inuocatio uera ad Deum ſæpè exercēda

cordemur: ut, Petite & accipietis. Oportet ſemper orare, & non defatigari. Et in Syracide: Non ſis puſillanimis in precatione tua, id eſt, multa & magna petito, nec indignitate tua, nec dubitatione deterrearis à petendo.

Aliud inuocatio aliud honos Sanctorum.

Altera pars Bauarici Articuli inſidioſè interrogat de honore Sanctorum. Ipſi enim honorem intelligunt inuocationem, cùm longè aliud ſit honos, qui Sanctis tribuendus eſt, uidelicet, mentio ipſorum in Eccleſia propter ſex cauſas, quarum prima eſt: Vt perpetua hiſtoria Eccleſiæ aſpiciatur.

Prima cauſa propter quam eſt tribuendus honos ſanctis.

II. Secunda, ut teſtimonia de doctrina, de miniſterio docendi & de Eccleſia conſiderentur. Sunt enim edita miracula, factæ mirandæ uocationes, illuſtrata doctrina propter uniuerſam Eccleſiam.

III. Tertia, ut Deus celebretur, & ei gratiæ agantur, quòd ſe patefecit, tradidit doctrinam, oſtendit præſentiam ſuam in Eccleſia.

IIII. Quarta, ut exempla confirment fidem noſtram, cùm ſcimus ipſos exauditos & adiutos eſſe, ut in Pſalm. 33. dicitur: Iſte pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Igitur accedite.

V. Quinta, ut pro uocatione ſinguli eorum exempla imitemur.

VI. Sexta, ut ipſi etiam laudentur, quòd donis Dei benè uſi ſunt.

Neceſſe eſt enim noſſe uniuerſam hiſtoriam Eccleſiæ, quantum ſciri poteſt, & conferre conſenſum expreſſum in ſcriptis Propheticis, Apoſtolicis, Symbolis & ſcriptoribus uetuſtis ac purioribus, & diſcernere uerum genus doctrinæ proprium Eccleſiæ ab omnium temporum mendacijs & impoſturis. Et cùm cernis, quæ ſit uera Eccleſia, Deo gratiæ agantur, quòd ſe clementer patefecit, & ſemper æternum aliquem cœtum colligit, in qua conſideratione læteris ſciens eſſe aliquam ueram Eccleſiam, iuxta articulum Symboli: Credo eſſe Eccleſiam Catholicam, & te amplectentem idem doctrinæ genus membrum eſſe ueræ Eccleſiæ, recipi & exaudiri à Deo, & eſſe hæredem mirandæ ſocietatis & lætiſſimæ conſuetudinis cum Deo & cœleſti Eccleſia. Imiteris etiam certamina, inuocationem & alias uirtutes Sanctorum, qui ornati ſunt teſtimonijs diuinis, ut ſi de Dauide dicas, ordine eas per ſingulos articulos Symboli, & conſideres, quæ tradiderit teſtimonia illuſtria de filio Dei, & adiungas uetuſtiora & ſequentium in uera Eccleſia ſententias. Poſtea aſpicito teſtimonia, quæ Deus Dauidi tribuit in ſingularibus uictorijs, quæ oſtendunt huius uiri doctrinæ credendum eſſe. Occurret in eius hiſtoria & doctrina de recipiendis lapſis. Ibi adiungas ſimilia exempla, conuerſionem Aaronis, Manaſſę, Petri & aliorum, & accommodes ad dicta Euangelij, quæ affirmant recipi lapſos, ut Dominus inquit: Septuagies ſepties remitte. Sunt enim exempla ad regulas accommodanda. Hac integra conſideratione fidem confirmes, nec de uno homine dici utiliter poteſt, niſi & Symbola & omnium temporum Eccleſiam intuearis.

Hæc commemoratio utilis eſt, & gloriam Dei illuſtrat, deinde ornat ipſos quoq; qui ſunt domicilia Dei, & teſtes de eo, & ſunt ornati ingentibus uirtutibus, quæ etiam ſunt teſtimonia de Deo & præſentia Dei in Eccleſia.

ARTICVLVS XXVI.

An

An credant animas hominum, qui deceſſerunt antequàm ſatisfactionem integram præſtiterunt, & antequàm integrè purgati fuerunt, cruciari in igne purgatorio, & an eis opitulentur preces, Eleemoſynæ & oblationes, quæ pro eis in Eccleſia fiunt?

IN hoc Articulo impudenter oſtendunt Inquiſitores illi, ſe culinis & uentri ſuo patrocinari. Defendunt purgatorium, ne lucra, quæ habent ex inferijs funebribus, amittant, & multò uerius pro focis dimicant, quàm pro aris.

Vidi archetypum orationis, quam Græci legati exhibuerunt Cardinali Cuſano in Synodo Baſilienſi de purgatorio, in qua narrant ueteres ſuos ſcriptores nullam facere mentionem Purgatorij, & Chryſoſtomi interpretationem recitant de dicto Pauli ad Corinth. ubi inquit: Ipſe autem ſaluus erit ſic quaſi per ignem, id eſt, in tentationibus euaneſcent opiniones, quæ ſine uerbo Dei receptæ fuerant, & quaſi incendio tentationum conflagrabunt. Tunc enim neceſſe eſt quæri ueras conſolationes in uerbo Dei. *Veteres ſcriptores non meminerunt purgatorij.*

Auguſtinus in Enchiridio ita loquitur, ut dubitationem ſuam ſignificet. Incredibile non eſt eſſe ignem purgatorium, & quæri non poteſt, & latere nonnullos, &c.

Poſtea Gregorij ſpectris confirmata eſt opinio non ſolùm purgatorij, ſed etiam liberandarum animarum per ſacrificia. His ſpectris opponendum eſt mandatum Deuter. 19. Non quæras ueritatem à mortuis. Omnia enim hæc abominatur Dominus. Mouit etiam multos narratio in 2. Maccab. cap. 12. ubi dicitur: Duo millia drachmarum miſſa eſſe Ieroſolymam, ut pro mortuis ſacrificia fierent: & grata fuit ſacrificulis mentio drachmarum. Etſi liber 2. Maccabæorum Apocryphus eſt, ideoq; hoc teſtimonium aliqui reijciunt: Tamen fieri poteſt, ut acciderint illa apud Iudæos, quia apud ipſos quoq; multæ ſuperſtitiones & magni abuſus ſacrificiorum fuerunt. Certiſſimum eſt autem, ſacrificia Iudaica neq; uiuentibus neq; mortuis potuiſſe mereri remiſſionem culpæ neq; pœnæ poſt mortem, ſed fuiſſe exercitia uiuentium. *Spectris Gregorij confirmata eſt opinio purgatorij & liberandarum animarum.*

Teneatur autem uera doctrina tradita in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, quæ duas tantùm uias mortuis proponit. Affirmat conuerſos ad Deum & credentes, certò eſſe hæredes æternæ ſalutis, & non conuerſos ad Deum affirmat certò in æternas pœnas abijci. Hæc expreſſiſſimè docetur Concione Chriſti Matth. 25. nec proponitur media uia poſt mortem. Sic enim dicitur ad Ebre. 9. Omnibus hominibus conſtitutum eſt ſemel mori, deinde iudicium. Et contra opinionem de uia media, conſolantur conuerſos & credentes hæc dulciſſima dicta Iohan. 3. Qui credit non iudicatur. Iohan. 5. Amen amen dico uobis, qui uerbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, ſed tranſiuit à morte in uitam. Rom. 5. Iuſtificati fide pacem habemus apud Deum. Iam ſi eſſent pœnæ animarum credentium, quæ exuerunt corpora, eſſet horribilis ſenſus iræ Dei. Rom. 8. Si Chriſtus in uobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus uerò uiuit propter iuſticiam. Mortuo igitur corpore non reſtat peccatum in ſpiritu credente, qui eſt templum Dei, & huc congruit dictum: Hodie eris mecum in Paradiſo. Apocal: 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur mox. Certè, dicit Spiritus Apocal: 2. Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam. Poſſunt & multa talia dicta addi, quale eſt hoc Salomonis Prouer. *Doctrina Eccleſiæ tantùm duas uias mortuis proponit.*

14. Malicia ſua euertetur impius, & habet fiduciam iuſtus in morte ſua, Non igitur eſt in eo ſenſus iræ Dei in morte, & fuga quæ eſſet, ſi reſtarent pœnæ purgatorij. Præcidantur autem curioſæ quæſtiones de loco animarum his dictis: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Item, Hodie mecum eris in Paradiſo. Item, Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.

Hæc breuiter de quæſtione, An ſint pœnæ Purgatorij, dixi, & uolo expendi teſtimonia citata, quia conſolationes dulciſſimas continent.

Ritus ſatisfactionum in Eccleſia.

Deinde impudentia inquiſitorum conſideretur. Vaniſſima fabula eſt, quæ extruit Purgatorium ex Satisfactionibus. Fuerunt in Eccleſia olim ſpectacula, quibus recipiebantur lapſi, Stabant aliquot diebus extra locum Cœnæ Domini, ut conſpicerentur, ut alij commonefacti firmiores eſſent: Hæc ſpectacula nominabantur ἐπιτίμια & ſatisfactiones, & erant ritus ab hominibus exempli cauſa inſtituti, nihil pertinentes ad remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ aut ullarum pœnarum, quibus Deus peccata hominum punit. Conſuetudo autem ſumta fuit à uetuſtis Patribus, cuius umbram Ethnici retinuerunt, qui uolebant homicidas gerere ſigna reatus, ut gerit Oreſtes: Item Adraſtus, ut ſcirent homines uitandum eſſe eorum conuictum.

Monachi finxerũt ritus ſatisfactionum eſſe merita coram Deo.

Hos antiquos mores cùm ignorarent Monachi, finxerunt ritus illos eſſe merita coram Deo, & longa tela eſt mendaciorum, Dicunt culpam ita remitti, ut pœna æterna mutetur in pœnam Purgatorij. Poſtea dicunt pœnas purgatorij compenſari talibus ritibus, quos nominant ſatisfactiones, & has redimi poſtea ſinunt pecunia, emtis, ut nominant, indulgentijs.

Hæc deliramenta breuiter recito, quia pleriſq; iunioribus ignota ſunt, quos tamen prodeſt commonefieri, ut cogitent, qualibus præſtigijs doctrina Eccleſiæ corrupta fuerit. Ac ut quæſtus eſſet maior ex ſacrificijs funebribus, dixerunt oblationem Miſſarum longè precioſiorem eſſe omnibus ſatisfactionibus: De hac tota fabula breuis & firma reſpõſio eſt: Satisfactiones quas

De ſatisfactionib. Canonicis quid ſit ſentiendum.

nominant Canonicas, quæ ſunt operá indebita, nec neceſſariæ ſunt, nec merentur remiſſionem culpæ nec pœnæ æternæ, nec ullarum pœnarum temporalium in hac uita aut poſt hanc uitam, nec ſunt cultus Dei, nec placent Deo, iuxta dictum: Fruſtra colunt me mandatis hominum, &c.

Manifeſtum eſt igitur, falsõ ex ſatisfactionibus extrui Purgatorium, ſed firmiſſimè retinenda eſt uox Euangelij, quæ affirmat propter ſolius filij DEI obedientiam gratis ſimul remitti & culpam & pœnam æternam, nec pro culpa & pro pœna æterna eſt alia compenſatio, niſi obedientia filij Dei, iuxta hæc dicta: O mors, ero mors tua, & ero peſtis tua inferne. Item, Sanguis Chriſti purificat nos ab omnibus peccatis. Ad Ebræos 2. Vt per mortem aboleret eum, qui tenet potentiam mortis, uidelicet Diabolum, & liberaret hos, qui metu mortis in tota uita rei erant ſeruitutis. Zach. 9. Tu in ſanguine teſtamenti tui emittis uinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.

His & ſimilibus teſtimonijs perſpicuè refutantur deliramenta de Pontificijs ſatisfactionibus.

Oblatio in Miſſa eſt horrendus Idoli cultus.

Pauca etiam de oblatione dicam: Firmiſſima regula eſt. Nihil habere rationem Sacramenti extra uſum à filio Dei inſtitutum, quia inſtituere Sacramenta, quæ ſint teſtimonia gratiæ, id ſolius diuinæ autoritatis eſt, quæ promiſſionem gratiæ tradit. Manifeſtum eſt autem cœnam Domini inſtitutam eſſe, ut ſit ſumtio uiuentium, ut ibi fidem exerceant, qua credant ſe accipere beneficia

neficia Christi & esse membra eius. Nihil autem ad mortuos pertinet sumtio, quod manifestum est, nec instituta est oblatio. Cùm igitur oblatio pro mortuis opus sit toto genere diuersum ab institutione, fit horrendus Idoli cultus, qua de re pij diligenter cogitent, & puriorem antiquitatem intueantur, quæ certè non docet oblationem corporis aut sumtionem fieri pro mortuis, seu mereri eis remissionem ullius Pœnæ.

Postea uerò irrepsit mentio precationis pro mortuis, sicut paulatim in Ecclesiam sparsa sunt errorum semina, quia etiam sancti extruunt stipulas supra fundamentum. Deinde magnus accessit cumulus & horribilia idola in Ecclesiam collocata sunt, non solùm insciția et superstitione, sed dulcedine quęstus, sicut apud Danielem dicitur: Colent Deum Maozim auro & argento. Nec addo longiorem disputationem, sed affirmo illas oblationes pro mortuis, quas uendunt Pontificij, esse Idolorum cultus. Tenenda est autem regula: Fugite Idola. Quare sciamus & hanc causam iustam esse cur nos seiungamus ab illis Idolorum defensoribus.

ARTICVLVS XXVII.

An coniugium omnibus hominibus sine discrimine concessum sit?

RESpondeo. Necesse est omnes pios considerare, quæ sit uera Ecclesia Dei, quia in Symbolo dicimus: Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam.

Cùm autem lex Dei aliquo modo natura nota sit, demonstratio inde sumi potest, qui cœtus non sint Ecclesia Dei. *Qui cœtus nõ sint Ecclesia Dei demõstrantur ex lege.*

Quicunq; doctrinam contrariam ulli præcepto morali defendunt, hos non esse Ecclesiam Dei certum est.

Defendunt autem Pontificij contrarias primo præcepto inuocationes mortuorum & Idolorum. Defendunt item contrarias doctrinas præcepto, Non Mœchaberis, prohibent coniugium magnæ parti hominum, Presbyteris, Monachis & puellis inclusis in Monasteria, & causam præbent tetris confusionibus libidinum.

Opponatur ergo prohibitionibus Pontificijs Regula. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Dicit autem Paulus: Vitandæ scortationis causa, unusquisq; habeat uxorem suam. Hoc præceptum nec Pontificijs legibus nec uotis Monasticis tolli potest. *Prohibitioni coniugij apud Pontificios opponenda autoritas diuina.*

Hic simul consideretur, tristia peccata esse omnes contaminationes à Deo prohibitas, & Deum ualdè irasci omnibus, qui præcepta diuina de uagis commixtionibus uiolant, Ac iræ magnitudo primùm ex uoce diuina discatur. Loquitur Paulus de æternis pœnis primo Corinth. sexto. Ne erretis, Scortatores, adulteri, homicidæ &c. non possidebunt regnum Dei. Galatas quinto. Talia facientes regnum Dei non possidebunt. Ephesios quinto. Omnis scortator aut obscœnus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Dictum Leuitici comprehendit pœnas corporales & æternas: Omnis anima quæ fecerit has abominationes, peribit de populo suo, cauete ne uos talia facientes, terra euomat, sicut euomuit Cananæos. De utroq; genere pœnarum loquitur dictum ad Ebræos: Scortatores & adulteros puniet Deus. *Quanta peccata sint contaminationes prohibitæ à Deo.*

Pœnæ libidinũ ex hiſtorijs.

Deinde pœnarum exempla aſpiciantur. Conflagratio Sodomorum, de qua narratio in Geneſi oſtendit ipſum filium Dei fuiſſe executorem pœnæ. Deinde Clades Beniamin orta à rapta Leuitæ coniuge, Exilium Dauidis. Ideò autem pauca exempla in ſcriptis Propheticis recitantur, ut ſciamus Deum ſimiliter alijs pollutis iraſci, & eorum calamitates, pœnas eſſe, quibus Deus iram ſuam declarat. Vt quòd Oedipus hiatu terræ abſorptus eſt. Iocaſta mater inter duos filios interfectos iacens, ſibi ipſa mortem conſciſcit. Vagantur enim pœnæ per filios iuxta dictum: Peccata in ſemine puniuntur in ſemine: Per quæ quis peccat, per eadem punitur. Dauidis filij inter ſeſe dimicant, & filius ſeditionem mouet aduerſus patrem, Sæpè libidines fuerũt προκαταρκτικαὶ cauſæ ad delendas totas gentes, & ad magnas imperiorum mutationes, ut Paridis adulterium, ſcelus Sexti Tarquinij, clades Leuctrica ſecuta eſt ſtupra filiarum Scedaſi, quas Spartani nobiles compreſſas diſſecuerunt, poſtea cadauera in puteum abiecerunt.

Francis tempore Honorij urbs Treuirorum dedita eſt, quia Lucius præſes coniugem Senatoris rapuerat. Imperator Valentinianus tertius, propter adulterium interfectus eſt. Ac poſtea attractus eſt Genſericus in Italiam. Deniq; nulla ætas non habet exempla. Diſcamus igitur diuinas prohibitiones, & iudicium Dei metuamus. Nec uerò tantùm pœnas corporum in nobis ipſis & in filijs & filiabus morbos & neces timeamus, ſed etiam illam horribilem pœnam uitemus, de qua Paulus concionatur Rom. 1. & Epheſ. 4. uidelicet, cœcitatem, & ſtuporem, de quo dicit ad Epheſeos, qui cùm dedoluerint, tradunt ſe impudicitiæ. Hæ ſunt multò triſtiores pœnæ, quàm corporum cruciatus aut trucidationes. Et quidem hi furores attrahunt corporum exitia, ut in Thyeſte, Phoca & plurimis alijs apparet. E regione uerò conſideremus, quàm grata ſit Deo uirtus caſtitas, cuius hæc eſt definitio:

Caſtitatis definitio.

Caſtitas eſt uirtus à Deo præcepta, quæ uitat omnes prohibitas commixtiones, & prohibitas ſeminis effuſiones. Nec tantùm eſt in his, qui ſine immunditia cœlibes ſunt, ſed etiam in his, qui cùm ſint coniuges, leges coniugij non uiolant, quas Deus ſingulari ſapientia ordinauit in dicto: Erunt duo in carnem unam, id eſt, unus mas & una fœmina, legitimè & inſeparabiliter iuncti. Ibi expreſſo uerbo ſciamus legem, Non mœchaberis, in Paradiſo ſanctam eſſe. Eò autem de caſtitate diligentius cogitemus, quia perſpicuè diſcernit Deum ab omnibus immundis naturis, à Diabolis & hominibus. Etſi enim omnium uirtutum notitiæ præcipuè ob hanc cauſam traditæ ſunt, ut cogitemus qualis ſit Deus, & eum diſcernamus à malis naturis, tamen caſtitas præcipuè illuſtre diſcrimen facit, cumq; non amplectamur Deum brachijs, ſed cogitare in inuocatione debeamus quid alloquamur, neceſſe eſt proprietates Dei mente colligere, & ſtatuere nos alloqui creatorem, qui ſe patefecit miſſo filio, ſapientem, bonum, ueracem, caſtum, omnipotentem, liberum, iuſtum & iudicem, miſericordem & exaudientem nos propter Filium. His proprietatibus diſcernamus eum ab omnibus creaturis. Intelligenda eſt igitur doctrina de caſtitate, & amanda hæc ipſa uirtus, quam quidem Deus ingentibus præmijs ornat, ut oſtendit Hiſtoria Ioſeph.

Caſtitas diſcernit Deũ à naturis immundis.

Cùm igitur manifeſtum ſit, ſeueriſſimè præcipi caſtitatem, & mandatum ſit, ut uiuant in coniugijs caſtis omnes, qui extra coniugium ſe contaminant, deteſtan-

detestanda est lex Pontificia, quæ magnæ parti hominum coniugia prohibet quia nulla est autoritas legis pugnantis cum mandato diuino. Nec uota sint uincula, quæ cogant homines peccare, & horribilem iram Dei irritent. Ac præterquām quòd uota Monastica sunt de re impossibili plerisque, etiam aliæ multæ falsæ opiniones illis uotis implicitæ sunt. Firmissima est igitur responsio de loco Pauli ad Timoth. unde quidam ratiocinantur uiduas fuisse obligatas uotis. Etiamsi in prima Ecclesia Pauli tempore uota fuissent: tamen exemplum prorsus nihil ad uota Monastica pertineret, quæ obligant ad manifestum cultum Idolorum. Retinent enim Monachi impias uenditiones Missarum, adorationes panis, inuocationes mortuorum, adorationes statuarum, & multas falsas opiniones. Fingunt hæc uota & ritus non mandatos à Deo esse cultus Dei. Et quidem mereri remissionem peccatorum, & esse perfectionem. Cùm igitur obligatio fiat ad manifestos cultus Idolorum, perspicuum est, has obligationes irritas esse, quia omnibus uotis & legibus antepONendum est immutabile mandatum Dei, Fugite Idola. Hanc perspicuam & firmissimam responsionem, hi qui discedunt ex illis Idolorum contagijs opponant omnibus præstigijs, quibus aliqui tuentur opiniones Monachorum. Vt necesse fuit Ethnicos conuersos ad agnitionem ueri Dei discedere à sodalitijs Saliorum Martis, aut sacerdotijs aliorum Idolorum: Ita necesse est eos, qui intelligunt defendi Idola in Monasterijs, discedere ex illis sodalitijs. Nunc & de loco Pauli respondeo.

Lex Pontificia de cœlibatu detestanda.

Responsio de loco Pauli ad uiduas pertinente, contra uota Papistica.

Etiamsi tunc fuissent uota, tamen nulla fuisset obligatio ad impios cultus. Nec tamen intelligo primam fidem apud Paulum de cœlibatu, sed de prima fide, quæ amplectitur uocem Euangelij, & ueri Dei inuocationem accendit, & qua Spiritum sanctum accipimus, & hæredes æternæ uitæ efficimur: Hanc fidem excusso Spiritu sancto amittunt ruentes in delicta contra conscientiam, ut expressè Paulus inquit: Scortatores, adulteri, &c. non possidebunt regnum Dei. 1. Thessal: 4. Hæc est uoluntas Dei, sanctificatio uestri, abstinere à scortatione. Accusat autem Paulus illas mulieres non leuibus uerbis: Pruriens uiua mortua est. Nam uocabulum στραταλῶσα propriè significat prurientem, quod plus est quàm appetere delicias ciborum, sed est habere incendia libidinum, στράτος cutem significat, στατίζειν, στάτος τίλλειν, uellicare cutem, seu titillare, στατάλη pruritus seu titillatio cutis. Deinde καταξηνιᾶν, significat turgere seu distendi, saginatum & tumefactum esse contra Christum. His insignibus uerbis multi turpes motus pugnantes cum Castitate significantur. Hac salacitate dicit ueram fidem expulso Spiritu sancto extingui. Hæc est natiua significatio uerborum Pauli.

Primam fidem quam uocet Paulus.

Ostendunt autem historiæ citò in Ecclesiam irrepsisse uota & uincula cœlibatus, & multos fanaticos homines prorsus damnasse coniugia, alios probasse tetras confusiones libidinum, quorum exemplorum uetustatem considerare utile est, ut uideamus semper atrociter grassari Diabolum, & nos contra eorum furores cura discendi uoluntatem Dei, & assidua precatione muniamus. Non existimemus hanc ultimam & deliram mundi senectam minus habituram esse periculorum, quàm habuit illa ætas Apostolis proxima. Quò propius uident Diaboli accedere iudicium, in quo toti Ecclesiæ ostendetur

Vota & uincula cœlibatus citò in Ecclesiam irrepserunt.

detur illorum turpitudo, eò rabiosius sæuiunt, & natura hominum sit languidior, magis fatua, secura & incauta, ut ostendunt deliria opinionum, & ruinæ Imperiorum, helluationes, & multa fatua exempla in moribus. Sint igitur pij magis uigilantes, & sæpè repetant hanc Psalmi uocem: Non deficiat uirtus mea in senecta. Hæc admonitio de ultima ætate mundi sæpè diuinitus repetita est. Deberent igitur gubernatores tollere iniusta uincula, quæ sunt causæ magnorum scelerum, quæ horribiliter offendunt Deum. Hæc ipsa lex cœlibatus & Monastica uita, quanta agmina animarum auellunt à Deo, & in æterna supplicia præcipitant.

Narratio ex Clemente de fanaticis qui prohibuerunt coniugia.

Hæc mala cùm nota sint, non utar longa commemoratione, tantùm adijciam narrationem, quæ extat apud Clementem Alexandrinum, qui nominat fanaticos Tatianum, Cassium & alios, qui coniugia prorsus prohibuerunt. Hos ait recitasse colloquium Salomes & Christi, quod scribit extare in Euangelio Aegyptiorum. Interrogat Salome Christum, quando sit uenturum regnum Dei? Respondet Christus, Cùm cessabit opus mulieris. Inde ratiocinati sunt homines fanatici, Cùm generatio sit opus mulieris, tempore prædicationis Euangelij, quæ sit regnum Dei, cessare generationem & coniugium. Talis est Sophistica fanaticorum omnibus temporibus. Opus mulieris proprium, uidelicet opus Euæ, est initium peccati & mortis in genere humano. Generatio non est opus proprium Euæ, sed mirandum opus Dei, quod in natura hominum & condidit Deus, & in hac uita seruat usq; ad resurrectionem. Cessant autem in prædicatione Euangelij peccatum & mors æterna in ijs, qui fide accipiunt remissionem, & fiunt hæredes uitæ æternæ, iuxta dictum Iohannis 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Interea usq; ad resurrectionem manet hæc natura corporum talis, ut Dominus inquit Matth. 24. Erit sicut in diebus Noæ, comedent, bibent, ducent uxores & nubent 1. Cor. 7. Vitandæ scortationis causa unusquisq; suam uxorem habeat. Item, Si ducis uxorem, non peccas. Hæc dicta perspicuè refutant fanaticos illos, qui colloquium illud Salomes & Christi falsò interpretati sunt.

Est & alia responsio. Veniente regno Dei post resurrectionem, cessaturam esse generationem, Tunc quoq; prorsus cessant peccatum & mors.

Nec uerò in causa manifesta opus est longa disputatione. Cogitent pij seueriſſimum Dei mandatum, quod castitatem præcipit, & intueantur horrendam iram Dei aduersus contaminationes, quæ etiam in hac uita non solùm corporalibus malis puniuntur, ut in Dauide, sed etiam furoribus, ut in Nerone & innumerabilibus alijs. Est autem & inter summas pœnas hæc, quòd inuocatio quæ fit ab ijs, qui perseuerant in delictis contra conscientiam, non exauditur, iuxta dictum: Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item, Iustitia iusti non liberabit eum, quacunq; die peccauerit, scilicet, contra conscientiam, uel amittens fundamentum. Impietas impij non nocebit ei, quacunq; die conuersus fuerit.

Polluti qui inuocãt non exaudiuntur.

Hæc dicta sint in conspectu contra Antinomos, & Cyclopicam & Pontificiam profanitatem.

Quid tristius est quàm non posse inuocare Deum, non posse auxilium Dei petere, fremere aduersus eum, ut contra hostem? Deseruntur etiam à castis

Angelis,

Angelis,qui perseuerant in sceleribus contra conscientiam. Rursus, Quod præsidium maius est, quàm semper posse ad Deum confugere, scire te semper dextra Dei protegi, & te castorum Angelorum excubijs circumdatum esse, iuxta dictum: Angelis suis mandauit de te,ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Et quidem in coniugio pio, quod uerè est Ecclesia Dei, fortior est inuocatio coniugum. Crescunt enim dolores,intentio,fides, cùm coniunx coniugis dolorem,intentionem & fidem intuetur, Hæc sæpè cogitanda sunt, ut cura tuendæ castitatis confirmetur. Viuant igitur in legitimo & casto coniugio omnes, qui non sunt idonei ad cœlibatum, & mandatum Dei immutabile anteponant legibus Pontificijs & uotis,iuxta dictum: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.

Doctrina de coniugio in nostris Ecclesijs rectè traditur

Cùm autem tota doctrina de coniugio in Ecclesijs nostris rectè proponatur, iuxta doctrinam ā filio Dei & Apostolis traditam, læti Deo gratias agamus,quòd eius doctrinæ deprauatio semper testatur,eum cœtum qui corruptelam profitetur et defendit,non esse Ecclesiam DEI,sicut Ethnici & multi Hæretici,qui corruptelas professi sunt,non fuerunt membra Ecclesiæ Dei.

Prohibitio cõiugij, inter causas seiunctionis à Pontificijs.

Sciamus etiam nos iustissimam causam hanc quoq; seiunctionis ā Pontificijs habere, quia nemo debet prohibere coniugium ijs, qui non sunt idonei ad cœlibatū,Nemo etiam debet socius esse eius prohibitionis,& quidem societas prohibitionis, cùm per se est peccatum,tùm uerò etiā est societas parricidiorum, quibus illa prohibitio defenditur. Sunt autem hæ proprijssimæ Diabolorum furiæ, impulsiones ad Idola, ad mendacia, ad confusiones libidinum,& ad iniusta homicidia.

Hęc cõcurrunt omnia in defensione Pontificij cœlibatus,quæ uerè est societas cū Diabolo. Quare Deo gratias agāt,qui ab ea societate alieni sunt, nec frangamur animis, cùm dicimur autores schismatis, sicut Esaias nos consolatur,Nolite timere probra hominum. Item, Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Etiam Ethnicus Poëta Euripides in Heraclidis inquit: οὐ χρὴ τοσόνδ' ἀφέλειαν τιμᾶν θεοῦ, ὅσ' ἐμὶ φάσκων, ἔγνως μανθάνειν ἐλαύνει. Non igitur prohibeantur hi ueri cultus, quos Deus seueriſſimè præcipit, Legitimum coniugium,uera Dei inuocatio, & exercitia timoris Dei, fidei, inuocationis,dilectionis plurima in coniugio,sicut Paulus inquit: Saluatur mulier per generationem filiorum,si manserint in fide, dilectione, castitate,& modestia, quibus uerbis omnes uirtutes sanctæ matris complexus est.

RELIQVÆ SVNT INTERROGATIONES
DE STATVIS ET OSSIBVS SANCTORVM, ET de consecratione Salis & alijs. De quibus breuis sit responsio.

Alloqui statuas aut ossa sunt cultus Idolorum.

OMnia hæc impia sunt, & cultus Idolorum, alloqui ipsas statuas aut ossa, aut fingere Deum,aut sanctos magis in uno loco seu ad hanc statuam alligatos esse,quàm ad alia loca. Nihil differunt inuocantes, quæ fiunt ad Mariam Aquensem, seu Ratisbonensem ab inuocationibus Ethnicis, quæ fiebant ad Dianam Ephesiam,aut ad Iunonem Platæensem,aut ad alias statuas.Quòd uerò miracula narrantur, sciendum est, etiamsi qua miracula facta sunt, esse præstigias Diabolorum, Quia nullum miraculum recipiendum est contra hanc æternam legem,Dominum Deum tuum adorabis,& ipsi soli seruies.Deus uult

us uult esse efficax cum Sacramentis, quæ ipse instituit, & eo modo ibi est efficax, quem instituit, non aliter, ut non fingendum est Baptismo ablui lepram, Non fingendum est, per cœnam Domini dari felicem negociationem, Sed Deus eas res dat, quas promisit de usu quem instituit. Cæterùm exceptis Sacramentis, ut instituta sunt, alligare Deum ad ullam rem, quòd sit ibi magis efficax quàm alibi, est fabricare Idolum, & pugnat hæc imaginatio cum his dictis. Esa. 66. Cœlum sedes mea, terra scabellum pedum meorum, id est, Deus ubiq; adest. Quæ est ista domus quam ædificatis? Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu, & trementem sermones meos? id est, Quocunq; loco invocat Deum is, qui uerbo Dei regitur, hunc ibi uerè exaudit Deus. Et 1. Timoth. 2. Volo orare uiros in omni loco, leuantes sanctas manus, sine ira & sine hæsitatione, id est, Non frementes aduersus Deum, non dubitantes an sit prouidentia, an Deus curet homines, an te exaudiat. Et Ioan. 4. Prohibetur alligatio ad certum locum cùm dicitur: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate, id est, uerè agnitum iuxta uerbum eius, non fingendo aliquid esse Deum, quod non est Deus, sicut Mahometistæ, etsi dicunt se inuocare Creatorem cœli & terræ, tamen fingunt aliquid esse creatorem & Deum, quod neq; Deus neq; Creator est. Negant enim Creatorem esse patrem Domini nostri Iesu Christi, nec inuocant fiducia filij, Nec Papistæ inuocant fiducia filij, sed aut fiducia propriorum meritorum conantur ad Deum accedere, aut merguntur in dubitationem perpetuam. Est igitur inuocare in ueritate, inuocare Deum uerè agnitum iuxta uerbum ipsius. Spiritu inuocare est habere motus Spiritus sancti in corde, timorem & fidem, ne inuocatio sit simulatio. Deniq; nota sit integra doctrina de uera inuocatione Dei, ex qua sumi potest refutatio perspicua impiarum inuocationum. Certum est etiam ad Magistratuum officium pertinere curam delendi statuas quæ inuocantur, uel ad quas alligatur efficacia Dei aut sanctorum, sicut scriptum est Deut: 12. Dissipate aras eorum, & confringite statuas.

Alligare Deũ aliquò sine ipsius uerbo est fabricare Idolum.

Inuocare in ueritate & Spiritu.

In hoc Articulo rursus nobis proponamus quæstionem de Schismate. Vociferantur Aduersarij, non facienda esse schismata, ingens bonum esse concordiam, eamq; anteferendam paruis erratis. Sed his omnibus opponamus uocem primi Præcepti, Fugite Idola. Item, Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Quanquàm autem terribile nomen est Schismatis, tamen scimus nos cogi hoc æterno mandato Dei, Ne homines mortuos inuocemus, neq; ad statuas confugiamus, hanc tetram imaginationem circumferentes, uel Deum uel Sanctos magis exaudire ad hanc statuam, quàm alibi. Hæc non sunt parua errata, sed euersiones fundamenti, nouos Deos fingere, & Idola fabricare. Multæ autem causæ corrumpunt iudicia in hominibus, in quibus non est lux uerbi Dei. Vt enim in morbis furiosi errant, sic multi fascinati à Diabolis, non abhorrent à tetris opinionibus & exemplis. Habent applausores Stoici & Manichæi in manifestis mendacijs, quale hoc est, Omnia scelera necessariò fiunt. Non reformidabant Ethnici confusiones libidinum & mactationes filiorum. Talia Exempla ostendunt magnam potentiam Diabolorum esse in captiuandis hominum mentibus. Sed ut minus atrocia dicam, consuetudo etiam deprauat iudicia, sicut Aristoteles inquit: ὥς ἐιώθαμεν οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθ. Simonideum illud usitatum est: τὸ δοκεῖν βιάζεται τὴν ἀλήθειαν. Ethnicis Bacchanalia uide-

Quæ sint opponèda aduersarijs uociferantibus de schismate.

lia uidebantur esse tolerabiles ludi, sed cùm Antiochus ea Ierosolymæ fieri iussisset, cogitemus quanto in dolore sancti senes & sanctæ matronæ fuerint, cùm audirent inuocari Bacchum, uagari promiscuè uiros & mulieres, & rapi aliquas ad sceleratorum libidines. Ita quòd multi non abhorrent à compellatione statuarum & hominum, fit aut Diabolico furore, aut praua consuetudine, Sed hi, in quibus est lux uerbi Dei, cohorrescunt cùm cogitant se ad statuas fecisse inuocationes, & omnia talia spectacula abominantur, & quia sciunt mandata & doctrinam Dei de inuocatione, non metuant crimen Schismatis, sed sciant necessariò obtemperandum esse mandato diuino: Fugite Idola, etiamsi schismata discordiæ, supplicia & ruinæ Imperiorum sequuntur. Non de parua re certamen est, sed de fundamento, quod retineri necesse est. Multa magna scelera concurrunt in inuocatione hominum mortuorum, statuarum, & panis in circumgestatione, nec dubium est his Idolorum adorationibus pœnas in genere humano cumulari.

Necesse est obtemperare mãdato diuino de fugiendis Idolis.

Precemur autem filium Dei ueris gemitibus, ut & Idola destruat, & semper ueram Ecclesiam colligat, doceat, iuuet & augeat, propter gloriam Dei, & pœnas mitiget.

DE CONSECRATIONE.

IMpudentia est etiam, non insciția, postulare ut retineantur magicæ consecrationes olei, salis, aquæ, herbarum, Papistis usitatæ, quas tamen ludibrijs Sophismatum tueri multi conantur, uidelicet hoc argumento:

Consecrationes olei & similium magicæ sunt.

Dicenda est precatio ad mensam.

Ergo & in Ecclesia fiant consecrationes, Vt apparet ex uetustis Canonibus, multas res in templo allatas esse, & dictas esse precationes de illis rebus. Sed & ille ipse ritus in uetustis Canonibus, taxatus est. Erat enim imitatio sacrificiorum Ethnicorum, in quibus multa pomorum & liquorum genera offerebantur, ut cùm inter primitias Aegyptij offerebant & manducabant ficos, uociferantes, dulcis ueritas, existimabant se magnum cultum Deo præstare. Erant autem & hi ritus Ethnici κακοζηλίαι Patrum, sed superstitione cumulatæ. Breuiter autem de argumento respondeo.

Differunt precatio & consecratio magica.

Dicenda est ad mensam precatio,
Ergo fiant consecrationes olei, aquæ, in templis vsitatæ
Pontificijs.

Nego consequentiam. Et ratio est. Quia hæc nequaquàm sunt similia. Precatio ad mensam agit gratias pro rebus corporalibus, & petit felicem usum corporalem ordinatum à Deo. Consecratio Pontificia transfert res illas ad usum spiritualem contra ordinationem Dei, uidelicet, ad deletionem peccatorum, & ad depulsiones Diabolorum, ad infusionem gratiæ, & fingunt illas res esse Sacramenta, per quæ Deus sit efficax, sicut per Baptismum ab ipso ordinatum. Notum est autem Sacramenta gratiæ Dei, à nulla creatura institui posse. Ac magna circumspectione discrimen tuendum est inter usus corporales ordinatos, & inter usus spirituales. Deus arguit uerbo suo peccata nostra, & cùm in ueris doloribus promissionem audimus, & apud Deum consolationem iuxta promissionem quærimus, certò accipimus à Deo propter Filium gratis, sola fide, remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ & Spiritum

Precatio ad mensam. Consecratio Pontificia.

Sacramenta gratiæ à nulla creatura institui possunt.

Spiritum ſanctum, quo agnitio & inuocatio ueri Dei, & lætícia in corde accenduntur. Addit autem Deus promiſſioni gratiæ Sacramenta, per quæ uult nos confirmari, & nequaquàm uult ab hominibus noua Sacramenta excogitari, nec uult dare iuſticiam & uitam æternam ullo alio modo, niſi propter Filium, gratis, ſola fide, quæ audita uoce Euangelij à Spiritu ſancto accenditur. Non igitur fingendum eſt, ſale aut aqua deleri peccata, aut gratiam infundi in oleum. Hæ portentoſæ ſuperſtitiones execrandæ ſunt.

Vſus corporales ad quid ſint ordinati.

Vſus autem corporales aliter ordinati ſunt, uidelicet ad fines corporales creaturæ certæ conditę ſunt, quibus uult nos uti, alijs ut ſint cibi, alijs ut ſint potus, alijs ut ſint medicamenta, alijs ut ſint inſtrumenta &c. ſicut Deus mirabili ſapientia res diſtinxit. Ad hos ordinatos fines utendum eſt creaturis, de quib. Paulus inquit: Sanctificatur cibus per uerbum Dei & per precationem.

Quæ in uſu rerum corporalium ſint conſideranda.

Dulciſſima ſententia eſt, nec tantùm de cibis intelligatur, ſed doctrina communis eſt de uſu omnium rerum corporalium ordinato. Primùm enim quærant pij, an & quomodo Deus conceſſerit uſum cibi, coniugij, Magiſtratus, iudicij & militiæ, & aliorum laborum, iuxta dictum: In præceptis meis ambulate. Non ſit uita talis confuſio, ut faciant homines quidlibet ſine diſcrimine, ſed ordinata à Deo facienda ſunt. Non licet fratri ducere ſororem, non ſunt conceſſæ uagæ libidines, non licet graſſari rapinis & cædibus, ut faciunt Tyranni, non licet docere quaslibet doctrinas, ut Magicam aut Hæreticam, Sed ordinata à Deo facienda & docenda ſunt. Diſcamus igitur ex uerbo Dei, quid præceperit aut approbauerit Deus, & ſciamus conſcientiam regendam eſſe uerbo Dei, ut Zacharias & Eliſabeth uiuunt in coniugio bona conſcientia. Cornelius eſt miles Romanus bona conſcientia, ſcit Imperia ā Deo ordinata eſſe certo modo, & Romanos eſſe legitimos dominos illius populi. Baſilius eſt ſcholaſticus bona conſcientia, ſcit legi oportere ſcripta Prophetica & Apoſtolica, iuxta dictum: Attende lectioni &c. Ita uniuerſaliter regatur uita his dictis: In præceptis meis ambulate. Item, Milita bonā militiam habens fidem & bonam conſcientiam. Item: Nolite errare, Scortatores, adulteri, idolatræ, non poſſidebunt regnum Dei. Sit ergo opus conueniens legi. Præluceat autem fides, uerè agnoſcens filium Dei, & ſtatuens tibi Deum propicium eſſe, & te exaudiri propter Mediatorem, & accedat inuocatio, quę primùm gratias agat pro uita, uictu, defenſione & alijs. Deinde petat, ut opus ſit felix, ut Dauid agit gratias pro conſtituta patria, Deinde petit ſuam dextram regi in acie, quia ſcit uictoriam Dei opus eſſe. Coniuges petunt ſe & infirmam ſobolem protegi, quia ſciunt ſcriptum eſſe: Niſi Dominus ædificauerit domum, fruſtra laborant qui ædificant eam. Vident Zacharias & Eliſabeth, ubiq; uagari in Iudæa petulantiſſimos milites, ſicut nunc piæ familiæ Vngaricæ inter ſæuiſſimos Turcos degunt: Petunt igitur defenſionem ā Deo, iuxta dictum: Ego ero murus igneus in circuitu eorum. Item: Circumuallat angelus Domini timentes eum. Sic & Ioſaphat petit auxilium. Cùm neſcimus quid agendum ſit, ecce oculi noſtri ad te Deus tolluntur. Doctor petat regi mentes docentium & diſcentium, & dari ut labor ſit felix. Hæc omnia congruunt ad communes regulas uitæ: Commenda Deo uiam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet. Subditus eſto Deo, & ora eum. Iacta in Deum curam tuam, & ipſe te ſuſtentabit.

Cùm

Cùm igitur hæc concurrunt in uſu cibi, aut coniugij aut militiæ, aut aliarum rerum corporalium, uidelicet congruentia operis cum uerbo Dei, fides, gratiarum actio, & petitio auxilij, uſus ille fit ſanctus, id eſt, opus à Deo approbatum ſeu ſanctum, & Deo placens in credente. Vult igitur Deus exerceri cognitionem doctrinæ ſuæ, fidem & inuocationem, etiam in uſu corporalium rerum, ſicut & Filius Dei docet nos petere panem quotidianum, ſed finis ordinatus intuendus eſt. Ideò Paulus inquit: Sanctificatur cibus per uerbum Dei & per precationem.

Vſus rerum corporalium quomodo fit ſanctus.

Eò autem magis taxanda eſt Papiſtica conſuetudo in illis conſecrationibus, quia delet neceſſariam doctrinam de diſtinctione promiſſionis gratiæ & promiſſionis bonorum corporalium. Sæpè autem alibi de hac diſtinctione dixi, quam certè oportet in Eccleſia notiſſimam eſſe: Promiſſio gratiæ offert bona æterna, remiſſionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iuſticiæ, donationem Spiritus ſancti, & uitæ æternæ gratis propter Mediatorem, & ſemper certa & rata eſt, quandocunq; in conuerſione homo amplectitur eam fide intuens Mediatorem. Ideò dicitur, Nouum Teſtamentum æternum, & quia bona affert æterna, & quia certò ratum eſt credenti, etiam cùm deſtituimur omnibus bonis corporalibus, ſicut Iob inquit: Etiamſi occidet me, ſperabo in eum. Item, Viuo ego dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Ezechielis 33. Quacunq; die conuerſus fuerit impius, impietas non nocebit ei. Et Deus inquit: Septuagies ſepties remitte.

Conſecratio Papiſtica delet diſcrimen promiſſionis gratiæ & bonorum corporalium.

Talia dicta quæ propriè loquuntur de promiſſione gratiæ, ſemper in conſpectu ſint, & fides, quæ gratis propter Filium accipit remiſſionem, ſemper prælucere debet petitioni corporalium, & ab his longè diſcernenda eſt. Reprehenſus eſt Chryſoſtomus, quòd cùm alij Epiſcopi decretum facturi eſſent, ut ſemel tantùm poſt Baptiſmum lapſus agens pœnitentiam reciperetur, ipſe contrà dixit, inquiens: χιλιάκις μετανοήσας εἰσελθέτω. Id dictum oppoſuit Nouatianorum errori, quod rectè intellectum piis gratum ſit.

Promiſſio gratiæ ſemper prælucere debet petitioni rerũ corporalium.

Deinde uerò conſiderentur promiſſiones bonorum corporalium. Cogitetur ad quem uſum ordinata ſint. Sunt autem quinq; cauſæ propter quas Deus & corporalium bonorum promiſſiones tradidit.

Quinq; cauſæ propter quas tradita eſt promiſſio bonorũ corporalium.

Prima. Quia Deus uult nos præmunire contra Epicureas opiniones, quæ fingunt bona corporalia aut ſola humana induſtria parari, aut caſu obijci, ſicut Seneca inquit, Fortuna cœca manu ſpargit ſua munera. Aduerſus has tenebras docet nos DEVS non caſu, ſed uerè conſilio ſuo dari & auferri etiam hæc bona, ut dicitur in Prouerbijs: Benedictio Domini diuites facit. Item: Ego dedi eis frumentum. Item, Ipſe eſt uita tua, & longitudo dierum tuorum. Item Pſal. 33. Leones eſurierunt, timenti autem Dominum non deerit ullum bonum. Item Prouerb. 3. Corroſio à Domino in domo impij. I.

Secunda cauſa eſt. Vult Deus has promiſſiones teſtari ſe in hac mortali uita certo tempore etiam ſeruaturum eſſe Eccleſiam, quæ non eſſet, ſi Deus non tribueret uitæ ſpacia, uictum, mediocria hoſpitia, politias & œconomias. Ideò Dominus inquit: Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis: Scit Pater ueſter uos his rebus indigere. Et Eſai. 33. Panis ei datus eſt, Regem in decoro ſuo uidebit. Item 30. ubi mentio crucis addita eſt, Dabit uobis Dominus Doctorem, & panem & aquam cum tribulatione, & ocu- II.

li tui uidebunt Doctorem tuum. His teſtimonijs confirmati in tantis ruinis Imperiorum ſperemus Deum tamen aliqua hoſpitia Eccleſię ſeruaturum eſſe, & ut ſeruet petamus, & non turbemus ea morum petulantia, ſicut certē paulatim creſcunt in Imperijs confuſiones propter hominum peccata, ſicut oſtendit ſtatua Danielis, & Eſaias deplorat diſtractiones & diſtractionum cauſas, Iniquitates noſtræ ut uenti diſſipauerunt nos. Quām triſtia nunc ſunt hoſpitia Eccleſiæ ſub Turcis & Pontificijs Tyrannis. Hæc intuentes, petamus familijs noſtris & poſteris tranquilla hoſpitia, & Deo gratias agamus, ſicubi ſumus in politijs honeſtis.

III. Tertia cauſa. Promiſſiones bonorum corporalium traditæ ſunt, ut ea petantur, & fides & inuocatio in eorum petitione exerceantur. Cogitemus hæc eſſe beneficia Dei, & dari, ut Eccleſia in hac uita uiuere poſſit: Ad hunc ordinatum finem directa ſit petitio uitæ, ſanitatis, uictus, pacis, honeſti ſtatus politici, œconomiarum. Vult Deus hæc peti, & in his petitionibus de ſeſe & de ſuis operibus cogitari. Ideō expreſſē mandatum eſt: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, Et iubet Dominus nos petere panem quotidianum.

Promißiones corporales habent exceptionem crucis & caſtigationis.

Hic uerō etiam ſciamus promiſſiones corporales habere exceptionem crucis & caſtigationis. Non ſemper mox dantur corporalia quæ petimus, ut cùm Latro orat Deum, ne afficiatur legitimo ſupplicio, quia poſtulat Deus in corporalibus afflictionibus obedientiam, & in pœna ſcelerum & in cruce. Quanquàm igitur non ſubitō tolluntur omnes calamitates, tamen precatio non eſt irrita, ſed certum eſt impetrari aut ut mitigentur pœnæ, aut ut prorſus tollantur, iuxta dictum: Si peccata ueſtra fuerint ut coccinum, & ut uermiculus, eritis candidi ſicut nix, ſcilicet remota culpa & remotis pœnis.

Ad petitionem corporalium ſemper adiungenda gratiarum actio.

Semper autem ad petitionem adiungenda eſt gratiarum actio, ut confirmetur in mente aſſenſio, quòd & hæc bona corporalia reuera tribuantur ā Deo, iuxta dictum: Ipſe eſt uita tua, & longitudo dierum tuorum. Pſal. 32. Ecce oculi Domini ſuper timentes eum, & expectantes miſericordiam eius, ut eruat ā morte animas eorum, & alat eos in fame. Profundum malum eſt in hominibus dubitatio de prouidentia, & uidentur caſu ſpargi hæc bona, cùm ſæpē tribuantur & malis, ſed ſcito propter alios fines tribui, & te aſpicias, ſcias te quoq; indignum frui hac Dei beneficentia, & te paſci cum Eccleſia, quia uult Deus aliquam in hac uita Eccleſiam ſuperſtitem eſſe, Confirmes igitur aſſenſionem, & petas ā Deo hæc bona, et danti oſtendas gratitudinem hac ipſa confeſſione, quòd ipſe largiatur.

IIII. Quarta cauſa. Inuocatio propter corporalia ſemper ſit commonefactio de ſpiritualibus, quia in omnibus petitionibus oportet prælucere agnitionem Mediatoris & gratiæ, ac fidem, qua accipienda eſt remiſſio peccatorum, iuxta dictum: Peccatores Deus non exaudit. Item, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Item, Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Item in Prouerbijs: Oratio impij peccatum eſt. Vniuerſaliter igitur promiſſio corporalium ſit commonefactio de promiſſione gratiæ, & ſimul petantur bona æterna, ſicut in precatione uſitata hæc coniunguntur. Prima eſt enim promiſſio gratiæ, deinde cætera addita ſunt, ut ſit Eccleſia, ſicut initiō dictum eſt: Semen mulieris conculcabit caput ſerpentis. Poſtea addit: In labore comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Deinde ueſtitus datur. Et quidem interceſſio

terceſſio Filij in omnibus petitionibus cogitanda eſt,ſicut ipſe ait: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo,dabit uobis. Et 2. Cor. 1. Omnes promiſſiones Dei in ipſo ratæ ſunt.

Quinta cauſa. Vt promiſſiones illæ ſint teſtimonia de præſentia Dei in Eccleſia etiam in hac uita, quia promittunt auxilium, liberationes & protectiones etiam extra naturæ ordinem,ut præſentia Dei cernatur, iuxta dicta Pſal. 26. Pater & Mater dereliquerunt me,Dominus autem aſſumſit me. Pſal. 59. Da nobis auxilium in tribulatione, Vana ſalus hominis, in Deo faciemus uirtutem. 2. Corinth. 1. Excellenter onerati fuimus ſupra uires, ut deſperaremus ipſi de uita, & reſponſum mortis in nobis habuimus, ne confidamus in nobis ipſi, ſed in Deo, qui exuſcitat mortuos. Et cùm reuerſa multitudo ex Babylone nondum haberet loca munita, in quibus mulieres, pueri, ſenes aduerſus ſubitas irruptiones tuti eſſent, conſolatur eos Deus, inquiens: Non in exercitu,non in robore,ſed ſpiritu meo,dicit Dominus, Ego ero murus igneus in circuitu ueſtro. Eſai. 46. Qui geſtamini in utero meo,ego etiam in ſenecta uos geſtabo &c. Eſai. 40. Sicut paſtor in gremio ſuo geſtat agnos recens editos,ſic ego uos geſtabo &c. Hæc ita fieri exempla oſtendunt. Inter aſſidua latrocinia Iudaica, Syriaca, Parthica, Arabica, Aegyptiaca, Antiochi & Herodis tempore, tamen Deus mirabiliter protexit pias familias Simeonis, Zachariæ, Annæ, Mariæ, & alias multas, & quidē ita, ut honeſti congreſſus ad diſcendum & ad miniſterium publicum fieri poſſent. Ita nunc ſeruat & ſeruabit aliquas pias familias,& honeſtos cœtus,& ut gubernet ac ſeruet eos,toto eum pectore precemur. v.

Hanc doctrinam de diſcrimine promiſſionum, & de uſu rerum corporalium ordinato, de exercitijs fidei & inuocationis, in petendis beneficijs corporalib. iuſto ordine, Pontificij peruerſo rerum ordine,in ſuis conſecrationibus, quæ uel Magicæ ſunt, uel Idolorum cultus, obruunt. Ideò conſecrationes eorum,de quibus hic diximus, damnandæ & uitandæ ſunt.

Has reſponſiones de Bauaricis interrogationibus eò tradidi,quia Inquiſitores illi aſtutē in ipſa fronte nomina Eccleſiæ & Schiſmatis tanquàm Gorgonem nobis obijciunt. Terribile eſt autem nomen Schiſmatis, & ſemper Imperijs diſcordiæ exitiales ſunt. Ideò apud Reges & Principes alienos à nobis plurimum læduntur noſtri,cùm dicimur autores Schiſmatum & faces diſſidiorum. Sed huic crimini opponenda eſt hæc uera,neceſſaria & firma conſolatio. Mandatum Dei: Fugite Idola, anteferendum eſt & publicæ concordiæ,& uniuerſis huius uitæ mortalis commodis. Adiungenda eſt & hæc uox terribilis:Qui dixerit blaſphemiam contra Spiritum ſanctum,non remittetur ei. Vt igitur ſciant rudiores,habere nos cauſas neceſſarias diſſentiendi ab Aduerſarijs, & hæc certamina non eſſe λογομαχίας, nec nos ambitione, odijs, ſtulticia,errore nobis accerſere pericula, neceſſe eſt nos monſtrare Schiſmatis cauſas, in quo illi culpandi ſunt, qui manifeſta Idola colunt,& coli præcipiunt, & ut ea ſtabiliant, crudelitatem ſine fine exercent. A talibus diſſentire nos neceſſe eſt,iuxta dictum: Non communices alienis peccatis &c.

Schiſmati opponendū mandatum Dei.

SCio autem paſſim uagari Errones, Anabaptiſtas & alios, fanatica deliramenta circumferentes. Ideò in hoc Libello hanc admonitionem addam.

Vna uera Ecclesia cuius fundamentum est Christus.

Vnica est uera Ecclesia Dei, de qua dicimus in Symbolo: Credo esse sanctam Ecclesiam Catholicam, quæ etsi est languidum corpus, & multa habet infirma membra, tamen de fundamento consensum retinet, nec pertinaciter defendit Idola & errores pugnantes cum articulis fidei, iuxta dictum: Fundamentum aliud poni non potest præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Item, Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Item: Fac ut unum sint in nobis. In ea Ecclesia sola sunt electi, iuxta dictum: Quos elegit hos & uocauit. Ac dulcis consolatio omnibus pijs est, scire semper aliquas ueræ Ecclesiæ reliquias conseruari. Quoties igitur uerba Symboli recitamus: Credo esse sanctam Ecclesiam Catholicam, læti Deo gratias agamus, quod seruat aliquas ueræ Ecclesiæ reliquias, & circumspiciamus, quæ & ubi sint, & nos eis adiungamus consensu de doctrina, confessione & dilectione. Non uagemur opinionibus sine fine ut Pyrrhonij. Regulam igitur teneamus, quæ iubet nos ueræ Ecclesiæ ciues esse, ut dicitur Psalm 28. Vnum hoc requiro à Domino, ut habitem in domo Dei omnibus diebus uitæ meæ, ut uideam uoluntatem Domini & uisitem templum eius. Psalm. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine, elegi habitare potius ad limen domus Dei, quàm in Palatijs impiorum. Psalm. 91. Plantati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri florebunt. Et Psalm. 93. Non adhæret tibi sedes praua, quæ format corruptelas in præcepto. Et Psalm. 121. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem, prosperitas diligentibus te. Et 2. Iohan. 1. Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Est autem certissimum signum ueræ Ecclesiæ, doctrina Euangelij incorrupta, quàm cum sonet confessio Ecclesiarum nostrarum firmissimè retinens Symbola, & cum puriore antiquitate consentiens, & damnans contrariam doctrinam & Idola, affirmo nostras Ecclesias uerè esse membra Catholicæ Ecclesiæ Dei, & profiteor me earum ciuem esse, & ad earum societatem alios inuito, ut unum simus in Deo, & hortor, ne sint errones, qui nullius Ecclesiæ ciues esse uelint. Dignus est memoria dulcis uersiculus Nazianzeni: ζητῶ νῷ κίβωτον ὅπως μόρον ἂινὸν ἀλύξω.

Certissimũ signum ueræ Ecclesiæ doctrina incorrupta.

Refutatio illorum qui Mahometicã blasphemiam circumferunt.

Sumantur autem perspicuæ refutationes Anabaptistarum ex scriptis quæ sæpè repetiui. Nunc quia multi inter ipsos & alibi circumferunt Mahometicam blasphemiam contra filium Dei, quæ negat in Christo nato ex uirgine duas esse naturas, diuinam & humanam, tantum de ea controuersia hoc loco dicam, ut pij in quotidiana inuocatione habeant in conspectu illustria testimonia contra Mahometicos, Samosatenicos & Serueticos furores, Fit enim inuocatio firmior & ardentior, cùm uera testimonia intuetur.

Sicut Pharisæi cogitarunt Messiam fore excellentem uirum, qui domitis gentibus impositurus esset legem Moysi, & deleturus Idola, & facturus pacem politicam in genere humano, & nihil eum esse antequàm nasceretur ex muliere, nec fore in eo naturam diuinam, nec inuocandum esse, nec daturum æterna bona: Ita adhuc uiuentibus Apostolis Ebion & Cerinthus contenderunt in Christo non esse duas naturas, diuinam & humanam, & subinde hanc blasphemiam homines prophani renouarunt, ut Samosatenus, qui defensus est à Zenobia, quam uicit Aurelianus. Et iudico Arium, Nestorium & similes reipsa idem sensisse quod Samosatenus docuerat, etiamsi astutè nouis inuolucris eandem opinionem texerunt. Tandem Diaboli, armis & horribili regno Ma-

gno Mahometico hanc contumeliam Filij Dei ſtabilierunt. Eſt enim neruus & fundamentum regni Mahometici hæc blaſphemia, quòd in Chriſto non ſit diuina natura.

Fundamentum regni Mahometici blaſphemia contra Chriſtum.

Conſiderantes autem hanc totam potentiam oppoſitam filio Dei, ingenti dolore afficiamur, & clamemus ad ipſum filium Dei, ſicut ipſe precatur in agone patrem: Sanctifica nos fili Dei in ueritate, Sermo tuus eſt ueritas. Notum eſt autem & recens Seruetum renouaſſe Samoſatenicas blaſphemias & hunc multos Anabaptiſtas & alios ſequi.

Vt igitur initiò in conſpectu ſint inſignia, illuſtria & firma teſtimonia, quæ oſtendunt duas naturas diuinam & humanam eſſe in Chriſto nato ex uirgine, ſemper has duas proprietates diuinas tribui Chriſto conſideremus in uniuerſa ſcriptura Prophetica & Apoſtolica, uidelicet inuocationem & omnipotentiam. In ſcriptis Apoſtolicis teſtimonia ſunt de inuocatione illuſtria, Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Iohan. 3. Qui credit in filium habet uitam æternam. Act. 27. Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. 1. Theſſ. 3. Ipſe Deus & pater noſter & Dominus noſter Ieſus Chriſtus dirigat uiam noſtram ad uos. 2. Theſſ. 2. Ipſe Dominus noſter Chriſtus, & Deus & pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, confirmet uos in omni ſermone & bono opere. Inuocat & Iacob Gene. 48. Deus Abraham & Angelus qui eripuit me ex cunctis malis benedicat pueris iſtis. Pſalm. 2. Beati omnes qui confidunt in eum. Pſal. 72. Timebunt eum donec erunt Sol & Luna. Item, Deprecabuntur coram eo ſemper. Et perpetua inuocatio uſitata in Eccleſia, χριστὲ ἐλέησον, teſtimonium eſt de diuina natura in eo.

Teſtimonia quòd ſint duæ naturæ in Chriſto.

De omnipotentia manifeſtiſſima ſunt dicta in ſcriptura Prophetica & Apoſtolica, quòd Meſſias redditurus ſit iuſticiam & uitam æternam. Propria eſt autem naturæ diuinæ omnipotentia. Iohan. 15. Ego ſum uitis, uos palmites, ſine me nihil poteſtis facere. Matth. 18. Vbicunq; ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum.

Teſtimonia de omnipotentia Chriſti.

Talia dicta multa ſunt in conſpectu, quia non ſolùm de dogmate nos confirmant, ſed etiam dulciſſimas promiſſiones & conſolationes tradunt, quibus uerè eſt efficax filius Dei, & cor alloquitur, iuxta dicta, Fides ex auditu eſt. Euangelium eſt potentia Dei, ad ſalutem omni credenti. Deinde aſpicientur ſingularia teſtimonia, quæ ſunt aſſeuerationes de duabus naturis in Chriſto. Et quia Iohannes conſultò exorſus eſt deſcriptionem perſonæ Chriſti à diuina natura, id teſtimonium ſemper in conſpectu ſit. Et refutemus eluſiones & præſtigias, quibus Samoſatenus, Photinus & Seruetus eum locum obruere conati ſunt.

Nominat Iohannes æternam naturam in Chriſto λόγον, & hac appellatione expreſſè utitur in hac ſignificatione, non ſolùm in hoc exordio narrationis ſuæ, ſed etiam bis in Epiſtola. cap. 5. Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, λόγος & Spiritus ſanctus. Item in 1. cap. Epiſtolæ: Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis noſtris, quod aſpeximus, & quod manus noſtræ contrectauerunt de uerbo uitæ annunciamus uobis.

Æterna natura in Chriſto nominatur λόγος.

In Epiſtola ad Ebræos etiam expreſſè dicitur. Omnia per filium creata eſſe, & mox additur deſcriptio: Qui eſt ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ ὑποστάσεως

αὐτοῦ, id est, substantialis imago. Sunt igitur duæ proprię appellationes naturæ diuinæ filij, λόγος & imago æterni patris, quarum altera declarat alteram. Sed astutè Samosatenus dicta Iohannis elusit. Finxit λόγον non oportere intelligi λόγον ἐνεργούμενον seu ut nos dicimus, uiuentem & intelligentem personam. Sed satis esse, si intelligatur cogitatio seu decretum de uenturo redemtore homine, seu sonus ipse promissionis euanescens. Aduersus hanc elusionem astutè cogitatam benè muniamus nos & dictis Propheticis ac Apostolicis, & uetustæ Ecclesiæ testimonijs.

λόγος ὑυσιώδης apud Ignatium.

Ignatius nominat Christum λόγον ὑυσιώδη. Extat & Gregorij Neocæsarien sis confessio, qui uocatus fuit ad cognitionem contra Samosatenum dignissima memoria, quæ describit & discernit personas, Extant uerba lib. 7. Eusebij. Vnus Deus pater uerbi uiuentis, sapientiæ subsistentis, & imaginis suæ integer integræ genitor pater filij unigeniti. Vnus Dominus, solus ex solo imago patris, filius sempiternus ex sempiterno. Vnus Spiritus S. ex Deo substantiam habens, qui per filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia cognoscitur. Tertullianus contra Praxeam expressè quæstionem mouet, An λόγος apud Iohannem significet σῶμα, qua uoce intelligit personam, & affirmat λόγον ibi significare non sonum aut cogitationem euanescentem, sed quiddam ἐνεργούμενον, subsistens & intelligens. Irenæi uerba hæc sunt lib. 2. cap. 3. Ostenso manifestè quòd in principio λόγος existens apud Deũ, per quem omnia facta sunt, qui & semper affuit generi humano, hunc nouissimis temporibus secundum præfinitum tempus à Patre, unitum suo plasmati passibilem hominem factum misit.

Testimonia de Messia ante assumtionẽ humanæ naturæ.

Hæc sunt illustria testimonia laudatorum Scriptorum, qui fuerunt ante Nicenam Synodum. Teneantur autem in scriptis Propheticis & Apostolicis illa primum, quæ loquuntur de Messia ante assumtionem naturæ humanæ. Dominus inquit: Antequàm Abraham natus est, ego sum. Iohan. 17. Glorifica me ea gloria, quam habui apud te antequàm fuit mundus. 1. Corint. 10. inquit Paulus, Christum affuisse populo in deserto. Et Micheæ 5. Egressus eius ante dies mundi. Hæc uerba de Messia propriè dici non dubium est. Est igitur in Messia nato in Bethlehem altera natura ἐνεργουμένη, quæ fuit ante initium Mundi. Ac si λόγος tantùm significaret cogitationem non subsistentem seu sonum euanescentem, non posset dici, Antequàm Abraham natus est, ego sum. Congruit huc & dictum Iacob: Benedicat Deus his pueris & Angelus, qui liberauit me ex cunctis malis. Discernuntur Pater & Filius qui est angelus, id est, missa persona. Et dulcis consolatio proponitur in appellatione missionis, quia significatur nobis missum esse, ut sit noster redemtor & saluator. Adiungo & dictum Iob cap. 19. Scio quòd redemtor meus uiuit. Ergo est natura Messiæ ἐνεργουμένη ante assumtionem humanæ naturæ. Iohan. 5. Pater meus usq; modo operatur & ego operor. Ait se inde usq; ab initio mundi operari cum Patre. Est igitur λόγος ἐνεργούμενος. Idem deinde confirmant omnia dicta de omnipotentia & inuocatione Messiæ. Si λόγος significaret tantùm euanescentem sonum, non esset in Christo nato ex uirgine natura creatrix, omnipotens, & exaudiens. Expressè autem dicit Iohan. Mundus per ipsum factus est. Item, Quæcunq; Pater facit, hæc & filius similiter facit. Sicut Pater excitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Et illustre testimonium est

um est in Paulo ad Colloſ. ubi expreſſè de filio loquens ait per eum condita eſſe omnia, & per eum conſiſtere, & ipſum eſſe ante omnia.

Hæc cùm de natura humana non poſſint dici, manifeſta aſſeueratio eſt, quòd in hoc Chriſto nato ex uirgine ſit & maneat altera natura, quæ eſt diuina & creatrix cum Patre & Spiritu ſancto. Sic & Epiſtola ad Ebrços loquitur: nominat filium, & mox addit: Per quem & ſecula fecit.

In his teſtimonijs cùm uocabulorum perſpicua & unica ſit ſignificatio, non poſſunt aliæ peregrinæ interpretationes affingi. Quare pia mens agnoſcit ſe conuinci, & intelligit nullis præſtigijs ſophiſmatum labefactari poſſe proprietatem & certitudinem in his dictis: Neceſſe eſt igitur in exordio Iohannis intelligi λόγον ἐνσάρκον.

Adiungantur & Prophetarum teſtimonia. Ierem. 23. Et hoc eſt nomen quo uocabunt eum, Iehoua, iuſticia noſtra. Ibi tribuitur Chriſto nomen DEI proprium. Etſi autem Iudæi hoc teſtimonium ueteratoriè eludunt, tamen retineamus natiuam uerborum ſignificationem. Ait Meſſiam uocari, id eſt, inuocari, hac fide, quòd ſit germen Dauid & Deus omnipotens, qui reddat æterna bona, iuſticiam & uitam æternam. Hanc eſſe natiuam ſententiam manifeſtum eſt. Quoquo modo ludant Iudæi, certè Chriſto tribuitur hæc gloria quę ſoli Deo competit, quòd tollat peccatum & mortem, & reddat iuſticiam & uitam æternam Eſai. 7. Vocabitur nomen eius Emanuel. Et cap. 9. Vocabitur nomen eius Deus fortis, pater æternæ uitæ. Hic quoqꝫ præſtigias Iudæorum refutat aſſeueratio de omnipotentia, pater æternæ uitæ.

Pſal. 45. Concupiſcet rex decorem tuum, quia ipſe eſt Deus tuus, & adorabis eum. Dulcis conſolatio eſt, quòd ait, Meſſiam delectari pulcritudine Eccleſiæ, quæ tamen coram mundo ualdè deformis eſt, oppreſſa odijs & ſæuitia Regum, diſſipata, ſine certo imperio, plena pauorum, intra ſeſe ſentiens ſuam infirmitatem. Aduerſus hanc triſtem ſpeciem opponamus hoc dictum dulciſſimum de pulcritudine Eccleſiæ placentis Chriſto.

Pſal. 72. Ante Solem erit nomen eius, & benedicentur in eo omnes gentes. Eſtꝫ ſingularis emphaſis in uocabulo: Ante Solem gignitur hic filius.

Sunt autem duæ appellationes filij expreſſè in manifeſtis teſtimonijs Iohannis & Pauli, IMAGO & LOGOS: Quarum declaratio à ueteribus ſcriptoribus tradita, piè, reuerenter, & ſine cauillatione conſideranda eſt. *Duæ appellationes filij Imago & λόγος.*

Sumitur in declaratione ſimilitudo ab Anima hominis, in qua ſunt Mens, Cogitatio, quæ eſt imago rei cogitatæ, & Motus qui eſt impulſio ſpirituum. Hæc præcipua in nobis ipſis utcunqꝫ conſideremus, & ſciamus reuera mirandam fabricationem eſſe, quæ nunc in hac infirmitate noſtra non ſatis perſpici poteſt. Sed tamen commonefactio de Deo eſt. Aeternus pater eſt uelut mens, Hic ſeſe intuens & perfectè cognoſcens cogitatione illa gignit imaginem ſuam. Nos formamus imagines euaneſcentes, ſed ipſe gignit imaginem non euaneſcentem, ſed ἐνσάρκον καὶ ὁμοούσιον, & ut in Symbolo dicitur, Lumen de lumine, in qua imagine lucent patris ſapientia & bonitas. Cùm hac appellatione imaginis congruit altera appellatio, quia imago genita cogitatione eſt λόγος. Hac declaratione plurimum ueteres uſi ſunt, Baſilius, Nazianzenus, Auguſtinus & alij multi. Addit & hanc Nazianzenus, filium dici λόγον, quia ſit perſona immediatè proferens Euangelium ex ſinu æterni patris, alloquens Patres, conſeruans miniſterium Euangelij, & *Declaratio quare λόγος uocetur & imago.*

mediatè in eo efficax eſt,oſtendens patrem, ſicut inquit: Nemo nouit Patrem niſi Filius,& cui filius uult reuelare. Vnde & hoc dulciſſimum Argumentum extruit:

Filius protulit Euangelium ex ſinu æterni Patris ab initio,& oſtendit Patrem.

Hic idem filius natus eſt ex Virgine.

Eſt igitur hic filius ante aſſumſionem humanæ naturæ.

Hæc congruunt ad dictum: πλὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν.

Hæc declaratio περὶ λόγου ualde dulcis eſt piè eam conſideranti. Ipſe te alloquitur filius,qui adeſt in miniſterio externo Euangelij, ſicut & apud Eſaiam dicitur:Ego qui loquor ecce aſſum. Hic filius eſt uerax legatus & imago æterni Patris,profert ueriſſimè quod ſentit pater,uerè adeſt filius,exaudit,& eſt efficax in conſolatione, quæ ſonat in externo miniſterio. Et ad Epheſ. dicitur: Sedet ad dextram Patris dans dona hominibus, Apoſtolos,Prophetas,Euangeliſtas,Paſtores & Doctores. Et Athanaſius inquit: Patefecit ſe Pater hominibus per imaginem,in qua ipſe lucet.

Ex talibus dictis ſumit Nazianzenus hanc declarationem,dici λόγον ὅτι ἐξαγγελτικὸς ὄζει. Hæc declaratio minus obſcura eſt quàm altera,& ualdè dulcis.Eſt enim aliqua certa uocabulorum ſignificatio cogitanda, & tamen diſcerni filium qui eſt λόγος ἐνδιάθετος & imago æterni Patris à ſonis externis, & à noſtris cogitationibus in infinitum oportet. Et conſiderandum eſt,ubi diſertè ſcriptura de filio loquatur, ubi de doctrina & uoce reuelata. Hæc Stenckfeldius multipliciter confundit, qui negat externa uoce Euangelij Deum efficacem eſſe.

Reſponſio ad obiectionē de morte Chriſti, quòd propterea non ſit Deus.

Præcipuē uerō opponitur doctrinæ de natura diuina in Chriſto argumentum de morte:Chriſtus mortuus eſt.Non eſt igitur Deus.

Ad id argumentum uera & neceſſaria Reſponſio eſt. Cūm in Chriſto duæ ſint naturæ, quædam propria uni naturæ non impediunt, quo minus adſit altera natura. Propria ſunt hæc humanæ naturæ, lacerari membra, pati, mori. Ideō Petrus diſertè dixit, Chriſtum paſſum eſſe carne. Et Irenæus inquit,Chriſtum crucifixum & mortuum eſſe quieſcente uerbo, ἡσυχάζοντος τοῦ λόγου, id eſt, diuina natura non eſt lacerata aut mortua, ſed non uſa eſt potentia ſua, non exercuit ſuas uires. Citat hoc dictum & alia multa Theodoretus in dialogo tertio. Et inter decreta in Synodo Damaſi Theodoſij primi tempore facta,legitur: Si quis dicit quōd in paſſione crucis dolorem ſuſtinuerit filius Dei diuinitate & non carne & anima rationali, quam aſſumſit in forma ſerui, anathema ſit. Heronymi uerba ſunt hæc in Confeſſione ſcripta ad Damaſum: Secundum illud paſſus eſt quod pati poterat, id eſt, non ſecundum illam ſubſtantiam, quæ aſſumſit, ſed ſecundum illam quæ aſſumta eſt. Ipſe enim filius ſecundum ſuam Deitatem non poteſt mori. Et Athanaſius in libro de incarnatione uerbi pagina 28. Cūm non eſſet poſſibile ipſum mori uerbum,quippe immortalem Patris filium, corpus ſibi quod mori poſſet aſſumſit. Caſtè & reuerenter uſitatæ formæ loquēdi in Eccleſia retinendæ ſunt.Nemo ſic locutus eſt:Chriſtus mortuus eſt ſecundū utrancq; naturā, Imō particula κατὰ expreſſè diſtinctiua eſt Rom. 1. de filio nato ex ſemine Dauid ſecundum carnem κατὰ σάρκα. Et in Actis cap.2. Secundum carnem reſurrecturum eſſe Chriſtum.Inde

& alij

& alij particulam κατὰ sumserunt, ut Hieronym: Passus est secundum naturam assumtam. Et Theodoretus dialogo secundo pag. 24. κατὰ τὴν προσλῆψιν σαρκος ἐσαύρωται. Et considerandum est quas formas loquendi uetus & purior Ecclesia receperit.

Quas formas loquendi uetus & purior Ecclesia receperit.

Nequaquam dicitur in Abstracto, Natura diuina est humana. Sed in Concreto dicitur, Deus est homo, cùm de Christo nato ex uirgine loquimur. Item, Deus est natus ex uirgine: Deus est passus. Et nominatur hæc forma loquendi communicatio Idiomatum, quæ est prædicatio, in qua proprietas unius naturæ, dicitur de persona in concreto, & significatur in Christo duas esse naturas, non tantùm ita, ut altera sit socia & separabilis, sicut in Elia & alijs Sanctis adest Deus societate, ut auxiliator, & separabiliter, sed sic, quòd λόγος assumserit humanam naturam miranda unione inseparabili & personali.

Communicatio Idiomatũ quid sit.

De hoc modo loquendi inquit Theodoretus pag. 67. κοινὰ τοῦ προσώπου γέγονε τὰ τῶν φύσεων ἴδια. Et pag. 68. οὐ σύγχυσιν εἰργάσατο τῶν φύσεων, ἀλλ' κοινότητα τῶν ὀνομάτων.

In controuersijs Nestorij & Eutychis necessaria fuit diligentia discernendi modos loquendi. Nestorius enim uociferabatur: Noli gloriari Iudæe, non enim Deum sed hominem crucifixisti. In his uerbis insidias non cernebat populus. Quare magna multitudo Nestorium defendit. Aduersabantur autem ei saniores, qui intelligebant quo tenderet Nestorius. Re ipsa enim hoc sentiebat, Sicut in Elia fuit diuinitas tanquàm socia & auxiliatrix & separabiliter, sic in Christo λόγον adesse ut socium, nec uolebat duas esse naturas in Christo, unitas unione hypostatica. Existimo autem Nestorium Samosateni & similium blasphemiam astutè renouasse, sed fucatam artificiosius. Non igitur λογομαχία erat certamen Orthodoxorum aduersantium Nestorio, sicut tunc quoq; multi uociferabantur, sed de re maxima pugnabatur. Necesse fuit retineri hanc sententiam: Infinitum discrimen inter Christum & Eliam esse, & in Christo nato ex uirgine sic esse duas naturas, λόγον & humanam, ut λόγος sit missus, ut assumta humana natura sit saluator, atq; ita semen mulieris conterat caput serpentis. Ac ut aliquo modo indicari posset unio personalis, uetustas usa est similitudine copulationis corporis & animæ in homine. Hæc similitudo sæpè repetita est ab Athanasio & Cyrillo, & uerba hæc apud Iustinum leguntur digna memoria: τίνες μὲν τὴν ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἁρμόδιον γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατὰ τί γοῦν.

De formulis reiectis & approbatis in controuersia Nestorij & Eutyches.

Nestorius sensit quod diuinitas Christo adfuerit tanquam socia.

Vt igitur non dicimus, Anima est corpus, & tamen de integro homine dicimus: Homo uidet, numerat, Ita dicitur, Christus dormit, patitur, etiamsi non dicimus, natura diuina dormit aut patitur. Inde distinctio tradita est inter propositiones in abstracto & concreto. Non dicitur, Natura diuina est passa, Sed Christus est passus, qui est Deus & homo. Estq; utilis hæc distinctio ad explicanda multa scripturæ dicta. Antequam Abraham natus est, ego sum. Aspicient me quem confixerunt, Tales propositiones intelligantur dici communicatione Idiomatum. Reuerenter autem cogitemus & loquamur, & fontes consideremus, ac sæpè intueamur testimonia fidem confirmantia de utraq; natura, ut gloriam filij Dei agnoscamus, & potentiæ ipsius ac præsentiæ cogitatione nos confirmemus, non sauciemus mentes inextricabilibus cauillationibus.

Eutyches

Eutyches finxit confusionē naturarum.

Eutyches post Nestorium confusionem naturarum finxit, quasi conuersa esset humana in diuinam τὸ λόγου, & retinuit has propositiones: Natura diuina est passa & mortua & interpretatus est dictum, Verbum caro factum est, hoc modo: Verbum factum est carneum. Existimo autem hunc quoq; tectē renouasse Samosateni blasphemiam. Latē autem uagata est hæc pestis, & diu hæsit, uidelicet ā fine Theodosij secundi usq; ad Iustinianum. Cumq; Theodosius secundam Ephesinam Synodum indixisset propter eam controuersiam, tanta fuit rabies in defensoribus Eutychis, ut Flauianus Constantinopolitanus Episcopus uerberibus expulsus ex confessu postea mortuus sit. Propter eos tumultus Synodus illa dicta est λῃστικὴ. Quadriennio post Martianus Synodum Chalcedonensem indixit, quæ decreta fecit pia contra confusionem naturarum in Christo, nec tamen extinctum est illud incendium, sed multi Episcopi etiam postea magnis contentionibus Synodo Chalcedonensi aduersati sunt. Accuratē autem refutarunt Eutychen Theodoretus & Vigilius Martyr.

Hæc breuiter adieci, ut pij commonefiant de ueteribus Ecclesiæ certaminibus & iudicijs, & cogitent de fontibus. Suprā recitaui dictum Petri, qui ait, Christum passum carne, & addidi alia quædam uetera dicta, quæ sint in conspectu, & opponantur Stenckfeldij & aliorum clamoribus, qui audacter similia spargunt Eutychianis, & delent doctrinam de communicatione Idiomatum. In his quorundam tanta est petulantia, ut fingant duplicem communicationem Idiomatum, aliam Dialecticam, aliam Physicam, quæ est confusio naturarum.

Hæc prolixius commemorare nolo, quia infirmi facilē sauciantur, cūm audiunt cauillationes illorum præstigiatorum. Vtilius est sæpē cogitare illustria testimonia, quæ fidem de utraq; natura in Christo confirmant, & nos excitant, ut læti ad eum accedamus in inuocatione, sicut ipse præcipit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Item, Ego sum uitis, uos palmites, Sine me nihil potestis facere. Et ut Ieremias inquit, Inuocabunt eum, Deus iustitia nostra.

FINIS.

ENARRATIO SYMBOLI NI- 388
CENI COMPLECTENS ORDINE DOCTRI-
NAM ECCLESIÆ DEI FIDELITER RECITATAM. EDI-
TA ANNO M. D. L.

CVM PRÆFATIONE PHILIPPI MELANTHO-
NIS, ad Doctores Ecclesiæ Dei in Saxonia.

REVERENDIS VIRIS DOCTO-
RIBVS ECCLESIÆ DEI IN SAXONIA
ET IN VICINIS REGIONIBVS, PHILIPPVS
MELANTHON S. D.

NEC CASV NATVM ESSE GENVS HVMANVM, NEC FRVSTRA conditum esse tantùm ad voluptates corporis perfruendas, aut ad has ingentes ærumnas tuendæ communis societatis, certissimum est, sed vt esset aliquod quasi theatrum seu templum, in quo Deus innotesceret, & cui Deus suam sapientiam & bonitatem in omni æternitate communicaret.

Vt autem agnoscatur, patefecit se, non solùm impressis in hæc mundi corpora vestigijs, sed etiam edita voce doctrinæ, cui & illustria testimonia extra hunc naturæ ordinem addidit.

Hac voce sibi colligit æternam Ecclesiam, sicut filius Dei inquit: Pater sanctifica eos in veritate tua, Sermo tuus est veritas. Et hunc sermonem vult ab Ecclesia bona fide custodiri incorruptum, & sonare omnibus temporibus in genere humano.

Sed ab hac norma inde vsq; ab initio, ingens multitudo hominum discessit & discedit, tùm impulsa diabolicis furijs, tùm propria mobilitate. Et horribili audacia alij Cyclopum more rident totam mentionem diuinitatis ac prouidentiæ, alij noua numina, cultus & opiniones finxerunt, & stabiliunt.

Nec tamen extingui Deus lucem veræ noticiæ prorsus sinit, Sed seruat aliquam Ecclesiam, custodem veræ doctrinæ. In hac Ecclesia inde vsq; à primis parentibus, post editam promissionem, Semen mulieris conculcabit caput Serpentis, est vna & perpetua doctrina de essentia & voluntate Dei.

Nec gignit Ecclesia nouam doctrinam, sed velut Grammatica est sermonis diuini, docet teneram ætatem, quid vocabula significent, & distribuit & numerat vtcunque membra doctrinæ, Et adiungit testimonia perspicua, sumta ex scriptis Propheticis, & Apostolicis, aut etiam ex probatis historijs Synodorum aut similibus. Et pugnantes opiniones cum hac luce veritatis reycit.

Seruat enim Deus in Ecclesia ministerium Euangelicum, quod & recitat scripta Prophetica ac Apostolica, & sermonem, vt dixi, interpretatur.

Nec nos aliud agimus in hac Symboli recitatione & in cæteris scriptis nostris. Nequaquàm gignimus nouum doctrinæ genus, sed vnam illam perpetuam catholicæ Ecclesiæ Dei vocem, quam sonabant primi Patres, Prophetæ & Apostoli, & quæ in Symbolis expressa est, propagare ad posteros studemus, qua in re necesse est moneri iuniores de sermone Ecclesiastico, & retineri veras significationes vocum, et taxari corruptelas.

Hanc

Hanc diligentiam neceſſariam eſſe manifeſtum eſt. Quoties enim hæc vocabula, verbum, Spiritus, perſona, Hypoſtaſis, peccatum, lex, iuſticia, gratia, fides, confeſsio, Eccleſia, ſacrificium, ad alienas ſignificationes detortæ ſunt?

Et conſtat ſæpè in longis concionibus monſtroſas interpretationes fingi ab ijs, quibus phraſis ignota eſt, vt oſtendunt Iudæorum & Monachorum enarrationes, in quibus ſæpiſsimè, vt veteres de inconcinnè ſaltantibus dicebant, animaduertimus: ἕτερα τὸν πόδα, ἕτερα δὲ τὸν ῥυθμὸν λέγειν.

Ideoq; & miniſterium Euangelicum, & ſtudia literarum ſeruat Deus in Eccleſia, vt Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, & alia monumenta legantur, & ſonet vox doctrinæ inter homines, qua colligatur Eccleſia, & periti rudiores adiuuent, enarrent ſermonem, monſtrent diſcrimina doctrinarum, & taxent errores.

Nec opus eſt cauſam aliam quærere, cur neceſſaria ſint hæc ſtudia, niſi quia videmus ea diuinitus inſtituta eſſe, & multis dictis comprobata, vt Paulus inquit, Sis aſſiduus & intentus in lectione, conſolatione ac doctrina.

Hæc cùm ſint neceſſaria, literis ac doctrina opus eſt, vtendum eſt & artium adminiculis, definitionibus, diuiſionibus, collatione, ratiocinatione, & alijs artium neruis, qui ſunt velut metæ, quibus incluſa veritas conſeruanda eſt.

Etſi autem, vt in vniuerſum in docendo, multæ virtutes adhibendæ ſunt, amor veritatis, prudentia in delectu rerum neceſſariarum, modus diſputationum, ſtudium concordiæ, candor in iudicandis aliorum dictis, odium ſophiſtices & calumniarum, Tamen in enarrando Lector in templis aut ſcholis, non ſit Aſinus ad Lyram, adhibeat aliquid conſilij & artis, ac præcipuè rectè teneat antea hauſtam ex illis ipſis fontibus doctrinam Eccleſiæ.

HÆC eò præfatus ſum, vt hæc ſtudia ordine docendi & diſcendi, & curam tuendæ proprietatis in loquendo magis ament iuniores, quæ ad veritatis agnitionem, & ad concordiam prodeſt.

Nonnulli enim contrà diſputant, hunc carcerem, & hæc vincula tuendæ proprietatis in docendo, indigna eſſe excellentibus ingenijs, ac libertatem concedendam eſſe magis acutis interpretationes meliores proferendi. Horum opinionem Eccleſiæ ac nominatim vobis, ad quos tanquàm ad iudices ſcribo, iudicandam relinquo.

Manifeſtæ regulæ ſunt, Fundamentum aliud poni non poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Et ſæpè repetita eſt eadem ſententia, Ab hac norma certè nequaquàm diſcedendum eſt.

Ac vt venuſtiſsimè dicunt Græci, Bellerophontem elatum iam prioribus ſucceſsibus, & parta gloria, cùm videret ſe à Pegaſo per totum aërem vehi ſupra terras & maria, conatum eſſe etiam intra cœlum ad Iouem penetrare, ſed ibi excuſſum Pegaſo, delapſum in terram extinctum eſſe. Ita audacia extra metas diuinitus conſtitutas euagandi, exitioſa eſt.

Nec illud verè dicitur, ſermonem diuinum ſimilem eſſe folijs Sibyllæ, ambiguum & incertum. Pleraq; ſunt manifeſtiſsima omnibus ſanis ac mediocriter inſtitutis in Eccleſia, Et tamen, vt miniſterium Euangelicum Deus in Eccleſia eſſe voluit, ita vult & de doctrina iudicia eſſe, in quibus confeſsio piorum & doctorum refutat errores & ambigua explicat.

Sint

Sint igitur & dogmata Ecclesiæ nota, & extent proprietate verborum, quasi septa & munita, Eamq; ob causam initiò Symbola condita sunt, vt summa doctrinæ in conspectu esset recitata propriis verbis, vt ijsdem syllabis hæ res præcipuæ vbiq; in Ecclesijs proponerentur.

Ac nunc quoq; in dijudicatione controuersiarum quarundam simili diligentia opus esset. Cùm autem hæ tantæ res, non sint curæ summis gubernatoribus, nos in scholis decet curare, vt extet doctrinæ summa, quantùm fieri potest, sine ambiguitate recitata. Quia nos in scholis subinde præcipua doctrinæ capita repetere, vt fit in puerili κατηχήσει, *necesse est.*

HÆC igitur enarratio Symboli Niceni à Casparo Crucigero instituta est pio consilio, vt quasi euoluta Symboli doctrina proponeretur, & ordo magis conspici posset, distributis partibus Symboli in membra, voluit etiam testari, nos reuerenter amplecti & tueri hæc Symbola, grauissima autoritate tradita, & quidem retinere natiuam eorum sententiam.

Id consilium cùm alij probarent, & quidam docti, pij & graues viri eam partem, quæ edita est, prodesse piorum studijs iudicâssent, rursus eam edidimus, additis aliquot capitibus, additurі etiam cætera, si hic labor vobis probabitur.

Ego quidem fideliter recitare studeo communem doctrinam sonantem in Ecclesijs harum regionum, quam iudico, diligenter considerata vniuersa antiquitate, verè esse consensum Catholicæ Ecclesiæ Dei, congruentem cum Confessione Augustæ exhibita, Anno M. D. XXX.

Nec aliud genus doctrinæ, nec alias opiniones inuehere in Ecclesias velim. Et opto æternam esse harum Ecclesiarum concordiam, ac opinor multis annis mediocrem sedulitatem me præstitisse, & in illustranda veritate, & in fouenda inter nos concordia.

Sed tamen vt magis perspicuum sit me magnopere velle, vt consensus in his Ecclesijs perpetuus sit, & hanc editionem, & cætera mea scripta eruditorum & bonorum Virorum iudicijs inter vos offero, quales scio multos in vestris Ecclesijs esse, quos veneror vt vera Ecclesiæ membra.

Nec deterrent me vel odia quorundam vel calumniæ, quò minus ad vestrum iudicium prouocem. Extant enim mea scripta, quæ quid sentiam, ostendunt, & refutant reprehensiones, de quibus etiam alio tempore respondebo. Et multis bonis & doctis Viris scio notos esse dolores meos ingentes, & eorum causas non leues.

Postremò autem, vt Filius Dei in agone suo precatur æternum Patrem, vt seruet Ecclesiam, ac faciat, vt omnes vnum simus in ipso, ita meos gemitus ac vota ad ardentissimam precationem huius Summi Sacerdotis, filij Dei, adiungo, eumq; toto pectore oro, vt in his regionibus semper Ecclesiam æternam colligat & gubernet, & mentes docentium Spiritu sancto suo copulet. Benè valete 1550. die S. Marci Euangelistæ.

ENARRATIO SYMBOLI NICENI,
COMPLECTENS ORDINE DOCTRINAM ECCLESIÆ DEI, FIDELITER RECITATAM.

Cur Symbola sint condita.

Deò Symbola condita sunt in Ecclesia Dei, vt doctrinæ summa breuiter comprehensa, semper in conspectu sit, & docti & indocti non mutilam doctrinam, sed quasi corpus integræ doctrinæ secum in mente circumferant, & hac confessione se erudiant & confirment, & eam in omni inuocatione intueantur. Sed tamen semper ad hæc breuia Symbola adiunxit Ecclesia longiorem explicationem, & collegit testimonia à Deo tradita, ut sciamus, unde sumta sit doctrina in Symbolis proposita, et fides nitatur, non humanis sententijs, sed perspicuo uerbo Dei.

Hanc Ecclesiæ diligentiam cũm imitari nos quoq; deceat, explicabimus ordinè singulos articulos, Deo iuuante, & testimonia sumta ex uerbo Dei, non malè detorta, sed rectè accommodata, illustria & firma addemus, & ueterem ac uerum consensum Catholicæ Ecclesiæ Dei fideliter recitabimus, & sequemur. Cũm enim Deus ita condiderit Ecclesiam, ut simul & patefecerit sese, & certam uocem ediderit de sua essentia & uoluntate, iuxta quam uocem agnosci, inuocari, & coli se præcipit, & hac uoce discernat se ab omnibus commentitijs numinibus, nequaquàm licet hominibus ullis nouas opiniones de Deo gignere, ut Ethnici & Hæretici horribiliter luserunt fingendis opinionibus, Sed unam, puram & incorruptam uocem à Deo traditam in Ecclesia omnes sonare debemus.

Cùm autem Diabolus ardens odio Dei, ut eum contumelia afficiat semper impulerit, & impellat leuia ingenia ad spargendas falsas opiniones, & in hac ultima senecta mundi maiores confusiones opinionum fore metuendum sit, utroq; modo pugnandum est, uidelicet precatione & doctrina. Vt igitur filius Dei in aditu sui agonis, tanquàm Summus Sacerdos Ecclesiæ, precatur, ut doctrinæ puritas seruetur, inquiens: Pater, sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus est ueritas. Ita nos ad huius nostri sacerdotis precationem adiungamus nostros gemitus ac uota, & quotidiè petamus, ne lux ueræ doctrinæ extinguatur.

Te æterne Pater domini nostri Iesu Christi, qui condidisti genus humanum, ut inde tibi æternam Ecclesiam colligas, cui sapientiam & bonitatem tuam communices, oro, ut propter Filium tuum regas mentes docentium & discentium, ut una, uera, & perpetua sententia Euangelij et ueræ Ecclesiæ Catholicæ Dei seruetur omnibus temporibus, & sis efficax uoce Euangelij tui, ut multi ad te conuertantur, & te uera inuocatione celebrent, & fiant hæredes æternæ salutis.

Confessio autoris.

Priusquàm autem enarrationem incipio, meam confessionem recitabo. Adfirmo coram Deo et Ecclesia, me Symboli Apostolici et huius Symboli Nicæni Articulos omnes fideliter amplecti, & ab omnibus opinionibus pugnantibus cum hoc consensu Ecclesiæ toto pectore abhorrere, & in hac fide Deum inuocare. Sic cũm & ego & alij in Ecclesia nostra sentiant, manifestum est, nobis falsissimè obijci, quòd ab Ecclesia Catholica seiuncti simus.

Symbola quid sint.

Vt autem sciant studiosi, quid sint Symbola, & quid agant Synodi condentes Symbola, de hac re pauca præfabimur. SYMBOLA uocarunt breuem ar-

uem articulorum seu omnium, seu præcipuorum doctrinæ Euangelij collectionem. Et Apostolicum uetustius esse Niceno non dubium est. Nicenum autem in Synodo Nicena, quæ à Constantino Imperatore conuocata fuit, conditum est, in qua trecenti & octodecim fuerunt, qui sententias dixerunt, in quibus multi senes fuerunt, qui sub Diocletiano in supplicijs constantiam suam ostenderant, & ornati erant à Deo testimonijs miraculorum, fuitq; Synodi summus gubernator Eustathius Antiochenus Episcopus. Nam doctrina de Filio Dei etiam antea Antiochiæ grauissimis testimonijs illustrata fuerat, in refutatione Pauli Samosateni.

Symbolum Apostolicũ uetustius Niceno. Nicenum.

I. *Synodi non condunt nouos articulos.*

SCiendum est autem, Synodos nec condere, nec posse condere ullos nouos articulos fidei, quia doctrina de essentia & uoluntate Dei supra & extra conspectum humanæ rationis posita, non potuit, nec potest ab ullis Angelis aut hominibus acie mentis creatæ deprehendi, Sed à Deo ipso monstrata est Angelis, & patefacta edito certo uerbo & illustribus testimonijs generi humano, quod uerbum Ecclesiæ Deus commendauit, & in ea propagari iussit, & eius uerbi fide uult agnosci & inuocari.

Ideò dictum est Iohan: 1. Deum nemo uidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Et 2. Pet: 1. dicitur, Non humana uoluntate allata est unquam Prophetia, sed à Spiritu sancto moti, locuti sunt sancti uiri. Et 1. Corinth: 3. Fundamentum aliud poni non potest, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Et Ephes: 2. Extructi super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, existente lapide angulari Iesu Christo. Et Esa: 51. Posui uerba mea in ore tuo. Et capite 59. Verba mea quæ posui in ore tuo.

Hæc & similia dicta plurima in Prophetarum & Apostolorum concionibus clarissimè testantur, non recipiendam esse ullam doctrinam de essentia & uoluntate Dei, nisi hanc unam, quæ per Prophetas & Apostolos tradita est. His enim commendauit uerbum suum, quo se patefecit, & addit illustria testimonia, ut certò sciremus, quis sit Deus, ubi quærendus, quomodo agnoscendus & inuocandus sit, ne à uero Deo humanæ cogitationes aberrarent, sicut Ethnici uariè & horribiliter aberrarunt, & subinde noua numina audacissimè finxerunt.

II. *Quid agant Synodi.*

Cùm igitur arriculi fidei non alij sint, nisi quos certum est à Deo patefaciente per Prophetas & Apostolos traditos esse, quæri potest quid agant Synodi? Respondeo. Synodi non gignunt noua dogmata, sed tantùm profitentur sententias prius in scriptis Propheticis & Apostolicis traditas, & ostendunt quomodo intelligant hæc dicta Prophetica & Apostolica, & testantur hunc intellectum ab Apostolis ad posteros transmissum esse.

Synodi testes de doctrina diuinitus tradita.

Sunt igitur Synodi testes seu testificationes de aliquo ueteri dogmate, quod testantur se amplecti, quia non sit commentitium seu nouum, sed uera autoritate in ipsis scriptis Propheticis & Apostolicis traditum, quorum collatione conuinci se ostendunt, eam sententiam, quam profitentur, ueram esse. Adiuuari tamen Synodus et alijs certis testimonijs potest, quæ per Apostolos tradita esse ex ueris monumentis constat. Sic dicit Christus ad Apostolos Lucæ ultimo: Vos eritis testes horum, Non uult eos noua dogmata gignere, sed testes esse de doctrina diuinitus tradita.

Vt autem magis conspiciatur, qualis sit Synodorum dijudicatio, exem-

Exemplum Samosateni.

pla intueamur. Cùm Samosatenus in narratione Iohannis: In principio erat Verbum, negaret λόγον intelligi oportere de persona, & comminiscereturcorruptelas, quæ prophanis iudicijs concinnæ uidebantur, probatissimi senes conuenerunt ex multis prouincijs, ut errorem damnarent.

Hic nec Dionysio Alexandrino, nec Gregorio Neocęsarienſi, nec ulli homini aut Angelo quantumuis magna sapientia & uirtute prædito, hæc potestas tribuenda fuit, ut de re tanta statueret suo iudicio, sine Dei uoce, uidelicet, mente Dei ab æterno natum esse Filium, & hunc dici λόγον, & aliam esse Patris, aliam Filij personam, & hunc Filium cum Patre condidisse creaturas. Hanc tantam rem nulla creatura sine illustribus testimonijs adseuerare potuit, nec adseuerantibus angelis aut hominibus propria autoritate, de re tanta credendum est.

Tantùm igitur hoc agit Synodus, profitetur quid didicerit ex scriptis Propheticis & Apostolicis, et ex ipsorum Apostolorum recenti sermone. Adfirmat igitur se credere, λόγον hic significare personam, & collatis alijs multis dictis, ostendit hanc perpetuam esse sententiam in scriptis Propheticis & Apostolicis. Testatur etiam se ab Apostolis hanc ipsam sententiam accepisse, & huius testimonijs memoriam tradit posteris.

Reijcit igitur impiam Samosateni corruptelam, quia scit eam pugnare cum uera sententia, quam Deus de Filio patefecit, & uoluit extare in monumentis Propheticis & Apostolicis, & statuit execrabilem audaciam esse, & Diabolicum furorem, aliter de Dei essentia docere, quàm sicut se Deus ipse patefecit.

In exemplo Samosateni conspicuum quid agant Synodi.

Ex hoc exemplo adparet, quid agat Synodus, non gignit nouum Articulum, aut nouam interpretationem, sed testis est ueræ & incorruptæ sententiæ traditæ in scriptis, & uoce Apostolorum.

Quatuor causæ, quare Deus uelit esse iudicia doctrinæ in Ecclesia.

Sicut enim singulos priuatim, tùm pastores, tùm alios, si quando contraria dogmata proferuntur, necesse est sua confessione testimonium suæ fidei ostendere, qui non gignũt noua dogmata hac testificatione, Ita in Synodis multi suas confessiones recitant. Vult enim Deus esse iudicia doctrinæ in Ecclesia, propter has quatuor grauissimas causas, quarum prima est, quia uult retineri ueram doctrinam, & refutari falsam.

I. II. Secunda, uult collatione dictorum Propheticorum & Apostolicorum erudiri & confirmari imbecilliores, & errantes in uiam reuocari, quæ etiam facienda sunt in Synodo.

III. Tertia, uult semper in Ecclesia cœtum aliquem esse, confessione communi testificantem de doctrina, & ut sciri possit, quæ & ubi sit Ecclesia, sicut scriptum est: Ex ore infantium & lactentium perfecisti tibi laudem. Et ut imbecilliora membra Ecclesiæ passim sparsa confirmentur, & cognita doctiorum confessione, audiant, discant, rectius inuocent Deum, et se ad illum cœtum, qui uerè est Ecclesia, sua confessione adiungant. Idq; præceptum est omnibus: Et tu conuersus, confirma fratres tuos. Item: Credidi, propter quod locutus sum. Item 1. Pet: 2. Vos estis genus electum, populus peculiaris, ut uirtutes enarretis eis, qui uocauit uos ex tenebris in lucem admirandam.

Ita confessio Synodi Nicenæ edita est, ut alij imbecilliores erigerentur, qui consideratis fontibus, & adiuti horum testimonijs, deinde ad hanc se confessionem adiungebant, & sciebant iam, quæ & ubi esset uera Dei Ecclesia. Et

nunc

nunc confessio docentium in nostris Ecclesijs consentiens, est uelut uox Synodi, in qua testimonijs perspicuis & euidentibus refutamus errores, & ad ueram inuocationem, & ad ueros Dei cultus Ecclesiam reuocamus.

Quarta, quia uult Deus propter posteritatem edi subinde aliquorum consentientem confessionem, ut etiam posteritas erudiatur & confirmetur. IIII.

Propter has causas sunt in Ecclesia iudicia de doctrina, quæ Synodi uocantur, & sunt ueræ Synodi, cùm rectè iudicant, id est, cùm ueram cõfessionem seu ueram testificationem edunt, quocunq; modo conueniant, siue regum autoritate, siue priuatis studijs, ut conuenerunt Maria, Elisabeth, Zacharias, item Apostoli, item uicini Episcopi in causa Samosateni, & multa sunt talia exẽpla. *Veræ Synodi iudicium.*

SEd illi, qui amplificant potentiam Pontificum & Synodorum, contra disputant, Clamant nos pugnantia dicere, fateri esse oportere iudicia in Ecclesia, & tamen dicere, Synodis non licere gignere nouas interpretationes, & posse contradici Synodo gignenti nouam interpretationem. Hæc oratio, inquiunt, autoritatem iudiciorum labefacit. Imò ut in ciuilibus controuersijs ualet principis aut prætoris interpretatio, propter gradum & munus personæ, ita ualeat in Synodis rerum iudicatarum autoritas, nec priuatorum reprehensione ea, quæ semel publico consilio decreta sunt, deleantur. In hanc sententiam multa plausibiliter ā uiris politicis dici solent. *Refutatio eorum, qui contendunt iudicata ualere propter autoritatem Synodi.*

Ad hæc respondendum est, iudicia & executionem in Ecclesia aliquo modo discrepare ā ciuilib. iudicijs. Deus uult in dubijs disputationibus ciuiliũ controuersiarum ualere regiam & prætoriam autoritatem, ut sit aliquis finis ciuilium discordiarum, & mediocris sit tranquillitas, etiamsi quid erroris est in interpretatione regia aut prætoria. Et in talibus negocijs minus erratur, quia subiecta sunt humanæ rationi, ut numerorum intellectus &c. Deinde uult gladio coërceri eos', qui rerum iudicatarum autoritatem labefaciunt. Alioqui nunquām finis esset discordiarum. *Differunt iudicia Ecclesiæ à ciuilibus.*

Sed in iudicijs doctrinę in Ecclesia, non habent Synodi Episcoporum aut similium doctorum autoritatem regiam aut prætoriam, id est, interpretatio eorum non ualet propter gradum aut locum. Nec iam de Prophetis & Apostolis loquor, quorum ualet interpretatio propter manifesta Dei testimonia, sed de hac communi uocatione Episcoporum & Doctorum loquor. Horum sententiæ sunt, confessio seu testificatio, quid intelligant. Nec necesse est eis propter locum adsentiri, Sed auditor ab eis adiutus, quærit in dictis Propheticis & Apostolicis causas interpretationis. Et cùm constat eos errare, necesse est contradici, quia si quis Angelus de cœlo aliud Euangelium docuerit, anathema sit, Ita nunc necesse est errores Synodi Tridentinæ taxari.

Nec id obstat quod obijcitur, non fore finem dissensionum, quia in mundo talia dissidia semper fuerunt, sunt, & erunt, donec ea Deus dijudicat. Nunquām maior pars principum & populi Iudæorum adprobatura erat doctrinam Apostolorum. Sed Deus tandem deleta eorum republica eos refutauit, & hac, ut ita dicam, executione suæ sententiæ, finem eius dissensionis fecit. Interea uerò Apostoli ā principibus Iudęorum interficiebantur. Ita nos expectemus Dei iudicium, & interea sæuitiam hostium doctrinæ sustinendam esse sciamus.

Cùm igitur Deus semper aliquem cœtum confitentem seruet, & inter

tantas dissensiones omnibus temporibus sint aliqui rectè sentientes, qui iudicant, tenenda est regula, audiendam esse Ecclesiam, quæ Euangelium sonat, ab ea doceri nos sinamus, sicut dixit Samson: Nisi mea uitula arassetis, non inuenissetis, id est, non audiuissent uocem Euangelij Gentes, nisi Ecclesiam populi Israël docentem audiuissent.

Sic omni tempore sciamus Ecclesiam audiendam quidem esse, sed credendum uerbo Dei, ut audiebant pij Synodum Nicenam, sed fides non nitebatur humana autoritate, non amplectebantur articulum de re tanta propter hunc cœtum, sed propter certa & illustria testimonia tradita in scriptis Prophetícis & Apostolicis.

Hoc discrimen tenendum est, & suus honos Ecclesię tribuendus, nec contemnenda est ueræ Ecclesiæ confessio, nec omnes Synodi sine discrimine contemnendæ sunt, sed seruetur Pauli regula: Explorate spiritus, an ex Deo sint. Considereturque dicta Prophetica & Apostolica, & quæ testimonia purioris Ecclesiæ, Synodus secuta sit. Si dissidet à scriptis Prophetícis & Apostolicis Synodi sententia, necesse est eam reijci, ut Paulus præcipit: Si Angelus de cœlo aliud Euangelium docebit, anathema sit. Vt Synodi coactæ Arimini, & in oppido Pannoniæ Syrmio Constantij tempore corruperunt puram doctrinam de Filio Dei. Sed cùm agnoscimus decretum alicuius Synodi, cum testimonijs Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ sine sophistica intellectis congruere, & esse ueterem & incorruptam Ecclesiæ doctrinam, ueritati obtemperandum est, & pias mentes confessio rectè sentientium confirmat.

Quando reijcienda Synodi sententia aut approbanda.

Sunt et hoc monendi lectores, quod nunc disputatur. Ante cognitionem non sunt cogendæ Ecclesiæ, ut promittant se Synodi decretis obtemperaturas esse, ut si nunc postuletur, ut omnes promittant se obtemperaturos esse decretis Synodi Tridentinæ. Id ante cognitionem non est postulandum, quia Synodi sunt iudicia ordinaria, quæ redduntur in inuitos, ut dici solet, Estq; mandatum Ecclesijs, ut legitimam cognitionem instituant, qua instituta, si rectè pronunciatum fuerit, obtemperandum est. Et si quis non obtemperat, iustè punitur.

Iudicium Synodi sit ordinarium.

Sin autem non rectè pronunciatum fuerit, pios aduersari decreto Synodi necesse est. Et si defensores Synodi uolent eius autoritatem tueri, pij ferant iniuriam, & se Deo iudici commendent, sicut Apostoli condemnati à Synagoga iniuriam ferebant.

Hæc uera sunt. Sed nunc hostes ueræ doctrinæ, & summam potentiam tenentes pugnant, ut sine contradictione recipiantur decreta suarum Synodorum qualiacunq;, ut confirment opinionem, Synodos habere regiam autoritatem, ac oportere interpretationem Synodorum de doctrina recipi, sicut in legum ciuilium iudicijs necesse est regum interpretationem recipi. Hæc etiam recensui, ut illustrior sit differentia Synodorum, & ciuilium iudiciorum.

Synodi non habent regiam autoritatem.

QVærunt & hoc aliqui: Cùm duo sint cœtus in Ecclesia, inter sese dissentientes, unde sciẽdum est, uter rectè sentiat, cùm uterq; pro se citet scripturam, & sæpè pars quæ errat, successionem ordinariam teneat, antecellat autoritate, & multitudine, habeat pro sua opinione Patrũ exempla & scripta, habeat et longæ consuetudinis testimonium, quæ multum apud homines ualet. Vnde igitur aut ipsi iudices sument certam sententiam, aut populus sciet, utri rectè sentiant? & cur necesse sit adsentiri Nicenæ Synodo, & non Ariminensi?

Duobus cœtibus dißentientibus, Vnde sciendum, uter rectè sentiat.

Hic de-

Hic decurrunt uiri politici ad similitudinem ciuilium iudiciorum. In his si qua est ambiguitas legum, sequenda est interpretatio prætoris aut principis, & propter hunc gradum ualet interpretatio. Ita dicunt uiri politici eius Synodi interpretationem ualere, quæ legitimo modo ab ordinaria potestate collecta sit. Deinde dicunt, non ex solis scriptis Propheticis & Apostolicis, & Symbolis pronunciandum esse, sed etiam ex consensu, qui in præcipuis Scriptoribus Ecclesiasticis extat, ut, cùm plerique omnes nominant Cœnam Domini sacrificium, aut plerique omnes nominant satisfactiones, aut mentionem faciunt inuocationis mortuorum, hunc consensum aiunt sequendum esse sine contradictione. Et hunc consensum dicunt Groperus, Vuicelius, & multi alij, normam immotam esse in Ecclesia, Singulos homines errare posse ac potuisse, sed communem uocem Catholicæ Ecclesiæ non posse errare. Hæc imaginatio plausibilis est, & quia congruit cum politicis opinionibus, & quia uidetur normam monstrasse commodiorem, cùm adprobet id, quod propter consuetudinem gratius est.

Iudicia politicorum uirorum de controuersijs in Ecclesia dirimendis.

Sed opponenda est huic imaginationi hæc immota sententia: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Vbi manifesta sunt dicta Prophetica & Apostolica, & manifestum est, dissentire cõsuetudinem aut scriptores, quorum plurimi imitantur suæ ætatis ritus, ibi facilis est dijudicatio. Necesse est enim anteferri uocem Dei dictis hominum. Vt in populo Israël, manifestum mandatum erat, ne plura templa conderentur. Etsi igitur consuetudo erat, plura condere, tamen Prophetæ ea damnabant. Et habebant expressum mandatum uoce Moysi traditum. Inde populo facilè erat iudicare, utri rectè sentirent. Erat alia multò obscurior quæstio de Messia, an habiturus esset imperiũ politicum, an uerò sine imperio in hac uita futurus, et futurus uictima esset. De hac quæstione maxima pars populi & doctorum omni tempore sensit, eum imperium mundi occupaturum esse. Reclamabant pauci, sed habebant expressa testimonia Prophetarum, quæ sine ambiguitate adfirmabant Messiam fore uictimam. Hæc Prophetarum dicta anteferenda erant contrarijs opinionibus multitudinis.

Quæ opponenda sint iudicijs politicorum.

Ac de talibus, ubi conuinci homines testimonijs manifestis possunt, facilis est dijudicatio, ut nunc de multis articulis de coniugio, de discrimine ciborũ, imò de Missa, adplicationem ex opere operato non mereri alijs remissionẽ.

Sed unde erunt certi homines in locis obscurioribus, in quibus uidetur ambiguitas esse? Respondeo: Quando Patribus, aut Prophetis, aut Apostolis data est uox promissionum seu Euangelij, & quando ipsi primùm docuerunt, Deus addidit manifesta testimonia, scilicet miracula, quę ostenderent, eam doctrinam diuinitus traditam esse. Sed nunc post promulgationem & confirmationem doctrinę, non petantur noua miracula, etsi semper in Ecclesia sunt miracula, sed tamen non omnia conuincunt impios.

De certitudine interpretationis in obscurioribus controuersijs.

Miraculorum testimonia in doctrina Ecclesiæ.

Sit igitur postea certitudo ex ipsis dictis Propheticis & Apostolicis, quorum natiuam sententiam in collatione agnoscimus. Nec illud uerum est, quod dicitur, Literam ambiguam esse. Et quanquàm inimici ueritatis propriè dicta uarijs cauillationibus eludere possunt, tamẽ sicut Deus semper seruat aliquem cœtum, qui est uera Ecclesia, ne desint ullo tempore testes de uera doctrina, seu multi, seu pauci: ita illa uera Ecclesia inter cætera dona Spiritus sancti & hoc habet, quod reipsa est fides, qua mentes cedunt uerbo DEI, nec anteferunt

Litera non est ambigua.

humanam ſapientiam,Sed ut Paulus præcipit,redigunt ſe in hanc piam captiuitatem,ut obediant Chriſto,ſicut 2.Corinth:10.ſcriptum eſt. Et hęc ipſa fides ſeu adſenſio amplectens dicta Apoſtolica in ea ſententia, quam collatio oſtendit eſſe natiuam, reipſa eſt donum interpretationis, quod eſt lux fidei, creſcens in ipſis exercitijs pœnitentiæ, in pauoribus, in perſecutione & conſolationibus, ut ſcriptum eſt: Eloquia domini caſta, argentum purgatum ſeptuplum.

Deus ſubinde excitat teſtes ueros in Eccleſia.

Nec tamen deſunt huic ueræ Eccleſiæ teſtimonia priorum temporum, quia Deus ſubinde excitauit teſtes ueros, & aliquorum monumenta propter poſteros ſeruat, ſicut & noſtram confeſſionem prælucere uult poſteris. Et hæc uera Eccleſia diſcernit ſcriptores ſinceros ab inſinceris. Certi ſunt igitur & pij iudices, & pij auditores ex ipſis fontib.Propheticis & Apoſtolicis, & ex alijs ſinceris teſtimonijs Symbolorum, & congruentibus probatiorum ſcriptorum aſſeuerationibus.Et hæc ſatisfaciunt pijs,quia in eis fides lucet, quæ cùm reuerenter amplectatur uerbum Dei,& Dei ſapientiæ ſe ſubijciat,nec anteferat humanam,reipſa donum eſt interpretationis. Acquieſcit igitur hoc modo uera Eccleſia,contenta mandato iſto: Hic eſt Filius meus dilectus, Hunc audite.

Quòd autem reclamant impij, nondum ſibi hoc modo ſatisfactum eſſe,quia non ſatis euidenter oſtenſum ſit, cur retineat Athanaſius proprietatem in hoc dicto: Et uerbum erat Deus, & nolit retinere in altero: Pater maior me eſt. Talium clamorum finis non erit in hac confuſione generis humani,Semper erunt aliqua Diaboli organa,quæ ueritati aduerſentur.Habet cauſam Athanaſius, quare proprietatem hic retineat, Et uerbum erat Deus, quia poſtea mox additur de omnipotentia, per hunc Filium omnia condita eſſe, & accedunt plura illuſtria teſtimonia. Hæc etſi non ſatisfaciunt Arianis, tamen ſufficiunt pijs cedentibus uerbo Dei. Nec dijudicatio alia per homines euidentior fieri poteſt. Sed Deus tandem dijudicat tales controuerſias, deleta una parte.

Certamen de propoſitione, Gratis iuſtificamur.

Magnum hoc tempore certamen eſt de hac propoſitione: Propter Filium Dei gratis donantur remiſſio peccatorum, & imputatio iuſticiæ, & hæc fide accipi oportet. In hac ſententia tenemus τὸ δικτὸν apud Paulum,alij corrumpunt adfingentes alia, dicunt non Gratis dari remiſſionem, ſed propter certa opera,excludi autem tantùm Moyſi ceremonias. Item,dicunt non accipi fide,nec opus eſſe hac fide,qua credas tibi remitti. Cùm autem hæc interpretatio manifeſtè pugnet cum textu,magna cauſa eſt,cur ſuſpecta eſſe debeat. Deinde noſtra ſententia non ſolùm retinet proprietatem congruentem cum tota ſcriptura,ſed etiam confirmatur exercitijs ueræ pœnitentiæ.Ibi conſpicitur,non acquieſcere mentes,niſi agnoſcant gratuitam eſſe remiſſionem. In his exercitijs accenditur lux, quæ eſt donum interpretationis. Tertiò congruunt & meliorum Scriptorum teſtimonia.

Eraſmi locus ex diatriba de libero arbitrio.

Eraſmus in Diatriba de libero arbitrio,deridens eos, qui detrahunt autoritatem gradibus gubernatorum & eruditioni, opponit contraria etiam nihil ad rem facientia.Nihil facit ad rem locus Epiſcopi aut Philoſophiæ cognitio,Audio,inquit, Sed etiam nihil facit ad rem gradus infimus hominis priuati,aut inſcitia literarum.

Vtrunq; uerè dicitur,quia hic fit mentio rerum,quę non ſolùm nõ principaliter requiruntur in iudice, ſed etiam non requiruntur ut inſtrumenta, ſeu ut cauſæ

ut cauſæ adiuuantes minus principales, ut Deus toties præcipit, ut doctor ſeu iudex in Eccleſia ſit eruditus, hoc eſt, rectè didicerit doctrinam cœleſtem, ut Malachiæ 2. Legem requiram ex ore Sacerdotis. Et Matth: 13. Sic erit omnis Scriba doctus. Et ad Timotheum: Epiſcopus ſit idoneus ad docendum. Obtemperemus igitur mandatis Dei, & quæramus ac eligamus doctos iudices potius, quàm indoctos. Nam & horum aliquos habere Spiritum ſanctum, non dubium eſt, Ac loquor de doctis in Eccleſia, hoc eſt, de iis, qui rectè didicerunt doctrinam cœleſtem, & amant ueritatem, & bono ſtudio inquirunt eam, & longo uſu, & exercitijs fidei, aluerunt eruditionem, & quos uita oſtendit non eſſe prophanos, aut faſcinatos ſuperſtitione. Etſi enim pij & docti non admoniti errare poſſunt, tamen rectè poteſt Eraſmo reſpõderi: Aliquid facit ad rem cognitio doctrinæ cœleſtis in hominibus pijs. Inde igitur iudices deligantur.

Cur multi ſint errores Bernhardi, Bonauenturæ, & ſimilium.

Cur igitur multi ſunt errores & horum, ut Bernhardi, Bonauenturæ, aut ſimilium? Quia non ſunt admoniti. Si nunc uiuerent Bernhardus et Bonauentura, exiſtimarem eos tutò eligi poſſe ad iudicandas cõtrouerſias, ubi noſtram explicationem audiuiſſent. Certè de fundamentis in Eccleſia inter ſaniores conſenſum eſſe neceſſe eſt, etiamſi alij magis, alij minus propriè locuti ſunt, hoc eſt, de articulis fidei, & præcipuis locis doctrinæ Euangelij. Et ſi quis prudenter conſiderat omnium temporum ſcripta, animaduertet ſubinde fuiſſe aliquos, qui purius docuerunt. Baſilius, Ambroſius, Bernhardus, de præcipuis materijs conſentiunt, ſed adhibeantur in eorum lectione dexteritas iudicij & candor, & conſiderentur, quæ cuiuſq; perpetua ſit ſententia, non excerpantur dicta impropria, qualia multa excidunt omnibus, etiam diligenter loquentibus. Et tamen multis ſcriptoribus defuiſſe & rationem explicandi, & diligentiam, manifeſtum eſt.

Non prorſus reijciendi ſcriptores, etſi habent aliquid errorum.

Nec propterea Auguſtinum aut Bernhardum abijcio, quia aliquid habẽt errorum, quos, ſi admoniti fuiſſent, correcturi erant. Sæpè enim fit, ut ſancti ſupra fundamentum, quemadmodum inquit Paulus, extruant ſtipulas. Ita etſi Bernhardus rectè de articulis fidei, & rectè de remiſſione peccatorum docuit, tamen miſcuit ſtipulas, inuocationem mortuorum, & ſuperſtitioſam obſeruationem uotorum. Multum enim ſingulis temporibus ualet publica eius ætatis perſuaſio, quæ plerunq; aliquid erroris miſcet doctrinæ. Sed tales errores deprehendi & emendari poſſunt, cùm reditur ad fontes, id eſt, ad ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & ad Symbola.

Hæc recitaui, ut de certitudine dogmatum cogitantes, quæramus unde ſit certitudo, & quorum teſtimonijs adiuuetur. Eſt. n. certitudo ex ipſis dictis à Deo traditis, quibus addit teſtimonia illuſtribus miraculis, ut reſuſcitatione mortuorum, & alijs, quorum dictorum natiua ſententia ex proprietate uerborum, & ex collatione Propheticarum & Apoſtolicarum concionum ſumi poteſt. Et cum his dictis aliqua certa & perſpicua teſtimonia Symbolorum ac probatorum Scriptorum, qui Apoſtolos aut eorum diſcipulos audiuerunt, congruunt. Quare aliqui pij firma adſenſione amplectuntur dicta diuina, qui mouentur & natiua ſignificatione ſermonis diuini, & adiuuantur ueteribus teſtimonijs, & quia non anteferunt ſuam ſapientiam uoci diuinæ, ſed in obſequium Chriſti, ut Paulus inquit, ſine contumacia recipiunt ſermonem diuinum, confirmantur à Spiritu ſancto, ut Iohannes inquit: Vnctio docet uos, ſcilicet, per ſermonem diuinum.

Sic ac-

Sic acquiescunt pij in dictis diuinis. Et quanquàm iuuantur testimonijs aliquibus Ecclesiæ, tamen credunt propter dicta diuina: Fides in inuocatione filij Dei, nititur sermone diuino, non decreto Synodi, sed tamen audimus Ecclesiam docentem, testificantem, & auditores confirmantem, sicut ad Petrum dictum est: Et tu conuersus, confirma fratres tuos. Interea magna est multitudo impiorum, qui suam sapientiam anteferunt sermoni diuino, & satisfieri sibi nolunt, nec uideri uolunt perspicuè conuicti, qui in hac contumacia magis excœcantur, ut Rom. 11. dicitur, Obscurentur oculi eorum, ne uideant. Manent igitur certamina propter impiorum pertinaciam, sed propter hanc non extimetur sermo diuinus incertus esse, & similis foliis Sibyllæ, Sed sunt aliqui pij, qui firma adsensione eum amplectuntur, ut dixi, & tandem Deus refutat pertinaciam impiorum insigni exemplo, deleta tota factione, sicut deleuit Pharaonem, Ierosolymam post prædicationem Apostolorum, Manichæos, Arianos, & alios. Talia sunt Ecclesiæ certamina, nec dirimi possunt per homines, autoritate regia aut prætoria, sicut controuersiæ forenses de ciuilibus negocijs dirimuntur.

Fides nititur uerbo Dei non decretis Synodi.

Manent certamina propter impiorũ pertinaciam.

Hanc totam commemorationem de Synodis ueram esse certum est, & profuturam esse pijs spero, quia hinc discunt fidem niti sermone diuino, Sed tamen pios doceri & confirmari posse testificatione piarum Synodorum.

SYMBOLVM NICENVM.

CRedo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.

ET in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos Homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.

Et incarnatus est de SPIRITV SANCTO, ex Maria virgine, & Homo factus est.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est.

Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris.

Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis.

ET in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filióque procedit.

Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.

Et vnam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.

Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.

Et expecto resurrectionem mortuorum, & Vitam venturi seculi,

AMEN.

πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν παντοκράτορα.

SYmbolum breuiter complectitur doctrinam in Propheticis & Apostolicis scriptis traditam de essentia Dei, de Personis, de creatione & redemtione generis

generis humani, de beneficijs filij Dei, de Ecclesia, de futuro iudicio, & præmijs ac pœnis æternis.

Vt autem primum præceptum Decalogi orditur ab agnitione Dei, ita primus & præcipuus articulus in Symbolo concionatur de uera agnitione Dei, qualem se in Ecclesia inde usq; à principio generis humani patefecit. *Primus articulus fidei de uera Dei agnitione.*

Necesse est enim firmissimè tenere hanc doctrinam primi Præcepti, Affirmatiuam & Exclusiuam. Hic reuera est Deus conditor cœli & terræ, & generis humani, qui se patefecit in Ecclesia dato uerbo suo per Prophetas, Filium & Apostolos, Et hic uerus Deus inuocandus est, & dirigenda mens in inuocatione ad hunc Deũ, qui se patefecit. Ideóq; in primo præcepto initiò proponitur adfirmatiua, Ego sum Dominus Deus tuus. Et ut agnosci, ac ab alijs omnibus commentitijs numinibus discerni possit, addita est descriptio, qui eduxi te de terra Aegypti. Et Deut: 4. inquit Deus, se omnia miracula in eductione ex Aegypto fecisse, ut sciamus hunc Deum huius populi, qui & peculiari nomine Iehoua discerni uoluit ab aliarum gentium cultibus, uerè esse Deum, & alios qui sine hoc uerbo inuocantur, non esse deos.

Deinde & Exclusiua additur, Non habebis alios Deos, ubi manifestè prohibetur inuocatio omnium aliorum qui finguntur esse dij, præter hunc uerum Deum in Ecclesia patefactum.

Hæc initiò moneri de agnitione & inuocatione Dei necesse est, ne misceamus religiones, & ut sciamus uoluntatem Dei esse, ut sic inuocetur, sicut se patefecit, & discernatur ab alijs commentitijs numinibus, ac ut mentes in inuocatione hunc uerum Deum intueantur, ut mox planius dicam.

DVo sunt autem præcipua discrimina ueræ & falsæ inuocationis, de quibus hic in principio Symboli commonefieri auditores maximè conuenit, quia ideò traduntur Symbola, ut uerus Deus agnoscatur, & discernatur à commentitijs numinibus, & rectè inuocetur. Suntq; hæc discrimina quotidiè in omni inuocatione & gratiarum actione cogitanda. *Duo præcipua discrimina ueræ et falsæ inuocationis.*

PRius discrimen est de essentia Dei, Alterum de uoluntate. Nam de essentia Dei errant omnes Ethnici, Iudæi, Mahometistæ, quia nolunt hunc esse Deum conditorem, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis, & resuscitati. Negant aliquem esse filium Dei genitum ex Patris essentia, Negant Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere. Imò execrantur hunc conditorem, quem uera Ecclesia prædicat. *Discrimen de Essentia.*

Etsi igitur nomen Dei retinent, & alij aliud fingunt esse Deum, tamen à uero Deo aberrant, sicut manifestè adfirmat filius, inquiens, Qui Filium non adficit honore, nec Patrem honore adficit.

Iam hic considerantes qualia portenta finxerint Ethnici & alij, discedentes à patefactione diuina, expauescamus & deploremus humanam cœcitatem & audaciam, quæ horribiliter lusit excogitatis tetris opinionibus de Deo & monstrosis cultibus. Magna pars, ut Epicurei & alij palàm dixerunt nihil esse Deum. Alij, quia natura humana in metu quærit aliquod numen à quo iuuetur, finxerunt innumerabilem turbam Deorum. Nam ut quisq; angebatur, ita numen conueniens suo timori sculpebat, agricolæ Iouem rectorem tempestatum, bellatores Martem, Simonides deum coluit Diem posterum, à quo peteret, ne postero die aliquid mali sibi accideret, quia secundæ res nequaquàm sunt diuturnæ. Multi etiam amantes & alijs adfectibus insanientes, has ipsas cupidita-

cupiditates tanquam numina coluerunt,ut Cupidinem,& ἀντέρωτα. Hos furores imitati sunt homines in hac postrema senecta mundi, in hæresibus, & in inuocatione mortuorum, ut Christophori,Georgij,& aliorum.

Stoici. Alij sapientiores,ut Philosophi, quanquàm dicebãt Deum, unam quandam mentem esse, tamen diuersissimas opiniones habuerunt, ut Stoici alligarunt Deum causis secundis,ac dixerunt eum, non aliter agere posse,quàm sicut cient causæ secundæ. Imõ & uoluntati humanæ libertatem ademerunt,ac senserunt eam necessariõ sequi impulsiones obiectorum, & Deum una ciere illas impulsiones ad scelera. Hæc turpis opinio de Deo, non minus impia & execranda est quàm Epicurea. Alij eruditi alia finxerunt. Euripides dubitat an Deus sit cœlum ipsum, an uerõ aliud quiddam.

Hæc ideõ recensui,ut tam horribili errorum uarietate considerata,expauescamus,& quæramus in Ecclesia patefactionem diuinam,& Deo reuerenter gratias agamus,qui se patefecit, & uerum Deum qui prodiens ex arcana sede sua, certis se testimonijs reuelauit, & dedit promissiones suas,supra & extra conspectum creaturarum positas,agnoscamus, eumq; in omni inuocatione intuentes,discernamus ab omnibus alijs de Deo imaginationibus,et pectora nostra constanter muniamus contra illa spectra prophanarum imaginationum, & Deum oremus,ut sua luce nos regat,ne à ueritate aberremus.

Discrimen de uoluntate. ALterum discrimen est ueræ & falsæ inuocationis de uoluntate Dei.Errant Ethnici,Iudæi,& Mahometistæ,& alij hostes Euangelij de uoluntate Dei, quia nec possunt statuere, nec statuunt se exaudiri, cùm promissiones ignorent & aspernentur, & accedere ad Deum sine Mediatore uolunt. At filius Dei expressè dicit, Nemo potest uenire ad Patrem,nisi per Filium. Cùm igitur mens sine promissione, & sine agnitione Mediatoris non possit ad Deum accedere, manifestum est inuocationem aliarum gentium, quæ promissiones & Mediatorem contemnunt,damnatam esse.

Hanc admonitionem de discrimine ueræ inuocationis & falsæ, necessariam esse non dubium est,quam ut familiarem nobis faciamus,quoties incipimus precationem & gratiarum actionem,mente intueamur Baptismum Christi,& cogitemus tunc Deum clarissimè se patefecisse, nec frustra aut solius Iohannis causa eam patefactionem factam esse existimemus,sed propter uniuersam Ecclesiam.

Mente intuenda reuelatio facta in Baptismo Christi. Nec est ociosum spectaculum illa admiranda reuelatio, cuius nulla similis legitur,sed est testimonium,quo manifestè ostendit Deus,uerè sibi curæ esse Ecclesiam, se adesse in Ecclesia, & uelle nobis opem ferre. Mens igitur sciat hunc esse æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui ibi de Filio edit hanc uocem, Hic est Filius meus dilectus. Deinde Filium esse scias, hunc stantem in flumine, Spiritum sanctum uerõ specie columbæ insidentem Filio.

Hanc patefactionem intuens, hunc Deum qui se illustri testimonio ibi ostendit, alloquaris, & tuam inuocationem ab aliarum gentium inuocatione seiungas,& ut te ad cogitationem huius discriminis magis exuscites, locum & tempus patefactionis illius cogites, & uelut mente ingrediaris in illum hortum in ripa Iordanis,ubi inter Angelos & multos sanctos, qui unà adfuerunt in Baptismo Christi,spectatorem & auditorem tantæ reuelationis te esse cogites,sicut uerè sumus, cùm fide nostram inuocationem dirigimus ad Deum, qui ibi

qui ibi se Ecclesiæ ostendit. Nec putemus solum Baptistam, spectatorem uel auditorem fuisse. Sed non dubium est, ibi magnos angelorum Deo placentium exercitus fuisse, Et consentaneum est, adfuisse matrem Mariam, & multos Baptistæ auditores. *Spectatores Baptismi Christi.*

Ad hanc patefactionem adiungito omnes alias in eductione ex Aegypto factas, quarum cogitatione fidem confirmes, & dirigas inuocationem ad illum uerum Deum, qui se ab initio in Ecclesia patefecit, & uerbum & promissiones eius intuearis, & scias te non aliud numen inuocare, nisi hunc uerum Deum semper in Ecclesia patefactum, sapientem, ueracem, iustum, castum, misericordem, Sicut Prophetæ & Apostoli nos ad has patefactiones deducunt, ut Act: 3. inquit Petrus, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob glorificauit Filium suum Iesum, quem uos tradidistis. *Aliæ patefactiones.*

Sicut autem in Inuocatione cogitari hoc discrimen ueri Dei à commentitijs numinibus necesse est, ita in Symbolo, cùm dicitur, Credo in unum Deum, fides intueatur illas patefactiones, ut sciat quem Deum alloquamur, & cogitet testimonia omnium temporum ac promissiones, ut statuat uerè nos recipi & exaudiri.

Primùm autem sciendum est, nomen Dei usitatè essentiam diuinam significare. Primùm igitur definitio Dei constituenda est, & de unitate Essentię dicendum. *Nomen Dei significat essentiam.*

Cùm autem humanę rationi in creatione indita sit noticia Dei firma, quę cùm post deprauationem naturæ non prorsus extincta sit, manet reliqua scintilla eius noticiæ in toto genere humano, quia uult Deus in nobis manere Legem, quæ monstret ipsum, & deinde nostram inobedientiam horribilem arguat, accusęt, & damnet. Ideò passim leguntur descriptiones Dei etiam extra Ecclesiam scriptæ, apud alios aliæ, quæ prudenter dijudicandæ sunt. Nam Stoica longius recedit à ueritate, quæ etiamsi dicit, Deum esse mentem æternam, tamen infundi eam in mundi corpora, eamq; causis secundis sic alligatam esse, ut nec possit aliter mouere, quàm cient causæ secundæ.

Platonica, etsi est insufficiens, tamen eas proprietates continet, quæ utcunq; luce naturali de Deo sine patefactione diuina cerni possunt. Est autem hæc descriptio, Deus est mens æterna, causa boni in natura. Tantùm ratio naturalis utcunq; uidet, Deum esse substantiam, sine mole corporea, intelligentem, sapientem, ueritatis amantem, iustam, beneficam, castam, uindicem atrocium scelerum, causam ordinis & bonarum rerum omnium in hac uniuersitate mundi. Hæc multi legentes in Philosophis, cogitant nullum discrimen esse inter Philosophiam & doctrinam Ecclesiæ. Admonendi sunt igitur imperitiores, Platonicam descriptionem mutilam esse. Integram uero de Deo doctrinam, non in Philosophia, sed in Ecclesia Dei quærendam esse, ubi se certis & illustribus testimonijs patefecit, ac suam doctrinam per scripta Prophetarum & Apostolorum seruari & propagari uoluit. *Platonica descriptio Dei.*

Sit igitur hæc definitio Dei integra, sicut à Deo monstrata & per Prophetas, Christum & Apostolos propagata est. Deus est Essentia spiritualis, intelligens, æterna, uerax, bona, iusta, misericors, casta, liberrima, immensæ potentiæ & sapientiæ, Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius, imago Patris coæterna, & Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, sicut patefacta est diuinitas certo uerbo, quòd Pater æternus, cum Filio *Definitio Dei in Ecclesia.*

& Spiritu ſancto condiderit & ſeruet cœlum & terram,& omnes creaturas,& in genere humano condito ad imaginem ſuam et ad certam obedientiam,elegerit ſibi Eccleſiam,ut ab ea hæc una & uera diuinitas patefacta certis teſtimonijs, & per uerbum traditum Prophetis & Apoſtolis, agnoſcatur, inuocetur, & colatur, iuxta uerbum illud diuinitus traditum, & damnentur omnes cultus,qui fingunt alios Deos,& hæc uera diuinitas in tota æternitate celebretur. Hanc definitionem ſciamus non eſſe natam in ratione humana, ut Platonica definitio, ſed doctrinam eſſe in Eccleſia reuelatam inde uſq; ab initio.

Explicatio definitionis per teſtimonia ſcripturæ.

Quòd enim Deus ſit eſſentia ſpiritualis,adfirmat Chriſtus,inquiens, Iohan:4.Deus eſt ſpiritus,id eſt,non eſt elementis,aut cœli natura conflatus,Sed alia quædam eſſentia, quàm in hac miſera caligine mortalis uitæ nondum intelligere poſſumus.Sed cernemus in illa æterna conſuetudine coram,ad quam nunc Eccleſia uocatur & colligitur.

Deinde quod ſit Eſſentia intelligens, teſtantur hæc uerba in creatione, Dixit Deus. Dicere autem eſt ſubſtantiæ intelligentis non brutæ.

Quòd ſit omnipotens, confirmatur ex eadem narratione in Geneſi, In principio creauit Deus cœlum & terram.Cùm enim omnia condiderit,et quidem ſine priore materia,ſed dicendo,declarauit ipſa creatione ſuam omnipotentiam. Et Eſai: 44. Ego ſum Dominus conditor omnium, extendens cœlos ſolus,ſtabiliens terram,& nemo alius eſt,qui mecum id faciat.

Et uoluntatem Dei liberrimam eſſe, & liberè condidiſſe omnes creaturas,nec alligatam eſſe cauſis ſecundis,teſtatur dictum Pſalmi,Omnia quæcunque uoluit, fecit.

Deinde eſſe bonum & beneficum, ueracem, iuſtum, miſericordem, caſtum, probatur ex ipſa lege, quam non ſolum illuſtribus teſtimonijs in monte Sina terribili uoce propoſuit, ſed inde uſq; ab initio generis humani ſæpè repetiuit, & omnibus temporibus teſtatus eſt & teſtabitur exemplis horribilibus,diſplicere ſibi facta contraria legi.Et in Pſalmo dicitur,Non Deus uolens iniquitatem tu es.

Sic & narratio de creatione hominis docet,qualis ſit Deus.Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Cùm igitur mentibus humanis inſitæ ſint leges præcipientes ueritatem, iuſticiam, beneficentiam, caſtitatem,neceſſe eſt in Deo tale iudicium & tales uirtutes eſſe. Etſi autem hæ noticiæ in deprauatione humanæ naturæ obſcuriores ſunt, & adſenſio languidior eſt, tamen hæc lux non eſt prorſus extincta, ut doceat nos, & eſſe Deum, & qualis,& ſit teſtimonium de iudicio Dei.

Sequitur in definitione recitatio perſonarum. Hæc uero eſt arcana & miranda ſapientia longè extra & ſupra conſpectum omnium creaturarum poſita.Quare neceſſe eſt meminiſſe teſtimonia,in quibus ſe Deus ita patefecit,ut ſciamus uerè tres eſſe perſonas,quæ ſint tamen ὁμοούσιαι.

οὐσία & perſona differunt.

Vt autem hæc recitatio intelligatur,neceſſe eſt primùm enarrari hæc uocabula οὐσίαν & perſonam. οὐσία eſt eſſentia quæ uerè eſt, non ut accidens in alio hærens.Perſona uero eſt ſubſtantia, indiuidua,intelligens,incommunicabilis. Initiò autem græca Eccleſia nominauit ὑπόσασιν, qnòd latini perſonam dixerunt, poſtea etiam,ne à latinis diſſentire uiderentur, adpellarunt πρόσωπον, etiamſi hoc nomen græcis aliud in ueteri lingua ſignificat.

Nunc

NVnc igitur ad Symboli doctrinam redeo, & hunc primum articulum recito. Vna est Essentia diuina, æterna, Pater æternus, Filius λόγος qui est imago æterni Patris, & Spiritus sanctus. Ac diligenter considerandæ sunt hæ regulæ: Quoties diuinitas intra sese describitur, discernuntur personæ. Sed cùm opponitur creaturis, mentio fit unius æternæ Essentiæ. Altera regula est, Creatio & alia opera diuina extra diuinitatem, sunt communia opera trium personarum.

Vna est essentia diuina.

Duæ Regulæ considerandæ in doctrina de trinitate.

Cùm autem de omnibus articulis aliqua perspicua testimonia semper meminisse necesse sit, addam hic unum atq; alterum testimonium, de hoc primo articulo, uidelicet, de unitate Essentiæ diuinæ.

Deut: 6. Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Hoc dictum de essentia loquitur, & excludi ā diuinitate omnes creaturas, & omnia quæ non sunt hic Deus patefactus in hoc populo Israël. Non enim ocioſē posita est particula, Iehoua, sed discernit hunc Deum in Israël patefactum, ab aliarum gentium commentitijs numinibus, quasi dicat, Hic Iehoua patefactus in hoc populo Israël, & non alij, quos fingunt Aegyptij, Chaldæi, & alij. Ita monet, ut quæramus Deum, qui se patefecit in uera Ecclesia.

Testimonia de unitate essentiæ.

Deut: 32. Videte, quōd ego sim solus, et non est alius Deus præter me.

Extant passim in Prophetis multa similia testimonia, quæ prodest meminisse & sæpē cogitare, ut benē confirmentur mentes contra Ethnicos furores, & contra Valentinianos & Manichęos, qui horribiliter lacerarunt ueram doctrinam de unitate diuinæ Essentiæ.

DE TRIBVS PERSONIS DIVINITATIS.

SEquitur altera pars Articuli de diuinitate, quòd videlicet tres sint personæ ὁμοούσιοι, æternus Pater, Filius λόγος, qui est ἐικὼν æterni Patris, & Spiritus sanctus. Hic primùm tenenda est definitio personæ suprā recitata, nec concedendum petulantibus ingenijs, ut præstigijs cauillationum corrumpant doctrinam, quam Deus ipse de sese patefecit.

Tres personæ ὁμοούσιοι.

Quærat autem aliquis, quare tres personas diuinitatis, & non plures aut pauciores esse adseueramus? Hic respondendum est, quia Deus sic se patefecit, cui necesse est adsentiri.

Tres personæ & non plures.

Describamus igitur personas, & testimonia certa colligamus, ut in Inuocatione Deum rectè alloquamur. Pater æternus, est persona diuina, æterna, non nata aliunde, sed cogitatione sui gignens ab æterno Filium coæternum imaginem suam. Ac manifestè discernit se Pater ā Filio in hac uoce, cùm dixit: Hic est Filius meus dilectus, quo delector. Hæc uerba perspicuè Patrem & Filium discernunt, quę quidem sępē cogitanda sunt, & ut nos confirment de hoc articulo, & ut nos commonefaciant de ingenti amore æterni Patris erga suum Filium. Magna enim uis est horum uerborum. Delector hoc Filio. Diligi ā se hunc Filium adfirmat, & se eo lætari, & in eo acquiescere. Hoc autem ideò prędicat, ut cùm docuerit, Ecclesiam propter hunc Filium recipi, fides fiat ardentior, cogitans uero & ingenti amore nos quoq; diligi ā Deo, quia filij hæreditas sumus, & propter eum recipimur, & eum audimus & celebramus.

Pater æternus.

Sunt autem eadem uerba de Filio, quæ edidit Pater in Baptismo Filij, apud Esaiam cap: 42. Ecce seruus meus, sustentabo eum, electus meus, quo delectatur anima mea.

Difficile est homini statuere de prouidentia, curæ esse Deo homines, sed hoc multo difficilius est, statuere, nos uerē diligi, sicut pius pater uero amore erga liberos suos adficitur. Id autem statuere discamus, hac dulcissima uoce confirmati, cùm inquit Pater: Hic est Filius meus dilectus, quo delector, Ideō enim impressit Deus σοργὰς parentibus, ut sint commonefactiones de amore Dei, primūm erga Filium, deinde erga genus humanum, quod condidit propter Filium. Cùm igitur manifestē adfirmet uerē ā se diligi Filium, & non dubitandum sit amorem hunc uerum, ardentem, & non frigidam cogitationem esse, ut Stoici imaginantur, statuamus nos quoq; uerē & ardenter diligi, cùm Filium agnoscimus & celebramus. Hæc uerissima sunt, etiamsi humanæ mentis caligo & tristis dubitatio tantam magnitudinem amoris non satis agnoscit. Sed quoties de nostra σοργῇ erga liberos cogitamus, ueniat in mentem hunc nostrum adfectum, uestigium Dei esse nobis impressum, ut nos de amore ęterni Patris erga Filium & erga nos commonefaciat.

σοργαὶ cur impressæ hominibus.

FILIVS. *NVnc recito Filij descriptionem. Filius est Persona diuina, genita à Patre cogitante* ac intuente seipsum, imago coæterni Patris & ὁμοούσιος, non ex nihilo condita, ut Ariani dixerunt, sed genita ex Patris substantia, qui Filius postea fuit intercessor, inter Deum & Adam ac Heuam lapsos, & constitutus Mediator, adsumsit humanam naturam, ut pro nobis uictima fieret, & crucifixus ac resuscitatus colligit æternam Ecclesiam, & cum Patre in æternum regnat.

TESTIMONIA.

ETsi passim sparsa sunt testimonia in scripturis Propheticis & Apostolicis de Filij diuinitate, tamen in primo capite Iohannis, narratio maximē illustris Ecclesiæ proposita est ad hunc articulum confirmandum, ubi etiam nomen Filio tribuitur, λόγος.

Filius uocatur λόγος ideo.

Vocatur autem λόγος, quia cogitatione nascitur, & est imago Patris. Nam Pater sese intuens & cogitans, gignit imaginem sui, communicata ipsi essentia.

Quanquām autem in creaturis, nihil huius generationis prorsus simile est, tamen cùm Deus utatur adpellationibus humanis, aliquo modo umbras tantæ rei in nobis uult considerari. Mens humana cogitans aliquid, pingit rei cogitatæ imaginem, ut quoties cogitamus homines notos absentes, mente quasi deliniamus corporum figuras. Talis imago in nobis dicitur λόγος, uerbum mentis, ut usitatè in scholis dici solet. Sed nos non transfundimus substantiam in imagines illas in mente formatas, quæ reipsa sunt in nobis subitæ & euanescentes actiones. At Pater æternus gignit imaginem communicata ipsi essentia. Ex hac qualicunq; collatione humanæ mentis & cogitationis nostræ discamus adpellationes aliquo modo enarrare.

Filius uocatur Imago.

Est & alia usitata adpellatio, uidelicet, imago æterni Patris. Sic Paulus nominat Filium in Epistola ad Colossenses. Vt autem in nobis cogitatio format imagines, ita cùm Filius cogitando gignatur, sitq; λόγος, simul intelligi potest, esse eum Patris imaginem, quia & in humana mente λόγος est imago rei cogitatæ.

Cùm hac

Cum hac adpellatione congruunt duæ, quæ recenſentur in Epiſtola ad Ebræos, χαρακτὴρ ſubſtantiæ Patris, & ἀπαύγασμα gloriæ. Hæc uocabula prorſus idem ſignificant, quod imago. Et qualis ſit imago, oſtendit deſcriptio, quæ additur. Imago ſubſtantiæ, id eſt, ſubſtantialis, non euaneſcens, ſed perſona. Item ἀπαύγασμα gloriæ, id eſt, fulgor claritatis, hoc eſt, ſubſtantiæ paternæ. Ac ſimilitudine illa fulgoris tranſmiſſi, ſignificatur Filium eſſe ex ſubſtantia Patris, non ex nihilo, ſeu ἐκ μὴ ὄντων, ut Ariani dicebant. Sed, ut dicit Nicenum Symbolum, φῶς ἐκ φωτός. Poſtquam adpellationes utcunq; declaratæ ſunt, nunc teſtimonia recitentur, quæ oſtendunt in Chriſto duas naturas eſſe, & diuinam, uidelicet λόγον, perſonam diſtinctam à Patre, & tamen ὁμοούσιον πατρὶ, & natura Deum eſſe.

Filius χαρακτὴρ ſubſtantiæ et ἀπαύγασμα gloriæ.

Etſi autem paſſim ſparſa ſunt teſtimonia in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, tamen Iohannes ideò ſuam narrationem ab hoc articulo exorſus eſt, ut in illuſtri loco extaret teſtimonium, ac omnibus in conſpectu eſſet. Et quia in ipſo exordio ponitur, magis adparet, non obiter aut caſu ei hæc uerba excidiſſe, ſed conſultò inſtitutam eſſe hanc narrationem, ut Eccleſia certa eſſet de Filij ſubſtantia. Eſtq; conſentaneum eo tempore oppoſitam eſſe hanc confeſſionem Hebioni & Cerintho, qui negabant in Meſſia naturam diuinam eſſe. Semper igitur in omni inuocatione ſit in conſpectu hæc narratio.

IN principio erat λόγος, uidelicet, hæc perſona, quæ eſt Filius Dei, & nominatur λόγος. Cùm autem dicitur fuiſſe in principio, intelligitur fuiſſe ante creationem rerum, quaſi dicat, In illo principio, de quo loquitur Moyſes, inquiens, In principio creauit Deus cœlum & terram. Tunc inquam erat λόγος. Non igitur creatus eſt. Deinde addit, Et λόγος erat apud Deum. Hic perſonæ diſcernuntur, quia dicit λόγον fuiſſe apud Patrem, teſtatur ergo duas eſſe perſonas.

Teſtimonium ex primo capite Iohannis, quòd Filius ſit Deus.

Et Deus erat λόγος, Poſito diſcrimine perſonarum, hic expreſſè iam adſeuerat, Filium eſſe natura Deum. Et ut huius propoſitionis membra rectè ordinentur, neceſſe eſt conſuetudinem Græci ſermonis noſſe. Articulus additur ſubiecto. Ideò ſciendum eſt, hic λόγον reuera ſubiectum propoſitionis eſſe, & θεὸν prædicatum, ſicut conuenit in docendo & in definiendo uocabulum communius ponere loco prædicati, ut dicimus, Malua eſt herba, ita hic ſciamus præcipuam uocem definitionis poſitam eſſe in prædicato, monſtrantem, quæ ſit Filij ſubſtantia. λόγος eſt Deus, quaſi dicat, non eſt imago euaneſcens, ut humana cogitatio, nec eſt imago creata, ſed reuera & ſubſtantialiter eſt Deus. Cæterùm nomen Deus, ut communius, conuenit etiam Patri & Spiritui ſancto. Hæc quæ de membris propoſitionis hoc modo ordinandis dixi, adferunt lucem narrationi, & neceſſariò ſic ordinari membra cogit Articulus.

Nec locus eſt hic cauillationi de uocabulo Dei. Nomen Dei interdum ſignificare non natura Deum, ſed gubernatorem ornatum diuinis donis. Ad hanc cauillationem reſpondendum eſt, non faciendam eſſe ambiguitatem uocabuli in ea narratione, ubi Dei Eſſentia deſcribitur, & non dicitur de hominum gradibus. Ac textus ipſe refutat hanc calumniam, cùm declarat, quid nominet Deum, ſcilicet creatorem. Hæc eſt proprietas ſoli diuinæ eſſentiæ conueniens. Dicit autem de Filio, Omnia per ipſum facta ſunt, Ergo filius cùm ſit creator cum Patre, eſt ὁμοούσιος πατρὶ, & natura Deus, non metaphoricè, non nuncupatione tantùm.

Hoc teſtimonium, quod in exordio narrationis apud Iohannem recitatur, ſemper in conſpectu ſit, & in huius articuli defenſione, cæteris argumentis præponatur, quia hoc loco non obiter de duabus naturis in Meſſia, aut obſcurè, aut ambiguè dicitur, ſed narratio hanc ipſam ob cauſam inſtituta eſt, ut de tanto articulo Eccleſia certam & expreſſam ſententiam teneret.

Alia teſtimonia, quòd filius ſit Deus.

Deinde adiungantur alia teſtimonia, quæ paſſim in ſcripturis Propheticis & Apoſtolicis ſparſa ſunt, ut Iohan:1. ſtatim repetitur inſigne teſtimonium, In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Conſtat autem mundum non eſſe conditum per humanam naturam Chriſti. Ergo neceſſe eſt in Chriſto nato ex uirgine Maria, & eſſe & manere alteram naturam conditricem cum Patre.

Ac ut adpareat perpetuum conſenſum eſſe huius tantæ reuelationis, ſæpè hæc ipſa ſententia repetita eſt, uidelicet, per Filium omnes creaturas conditas eſſe, quia hæc proprietas clariſſimè teſtatur, Filium omnipotentem eſſe, & natura Deum. Coloſſ:1. Omnia per ipſum, & in ipſum condita ſunt, & ipſe eſt ante omnia, & omnia conſiſtunt per ipſum. Et Ebræ:1. Per Filium, quem poſuit hæredem omnium, per quem & ſecula fecit, qui eſt fulgor claritatis & effigies ſubſtantiæ eius, ferens omnia uerbo potentiæ ſuæ. Hæc dicta manifeſtè teſtantur, eſſe & manere in Chriſto diuinam naturam conditricem cum Patre. His teſtimonijs addat pius lector pleraq; collecta in alijs ſcriptis.

Adiuuatur autem Eccleſia in hoc articulo perſpicua cõfeſſione ueterum, qui proximi fuerunt Apoſtolis, & eorum diſcipulos audierant. Extat enim in Euſebio libro 7. confeſſio Gregorij Neocæſarienſis ſcripta, cùm Antiochiam contra Samoſatenum accerſitus eſſet, Vnus Deus, Pater Verbi uiuentis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & imaginis ſuæ, integer integræ genitor, Pater Filij unigeniti. Vnus Dominus, ſolus ex ſolo, imago Patris, uerbum efficax, filius ſempiternus ex ſempiterno. Vnus Spiritus ſanctus ex Deo ſubſtantiam habens, qui per Filium apparuit, ſanctificans, per quem Deus ſuper omnia & in omnibus cognoſcitur.

Gregorius Neocæſarienſis.

Etſi autem non propter humanam autoritatem, de re tanta, de Dei eſſentia ſtatui poteſt, ſed fides uerbo Dei, quod per Prophetas & Apoſtolos traditum eſt, nititur, tamen confeſſiones primæ Eccleſiæ, ſunt tanquãm narrationes hiſtoricæ, teſtantes quid ſenſerint Apoſtoli. Imò Deus ſemper uult aliquos teſtes eſt ueræ ſententiæ in Eccleſia. Ideò talia dicta primæ & incorruptæ antiquitatis ã probatis doctoribus accepta, non ſunt negligenda. Nam & commonefaciunt nos de ſententia Prophetarũ & Apoſtolorum, ut in ipſo uerbo Dei quærantur firma teſtimonia, & confirmant nos ſua confeſſione, cùm intelligimus eos natiuam ſententiam Prophetici & Apoſtolici ſermonis retinuiſſe, & adfirmare eam ab Apoſtolis acceptam eſſe.

Irenæus. Polycarpus.

Sunt & apud Irenæum perſpicua teſtimonia, qui audiuit Polycarpum auditorem Iohannis, & multò ante Nicenam Synodum uixit, tempore imperatoris Seueri, & deinde in Syrmio, regnante Maximino, admodum ſenex, propter confeſſionem Euangelij, ſupplicio adfectus eſt. Extant autem hæc uerba in libro tertio Irenæi, cap:2. Oſtenſo manifeſtè, quod in principio λόγος exiſtens apud Deum, per quem omnia facta ſunt, qui & ſemper aderat humano generi, hunc nouiſſimis temporibus ſecundum præfinitum tempus ã Patre, unitum ſuo plaſmati, paſſibilem hominem factum miſit.

Et extat

Et extat longa Epistola Alexandri Episcopi Alexandrini, qui ante Nicenam Synodum refutauit Arium, adseuerans λόγον esse natura Filium Dei, & repetens sententiam in Synodo Antiochena editam contra Samosatenum. In ea Epistola uerba hæc sunt, Et secundum hoc credimus, Filium semper quoq; existere cum Patre, ἀπαύγασμα enim est &c. *Alexander Episcopus Alexandri.*

Deinde testimonium uniuersæ Synodi Nicenæ sit in conspectu, quam secuti Athanasius, Basilius & alij multi constantissimè defendunt tres esse personas diuinitatis, sicut inquit Epiphanius contra Sabellianos, ἐνυπόσατον ὁ πατὴρ, ἐνυπόσατον ὁ υἱὸς, ἐνυπόσατον τὸ ἅγιον πνεῦμα. *Epiphanius.*

Et nominatim Synodus Nicena damnauit Arij dicta, qui contendit, Filium, λόγον, ex nihilo conditum esse, ἐξ οὐκ ὄντων, item fuisse aliquando Patrem, cùm nondum esset Filius, ἦν πότε, ὅτε οὐκ ἦν. *Nicena Synodus.*

Extat Basilij breuis concio, cui titulus est de Fide. Extat & enarratio in exordium Iohannis, ubi perspicuè adseuerationes sunt huius sententiæ, quam recitaui. *Basilij concio.*

Hæc ideò recito, ut uetera testimonia non negligantur, quæ pios confirmare possunt. Nam ut antè dixi, etsi fides & inuocatio nituntur uerbo Dei per Prophetas & Apostolos tradito, tamen confirmantur bonæ mentes, cùm audiunt ueteris & purioris Ecclesiæ testimonia, quę adfirmat hanc ipsam doctrinam ab Apostolis acceptam esse, & eorum auditores testari hanc sententiam ab Apostolis sine ulla ambiguitate traditam esse.

CVm autem iam dictum sit, Filiũ non ex nihilo conditum esse, sed reuera de substantia Patris natum, sicut ait symbolum, Deum de Deo, Lumen de Lumine, paucis hic etiam de hac propositione dicam, non ut inanis contentio moueatur, sed ut Filius Dei rectius agnoscatur, scilicet, an rectè dicatur, Essentia generat, item, Essentia generatur. Non dubium est, sequentes propositiones ueras esse, Pater generat, Filius nascitur seu natus est. Nam hic cogitatio successionis, qualis est in tempore, excludenda est. *Essentia generat, & essentia generatur.*

Sed cùm recentiores reijciunt hanc propositionem, Essentia generatur, offundunt imaginationem quasi alia quędam res nascatur, & essentia communicetur non nata. Hæc imaginatio procul ex mentibus ejcienda est, & sciendum, cùm Filius nascitur, uerè eum de essentia Patris nasci, & ita nasci essentiam, quę Filius est, ut hoc ipsum dictum uult, Deus de Deo, Lumen de Lumine. *Filius uerè nascitur de substantia Patris.*

Hac uera sententia considerata, facilè est iudicium de illis quæstionibus recentiorum, ubi quærunt, an in Filio differant realiter essentia, & relatio. Et an relatio generetur, si essentia non generatur. Verùm est enim, essentiam & relationem in qualibet persona non differre realiter, nec esse duas res essentiam filij & relationem, sed reuera Filium esse genitam essentiam, non aliam quampiam rem genitam.

Hæc uera sunt, & pios qui dextrè hæc accipiunt, utiliter erudiunt, ut agnoscant Filium Dei uerè esse genitam à Patre essentiam, non duas res esse, nec tantùm relationem natam esse. Basilius inquit, Si Filius non esset natus, duæ illæ personæ essent duo ἀδελφά. Vt autem uerè sit Filius, necesse est de substantia Patris natum esse. Et plura apud græcos congruentia huic nostræ enarrationi dicta sunt, quæ ex ipsis fontibus petenda sunt.

POstquàm autem hæc fundamenta rectè percepta sunt, considerandum est argumentum grauissimum, quod uidelicet tota Scriptura ueteris & noui

Testimonia utriusq; testamenti, quòd Meßias sit adorandus.

Testamenti adfirmat inuocandum & adorandum esse Filium Dei Messiam, & iubet ab eo petere auxilium in omnibus periculis, & uitam æternam, & acquiescere fiducia ipsius, tanquam exaudientis & opem ferentis. Hoc est autem tribuere ei infinitam potentiam, quòd ubicq; adsit, corda inspiciat, exaudiat, quōd det iusticiam & uitam æternam. Necesse est igitur in Messia diuinam naturam esse.

Noui Testamenti testimonia.

Perspicua sunt autem testimonia in nouo Testamento.

Iohan:10. Ego uitam æternam do eis, & nemo rapiet eas ex manu mea.

Iohan:5. Pater meus usq; modō operatur, & ego operor. Quæ ille facit, & Filius similiter facit.

Item, Sicut Pater exuscitat mortuos, & uiuificat, sic & Filius quos uult, uiuificat.

Iohan:14. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Hic apertē testatur se exaudire petentes, & largiri sese ea quæ petimus, quorum utrunq; proprium est diuinæ & immensæ naturæ.

Iohan:15. Sine me nihil potestis facere. Hæc sententia testatur Christum adesse, protegere, iuuare, gubernare inuocantes, quæ sunt Dei propria.

Matth. 18. Vbicunq; sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Adesse ubiq;, exaudire & opitulari ubiq;, propria sunt diuinæ naturæ.

Iohan. 20. Christus suo halitu dat Spiritum sanctum, quod etiam solius diuinæ naturæ proprium est.

Iohan. 10. Ego pono animam meam, & rursus sumam eam.

Iohan. 6. Ego suscitabo eum in nouissimo die.

Iohan. 8. Priusquām Abraham natus est, ego sum. Hic testatur se fuisse antequām adsumeret humanam naturam.

Iohan. 17. Glorifica me Pater ea gloria, quam habui apud te, antequām esset mundus.

Coloss. 1. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt, & omnia per eum consistunt. Est ergo in Christo natura diuina conditrix rerum. Ideō postea in capite 2. inquit, In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, quasi dicat, In alijs habitat Deus spiritu suo, nouam lucem & nouos motus accendens, sed in Christo habitat non solūm spiritu, sed etiam ita, ut personali unione humanæ naturæ diuina unita sit. Nam σωματικῶς significat substantialiter seu personaliter, quia ut nunc personam dicimus, ita ueteres Græci σώματα dixerunt.

Ad Ebræ: 1. Quem posuit hęredem omnium, per quem & secula fecit, qui est fulgor gloriæ, & effigies substantiæ eius, sustentans omnia.

Act:7. Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Hæc petitio tribuit Christo, quōd morientium animas custodiat, & rursus coniungat animas & corpora.

1. Thess: 3. Ipse Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus dirigat uiam nostram.

EX VETERI TESTAMENTO.

Veteris Testamenti testimonia, Esai: 7.

ESai:7. Vocabitur nomen eius Emanuel, id est, nobiscum Deus. Sed firmius est quod sequitur cap:9. uocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater uitæ perpetuæ.

Etsi enim

Etsi enim hic Iudæi deprauant uocabulum El, & dicunt ἀμφίβολον esse, tamen sequens proprietas addita refutat Iudaicam cauillationem. Cùm enim Messias dicitur esse Pater uitæ perpetuæ, manifestè tribuitur ei omnipotentia. Nam dare uitam æternam, solius est diuinæ naturæ. Congruit autem hoc dictum cum eo quod suprà citauimus, Ego uitam æternam do eis.

Ierem: 33. Et hoc est nomen, quod uocabunt eum, Iehoua iustificator noster. Hic tribuit Messiæ nomen, quod in illa lingua proprium est Dei, & adfirmat Messiam esse iustificatorem. Tribuit igitur ei gloriam, quæ soli Deo competit. Nam iustificare, tollere peccatum, & reddere iusticiam, & uitam æternam, nemo potest nisi Deus. Eludere autem Iudæi hac cauillatione tam illustre testimonium conantur, dicunt hoc nomen non esse substantiæ adpellationem aut descriptionem, Sed descriptionem esse beneficij aliunde dati per eum, ut apud Ezechielem in postremo uersu dicitur: Hoc erit nomen ciuitatis, Dominus ibidem. Ita hanc adpellationem aiunt tribui Christo, tanquàm alieni beneficij significatori, Deus est iustificator noster. Ieremiæ 33.

Sed hæc Sophistica elusio refutari potest collatione aliorum testimoniorum, quæ suprà citauimus, quæ cùm perspicuè adfirment, Filium esse natura Deum, & de substantia Patris genitum, rectè intelligitur & hoc loco, tribui ei adpellationem & potentiam Dei, propterea quòd sit natura Deus.

Deinde uerbum, uocabunt, in hoc loco Ieremiæ, significat, inuocabunt, id est, ipsum Messiã perpetuò Ecclesia inuocabit hoc modo, nominans ipsum, Iehoua et iustificatorem. Ipsa autem inuocatio testatur eum esse natura Deum. Et cùm in ipsa inuocatione ad ipsum Messiam directa, nominetur ipse Iehoua & iustificator, non dubium est eum natura Deum esse.

Miche: 5. Egressus eius ab initio ante dies mundi. Etsi breuitas talium testimoniorum auget obscuritatem, tamen quia eædem sententię sæpè repetuntur, collatio singula dicta illustrat & confirmat. Dicit hunc Messiam egressum esse ante dies mundi, quo dicto aut hoc significatur Filium natum esse ante conditionem mundi, aut egressum, id est, promissum, ostensum in uerbo, & conspectum esse Patribus in ipso mundi principio, & deinceps, & inde usq; ab initio fuisse deprecatorem pro Ecclesia, & defensorem Ecclesiæ. Luctatur cum Iacob, & Iacob de ipso dicit, Benedicat uobis Deus, & Angelus qui eripuit me ex cunctis malis. Hoc præconium est Messiæ, qui liberat ã ueris & æternis malis, ã peccatis, ab ira Dei, ã morte. Hæc beneficia maiora sunt, quàm custodia corporum, quæ fit per Angelos creatos. Loquitur & cum Moyse, Iosua, & Daniele. Micheæ 5.

Ideò & 1. Corinth: 10. expressè adfirmat Paulus, Christum adfuisse populo in deserto. Bibebant ex spirituali comitante eos petra, Petra autem erat Christus.

Psal: 45. Et concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus. Hic adfirmat Messiam, quem uenturum esse prædicat, Deum esse, & nomine utitur Adonai, quod propriè Deo tribui solet. Est autem dulcis consolatio in hoc dicto. Cùm Psalmus laudat Ecclesiæ pulcritudinem, quæ non solùm iudicio mundi propter crucem squalida uidetur, sed etiam reuera adhuc languida est, & multas sordes, ignorantiam, & uicioſos adfectus multos circumfert. Interea tamen sciamus nos, quanquàm imbecilles, propter immensam misericordiam, tamen huic nostro Regi placere, & prædicari pulcritudinem, id est, aliquas esse Psal: 45.

esse uirtutes Deo placentes, ueram inuocationem, propagationem ueræ doctrinæ, & reliquam incoatam obedientiam.

Psal. 72. Psal: 72. dicit Messiam sempiternum esse, & semper adorandum. Fuit nomen eius semper, Ante solem manet nomen eius, & benedicentur in eo omnes gentes. Item, Timebunt eum donec erunt Sol & Luna. Item, Adorabunt coram eo semper.

In his uerbis perspicuè describitur æternitas, Ante solem, id est, antequàm sol conditus est, erat hic Filius. Nam Ebraicus Psalmus hic insigni uerbo usus est, significans haud dubiè natum esse Filium, ante conditionem solis.

Deinde & manifestè adfirmat hunc Messiam semper inuocandum esse, etiam cùm non conspicietur oculis. Non igitur loquitur de gestu corporum, qui præsentibus Regibus exhibetur, sed loquitur de mente, quæ petit à Messia, ut misereatur nostri, & sit intercessor pro nobis, det remissionem peccatorũ, Spiritum sanctum & uitam æternam, & sit opitulator & defensor etiam in huius uitæ periculis, aduersus furores Diaboli & impiorũ, sicut & ipse inquit, Oues meæ uocem meam audiunt. Nemo rapiet eas ex manu mea. Talis adoratio uerè tribuit omnipotentiam Messiæ, & testificatur eum esse Deum, ut suprà dixi, has & similes sententias de inuocatione, diligenter excerpendas esse, quia simul docẽt, quis sit Messias, & cõsolationes necessarias nobis proponũt.

Post hæc testimonia ab effectibus sumta, quæ quia proprietates continent, soli diuinæ & infinitæ naturæ tribuendas, minus labefactari possunt, ad-

Psal. 2. datur & ex Psalmo secundo uox æterni Patris, Ego hodie genui te, & illustretur hoc dictum, collatis testimonijs, quæ sunt in narratione Iohannis, ubi Messias discernitur à cæteris filijs. Nominatur enim unigenitus, cæteri autem adpellantur filij adoptione. Cùm igitur Messias sit natura filius, necesse est de substantia Patris genitum esse. Hinc perspicuum est dictum Psalmi enarrandum esse de generatione filij, qua uerè ex substantia Patris genitus est. Ego hodie, id est, ab æterno genui te, scilicet, uera generatione, de mea substantia.

HActenus testimonia recensui ex Veteri & nouo Testamento, quæ adfirmant Filium Dei unigenitum, qui se patefecit generi humano, adsumta natura humana ex uirgine Maria, & dicitur λόγος & imago æterni Patris, uerè de substantia æterni Patris natum esse, & natura Deum & omnipotentem esse. Cùm autem tota hæc sententia procul extra humanæ rationis conspectum posita sit, & humanæ rationi hæc ualdè absurda & tetra uideantur, Deum generare, & plures esse personas coæternas & omnipotentes, necesse est diligenter erudiri & muniri mentes de re tanta. Nec tantùm humanæ rationis imbecillitas per sese cogitatione rei tantæ turbatur, sed etiam Diabolus odio filij Dei irritat leuia ingenia, ut opiniones gignant, amplectantur, & spargant contumeliosas aduersus Deum, & aut palàm abijciant Prophetarum & Apostolorum doctrinam, ut fecit Mahomet, aut eludant uera testimonia.

Aduersus hos horrendos furores primùm uera doctrina muniendę sunt mentes, deinde & singuli adsiduis & ardentibus uotis petamus regi nostras mentes à Deo, ne languefactæ amittant ueram lucem.

Vtroq; autem genere testimoniorum nos confirmemus, uidelicet dictis Propheticis & Apostolicis, & deinde uero & constanti consensu ueteris Ecclesiæ, quæ perspicuè adfirmat his tantis controuersijs agitatis, sic intellecta esse Apostolorum testimonia, & ab ipsis Apostolis, & ab eorum auditoribus fideliter

deliter hanc ſententiam initiò propagatam eſſe per probatos doctores, ut ſupra de Irenæo & Gregorio Neocæſarienſi diximus.

Horum clariſſima & conſtantiſſima adſeueratio nos quoq; confirmat. Eſt enim audienda Eccleſia, ſed tamen, ut ſuprà dixi, fides in inuocatione nititur, non humaua autoritate, ſed ipſo uerbo Dei. Quare neceſſe eſt, ſemper etiam aliqua perſpicua & firma teſtimonia ex ſcriptis Apoſtolicis complecti, qualia ſunt apud Iohannem multa, quę quidem magis etiam perſpicua ſunt cęteris. Poſtquàm hæc fundamenta conſtituta ſunt, diluenda ſunt præcipua argumenta quæ obiiciuntur.

REFVTATIO.

IN hac parte hactenus neceſſe fuit dici de natura diuina Filij Dei. Infra de adſumtione humanæ naturæ plura dicenda erunt, ubi fortaſſis commodius eſſet diluere Argumenta, quæ contra diuinam naturam Filij obiiciuntur, ex iis quæ conueniunt humanæ naturæ, & admirandæ ſeruituti, quam ſubiit ut fieret uictima. Sed tamen hic breuiter ea complectemur, ut ueris teſtimoniis, quæ iam recitata ſunt, Lector teneat proximè adiunctas refutationes contrariorum. Aliquid enim lucis adferunt huic doctrinæ de re omnium maxima & grauiſſima.

Obiectio prima contra diuinitatem filij, Natura diuina non patitur.

Prima obiectio eſt, quæ omnibus in oculos occurrit, & maximè uidetur labefactare ſententiam de diuinitate Filij.

Natura diuina nec patitur nec moritur,
Chriſtus autem mortuus eſt,
Non eſt igitur natura Deus.

Ad hanc obiectionem neceſſe eſt reſpondere, quia abſurdiſſimum uidetur dicere Deum lacerari & mori. Eſt igitur hæc reſponſio.

Etſi hæc tota cauſa longè extra omnium creaturarum conſpectum poſita eſt, tamen cùm teſtimonia diuinitus tradita in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, adfirment duas naturas eſſe in Meſſia nato ex uirgine Maria, ut ſcriptum eſt, Et uerbum caro factum eſt, regula hæc tenenda eſt.

Proprietas unius naturæ non excludit proprietates alterius. Ireneus.

Quædam propria uni naturæ, non impediunt, quo minus adſit altera natura. Propria autem ſunt hæc humanæ naturæ, lacerari membra, pati, mori. Ideò Petrus diſertè dixit, Chriſtum paſſum eſſe carne. Et Irenæus piè & perſpicuè inquit, pagina 185. Chriſtum crucifixum & mortuum eſſe, requieſcente uerbo, ut crucifigi & mori poſſet. Id eſt, diuina natura non eſt quidem lacerata aut mortua, ſed fuit obediens Patri, quieuit, ceſſit iræ æterni Patris aduerſus peccatum generis humani, non eſt uſa ſua potentia, non exeruit ſuas uires. Interea lacerata & mortua eſt natura, quæ potuit lacerari & mori.

Congruit autem hoc Irenei dictum ad uerba quę ſunt in Epiſtola ad Philippenſes cap: 2. Qui cum eſſet in forma Dei, id eſt, ſapientia & potentia æqualis Patri, non rapuit æqualitatem Dei, Id eſt, cùm miſſus eſſet ut obediret Deo in paſſione, non fecit contra uocationem, non eſt uſus ſua potentia contra uocationem, Sed ſeipſum exinaniuit, id eſt, non exeruit ſuam potentiam, & humiliauit ſe, formam ſerui accipiens, id eſt, induens cum humana natura mortalitatem, habitu inuentus ut homo, id eſt, adfectibus & deſtructione, gaudio, pauoribus, triſticia, dolore, morte. Etſi igitur ita unitæ ſunt duæ naturæ, imago æterni Patris, & humana natura ex uirgine adſumta, ut ſint una perſona, tamen naturæ retinuerunt ſuas proprietates.

Et con-

Et conſpicitur in hac admiranda paſſione, magnitudo iræ Dei aduerſus peccatum. Non eſt leue dictum, Chriſtum crucifixum eſſe, requieſcente uerbo, id eſt, cùm ira æterni Patris effunderetur in Filium, quieuit λόγος, & fuit obediens, nõ exeruit uires contra Patrem, & interea lacerata eſt humana natura. Hæc humilitas, qua ſe Filius ita ſubiecit Patri, nunc non poteſt comprehendi, ſed in uita æterna conſiderabitur. Nunc uerò hoc cogitemus, ueram & ingentem iram Dei eſſe aduerſus peccatum, cùm filius Dei hoc modo factus ſit ſupplex & ſubiectus.

Secunda obiectio, Pater maior me eſt.

Secunda obiectio, Pater maior me eſt. Hoc dictum Ariani præcipuè opposuerunt aduerſus ueritatem, cùm uera & ſimplex ſit expoſitio. Alia dicta loquuntur de Eſſentia, alia de officio Chriſti miſſi ad docendum & ad hanc obedientiam, ut pro nobis uictima fieret. In primo cap: apud Iohannem dicitur: Et Deus erat uerbum, omnia per ipſum facta ſunt. Hoc teſtimonium perſpicuè adſeuerat Filium eſſe Deum, & potentia æqualem Patri.

At alibi ſæpè dicitur de officio doctoris miſſi ad hanc obedientiam ā Patre, ut hic, Pater maior me eſt. Pater glorifica me. Hæc ideò ſic dicuntur, quia Chriſtus tunc, cùm in illa uiſibili & mortali conſuetudine Euangelium traderet, uoluit ſe agnoſci, non ut fanaticum doctorem, aut qui ſine Patre, & ſine miſſione æterni decreti doceret, Sed, ut conſtaret promiſſionem gratiæ & uitæ æternæ, certõ decretum eſſe immotum diuinitatis, adfirmat ſe perſonam eſſe ā Patre miſſam, nec adferre ſe doctrinam ā ſe uno excogitatam, ſed tanquām Legatum, uocem æterni Patris arcanam exponere.

Itaq; in narratione de autoritate doctrinæ & de Miniſterio, fit collatio Mittentis & Miſſi. Mittens eſt fons doctrinæ, & adprobator & defenſor. Hunc uocat maiorem Miſſo, ſcilicet, miniſtro, qui ā Mittente accepit doctrinam, et nunc eſt infirmus, ſubit crucem, nec exerit ſuam potentiam, ſed expectat teſtimonia, quibus Pater ornabit hunc Filium, & doctrinam confirmabit, ſcilicet, Reſurrectionem, & deinde miſſionem Spiritus ſancti, & omnia miracula uniuerſæ Eccleſiæ, & extremum iudicium.

Diſcernenda dicta de eſſentia à dictis de officio.

Hęc enarrātio dicti, Pater maior me eſt, uera, natiua & perſpicua eſt, quia certè neceſſe eſt diſcerni dicta quæ loquuntur de Eſſentia, à dictis quæ loquuntur de officio, ut hic, Deus quare dereliquiſti me, hic certè non loquitur de eſſentia, ſed de ſe tanquàm uictima ſuſtinente tunc pœnas noſtrorum peccatorum, ubi lamentatur in ſeſe iram æterni Patris effundi, ſicut & in Eſaia dicitur: Et Dominus uoluit conterere eum in infirmitate. Hæ Deſcriptiones aliquo modo ſignificant, quanta ſit ira Dei, uera & horrenda aduerſus peccata, & quales dolores ſuſtinuerit Filius Dei, ſcilicet, non tantùm corporis lacerationes, ſed etiam illos ingentes dolores, qui ſunt ſenſus iræ Dei, Harum maximarum rerum cogitatione piį expaueſcant, & magnitudinem earum pia meditatione conſiderent, quod ſi facient, facilius diſcernent dicta diſſimilia, & agnoſcent aliquo modo utrunq; magnitudinem iræ Dei aduerſus peccata, & magnitudinem miſericordiæ in filio Dei, qui etſi natura Deus eſt, tamen ibi ſeſe abiecit, ac proſtratus coram æterno Patre pro uniuerſa Eccleſia ſua fuit interceſſor.

In talibus narrationibus officia deſcribuntur, de quibus ſæpè commonefieri Eccleſiam neceſſe eſt.

Alibi teſtimonia extant, quæ propriè tantùm de eſſentia loquuntur, ut

Iohan.1.Et uerbum erat Deus. Etsi autem testimonia de essentia etiam passim sparsa sunt, tamen sæpius de beneficijs dicitur,quòd eorum consideratione accendi fidem in mentibus piorum,& uitam æternam oporteat.

Norunt & diaboli ac fatentur Filium Dei natura Deum esse,eumq; horribiliter timent,sed doctrinam de beneficijs summo cum dolore cogitant, quia sciunt ea non pertinere ad se,sed ad genus humanum,sicut in ipso symbolo scriptum est, Qui propter nos homines,& propter nostram salutem &c. Et Rom. 5. dicitur, Sicut per unius delictum condemnatio in omnes homines, sic per unius iusticiam ad omnes homines iustificatio uitæ peruenit.

Vt igitur in conspectu pijs sit doctrina de ira Dei, ac deinde consolatio quæ accendit iusticiam & uitam æternam, in nobis,ideò in Prophetis & concionibus Filij Dei & Apostolorum sæpius repetita est doctrina de miranda humilitate Messiæ & passione,& de intercessione,& deinde resurrectione, regno & præsentia Messiæ in Ecclesia.

Discernenda dicta quæ loquuntur de Christo regnãte & de Christo humiliato.

Tenenda est & hæc distinctio. Alia dicta loquuntur de arcana gubernatione cum patre, aut de regnante Messia, Vt, quæ pater facit, hæc & Filius similiter facit. Alia de humiliato seu patiente Christo, ut cùm uocatur maledictum. Ita enim decretum fuit in illo arcano consilio Dei,ut Filius certo tempore fieret uictima, quo tempore præstitit hanc mirandam obedientiam æterno Patri,ut quiesceret & sineret in se effundi horrendam iram,nostra peccata punientem. De huius certi temporis obedientia loquuntur multa dicta, quæ ad suum tempus accommodata, non pugnant cum alijs dictis, quæ loquuntur de potentia regnantis Filij Dei.

Plura autem de humana natura in Christo dicenda erunt, cùm ueniemus ad sequentes symboli articulos. Nunc pauca addam, quæ propriè ad doctrinam de diuina natura Christi pertinent.

Filius uocatur sapientia Patris.

Interdum Filius Dei uocatur sapientia Patris, scilicet, quia cum eo deliberat Pater,ut Gene.1.significatur: Dixit pater,Faciamus hominem ad imaginem nostram. Item, quia Filius ostendit Patrem, & arcanum consilium eius de redemtione protulit,sicut ipse inquit,Nemo nouit Patrem nisi Filius,& cui Filius uolet reuelare. Cæterùm hoc sciendum est,Pater suo intellectu intelligit, sua uoluntate uult, sua sapientia est sapiens. Ita & Filius suo intellectu intelligit,sua uoluntate uult,sua sapientia est sapiens. Sic & Spiritus sanctus suo intellectu intelligit,sua uoluntate uult,& sua sapientia est sapiens.

Etsi autem phrasis illa, qua Filius nominatur sapientia Patris, Scriptoribus usitata est, tamen non sic locuti sunt Prophetæ & Apostoli, sed Iohannes nominat Filium λόγον, Paulus εἰκόνα. Hæ appellationes sunt illustriores.

Remouenda est etiam temporis & moræ cogitatio à generatione diuina.Gregorius hac phrasi utitur. Filius semper natus est. Alij, Filius semper nascitur. Sed remoueantur hæ temporis et nostrorum motuum progressiones,ab huius generationis consideratione, & simul tamen sciamus Filium Dei esse integrum,nec disputemus hæc curiosius.

DE SPIRITV SANCTO.

Spiritus sanctus.

TErtia Persona uocatur Spiritus sanctus. Est autem persona procedens à Patre & Filio, quæ mittitur, ut in omnibus electis Angelis & hominibus accendat lucem ad ueram agnitionem Dei, & ueros motus congruentes uo-

luntati Dei,timorem, fidem,dilectionem, inuocationem, fortitudinem in confessione,tolerantiam, castitatem, & alias uirtutes,& uitam æternam.

Mittitur autem ad homines ita, ut adsit ministerio Euangelij, & sit efficax per ministerium Euangelij,sicut 2. Cor.3. Euangelium nominatur ministerium Spiritus. Eatenus patefactus est Spiritus sanctus, & hæc de eo discenda sunt.

SED cùm hæc doctrina de tribus personis aliena sit â iudicijs humanæ rationis sine diuina reuelatione, multi omnibus ætatibus contenderunt tantùm unicam esse personam diuinam,ut Samosatenus, Photinus, Macedonius,Mahometistæ, Dicta uerò de Filio,& de Spiritu sancto corruperunt,& negarunt appellatione Spiritus sancti significari personam seu ὑπόστασιν, sed tantùm motus creatos in hominum cordibus, sicut in Psalmo dicitur: Terribili & potenti,qui aufert spiritum principum. Et manifestum est uocabulum spiritus, sæpè de uentis, sæpè de alijs motibus creatis usurpari.

Vocabulũ Spiritus quot modis usurpetur in scripturis.

Sed aduersus has cauillationes muniendæ sunt piæ mentes,& quærenda est ueritas,quod cùm facimus, necesse est prudenter discernere dicta, quæ loquuntur de uentis,aut alijs motibus creatis,ab alijs dictis,quæ necesse est intelligi de persona quæ singulari specie patefacta est,cùm in Baptismo Christi discernitur â Patre & â Filio.

Etsi igitur doctrina,quæ adfirmat tres esse personas diuinas, Patrem, Filium,& Spiritum sanctum,ualdè mira est,& procul supra & extra conspectum omnium creaturarum posita, tamen necesse est de Deo sentire,sicut se patefecit,iuxta illud mandatum æternum & immotum,Hunc audite. Huic mandato obtemperemus, & ut Paulus inquit, Redigamus mentes in captiuitatem in obsequium Deo, & testimonia perspicua amplectamur,nec sinamus ea sophisticis cauillationibus eludi.

PRIMVM TESTIMONIVM.

Testimonia quod Spiritus S. sit Deus.

SIT igitur primum hoc testimonium, ostendens Spiritum sanctum esse personam, scilicet, patefactio diuinitatis in Baptismo Christi, ubi clarè discernuntur tres personæ.Pater inquit:Hic est Filius meus dilectus. Est igitur alia persona Patris,alia Filij.Descendit autem Spiritus sanctus in specie columbæ. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non adpareret peculiari specie corporali,quia non esset extra mentes,quarum esset accidens. Aut si esset ipse Pater,non discerneret Spiritum sanctum. Inquit autem,Super quem uideris Spiritum sanctum.

I. *Patefactio in Baptismo Christi.*

SECVNDVM TESTIMONIVM.

II. *Patefactio in Pentecoste.*

SEcundò apparet peculiari specie Spiritus sanctus in Pentecoste, quem constat clarè discerni â Patre & Filio, quia antea Filius dixit: Rogabo patrem & alium paracletum dabit uobis. Hæc igitur persona,quæ in Pentecoste conspicitur & effunditur in Apostolos,est persona distincta â Patre & â Filio. Et cùm sanctificet & uiuificet, est omnipotens.

Similis patefactio in domo Cornelij facta est. Nec prætereamus ociosi has patefactiones, sicut maxima pars generis humani eas præterit, quod horrendum & deplorandum est. Sed sciamus hanc ipsam ob causam factas esse, quia Deus se Ecclesiæ suæ ostendere, & nobis certa testimonia tradere uoluit. Horum cogitatione igitur nos confirmemus.

TER-

TERTIVM TESTIMONIVM.

TErtium teſtimonium, eſt ipſa Baptiſmi forma, quam Filius Dei ipſe tradidit, iubens baptiſari homines in nomen, id eſt, in agnitionem & inuocationem Dei Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Id enim ſignificat hæc admiranda profeſſio. Ego baptizo te, id eſt, abluo te, ut teſtificer tibi remitti peccata, & te recipi ab hoc uero Deo patre domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te recipit propter Filium, exhibitum generi humano, ut ſit Mediator, & effundit in te Spiritum ſanctum, qui incoat in noſtris mentibus nouam & æternam iuſticiam & uitam. Cùm igitur forma Baptiſmi diſcernat Spiritum ſanctum, à Patre & Filio, neceſſe eſt perſonam eſſe. Nam ſi eſſet Pater aut Filius, agitans motu creato, non eſſet tertio loco recitatus ſpiritus, tanquàm à patre aut filio diſcernendus, ſi uidelicet eſſet ipſe pater agitans aut agitatio creata in homine. III. *Verba Baptiſmi.*

Deinde cùm hæc ipſa forma Baptiſmi doceat pariter inuocare Spiritum ſanctum, cum Patre & Filio, pariter ei tribuit omnipotentiam. Hæc tria teſtimonia ſi piè conſiderentur, firma & illuſtria eſſe intelligemus. Nam certè patefactiones, in Baptiſmo Chriſti, & in Pentecoſte, non ſunt fruſtra factæ. Nunc addemus & dicta certa Chriſti, in quibus propriè de hac perſona concionatur, quæ nominatur Spiritus ſanctus.

QVARTVM TESTIMONIVM.

IOhan. 14. Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit uobis. Cùm ait, Alium, diſcernit à patre & filio, hunc paracletum. Non igitur ſignificat Spiritus ipſum patrem agitantem, Non enim eſſet Alius, nec ſignificat agitationem creatam. Non enim mitteretur à filio, ſi eſſet pater agitans, aut tantum agitatio creata à patre. At Chriſtus inquit Iohan. 15. Cùm uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, ſpiritus ueritatis, qui à patre procedit. A ſe, inquit mitti Spiritum ſanctum. Non eſt igitur aut pater agitans, aut tantum agitatio creata à Patre. *Iohan. 14.*

Sunt & hæc perſonæ propria, Alius paracletus, qui docebit uos, & quæ audiet, loquetur. Si ſpiritus ſignificaret hoc loco agitationem creatam, eſſet doctrina, non doctor alius, à patre & filio audiens & accipiens.

QVINTVM TESTIMONIVM.

IN priore Epiſtola ad Corinth. cap. 12. clarè diſcernit Paulus Spiritum ſanctum à donis creatis, autorem ab effectibus. Omnia, inquiens, hęc efficit unus & idem Spiritus. *1. Cor. 12. Diſcernit Paulus Spiritum S. à donis creatis.*

Eodem modo loquitur Rom. 8. Ipſe Spiritus dat teſtimonium ſpiritui noſtro. Diſcernit hic quoq; mouentem & conſolantem Spiritum ſanctum, à conſolatione qua cor erigitur & uiuificatur.

Eodem modo loquitur 2. Corin. 3. Transformamur tanquàm à Domini ſpiritu, ubi etiam effectorem diſcernit à luce in nobis creata, ut ibi inquit, id eſt, à clara & firma noticia, id eſt, firma fide & inuocatione. *2. Cor. 3.*

Et quòd Spiritus ſanctus fuerit antequàm carnem induit Filius Dei, perſpicuè teſtatur Petrus, cùm inquit de Prophetis, Spiritus Chriſti in eis, prædicens Chriſtum paſſurum eſſe. Hic diſertè nominatur Chriſti Spiritus, qui fuit in Prophetis. Eodem igitur Spiritu ſancto & Patres & Apoſtoli, & pij deinceps, hoc eſt, omnes electi omnibus temporibus ſanctificati ſunt.

Esaiæ 59. Hoc fœdus meum cum eis &c.

Idq; multō illustrius docent uerba Esaiæ 59. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dommnus, deinceps & in sempiternum. Eundem Spiritum ait esse in Esaia, & in tota Ecclesia, ad omnem æternitatem. Non igitur tantùm post resurrectionem Christi effusus est in pectora inuocantium Deum Spiritus sanctus, sed semper eodem Spiritu sancto, omnes electi sanctificati sunt.

Ac ualdē prodest hoc Esaiæ dictum meminisse, quia dulcissimam doctrinam & consolationem continet. Adfirmat semper mansuram esse Ecclesiam Dei, & quasi digito monstrans, docet quid sit Ecclesia, & ubi sit, uidelicet, ubi sonat uox Euangelij, & testatur ea uoce Spiritum sanctum efficacem esse.

Zach. 7.

Et Zach: 7. Verba quæ misit Dominus exercituum in Spiritu sancto, per manum prophetarum. Hoc dicto utrunq; adfirmatur, & gubernatos esse Spiritu sancto Prophetas, & uerbum Dei non esse inanem sonitum, sed adesse Spiritum sanctum, & ea uoce mouere & accendere mentes, quod firmissimē statuendum est pijs, ut sciant uerē Deum efficacem esse per uocem suæ doctrinæ & promissionis in mentibus credentium, & accendere in eis lucem, iusticiam, & uitam æternam, ut 2. Cor. 3. uocatur Euangelium ministerium spiritus. Et Rom. 1. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Constat igitur ex Esaiæ & Zachariæ dictis, quæ recensui doctrinam de Spiritu sancto in ueteri Ecclesia Patrum & Prophetarum notam fuisse. Ideō etiam ueteres hoc dictum in Genesi intellexerunt de Spiritu sancto, qui est persona diuinitatis. Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Sic enim inquit Basilius: Siue, quod uerius est, & enarratum est ab ijs, qui ante nos fuerunt, loquitur de Spiritu sancto Dei.

Etsi autem noui Testamenti dicta magis perspicua sunt, tamen congruunt cum eis testimonia Prophetarum.

Dictum Ioēl: Effundam de Spiritu meo &c.

In dicto Ioēl significata est persona diuina, cùm inquit Deus: Effundam de Spiritu Meo super omnem carnem, quia enim ait: MEO, testatur non mitti creatam agitationem, sed aliquid essentiæ Dei. Nam cùm ait, de meo Spiritu, nominat non aliud creatum extra se, sed spiritū, qui in ipso patre est. Vtrunque igitur significatum est, quia ait de meo Spiritu, adfirmat hunc Spiritum non esse quiddam creatum. Et quia procedere eum inquit seu effundi, discernit eum à patre. Est igitur persona, quia quidquid aliquid est Dei, quod tamen non est ipse pater, est reuera persona.

Cogitemus autem in hoc ipso testimonio uerum & ingentem in Deo erga nos amorem esse, qui hunc ipsum ignem amoris sui, in nos transfundit, co essentialem ipsi, & nos sibi copulat societate non tantùm creati doni, sed missi in pectora nostra sui Spiritus. Hæc cùm in Ecclesia dicuntur, existimant homines prophani inania somnia narrari, Sed quanq; ridemur ab Impijs tamen hęc uera esse statuamus, nec existimemus tot promissiones Dei editas tā illustrib. testimonijs irritas & inanes esse. Si credis Euangelio, & bona conscientia Deum fiducia filij Mediatoris inuocas, scias certō te regi Spiritu sancto, nec indulgeas dubitationi, quæ hanc infirmam naturam excruciat, nec approbes impiam doctrinam, quæ iubet te de promissionibus diuinis dubitare.

Quanquām autem de essentia Dei sine certis diuinis testimonijs, nec Angeli, nec

geli,nec ulli doctores certò nos docere possunt, tamen postquàm Deus se patefecit,& uerbum suum Ecclesiæ tradidit,utile est nosse quid probati homines in prima & puriore Ecclesia senserint. Horum enim testimonio & nos confirmamur, qui adfirmant se hanc sententiam ab Apostolis accepisse.

Recitaui autem suprà confessionem Gregorij Neocæsariensis perspicuam. Et collegit Basilius testimonia multorum,quorum præcipua fuit in Ecclesia autoritas. Ac nominatim recitat hæc uerba Eusebij Palestini:Sanctum Deum lucis conditorem, per saluatorem nostrum Iesum, cùm Spiritu sancto inuocantes. Hæc uerba ostendunt ueteres disertè tres personas in inuocatione complexos esse,& ea forma loquendi de Filio usos esse,ut animi simul de mediatoris intercessione & de promissionibus commonefierent. *Testimonium Eusebij Palæstini ex Basilio, de S. S.*

Testatur & hæc ipsa Symboli Niceni professio, Ecclesiam tunc uerba Christi de Spiritu sancto sic intellexisse, ut adfirmarit Spiritum sanctum personam esse. Et sic docuisse probatos doctores manifestum est,ut ait Epiphanius. Vnigenitus Filius efficit omnia cum Patre,non solùm autem Filius,sed & Spiritus sanctus efficit omnia cum Patre & Filio, & ὁμοούσιον est Patri & Filio. *Epiphanius de Spiritu S.*

Et Basilius multis scriptis defendens hanc sententiam quæ in Symbolo traditur, inquit in quadam Epistola: Oportet nos baptizari sicut accepimus, Credere autem sicut baptizamur,glorificare autem sicut credimus,patrem, & filium & Spiritum sanctum, fugere autem ut palàm blasphemos,eos qui Spiritum sanctum aiunt creaturam esse.

Deniq; extant multæ planæ ueterum de hoc articulo conciones, quæ hic integrè recitari non possunt. Legendæ tamen sunt aliquæ,ut nos ipsos confirmemus horum uoce, qui ab Apostolis doctrinam acceperunt, & ornati sunt à Deo testimonijs miraculorum.

POstquàm igitur dictum est, tres esse personas diuinitatis, discrimina eruditè considerentur. Pater non nascitur: Filius, etsi coæternus est patri, tamen genitus est, & est imago æterni patris. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Hæ appellationes extant in sermonibus Christi. *Discrimina trium Personarum.*

Sed hic quærat aliquis,quid interfit inter Nasci & procedere? Etsi exhauriri hæc arcana non possunt, tamen significare discrimen filius Dei uoluit, & nequaquàm eius sermo mutandus est. Vsus est autem uocabulis humanis,quasi deducens nos ad aspectionem naturæ hominis, ut inde similitudo & umbra sumeretur. *Quid interfit inter nasci & procedere.*

Sunt autem in anima hominis duæ præcipuè potentiæ, Intelligens, & uolens. Intelligens format imagines, ut quoties de amico cogitas, statim eius imaginem in mente quasi pingis. Volentis autem potentiæ sunt amor,odium, & alij adfectus,& cum hac copulatum est in homine cor, quod gignit spiritus, qui sunt incitatores actionum, motuum,& affectuum. *Similitudo ab hominis anima.*

Sit igitur hoc discrimen inter Nasci & procedere. Nasci,est è potentia intelligente, quia filius cogitatione nascitur,& est imago patris. At procedere,est à uoluntate, quia Spiritus sanctus est agitator seu amor substantialis, tanquàm ignis amoris quo pater filium complectitur, & filius patrem, imò quo postea pater & filius dulcissimo complexu sibi copulant Ecclesiam suam. Est autem amor à uoluntate,ut constat. Et sensus osculi aliquo modo hæc adumbrat. In osculo hominis uero & ardenti, Spiritus ex corde exhalatur, quasi transfundens amo- *Nasci. Procedere.*

dens amorem. Ita Deus amorem in nos ſuum ſpiritu ſuo transfundens, nos ad ſe rapit.

DE DVPLICI DISCRIMINE PERSONARVM.

Duplicia diſcrimina perſonarum, interiora & ſumta à beneficijs erga Eccleſiam.

SVnt autem duplicia diſcrimina perſonarum. Alia ſunt interiora, ut gignere, naſci, & procedere. Alia ſunt à beneficijs erga Eccleſiam ſumta, ut filius pro nobis factus eſt uictima, Spiritus ſanctus mittitur in corda, ut in nobis accendat nouam lucem & iuſticiam. Etſi autem utraq; diſcrimina aliquo modo cognoſci neceſſe eſt, tamen hæc quæ ab officijs ſumuntur, magis conſpicua ſunt, quorum cogitatio pias mentes conſolatur & confirmat. Quare prodeſt ea in inuocatione aſpici, & ſæpè recitari.

Sit igitur forma ſeiungens noſtram inuocationem ab ethnica, Turcica, Iudaica, ut ſæpè dictum eſt, directa ad hunc uerum Deum, qui ſe patefecit in Eccleſia certis teſtimonijs, edita promiſſione, & miſſo filio ſuo domino noſtro Ieſu Chriſto crucifixo pro nobis, & reſuſcitato. Hunc intueatur & alloquatur mens, & ſtatuat uerè nos recipi & exaudiri, inuocantes hunc uerum Deum, cùm credimus nos recipi propter filium Mediatorem, & petat corda noſtra, conſilia, & actiones regi Spiritu ſancto procedente ab æterno patre, & filio domino noſtro Ieſu Chriſto.

In tali precatione nos ipſi de tribus perſonis, & earum beneficijs commonefaciamus, & ſciamus Deum rectè ſic inuocari, cùm & intuemur perſonas hoc ordine, & hæc beneficia petimus. Et pij talem inuocationem experientur non eſſe irritam.

Poteſt autem forma talis eſſe.

Forma precationis directa ad uerũ et patefactũ Deum

OMnipotens æterne, uiue, & ueriſſimè Deus, æterne pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te patefeciſti immenſa bonitate, & clamaſti de filio tuo domino noſtro Ieſu Chriſto: Hunc audite, conditor cœli & terræ, & hominum & Eccleſiæ, & conſeruator & opitulator, unà cum Filio tuo domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto, effuſo in Apoſtolos paracleto, ſapiens, bone, miſericors, iuſte, iudex, fortis, caſte, liberrime, uerax, diligens & exaudiens nos, qui dixiſti: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Te inuoco & oro ſupplex, miſerere mei, & remitte mihi omnia mea peccata propter Ieſum Chriſtum filium tuum dominum noſtrum, crucifixum pro nobis, & reſuſcitatum, λόγον καὶ εἰκόνα σου ἀίδιον, quem uoluiſti pro nobis eſſe uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, mirando & inenarrabili conſilio, & ſanctifica, doce, guberna, accende corda & animas noſtras Spiritu ſancto tuo, collige tibi ſemper Eccleſiam æternam inter nos, & eam regito, & da ei tranquilla & honeſta hoſpitia, mitiga pœnas, & in ira tua iuſtiſſima, immenſæ miſericordiæ recorderis, ut ſit aliqua Eccleſia te uerè inuocans & celebrans, ſicut promiſiſti, inquiens: Propter nomen meum amouebo furorem meum, & laude mea frenabo te, ne intereas. Propter me, propter me faciam, ut blaſphemi confundantur.

Talis forma diſcernit ueram inuocationem ab ethnica, Turcica & Iudaica, & de multis fidei articulis, & præcipuis promiſſionibus & conſolationibus pias mentes commonefacit.

Nec plures ſunt nec pauciores perſonæ diuinitatis q̃ tres.

POſtremò & hoc certò ſtatuamus, nec plures perſonas diuinitatis, quàm tres eſſe, nec pauciores eſſe, nec alias. Sitq; ſemper in conſpectu hæc doctrina. Non aliter de eſſentia & uoluntate Dei ſentiendum eſſe, quàm ſicut ſe patefecit

tefecit ipſe, iuxta illud: Patrem nemo nouit, niſi filius, & cui filius uolet reuelare. Item, Hunc audite. Certum eſt autem ex baptiſmo Chriſti, & ex multis teſtimonijs citatis, tres perſonas diuinitus patefactas eſſe, & nec plures nec alias patefactas eſſe præter has ipſas, quæ in uerbis Baptiſmi recenſentur. Non igitur aliæ, aut plures aut pauciores cogitandæ ſunt.

Et hic à pijs damnandi & execrandi ſunt omnes furores, gentium & aliarum ſectarum, quæ hanc doctrinam corruperunt, ut Ethnici infinita idola inuocarunt, quæ etſi aliqui philoſophantes aſtutè interpretati ſunt, tamen interpretationes non congruunt ad ueram doctrinam de Deo, ſonantem in Eccleſia. Sic Heſiodus, ſic Valentiniani infinitam turbam deorum excogitarunt, Manichæi duos, Bonum & Malum, ſeu φῶς & σκότος, pariter coæternos conditores. Mahometus, ut Samoſatenus, contendit unicam eſſe perſonam, Deum conditorem, & negat eſſe patrem domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi pro nobis, & reſuſcitati. Et contendit in Chriſto tantùm eſſe humanam naturam, Nec aſſentitur Spiritum ſanctum perſonam eſſe, ſed cogitat eſſe agitationem creatam in homine, ut dicimus heroicos motus in uiris fortibus.

Furores Ethnici, Valentinianorum & Manichæorũ.

Longum eſſet recitare omnium temporum furores, quos ſparſit diabolus in genere humano, quia ſtudet Deum contumelia afficere, & cùm ſit ἐπιχαιρέκακος, delectatur horribili miſeria hominum, cùm eos erroribus faſcinatos impulit in exitium. Sed tamen neceſſe eſt pios moneri de illis furoribus, ut aduerſus eos uera doctrina muniantur pectora, imò ut etiam ardentibus uotis aſſiduè Deum oremus, ut propter Filium, Spiritu ſancto ueram doctrinam ab ipſo patefactam, & ueram inuocationem in mentibus noſtris accendat, nec ſinat nos ab ipſo aberrare, ſed propter ſuam gloriam gubernet nos, ut uerè ipſum agnoſcamus, & inuocemus, quod ut in nobis efficiat, toto pectore eum oro, Amen.

ἐπιχαιρέκακος.

Hæc de primo articulo Symboli, Credo in unum Deum omnipotentem. Sequitur ſecundus Articulus de Creatione.

SECVNDVS ARTICVLVS SYMBOLI DE CREATIONE.

SEQVITVR IN SYMBOLO.

Factorem cœli & terræ, viſibilium & inuiſibilium omnium.

ET de Deo illuſtrior noticia fulgeret in mentibus hominum, ſi hæc humanum natura non languefacta eſſet poſt Adæ lapſum, & articulus de Creatione magis intelligeretur, & in eo magis conſpiceretur Deus. Nunc uerò & in hac tanta caligine & imbecillitate hominum intueamur uerbum Dei, quo traditur hic articulus, & inde diſcamus doctrinam de Creatione & de præſentia Dei, qui adeſt creaturis, & de ijs circumſtantijs, quas in hac quæſtione explicari neceſſe eſt.

Ac primùm hæ duæ cauſæ creationis ſemper in conſpectu ſint, Efficiens & finalis. Efficiens eſt Deus æternus Pater domini noſtri Ieſu Chriſti, unà cum Filio ſuo coæterno, qui uocatur λόγος καὶ εἰκὼν ἀϊδία πατρός, & cum Spiritu ſuo ſancto. Vocatur autem Creatio propriè fabricatio rerum aliarum, quæ ſunt extra eſſentiam Dei, ex nihilo, uidelicet, cœli, terræ, angelorum, hominum, & omnium corporum, ac partium mundi, quæ fabricatio, ut poſtea copioſius dicam, non

Duæ cauſæ creationis efficiẽs & finalis ſemper ſint in conſpectu.

Creatio quid ſit.

cam, non est coæterna Deo,sed tempus traditum est in Moise, & est facta liberrima uoluntate Dei,ut postea dicam. Necesse est enim iuniores moneri,ut discernant doctrinam ā Deo traditam, ā uarijs opinionibus, quas philosophi audacter finxerunt, quæ fidem & inuocationem ualdē impediunt,ut cūm fingunt mundum coęternum esse Deo, et Deū alligatum esse causis secundis.Sed hæc postea repetemus.Prius enim finalis causa utcunq; considerandaest.

Cur sint conditæ naturæ intelligentes.

Ideō Deus condidit naturas intelligentes, quæ sunt præcipuum opus, ut se in eis patefaceret,& eis suam sapientiam & bonitatem communicaret.Nam essentia optima uoluit habere opera,in quæ riuulos suæ sapientiæ & bonitatis spargeret,& ā quibus uicissim agnosceretur & celebraretur.Hanc esse causam diuini consilij inde manifestum est, quia effectu ipso Deus hoc ostendit, cūm transfundit in angelos & in homines noticiam de Deo conditore, & imaginem sui,id est,noticias multas,& in his noticiam legis,quæ congruit cum ęterna & immota sapientia Dei, & ostendit qualis sit Deus, simul etiam addidit angelis & hominibus liberrimam uoluntatem, & hanc ornauit iusticia congruente cum mente & uoluntate Dei. Hæc testimonia manifestē ostendunt, hoc consilio conditas esse naturas intelligentes, ut Deus communicaret nobis sapientiam & bonitatem suam,& uicissim ā nobis agnosceretur ipse,& sapientia & bonitas eius celebraretur.

Deinde hæc ipsa transfusio lucis diuinæ in nos, testatur hanc creaturam uero & non simulato aut ficticio amore diligi ā Deo, cūm ei tales dotes communicarit, quæ in ipso Deo sunt summæ, scilicet, sapientiam, libertatem uoluntatis,& iusticiam congruentem cum ipsius uoluntate. Et facilē intelligi potest,Deum uerē diligere id opus,quod uoluit esse effigiem suam, & in quo fulget sua sapientia & iusticia cum ipsius mente congruens.

Hæc cogitatio similitudinis Dei, deducens mentes ad agnitionem bonitatis Dei & amoris erga nos, magnum incendium mutui amoris in natura hominis incorrupta accendisset. Nunc autem in hac tanta caligine hanc cogitationem negligi doleamus. Sed ostendit Deus maius testimonium sui amoris,cūm Filius pro nobis supplex & uictima factus est.Hæc testimonia amoris si uerē aspiceremus, uicissim & studium gratitudinis, & ingens dolor propter nostram ingratitudinem in nobis excitaretur. Sed te oramus æterne Deus propter Filium mediatorem,accende corda nostra Spiritu sancto tuo,ut te uerē agnoscant, inuocent, diligant,& tuam bonitatem celebrent.

Etsi autem ipsis angelis & hominibus euidentissima testimonia de Deo impressa sunt, quæ testantur esse Deum, & qualis sit, & quōd iudicaturus sit, tamen postea in totum mundi opificium sparsa sunt signa, quæ certissimē testantur hunc mundum non casu ortum esse, sed mentem æternam architectatricem esse. Ideō domicilium hominum hoc cœlum & terra, tām uariē distinctum & ornatum est, ut undiq; nos de Deo commonefaciat. Manifestum est igitur hoc præcipuum consilium Dei esse, propter quod condidit totum mundum ut sese patefaceret.

Post lapsum languida adsensio est.

Etsi aūt conspectu opificij mūdi uoluit Deus ita moueri hominū mentes, ut firmissimē statueremus,et esse Deū,& esse sapientem, bonum,iustum,ueracem,castū,iudicem, tamen post lapsum primorum parentū languida est adsensio.Ideō Deus conditor immensa bonitate,rursus patefecit se edita promissione sua, & promulgata lege, & ut certum esset hanc uocem non esse creaturæ alicuius,

alicuius,testimonia addita sunt, in quibus Deus conditor & seruans naturam rerum noua quædam opera fecit, perinde ac si nouum mundum conderet,quæ non poterant fieri, nisi ab immensa potentia,iussit stare solem toto triduo,iussit solem regredi, reddidit mortuis uitam, misit Filium natum ex uirgine, qui multos mortuos reuocauit in uitam. Hæc quasi noua fabricatio,magis mouet homines nunc in hac caligine.

Quare testimonia patefactionis utraq; considerabimus, primùm creationem, & alia noua opera, quæ non possunt fieri nisi ab immensa potentia, & Deo gratias agamus, quòd se patefecit,& doctrinam suam nobis tradidit. Et has duas causas creationis, ut dictum est, Efficientem & Finalem, semper in mentibus nobiscum circumferamus, & sæpè cogitemus,ut nos ad agnitionem & amorem Dei excitemus. Deinde & circumstantias considerabimus,de quibus Ecclesia in hoc articulo præcipuè concionatur. Nam etiam philosophia agnoscit has duas causas mundi, Efficientem,& finalem,sed postea multa disputat absurda, necessariò mentem æternam effudisse hanc machinam, & non posse Deum aliter agere, quàm sicut ciet ordo corporum.

Vtraq; testimonia patefactionis considerãda, creatio & alia noua opera.

De his & alijs quibusdam circumstantijs admoneri homines necesse est, ne fides in inuocatione extinguatur, si cogitemus Deum abesse à suo opificio, aut non posse aliter agere, quàm ut cient causæ secundæ, cùm sæpè hoc ipsum petamus, ut mitigentur aut mutentur causæ secundæ.

Quare hæc membra ordinè recitabimus, primùm, quòd creatio sit commune opus æterni Patris,Filij,& Spiritus sancti.

Secundum, quòd res sint ex nihilo conditæ.

Tertium,q̃ Deus uolens & liberè condiderit mundum tunc cùm uoluit.

Quartum, quòd non discesserit à suo opere.

Quintum, quòd non sit alligatus ad causas secundas.

DE PRIMO.

QVòd creatio sit opus commune æterni Patris,Filij,& Spiritus sancti,Geneſis primo significatum est, cùm dicitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudnem nostram. Et de Filio multa sunt in Iohanne perspicua & firma testimonia,quæ suprà recensui, Hic satis est recitare dictum, Omnia per ipsum facta sunt,& sine ipso factum est nihil,quod factum est.Hæc de persona dici, nihil dubium est.

Creatio est opus commune trium personarum.

De Spiritu sancto Genes.1.dictum est: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Paulus 1. Corin. 12. Omnia inquit hæc efficit unus & idem Spiritus, ubi etiam disertè de persona dicitur.

DE SECVNDO.

QVòd res sint ex nihilo creatæ,docet hæc sententia:Ipse dixit,& facta sunt, Ipse mandauit & creata sunt, id est, dicente seu iubente Deo, res exortæ sunt. Non igitur ex materia priore extructæ sunt,ut Stoici, duo æterna fingebant,mentem & materiam. Refutat autem imaginationem Stoicam & Iohannes,inquiens,Omnia per ipsum facta sunt.Ergo et materia cœli & terræ à Deo condita est, nec fuit materia corporum æterna.

Res creatæ ex nihilo.

DE TERTIO.

QVòd Deus liberè & uolens tunc cùm uoluit, condiderit mundum, & quòd sit agens liberrimum,manifestè testatur dictum Psalmi 114. Omnia quæcunq;

Deus liberè et uolens cõdidit mundum.

quæcunq; uoluit,fecit.Et Psalmo 135. Omnia quæcunq; uoluit Dominus,fecit in cœlo & in terra.

DE QVARTO.

Deus non discedit à suo opere.

INfirmitas humana,etiamsi cogitat Deum esse conditorem,tamen postea imaginatur,ut faber discedit à naui extructa, & relinquit eam nautis gubernandam, ita Deum discedere à suo opere, & relinqui creaturam tantùm propriæ gubernationi. Hæc imaginatio Deum remouet à creaturis, & fingit eum ociosum esse. Contra hunc tetrum errorem erudiendæ sunt mentes,Deum adesse uniuersæ creaturæ, & omnes quæ seruantur, & quatenus seruantur, sustentari à Deo. Sed ita tamen, ut Deus sit agens liberum, sustentet donec uult, agat simul quatenus ipse decreuit,& moderetur ac mutet aliqua,propter salutem Ecclesiæ suæ immensa bonitate.Hanc Dei præsentiam confirmant hæc dicta:

Act.17. In ipso uiuimus,mouemur & sumus,id est, per ipsum datur,sustentatur, & fouetur uita nostra.

Ebræ.1. Ferens omni uerbo potentiæ suæ.

Coloss.1. Omnia per eum consistunt.

1.Tim.6. additur descriptio Dei: Qui uiuificat omnia.

Hæc rerum sustentatio & conseruatio, qua Deus adest toti opificio suo, & rerum substantias seruat,sustentat cœlum & motus cœlestes,fœcundat terram,procreat fruges in terra, impertit uitam uiuentibus,dicitur usitata appellatione,Actio Dei generalis. Sed de hac Actione generali spinosæ disputationes leguntur,quia homines naturali caligine dilabũtur in Stoicas opiniones alligant Deum causis secundis, cogitant nihil mutari, deinde quærunt etiam, cur fiant mala,cùm Deus adsit opificio suo.

Harum maximarum quæstionum breuis esset explicatio, si tantùm hæc responsio semper in conspectu esset, Deum esse agens liberrimum, & liberè adesse causis secundis,& multa in eis moderari,& agere unà,quatenus ipse pro sua immensa sapientia iudicat esse una agendum.Hæc ueriſſima & simpliciſſima responsio,plana extricatio est multarum difficilium quæstionum. Nunc igitur dè hoc quinto membro dicam.

DE QVINTO.

Deus non est alligatus ad causas secundas.

ET Stoici & aliæ quædam sectæ alligarunt Deum ad causas secundas,Id est, finxerunt Deum nihil aliter facere posse, quàm ut causæ secundæ sua natura cient,ut cùm Sara sit sterilis & anus, cogitant impossibile esse,fieri eam matrem. Ita omnes homines in hac naturali caligine intuentes ordinem naturæ, delabuntur in hanc imaginationem,ut existiment nihil aliter fieri,quàm ut hic ordo ciet. Ac ualdè impedit inuocationem hæc imaginatio. Cogitamus enim ut Stoici:Quid prodest à Deo petere gubernationem,aut mitigationem malorum,si natura suis legibus fertur? Si est infelix bellator Iosias, & euentus reguntur naturæ legibus, quid prodest auxilium Dei petere, ut ipse dextram eius armet, & militum animos inflammet? Multi sciunt tales cogitationes, magna impedimenta esse inuocationis.

Deus est agẽs liberrimum.

Necesse est igitur in Ecclesia pias mentes recte erudiri de hac quęstione, & benè confirmari contra Stoicos errores. Suntq; hæc uera principia firmissimè tenenda. Deus est agens liberrimum,& adest suo opificio,non ut Stoicus Deus, sed ut agens liberrimum. Et quanquãm sustentat rerum substantias,& magna

magna ex parte seruat ordinem corporum,quem instituit,tamen immensa misericordia multas partes moderatur, & secundas causas uel adiuuat, uel impedit,& sæpè mutat,ut cùm Moysi mare rubrum patefacit, cùm prælianti Iosuæ sistit solem,cùm propter peccata Israël impedit pluuias toto triennio,& postea reddit precante Elia, cùm dat Isaac centuplum, cùm Agar pulsæ in exilium fontem in deserto monstrat,cùm sanat Ezechiam in morbo lethali. Deniq; talia exempla multa scripta sunt,ut quotidiè Deum propter Ecclesiam similia facere sciamus, etiamsi non omnium oculis animaduertuntur.

Sæpissimè uerò consilia & uoluntates hominum flectit quò uult,sine causis secundis, ut cùm mouet Alexandri mentem ad bellum Persis inferendum, & deinde prælianti dextram regit,seu cùm incutit terrores fugientibus hostibus,ut Psalmus inquit: Terribili & potenti qui aufert spiritum principum. Ita sciamus Deum liberrimè in natura & uoluntatibus multa moderari sua sapientia & misericordia,etiam præter causas secundas. Obstrepunt enim mentibus hominum inter inuocandum aliàs Epicureæ opiniones,ut plurimi homines dubitant, de prouidentia, aliàs opiniones Stoicæ, ut cùm aliquis significationes futuri mali cernens, cogitat,quid petam liberationem, cùm ordo fatalium causarum non mutetur?

Testimonia contra dubitationes de prouidentia et opiniones Stoicas.

Aduersus has tenebras humanas,perspicuis & firmis testimonijs diuinis erudiendæ sunt piæ mentes, ut sciant & exaudiri Ecclesiæ preces, & Deum non esse Stoicum, sed agens liberum, non alligatum ad causas secundas, imò propter nostros gemitus moderari causas secundas, aut impedire, aut mutare.

Huc pertinent hæc dicta:

Mat. 21. Omnia quæ petitis credentes,accipietis.Si dicetis huic monti, lacta te in mare, fiet.

Iohan.14. Qui credit in me,opera quæ ego facio,& ipse faciet,& maiora his faciet, quia ego ad patrem uado. Et quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur per Filium.

Rom. 4. Abraham præter spem credidit,spe erectus.

Deut. 8. Non in solo pane uiuit homo,sed in omni uerbo,quod procedit ex ore Dei.

Ephe. 3. Et ei qui potest SVPER OMNIA & excellenter opem ferre, suprà quàm petimus aut intelligimus. Hæc uerba manifestè affirmant opitulari Deum, etiam cùm ratio uidet causas secundas minitari exitium.

Psalmo 9.Qui exaltas me de portis mortis,ut narrem laudes tuas in portis filiæ Zion.

Psalm. 10. Tibi derelictus est pauper,orphano tu eris adiutor, id est, ijs, qui deserti à causis secundis te inuocant.

Psal. 27. Pater & mater dereliquerunt me,Dominus autem suscepit me.

Psalm.23. Etiamsi ambulauero in medio umbræ mortis,non timebo mala, quia tu mecum es.

Psalm. 46. Propterea non timebimus,cùm turbabitur terra.

Iohan.10. Nemo rapiet oues meas de manibus meis.

Et Matth. 16. Portæ inferorum non præualebunt aduersus Ecclesiam. Vbi fit collatio potentium creaturarum cum Ecclesia. Et causæ secundæ potentiores sunt, quàm Ecclesia, sed reprimuntur diuinitus.

Ac

Ac talium consolationum plenæ sunt conciones diuinæ, hanc ipsam ob causam propositæ, ut cùm potentia mund, isi causas secundas consideremus, longè antecellat Ecclesiæ, sciamus tamen Deum liberrimè moderari omnium rerum uires & motus, & uelle sibi Ecclesiam seruare, & reuera exaudire inuocantes ipsum, in agnitione & fiducia domini nostri Iesu Christi.

Testimonia ostendẽtia Deum nunc etiam uelle opitulari, cũ à creaturis deserti sumus.

Ac prodest habere in promtu multa dicta, quæ adfirmant, Deum tunc uerè uelle opitulari, cùm à creaturis deserti sumus, sicut clarè inquit Psalm. 71. Liberauit pauperem, cui non erat adiutor.

Et Esai. 57. Dominus habitat in contrito & humili spiritu.

Et Iob inquit cap. 13. Etiamsi occiderit me, sperabo in eum, quasi dicat, Non irascar Deo, non desinam petere & expectare salutem, etiamsi causæ secundæ omnes ita uincent, ut hæc corporalis uita extinguatur, reddi tamen mihi uitam scio.

Et addit: Coram eo arguam uias meas. Id est, agnosco me habere peccata, & Deum iustum esse, subijcientem Ecclesiam cruci. Sed tamen ipse erit saluator meus, id est, Eripiet me Deus tandem ex omnibus ærumnis, etiam præter & supra causas secundas.

Exempla beneficiorũ diuinorũ extra secundas causas.

Exempla etiam nobis proponamus, ac illustre testimonium est in primo exemplo Adæ & Heuæ, quod manifeste docet, Deum sine ullis causis secundis opem ferre. Adam & Heua post lapsum nec ab angelis, nec suis consilijs, nec ab ulla creatura iuuari poterant: Hic prodit ex arcana sede Deus, & recipit lapsos, & reddit eis uitam.

Ita postea sequuntur innumerabilia exempla beneficiorum diuinorum extra causas secundas, ut cùm seruauit Deus Nohe in diluuio, cùm Saram sterilem & anum, fecit fœcundam, cùm seruauit Ioseph, quem fratres interfecturi erant, cùm populo Israël uiam concessit per mare rubrum, & deinde multa alia beneficia præstitit præter secundas causas. Sicut defendit Dauidem contra Goliath, & alias, sicut seruauit Danielem inter Leones, Ionam in uentre ceti, & singuli homines, qui Deum inuocant, possent aliquas suas liberationes narrare, ubi manifestè præter & extra causas secundas seruati sunt.

Hanc doctrinam necesse est in inuocatione cogitari, quia ualdè impeditur inuocatio hac rationali seu philosophica imaginatione. Res feruntur sicut natura impellit. Si habes uisibilia præsidia, eris tutus in periculo. Si non habes uisibilia prę̃sidia, opprimet te inimicorum multitudo. Nec tui gemitus aut precatio mutat ordinem naturæ, sed sequentur usitati euentus, congruentes impulsioni naturæ, siue uelis, siue nolis.

Deus quo modo gubernet naturam.

Huic cogitationi opponenda est hæc uerissima doctrina, quæ adfirmat, Deum esse agens liberrimum, & aliàs iuuare ordinem naturæ, aliàs moderari, aliàs etiam mutare. Ac in uoluntatibus hominum, ubi non turbatur ordo naturæ, plurima moderari, ut Laban, & deinde Esau, etsi conantur interficere Iacob, tamen eorum uoluntas diuinitus reprimitur.

Saul multis modis impeditur, ne possit interficere Dauidem. Ieremias toties abijcitur in carcerem, & in puteos, & tamen rursus extrahitur, Deo flectente aliquorum uoluntates ad eum liberandum.

Talia etsi Democritus diceret casu accidere, tamen Ecclesia certò scit, tales motus à Deo gubernari, sicut scriptum est: Omnes capilli capitis uestri numerati sunt.

Et

Et 1.Reg: 25. inquit Abigail ad Dauidem: Erit anima Domini mei custodita tanquām in fasciculo uiuentium.

Et deinde cap:26.Sopor Domini irruerat super eos.

Quare in inuocatione luceat hæc fides, petens & expectans auxilium Dei in uocatione & negocijs necessarijs, siue causæ secundæ nos adiuuent, siue destituere nos uideantur.

Nec satis est, quod Stoici dixerunt, qui cū eis obijceretur, Si omnia eueniunt necessariō, quid prodest sacrificare? Respondebant, sacrificari, ut significaretur gratitudo, non ut peterentur beneficia, imō Ecclesia & petit beneficia, & agit gratias.

DE CAVSA PECCATI, ET DE CONTINGENTIA.

Bonum quid significet in genere.

QVandocunq; autem de Creatione dicitur, statim quæstio de causa mali, & de causa peccati mouetur. Certamina etiam de contingentia omnibus ætatibus fuerunt. Ac ut ordinē de his quæstionibus dicamus, primùm in genere de omnibus rebus creatis teneatur hoc dictum, quod in Genesi recitatur, & loquitur de rebus creatis, quales ā Deo conditæ sunt. Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona. Et quid significet bonum, dextrē intelligatur. Significat autem generaliter hic Bonum, rem Deo placentem, & ordinatam ad certos usus, & in eo ordine seruientem. Aliter autem placebat homo, aliter plantæ, aut stellæ, aut pecudes. Itaq; de creatura rationali, de Angelis & Hominibus, sciamus, in prima creatione eos fuisse bonos, id est, placuisse Deo, & conditos esse, ut essent templum Dei, in quo Deus habitans, communicaret eis suam lucem, iusticiam, uitam & læticiam.

Quare, ut de homine nunc dicamus, cùm natura hominis ita condita sit, ut initiō creationis fuerit bona & iusta, & non fuerit obnoxia morti & alijs calamitatibus, semper quæsitum est, unde sint tanta mala, peccatum, mors, & reliquæ horribiles miseriæ.

De causis peccati & calamitatum non est consulenda Philosophia.

De hac quæstinone non consulenda est Philosophia, quæ tantùm in materia propinquas causas cōsiderat, dicit humanum corpus morbis & morti obnoxium esse, quia Elementa & nata ex eis mutabilia sint, & habeant qualitates inter se pugnantes, quæ efficiunt corporum mutationes, ut quia in equo alimentum nō sarcit in humido radicali quantùm absumtum est, paulatim calor natiuus fit languidior, & superant externa humiditas & frigiditas, extingui animal necesse est, cùm non foueatur suo calore & humore. Hæc sicut in pecudibus & in plantis fiunt, ita ad hominem transferunt, nec sciunt priorem causam, cur homo simili mutationi, ut pecudes subiectus sit, quē adfirmat Deus ita conditum esse, ut esset imago Dei perpetuō uiuens, & eum celebrans.

Omittenda est igitur Philosophia, & ex uerbo Dei quærenda ueritas. Post Phisosophos portentosa deliria finxerunt Manichæi, quæ non recitabo. Nam cognita ueritate facilis est refutatio opinionum contrariarum.

Adfirmat autem doctrina cœlestis, tradita per Prophetas, Filium Dei, et Apostolos, quæ semper in Ecclesia fuit, peccati causam non esse Deum, sed uoluntatem Diaboli & hominis, qui sua libertate sese ā Deo auerterunt, & in homine pœnam peccati esse mortem & alias calamitates.

Teſtimonia, q̃ Deus non ſit cauſa peccati, ſed uoluntas Diaboli et hominis.

Teſtimonia ſint in promptu,

Pſalm:5. Non Deus uolens iniquitatem tu es.

Iohan:8. Quando mendacium loquitur Diabolus, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater mendacij.

Rom:5. Per hominem intrauit peccatum in mundum, id eſt, peccatum non eſt res condita a Deo, Sed homo ſua libertate ſe à Deo auertit, & excuſſit dona Dei, & illam ſuam deſtructionem propagauit in poſteritatem.

Peccatum originis.

Hic autem dicendum etiam erat, quid ſit peccatum, Sed id ſuo loco dicetur. Nunc ſatis eſt ſcire, peccatum originis eſſe auerſionem à Deo, quæ ſecuta eſt lapſum Adæ. Poſtquàm enim natura amiſit lucem & rectitudinem, quæ in creatione fuerat inſita homini, iam in mente hominis caligo eſt, & in uoluntate auerſio à Deo, & contumacia in corde, quæ mala impediunt homines, ne integram obedientiam Legi Dei hæc corrupta natura præſtare poſſit. Sed actuale peccatum eſt actio contra Legem Dei. Hæc ſuo loco copioſius declarabuntur.

Quomodo intelligendũ ſit, Deum non eſſe cauſam peccati.

Cũm autem dicitur, Deum non eſſe cauſſam peccati, id ſic intelligatur, nec rem à Deo conditam eſſe peccatum, nec Deum uelle peccatum, nec adprobare, nec impellere uoluntates ad peccandum, Sed horribiliter iraſci peccato, ut in Lege & triſtiſſimis pœnis oſtendit, imò iræ magnitudo maximè conſpicitur in hoc teſtimonio, quòd placari non uoluit, niſi Filius fieret uictima.

Nec ualet inſulſa cauillatio quorundam ueterum & recentium, qui excuſaturi abſurditatem dicunt, etiamſi Deus uelit peccatum, tamen eum non peccare, quia ipſi non ſit Lex poſita. Hæc eſt Sycophantia execranda. Pingit enim Deum uelut Tyrannum, uolentem bona & mala ſine regula.

Contrà enim ſentiendum eſt, Deum uerè talem eſſe, qualem ſe eſſe oſtendit in Lege, & hæc Deum uerè uelle, quę in Lege adprobat. Nec fingendæ ſunt in Deo contradictoriæ aut contrariæ uoluntates.

Vt igitur hæ propoſitiones ueræ, neceſſariæ, æternæ & immotæ ſunt, Deus eſt, Deus eſt ſapiens, Deus eſt caſtus, ita hæc perpetua & immota eſt, Deus iraſcitur libidinib. Neronis. Imò execrandus furor eſt contrariũ dicere.

Etſi autem in Lege promulgata uoce Dei, & tot concionibus, in quibus iudicium & ira deſcribitur aduerſus peccatum, clarius conſpicitur uoluntas Dei, quàm in imagine, quam transfudit in naturam hominis, tamen & ipſæ noticiæ naturales & iudicium conſcientiæ in homine teſtantur, Deum nec uelle nec adprobare peccata.

Indurabo cor Pharaonis, phraſis Hebraica.

Quòd uerò Ebraica phraſi dicitur: Indurabo cor Pharaonis, & ſimilia dicta multa occurrunt, certum eſt, conſuetudine ſermonis Ebraici, illa uerba ſignificare permiſſionem, & non effectionem, ut: Ne nos inducas in tentationem, id eſt, ne ſinas nos opprimi tentatione. Nolite eſſe ſoliciti, id eſt, ne ſollicitudine fracti deſperetis. Et ubiq; obuia ſunt exempla huius phraſis, quæ manifeſtè oſtendunt, hanc ſententiam eſſe uerborum, quam recenſui, quod eo obſeruandum eſt diligentius, quia rudiores hac conſuetudine non animaduerſa, etiam olim Auguſtini tempore & antea, decepti ſunt.

Concedenda eſt contingentia.

Poſtquàm autem certum eſt, Deum non eſſe cauſam peccati, nec uelle nec adprobare peccatum, ſequitur concedendam eſſe contingentiam, id eſt, non omnia neceſſariò fieri. Ac ut uocabulum intelligatur, addam breues deſcriptiones, & earum exempla.

Neceſſi-

Neceſſitas abſoluta uocatur, cũm contradictoria propoſitio prorſus ſua natura impoſſibilis eſt. Ac in doctrina Eccleſiæ hæ propoſitiones de Deo abſolutẽ neceſſariæ ſunt: Deus eſt, Deus eſt intelligens, omnipotens, æternus, uerax, bonus, iuſtus, caſtus, & ſimiles, in quibus de eſſentia & potentia Dei ueræ aſſeuerationes diuinitus patefactæ ſunt. *Neceſſitas abſoluta.*

Deinde cũm de uoluntate Dei in creatione & operibus omnibus extra ipſum loquimur, ſciendum eſt uoluntatem Dei liberrimam eſſe, & Deum eſſe agens liberrimum, id eſt, poſſe creare, aut non creare, poſſe lapſum hominem recipere, aut non recipere, poſſe Pharaonem delere, aut non delere, poſſe depellere Sennacherib ã Ieroſolyma aut non depellere.

Hæc libertas eſt fons contingentiæ. Eſt igitur contingens, quod cũm fit, non neceſſe fuit fieri, nec contradictorium erat impoſſibile. *Contingens quid ſit.*

Ita in doctrina Eccleſiæ hæc eſt contingens: Sol quotidiẽ oritur aſcendens ſuper Hemiſphærium noſtrum, quia oritur decreto uoluntatis diuinæ, quæ liberrimẽ hunc ordinem inſtituit. Sed Phyſici uocant has neceſſarias: Sol oritur. Ignis calet.

Vocantur autem ã doctis, Neceſſariæ neceſſitate Phyſica, id eſt, quia talis ordo in natura diuinitus inſtitutus eſt, nec ſine ſingulari & extraordinario opere Dei mutatur: Sed Eccleſia ſcit reipſa contingentes eſſe. *Neceſſitas Phyſica.*

Nunc de contingentia dicatur in actionibus humanis. In creatione hominis præcipuẽ hæc tria dona erant: Imago mentis diuinæ, uis intelligendi, & in ea lucens agnitio Dei, & noticia legis diuinæ, & aliæ quædam noticiæ. Deinde uoluntas recta, quæ poterat obtemperare Legi Dei. Et libertas in uoluntate, quæ erat facultas, qua poterat homo uelle ſeu eligere, ſeu reijcere ea, quæ cognitio oſtendebat, aut etiam ſuſpendere actionem. *Contingentia in actionibus humanis.*

Hæc facultas pars erat ſimilitudinis Dei, & inter ſumma ornamenta creaturæ. Et adhuc eſt pars ſimilitudinis Dei, quatenus reliqua eſt. Fuit autem longẽ præſtantior hæc libertas in natura integra. Nunc etſi mutilata eſt, tamen quod ad electionem externarum actionum, quæ rationi ſubiectæ ſunt, attinet, in homine reliqua eſt. Hæc libertas, quantacunq; reliqua eſt, Fons eſt contingentiæ humanarum actionum.

Vt igitur Heua & Adam ſua libertate auerterunt ſe ã Deo, ita hæ ſunt ueriſſimẽ contingentes, & nequaquãm neceſſariæ: Adam uiolat mandatum Dei, Adam uiolans mandatum Dei accerſit ſibi mortem, Quia ueriſſimum eſt, Deum non uoluiſſe, nec adprobaſſe id peccatum, nec impuliſſe, nec coëgiſſe uoluntatem Adæ ad id peccatum. *Voluntas humana peccans liberè auertit ſe à Deo.*

Hæc de fonte contingentiæ uerẽ dicta ſunt, quæ oſtendunt Stoicas imaginationes de neceſſitate repudiandas eſſe. Affirmo igitur Pharaonem, Saulem, Neronem, ſua uoluntate liberẽ & contingenter, non aliqua fatali neceſſitate, nec Deo impellente eorum uoluntates, elegiſſe ſcelera, quæ fecerunt, ſicut in Oſea dicitur: Ex te perditio tua eſt Iſraël. Et de Diabolo dicitur: Ex propijs mendacium loquitur.

Poſtquãm de neceſſitate abſoluta, & de fontibus contingentiæ dictum eſt, priuſquãm Stoica argumenta, quæ contra ueram ſententiam ſophiſticẽ excogitata ſunt, diluo, recitabo gradus neceſſitatis, quibus conſideratis, planior fiet explicatio argumentorum. *Gradus neceſſitatis.*

Necessaria necessitate absoluta et simpliciter.

Primus gradus est. Necessaria necessitate absoluta, seu simpliciter necessaria, dicuntur, quorum opposita simpliciter sunt impossibilia. Tales sunt propositiones de Essentia, & de uirtutibus Dei. Deus est, Deus est essentia intelligens, uerax, benefica, iusta, casta, liberrima.

Necessaria necessitate definitionum & demonstrationum.

Secundus gradus est. Necessaria necessitate definitionum, et demonstrationum, ubi si fingatur oppositum, fit implicatio cõtradictionis, ut si Trigonus non habet tres angulos, non est Trigonus. Si uirtus non est congruens quidam cum regula mentis diuinæ, non est uirtus. Hic gradus proximus est primo, quia est regula mentis diuinæ immota, Vt hæc immota est: Deus uult castitatem, ita & hæc immota est: Castitas est uirtus.

Necessaria necessitate Physica.

Tertius gradus est. Necessaria necessitate Physica, quæ, quia natura sic ordinata est, eodem modo se habent, sed tamen à Deo mutari possunt, ut exempla testantur. Et sic condita sunt liberrima uoluntate Dei, & reguntur liberrima uolũtate Dei. Vt ignis necessariò calefacit, necessitate physica. Sol necessariò mouetur necessitate Physica, id est, sic instituto ordine diuinitus. Sed tamen Deus potest sistere Solem, ut fecit in pugna Iosuæ. Ac Stoicorum delirium execrandum est, ut suprã quoq; dixi, qui fingunt, Deum alligatum esse causis secundis, nec posse aliter agere, quàm ut cient causæ secundæ. Imò ideò inuocamus, ut sua libertate regat & moderetur causas secundas, id est, physicas. Non sunt igitur prorsus immutabilia hæc, quæ in hoc tertio gradu recensentur, ut illa, quæ ad primum & secundum gradum pertinent.

Necessaria necessitate consequentiæ.

Quartus gradus est mutabilium, quæ tamen uocantur Necessaria necessitate consequentiæ, id est, quæ sunt quidem reipsa mutabilia, sed non mutantur, uel quia sic à Deo decreta sunt, uel quia sequuntur ex causis, quæ non mutantur, cùm tamen mutari potuissent, uel quia cùm fiunt contradictoriæ, simul ueræ esse non possunt. Vt necessaria est Resuscitatio mortuorum, quia Deus edidit de ea decretum.

Necesse est perire Saulem, quia causas non mutat, quas tamẽ reuera mutare poterat. Nec necesse fuit eum machinari exitium Dauidi, aut interficere Sacerdotes. Sicut & Samuel de libertate dicit 1. Reg: 13. Si hoc non fecisses, Deus confirmasset regnum perpetuò.

Deniq; omnia cùm fiunt, ideò tunc necessaria dicuntur, quia contradictorię non possunt simul ueræ esse, ut cùm Plato sedet, contradictoria falsa est, Plato non sedet. Vult enim Deus certitudinem aliquam esse.

Etsi autem reuera hæc res, scilicet, sedere Platonem, mutabilis est, & hæc Propositio reuera contingens est, tamen necessitate consequentiæ, tunc necessaria dicitur.

In necessitate consequentiæ discernenda quæ pendent à uoluntate Dei, ab ijs, quæ non pendent à Dei uoluntate, sed humana.

Quoties autem de necessitate consequentię dicitur, prudenter discernenda sunt ea, quæ à Dei uoluntate pendent, ab alijs, quæ non pendent à uoluntate Dei, sed tantùm ab humana uoluntate oriuntur: Vt necessaria est necessitate consequentiæ hæc propositio, Mortui resurgent, quia Deus sic decreuit, & quidem patefecit hoc suum decretum, & uult hanc resurrectionem. Sed hic euentus, Paris rapiet Helenam, pendet principaliter ã uoluntate humana. Et cùm sit malus euentus, nequaquàm uult eum Deus. Et tamen quia præuidet Deus id quod fit, quanquãm res ipsa re uera est mutabilis, tamen propter præuisionem dicitur propositio necessaria necessitate consequentię. Paulus inquit, Necesse est, ut hæreses exoriantur, uidelicet, necessitate consequentiæ, quia causæ

cauſæ non mutantur, quæ tamen re uera mutari poſſent. Multa ſunt ingenia leuia, ambitioſa, curioſa, quæ contradicendi ſtudium habent. Hæc leui aliqua occaſione irritata, mouent certamina, & corrumpunt res rectè traditas, uel ambitione, uel curioſitate, uel ſtudio contradicendi. Et ſimul Diabolus ſua mirabili aſtutia hos furores adiuuat oblatis occaſionibus, uel incendia animi, hoc eſt, prauos adfectus ſuo adflatu augens. His cauſis poſitis, ſequuntur hæreſes. Et nequaquàm hic imaginanda eſt neceſſitas abſoluta, uel Stoica. Expoſita hac declaratione de gradibus neceſſitatis, iam explicatio argumentorum, quæ contra ueram ſententiam de contingentia recitantur, facilis eſt & perſpicua.

Refutatio argumentorum Stoicorum.

Primum eſt.

I. De determinatione diuina.

Determinatio diuina eſt immutabilis,
Omnia contingentia ſunt determinata,
Ergo omnia contingentia ſunt immutabilia, & per conſequens neceſſaria.

Reſpondeo ad Maiorem. Ex determinatione diuina tantùm neceſſitas conſequentiæ ſequitur. Et aliter intelligenda eſt determinatio in bonis, quæ uult Deus, aliter in malis, quæ non uult, ſed permittit.

Deus hanc determinans: Mortui reſurgent, uult hanc reſurrectionem, & condit decretum, ne fiat oppoſitum. At determinans iſtam: Nero interficiet Paulum, non uult hanc ſæuitiam, ſed permittit & determinat metas furorum Neronis, ut de Sennacherib dicitur 4. Reg: 19. Ponam chamum in labijs tuis, & reducam te, &c.

Hæc ſunt ſimplicia & uera, & conſcientijs utilia. Nam Stoica illa imaginatio neceſſitatis impedit inuocationem, & confirmat multa mala in moribus.

Secundum.

II. De ſerie cauſarum.

Cauſæ ſecundæ non agunt ſine prima,
Secundæ agunt neceſſariò,
Ergo & prima neceſſariò ſimul rapitur.

Simpliciſſima & expeditiſſima reſponſio eſt, ſecundas non agere ſine prima ſuſtentante, quæ tamen liberrimè concurrit, agit quantum uult, & quatenus uult, & aliter concurrit in regendis motibus cœleſtibus, in regenda dextra Dauidis, & aliter in ſuſtentando Saule, cuius uoluntas habet ſuam quandam & propriam actionem.

Hic & dicta quædam explicanda ſunt, quæ interdum detorquentur ad confirmandam Stoicam neceſſitatem, cùm tamen longè aliam doctrinam contineant, quæ utilis eſt bonis mentibus, cùm dextrè intelligitur.

Salomon inquit: Homo præparat animam, ſed Deus gubernat linguam. In hoc dicto diſcernuntur Electio, quæ eſt in uoluntate, & Euentus. Electio libera eſt, quia à ſola uoluntate oritur. Sed euentus ad quem concurrere multas cauſas neceſſe eſt, non eſt prorſus in poteſtate uolentis. Vt Pompeius uult bellum, & liberè & contingenter uult. Eaq; προαίρεσις eſt in poteſtate uoluntatis. Sed euentus habet plures cauſas. Victoria non à ſola Pompeij uoluntate pendet, ſed habet alias cauſas multas.

Præterea in humana deliberatione, quamuis ipſa electio, ſeu προαίρεσις in uoluntate libera eſt, tamen ſæpè error accidit, ut Pericles & Demoſthenes ſua-

dent bella, & liberē eam ſententiam eligunt, moti argumentis probabilibus, quæ tamen non erat ſalutaris futura patriæ.

Dictum Ieremiæ, Scio Domine, quòd nō eſt hominis uia eius.

De talibus deliberationibus loquitur Ieremias inquiens: Scio Domine, quòd non eſt hominis uia eius, id eſt, uocatio, Sed conſilia & euentus iuuari ā Deo oportet. Magna res & difficilis eſt gubernatio Eccleſiæ, aut Ciuitatis, nec poteſt ſola diligentia humana regi, ut Pſalmus inquit: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem &c. Imō & ſapientes uiri extra Eccleſiam, fatentur, humanam diligentiam ſolam, non eſſe parem oneri gubernationis, ut apud Herodotum rectē dicit Rex Perſicus, Regnum Perſarum creuiſſe Deo ducente, ipſis Regibus prompte ſequentibus, ut uſitatè in Eccleſia dicitur, præeunte gratia, comitante uoluntate. Monet igitur Ieremias, ut petamus ā Deo ſalutaria conſilia, & euentus felices. Sicut ipſe ſuadens deditionem, petit ā Deo, ut monſtret conſilium, & regat euentum. Hæc non tollunt libertatem, aut contingentiam. Nam Ieremię uoluntas libera eſt in hac ipſa precatione. Amemus igitur hoc dictum Ieremiæ, & ſciamus commonefactionem eſſe de noſtra infirmitate, & de magnitudine periculorum, & de petendo auxilio Dei.

Dictum Chriſti, Sine me nihil poteſtis facere.

Sic intelligatur & Chriſti dictum: Sine me nihil poteſtis facere. Mittit Apoſtolos & nos imbecilles doctores in media imperia, & iubet ſpargere uocem Euangelij, flectere uoluntates hominum ad Deum, delere Idola, regere mores hominum, quod cum facere incipiunt, aduerſantur orbis Monarchæ, ſapientes & potentes ubiq;. Manifeſtum eſt igitur, non eſſe euentus in ſola poteſtate docentium, ſed oportere accedere alias cauſas. Promittit igitur filius Dei auxilium, Sine me nihil poteſtis facere. Se ait adfuturum Doctoribus, & collecturum Eccleſiam, etiamſi repugnent imperia. Vult etiam ſua luce mentes docentium regere, ut rectē doceant, & dent ſalutaria conſilia. Sicut ait: Qui manet in me, & Ego in eo, hic copioſum fructum feret. Interim tamen uera eſt propoſitio: Paulus uolens & liberē concionatur, ut Dauid uolens & liberē præliatur, etiamſi diuinitus adiuuatur.

Dicta Pauli, Electi ſecundū propoſitum. Itē, Idem Deus agens omnia in omnibus.

Malè detorta ſunt & alia quædam dicta ad neceſſitatem, ut Epheſ: 1. Electi ſecundum propoſitum eius, qui facit omnia ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ. Et 1. Corinth: 12. Idem eſt Deus agens omnia in omnibus. Hæc dicta certiſſimum eſt loqui tantūm de ſalutaribus actionibus in Eccleſia, Suntq; conſolationes, quæ promittunt nobis auxilium & præſentiam Dei, ut ſciamus noſtra pericula Deo curæ eſſe, & nos in tantis fluctibus rerum humanarum habere cuſtodem & opitulatorem Deum.

Vident Moyſes, Samuel, & ſimiles, ſe nullo modo pares eſſe oneri gubernationis. Sed ſciunt Deum adeſſe in Eccleſia, eamq; mirandis modis ſeruare. Talia ſunt, quę agit Deus iuuans Moyſen, Samuelem, Dauidē & ſimiles. Hoc auxilium non tollit libertatem uoluntatis in iſtis. Ita & nunc in maximis motibus ſciamus Deum adfuturum eſſe in Eccleſia, & gubernaturum aliquorum mentes, ut ſalutaria faciant ad ſedandos præſentes motus.

Cùm igitur talia dicta dextrē intellecta, ſalutarem doctrinam proponant, uitemus corruptelas, quæ detorquent ea ſophiſticē in peregrinam ſententiam, ad confirmandas Stoicas opiniones de neceſſitate.

Recitaui fontes diſputationis de contingentia, quibus cognitis, pius & prudens Lector ſciet, quid ſit ſentiendum in hac quæſtione, & facilè explicabit, et refutabit Labyrinthos aliorum, qui Stoicas opiniones defendunt. Cùm

que di

que dictum sit in genere de Creatione, Nunc de natura hominis, de peccato, & de liberatione dicendum erit eo ordine, qui in Symbolo institutus est.

DE CREATIONE HOMINIS.

Creatio hominis.

*ETsi Deus ideò Angelos & Homines, & hoc totum domicilium Angelorum & Hominum condidit, ut aliquo modo agnoscatur, tamen nulla creatura exhaurire totum consilium de creatione potest. Eritq; hæc sapientia propria futuræ & perpetuæ consuetudinis cum Deo, ex ipsius conspectu discere, quare Deus condiderit genus humanum, quare cum inobedientia primorum parentum meruisset deleri eam creaturam, Filius factus sit intercessor & Mediator, & quale consilium fuerit de copulatione naturæ diuinæ & humanæ in Filio. Hæc arcana longè & extra & supra captum humanæ rationis posita, tunc discemus.

Consilium creationis exhauriri non potest.

Sed uult tamen in Ecclesia sua Deus initia doctrinæ de tantis rebus exstare, uult se aliquo modo agnosci & inuocari, uult nos gratias agere pro creatione, & pro Filio nobis donato, & reddita uita æterna, etiamsi nondum res tantas penitus intelligimus.

Sic igitur, ut Psalmus inquit, agamus: Ex ore infantium & lactentium, laudem Dei sonemus.

Agamus Deo gratias, quòd condidit sibi in genere humano æternam Ecclesiam, & sese toties & tam illustribus testimonijs patefecit, misit Filium, dedit uocem Euangelij sui, & nos ad æternam salutem uocat, & dat Spiritum sanctum, ut in nobis tanta bona incoët, ac oremus ardentibus uotis, ut luce sua in mentibus nostris ueram noticiam & fidem de creatione, & de beneficijs, quæ nobis dedit, accendat, & pectora nostra inflammet, ut firma fide eum celebremus, & ei obediamus, ac efficiamur hæredes consuetudinis perpetuæ cum Filio in uita cœlesti.

Quanquàm autem nec consilium creationis hominum, nec opus ipsum perspici potest, tamen in Ecclesia necesse est retineri doctrinam, quæ diuinitus de creatione hominis, & de ipso opere, lapsu, & restitutione tradita est.

Primùm igitur narrationi, quæ in primo libro Moysi extat de creatione hominis, in primo & secundo capite, firmissima fide assentiamur, Ibi & opus ipsum describitur his uerbis: Faciamus homines ad imaginem & similitudinem nostram.

Dictum Moysi de Creatione hominis.

Hæc narratio non solùm ingentem gloriam humanæ naturæ, qualis condita est, prædicat, sed etiam ostendit amorem Dei singularem erga genus humanum. Nihil enim glorioſius in creatura cogitari, aut esse potest, quàm quòd sit imago Dei, referens illa quæ sunt in Deo pulcerrima, sapientiam, iusticiam, & libertatem uoluntatis in Deo. Deinde cùm ideò condiderit hanc naturam, ut in ea luceret conditoris agnitio & imago, & transfuderit in homines dona, quæ sunt in ipsa mente diuina, pulcerrima, non dubium est, quin ualdè hoc opus dilexerit, quod sic ornauit, & domicilium ac templum esse uoluit, in quo habitaret, & agnosceretur, & ipse illustribus testimonijs sese ostenderet, & cui æterna bona communicaret.

Homo conditus ad imaginem Dei.

In quibus rebus fuerit præcipua integritas hominis.

Cũm aũt postea de lapsu hominis dici necesse sit, prius hoc considerandum est, in quibus rebus præcipuẽ fuerit integritas, quæ quidem significatur maximẽ in his ipsis uerbis, cũm dicitur, homo ad imaginem Dei conditus esse. Fuit igitur dignitas hominis, quòd placuit Deo. Nec placuit tunc sine integritate, sed quia re uera in homine fuit sapientia & iusticia Deo placens, quæ ad imaginem & similitudinem Dei pertinet.

Augustini sententia de imagine.

Augustinus imaginem tantùm ad substantiam refert, & interpretatur imaginem hoc modo: Memoria in mente hominis significat Patrem æternum gignentem Filium. Cogitatio significat Filium, Voluntas Spiritum sanctum. Non reprehendo hanc collationem ab Augustino factam, sed probo etiam, nec dubium est æterni Patris, & Filij, & Spiritus sancti discrimen in humanis mentibus adumbratũ esse. Sed complectamur cum substantia etiam uirtutes, sicut Paulus imaginem non de sola deprauata substantia intelligit, sed de ea, in qua lucent uirtutes congruentes cum mente diuina.

Tria bona pertinent ad imaginem, & quæ sint ac quanta.

Pertinent igitur ad imaginem hæc tria bona, Mens in qua lucet uera Dei notitia, Voluntas conuersa ad Deum, in qua sunt uirtutes congruentes cum uoluntate Dei, & libertas uoluntatis, quæ sine ulla contumacia inferiorum uirium poterat Legi Dei obedire. Hæc dona omnia complectitur adpellatio imaginis, scilicet mentem agnoscentem Deum, & cæteras in eo notitias, quæ sunt uelut radij sapientiæ diuinæ in nos transfusi, uoluntatem conuersam ad Deum, & libertatem uoluntatis. Et hæc libertas non impediebatur contumacia cordis, sed cordis motus domiti, regi à ratione & uoluntate poterant.

Iam cogitemus, quanta bona hæc fuerint, lux de Deo, & notitia Legis, & firma adsensio, seu fides amplectens promissiones & minas Legi additas, Deinde uniuersi huius opificij mundi, motuum cœlestium, humani corporis, animantium, & plantarum cognitio.

Postea & in uoluntate & corde, rectitudo & consensus, & omnium pulcerrimarum uirtutum copulatio. Voluntas ad Deum conuersa erat uero Dei timore, uera fiducia, uera dilectione, Erat & recta inter ipsos homines, nulli aberrantes adfectus, sed ardebat in cordibus amor iusticiæ, ueritatis, beneficentiæ, castitatis. Et his pulcerrimis dotibus ornatos se esse primi parentes intelligebant, ut agnoscerent eas testimonia de Deo esse. Hinc discebant, & esse Deum, & qualis sit, & quam obedientiam flagitaret.

Erant hæc quidem ingentia bona. Sed tamen multõ maius fuit, quòd quanquãm talis lux in hominum natura lucebat, tamen Deus etiam se singulari modo patefecit, prodiens ex arcana sede sua, & alloquens homines, certum & expressum uerbum addidit, ut testaretur se uelle hoc modo agnosci, cũm mentes statuerent hunc uerẽ Deum conditorem esse, qui sese patefecisset, tradita certa uoce. Data sunt igitur mandata de certa Arbore, & de coniunctione unius maris & unius fœminæ, ut in his officijs declararent obedientiam erga ipsum. Tales erant primi parentes, placebant Deo, & erant pleni luce Dei, iusti, & habebant appetitionum ordinem, rectum & congruentem cum lege mentis, & uoluntas uerè libera erat, ita ut posset Legi Dei integrẽ obedire aut auertere se à Deo.

Hæc doctrina de integritate hominis primũm cogitanda est, non solũm ideò, ut magis perspicua sit explicatio de Lapsu, & Peccato originis, sed etiam ut consideremus magnitudinem amoris in Deo, erga genus humanum, quem

ostendit

oſtendit in hac donorum excellentia, quod rerum optimarum in natura diuina radios in nos transfudit, ſuam ſapientiam, iuſticiam & libertatem.

Hic etiam iuniores admonendi ſunt, ut doctrinam huc adferant ex Phyſicis, de potentijs animæ, & conſiderent, quibus adpellationibus utatur ſermo Propheticus & Apoſtolicus, Diſcernendæ ſunt potentiæ cognoſcentes & appetentes. In potentia cognoſcente ſunt Noticiæ, Vt autem ad hanc pertinent, adprehenſio ſimplicium, compoſitio & diuiſio, Argumentatio & iudicium de compoſitis, diuiſis, & argumentis, ita & conſcientiæ iudicium propriè eſt in parte cognoſcente, quia eſt concluſio extructa ex legibus, ut in Diabolo manent legum noticiæ, manet & conſcientię iudicium, etiamſi uoluntas repugnat Legi, & petulanter ruit contra conſcientiam, id eſt, contra noticias, quas ueras eſſe ſine ulla dubitatione nouit. *Diſcrimen potentiarum neceſſarium eſt.*

Vſitatum eſt autem nominare potentiam cognoſcentem, intellectum, ſeu mentem, ſeu rationem, etſi hæc duo uocabula interdum complectuntur etiam uoluntatem. Itaq; quo in loco quæ uſurpentur ſignificationes, conſiderandum eſt. Potentia appetens, id eſt, expetens aut fugiens cognita, nominatur uoluntas, Et ad hanc adiungendum eſt cor, quod eſt uerorum adfectuum & non ſimulatorum fons & domicilium. In intellectu Ioſeph noticia eſt Legis, Deus prohibuit uagas libidines, & uult in genere humano certas eſſe coniugiorum leges, uerē iraſcitur adulterijs, & horribiliter ea punit. Hac lege mouetur uoluntas, ne adpetat coniugē domini, ſed ut nihil ſit ſimulationis, cor etiam uerē timens Deum, & cupiens obedire Deo, fugit adulterium, & uoluntas imperat oculis, & alijs membris externis, ne adulterio ſeruiant. Cùm igitur cor aliquomodo cum uoluntate congruere oporteat, in ueris & non ſimulatis adfectibus, ſermo Propheticus adpellatione cordis utitur ſępē pro intellectu, uoluntate & corde. Interdum ſic & mentis adpellatione utitur. *Potentia cognoſcens.* *Potentia appetens.*

Sciant etiam iuniores uſitatum eſſe Liberum arbitrium nominare uoluntatem cum intellectu coniunctam, eligentem uidelicet aliquid liberē, præcedente cognitione. Sed doctrina de potētijs alibi copioſius traditur, & quantum conceditur cognoſcenda eſt. Hic autem breuiter de ea Lectorem commonefeci, quia magis perſpicua erit deſcriptio peccati originis, ad quam nunc accedimus, intuenti potentias animæ. *Liberum arbitrium.*

DE LAPSV PRIMORVM PARENTVM, ET PECCATO ORIGINIS.

*DIctum eſt de Creatione hominis, de qua Vtcunq; conſentaneum Videtur humanæ ratio*ni, homines ab æterna mente architectatrice & opifice conditos eſſe. Sed quæ de lapſu & de cauſis horribilium malorum in genere humano nunc dicenda ſunt, hæc uerō longius extra conſpectum humanæ rationis poſita ſunt.

Cùm ingentem magnitudinem miſeriarum humanarum, mortem, & alias calamitates horrendas, cędes, bella, magnarum Vrbium excidia, gentium uaſtationes & diſſipationes multiplices aſpicimus, mouemur quidem, ut cogitemus triſtem aliquam & magnam cauſam eſſe tantarum miſeriarum, in tam præſtanti natura generis humani, Sed quæ ſit prima & potiſſima cauſa nō cernimus, Philoſophi diſputant mortē, morbos, & multas prauas inclinationes ā mate-

Philosophi nõ intelligunt primam causam miseriarũ humanarum.

materia corporum oriri, sicut putrefieri plantas, & mori pecudes uidemus, quia tales sunt materiæ uices. Deinde furores, qui à uoluntate oriuntur, dicunt hominum erroribus aut petulantia accersi. Nec falsa dicunt Philosophi, quia de causis proximis loquuntur, non de prioribus aut principalibus. Sed hoc ipsum quæritur, Cur tam præstans natura hominum tantis miseriis onerata est? Vnde tanta sit imbecillitas, ut tam facilè ruat in tantos furores? Hic doctrina à Deo tradita in Ecclesia, causam principalem recitat, quam etsi humana iudicia ridiculam esse cogitant, & multi in Ecclesia, ut Pelagiani, & alij extenuauerunt, tamen bonæ mentes, quæ uerè & seriõ amplectuntur doctrinam à Deo traditam, nec commentitiam, nec leuem esse statuunt.

Extat autem in Genesi cap: 3. narratio de Lapsu. Hic dicent Philosophi, etiamsi uerum est homines tunc conditos discessisse à mandato Dei, quid hoc ad posteritatem pertinuit? aut quæ tanta res fuit, uesci pomo interdicto? Sed piæ mentes expauescant potius cogitatione primi lapsus, & nequaquàm audiant uirulentas calumnias narrationis diuinitus traditæ, quæ quidem sunt tela magis uenenata, quàm qualia fuerunt tunc sermones Diaboli, quibus initiõ sauciatum est cor Heuæ.

Magnitudo primi lapsus.

Etiamsi externum opus, ut uesci pomo, res leuis uidetur, tamen illa magna & horrenda fuerunt, auerti à Deo, negligere mandatum Dei, anteferre ullam rem humanam, Et cùm omnes naturæ rationales, Angeli & Homines ità conditi sint à Deo, ut per Spiritum sanctum angeli & homines copulati essent Deo, æterna societate, & non solùm luceret in eis imago sapientiæ & iusticiæ Dei, sed etiam transfusus esset in eos Spiritus sanctus, ut cum Patre & Filio, mirabili amore connexi essent, quantum malum fuit rumpere illam copulationem? quanta ingratitudo fuit excutere Spiritum sanctum, et illam æternam coniunctionem cum Deo aspernari? Tanti mali turpitudo non potest ullius Angeli uel hominis eloquentia satis exponi, Imõ ne quidem comprehendi cogitatione potest. Horrendum malum est peccatum, nec magnitudo satis cerni potest, Sed reuerenter cogitatione lapsus & pœnarum expauescamus, & ad filium Mediatorem confugiamus.

Considerata autem narratione de Lapsu primorum Parentum, deinde ostendamus ex dictis Propheticis & Apostolicis posteritatem ream esse propter illum lapsum, & definitionem firmam & perspicuam constituamus, Quid sit peccatum illud, quod in posteros natos ex commixtione uiri & mulieris propagatum est, quod usitatè uocant, Peccatum originis.

Testimonia ostendentia posteritatem reã esse propter primum lapsum.

Ac initiõ recitemus aliqua testimonia, quę adfirmant, posteritatem ream esse propter Adam. Tradit autem Paulus hanc doctrinam expressè Rom: 5. Per unum hominem, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, eõ quòd omnes peccauerunt, id est, rei facti sunt, seu reiecti & damnati sunt. Nota est enim phrasis Hebraica, quę uerbo peccare significat reum, id est, reiectum & damnatum esse, Item, unius delicto omnes mortui sunt, Ergo alij sunt rei propter Adæ lapsum. Et Ephes: 6. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri, Hebraica phrasis est, filij iræ, id est, proprij iræ, hoc est, rei & damnati. Et Psalmo 50. dicitur, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, quibus uerbis adfirmat Propheta peccatum aliquod propagatum esse à parentibus. Quare malum aliquod, & à primis parentibus, in posteros propagatum est.

Etsi

Etsi aũt humana iudicia sine doctrina cœlesti, non cernunt ream esse hominum naturam, nec agnoscunt satis, mala hærentia in hominum natura, tamen calamitatum magnitudo commonefactio est de causa, esse uidelicet aliquod peccatum in hominum natura, quod sit fons tantorum malorum. Postquàm autem certum est, homines natos ex commixtione uiri & mulieris, reos esse, iam quæritur hoc malum quale sit, Aliqui dixerunt, tantũm pœnam esse, qua obligata est hæc natura ad mortem corporis, alij dixerunt, reatum esse sine uicio in ipsis hominis uiribus, Sed hi errores tristissimis concionibus Prophetarum & Apostolorum manifestẽ refutantur.

Est autem hęc definitio usitata ab Anshelmo Gallico accepta, & postea in scholis celebrata, quam quidem autor ipse satis luculenter enarrat, sed recentiores non eodem modo eam interpretati sunt.

Peccatum originis est carentia iusticiæ originalis, debitæ inesse. Libenter amplector hanc definitionem, sed dextrè intelligatur, ut autor ipse enarrat. Nam iusticia originalis, non significat tantũm acceptationem diuinam, sine ueris uirtutibus insitis hominum naturæ. Ideò autem suprà recensui prolixius doctrinam de creatione hominis, & de imagine Dei in hominibus, ut postea lapsus intelligi magis perspicuè posset. *Definitio peccati originis ex Anshelmo.*

Erat ante lapsum in mente Adæ noticia de Deo illustrior, & firmior adsensus minarum & promissionum legalium. Deinde uoluntas nondum erat auersa à Deo, sed erat ornata in creatione multis uirtutibus, timore & dilectione Dei, fiducia Dei, & iusticia uniuersali, iuxta totam legem naturæ. Nec erant inclinationes in uoluntate contra Legem Dei.

Erant et in corde adfectus congruentes cum lege mentis, nec erant inclinationes aut adfectus contra legem mentis. Hanc totam integritatem et concordiam in mente, uoluntate, & corde uocarunt rectitudinem & iusticiam originalem.

Cũm igitur in definitione Anshelmi dicitur, peccatum originis est defectus iusticiæ originis, intelligatur iusticia non tantũm acceptatio, sine illis uirtutibus, sed utrunq; complectendum est, defectus acceptationis, & uirtutum, Estq; peccatum originis defectus iusticiæ originis, id est, in natis ex commixtione maris & fœminæ, amissio lucis in mente, & auersio uoluntatis à Deo, & contumacia cordis, ne possint homines integrè obedire Legi Dei, secuta lapsum Adę, propter quam corruptionem, nati sunt rei & filij iræ, id est, damnati à Deo, nisi facta fuerit remissio. Si quis uult addere, natos etiam reos esse propter lapsum Adæ, non repugno. *Quid significet defectus iusticiæ originis in definitione Anshelmi.*

Hanc definitionem ueram esse, & perpetuam Prophetarum, Apostolorum & ueterum scriptorum sententiam certissimum est, uidelicet peccatum originis, non tantũm esse imputationem, sed in ipsa hominum natura caliginem & prauitatem. Ideò ueteres plerunq; nominant hoc malum, prauam concupiscentiam, qua adpellatione intelligunt non adpetitiones in natura conditas, sed ἀταξίαν adpetitionum. Et Bonauentura dictum Hugonis citat, Peccatum originis esse ignorantiam in mente, & inobedientiam in uoluntate. *Hugonis dictũ de peccato originis.*

Iã addenda sunt testimonia Prophetica & Apostolica, quæ ostendũt hoc malũ in natura hominis, quod nascentes nobiscũ adferimus, non tantũm reatum seu imputationem esse, sed etiam uicia in hominibus. Ro. 7. manifestũ testimonium extat, Video aliam legem in membris meis, repugnantẽ legi mentis meæ, *Quòd peccatum originis non tantùm sit reatus, sed uiciũ in natura.*

tis meæ. Non dubium est autem Legem in membris, quam sic nominat, esse prauas inclinationes nobiscum nascentes. Et id malum ait repugnare legi mentis & Legi Dei.

Est igitur peccatum originis non modò reatus, sed etiam uitium in ipsa natura.

Dictum Pauli, Sensus carnis &c.

Simile testimonium extat Rom: 8. Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Nam Legi Dei non subijcitur, nec subijci potest, ostendunt uerba non dici de actuali malo, sed morbo durabili hærente in natura, quem nominat sensum carnis, qui non possit Legi Dei subijci. At actuale malum expelli posset, & natura si non deprauata esset, Legi Dei subijci posset.

Considerent autem pij, quàm tristis concio sit, cùm ait, in hac imbecilli & misera natura inimiciciam esse aduersus Deũ. Quid dici atrocius potest, quàm hanc naturam hominis inimicam esse Deo, hoc est, circumferre secum adsiduẽ caliginem, & dubitationes de Deo, securitatem negligentem Deum, diffidentiam fugitantem Deum, & inclinationes, unde multi errantes impetus contra Legem Dei oriuntur. Hæc mala cùm nominet sensum carnis, manifestum est malum nobiscum nascens, non tantùm reatũ esse, sed etiam illud uulnus in natura, uidelicet, prauas inclinationes, de quibus dictum est. Nec noua est hæc doctrina in Ecclesia, tunc demum à Paulo tradita, sed inde usq; ab initiò semper Patres & Prophetæ hanc infirmitatem naturæ humanæ & agnouerunt & deplorauerunt. Vult enim Deus in Ecclesia semper aliquo modo intelligi & agnosci hoc malum hærens in natura, ut sciant homines se non satisfacere Legi Dei, nec disciplina iustos esse coram Deo, sed quærant remissionem peccatorum, per Mediatorem. Item, ut discrimen conspiciatur inter Legem Dei & leges politicas. Lex Dei accusat non tantùm externa delicta, sed etiam prauas inclinationes in corde. Sed Leges politicæ sunt qualecunq; freenum, quo externa disciplina regitur, & tantùm accusant externa delicta, Ideò statim initiò in Moyse extat hæc concio de prauis inclinationibus in natura.

Dictum Moysis, Cogitatio hominis prauа &c.

Genes: 8. Cogitatio humani cordis mala est à pueritia, id est, non tantùm prauа adsuefactione corrumpuntur homines, Sed in ipso corde inclinationes prauæ sunt in pueris iam nascentibus. Verba enim in Hebraica lectione magis illustria sunt, Opificium humani cordis, seu plasma, id est, Massa ipsa aut certè motus, seu impetus, seu ὁρμαὶ in corde sunt res malæ, id est, auersæ à Deo.

Dictum Ieremiæ, Peruersum cor hominis &c.

Eadem est sententia dicti Ieremiæ cap. 17. Peruersum est humanum cor in omnibus, & miserum & inscrutabile, id est, Est auersum à Deo, & abutitur omnibus bonis, quærit gloriam, & uoluptates non debito ordine, & obliuiscitur Dei in secundis & aduersis rebus, deinde inquit, cor miserum esse, quia cor sine luce & consolatione diuina, opprimitur desperatione, doloribus, & mœsticia æterna.

Ex his dictis & similibus perspicuè intelligitur peccatum originis, esse non tantùm imputationem, sed etiam uulnera quædam in natura. Ideò cùm Paulus & Dauid nominant hæc mala, peccatum non tantùm intelligatur imputatio, sed etiam intelligantur defectus & prauæ inclinationes, id quod satis perspicuè significat Paulus, de potentia peccati loquens, peccatum regnauit, id est, oppressa lege mentis, multos impetus ruentes contra DEVM excitauit, quare de malo in natura hærente loquitur, non tantùm de ociosa imputatione.

Ac imago

Ac imago proposita est in narratione de uiatore uulnerato & spoliato, quæ extat in cap. 10. Lucæ. Latro diabolus oppressit uiatorem hominem,& uulnerauit eum,ac spoliauit,quod sic interpretantur, Spoliauit gratia,& uulnerauit naturalia,spoliauit, id est,auulsit eum à Deo, & excussit lucem & iusticiam insitam, Fecit & uulnera in ipsa natura, liberi arbitrij uires languefactæ sunt,uoluntas habet prauas inclinationes,& cor est contumax legi mentis. Ita iacet uiator semimortuus, id est, etsi iam perierat homo si non accessisset filius Dei, tamen quia ex media morte reuocatur hoc modo, cùm audit & accipit Euangelium dicitur hic semimortuus. Eatenus uiuit, ut audiat & amplectatur Euangelium, prætereunt autem miserum sacerdos, id est, doctor Legis, & Leuita,id est,mactator pecudum.Hi non possunt opem ferre morienti,id est,legis opera non tollunt iram Dei,nec recuperant iusticiam & uitam æternam. Nec sacrificijs & mactatione pecudum placari ira Dei potest. Sed Samaritanus,id est,custos Ecclesiæ suæ filius Dei: nam שומר custodem significat: adficitur misericordia calamitatis nostræ,& infundit uinum & oleum,id est,arguit peccatum,&addit uocem Euangelij,qua sanat uulnera nostra,dato Spiritu S.obligat etiã uulnera, id est,peccata præterita, & reliquias in nobis herentes tegit, noscp imponit suo corpori,id est, propter nos sustinet, mortem & fit uictima pro nobis, deinde nos commendat ei, qui præest hospitio, uidelicet, ministris Euangelij, cui tradit duos Denarios,uocem legis, & uocem Euangelij, & uult incoata sanatione magis magiscp confirmari in nobis agnitionem Dei, fidem, spem,dilectionem,& cæteras uirtutes, & initia uitæ æternæ,& promittit sumtus,id est,auxilium utriscp doctoribus & pijs auditoribus.

Imago peccati originis in uiatore uulnerato & spoliato.

Hæc imago pingit & miserias nostras,& sanationem.

Quæri autem solet, quæ pars hominis sit spoliata, quæ uulnerata, & ubi sit peccatum originis. Vera responsio est, peccatum originis in anima & in corpore esse,ac præcipuè in tribus uiribus,scilicet,in mente caliginem,gignentem tetras dubitationes de prouidentia, de comminationibus & promissionibus Dei,Deinde in uoluntate auersionem à Deo, unde sunt ingentia mala, securitas,neglectio iræ Dei,diffidentia,Amor nostri. Postremõ in corde horribilem contumaciam gignentem errantes adpetitiones & flammas pugnantes cum lege Dei,iniustos amores, iniusta odia.

Peccatum originis est in anima & corpore & præcipuè in tribus uiribus.

Hæc mala omnia uno nomine complecti antiquitas uoluit,quæ nominauit malum originis concupiscentiam, qua uoce non adpetitiones ipsę,quatenus ã Deo conditæ sunt, intelligantur, sed ἀταξία adpetitionum, ut suprã quoqp monui. Facilè autem spoliatio intelligi potest in utroqp, in anima & in corpore. In mente amissa est firma assensio. Ex uoluntate excussus est Spiritus sanctus,cor amisit gubernatorem,id est,mens & uoluntas non possunt firmiter regere cor,quod uariæ rapitur,non solũm temperamenti uarietate,sed etiam sua quadam imbecillitate. Spoliationem autem seu defectus secuta sunt uulnera, ut in uoluntate amor & admiratio nostri, In corde multiplex contumacia,sicut Anshelmus loquitur de Naui destituta gubernatore & remis, quæ postea uarijs motibus agitatur.

Hic autem quæstio agitatur, quomodo in anima peccatum esse possit, cùm animæ immediatè creentur à Deo, Ad quod facilis & plana responsio est, si dicimus Animas ex traduce oriri, quod Augustinus & alij multi docti & sapientes magis senserunt. Si quis autem fugiet hanc disputationem, respondere pote-

Animæ ex traduce oriuntur.

re poterit, tales nunc creari animas, qualis est hæc natura post lapsum, quia dissimiles esse animas non dubium est. Heroicæ sunt præstantiores,& magis dominantur omnibus motibus corporum, quãm aliæ imbecilliores.

Vsitatum est sic dici, Animas infici à corporibus, Sed cùm defectus quidam proprij sint mentis & uoluntatis, ut in mente dubitatio, & in uoluntate auersio à Deo necesse est fateri in ipsa anima quoq; malum & peccatum esse.

Nunc ordinè recensebo causas & effectus peccati originis, in Adam & in posteritate.

Causæ efficientes peccati originis.

Causæ efficientes primum lapsum in Adam & Heua fuerunt diabolus offundens falsam imaginationem, & uoluntas in Heua & Adam, adsentiens illis imaginationibus, ac discedens ã uerbo Dei. Non igitur Deus,sed uoluntas in ipsis primis parentibus causa est peccati, sicut Paulus inquit, Per unum hominem peccatum intrauit in mundum.

Dicuntur autem & efficientes causę,quę merentur aliquid,Sic Adam & Heua sunt efficientes causæ, quia sibi & posteris meriti sunt reatum, & hos ipsos defectus seu prauitatem,quæ lapsum secuta est,excussa luce Dei.Postquãm enim primi parentes deliquerunt, amiserunt firmam illam noticiam,quæ mentibus insita fuerat,et rectitudinem uoluntatis,& conuenientiam cordis cum lege Dei,Et qualis fuit in eis natura orbata originali iusticia,tales postea procreauerunt. Itaq; uoluntas in primis parentibus,est causa efficiens corruptionis uniuersæ naturæ in posteris.

Materia in qua peccati originis.

Materia. Non hic,nisi de Materia in qua, id est, de subiecto quæri potest,uidelicet,ubi sit malum originis? Est autem in Anima,& in potentijs sentientibus, & earum organis, quia in mente humana est Caligo, in uoluntate auersio ã Deo, amor nostri inordinatus, & multiplex praua inclinatio, Et in corde contumacia contra rectum iudicium mentis.Ita loco morbi,ut sic dicam, monstrato,propius aspici malum potest.

Duplex formale unũ peccati regnantis alterum uicij.

Forma. Duplex formale est,Alterum peccati regnantis,scilicet,Reatus. Alterum uicij,seu morbi,uidelicet,defectus. Hæc dextrè explicata facilè intelligi possunt ab ijs, qui mediocriter exculti sunt doctrina. Disputationes Monachorum de hac re plus habent labyrinthorũ, quia ineruditè iudicarunt, nec considerauerunt discrimen inter reatum, & ipsum morbum in natura hominum hærentem.

In Paulo renato, quanquãm persona non est rea, tamen manent multæ dubitationes de Deo,ortæ ex caligine mentis. Hanc caliginem & ipsas dubitationes esse defectum lucis,manifestum est, Deinde uoluntas non habet dilectionem Dei tam ardentem, ut oportuit, & cor habet multas flammas aberrantes à Deo. Hæc mala,defectus seu priuationes esse,ut dialectici loquuntur, manifestum est,ut si de Naui, quæ destituta gubernatore iactatur fluctibus,dicatur, defectus seu priuatio esse,quòd sine ordine nunc huc, nunc illuc impellitur nauis, & quòd deest gubernator, seu ut de conturbata Hàrmonia in cantu dici potest, ipsam conturbationem seu discordiam sonorum, esse priuationes. Hæc perspicua sunt.

Et quanquãm Scriptores aliãs nominant hoc malum defectus,aliãs prauam concupiscentiam seu prauas inclinationes,tamen idem sentiunt omnes, & omnes iudicant formale esse huius totius mali defectus. Nam etiam cùm de cõcupiscentia seu inclinatione dicitur,non intelligitur damnari appetitio qua

lis con-

lis condita est in hominis natura, sed auersio appetitionum ā Deo & ἀταξία inclinationum ac affectuum aberrantium ā Deo, & temerē uagantium. Hinc perspicuē intelligi potest, peccati regnantis formale esse reatum, id est, illam relationem, personam, propter uicium quoddam, ordinatam esse ad æternas pœnas, nisi fiat remissio, sed uicij, quod hæret in natura, formale esse defectus multiplices.

Finis. Appellatione finis continentur hic effectus & pœnæ quæ comitantur lapsum Adæ, & peccati propagationem, uidelicet, ira Dei damnantis & reijcientis hominem non renatum. Mors corporis, & innumerabiles calamitates sequentes in corpora, praua inclinatio seu concupiscentia, quæ & pœna est primi lapsus, & deinde peccatum, qua praua inclinatione impeditur humana natura, ne integrē obedire legi Dei in hac uita possit. Est & tristis pœna, miserrima seruitus, qua totum genus humanum tyrannidi diaboli subiectum est, qui impellit incautas & infirmas hominum mentes, ut alij in alia scelera horribiliter ruant. Cain fratrem interficit, cùm quidem & sibi ipsi & generi humano gratulari beneficium Dei debebat, quòd Deus illustri testimonio ostenderat se exaudire inuocantes. *Effectus et pœnæ peccati originis sunt finis*

Etsi enim manet aliqua facultas Liberi arbitrij, seu humanæ uoluntatis, quæ utcunq; regere disciplinam potest, tamen humana imbecillitas sæpē uincitur impulsionibus Diaboli, ut in Saul, Achitophel & multis sapientib. conspicitur. Suntq; tristissima spectacula in genere humano, uidere horrenda exempla sapientum & uirtute præstantium, qui impulsi ā diabolo fiunt administri magnorum scelerum, stabiliunt Idola, & exercent sequitiam in Ecclesiam, ut Pharao, Arius, Diocletianus, & alij innumerabiles.

Hæc recitatio causarum aliquid lucis addit doctrinæ de peccato originis, Nec cachinnos prophanorum hominum uereamur, qui derident hanc doctrinam, sed ingens magnitudo miseriarum generis humani moueat nos, ut cogitemus non leuem esse causam iræ Dei, propter quam tantis ærumnis & pœnis natura hominum onerata est, quas Paulus breuiter complexus est inquiens, per peccatum intrauit mors. Magna uarietas semper fuit disputationum & explicationum in hac quæstione, ac recitatio uariarum opinionum non solùm longa esset, Sed etiam obscuritatem augeret. Cognitis autem his ueris fontibus, dijudicatio opinionum in hac quæstione nequaquām difficilis est. Pelagius omnino sustulit peccatum originis, & finxit homines posse legi Dei perfectē satisfacere, & externa obedientia seu disciplina mediocri coram Deo iustos esse, Ac propemodum idem sensit Occam, & multi alij. *Pelagius.*

Econtrā Manichæus tetra & portentosa deliramenta sparsit. Duas esse hominum species, alteram ā uenenata materia, quam dicit ortam esse ā malo Deo, Tales dicit nunquam ad bonum conuerti posse, ut Pharaonem, Catilinam et similes. Alteram speciem dicit ā bono Deo ortam esse. Tales dicit ideò conuerti, non quia ipsorum uoluntas sua aliqua actione adsentiatur uoci diuinæ, seu quia se aliquo modo actiuē habeat, sed quia se purē passiuē habeat uelut canalis, per quem fluit aqua. Dicit igitur tales conuerti, quia eorum natura capax sit diuini luminis, ideoq; talibus infundi Spiritum sanctum, quia sint ex illo numero orto ex meliore materia. *Manichæus.*

Explodendi sunt autem & Pelagij & Manichæorum errores, & contra tales furores diligenter muniendæ sunt piæ mentes ueris testimonijs. Dicta

Refutatio delirij Manichæorum.

Pauli & prophetica ſuprà recitata ſatis,perſpicuè refutant Pelagium. Aduerſus Manichæos hæc fundamenta tenenda ſunt,Non eſſe duos conditores Materiæ unum bonum, & alterum malum, Sed tantum bonum conditorem eſſe, et unicam fuiſſe hominum materiam,quæ in creatione bona erat, Poſtea lapſu languefacta eſt,excuſſa luce et iuſticia diuina. Et ſimilem eſſe materiam omnium hominum, Et omnes homines poſſe conuerti ad Deum,Nec uoluntatem ſe habere purè paſſiuè, ſed aliquo modo actiuè, ac adſentiri poſſe Deo trahenti, quia manifeſtiſſimum eſt promiſſionem Dei uniuerſalem eſſe. Hæc ſatis eſt iam monuiſſe. Nam poſtea de Libero arbitrio copioſius refutandi erunt & Pelagiani & Manichæi.

De dicto Philoſophico Natura bona eſt.

Natura bona eſt, quomodo accipiendũ ſit

ADdatur & breuis declaratio dicti Philoſophici, quod opponunt doctrinæ de peccato originis. Vſitatum eſt enim dicere Naturam bonam eſſe, Id ita accipiatur. Subſtantia hominis, & noticiæ & adpetitiones,quatenus reliquum eſt opus à Deo conditum, ſunt res bonæ, ſed acceſſit poſtea propter peccatum deprauatio,id eſt,defectus,& ἀταξία. Hæc mala,etſi ſunt magna,tamen diſcerni à ſubſtantia, & ijs bonis, quæ in natura hominis reliqua ſunt oportet, ut Noticia numerorum eſt res bona, quia à Deo inſita eſt homini, & ad agnitionem Dei,& multorum diuinorum operum neceſſaria eſt. Sic de omnibus ueris noticijs ſuo ordine ſentiendum eſt.

Eſt & Noticia legis naturæ res bona, Etſi enim poſt lapſum Adæ cœpit eſſe obſcurior, & adſenſio conturbatur dubitationibus, tamen quantum eius lucis reliquum eſt, res bona eſt, & Dei opus. Artes igitur & leges ueræ bona conſequentia ex legibus naturæ extructæ, res bonæ ſunt. At interea accedunt multæ dubitationes,an Deus curet nos,an puniat,an recipiat,an exaudiat nos, an uelit opitulari,an uelit dare æternam uitam & æterna bona.Hæ dubitationes ſunt per ſe uicioſæ, quia ſunt mala pugnantia cum lege Dei, Sic & diſcrimen magnum eſt affectuum.Alij præcepti ſunt lege Dei,ut amor ſobolis,coniugum,parentum. Alij prohibiti lege Dei, ut contemtus Dei,fremitus aduerſus Deum, inuidentia, amare coniugem alterius.

Etſi autem in hac deprauatione naturæ, poſtquàm homo excuſſit rectorem Deum,etiam adfectus præcepti lege Dei,qui utcunque nunc reliqui ſunt, contaminantur, & fiunt uicioſi, quia non reguntur dilectione Dei, ſicut ſæpè propter liberos delinquunt homines, tamen ipſa φιλοσοργία à Deo mandata eſt, & manere in renatis, & purior fieri debet. Abraham ardenter amat Iſmaël & Iſaac, Sed tamen antefert mandatum Dei.

Non igitur imaginandum eſt, ex homine omnes adfectus tollendos, aut omnes eodem modo damnatos eſſe,ut fanatici Anabaptiſtę iactitant Stoicam ἀπάθειαν. Imò nulla eſt uita ſine motu,ſine adpetitione,ſeu aliquibus adfectibus & ipſa lex Dei poſtulat adfectus,Diligas dominum Deum tuum.Item,diligas proximum.Et Rom.1. ἀσοργία inter atrocia crimina recenſetur.

Hæc commemoraui propter multas cauſas, primùm ut imperiti prænoniti magis uitent fanaticorum deliramenta,quę ſæpè omnes affectus Stoicorum more damnant, & ſtulta ſimulatione ſibi tribuunt ἀπάθειαν. Deinde ut cùm de concupiſcentia dicitur, ſciant non improbari appetitiones, ſicut in natura conditæ ſunt, ſed ἀταξίαν appetitionum.

Poſtremò,

Postremō, ut cùm intelligent oportere in natura appetitiones & affectus esse, sciant uerè hæc in Christo fuisse, sed ordinata, ueram lætitiam, ueram mœstitiam, ueram & ingentem iram, & alios affectus, sed ita, ut regerentur amore Dei, ut Marci 3. Circumspexit iratus, Et de eo in Psalmo dicitur: Zelus domus tuæ comedit me.

DE PECCATO IN RENATIS.

RElíqua est quæstio, An rectè dicatur, Post Baptismum in Infantibus esse peccatum, seu concupiscentiam esse peccatum. Item, in Renatis adultis esse peccatum.

Respondeo primùm de Renatis adultis. In talibus coguntur omnes concedere reliqua esse multa peccata, quia in prima Epistola Iohannis capite primo dicitur. Si dicemus nos non habere peccatum, nos ipsos decipimus, & ueritas non est in nobis. Hoc illustri testimonio conuincuntur omnes, ut in renatis adultis fateantur esse peccata, scilicet, multas flammas uicioſarum cupiditatum, quæ simul rapiunt subitum uoluntatis consensum, quem difficile est excutere. De his peccatis Actualibus tantùm loqui Iohannem aliqui contendunt, quæ adesse etiam experientia communis testatur, quæ quidem cùm sint multa & magna, miseria hominum deploranda esset, etiamsi nihil præterea mali adesset. Sed prophani homines extenuant hæc uicia, qui tantùm has actiones dicunt esse peccata, id est, mala pugnantia cum lege Dei, cùm uoluntas perspicuè consentiens, ruit contra legem Dei, seu ut Græci dicunt, ἐκ προαιρέσεως cōtra legem Dei facit. *In renatis adultis multa sunt peccata reliqua.*

Hæc philosophica opinio extenuat peccatum contra iudicium Dei. Et impia audacia est, ac Legis diuinæ deprauatio, dicere affectus illos uicioſos sine certo consensu uoluntatis, non pugnare cum lege Dei, sed esse deformitates præter legem Dei. Dolendum est tanta mendacia in Ecclesia sparsa esse, quibus & iudicij diuini seueritas, & magnitudo misericordiæ obscurantur.

Quanquàm autem error hic à multis defenditur, tamen pij Propheticam & Apostolicam doctrinam sequantur, quæ sic docet.

Vicioſi affectus in non renatis sunt peccata mortalia, id est, mala pugnãtia cum lege Dei, propter quæ homines rei sunt iræ Dei & æternæ pœnæ. Et horum malorum radix est concupiscentia, de qua, ne sit ambiguitas in uocabulo, suprà est dictum complecti eam, in mente caliginem, in uoluntate auersionem à Deo, & in corde contumaciam contra legem mentis. *Vicioſi affectus in non renatis sunt peccata mortalia.*

Hoc totum malum in non renatis etiam est peccatum mortale, id est, malum pugnans cum lege Dei, propter quod homines rei sunt iræ Dei & pœnæ æternæ. Nec extenuandum est hoc malum, cuius magnitudo aliquo modo ex assiduis cupiditatum flammis æstimari potest. Quis tãm furioſus est, qui ausit dicere, paruum malum esse in hominum natura, dubitationes de prouidentia, item cœcam securitatem, qua fit, ut homines aut leuiter, aut non metuant iudicium & iram Dei. Item, Amorem nostri, quo magis nostræ uoluptati aut gloriæ seruimus, quàm gloriæ Dei. De his malis omnibus dixit Paulus, sensus carnis inimicicia est aduersus Deum. Non autem leue malum cogitetur esse, quod nominat inimiciciam aduersus Deum.

SECVNDVS ARTICVLVS

De his peccatis omnibus dico, remitti ea renatis, tùm in Baptiſmo, tùm poſtea in conuerſione, ita ne imputentur: Hoc eſt, reatus tollitur, ſed manent morbi ipſi, niſi quòd ſanatio aliqua ex parte incoatur, dato Spiritu ſancto, qui morbi ſunt mala pugnantia cum lege Dei, digna morte æterna, niſi fieret remiſſio. Hæc eſt expreſſè Pauli doctrina capite 7. & 8. ad Romanos, ubi nominat Paulus prauam inclinationem in membris ſuis, peccatum. Et ne ſit ulla ambiguitas in appellatione peccati, ait Paulus pugnare illud malum cum lege mentis.

Nominat autem legem mentis, legem diuinam, Et poſtea addit: Etſi tale malum eſt in Renatis, tamen nulla nunc damnatio eſt his qui in Chriſto Ieſu ambulant, id eſt, reatus tollitur.

In renatis manet materiale peccati, reale tollitur.

Si quis igitur non abhorret à formis loquendi dialecticis, & dextrè eas intelligat, poteſt dicere, manere in renatis materiale peccati, i. malum ipſum pugnans cum lege Dei, ſed tolli formale, id eſt, reatum. Adeſt malum pugnans cum lege Dei, ſed eſt tectum, ut in Pſalmo dicitur: Beati quorum tecta ſunt peccata. Hæc explicatio & noſtram immunditiem nobis oſtendit, & econtrà magnitudinem miſericordiæ tegentis eam illuſtrat.

Cùm autem reprehendimus aduerſarios propterea, quòd negant in Renatis concupiſcentiam peccatum eſſe, homines politici uociferantur hanc rixam, tantùm inanem λογομαχίαν eſſe. Si eſt condonatum, inquiunt, cur tanto opere contenditis nominari oportere peccatum? Hanc calumniam refutari neceſſe eſt. Non eſt de uocabulo, ſed de multis magnis rebus contentio. Nam multos errores cõplectuntur aduerſarij in illa extenuatione peccati originis.

Quid ſit concupiſcẽtia proprie & q. ſit peccatum.

Primùm falluntur & fallunt alios de nomine concupiſcentiæ. Tantùm enim intelligunt concupiſcentiam, appetitiones ſenſuum, & has dicunt eſſe naturam bonam, aut certè ἀδιάφορα. Deinde adfingunt lege tantùm prohiberi actualia delicta, & propterea adfirmant homines legi Dei ſatisfacere poſſe, & impletione legis iuſtos eſſe, hoc eſt, reddere Deo, quod debent. Sic enim illi ipſi ſcriptores interpretantur iuſticiam, etiam cùm de noſtra iuſticia erga Deum loquuntur.

Hi errores manifeſtè pugnant cum doctrina Prophetica & Apoſtolica, quia Paulus Rom. 8. dicit, impoſſibile erat Legi iuſtificare, ideò admoneri Eccleſiam, & de tantis rebus rectè doceri neceſſe eſt.

DE PECCATIS ACTVALIBVS.

Vetus definitio peccati actualis mutila eſt & impropria.

VEtus definitio eſt peccati Actualis, Peccatum eſt cupitum, dictum, aut factum contra legem Dei. Intelligunt affectus, & externa facta pugnantia cum lege Dei. Etſi autem uetus illa deſcriptio & mutila eſt & impropria, tamen & recepta eſt & interpretationibus magis corrumpitur. Optandum autè eſſet extare definitiones ex Prophetica & Apoſtolica doctrina ſumtas, tùm peccati in genere, tùm uerò peccati Actualis.

Peccatum in genere quid ſit.

Recitabo igitur definitionem Peccati in genere, ſed ita ut iudicium eruditis & piis permittam & petam, ut ſiquid deſiderant, meliorem tradant mihi & alijs.

Peccatum eſt defectus uel inclinatio, uel actio pugnans cum lege Dei, offendens Deum, & commerens iram Dei, ac æternas pœnas, niſi facta ſit remiſſio.

Hæc

Hæc definitio Originale & Actuale complectitur, & manifestè sumta est ex dicto: Maledictus qui non manserit in omnibus, quę scripta sunt in lege.

Iam facilè est inde sumere definitionem Actualis peccati, omissis duobus uocabulis. Peccatum actuale est actio pugnans cum lege Dei, offendens Deum, & commerens iram Dei & æternas pœnas, nisi facta sit remissio. Nam actio significat interiores & exteriores actiones uicioſas, hoc est, etiam affectus uicioſos ex originali malo erumpentes, ut dubitationes de prouidentia, de comminationibus & promissionibus, neglectionem Dei, diffidentiam de auxilio Dei, errantes flammas libidinum & aliarum cupiditatum. Hæc mala interiora etiam sunt uerè peccata mortalia in non renatis, sicut ipsa radix. *Peccatū actuale.*

Etsi enim humana ratio tantùm damnat externa facta contra legem Dei, tamen sciendum est, iudicio Dei etiam illa interiora mala uerè damnari, iuxta illud dictum, sensus carnis inimicicia est aduersus Deum.

Quanquàm igitur multi extra Ecclesiam, & ignorantes filium Dei, & alij non renati magnas & excellentes uirtutes habuerunt, & honesta disciplina mores suos frenarunt, ut Aristides, Socrates, Xenophon, Scipio, Lęlius, Pomponius Atticus, tamen non fuerunt iusti coram Deo, sed re uera adhuc personæ fuerunt iniustæ, cùm haberent multa magna interiora uicia, dubitationes de Deo & alia. Sicut Pompeius cùm in fuga Mitylenen ad Cratippum uenisset, disputauit, utrum Imperia regantur prouidentia diuina, cùm ipse in causa iustiore uictus esset.

Idem postea & Cato disputauit, Deniq; tales querelæ fuerunt, sunt & erunt innumerabiles in hominum uita omnibus temporibus, Et ubi illa mentis caligo est de Deo, alij multi morbi, multæ flammæ sunt uicioſarum cupiditatum.

Quare illi qui fingunt Aristidem & similes propter disciplinam iustos fuisse & hæredes Dei, & Ecclesiæ, adiungunt multitudinem sine uoce Euangelij, & sine uocatione, non rectè iudicant.

Etsi enim nescimus, qui sint gradus talium post mortem, & ualde mirum uidetur humanis iudicijs tantam hominum multitudinem reiectam esse à deo, tamen nos necesse est ex uoce Euangelij iudicare. Qui credit in filium habet uitam æternam, Qui non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum. Et Rom. 8. Quos elegit, hos uocauit. Quæ sententia planè affirmat utrunq;, et semper aliquos electos esse in cœtu uocatorum, et extra cœtum uocatorum non esse electos. *Extra cœtum uocatorũ non sunt electi.*

Non contemnamus filium Dei, & uocem Euangelij, sed agnoscamus immensam misericordiam Dei, qui uult sibi æternam Ecclesiam colligere agnitione filij, & non aliter, & pro hoc ingenti beneficio gratias agamus, nec ita leue ducamus, ut applaudamus architectantibus aliam Ecclesiam sine filio Dei, sine Euangelio, & sine uocatione.

Non igitur opus est discernere in non renatis peccata mortalia & uenialia, cùm personæ tantisper damnatæ sint, donec non conuersæ sunt ad Deum.

Sed postea in non renatis seu conuersis, necesse est discerni peccata, quia manifestissimum est in renatis in hac tota mortali uita manere magnos morbos & multa peccata, quæ tamen non excutiunt Spiritum sanctum. *In renatis necesse est discerni peccata.*

Rursus uerò esse aliquos lapsus, quibus admissis, homo, qui prius fuerat iustus, postea contaminatus hoc lapsu, fit reus iræ DEI, & æternæ mortis

nisi iterum ad Deum conuertatur, ut manifestum est Adam & Heuam in lapsu amisisse iusticiam & Spiritum sanctum.

Manifestum est Aaroni Deum horribiliter iratum fuisse, cùm assensit uitulum adorantibus, ut Deuter. expressè dicitur. Ideò discerni gradus peccatorum necesse est, sicut & Paulus perspicuè discernit.

Aliud uocat peccatum Regnans, aliud peccatum non Regnans. Sed pro his concinnis & dilucidis appellationibus nunc usitatum est, alia uocare Mortalia, alia Venialia. Definitiones igitur tradam.

Peccatum ueniale. Peccatum ueniale, seu non regnans est malum originis, & affectus pugnans cum lege Dei, cui tamen repugnat uoluntas adiuta à Spiritu sancto, ne contra conscientiam illi prauo motui obtemperemus, & fide petit & credit remitti hanc infirmitatem propter filium Dei pro nobis interpellantem.

Peccatũ mortale. Peccatum mortale, seu regnans in lapso post conuersionem, est uiolatio legis Dei contra conscientiam, qua admissa, persona fit rea æternæ pœnæ, nisi rursus in conuersione fiat remissio. Et tali uiolatione excusso Spiritu sancto, rursus & praua concupiscentia est peccatum Regnans.

Nec dubium est, sic posse labi & sæpè labi renatos, quorum alij rursus ad Deum conuertuntur, ut Adam, Heua, Aaron, Dauid, Manasse.

Alij non conuertuntur rursus, ut Saul, Iudas, & ingens multitudo, ut parabola Matth. 12. ostendit, in qua dicitur redire diabolum in domum purgatam. Et Matth. 13. Venit malus & rapit semen ex corde eius. Et in secunda Epistola Petri cap. 2. Si cùm effugerint contaminationes mundi, per agnitionem Domini, & seruatoris Iesu Christi, his rursus implicantur, fiunt eis nouissima deteriora prioribus.

Necesse est igitur fateri renatos posse labi, & amittere Spiritum sanctum.

Etsi autem difficile est gradum constituere, tamen hic gradus uerè constituitur, uidelicet, si homo contra conscientiam uiolet legem Dei, quia manifestum est, in renatis oportere hæc duo esse, Fidem & bonam conscientiam, sicut testatur Paulus 1. Tim. 1. Summa mandati hæc est, dilectio ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Item, Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. Item 1. Pet. 3. Conscientiam habentes bonam.

Peccata ignorantiæ affectatæ. Hic uerò etiam complector peccata ignorantiæ affectatæ. Etsi multi omnibus temporibus, ut nunc quoq; ignorant Euangelium, tamen cùm id scire debeant, non discunt, talia peccata similia sunt peccatis contra conscientiam, quia uolentes omittunt inquisitionem seu considerationem ueræ doctrinæ. Sic Pharisæi, Episcopi, Reges & alij errantes, habent ignorantiam affectatam.

Sumsi autem discrimen peccati regnantis & non regnantis ex sexto capite ad Romanos. Et conuenit cum eo discrimine dictum Pauli ad Rom. 8. Si secundum carnem uiuetis, moriemini, Si actiones carnis spiritu mortificabitis, uiuetis.

Secundum carnem uiuere. Vt autem intelligi possit, quid uocet, uiuere secundum carnem, hic gradus consideretur. Renati rursus secundum carnem uiuunt, cùm contra conscientiam uiolant legem Dei, quos cùm ait, secundum carnem uiuere, hac ipsa descriptione testatur eos gubernatorem Spiritum sanctum excussisse. Et hos dicit morituros esse, id est, reos esse iræ Dei & pœnæ æternæ.

Econtrã

Econtrà de retinentibus Spiritum ſanctum, inquit, Si actiones carnis Spiritu mortificabitis,uiuetis. Hic fatetur manere in renatis prauos adfectus, ſed his repugnat eorum uoluntas adiuta à Spiritu ſancto, ne contra conſcientiam labantur. *Retinere Spiritum S.*

DE LIBERO ARBITRIO.

IN capite de creatione hominis dixi libertatem humanæ uoluntatis inſitam eſſe hominum naturæ, & ingens Dei donum fuiſſe, & partem imaginis Dei. Cùm autem poſt lapſum primorum parentum in intellectu hominum magna caligo ſecuta ſit, & in uoluntate triſtis auerſio à Deo, & in corde contumacia repugnans legi Dei, nunc opus eſt hac conſideratione, qualis libertas reliqua ſit.

Sæpè autem in Eccleſia magni tumultus èx hac quæſtione orti ſunt,Ideò neceſſe eſt de ea extare ueram, firmam & perſpicuam ſententiam, qua explicata,monendi ſunt rudiores, ne curioſitate aliqua applaudant falſis opinionibus non intellectis.

Ac primùm ſciendum eſt, Stoicos furores prorſus hinc remouendos eſſe. Non iam quæritur an omnium euentuum in natura,& humanis actionibus bonis & malis,fatalis ſit neceſſitas, ſicut Stoici contenderunt. *Stoici furores de neceſſitate remouendi ſunt.*

Hic error ſuprà perſpicuè refutatus & damnatus eſt,quem etſi interdum aliqui ſophiſticè defendunt, tamen bonæ mentes ſciant nequaquàm in Eccleſia utendum eſſe ſophiſtica, ſed ſimplicem ueritatem retinendam eſſe, præſertim cùm Stoica neceſſitas contumelia Deũ afficiat,& noceat bonis moribus.

Deinde nec de prædeſtinatione iam dicitur, de qua poſtea Deo iuuante neceſſarias admonitiones recitabimus. Sed tantùm de uiribus humanæ naturæ quæritur, quales nunc ſint, & deducimur in hac explicatione ad aſpiciendos nos ipſos, & ad conſiderationem imbecillitatis noſtræ. *In quæſtione de libero arbitrio quæritur quales nunc ſint uires naturæ.*

Recitabo igitur ueram, perſpicuam, & perpetuam Eccleſiæ catholicæ ſententiam.

Vt autem ſuprà aliquid de diſtinctione potentiarum & organorum animæ in hominibus dixi, ita hic rurſus admoneo iuniores, ut rectè diſcant eam doctrinam,quæ de Anima hominis & eius potentijs & uiribus in philoſophia & in Eccleſia traditur, quæ non poteſt in hoc opere tota recitari, ſed alibi diſcenda eſt, & familiariter nota eſſe omnibus eruditis debet.

Appellàtio Liberi arbitrij complectitur ſummas potentias in homine, ſcilicet,intellectum & uoluntatem,ſicut uſitatè in ſcholis nominant. *Appellatio liberi arbitrij quas uires in homine complectatur.*

Prodeſt autem in omnibus actionibus uitæ hæc conſideratio, quò uſq; progredi humana cognitio poſſit,&ubi electio uoluntatis congruere cum cognitione poſſit, ubi motus cordis obtemperent cognitioni,ubi repugnent, ubi tantùm externa membra moueantur, etiamſi alius eſt cordis affectus, ut cùm Achilles iratus coërcet manus, ne ſtringant gladium,& ab Agamemnone diſcedit.

Hæc genera actionum intelligi & diſcerni in hac quæſtione utiliſſimum eſt.Et ex his gradibus rectè ſumitur ordo explicationis.

Pars cognoſcens in homine in nõ renatis,doctrinam legis diuinæ,minas & promiſſiones auditas ſeu lectas in Eccleſia,aliquo modo intelligit, ſed ſine firma

firma adsensione, Ideō uoluntas auersa ā Deo, nec minas Dei formidat, nec confidit promissionibus.

Ac multō minus in corde sine uoce Euangelij & sine Spiritu sancto accendi possunt timor Dei, fiducia, spes, dilectio Dei.

Duo genera actionū reliqua in uolūtate post deprauationem.

Sed tamen post hanc deprauationem adhuc duo sunt genera actionum in uoluntate humana, Vnum est illustre & omnibus notum, gubernatio potentiæ locomotiuæ, ut uocant, quę scilicet regit motus locales in externis membris, ut uoluntas in Achille imperat manibus, ne stringant gladium. Voluntas in laborante febribus, potest coërcere manus, ne poculum ori admoueant, etiamsi ualde sitit.

Gubernatio locomotiuæ primum.

Hanc libertatem Deus in homine lapso reliquam esse uoluit, ut homines disciplina regi possent, iuxta dictum, Lex est iniustis posita. Nisi enim hæc libertas in gubernatione potentiæ locomotiuæ seu externorum membrorum reliqua esset, prorsus in non renatis, nullus usus esset disciplinæ ullius, & politicarum legum, & comminationum, quæ proponendæ sunt, ut facta deliberatione, seu delectu commodorum & incommodorum habito, uoluntas fugiens pœnas imperet externis membris, ne faciant contra leges.

Non obscura est doctrina de hoc genere actionum, & his qui non sunt rudes elementorum physices magis obuia est. Ac ut uulgō loquimur, Hæc gubernatio est δεσποτικὴ, id est, imperat etiam inuitis, ut Dominus seruis. Frenari utcunq; aut cieri externa membra, uoluntatis imperio possunt, siue intus congruant adfectus seu adpetitiones, siue non congruant, Vt laborans febribus etiam cūm ualde sitit, potest coërcere manus & labra, ne poculum attingant.

Alterū genus actionū uoluntatis, quas uocant elicitas.

Alterum genus actionum in uoluntate obscurius est, cūm uoluntas uera & seria electione, seu προαιρέσει antefert honestas actiones, ut Hippolytus seriō & sine simulatione uitat & fugit Nouercæ concubitum, Fabricius seriō & sine simulatione reijcit aurum ā Pyrrho missum. Nam & in non renatis uoluntas seriō potest honestas actiones erga homines aliquo modo uelle, sed sine timore Dei, sine uera fiducia & sine dilectione Dei. Sed hæ actiones seriæ & non simulatæ rariores & obscuriores sunt. Ideō magis iubeamus aspici gubernationem potentiæ locomotiuæ, quæ utcunq; est rectrix disciplinæ in pluribus.

Cùm igitur Paulus expressè dicat aliquam esse iusticiam carnis, id est, externam obedientiam seu disciplinam, quam homines non renati utcunq; præstare possunt, fatendum est aliquam esse libertatem, seu delectum etiam in non renatis. Ac de gubernatione locomotiuæ res manifesta est, ut experientia uniuersalis omnes conuincit.

Hanc libertatem adimere hominibus non solūm stulticia est, sed etiam peruersitas est Deum ualdē offendens, quia Deus in singulis hominibus renatis & non renatis disciplinam regi seuerē præcipit. Nam & renatis prodest hoc frenum, quia plericq; in hac uita sunt imbecilles, Et notū est uetus dictum: uitare peccata, est uitare occasiones peccatorum. Et Paulus inquit, Redigo meum corpus in seruitutem, quod aliqua ex parte fit frenādis externis membris. Et in renatis hæc diligentia bonum opus est, & Deo placens, prælucente fide, ut suo loco dicetur. Sintq; in conspectu causæ quatuor, quæ nos ad curam regendæ disciplinæ excitent.

Quatuor causæ propter quas disciplina est necessaria.

Prima, quia necesse est mandatis Dei obedire.

I.

Secunda,

II. Secunda,ut uitentur pœnæ in hac mortali uita,& futura, quia certiſſimũ eſt omnia atrocia delicta etiam in hac uita puniri atrocibus pœnis, ut ſcriptum eſt, Qui gladium acceperit,gladio peribit. Item, non habebit Deus inſontem eum,qui uanè uſurpat nomen eius. Item,Scortatores iudicabit Deus. Vult enim Deus exempla pœnarum in hac uita mortali incurrentia in hominum oculos,teſtimonia eſſe prouidentię, uult ſciri non caſu uolui res humanas, ſed Deum eſſe inſpectorem & iudicem, uult ſe agnoſci qualis ſit,uidelicet, iuſtus,uerax,caſtus,horribiliter puniens iniurias,mendacia,libidines,uult & huius uitæ pœnas ſigna eſſe uenturi iudicij, & commonefactiones de pœnitentia.

Deniq; grauiſſimam doctrinam continet hæc conſideratio pœnarum,de qua in his cauſis tuendæ diſciplinæ loquimur. Et quidem hoc freno coërcet Deus humanum genus, ut hanc ſapientiam nobis proponat, ſicut & Pſalmus inquit: In chamo & freno maxillas eorum conſtringes.

III. Tertia cauſa eſt, quia Deus uult ſingulos aliorum uitæ etiam parcere, Non tantũm nobis naſcimur, ſed uita uniuerſa directa eſſe debet primũm ad agnitionem & celebrationem Dei, Deinde ad communem ſocietatem fouendam. Vult igitur Deus ſeruari diſciplinam, & uitari turbationes politici ordinis,ut in pace & mediocri tranquillitate, puerperæ & matres fouere ſobolem, patresfamilias educare & inſtituere natos poſſint.

Has tres cauſas intelligere non difficile eſt, quæ etſi etiam ſapientibus ethnicis notæ erant,tamen nequaquàm contemnendæ ſunt.

IIII Quarta cauſa propius ad Eccleſiæ doctrinam pertinet. Eſt igitur hæc quarta cauſa,Ideò neceſſaria eſt diſciplina,Quia ut Paulus dicit,Pædagogia eſt in Chriſtum. Huius dicti ſententia diligenter conſideranda eſt,Veriſſimum eſt enim Euangelij uocem & Spiritum ſanctum non eſſe efficacem in his, qui perſeuerant in delictis contra conſcientiam. Quare neceſſe eſt deponi delicta contra conſcientiam. Ita lex eſt pædagogia in Chriſtum, id eſt, non ſolùm ciuilis pædagogia eſt, ut erat Socratis diſciplina, Sed etiam ad hoc præſtanda eſt, quia perſeuerantia in delictis contra conſcientiam arcet Spiritum ſanctum.

Præterea ſine diſciplina ubi uita Cyclopica eſt,doceri homines non poſſunt,præcipit igitur Deus,ut mores honeſtè regantur, & ut diligentia illa non Ethnico more, tantũm ad pacem corporis referatur, ſed ad hunc finem, ut doceri homines de Deo poſſint, & ut non impediatur neq; excutiatur Spiritus ſanctus uiolatione diſciplinæ, ſicut excuſſit Dauid rapiens alterius coniugem.

Diſciplina etſi neceſſaria eſt, nõ meretur tamen remiß: peccatorum.

Quanquam autem hæc diſciplina ſemper neceſſaria eſt,tamen nec meretur remiſſionem peccatorum, nec ſatisfacit legi, nec iuſticia eſt propter quam coram Deo accepti ſimus,ut Paulus inquit, Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro, ut poſtea copioſius dicetur.

Libertas uoluntatis ſæpè uincitur flammis cupiditatũ & à diabolo.

Deinde & hoc ſciendum eſt. Etſi talis libertas regendę locomotiuæ ſemper manet in hominum natura, tamen ſæpè labuntur homines, flammis cupiditatum incitati,aut etiam à diabolo impulſi,Sicut de Iuda manifeſtè ſcribitur, Intrauit in eum Satanas. Ideõ exempla quotidianæ uitæ, maximæ partis humani generis,& omnes hiſtoriæ oſtendunt plurimos homines pollui delictis contra conſcientiam, ut Ethnici etiam queſti ſunt, admirantes unde tanta in hac præſtantiſſima natura humani generis imbecillitas ſit.

Sed

Sed causa nobis in Ecclesia nota est, Nascimur adferentes morbum originis, qui ut suprā dictum est, non est tantum reatus, sed etiam horribilis destructio & infirmitas omnium uirium. Et accedunt insidiæ & tyrannis diaboli sicut in Genesi dictum est, Ponam inimicicias inter serpentem & semen mulieris.

Cùm igitur & natura hominum sit imbecilla, & diabolus atrociter grassetur aduersus nos, non mirandum est maximam partem generis humani uarijs modis pollui. Admoneant autem nos & nostri & alieni lapsus, ut confugiamus ad filium Dei, & petamus auxilium contra infirmitatem nostram & contra diabolum, quia scriptum est, Filius Dei adparuit, ut destruat opera diaboli, item ut conculcet caput Serpentis.

Voluntas humana non potest tollere mortem aut prauas inclinationes.

DIctum est, qualis reliqua sit libertas etiam in non renatis. Nunc dicam de alijs quæstionibus. Hic primùm hæc manifesta sunt, uoluntas humana non potest ulla actione sua tollere mortem, non potest exuere prauas inclinationes, seu prauam concupiscentiam, ut uocant, non potest Adam post lapsum retrahere illam integritatem & harmoniam omnium uirium, quam antea habuit, imò nec mereri potest remissionem peccati.

Iacet oppressa natura hominum hac tristi seruitute, ut manifestum est, Et ut Deus immensa bonitate propter deprecatorem Filium, rursus se patefacit hominibus, & promissionem edit, & gratis recipit eos, ita & nos propter Filium gratis recipit, & deinde reddit æternam uitam & iusticiam.

Hæc præcipua bona non restitui ullius creaturæ potentia, sed propriè Dei opera esse manifestum est. Cumq; uoluntatis humanæ libertas extenuatur, hanc liberationem ab ira Dei, & à morte æterna, & restitutionem uitæ & iusticiæ æternæ intueamur, & hæc præcipua bona sciamus non posse restitui nobis ullius creaturæ potentia.

Voluntas nouā obedientiam non incoat sine S. sancto.

SED postquām immensa misericordia Dei, edita est promissio reconciliationis, & Deus adiuuat amplectentes promissionem, hic rursus quæritur, an illam incoationem obedientiæ in corde, fidem, dilectionem, constantiam confessionis in supplicijs, & in alijs uirtutibus cordis, uoluntas efficiat sine Spiritu sancto? De hac quæstione clarissimè & sine ulla ambiguitate adfirmamus, uoluntatem has uirtutes nequaquām sine Spiritu sancto efficere posse.

Ac palām & expressè damnamus Pelagianos, qui finxerunt homines posse mereri remissionem peccatorum, & quidem sine Spiritu sancto posse legi Dei satisfacere, posse & sine Spiritu sancto fidem, dilectionem Dei, & omnes uirtutes alias in corde efficere.

Hos impios errores constanter damnamus, qui Euangelium in philosophiam transformant, & contumelioſi sunt aduersus Deum, obruunt beneficia filij Dei, & Spiritus sancti.

Viua membra Ecclesiæ reguntur & iuuantur à S. sancto.

Econtrā uerò adfirmamus iuxta Euangelium omnibus temporibus inde usq; ab initio mundi uiua membra Ecclesiæ, regi & iuuari ā Spiritu sancto, ut Rom. 8. dicitur. Qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filij Dei, ac Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, & filio eius Domino nostro Iesu Christo, et Spiritui sancto, gratias agimus cùm pro toto beneficio reconciliationis, tùm uerò pro hoc ipso admirando munere, quòd Spiritu sancto nos regit, accendit in mentibus nostris lucem ueritatis, & ueram Dei agnitionem, nec sinit eas occupari impijs et fanaticis furoribus, deinde quod uoluntates et corda flectit ad

ueram

ueram obedientiam,timorem Dei,fiduciam,dilectionem, ſpem,& alias uirtutes, & quidem incoat in nobis uitam & iuſticiam æternam.

Hæc tanta dona agnoſcenda ſunt, & pro eis gratiæ agendæ, & ardentibus uotis in tota gubernatione uitæ petenda ſunt.

Oportet autem teſtimonia firma & perſpicua in conſpectu eſſe, & ut refutentur Pelagiani,et ut nos ipſos accendamus ad petendum auxilium Dei,ac uerè ſtatuamus Deum uelle nos illo tanto munere donare,& nos regere et adiuuare. Sicut ſcriptum eſt, Quantò magis Pater cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus?

Teſtimonia contra Pelagianos.

Rom:8.Qui ducuntur ſpiritu Dei,hi ſunt filij Dei.

Item,Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt Chriſti.

Hæ duæ ſententiæ ſatis perſpicuæ ſunt, & planè teſtantur hæredes uitæ æternæ donari & regi Spiritu ſancto. Ac certum eſt ſpiritum Dei in his dictis non ſignificare rationem, ut aliqui intempeſtiuè philoſophantes interpretantur, ſed Spiritum ſanctum à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto procedentem, ac miſſum in corda piorum, & accendentem uoce Euangelij agnitionem Dei,& motus congruentes Legi Dei.

1.Cor:2.Animalis homo non percipit ea,quæ ſunt Spiritus Dei. Significat enim ψυχικὸς homo uiuentem uita naturali,hoc eſt,ſenſu & ratione naturali ſine Spiritu ſancto.Sic enim eo loco diſcernit Paulus,animalem à ſpirituali.

Quanquàm enim naſcitur nobiſcum etiam in hac infirma natura, legis diuinæ noticia aliqua, ut noticia numerorum, tamen accedunt multæ dubitationes de prouidentia.

Multum dubitationum in omnium hominum animis.

Deinde magis etiam de promiſſione, quæ in Euangelio proponitur, mentes dubitant, An uerè recipiamur, & exaudiamur, an gratis propter Filium recipiamur. Nam Euangelij noticia non naſcitur nobiſcum,ſed decretum eſt arcani conſilij diuini patefactum uoce Dei, cũm ignotum eſſet omnibus creaturis.Ideò adſenſio difficilior eſt, quia eſt ſententia extra & ſupra captum creaturarum poſita.

Vt autem fiat adſenſio, & corda acquieſcant fide in Deo, & in eis accendantur uera dilectio Dei,timor, ſpes, & aliæ uirtutes, datur Spiritus ſanctus, quo clamamus,Abba Pater,id eſt,quo uerè uoluntas & cor flectuntur ad Deũ.

Adſenſio non fit ſine Spiritu ſancto.

Ioh:1.Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.

Ioh:6. Nemo poteſt uenire ad me, niſi quem Pater traxerit.

Ioh:15. Sine me nihil poteſtis facere.

Eſai:59. Veniet Sion redemtor, ijs qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Hoc fœdus meum cum eis,dicit Dominus, Spiritus meus qui eſt in te, & uerba mea quæ poſui in ore tuo,non recedent ab ore tuo,nec ab ore ſeminis tui, in ſempiternum.Hæc uerba dulciſſimam Eccleſiæ deſcriptionem,& præcipuam promiſſionem continent, ac docent, quæ ſit & ubi ſit Eccleſia, & quæ habeat propria beneficia Dei.

Ille cœtus eſt Eccleſia, qui ſonat Euangelium traditum Prophetis & Apoſtolis. Et ibi ſunt præcipua beneficia uox Euangelij, remiſſio peccatorum, donatio Spiritus ſancti & uitæ æternæ. Et quidem ſimul in hoc Eſaiæ dicto, promiſſio continetur, adfirmans perpetuò manſuram eſſe Eccleſiam Dei, & prædicationem Euangelij non poſſe prorſus deleri.

SEd excruciat mentes hæc quæstio, Cũm sine Spiritu sancto nulla uirtus incoëtur, aut placeat, ocioſi ne expectabimus consolationem, donec rapi nos nouis motibus sentiemus, sicut Enthusiastæ & Manichæi imaginati sunt?

De hac quæstione omnes secum ipsi disputant, cũm audiunt hæc dici, sine Spiritu sancto non fieri homines hæredes uitæ æternæ. Deinde disputant, cùm non omnibus detur Spiritus sanctus, unde sciam Deum hoc ingens munus mihi dare, aut daturum esse.

Tres causæ concurrunt in conuersione.

Etsi autem labyrinthis disputationum hęc doctrina obscurata est, tamen uera & firma responsio hæc est, Concurrunt in conuersione hæ causæ, Spiritus sanctus mouens corda per Euangelium, & ipsa uox Euangelij cogitata, siue inter audiendum, siue in lectione, siue in pia meditatione, & uoluntas hominis, quæ non repugnat uoci diuinæ, sed inter trepidationem utcunq; adsentitur.

Mandatum diuinum ne repugnemus uoci diuinæ.

Et quia scimus mandatum Dei esse immotum & immutabile, ut non repugnemus uoci diuinę, non contemnamus eam, non accusemus Deum mendacij, non indulgeamus nostræ diffidentiæ, non sedeamus ocioſi expectantes raptum Enthusiastarum, sed mox audito uerbo uoluntas luctetur, ut amplectatur uerbum Dei, & in ea lucta uoluntas non se habet ut statua, aut purè passiuè, alioqui enim certamen & lucta nulla esset.

Simul autem in ea lucta efficax est Spiritus sanctus, ut Paulus inquit Galat: 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et experientia manifesta omnium intelligentiũ exercitia pœnitentiæ, testatur, mentes cùm acquiescunt in Deo, iuxta promissionem, sentire ueram consolationem, & agnoscere misericordiam Dei, & ad eum accedere fiducia Mediatoris, & clamare Abba Pater.

Ac de hac consolatione causarum dictum est, Spiritus opem fert infirmitati nostræ. Et Chrysostomus rectè dicit, Trahit Deus, sed uolentem trahit.

Non expectandi sunt raptus Enthusiastarum.

Non expectandi sunt illi raptus Enthusiastarum, qui uiolentiam quandam somniant, in qua sensus præcedat fidem, sed fide acquiescendum est in Deo iuxta promissionem, & statuendum, certõ hanc esse uoluntatem Dei, quam promissio ostendit, postea fidem sequitur sensus, ut Paulus inquit, Iustificati fide pacem habemus. Et Rom: 15. dicitur, Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem teneamus.

Hæc uidentur ridicula ignaris fidei, qui cogitant futilem & inanem consolationem esse uerba seu scripta, sed nos sciamus uoluntatem non aliter quærendam esse, nisi in hoc ipso uerbo, quod per Filium, Prophetas, & Apostolos tradidit. Et in Deo acquiescendum esse, iuxta has promissiones. Ita fide & spe cernitur præsentia Dei, & tribuitur Deo gloria, quòd sit uerax, etiam priusquãm sensus accipit liberationem.

Post regenerationem aliqua est reliqua libertas uoluntatis.

Præterea post regenerationem, etsi manet adhuc ingens imbecillitas, tamen fatendum est, aliquam esse uoluntatis libertatem, & in locomotiua regenda, quod manifestum est, & quia à Spiritu sancto adiuuatur, in adfectibus spiritualibus. Dauid ante lapsum, & imperare membris potest, ne rapiant alienam uxorem, & in anima & in corde, cùm adhuc spiritus luctaretur cum prauis adfectibus, poterat dona sua retinere.

Talem esse in renatis libertatem fatendum est. Quod cùm ita sit, non simus ocioſi, sed excitetur uoluntas, & ut locomotiuæ constanter imperet, & ut

in anima

in anima & in corde accendat inuocationem, & repugnet prauis cupiditatibus, quia & præcipit Deus hoc certamen, ut scriptum est, Sub te sit appetitus tuus, & tu domineris eius, Et possibile est renatis retinere dona, cùm iuuari se petunt, ut dictum est: Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Id est, non aspernantibus, non repugnantibus, non ociosis, sed uolentibus Deo obedire, et inuocantibus eum fiducia mediatoris & cogitantibus Deum hanc militiam nobis præcepisse, sicut inquit filius Dei, Orate, ne intretis in tentationem, id est, ne succumbatis tentationi. Et Paulus hortatur, ut caueamus ne frustra gratiam acceperimus.

EX his quæ recensui manifestissimum est, non confirmari negligentiam hominum, nec docere nos, sicut Enthusiastæ docent, ut uoluntas ociosa expectet sensum nouum, quo uiolenter rapiatur, sed ut cogitata uoce Dei agnoscamus Filium Dei ideò missum esse, ut Spiritu sancto suo nos adiuuet, & nos in consolatione illa sustentemus promissione & incoëtur adsensio, cùm quidem à Spiritu sancto adiuuemur, & simul excitetur precatio, ut scriptum est, Quantò magis Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

Fit autem hæc doctrina illustrior considerato hoc argumento. Certum & manifestum est promissionem reconciliationis uniuersalem esse, nec Deo tribuendam esse προσωποληψίαν. Deus iustissimus uerè æqualis est, quod ad suam uoluntatem attinet. Sicut Paulus inquit, Deus uult omnes homines saluos fieri. Et certè nos sic sentire necesse est, promissionem uniuersalem esse, sicut uerissimum est, & nos ipsos includendos esse in promissionem, ut alibi de Electione copiosius dicetur.

Promißio est uniuerſalis, et Deus eſt æqualis.

Ac ad consolationem conscientiarum necesse est hanc propositionem retineri, promissionem uerè uniuersalem esse, quod firmissimum est.

Necesse est autem nos iuxta uoluntatem Dei reuelatam iudicare, & de Deo sentire sicut se patefecit, nec alibi eius uoluntatem nisi in ipsius uerbo quærere. Et cùm Deus uerax sit, nequaquàm in eo contradictoriæ uoluntates ponendæ sunt. Quare etsi aliqua motuum diuinorum dissimilitudo est, ut aliter Paulus trahitur, aliter Zachæus, tamen aliqua est uoluntatis adsensio.

De Deo iudicandum eſt ex uoluntate reuelata.

Nec pugnant hæc quæ dixi cum illis sententijs: Nemo potest uenire ad me, nisi Pater eum traxerit. Incoat Pater et trahit, sed in illo ipso dicto additur, quomodo trahat, scilicet uoce Euangelij. Sic enim inquit: Omnis qui audierit à Patre & didicerit, ueniet ad me. Vult disci uocem Euangelij, uult agnosci Filium per uocem Euangelij. Incoat igitur Deus, & trahit uoce Euangelij, sed uolentem trahit, & adiuuat assentientem. Et semper uera est sententia, Sine me nihil potestis facere.

Pater trahit, ſed uoce Euangelij.

Nec detrahitur quidquam de gloria Dei, sed uerè adfirmatur auxilium Dei semper initiò & deinceps cõcurrere, iuxta illud, Deus est qui efficit, ut uelitis & ut perficiatis, id est, trahit uoluntates, & deinde non modò ipsas uoluntates adiuuat, sed etiam euentus gubernat, & præbet successus.

Auxilium Dei initiò & deinceps concurrit.

Exuscitat in Samuele bonos motus, & deinde adiuuat, ac simul in difficili & tristi gubernatione eum adiuuat, et præbet felices euentus. Sed tamen trahitur Samuel non repugnans, sed aliquo modo adsentiens. Constat enim repugnare eum posse.

Etsi autem sæpè magna certamina de hac controuersia mota sunt, tamen hæc simplex sententia, quam recitaui, perpetua uox est piorum in Ecclesia, ut

ſaniorum ſcripta clarè teſtantur, Auguſtini, Proſperi, Bernhardi, & aliorum. Non adiungo recentiores, Scotum & Occam, & ſimiles, qui intempeſtiuè Philoſophati ſunt, & finxerunt humanam uoluntatem poſſe Legi Dei ſatisfacere, mereri remiſſionem peccatorum &c. Hi errores execrandi ſunt, ut mox rurſus dicetur.

Illud etiam monendi ſunt pij, cùm quæritur quid agat uoluntas humana, tantùm de Electione in uoluntate dici, non de Euentibus, ut in Dauidis uoluntate eſt electio, quòd uelit Deo obedire. Sed euentus præliorum & uictoriæ pendent ab alijs cauſis extra ipſum, uidelicet à Deo armante & gubernante manus Ducis & exercituum, & aliquo modo à uoluntatibus exercitus.

Videndum eſt igitur ubi dicta loquantur propriè de Electione, ubi de Euentibus. Sic Salomon inquit in Prouerbijs cap: 16. Cor hominis cogitat uiam ſuam, ſed Dominus confirmat greſſum, quaſi dicat, Eſt quidem deliberatio aliqua, cogitatio & electio. Sed hæc non ſufficiunt ad euentum, imò interdum errat homo in deliberando, ut Ioſias errabat exiſtimans ſe iuſtum & neceſſarium bellum mouere aduerſus Regem Aegyptium.

Deinde concurrere foris ad euentum plures cauſas oportet, Dei auxilium & inſtrumenta. Etſi autem ſine his adiumentis non poteſt perfici id quod conamur, tamen non propterea ſequitur nullam Electionem & nullam libertatem eſſe.

Sed hæc ſententia Salomonis & ſimiles hæc tria præcipuè cõplectuntur.

Primum, Mandatum ſeu uocationem à Deo eſſe, ut à Deo uocati erant Saul, Dauid, Paulus.

Secundum, Audita uocatione, obtemperant aliqui, & iuuari ſe à Deo petunt, aliqui non obtemperant, aliqui etiam res magnas ſine uocatione mouent, ut Ioſias bellum mouit.

Neceſſe eſt igitur addi membrum tertium. Ita felices ſunt ſucceſſus, cùm à Deo iuuantur. Secundo igitur loco cùm impij aut nulla uocatione ſuis conſilijs mouentur, aut aduerſantur uocationi, horum actiones cùm non iuuentur à Deo, non ſunt felices, Sed cùm uoluntates aliquo modo obtemperant uocationi, & iuuari ſe petunt, ut Dauid, Paulus, agunt aliquid horum uoluntates, ſed tunc ſunt efficaces & felices, cùm à Deo adiuuantur.

Volũtates ſunt felices & efficaces cum à Deo iuuantur.

Admonitio igitur neceſſaria et utiliſſima in talib. ſententijs proponitur.

Primùm, Ne noſtras imaginationes ſequamur, Sed in omni deliberatione mandatum Dei & uocationem conſideremus.

Secundò, Quia mandatum Dei et uocationem audimus, uoluntas noſtra obtemperet, & obedientiam Deo præſtare ſtudeat, non ſit ignaua, aut contumax.

Tertiò, Petat etiam auxilium hanc ipſam ob cauſam, quia negocia ſuſtinemus à Deo mandata, pertinentia ad gloriam ipſius. Ita initium actionum eſt à Deo, & diligentia noſtra flagitatur, & diſcimus auxilium Dei petendũ eſſe.

De dicto Ieremiæ.

Dictum Ieremiæ, Scio Domine, quòd nõ eſt hominis uia eius.

COngruit cum hac enarratione & dictum Ieremiæ, cap: 10. Scio Domine, quòd non eſt hominis uia eius. Loquitur de uocatione & ſucceſſibus in uocatione. Nam uia ſæpiſſimè ſignificat uocationem. Monet autem Ieremias tantam eſſe molem actionum & periculorum in quacunq; uocatione, ut ſola humana

mana uigilantia,& humanæ uires nequaquã sint pares tanto oneri,sed fatendum est, opus esse auxilio diuino, & ardentibus uotis petendum, ut Deus nos adiuuet,sicut & Ioh:15. scriptum est, Sine me nihil potestis facere.

Sustinet Dauid regiam Gubernationem, in qua non prorsus nullus est locus diligentiæ suæ,tamen præcipua pars ã Deo pendet. Deus offert occasiones oportunas, flectit mentem ad bona consilia,& adiuuat euentus. Interea tamen aliqua ex parte diligentiæ Dauidis est,labores uocationis suscipere, mandare locomotiuæ, ut manus prælientur,non accersere delicta contra conscientiam, non interficere amicos.

Non igitur tollit Ieremias obedientiam nostræ uoluntatis, sed adfirmat opus esse auxilio diuino, ac prorsus idem docet, quod prius de sententia Salomonis dictum est.

Primũm,non sequendas esse nostras imaginationes, sed in omni deliberatione mandatum Dei, & uocationem considerandam esse.

Secundõ, non ignauiam, aut contumaciam in uoluntate nostra confirmandam esse, sed obediendum mandato & uocationi diuinæ.

Tertiõ, petendum esse auxilium Dei in tanta mole negociorum & periculorum, quam sola humana sapientia & humanæ uires sustinere nequaquãm possunt,sed semper regula teneatur,præeunte gratia,comitante uoluntate,bona & salutaria opera fieri.

Hæc simplex enarratio uera & utilis est,& utrunq; uicium taxat,Ignauiam & Fiduciam nostri,& econtrã præcipit,ut diligentia nostra exuscitetur,et simul uera fide & spe petamus & expectemus gubernationem, auxilium, & salutares euentus à Deo.

Eodem modo intelligantur & dicta Psalmi: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Verissima concio est docens opus esse auxilio Dei,nec sequitur,Ergo nihil agit uoluntas Dauidis in excubijs disponendis, in præliando, & alijs laboribus militaribus, Imò ingens discrimen est inter uigilantissimum & acerrimum ducem Dauidem,& inter ignauum & trepidum Achas. *Dictũ Psalmi, Nisi custodierit Deus ciuitatem.*

Ac differunt utraq; re, diligentia & fide, Ardet pectus Dauidis fide & spe,petens & expectans auxilium ã Deo,Et fiducia ac spe plenus,alacri animo labores ingentes suscipit. Econtrã Achas cogitans se desertum esse à Deo, quanquãm quærit hnmana præsidia, tamen animo consternato fugit aciem & pericula,Ita in eo uoluntas etiam languidior est, quãm in Dauide.

Eodem modo & hoc dictum intelligatur, Iohan:3. Non potest sibi homo quidquam sumere, nisi datum sit ei de cœlo: ut cùm est certamen de imperio inter Antonium & Augustum,irriti sunt conatus Antonij,quia non iuuantur à Deo. Talia sunt exempla innumerabilia. *Dictum Ioh:3. Non potest sibi homo sumere quidquam.*

Conantur filij Ephraim Israëlitas inducere in terram Canaan,quam sciebant semini Abrahę promissam esse,sed non respõdent honesto consilio euentus, quia Deus decreuerat alio modo se educturum esse Israëlitas ex Aegypto.

Demosthenis fuit honestum consilium,cùm aduersus Macedonas defendere Græciam conatur,sed fuit infelix, quia non iuuabatur diuinitus. Nec tamen nihil agebat uoluntas in Demosthene, quæ & uolebat patriæ defensionem,& magnos labores hac uoluntate suscipiebat.Sed ad euentum plures causas concurrere oportebat,auxilium Dei, consensum & labores militum.

Non igitur in illo dicto detrahitur libertas uoluntati, sed de Euentu dicitur, Electionem & conatus irritos esse, nisi à Deo gubernentur & iuuentur.

Vt autem hæc dicta quæ recitaui concionantur de negatiua sententia, Non sufficit electio uoluntatis sine auxilio Dei ad res, bonas præsertim, efficiendas, ita dicta alia promissiones & consolationes continent, quæ adfirmant uelle Deum nobis opitulari, iuuare labores, moderari pericula, regere euentus, ut sint fausti & salutares nobis & alijs.

Dictum eap: 2. ad Philip: Deus efficit ut uelitis & perficiatis.

Tale est hoc dictum ad Philippenses. Deus efficit ut uelitis, & perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant. Cùm ad Deum conuersi sumus, multa impediunt hanc obedientiam, insidiæ Diaboli, nostra infirmitas, Et Tyranni gubernationem Ecclesiæ, & alias piorum uocationes horribiliter turbant. In his difficultatibus multi languefiunt.

In dicto Pauli promißio est, & sunt argumenta duo, à priore beneficio, & à causa finali.

Consolatio igitur proponitur, in qua & promissio est, & argumenta duo sunt, alterum à priore beneficio sumtum, alterum à causa finali. Deus, inquit, perficiet incoatum beneficium, nec deseret uos in periculis et in afflictionibus, sed iuuabit uos, ut gubernatio sit salutaris, quia & antea in conuersione uos adiuuit, & uera consolatione uos erexit, & uult aliqua fieri in genero humano ipsi grata.

Hæc sententia ualdè illustratur exemplo primorum parentum, Promissio consolatur eos, quòd Deus uelit eis opem ferre, etiamsi uident tristia exempla multa, necem Abeli, scelus Cain, & alia. Confirmantur autem primùm ipsa promissione, deinde testimonio incoati beneficij, & consideratione causæ finalis. Videt Adam Deum ex arcana sede prodeuntem sua uoce edere promissionem, scit se in morte & horrendis pauoribus consolatione diuina erectum esse, scit exhibita esse signa reconciliationis in sacrificijs, quæ incensa sunt de cœlo.

Hæc pertinent ad primam particulam, Deus efficit, ut uelitis. Edit uocem Euangelij Deus, uocat, trahit, consolatur, uiuificat in conuersione. Rectè igitur ratiocinatur Adam, Deus non frustra edidit uocem Euangelij, nec frustra nos sua consolatione erexit, & ostendit se efficacem esse in nobis. Hæc incoatio testimonium est misericordiæ, Vult igitur incoatum beneficium perficere.

Idem nos cogitemus, nec frustra decretum de reconciliatione, quo nullum bonum maius cogitari potest, nobis traditum esse, nec frustra nos ad agnitionem Filij uocatos esse, & adiuuari, cùm fide erigimur & inuocamus.

Hæc de signo sumto ab incoatione dicta sint. Postea Adam & finalem causam intuebatur, cur conditum esset genus humanum, cur imago Dei insita homini, cur facta esset reconciliatio, uidelicet ut Ecclesia Deo colligatur, celebratura ipsum in æterna consuetudine, & lætitia, & cui ipse suam lucem, sapientiam & iusticiam in tota æternitate communicet.

Hæc cùm sit uoluntas Dei, certè semper cœtum aliquem seruabit, qui sit pars illius æternæ Ecclesiæ, ne tota massa generis humani damnata sit.

Hoc uult Paulus, cùm inquit, ut aliqua fiant Deo grata, quasi dicat, Cùm in genere humano omnes illi qui sunt extra Ecclesiam, faciant Deo ingrata, excerpit tamen Deus aliquam partem, uidelicet uera Ecclesiæ membra. Hæc uerè celebrant Deum, custodiunt doctrinam Euangelij, inuocant eum fide, agunt gratias, obediunt ei, & in tota æternitate eum celebrabunt.

Hæc est uis uerborum Pauli cum dicit ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, significatur causa finalis,

nalis, non ut alij enarrarunt, efficiens, id est, facit, quia ei ita libet.

Ex hac enarratione quam recensui, non sequitur uoluntatem ociosam esse, sed consolatio tradita est, quæ adfirmat nos adiuuari à Deo in principio conuersionis, & deinceps in omnibus negocijs & periculis uocationis, confessionis & totius obedientiæ, sicut alibi dicit, Qui manet in me, & ego in eo, fructum copiosum feret.

De dicto Ecclesiastici.

TEnenda est & simplex enarratio dicti, quod ex Ecclesiastico citatur. Deus reliquit hominem in manu consilij sui. Dictũ Eccles: Deus reliquit hominẽ in manu consilij sui.

Hæc sententia si sine moderatione aliqua intelligatur, præconium est libertatis ualdè amplum. Necesse est autem fateri nunc in hac infirmitate naturæ magna libertatis impedimenta esse, quorum primum est ipsa prauitas, quæ nobiscum nascitur, quæ est caligo de Deo, gignens dubitationes plurimas, & impediens fidem & timorem, ac manifestum est corda plena esse uitiosis motibus, & non posse prauas inclinationes expellere, & sibi sumere ardentem dilectionem Dei. Impedimenta libertatis. I. Prauitas naturæ.

Secundum impedimentum est Diabolus, qui uarijs modis occasiones offert hominibus, & impellit eos, ut obtemperent malis cupiditatibus, ut in Cain, Saul, Iuda apparet, quia cũm odio Dei ardeat, uult à plurimis cum contumelia adfici, & delectatur destructione operum Dei in genere humano. De hoc horrendo odio & furore in Diabolo sæpè cogitandum est, & ardentissima inuocatione petendum, ut filius Dei hunc tam sæuum hostem reprimat, cuius insidias cauere sola hominum diligentia sine auxilio Dei certè non potest. II. Diabolus.

Inuocamus autem te fili Dei Iesu Christe, qui apparuisti ut destruas opera Diaboli, & conculces caput Serpentis, ac oramus, ut tu reprimas ac depellas blasphemos & crudelissimos spiritus, ardentes uehementissimo odio Dei, & ingenti rabie grassantes in genus humanum, & serues infirmas Ecclesias & familias nostras, sonantes uocem Euangelij tui, & ad te confugientes, à te defensionem, auxilium & salutem petentes.

Tertium impedimentum est, in hac uitæ confusione, moles ipsa negociorum & periculorum, in quibus quotidiè multa improuisa & inextricabilia præter opinionem hominibus offeruntur, ut Dauid non præuidit seditionem filij, & uulgò dicitur, Nescis quid uesper serus uehat. Item, τὸ μέλλον ἀεὶ τυφλὸν ἔρπει. III. Impedimentum libertatis, moles negociorum & periculorum.

Cũm igitur nunc in hac deprauatione naturæ, languefacta sit libertas, res ipsa ostendit restrictionem aliquam addendam esse dicto Ecclesiastici.

Respondeo igitur, Verum est initiò uoluntatem ante lapsum primorum parentum fuisse magis liberam, Et illa excellens libertas donum & opus Dei, & pars imaginis Dei fuit, attributa homini in conditione, ut suprà dictum est. Explicatio dicti in Eccles:

Postea uerò, etsi languefacta est libertas, ut suprà declaraui, tamen aliqua libertas reliqua mansit, & fit uoluntas magis libera, cùm iuuatur à Spiritu sancto.

Nequaquãm enim ita intelligendus est Sirach, ut existimetur excludere Spiritum sanctum. Ideò eruditè inquit Augustinus de hoc dicto, Proposuit tibi aquam & ignem, ad utrum uoles extende manũ, Extende scilicet iuuante Spiritu san-

ritu sancto,& simul extendente tuam manum. Non enim agit Spiritus sanctus,ut in statua,sed concurrunt mens cogitans uerbum Dei, uoluntas amplectens,& adsentiens adiuta à Spiritu sancto, & accensa, ut fiant opera salutaria.

Hactenus rectè exposita est uera, simplex & perpetua Ecclesiæ sententia de libero arbitrio. Cùm autem hæc quæstio sæpè magnos tumultus excitarit, propterea quòd Stoici labyrinthi de necessitate huc translati sunt,moneo omnes pios, ut procul sæparent Stoica deliramenta ab Ecclesiæ doctrina, Priusquàm autem ab hoc loco discedo,recitabo duo dicta Hieronymi,quę indigent interpretatione.

De dicto Hieronymi, Anathema sit, si quis dicit, Deum impossibilia præcepisse.

PRius est,Anathema sit, si quis dicit, Deum impossibilia præcepisse, Id mox alio dicto corrigitur, Anathema sit, si quis dicit, Legem posse fieri sine gratia.

Fortassis autem contra Manichæos prior sententia tradita est, qui finxerunt partem generis humani, ortam ab ὕλῃ & malo principio, nec externa honesta opera Legis facere posse, ut & illis uetustis temporibus multi prodigiosi errores de uoluntate humana à uarijs sectis sparsi sunt.

Sed rectè instituti in Ecclesia sciunt utruncp, externa Legis opera,seu disciplinam esse possibilem: & tamen uerissimam esse hanc propositionem de interiore immunditie humani cordis, uidelicet, tristissimam immunditiem esse humani cordis repugnantem Legi,quæ non possit tolli uiribus humanæ naturæ. Quare eam Lex semper accusat.

Cùm igitur dicitur,Lex impossibilia prȩcipere, intueamur interiores prauas inclinationes. Has nec uoluntas nostra, nec Lex tollit. Imò Lex ideò proponitur in ministerio, ut in nobis agnoscamus & deploremus nostram contumaciam. Non ardent corda dilectione Dei,non habent uerum timorem & reuerentiam erga Deum, non petunt nec expectant ab eo bona, ardenti fide & spe, sed fremunt aduersus eum in pœnis, & fugiunt eum.

His uicijs opponitur Lex, ut agnoscamus nos Legi & uoluntati Dei dissimiles esse. Sic intelligatur Lex impossibilia prȩcepisse, uidelicet,non tolli Lege peccatum & interiorem immunditiem,& totam naturæ humanæ ἀταξίαν,de qua impossibilitate & Paulus loquitur Rom: 8. Cùm impossibile esset Legi Dei iustificare,Item,Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum,nec enim Legi Dei subiectus est,ac ne potest quidem ei subijci. Hæc infrà in Titulo de Lege copiosius declarabuntur.

Dictum alterum, Anathema sit, si quis dicit, Legem fieri posse sine gratia.

NVnc alterum dictum consideretur, Anathema sit, si quis dicit, Legem sine gratia fieri posse. Hic aliqui gratiam tantùm intelligunt auxilium Spiritus sancti,sicut & Philosophi dixerunt,excellentes uirtutes oriri, ab adflatu diuino,sed hoc non satis est.

Intelligi enim gratiam necesse est de utroq; beneficio filij Dei, scilicet de gratuita imputatione,seu acceptatione,& deinde de auxilio, Id est, Primùm Lex fit per gratiam, id est, fide recepti propter Mediatorem placemus iam Deo,& quanquàm Legi nondum satisfacimus,tamen & nos placemus, & placet incoata obedientia per gratiam, id est, propter Mediatorem.

Deinde intelligatur gratia etiam de auxilio Dei, quia uerissimum est quòd à Spiritu sancto in credentibus accenduntur boni motus, sicut scriptum est Rom:8. Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei.

DE

DE LEGE.

VOluerunt & illi ipſi ſapientiſſimi viri, qui Symbolum Nicenum conſcripſerunt, breuem ſummam comprehendere eius doctrinæ, quæ Eccleſiæ Dei propria eſt, & ordine præcipua membra recitare, qui maximè diſcentes adiuuat, & metas oſtendit doctrinæ, ut animaduerti poſſit nullam doctrinæ partem neceſſariam omitti.

Exorſi ſumus igitur à Deo, ut doctrinæ ordo poſtulat & Symbolum inde orditur, deinde de creatione hominis, de lapſu & de uiribus hominis diximus. Idem ordo eſt doctrinæ in ipſis libris Moyſi.

Iam dicendum eſt de doctrina ſeu uerbo, in quo ſe poſtea Deus patefecit, Ac primùm neceſſe eſt diſcerni Legem & Euangelium ſeu promiſſionem gratię, id eſt, reconciliationis. Hac diſtinctione amiſſa tantæ tenebræ erunt, ut nec quid ſit Eccleſia Dei, nec quo modo differat ab Ethnica ſapientia, nec quo modo detur remiſſio peccatorum, nec quæ ſint beneficia filij Dei, intelligi poſſit: deniq; adeò neceſſaria eſt uera cognitio huius diſcriminis, ut nulla tanta ſit eloquentia Angelorum uel hominum, quæ ſatis exponere poſſit, quantæ tenebræ ſequantur hac diſtinctione amiſſa. *Diſcrimen Legis & Euangelij neceſſarium eſt.*

Definitiones igitur Legis & Euangelij diligenter conſiderent diſcentes, & animdauertant unde & quomodo Lex accepta ſit, & quomodo edita ſit uox Euangelij. Ac prius de Lege dicendum eſt, quia eſt noticia nobiſcum naſcens, & indita mentibus hominum in creatione, ſicut noticia numerorum. At Euangeliũ ſeu promiſſio gratiæ & reconciliationis, non eſt uox Legis, & nequaq; nobiſcum naſcitur. Sed ſingulare & mirandum decretum diuinitatis factum deprecante pro nobis Filio, & poſtea prolatũ ex illo arcano conſilio, de remiſſione peccatorum, & de reſtitutione iuſticiæ & uitæ æternæ, ut deinde dicam.

Nunc uerò initiò ponenda eſt Legis definitio.

LEx eſt doctrina à Deo tradita, præcipiens quales nos eſſe, & quæ facere, quæ omittere oportet, & requirens perfectam obedientiam erga Deum, & pronuncians iraſci Deum omnibus peccantibus, & punire æternis pœnis non præſtantes perfectam obedientiam. *Legis definitio.*

Quòd autem dicitur, Tradita à Deo, id intelligatur utroq; modo, & mentibus hominum in creatione inſita, & poſtea ſtatim uoce diuina ſæpè repetita. Nam in ipſa creatione, cùm Deus uellet hominem eſſe imaginem conditoris, transfudit in eum radium ſapientiæ & iuſticiæ ſuæ, qui monſtraret Deum, & eſſet norma cõgruens cum diuina mente, diſcernens iuſta & iniuſta.

Etſi autem in hac humana caligine magnitudo conſilij diuini de creatione, non ſãtis cogitari poteſt, tamen aliquo modo exuſcitandæ ſunt mentes, ut bonitatem diuinam conſiderent.

Quanta bonitas eſt, quàm illuſtre teſtimonium, quòd Deus diligat humanam naturam, quòd transfudit in hominem, ea quę in ipſa Dei eſſentia ſunt optima, ſcilicet ſapientiam legis & iuſticiam, & ſimul Spiritum ſanctum rectorem humanæ mentis, uoluntatis & cordis? qui Spiritus ſanctus, cùm ſit ignis amoris diuini, certiſſimum eſt uerum & ingentem amorem in Deo conditore erga hoc opus fuiſſe.

Poſtea etiam poſt lapſum cùm beneficia prius data, partim prorſus extincta, partim obſcurata eſſent, & ut de uiatore dicitur in Luca, cùm partim ſpo-

tim ſpoliati,partim uulnerati eſſemus,etſi caligo aliqua in mente eſſe cœpit, tamen manſit aliqua Legis noticia, quia Deus uult ſe adhuc agnoſci,uult & peccatum agnoſci ac argui, uult etiam uitam, qualiſcunq; adhuc eſt, diſciplina regi, Ideō aliqua Legis noticia manſit etiam poſt lapſum.

Et quia nunc eſt obſcurior,Deus ipſe ſubinde ſtatim poſt lapſum ſingula præcepta ſæpē ſua uoce,& horrendis exemplis pœnarum declarauit.

Legis repetitiones diligenter ſunt conſiderandæ.

Ac diligenter conſiderandæ ſunt Legis repetitiones inde uſq; ā Cain factæ. Et teſtimonia diuina in comprobatione rectē factorum, & in pœnis delictorum,ut Gen:4.comprobantur opera primi Prçcepti,quando Deus manifeſto ſigno recipit oblationem Abel, & diſcernit oblationem factam cum timore & fide,ab oblatione Hypocritæ, qui eſt ſine timore & ſine fide.

Poſtea etiam prohibentur odium fratris & homicidium,& generale prçceptum traditur, quod mandat omnes uicioſas adpetitiones frenari.Sub te ſit adpetitus tuus,& tu domineris ipſius. Deinde repetita eſt prohibitio homicidij,quando Noha ex Arca egreſſus eſt. Et prohibitio uagarum libidinum tradita erat in Paradiſo expreſſa uoce, Erunt duo in carnem unam, id eſt, unus mas, & una fœmina inſeparabiliter iungantur. Et pœnæ horribiles homicidij & uagarum libidinum declarauerunt uoluntatem Dei ab initio, ut in Diluuio,& in euerſione Sodomæ.

Poſtea integrē & ordinē tradita eſt Lex per Moyſen,& confirmata multis ingentibus miraculis,& ſumma Legis moralis uoce Dei in monte Sinai pronunciata eſt,& ſcripta in ſacris Tabulis diuinitus, quia uoluit Deus extare Legem etiam in ſcripto,& addidit miracula,ut certum ſit hanc legem eſſe normam æternam iudicij diuini, contra peccatum.

Et poſtea in toto genere humano pœnæ ſcelerum omnibus ętatibus ſunt teſtimonia huius iudicij diuini, Regulariter enim atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis in hac uita,ut homines commonefiant de iudicio Dei.

Diligenter ergo in definitione aſpiciantur hæc uerba, tradita ā Deo, & diſcamus infinitum diſcrimen eſſe, inter Leges humanas & diuinam, de quo diſcrimine poſtea dicemus.

Vnde ſumta ſit legis definitio.

Prius enim oſtendam unde ſit ſumta Legis definitio,uidelicet ex ipſa lege, quæ adfirmat præcipi & poſtulari integram & perfectam obedientiam, & puniri non præſtantes integram & perfectam obedientiam. Dicit enim Lex,Diliges dominum Deum tuum ex toto corde,2c. Item,Non concupiſcas. Item, Maledictus qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Lege.

Ac ualdē neceſſe eſt intelligi hanc uerē eſſe Legis uoluntatem, ne delabantur homines in ſtultas opiniones Phariſæorum & Monachorum,ac ſomnient, homines poſſe Legi Dei ſatisfacere, & hanc qualemcunq; diſciplinam, quæ efficit honeſtas actiones externas, eſſe impletionem Legis, & hominem tali diſciplina iuſtum eſſe, & Legi ſatisfacere.

Hæc humana ſomnia delent agnitionem peccati in nobis,& extinguunt lucem Euangelij de Mediatore, & de iuſticia fidei.

Sit hoc infixum mentibus, Naturam in hac deprauatione, maſſam horribiliter immundam eſſe, & diſſimilimam Legi Dei. Et quanquām Deus ornauit aliquos magnis uirtutibus,tamen præter filium Dei,nemo ſatisfecit Legi Dei,cæteri omnes collati ad legem & iudicium Dei, ſumus ſimiles ſtercori collato ad ſolem.

Nemo præter filium Dei ſatisfecit Legi Dei in genere humano.

Hanc

Hanc commonefactionem sæpē nobis proponamus, ut ē regione agnoscamus filium Dei Mediatorem, & sciamus nos propter hunc recipi & placere, quanquām sumus tales massæ sordidæ & immundæ. Hanc immensam misericordiam celebremus, & hac consolatione erecti, inuocemus Deum, ut postea sæpius dicetur.

IN hoc uestibulo huius doctrinæ, est & hoc monendus auditor, quod etsi Legi additæ sunt promissiones, tamen eas omnes conditionales esse, ac postulare conditionem hanc, ut Lex integrē impleatur, nec in aliqua parte rei simus, & condemnati à Lege. Ab his promissionibus longē differt promissio gratuita reconciliationis, quæ est uox Euangelij, ut postea dicam, Vbi etiam dicemus, quomodo legales promissiones fiant ratæ & utiles. *Promißiones Legis conditionales.*

DIVISIO LEGVM.

PRius dicam de *Legibus diuinis & naturalibus, vt postea iudicari possit, quæ hominum* decreta sint Leges, aut Legum corruptelæ, ut Lacedæmoniorum permissio, quæ concedebat paciſci de alterius coniuge cum marito, nequaquām fuit Lex, sed horribilis furor, & Legis diuinæ euersio.

Sit ergo hæc prima distinctio. Legum aliæ sunt diuinæ, aliæ sunt humana autoritate conditæ, quæ nec expressē traditæ sunt autoritate diuina in scriptis Propheticis & Apostolicis, nec sunt leges, quæ usitatē nominantur Naturales, ut postea dicetur. Prius enim de diuinis & naturalibus dicendum est, quæ sunt Norma aliarum. *Leges aliæ sunt diuinæ, aliæ humanæ.*

SVnt igitur Leges diuinæ, quæ à Deo traditæ sunt quocunq; tempore, & extant in Moyse & libris Euangelij. Et quanquām inde usq; ab initio mundi sonuerunt in Ecclesia, Vox legis, & uox promissionis gratiæ, tamen singulari consilio & beneficio Dei constituta est politia Israëlitica, ut esset certa doctrinæ sedes, in qua Deus manifesta testimonia de Lege & promissione Messiæ ederet. Ibi Lex moralis, quanquām antea nota erat, tamen uoce diuina de rupe Sinai, & insignibus miraculis promulgata est. *Leges diuinæ quæ.*

Et quia non tantùm Leges de singulorum moribus latę sunt, sed tota politia constituta est, additæ sunt Leges forenses & ceremoniales, quia ut sit ordo aliquis uitæ humanæ, in omni societate ciuili, uniuersaliter opus est his tribus gradibus Legum, Moralibus, Ceremonialibus & Forensibus. *Tres gradus legum Moysi.*

Tota igitur antiquitas ita distinguit leges Moysi, Tres gradus recitantur. Leges Morales, Ceremoniales, & Forenses seu Iudiciales.

Huius distinctionis consideratio prorsus necessaria semper fuit. Quia Morales simpliciter sunt immotæ, quia sunt sapientia Dei seu norma iusticiæ in mente diuina immutabilis. *Morales leges.*

Semper enim & in omni æternitate uera & immota est hæc propositio, Deus irascitur iniustæ cędi, adulteriis, & libidinibus cum natura pugnantibus.

Sed ceremoniales & forenses, quæ non sunt naturales, propriæ fuerunt politiæ Mosaicæ, ut circumcisio, nec obligarunt gentes, nec nos obligant, Et illustri testimonio Deus ostendit, politiam Moysi non pertinere ad nos, quia funditus eam deleuit, nec instaurari passus est, etiamsi Iudæi post Titum sæpē rebellarunt. *Ceremoniales & Forenses leges Moysi.*

DE LEGIBVS NATVRALIBVS.

Etsi

Naturales leges cõprehenduntur in diuinis.

ETſi autem interdum ſic loquuntur aliqui, vt diſtinguant Naturales à Diuinis, tamen uerẽ & rectẽ dicimus, comprehendi naturales in diuinis, quia naturales uerẽ ſunt radius diuinæ ſapientię, transfuſus in mentes humanas, teſtificans quòd ſit Deus, & docens qualis ſit, & quòd iudicaturus ſit, & cũm uellet Deus hominum naturam eſſe ſuam imaginem, lucere in ea ſimilem ſapientiam uoluit, & uoluit congruere noſtras uoluntates cum ſua ſapientia & iuſticia.

Itaq; Leges naturæ ſint diuinæ & immotæ. Et rectẽ ac eruditè tradita eſt definitio.

Leges naturæ quid ſint.

Leges naturæ ſunt noticiæ principiorum practicorum de moribus, & concluſionum inde extructarum congruentes cum regula æterna & immota mentis diuinæ, quæ principia cernimus & amplectimur firmo adſenſu, quia noticiæ eorum nobiſcum naſcuntur diuinitus inſitę humanis mentibus in creatione, ſicut Numerorum noticiæ.

Dolendum eſt autem & deplorandum aſſiduis gemitibus, quòd non agnoſcimus, quantum hoc decus ſit, quòd in homine lucet hic radius ſapientię diuinæ, & cur eum in nos transfuderit, uidelicet, ut extet in nobis lux, teſtificans quòd ſit Deus, & monſtrans qualis ſit.

Talis eſt enim Deus, qualem ſe in Lege expreſſit, ſapiens, uerax, beneficus, nequaquãm uolens promiſcuas cædes, & uagas libidines, Sed hæc mala pugnantia cum ſua lege puniens.

Omnes morales in Decalogo & multæ iudiciales ſunt naturales.

Sunt autem Leges naturales, omnes morales in Decalogo comprehenſæ, & multæ iudiciales, ut turbantes ſocietatem generis humani iniuſtis cædibus, furtis & alijs delictis, puniendi ſunt, Prohibenda eſt commixtio in proximis gradibus, qui recitantur Leuit: 18.

Tales leges uerẽ ſunt naturales, et omnes gentes obligant omnibus temporibus. Quare & ante Moyſen diſcrimina illa commixtionum ſeruanda fuerunt, ſicut textus in Leuitico dicit, deleri Cananęos, propter inceſtas libidines.

Præterea multa genera Legum ceremonialium ſunt naturalia, ut neceſſe eſt aliqua certa tempora tribui publico miniſterio doctrinæ cœleſtis & ſacramentorum, ut publicè ſonet uox Dei in genere humano, & ſint conſociati cœtus teſtificantes de doctrina Dei.

Item aliquid ſinguli ex ſuis facultatibus ad miniſterium Euangelij conferant. Ideò dixerunt eruditi, in diſputatione de decimis, An decimæ ſint iuris naturalis, Non quota, ſed aliquota eſt iuris naturalis.

Ex talibus exemplis iudicari poteſt, quid ſit Ius naturale, ſeu leges naturæ, ubicunq; leguntur, ſiue in Moyſe, ſiue in ſcriptis Ethnicis & Legibus politicorum uirorum, ut Solonis & aliorum congruentibus cum uera ratione. Nobis autem ſemper ſit norma Lex diuina, quia ideò promulgauit Deus Legem, quia naturales noticiæ nunc in hac caligine ſunt obſcuriores, & multi mali mores contra iudicium naturale paſſim recepti ſunt, ac poſtea magna tyrannis eſt conſuetudinis, quæ uicia uulgaria confirmat, tanquãm non pugnent cum natura.

Lex diuina ſit norma omnium legum.

Nunc breuiter addam deſcriptionem trium graduum.

Dicere Legem moralem eſſe præcepta decalogi, eſt deſcriptio maximè perſpicua.

Maximẽ perſpicua deſcriptio eſt Legis Moralis, dicere Legem Moralem eſſe præcepta Decalogi. Sed dextrẽ hoc dictum intelligendum eſt, Nam de ſabbato uerum eſt, mandatum de ſeptimo die ceremoniale eſſe, & fuiſſe immutabile. Sed genus eſt naturale & morale, id eſt, ut aliqua certa tempora tri-

buantur

buantur publico ministerio cœlestis doctrinæ, species, id est, mandatum de septimo die, ceremoniale est.

Ac sine cauillatione uolumus accipi hoc nostrum dictum, Quoties Decalogum nominamus, intelligi Legem moralem dextrè intellectam uolumus, quæ uidelicet præcipit non tantùm de externis factis, sed de uirtutibus in corde erga Deum & homines.

Et sunt, ut antea dixi, immotæ, quia sunt sapientia Dei & regulæ iusticiæ in ipsa mente diuina, quarum radius in nos transfusus est, ut imago congruat cum sapientia & iusticia in Deo.

Hæc quomodo intelligenda sint, non obscurum est mediocriter institutis in doctrina Ecclesiæ.

Et cùm morales leges de uirtutibus in corde, & de congruentia cum uoluntate Dei præcipiant, antecedunt cæteris Legibus, uidelicet, Ceremonialibus & Forensibus, quæ gubernant externos ritus, nec placent Deo, nisi in cordibus sint uirtutes, de quib. Lex Moralis præcipit, ut infrà rursus dicendũ erit.

Ceremoniales Leges quid sint.

SIt igitur hæc descriptio Legum Ceremonialium, esse eas præcepta à Deo tradita propriè de ritibus externis sacramentorum, & sacrificiorum, & priuatorum quorundam exercitiorum in cibo & uestitu, qui instituti sunt, ut essent uincula consociantia hunc ipsum populum in politia Mosaica, & distinguentia eum ab omnibus alijs gentibus, & essent nerui publicæ congregationis ad conseruandum ministerium, docendi integram & incorruptam doctrinam à Deo traditam, uidelicet Legem & promissionem Messiæ.

Forenses seu Iudiciales leges quid sint.

DEscriptio Legum Forensium seu Iudicialium in libris Moysi, sit hæc, esse eas præcepta à Deo tradita de externis actionibus, regentibus hanc ciuilem societatem in diuisione hæreditatum, contractibus, iudicijs & pœnis.

Fuit omnino ingens beneficium Dei, quòd politiam Moysi constituit, ut certa sedes doctrinæ esset, & tanquàm certa Academia, quæ uelut arx in arduo monte sita conspiceretur undiq; & exaudiretur in toto genere humano, ut inde uox doctrinæ ad multas gentes perferri posset, & tamen sedes doctrinæ perpetua in loco certo esset & maneret, Suntq; anni ab exitu ex Aegypto usq; ad resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, mille quingenti quadraginta duo. Tot annos sedes illa doctrinę in populo et loco certo conseruata est.

Sed omissa iam declaratione Legum Ceremonialium, et Forensium, quæ ad cæteres gentes non pertinent, dicamus aliquantò plura de Legibus moralibus, seu Decalogo, qui indicat peccatum in toto genere humano omnibus temporibus.

DE DECALOGO.

Admonitiones aliquot de Decalogo.

NEquaquàm exhauriri potest sapientia Dei in Decalogo proposita, Sed ut diligentius aspiciatur & consideretur, admonitiones aliquas recitabo.

I. Admonitio.

Prima & omnium summa est, Hæc ipsa Lex, quæ est æternum & immotum discrimen faciendorum & non faciendorum, est testimonium, quòd sit Deus, & qualis sit, uidelicet, mens sapiens, bona, benefica, iusta, uerax, casta. Impossibile est enim talem ordinem casu existere & manere.

Testatur etiam Deum esse iudicem, & punire sontes, quia tale discrimen non est inane. Nec Deus erit dissimilis sui, nec uolet pugnantia cum sua mente & uoluntate. Ideò & Psalmus dicit: Non uolens impietatem Deus tu es. Vide-

mus autem & pœnas in hac præsenti uita quotidianas, quia regulariter atrocia delicta, puniuntur atrocibus pœnis in hac uita.

II. admonitio. Secunda admonitio est. Cùm ostendat Lex, qualis sit Deus, ostendit etiam qualem oportebat esse hanc hominum naturam, & ad quid condita sit. Vult enim Deus homines esse imaginem suam, uult congruere mentem & uoluntatem nostram, cum regula mentis suæ & iustissima uoluntate sua.

III. admonitio. Tertia admonitio. Lex ostendit nobis ingentem miseriam nostram. Cùm enim natura nostra dissimilima sit Legi, intuentes in eam, tanquam in speculum, uidemus illam sapientiam & iusticiam, ad quàm conditi sumus amissam esse, ac discimus ex ea, peccatum causam esse mortis, & omnium calamitatum nostrarum.

IIII. admonitio. Quarta admonitio. Postquàm Lege commonefacti, agnoscimus peccatum, miseriam nostram & iram Dei, econtrà significatur, quærendam esse liberationem ab his malis, quia impossibile est genus humanum uniuersum, ad æternum exitium conditum, & legem frustra uoce Dei propositam esse.

Aliquam igitur liberationem restare necesse est, in qua Lex fiet. Restat igitur alia uita, in qua corda nostra erunt sine peccato, & præstabũt integram obedientiam, & interea Liberator aliquis erit, scilicet filius Dei nobis promissus, qui satisfaciet Legi, præstabit integram obedientiam, & præterea pœnam Legi debitam à nobis sustinebit, & restituet nos, qui & in Lege Moysi multis typis significatus est.

Ideò Paulus inquit, Finis Legis Christus est, ad iusticiam omni credenti, id est, Lex non est tradita, ut propter eam iusti simus, sed ut sit commonefactio de Mediatore, & sciamus eum constitutum esse, ut fieret uictima, & sustineret pœnam Legi debitam à nobis, & nos propter eum recipi, & ipsum in nobis instauratorem fore Legis.

Hæ admonitiones, quas recensui, sint nobis in conspectu, ut diligentius consideremus & Legem Dei, & discrimen Legis & Euangelij. Nunc breuiter recitabo præcepta Decalogi.

DECALOGVS.

Cùm nominatur decalogus, intelligenda sapientia & iusticia Dei. SVprà dixi, quoties nominamus Decalogũ, nos intelligere sapientiam & iusticiam, quæ est in Deo, & cuius radius in mẽtes humanas transfusus est, congruens cum mente & uoluntate Dei, qui ostendit, quales oporteat esse omnes homines, & damnat omnes, qui non sunt tales, quæ sapientia uocatur Lex moralis aut naturalis, & summa, tanquam sapientissimi artificis consilio, comprehensa est in Decalogo.

Duæ Tabulæ Legis. Huius Tabulæ duæ propositæ sunt, quarum prior præcipit opera interiora & exteriora, quibus immediatè cum Deo agimus.

Secunda, continet opera erga homines, quæ etsi sunt uincula humanæ societatis, tamen Deus & hanc obedientiam seueriſſimè postulat, & iudicat eam esse cultum Dei. Sic igitur & præcepta secundæ Tabulæ intelligantur & fiant, ut in omnibus cogitemus hæc, Deum esse qui præcipit, & Deo hanc obedientiam præstandam esse, & prospiciatur hic finis, ut fiant hæc opera propter Deum.

Postea de omnibus præceptis etiam dicemus, oportere ea fieri in agnitione & fide Mediatoris, & quomodo hoc intelligendum sit, postea dicetur.

DE PRI

DE PRIMO PRÆCEPTO.

OPtimo ordine orditur Decalogus ã noticia Dei, & monſtrat quis ſit uerus Deus, & quomodo agnoſcendus ſit, & diſcernendus ab omnibus commentitijs numinibus. Neceſſe eſt enim hanc noticiam omnibus aljs antecedere, quia, ut dicitur, Ignoti nulla cupido. Niſi uerus Deus agnoſcatur, quomodo inuocari, timeri, diligi poteſt?

Primum præceptum monſtrat quis ſit Deus, & quomodo ſit inuocandus.

Dirigenda eſt enim inuocatio ad uerum Deum, quem cũm nec oculis corporalibus cernere, nec brachijs complecti poſſimus, neceſſe eſt tamen mente & fide intueri & alloqui.

Nec ſit compellatio noſtra ſimilis Ethnicæ, ut Euripides inquit, O Deus quidquid es, ſiue hoc cœlum, ſiue alia res: Sed ſciat mens ęternum & immotum Dei præceptum eſſe, ut uerum Deum alloquamur, & eum à commentitijs numinibus diſcernamus, & intelligamus, quomodo quærendus ſit, ſcilicet, ſicut certis teſtimonijs eſſentiam ſuam & uoluntatem patefecit, et ſicut docuit ſuo uerbo, ſe quærendum, agnoſcendum & inuocandum eſſe.

Ideò in primo præcepto hanc adfirmatiuam orationem proponit. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, deinde addit Excluſiuam, Non habebis alios Deos.

Vt autem certò conſpici mente & fide, & diſcerni ab aljs uerus Deus poſſet, addita ſunt teſtimonia uiſibilia, & nequaquãm fallentia, per quæ oſtenſum eſt, quis ſit uerus Deus, & quæ ſit ueri Dei doctrina & uoluntas, cũm inquit, Qui eduxi te de terra Aegypti.

Hic omnia miracula comprehendantur facta in illo populo inde uſq; ab initio, Et nos deinceps miſſo Filio intueamur eundem Deum, qui & eduxit populum ex Aegypto, editis tam multis teſtimonijs, & miſit Filium additis ſimilibus teſtimonijs reſuſcitatione mortuorum & aljs, ſicut Petrus Actorum tertio dicit. Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus Patrum noſtrorum glorificauit Filium ſuum Ieſum &c. Et omnia priora miracula ſciamus ideò facta eſſe, ut eſſent teſtimonia de promiſſionibus, & de hoc Filio, domino noſtro Ieſu Chriſto.

Et ſicut Patres, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, Dauid, Daniel, & alij in inuocatione hunc uerum Deum alloqui ſe ſciebant, qui ſe in promiſſionibus & illa eductione ex Aegypto patefecerat, & petebant ac credebant ſe propter Semen promiſſum recipi & exaudiri, & ſegregabant ſuam inuocationem ab omnium gentium religionibus, quę ignorabant promiſſiones, ita noſtra inuocatio eundem uerum Deum intueatur & alloquatur, agnoſcens Filium & cogitans promiſſiones & miracula, ſicut ipſe iubet quæri Deum, inquiens: Qui uidet me, uidet Patrem.

Miranda & dulciſſima conſolatione uagabundas mentes retrahit, & alligat ad hunc conſpectum Filij crucifixi, reſuſcitati, & illuſtribus teſtimonijs confirmantis promiſſiones de remiſſione peccatorum & uita æterna.

Sit ergo hæc prima doctrina in Decalogo, ut uerum Deum agnoſcamus, & in inuocatione hanc doctrinam exerceamus & diſcamus.

Doctrina primi præcepti.

Quoties incipis precationem, cogites tecum quid inuoces, quid ſit, & ubi ſit ille Deus quem compellaturus es, & cum quibus inuoces, an ut Ethnici, aut ut prima Eccleſia, Patres, Prophetæ, & Apoſtoli, an & cur exaudiat.

Quis ſit Deus.

Hęc neceſſe eſt in omni uera inuocatione cogitari. Ac non temerè dictum eſt à quodam ex ueteribus, difficilimum opus eſſe precationem, quia nõ ſolùm intentio flagitatur, ſed etiam conſideratio reuelationum & teſtimoniorum de Deo, & diſtinctio ab Ethnica inuocatione, & cogitatio promiſſionum & fides.

Dirige oculos in Filium reſuſcitantem Lazarum à mortuis, & tanquàm præſens ſpectator illius mirandi operis, cogita nobis præcipi, ut ſic agnoſcamus Deum, ut ſtatuamus uerè Deum eſſe creatorem cœli & terræ, & hominum, Patrem huius Domini, qui & ſemper adeſt huic Domino, & hunc ipſum filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum, ſicut patefacta eſt diuinitas certiſſimis teſtimonijs, traditis per Patres, Prophetas, Filium, & Apoſtolos.

Qualis ſit, quæ ſit uoluntas eius, et cur exaudiat.

Deinde & uoluntas cogitanda eſt, qualis ſit Deus, & cur exaudiat. Eſt ſapiens, beneficus, iuſtus, uerax, iudex, caſtus, liber, miſericors. Recipit autem nos & exaudit, & ſeruat propter filium Mediatorem.

Hæc omnia in qualibet inuocatione cogitari neceſſe eſt. Nec contentioſè diſputes, cur me deducis ad Lazari reſuſcitationem? quid hæc ad me pertinent? Imõ uerõ talia teſtimonia omnia propter uniuerſam Eccleſiam exhibita ſunt, Vult Deus in talibus operibus ſe conſpici & agnoſci, ſicut in Decalogo recitat Eductionem ex Aegypto.

Proponas igitur oculis etiam alia teſtimonia. Et quia in primis illuſtris patefactio eſt in Baptiſmo Chriſti, hanc ſæpè in precando cogitemus, ac uelut in illa amœniſſima ripa Iordanis ſpectator mente conſiſtas, ubi Iohannes baptizat filium Dei, & tota diuinitas cum perſpicuo diſcrimine perſonarum ſe oſtendit.

Aeternus Pater ſonat uocem de Filio. Hic eſt Filius meus dilectus.

Conſpicitur oculis omnium Filius, qui undis abluitur.

Conſpicitur & Spiritus ſanctus ſpecie Columbæ alas pandens ſuper Mediatorem.

Hoc mirandum teſtimonium exhibitum eſſe ſciamus propter uniuerſam Eccleſiam, ut agnoſcamus uerum Deum, & ab omnibus commentitijs religionibus ueram procul ſeiungamus.

Noticiam ueram comitantur affectus, fides, dilectio, timor.

HActenus de Noticia diximus, quæ eſt gradus omnium primus in Decalogo. Veram noticiam mox comitantur adfectus, Fides, Dilectio, Timor, de quibus ordinè dicendum eſt.

Ac primũm fides eſt, adſentiri illis patefactionibus, quibus ipſe Deus certa teſtimonia addidit. Et complectendæ ſunt reuelationes Legis, promiſſionum & Mediatoris. Ideõ & in Decalogo nominatim dicitur, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi.

Has uoces, Tuus, qui te eduxi, fide accipi oportet, id eſt, te uerè reſpiciens, & curans, tibi dans uerbum, te uocans, tibi opitulaturus, te exaudiens, ſeruans in hac uita & poſt hanc uitam.

Maxima emphaſis eſt in uocabulo TVVS, quia hac ipſa uoce Deus fœdus nobiſcum facit, ſe uerè curare hunc populum audientem hoc ipſum uerbum quod tradit, & ſe tantũm Eccleſiam ex hac parte generis humani colligere, quæ hoc uerbum audit, & amplectitur.

Fides primum opus decalogi.

Fides itaq; primum opus eſt Decalogi, qua totam doctrinam à Deo traditam amplectimur, uidelicet omnes articulos fidei, ut uſitatè loquimur in Eccleſia,

cleſia,Item,Legem & Promiſſiones. Et cũm Legi additæ ſint comminationes, Noticia,quæ ſtatuit Legem eſſe ueram, parit timorem.

Et quia neceſſe eſt ſimul complecti promiſſionem reconciliationis, in qua etiam ſe patefecit Deus, & qua poſt lapſum generis humani, rurſus ſibi colligit Eccleſiam,fidem accendi neceſſe eſt,quæ non ſolũm eſt noticia, ſed etiam adſenſus & fiducia in uoluntate & corde,acquieſcens in Deo propter Mediatorem. *Fides quid ſit.*

Cũm enim neceſſe ſit amplecti totam doctrinam de Deo, non dubium eſt oportere & uocem præcipuæ promiſſionis ſciri, quæ & docet, quomodo hæc lapſa natura recipiatur,& quomodo fiat incoatio obedientiæ,& quomodo placeat.

Cũm autem hæc fides, qua credimus nos receptos eſſe propter Mediatorem accenſa eſt, iam agnita miſericordia Dei, incipimus eum diligere. Ita primi præcepti opera ſunt uera noticia Dei,fides ac fiducia miſericordiæ,dilectio,ſpes,Et aliæ uirtutes uicinæ. *Opera primi præcepti.*

Humilitas,qua agnita noſtra infirmitate, tribuimus Deo gloriam, & in uocatione obedimus fiducia auxilij diuini, & in pœnis fatemur nos iuſtẽ puniri. *Humilitas.*

Item, Patientia, quæ eſt obedientia in adflictionibus propter Deum tolerandis in confeſſione, & in pœnis. *Patientia.*

Et quidem Lex præcipit, ut hæ uirtutes in nobis perfectæ ſint & ſine peccato,ſicut uox diuina inquit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde,& ex tota anima,& ex omnibus uiribus tuis. Sed ſcimus in hac deprauatione naturam humanam repugnare Legi Dei. Ideõ antequàm plura dicam de operibus huius præcepti, admonendi ſunt rudiores, quomodo fieri poſſint & fiant opera huius præcepti.

AC primùm quidem ſciendum eſt opera externa huius præcepti,intelligi & fieri poſſe etiam à non renatis, id eſt, homo poteſt diſcere & profiteri ueram doctrinam externa profeſſione, & fugere omnia Idola externo geſtu. *Opera externa primi præcepti intelligi & fieri poſſũt etiam à non renatis.*

Hæc prima pædagogia etiamſi eſt neceſſaria, tamen nondum eſt impletio huius præcepti, quod poſtulat integram obedientiam cordis in timore, fide,ſpe, dilectione,humilitate, patientia.

Sic autem incoatur interior obedientia.

Cũm ſcimus Lege Dei accuſari peccatum in nobis, & uerẽ expaueſcimus agnitione iræ Dei, & audimus promiſſionem reconciliationis, quæ donatur propter filium Dei,ſciamus mandatum Dei immotum & æternum eſſe, ut credamus nobis remitti peccata, & nos recipi propter Mediatorem Gratis. *Quomodo incoetur interior obedientia primi præcepti.*

Cũm hæc fides in cordibus noſtris lucere cœpit,donato Spiritu ſancto in hac conſolatione ſimul cæteræ uirtutes incoantur, dilectio,ſpes,& aliæ.

Hæc ſunt initia obedientiæ,& res ipſa oſtendit, nos tamen adhuc procul abeſſe à perfectione legis, & adhuc multum ſordium in hac miſera natura circumferre. Sed tamen ſciendum eſt, hanc incoatam obedientiam in reconciliatis placere DEO propter Mediatorem, qui eſt uelut umbraculum, & tegit reliquam in nobis immunditiem, ſicut dictum eſt: Beati quorum tecta ſunt peccata. Hanc doctrinam propriam Euangelij infrà repetemus copioſius.

SECVNDVS ARTICVLVS

ANTITHESIS.

Peccata contra primum præceptum.

POstquã autem dixi, quæ ſint huius præcepti opera, & quomodo in hac imbecillitate naturæ humanæ fiant, & Deo placeant, iam addenda eſt antitheſis, ut & humana miſeria magis agnoſcatur, & huius præcepti doctrina fiat illuſtrior.

Recitabo autem primũm ea peccata, quæ minimẽ obſcura ſunt, quorum primus gradus eſt, furor eorum, qui palãm ſunt athei, ut Cyclopes, Epicurei, & ſimiles, Item Academici, & alij multi, quorum alij prorſus negant eſſe Deum conditorem generis humani, alij negant iudicem eſſe, alij iubent ſemper dubitare an ſit Deus, & an ſit iudex hominum, & an curet humana. Nec tantũm uulgi furores in hoc genere uarij ſunt, ſed etiam ſapientes & Philoſophi uarias imaginationes finxerunt.

Ἄθεοι.

Stoici etſi dicunt eſſe Deum, & aſpicere ea quæ fiunt, tamen fingunt alligatum eſſe cauſis ſecundis, nec poſſe aliter agere, quãm ut cient cauſæ ſecundę, & neceſſariò adiuuare bonarum actionum & omnium ſcelerum effectionem.

Etſi autem aliqui errores inter hos adeò abſurdi & tetri ſunt, ut ratio etiam naturali iudicio refutare eos poſſit, tamen hæc uarietas conſideranda eſt, ut humanam audaciam magis deteſtemur, quæ horribili impietate, tam portentoſas opiniones de Deo fingit & defendit.

Idolatria.

Secundus gradus eſt, furor eorum, qui Idola colunt, ut Ethnicorum, qui finxerunt multa eſſe æterna numina, & diuerſam ſingulis potentiam attribuerunt, ut aliam Saturno, aliam Ioui, aliam Marti, aliam Iunoni, aliam Veneri, eſtq; & in hoc gradu magna uarietas.

Alij cogitarunt ipſas ſtatuas eſſe Deos, alij qui uideri prudentiores uolebant, alligarunt Deum ad certas ſtatuas & cultus, finxerunt Deum exaudire ad hanc ſtatuam, & propter hos cultus. Alij tribuerunt diuinam potentiam creaturis, ut qui inuocarunt Herculem, Quirinum.

Talis eſt & eorum inuocatio, qui mortuos homines, ut Petrum, Paulum & ſimiles inuocant. Nam hic ritus ab Ethnicis exemplis ortus eſt, & ſimilis eſt Ethnicæ impietati. Tribuit enim creaturis omnipotentiam, quia inuocans iudicat abſentem, quem inuocat, inſpicere omnium corda.

Præterea cùm nullo teſtimonio Dei hic cultus confirmetur & obſcuret uerum Mediatorem, neceſſe eſt eum improbari & damnari.

Iudæi, Mahometiſtæ et hæretici.

Tertius gradus eſt Iudæorum, Mahometiſtarum, & omnium hæreticorum. Nam hi omnes fingunt ſibi deos alios, nec uolunt agnoſcere hunc uerum Deum, qui ſe in hoc ſuo uerbo tradito per Filium, Prophetas & Apoſtolos patefecit, cùm ſic tantũm uelit agnoſci & inuocari, Et quanquãm multa dicta opponi talium furoribus poſſunt, tamen hic in genere ſententia teneatur recitata in agone, Sanctifica eos in ueritate, Sermo tuus eſt ueritas.

Itaq; ueram de Deo doctrinam & ueri Dei inuocationem, nulla gens, nulla ſecta habet, relinquens hanc uocem traditam per filium Dei, Prophetas & Apoſtolos. Et quomodo iudicandum ſit iuxta hanc patefactionem diuinam, infrã de Eccleſia dicemus.

Et quia nimis longum eſt recitare hęreticorum catalogum, ſatis ſit monere hoc loco, furores hæreticorum eſſe horribilia peccata, pugnantia cum primo præcepto, ſimilia idolorum cultibus.

Non minus tetra Idola ſunt Manichæorum, Samoſateni, Arij & ſimilium er-

um errores, qui quasi simulacra sunt sculpta humana audacia, quãm Bacchi aut Veneris statuæ. Cumq; cogitamus, quãm latè uagentur hæc peccata in genere humano omnibus ætatibus, non potest fieri, quin homo pius toto corpore cohorrescat.

Quare simus uigilantes, ne polluamur hęreticis opinionibus, & uera doctrina muniamus nos, ac Deum oremus, ut mentes nostras regat, ne à luce Euangelij aberremus.

Quartus gradus est Magorum, qui pacta faciunt cum Diabolis, & omnium qui Magos consulunt, & alijs superstitiosis obseruationibus dediti sunt, quibus tribuitur potentia sine ordinatione Dei. Quare cũm sequuntur effectus, certum est eos à Diabolo oriri, ut cũm ex baculo lac extrahitur ademtum Vaccis. *Magi pacta facientes cum Diabolo.*

Hæc omnia prohibentur Leuitici uicesimo. Animam quæ declinauerit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui. Quia non uult nos Deus auxilium petere à diabolis blasphemis spiritibus, nec uult fiduciam nostram ad eos transferri.

Pertinent autem ad hunc gradum multæ impiæ consecrationes, quæ in Ecclesiam irruperunt, similes Magicis, ut olei, salis, & multarum rerum.

Quintus gradus, est Hypocritarum, qui etsi uera profitentur, nec sunt polluti externis Idolis, tamen in corde sunt securi & sine pœnitentia, sine timore Dei, & sine uera fide, & magis amant uoluntates suas & opes, quãm Deum, ut Nabal. Talis est semper in Ecclesia ingens multitudo, etiam ubi uera doctrina sonat, sicut parabola de Semine significat. *Hypocritæ.*

Ac magna uarietas est horum Hypocritarum. Alij sunt securi, ut qui nõdum sentiunt pœnas, quorum aliqui tument persuasione suæ sapientię & iusticiæ, & sese admirantur, & longè alios infra se collocant & despiciunt, ut Pharisæus Luc:18. Aliqui efferunt se fiducia suæ potentiæ, & negligentes Deum, mouent res magnas fiducia sui, ut Põpeius. Et usitata est hæc superbia in summis uiris, ut in Hercule, Aiace, Alexandro, Nabugdonosor, qui ante castigationem dicit se sua uirtute Babylonicum regnum auxisse. Postea castigatus agnoscit, Dei opera esse, uictorias & imperiorum constitutionem. *Magna uarietas hypocritarum.*

Alij calamitatibus oppressi, ruunt in impatientiam & desperationem, ut Saul. Hæc peccata omnia, securitas, superbia, fiducia & admiratio sui, impatientia & desperatio, pugnant propriè cum primo Præcepto, quia sunt uicia propriè opposita timori Dei, & fiduciæ auxilij diuini.

Sextus gradus est, neglectio Euangelij, quæ etiam est multiplex. Alij palàm deficiunt, ut Iudas, Iulianus. Alij non inuocant Deum fiducia filij Dei, imò alios mediatores excogitant, ut homines mortuos, aut fingunt nouos cultus, ut Missas, satisfactiones, Monachatus. *Neglectio Euangelij.*

Alij imaginantur perpetuò dubitandum esse. Et in multis singulare malum est, indulgere diffidentiæ, & manere in dubitatione, quia in seipsis nondum sentiũt insignes motus diuinos, Volunt igitur ut sensus antecedat fidem, sicut in physicis, homo credit aquam esse calidam, cùm immersit digitum, et experientia didicit esse calidum, Ita in natura sequitur adsensio experientiam.

Sed in amplectenda promissione diuina contrarium fit. Adsensio, id est, Fides antecedit consolationem, ut Dauid prius audit promissionem, Non mo- *Fides antecedit consolationem.*

 rieris,

rieris, & hanc intuetur & ei adsentitur, ut ueritatis gloriam Deo tribuat, Hac adsensione cùm erigitur, sequitur consolatio & sensus lætitiæ.

Sapientia est necessaria discere quomodo Deum intueri debeas in uerbo.

Est igitur sapientia necessaria omnibus hominibus, in quotidiana inuocatione discere, quomodo Deum intueri debeas in uerbo quod tradidit, & testimonijs patefactionis.

Non cogitandum est tunc demum te uelle credere, cùm uides Deum coràm oculis corporis, aut postquàm senseris in corde nouum lumen, Sed adsentiaris ipsius promissioni, & in hac uerè loqui eum tecum statuito, & simul cogita quem Deum alloquaris, & ubi se patefecerit, & discernere eum ab omnibus commentitijs numinibus, & cogita, quas promissiones, & cur ediderit, & ea quæ in præsentia accipienda sunt, exhiberi tibi credito, ut remissionem peccatorum, & reconciliationem. Quæ uerò expectanda sunt, mitigato dolore expecta, ut reductionem expectat Dauid, & repugnato diffidentiæ, & dubitationi.

Negligere Mediatorem, uel alios fingere, peccata sunt contra primũ præceptum.

Sunt igitur & hæc peccata pugnantia cum primo Præcepto, negligere Mediatorem, fingere alios mediatores, excogitare nouos cultus sine mandato diuino, quærere Deum extra uerbum ab ipso traditum, non accedere ad hunc Deum patefactum in hoc uerbo, non acquiescere in promissione, sed quærere alia signa, indulgere diffidentiæ & dubitationi.

Has pestes non intelligunt homines securi & ebrij uoluptatibus, ambitione, aut alijs cupiditatibus, sed in ueris doloribus aliquo modo cernuntur. Et homines timentes Deum considerent hæc mala humani cordis, & discant opponere promissiones & uocem Euangelij deducentem nos ad promissiones, sicut Moyses & Paulus dicunt, Propè est uerbum in ore, & in corde tuo.

REcitaui doctrinam de præcipuis operibus primi præcepti, & ostendi antithesin, in qua insignia & horribilia peccata conspici possunt, quæ cum hoc primo & summo mandato pugnant, quorum consideratio pias mentes de alijs uicinis malis commonefacere potest.

Cùm autem hoc mandatum sit primum & summum, assuefaciamus nos omnes, ut amplissimam sapientiam Dei, quæ in hoc mandato continetur, pia & assidua meditatione consideremus, ut in nobis crescant, fides, timor Dei, fiducia, dilectio, spes, amor humilitatis, tolerantia & constantia in fide & spe.

Primum mandatum includendum est deinceps omnibus.

ADdendæ sunt & hæ admonitiones, Primum mandatum summum est, & includendum deinceps in omnibus mandatis. Honora parentes, scilicet, ut Deo obedias, qui obedientiam nostram sibi debitam conspici uult in hoc opere. Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, id est, his mandatis Dei obtemperato propter Deum, ut ostendas te uerè timere & diligere Deum, & eum anteferre incendijs tuarum cupiditatum.

Ita ad primum mandatum tanquam ad principale omnia alia opera referenda sunt, Benè facit Pompeius Atticus, sed hac mouetur causa, iudicat uirtutem esse rem conuenientem naturæ hominis, & pulcram, quod uerum est, interea dubitat, an Deo placeat hæc obedientia, & an puniat delicta. Præluceare autem oportebat timorem Dei & fidem, imò & agnitionem filij Dei.

Primum mandatum summa lex est, gubernatrix aliarũ.

Altera admonitio est, Primum mandatum, est summa Lex gubernatrix aliarum legum. Cùm certum est Deum mandare aliquid contra cætera mandata, ut Abrahæ mandat filij mactationem, hìc primi mandati autoritas anteferenda est inferiori præcepto. Sequitur secundum Præceptum.

DE

DE SECVNDO PRÆCEPTO,

ORdo in præceptis etiam demonſtrationibus congruit. Prima Lex concionatur de agnitione Dei, & uoluntatis & cordis motibus, quibus accedere ad Deum & in eo acquieſcere debemus.

Secundũ præcipit externam oris confeſſionem.

In ſecundo mandato proceditur ad externam oris confeſſionem. Cùm enim Deus condiderit genus humanum, ut in eo celebretur, & ut alij alios de ipſo doceant, neceſſe eſt et uocem de Deo ſonare inter nos. Mox igitur dictum eſt de his operibus externis.

Semper autem meminerimus in negatiuis præceptis, etiam adfirmatiua contineri, Non abutaris nomine Dei. Quærendum eſt igitur, qui ſunt ueri uſus, & recitatis adfirmationibus, poſtea antitheſis recitanda eſt, & oſtendendi abuſus.

Verus uſus nominis diuini comprehenditur quatuor gradibus.

Comprehendemus igitur ueros uſus, & Deo placentes his quatuor generibus, Inuocando, gratias agendo, docendo & confitendo.

Prius dictum eſt de inuocatione, quæ fit cogitatione mentis & accenſa in uoluntate fiducia, confugiente ad Deum intus petente & expectante bona. Hic dicitur de uoce, quæ illos motus cordis exprimit, & cum corde conſentit, quia etiam expreſſam uocem poſtulat Deus, ut alij erudiantur & confirmentur, imò ut & Diaboli audita ueri Dei inuocatione expaueſcant & fugiant.

Pertinet igitur ad hoc præceptum tota doctrina de precatione, de qua tamen hic breuius dicam, ne fiat hæc enarratio nimis prolixa. Et neceſſe eſt in omni inuocatione in conſpectu eſſe conſolationem, quæ traditur in doctrina de iuſticia fidei.

Vt igitur properemus ad eius partis explicationem, quædam materiæ in aliam operis partem transferantur.

In omni petitione cogitãda ſunt quinq;.

Satis eſt breuiſſimè moneri iuniores, In omni petitione hæc quinq; cogitanda eſſe.

Primum, Quem Deum, & quomodo patefactum & diſtinctum à commentitijs numinibus uelis alloqui. I.

Secundum, de mandato, Cùm ſeueriſſimè Deus præceperit ſe inuocari, & à ſe bona peti, ſciamus hoc opus & hunc cultum maximè neceſſarium eſſe. II.

Tertium, de promiſſione. Quanta bonitas eſt Dei, quòd non ſolùm præcepit à ſe peti bona, ſed etiam promiſſiones edidit, de bonis æternis & præſentibus, in quibus adfirmat ſe uelle opitulari. Et quidem uult ſibi tribui laudem ueritatis. III.

Quartum, de fide petente fiducia filij Dei Mediatoris, æterna bona & præſentia. Et quidem in omni precatione neceſſe eſt prælucere hanc fidem, quæ ſtatuit te propter filium Dei recipi & exaudiri. Ideò dictum eſt ad Ebræ: 4. Hunc habentes Pontificem, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. IIII.

Nec tantùm in hoc initio conſolationis luceat fides, uidelicet, ut ſtatuat nos recipi, & audiri noſtros gemitus, ſed etiam accedat firma ſpes, expectans liberationes quanquàm differuntur.

Quintum, de rebus petendis, ſint enim in petitione expreſſæ aliquæ res neceſſariæ nobis, Eccleſiæ, Reipublicæ, & alijs pro quibus petimus. V.

Hæc membra indigent longiore explicatione, cui infrà tribuemus proprium locum.

Nunc

Externa inuocatio tanquam confessio est et testificatio.

Nunc hoc sciant bonæ mentes necessariam esse & externam inuocationem, ut sit tanquam confessio & testificatio, quæ ostendat, quomodo de Deo sentiamus. Et hoc opus externum in infantibus & rudibus pædagogia necessaria est, & ab omnibus fieri potest.

Sed uult Deus ut accedat & cordis inuocatio, id est, ut sint in corde uera Dei agnitio, timor Dei, fides & fiducia, intuens Mediatorem, & ardens adfectus petens necessaria.

Non igitur uerè fiunt opera huius secundi præcepti, sine operibus primi præcepti. Et placet obedientia in hoc præcepto, sicut antea dictum est de obedientia iuxta primum præceptum.

Et quia hic omnes mentionem faciunt iuramenti, breuiter monendi sunt rudiores, quid sit iurare, & quare ad hoc præceptum referatur.

Iurare est species inuocationis.

Iurare uerè est species inuocationis, in qua siue Deo, siue hominibus immediatè aliquid promittimus, tamen Deo promittimus ueritatem, & petimus ab eo, ut ipse apud homines sit confirmator nostræ promissionis, & nos seueriſſimè puniat, cùm fallimus.

Sequuntur igitur grauissimæ pœnæ, primùm, quia Deus summa contumelia adfectus est, cùm petiuerint periuri, ut sit confirmator mendacij. Deinde, quia ipsi se obligauerunt ad pœnam, si fefellerint.

Hæc admonitio sæpè cogitanda est, ut magna pietate seruemus ueritatem iuramentorum, & non simus in iurando leues & faciles.

ANTITHESIS.

DIxi de ueris usibus & de sententijs adfirmatiuis, quæ hic continentur. Nunc considerentur abusus pugnantes cum inuocatione, cum gratiarum actione, cum puritate doctrinæ, & cum confessione.

Peccata pugnantia cum secundo præcepto.

Ac potest longa antithesis institui, si quis repetat peccata pugnantia cum primo præcepto.

Sunt autem manifestè contumelia aduersus nomen Dei, sermones Cyclopici & Epicurei, omnes falsæ inuocationes, quales sunt Idolorum & hominum mortuorum, pacta Magorum, Incantationes & fascinationes, omnes corruptelæ ueræ doctrinæ & hæreses, omnia periuria, omnes blasphemiæ, omnes præstigię sophisticæ obruentes ueritatem, abiectio ueritatis in confessione, falsò prætexere nomen Dei uel Euangelij, ambitioni, auariciæ, odijs & alijs iniustis adfectibus, ut Monachi propter quæstum tuentur suam consuetudinem uendendi funebres Missas, & multas alias superstitiones. Papa titulo ministerij quæsiuit potentiam, mouit scelerata bella, adfirmat se posse transferre regna.

Pertinent huc & omnia scandala, quæ uel fidem languefaciunt in infirmis mentibus, uel exemplo inuitant alios ad imitanda delicta, uel alienant aliorum uoluntates ab Euangelio, uel dolorem adferunt pijs, & turbant eorum inuocationem.

Maxima pars hominum & hoc tempore prætextu Euangelicæ libertatis laxat disciplinæ frenos. Quia enim audiuerunt disciplinam non mereri remissionem peccatorum, uoluptates minus moderantur, & onerati crapula impediunt intentionem in cogitatione de Deo, & inuocatione, & languefaciunt motus Spiritus sancti.

Recitaui

Recitaui breuem antitheſin,cuius explicatio longum uolumen eſſet. Sed his generibus conſideratis,multa adfinia inde iudicari poſſunt.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

VVlt Deus rectè agnoſci, uult Eccleſiam ſibi colligere,cui ſuam bonitatem in omni æternitate communicet,& à qua uiciſſim celebretur. Ideò in primo Præcepto dixit de agnitione,& uoluntatis ac cordis motibus erga Deum. In ſecundo præcipit illius ueræ agnitionis profeſſionem.

Sed ut huius agnitionis & profeſſionis propagatio fiat per miniſterium certum, non tantùm generaliter de noticia & profeſſione dixit: Sed addit tertium Præceptum,quomodo propagari & conſeruari hanc noticiam & profeſſionem uelit, ſcilicet per miniſterium docendi doctrinam ab ipſo patefactam, quod certis hominibus commendatum eſt, & ad quod certas congregationes inſtituit, quas ipſe tueri uult etiamſi potentia Diabolorum & Tyrannorum eos cœtus uariè diſſipare conatur.

Tertium præceptum eſt uelut cuſtos duorum priorum.

Iam igitur in tertio Præcepto uelut cuſtodes priorum mandatorum conſtituit,quia certiſſimum eſt, hac lege de Sabbato comprehendi totum miniſterium. Inſtituit igitur hic doctores cœleſtis doctrinæ,& eis commendat doctrinam,& addit ceremonias,quæ ſunt ſigna doctrinæ, & præcipit, ut hos doctores hanc doctrinam à Deo acceptam ſonantes,populus reuerenter audiat, & ceremonias diſcat eſſe teſtimonia & commonefactiones de uoluntate Dei, & in earum uſu ueram inuocationem exerceat.

Mandatum de Sabbato neruus eſt miniſterij.

Hæc eſt ſententia mandati de Sabbato. Nam Sabbatum, cùm ſit dies conſtituta ad hæc officia,ut publicè proponatur uox doctrinæ, & publicis ceremonijs commonefiant homines, & populus conueniat ad diſcendum, & ad communem inuocationem,præcipua ceremonia eſt, & neruus totius Miniſterij. Ideò comprehendi hoc mandato de Sabbato totum miniſterium Eccleſiæ ſciamus.

Opera tertij præcepti.

SVnt igitur opera huius tertij Præcepti propria,conſeruare in Eccleſia miniſterium uocis diuinæ,ut quiſq; ſuo loco debet. Doctores à Deo & deinceps ab Eccleſia uocati rectè doceant, conſeruata puritate doctrinæ, iuxta primum & ſecundum præceptum: Populus reuerenter conueniat & audiat uocem doctrinæ,& piè ceremonijs utatur,obtemperet rectè docentibus,honore adficiat & defendat pios Doctores,adiuuet ſtudia neceſſaria Eccleſiæ. Deniq; omnes homines,gubernatores & populus curent,ne intereat hoc miniſterium. Hæc eſt non allegorica interpretatio præcepti. Sed prima, natiua, & principalis ſententia literæ.

Peccata pugnantia cũ tertio præcepto.

Econtrà,peccata pugnantia cum hoc tertio præcepto, ſunt omnia delicta omnium, quibus impeditur miniſterium Euangelicum, peccant Epiſcopi, Reges, Principes & priuati homines, qui non curant ſuo loco conſeruare & tueri Euangelij miniſterium,nec iuuant ſtudia literarum & artium neceſſaria Eccleſiæ. Atrocius etiam peccant Tyranni, qui delere fontes puræ doctrinæ conantur, & qui pios doctores interficiunt.

Quomodo præceptum de Sabbato ſit abrogatum.

Hic etiam iuniores admonendi ſunt de Sabbati Leuitici abrogatione, cùm quæritur, An tertium Præceptum ad nos pertineat, cùm ſabbatum Leuiticum nunc abolitum ſit.

De hac quæſtione rectè dicitur ſpeciem abrogatam eſſe, & fuiſſe ceremoniam

moniam propriam politiæ Mosaicæ, ut septimo die tales ritus seruarẽtur. Et tamen uult Deus semper manere ministerium docendi, & sacramenta pro tempore instituta administrandi. Et Ecclesiæ omnibus temporibus dat ministros, & semper uult publicos congressus esse, ut in genere humano uox de Filio, Domino nostro Iesu Christo exaudiatur, & nota sit. Sic igitur genus non est abrogatum, de quo principaliter hæc tertia Lex Decalogi loquitur, uidelicet, præceptum seueriſſimum de conseruatione ministerij quocunq; tempore.

Testimonia de ministerio Euangelij.

Pertinent igitur huc dicta, quæ perspicuẽ ostendunt & institutum esse ministerium publicum docendi Euangelij, & mandatam esse curam, ut omnes conseruationem adiuuemus, imò & promissiones additas, quæ adfirmant conseruationem eius, & crebras instaurationes, singularia Dei opera & beneficia esse.

Iohan:20. Sicut misit me Pater, & ego mitto uos.

Luc:10. Qui uos audit, me audit, Qui uos spernit, me spernit. Et ad Ephe: 4. Dedit alios quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores &c. Ne simus stulti fluctuantes, nec circumagamur quolibet uento doctrinæ per præstigias hominum &c.

In hoc dicto & prẽceptum est, ut ministerium conseruemus, et promissio, quę adfirmat diuinitus mitti, & excitari Doctores salutares, quorum uoce subinde lux doctrinæ restituatur, ne uera Dei notitia in genere humano extinguatur.

Non addam hic longiorem enrrationem huius Præcepti, tantũm oro lectorem, ut cogitet, quãm magna, et quãm necessaria opera uniuersę Ecclesię hic præcipiantur, si de conseruatione ministerij hoc præceptum simpliciter intelligatur, & hanc fideliter adiuuare uolet, sicut sine ulla dubitatione seueriſſimẽ Deus præcipit.

Querela de gubernatorib. negligentiuus ordinationem ministrorum Euangelij.

Hic conqueri etiam peculiariter iustissimum est, de gubernatoribus, qui negligunt ordinationem, nec curant eligi ministros idoneos, nec postea iuuant examina, & inspectionem. Hæc magna negligentia etiam in nostris Ecclesijs usitata est, quam cũm deploramus, simul etiam oremus filium Dei, custodem Ecclesiæ suæ, ut extrudat operarios idoneos in messem suã, & flectat gubernatorum & omnium hominum mentes ad curam conseruandi ministerij.

DE SECVNDA TABVLA.

Testimonium Christi de secunda Tabula.

NOn solũm in docendo, sed etiam in omni uita in omnibus actionibus erga proximum, in conspectu sit honorificentiſſimum testimonium filij Dei de secunda Tabula, cũm inquit Matth:22. Secundum mandatum, quod simile est isti, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quis hominum aut Angelorum ausus fuisset hoc modo loqui, Mandata secundæ Tabulæ similia esse primæ. Certè obligatio maior est erga Deum, quãm erga homines.

Etsi autem haud dubiè magna sapientia his uerbis inuoluta est, quam explicare nos infirmi non possumus, tamen hæc ratio æqualitatis nõ est absurda.

Mandatis secundæ tabulæ oportet includi primum mandatum.

In omnibus mandatis secundæ Tabulæ semper oportet includi primum mandatum, ut politicam obedientiam præstemus, non tantũm pacis aut utilitatis causa, ut gubernatores politici cogitant, sed præcipuẽ hac mente, & hunc finem intuentes, ut Deo debitum honorem tribuamus, & ei in his officijs, quæ etiam iudicat esse cultus, seruiamus.

Cũm igitur

Cùm igitur primum mandatum includi ſequentibus oporteat, æqualitatis ratio utcunq; intelligi poteſt.

Secundò, taxat Dominus errores Phariſæorum, & omnium hominum, qui ſunt ſine luce Euangelij Ceremonias quæ ſunt ſigna tantùm, & ſunt res mutabiles, maximi faciunt Phariſæi, & exiſtimant principales Dei cultus eſſe, & longè anteferunt rectitudini cordium erga proximos. *Phariſæi anteferebant ceremonias cultib. diuinis.*

Hanc falſiſſimam perſuaſionem damnat hac ipſa amplificatione ſecundę Tabulæ, & monet ueros cultus eſſe non ſigna, & opera mutabilia, ſed unam & æternam iuſticiam, congruentem cum æterna norma diuinæ mentis & uoluntatis, Sicut in mente diuina, hæ propoſitiones æternæ & immutabiles ſunt, Agnoſci oportet Deum eſſe eſſentiam ſpiritualem, ſapientem, ueracem, bonam, iuſtam, æqualem, caſtam, beneficam, ſic hæ propoſitiones ſunt æternæ: Deus uult in creaturis rationalibus caſtitatem, Deus deteſtatur iniuſtas cędes, uagas libidines. Eſt ergo una & eadem Dei ſapientia & iuſticia, quæ cultus primæ & ſecundæ tabulæ copulat, & in nobis uult coniungi.

Hæc utcunq; monere uolui, & exiſtimo cogitationem de re tanta piſs utilem eſſe. Ideò autem hæc excellens ſapientia nobis in hac caligine obſcurior eſt, quia legem non ſatis intelligimus, & tantùm habemus qualemcunq; imaginationem philoſophicam ſeu politicam, & non cogitamus, unam & eandem Dei ſapientiam & iuſticiam eſſe utramq; tabulam.

Etſi autem ad enarrationem propero, tamen hoc præfari etiam neceſſe eſt, Requirit & hæc ſecunda tabula non ſolùm externa opera, ſed etiam interiorem rectitudinem cordis. Ita congruere debebant humana corda cum lege Dei, hoc eſt, cum ſapientia & iuſticia Dei, ne haberent inclinationes, affectus, aut actiones contra hunc ordinem, in quo condita eſt, & qui in lege expreſſus eſt. *Secunda tabula ut prima requirit externa opera, & interiorẽ rectitudinem cordis.*

Etſi autem horribilis eſt contumacia & confuſio huius ordinis in natura hominum, ut experientia oſtendit, tamen in renatis placet incoata obedientia, ut ſuprà diximus, & infrà rurſus dicturi ſumus, cùm accedit incoatio prioris tabulæ, & prælucet agnitio filij Dei, qua credit unuſquiſq; perſonam reconciliatam eſſe, & placere Deo propter Mediatorem fide, & deinde refert hæc politica opera ad hunc finem, ut Deo præſtet obedientiam in his actionibus, et ut in hac obedientia exerceantur fides, inuocatio, ſpes, & aliæ uirtutes, & luceat uniuerſa confeſſio, ſicut ſcriptum eſt, Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut glorificetur Pater ueſter cœleſtis, ut etiam alij inuitentur ad ueram agnitionem & inuocationem Dei.

Et cùm hæc tabula præcipiat de uita politica, & hæc ipſa uox, Diligas proximum ſicut teipſum, ſit norma conſociationis hominum, & Deus in ipſa generatione, educatione, & defenſione uitæ oſtendat, non poſſe homines ſine congregatione uiuere, manifeſtiſſimum eſt uerè uoluntatem Dei eſſe, ut in politica uita uiuamus, nec abditi in latebras fugiamus cæteros homines. *Secunda tabula munit uitã politicam.*

Non uult Deus Samuelem aut Danielem latere in ſolitudine aut ſpecu aliquo, & tantùm arcanis ceremonijs uacare, ſed uult eos in mediis fluctibus & procellis gubernationis uerſari, & inter homines circumferre doctrinam diuinitus traditam. Vult eos in his periculis exercere fidem, inuocationem, & ſpem, uult eos docere alios, uult conſpici teſtimonia doctrinæ, quæ Deus per ipſos exhibet.

SECVNDVS ARTICVLVS

DE QVARTO PRÆCEPTO,

Honora Patrem & Matrem.

Initium secũdæ tabulæ à personis gubernantibus.

INitium societatis sapientissimè sumitur à personis gubernantibus, Et in natura primi gubernatores sunt parentes, deinde cæteri quibus Deus officia parentum commendauit.

Comprehendi igitur in hoc mandato & dicta de magistratibus sciamus, quæ Rom. 13. proposita sunt,& sæpè alibi. Et cùm in hac parua tabella Decalogi, magna sit breuitas, nominatur hic summus obedientiæ gradus, scilicet honos,qui ueram cordis reuerentiam & subiectionem significat,Et naturæ ordo optimus esset, si hunc honorẽ corda rectè tribuere gubernatoribus possent.

Honos tria complectitur.

Complectitur enim honos tria præcipuè.

Primùm, causam & formam institutionis, uidelicet, quòd Deus instituerit, & instituerit, ut congruat gubernatio ad suam sapientiam & iusticiam.

Secundò,obedientiam externam.

Tertiò,ἐπιείκειαν,qua in tanta infirmitate humana quædam errata imperijs condonemus.

Præcipuus honos quis sit.

Præcipuus honos est,agnoscere Deum esse autorem huius consociationis in genere humano,& ordinis, quo uult regi homines ad agnoscendum Deum, & ad agnoscendam sapientiam & iusticiam eius, & iudicium eius metuere,ac ei obtemperare. Nec tantùm sic est autor,ut approbet legitima imperia, quia cum ratione congruant, sed etiam hoc modo, quia sicut stellarum motus & suo consilio ordinauit, & sua potentia conseruat, ita & ordo politicus Dei opus est, & quantum ordinis in hac confusione humanæ naturæ manet, à Deo uerè & efficaciter conseruatur.

Nam diabolus honestam societatem in uniuersum dissiparet,nisi furores eius Deus reprimeret, & partem generis humani protegeret. Huc pertinent dicta Rom. 13. Potestates quę sunt,à Deo ordinatæ sunt. Et Daniel. 2. Deus transfert regna & cõstituit.Et ut sit conseruator huius ordinis,manifestè ostendit suam præsentiam in pœnis contumaciũ,quia cùm homicidę & seditiosi elabuntur ex manibus magistratuum,tamen diuinitus retrahuntur ad pœnas.

Discrimen est inter politicũ ordinem & personas.

HIC autem sunt monendi iuniores discrimen esse inter ordinem politicum & personas,Leges,contractus,iudicia,pœnæ,in imperio Romano tempore Neronis sunt res à Deo ordinata & iusta, Et Paulus hunc ordinem uenerator,& Deo pro tali consociatione generis humani gratias agit. Sed tamen Nero est sceleratus et teterrimum monstrum,& Paulus toto corpore cohorrescit, cogitans talem pestem tenere hunc summum gradum inter homines, qui debebat esse custos diuinorum beneficiorum, legis Dei, iusticiæ & pacis.

Hac distinctione inter rem & personas obseruata, multa argumenta explicari possunt, de quibus Philosophi disputarunt, & omnes sapientes ignari Euangelij omni tempore disputant, cùm quærunt, An imperia sint à Deo,aut tantùm humanis consilijs, aut casu constituantur, & mutentur.

Certum est ordinem politicum opus Dei esse,etiamsi Caligula,Nero & similes iniustè rapiunt,& iniustè administrat imperia,

Dixi primum gradum honoris esse,agnoscere Deum esse autorem huius ordinis,& in hac ipsa obedientia præcipuè Deo obtemperare.

Secundus gradus honoris.

Necessariò deinde hic gradus sequi debet,ut ipsos parentes & legitimos magistratus,

magiſtratus,leges,& iudices diligamus propter Deum,& eis nos ſubijciamus, & in externis officijs ſine contumacia obtemperemus, Sicut Paulus inquit, Neceſſe eſt obedire,non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Quod dictum haud dubiè ſingulari conſilio uniuerſæ Eccleſiæ traditum eſt, ut falſa imaginatio hominibus eximatur, quæ non diſcernit inter Imperia & Latrocinia. Sicut Pirata ad Alexandrum dixit. Cur magis tibi licet prædari in terra,quàm mihi in mari?

Imperia ſunt ordinatio Dei & his obediendum eſt, propter Deum, & Deus punit contumaces. *Imperia ſunt ordinatio Dei*

Latrocinia autem ſunt deſtructio ordinis Dei, & capti ā latronibus metu pœnæ,id eſt, iniuſtæ ſæuitiæ obediunt, ne uitam amittant. Nec neceſſe eſt eos propter Deum obedire, nec peccant ſi elabi poſſunt. *Latrocinia ſunt deſtructio ordinis.*

Philoſophi autem & multi alij ſimilem imaginationem de imperijs habent,non neceſſe eſſe propter Deum obedire. Hunc errorem Paulus eximit uniuerſo generi humano hac grauiſſima ſententia, neceſſe eſt obedire propter conſcientiam.

Scriptores etiam aliqui non diſcernentes politicam poteſtatem & miniſtros Euangelij, de edictis politicæ poteſtatis,hoc argumentum agitauerunt.

Nemo poteſt mandare ſub pœna quam non poteſt exequi.
Homo non poteſt æternas pœnas exequi.
Non igitur obligant edicta magiſtratuum propter pœnas æternas.

Refutatio negantium mandata magiſtratuum obligare ſub pœna æterna.

Sed uera, perſpicua, & firmiſſima reſponſio eſt, quæ quidem & deducit nos ad primum autorem gubernationis, Primùm igitur ad Maiorem reſpondendum eſt, Nemo ſola humana autoritate poteſt mandare ſub pœna æterna, ſicut in miniſterio Euangelico nemo poteſt humana autoritate remittere peccata, Sed Deus quanquàm ſine humana uoce poſſet homines gubernare,& ſanctificare quos uellet, tamen ſua ſapientia & bonitate inſtituit in genere humano miniſteria, ſcilicet miniſtros Euangelij,& politicos Magiſtratus.

Nec exiſtimemus hos gradus, tantùm humano conſilio inſtitutos eſſe, ſed Dei opera ſunt.

Vox miniſtri Euangelici ueriſſimè eſt organum, quo Deus eſt efficax ac Spiritu ſancto mouet & trahit corda. *Vox miniſtri organum Dei.*

Eſt & Iudex politicus organum, per quem Deus uincula ciuilis ſocietatis conſeruat. *Iudex Politicus organum Dei.*

Hanc reſponſionem iuniores meminerint. Eſt enim uera & erudita, & utilis paci, & refutat hallucinationes multorum, qui de legibus politicis aliter ſcripſerunt.

Cæterùm quod ſit diſcrimen inter miniſtrum Euangelij,& politicos magiſtratus, & inter ritus inſtitutos ab Epiſcopis, & leges politici magiſtratus, infrà dicemus. Gerſon etſi anxiè quærit, quæ leges, cur & quantum obligent homines, tamen ex his labyrinthis non liberat pias mentes, Sed infrà in articulo de Eccleſia, de hac quæſtione dicturi ſumus. *Intereſt inter miniſtrũ Euangelij & iudicem politicum.*

Tertium autem gradum honoris eſſe diximus ἐπιείκειαν in toleranda infirmitate magiſtratuum,de qua re propoſitum eſt illuſtre exemplum. Cùm patri Noæ nudato filius Cham illuderet, alij filij patrem tegunt. Ac propter hoc magnum ſcelus maledicitur Cham, cæteris uerò filijs, qui reuerenter texerant Patrem benedicitur. *Tertius gradus honoris.*

Id exemplum sit in conspectu modestis, ut discant patienter ferre quasdam & gubernatorum infirmitates, & multa ipsius gubernationis impedimenta, quæ non tàm negligentia gubernatorum, quàm temporum difficultatibus accidunt.

Bonus & salutaris princeps fuit Ezechias, sed tamen cùm eius tempora minus tranquilla essent, quàm Salomonis tempus, durior fuit sub ipso seruitus, quàm sub Salomone.

Hæc consideranda sunt, ut communes ærumnas sapienter ferre discamus. Et huc regula à Petro tradita pertinet, Obedite Dominis, non solùm bonis & æquis, sed etiam morosis & durioribus.

Hæc breuiter attigi, ut ueri honores debiti imperijs, rectius intelligãtur.

RESTant autem quæstiones grauissimæ. An omnes iniurię tolerandæ sint, et quando necessaria aut concessa sit defensio, Et quid sit propriè Tyrannus.

De his quæstionibus addere breues commonefactiones utile est.

Quia enim in hac humana infirmitate, multa sunt errata & uicia etiam in mediocri gubernatione, Anabaptistæ uniuersaliter non solùm personas magistratuum, sed etiam ipsum ordinem damnant, & uociferantur omnia imperia esse tyrannides, & iniustam uiolentiam.

Deinde utile est etiam scire ipsos dominos, aliquando iustè furores eorum reprimi posse.

Bonus seu mediocris magistratus quis sit

EST igitur bonus seu mediocris magistratus, qui habet studium seu προαίρεσιν rectè faciendi officium, & plerunq; rectè facit, etiamsi interdum cessat, aut communi infirmitate superatus peccat. Tales sunt Dauid, Salomon, Iosaphat, Ezechias, & multi alij, qui quanquàm habent aliquos lapsus, tamen προαίρεσις bona fuit, & plerunq; rectè fecerunt.

Tyrãnus quis sit.

Econtrã Tyrannus est, qui habet studium seu προαίρεσιν sceleratè agendi, & plerunq; sceleratè agit, etiamsi interdum aliqua rectè facit, Tales sunt Nero, Caligula, & multi alij.

Suntq; harum definitionum fontes considerandi, ut in hac imbecillitate humana, in cæteris gradibus officiorum similes descriptiones fiant, & conscientiæ erudiantur, quomodo Deo placeant nostri labores, cùm nulla tanta uigilantia aut uirtus sit, quæ sit par gubernationi politicæ uel Ecclesiasticæ.

Definitiones boni principis & Tyranni sumtæ ex Paulo.

Sumtæ sunt autem definitiones ex his dictis Pauli. In priore ad Corinthios cap. 4. inquit, Hoc requiritur, fideles ut simus. Complectitur autem fidelitas mediocrem scientiam eius rei, quam profiteris, & deinde in administratione sedulitatem. Non est fidelis medicus, qui cùm non didicerit artem, tamen exercere audet, sed perfidiosè facit, quòd promittit ea, quæ scit se non didicisse. Nec fidelis est, si didicit, & tamen uolens negligit ægrotos. Excludit igitur fidelitas utrunq; malum, affectatam ignorantiam, & affectatam negligentiam.

Postquàm autem ex isto Pauli dicto didicimus, quales in omnibus officiorum gradibus esse nos oporteat, discamus & ex altero dicto agnoscere imbecillitatem, quæ simul est in omnibus quanquàm bonis gubernatoribus. Sic enim inquit 2. Corin. 3. Non quòd sufficientes simus ex nobis cogitare aliquid, tanquàm ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et in Ecclesiast. cap. 7. Non est iustus in terra, qui quanquàm facit bona, non etiam peccet. Magnæ sunt igitur infirmitates & multa errata omnium gubernatorum etiam optimorum & uigilantissimorum.

Sed

Sed tamen fideles in officio de quibus dictum est, cũm etiam sunt uera membra Ecclesiæ, placent Deo, qui eorum administrationem adiuuat, & infirmitatem remittit, tegit & sanat.

Hanc consolationem necesse est scire omnes pios gubernatores, suo quẽque loco. Et sciat populus communes illas infirmitates in magistratibus bonis seu mediocribus tolerandas esse, de quibus dixit Petrus, Obedite dominis, non solùm bonis & æquis, sed etiam morosis & durioribus.

Magistratui præcipienti contra mandatũ Dei non est obediendum.

SED tamen regula uniuersalis, firma, & immota tenenda est. Cũm præcipiunt Magistratus, ut faciamus contra mandata Dei, nequaquàm eis obediendum est, Sed uox Apostolorum sequenda. Oportet Deo magis obedire quã hominibus, Sic in Babylone rectẽ fecerunt tres uiri, qui statuam adorare noluerunt. Rectẽ fecerunt & Apostoli, qui recusant obtemperare principibus populi Iudaici prohibentibus Euangelij prædicationem.

Ac prudenter discernenda est seruitus corporum ã mandatis, quæ iubent facere contra legem Dei. Seruitus corporum quanquàm dura est, ut facultatum expilatio, aut immodici labores corporum, tamen toleranda est, & in eo casu obedientia præstanda est. Sed cùm præcipiunt magistratus, ut subditi faciant contra mandata Dei, ut cũm iubent coli & inuocari commentitia numina, nequaquàm obtemperandum est.

Ministri Euãgelij non sunt armati gladio

HIC autem quæritur, an etiam armis reprimendi sint Tyranni, præcipientes, ut faciamus contra mandata Dei. In hac quæstione discernendi sunt Ministri Euangelij ã politicis gubernatoribus. Certũ est Euangelij ministros non esse armatos gladio, nec debere noua imperia ui corporali constituere.

Huc pertinet dictum, Sicut misit me Pater meus, ita & ego uos mitto. Constat autem filium Dei non missum esse, ut ui corporali imperia mundi cõstitueret, Sicut inquit, Regnum meum non est de hoc mundo. Itaq; cũm ministri Euangelij, & alij priuati homines in confessione non defenduntur ã legitimis magistratibus, nequaquàm moueant seditiones, sed iniurias & supplicia patienter ferant.

Ministri Euãgelij in persecutionib. pati debent, non mouere seditiones.

De hac patientia consolationes plurimæ sunt, ut sciamus eam Deo placere, sicut scriptum est Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter Iusticiam. Item, Precioſa mors sanctorum eius.

Potestas politica debet Ecclesias legitimo modo defendere cõtra notorias iniurias.

At potestas politica legitimo modo Ecclesias tueri aduersus iniurias atroces & notorias, ut uocant, cùm potest, debet, iuxta illud Prouerb. 24. Eripe eos, qui ducuntur ad mortem, Si dices, Vires non suppetunt, Qui inspector est cordis, ipse intelligit.

Non constituit Euangelium nouas politias, quare nec infinitam seruitutem præcipit. Sed sinit magistratus uti sui imperij legibus, quæ concedunt certo modo defensionem aduersus iniurias atroces & notorias.

Hanc breuem admonitionem inserui, quam piẽ & dextrẽ intelligi uolo.

DE OFFICIO MAGISTRATVS.

POstquàm autem de subditorum officijs tam multa dicta sunt, uicissim de gubernatoribus dicendum est, quæ beneficia debeant subditis. Id ex definitione Magistratus intelligi potest, quæ extat apud Aristotelem & reipsa congruit cum uerbis Moisi Deut. 17. & cum uerbis Pauli Rom. 13.

Magistratus est custos legis

Magistratus est custos legis, quod intelligas de tota lege in externa disci-

plina,de prima & ſecunda tabula, Nec cogitandum eſt,Magiſtratum ſimilem eſſe armentarij, & tantùm corpora ſubditorum tueri, ſed prior cura ſit, ut populus rectè doceatur de Deo,& tollantur Idola, blaſphemiæ,& impia dogmata,ſicut ſcriptum eſt. Et nunc Reges intelligite,Oſculamini filium. Item,Aperite portas principes ueſtras.

Deinde & reliqua præcepta Decalogi ſint normæ gubernationis. Prohibeat Magiſtratus cędes,uagas libidines, furta,& alias iniurias,iuſtè regat iudicia,ſeuerè puniat ſontes, Deniq; ut Paulus eruditiſſimè dixit, ornet honore bona opera,& puniat inhoneſta opera, id eſt,pugnantia cum lege Dei.

Etſi autem hæc deſcriptio breuis eſt, tamen cogitent prudentes, quanta moles maximorum operum gubernatoribus imponatur, cùm Deus uult eos totius Decalogi,in externa diſciplina cuſtodes eſſe.

DE QVINTO PRÆCEPTO.

TOties iam dictum eſt, Legem promulgatam eſſe,non ſolùm diſciplinę cauſa, ſed ut accuſet peccatum,& oſtendat,qualis ordo in natura hominum eſſe deberet, Quare & optimo ordine præcepta recitantur.

Prior Tabula concionatur de operibus, quibus immediatè cum Deo agimus.

Quintũ præceptum tuetur uitam hominũ,quartum ſocietatẽ.

Secunda Tabula, exorſa eſt à parentibus, uidelicet, à ſtirpe ſocietatis, & ab ipſo gubernatore inter homines. Conſtituta iam ſocietate, ſit cura tuendæ uitæ hominum. Ideò ſtatim additur,Non occides.

Quomodo Chriſtus enarret quintum præceptum.

Vt autem in alijs præceptis dictum eſt, legem Dei concionari non tantùm de externis operibus,ſed de omnium uirium ordine in homine, ita & hoc præceptum enarrat Dominus Matth.5. Non occides,id eſt, talis ſit ordo omnium uirium,Nec manus nec mens,nec uoluntas,nec cor occidat hominem,ſed omnes uires intueantur Deum, & propter eum ament & foueant communem conſociationem, non uelint cuiquam nocere.

Negatiuis innexæ ſunt & affirmationes

Sit autem in conſpectu regula,quæ etiam cætera præcepta illuſtrat. Negatiuæ orationi,innexæ ſunt & affirmationes,ut cùm ſuprà dicitur, Non habebis Deos alienos,expreſſè addita eſt & affirmatiua,Ego ſum Dominus Deus tuus,qui eduxi te de terra Aegypti. Prius monſtrat,quis ſit uerus Deus,& teſtimonium addit, quo agnoſcendus eſt, & diſcernendus ab omnibus commentitijs numinibus. Poſtea addidit excluſiuam ſententiam: Non habebis Deos alienos.

Sic in ſecundo præcepto,cùm abuſus nominis diuini prohibentur,neceſſe eſt intelligi iuſtos uſus ſeueriſſimè præcipi. Ita in hoc præcepto & ſequentibus, negatiuæ orationes complectuntur affirmatiuas. Non occides, Ergo ſuo quiſq; loco ſit cuſtos humanæ ſocietatis, Et pertinent ad hoc præceptum uirtutes, Iuſticia particularis, beneficentia, æquitas, manſuetudo, clementia ſeu miſericordia.

Virtutes quinti præcepti.

HIC autem neceſſe eſt moneri diſcentes de Magiſtratuum officio, quibus præcipit Deus, ut ſontes occidant.

Vtraq; Lex diuina eſt, Non occidas, ſcilicet,priuato affectu,& extra ordinem à Deo inſtitutum ſeu approbatum, Sed magiſtratus iuxta leges tollat ſontes, Id mandatum ualet,quia exceptio eſt diuinitus addita Decalogo, uidelicet

licet ita, ut iuxta leges tollantur fontes, qua in re magiſtratus non occidit priuato affectu, aut priuato arbitrio, ſed obtemperat mandato diuino, & miniſter, ac ueluti manus eſt Dei, hoc modo declarãtis iram ſuam aduerſus ſcelera, & cuſtodientis communem ſocietatem. Seueriſſimè enim præceptum eſt Deuteronomij undeuigeſimo capite, Non parcet oculus tuus, ſed ſumas animam pro anima, &c.

AC ſciendum eſt, quatuor grauiſſimas cauſas eſſe publicarum pœnarum. *Quatuor ſunt cauſæ publicarũ pœnarum.*

Prima eſt, iuſticia Dei, quia Deus uult in genere humano & ex his exemplis intelligi, eſſe Deum, diſcernentem iuſta & iniuſta, & uerè iraſcentem iniuſticiæ. I. *Iuſticia Dei.*

Secunda eſt, Neceſſitas communis. Cùm reuera Deus ſit cuſtos humanæ ſocietatis, Deus hoc modo tollit eos, qui legitimam ſocietatem turbant, imõ & intelligi uult, ſe cuſtodem eſſe politici ordinis, quia regula eſt uniuerſalis, Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Ac retrahit Deus fontes ad pœnas, etiam cùm ex magiſtratuum manibus effugerunt. II. *Neceſsitas communis.*

Tertia eſt exemplum, ut cùm uidet multitudo pœnas fontium, plurimi coërceantur metu ſimilium pœnarum, ſicut dicitur, Lex eſt iniuſtis poſita, ſcilicet ut lege & metu repreſſi, imperent externis membris, ne delinquant. III. *Exemplum.*

Quarta cauſa eſt, Commonefactio de futuro iudicio. Nam ex his paucorum pœnis uult nos Deus ratiocinari, cùm uerè iraſcatur peccatis, reſtare aliud iudicium, in quo horribiliter Deus puniet omnium ſcelera, qui non ſunt ad eum conuerſi, nec quæſiuerunt remiſſionem per Mediatorem, ſicut præcipit. IIII. *Commonefactio de futuro iudicio.*

Ex hac doctrina de officio Magiſtratuum, iam facilè eſt interpretari ſententias, quæ prohibent uindictam, ut apud Paulum, Non uindicantes uosmet ipſi. Item, Si quis percuſſerit te in dextram, obuerte ei & ſiniſtram. Hæc dicta omnia neceſſe eſt ſic intelligi, ne tollatur officium Magiſtratus. Quia manifeſtum eſt, id expreſſè à Deo mandatum & ſancitum eſſe. *Dicta prohibentia uindictam quo modo intelligenda.*

Teſtimonia nota ſunt ex capite decimotertio Epiſtolæ Pauli ad Romanos, Poteſtates quæ ſunt, ordinatæ ſunt à Deo: & nequaquàm dubium eſt, politicum ordinem ingens beneficium Dei eſſe, ut alibi copioſius dicetur. Vera eſt igitur & firmiſſima interpretatio, dicta illa, quæ prohibent uindictam, tantùm prohibere uindictam priuatam, hoc eſt, non ordinatam à Deo iuxta leges politicas.

Ac dictum in Deut. Mihi uindictam, & ego retribuam, ueriſſimè comprehendit officium Magiſtratus. Nam & pœna legitima, qua magiſtratus fontes afficit, eſt opus à Deo ordinatum & approbatum. Deus immediatè aut per Angelos, punit Pharaonem, & Sennacherib. Mediatè uerò per Dauidis ducem, punit Abſolonem, per Auguſtum punit Antonium.

Hæc perſpicua ſunt. Itaq; in dicto, Mihi uindictam, neceſſe eſt comprehendi totum officium Magiſtratus, de quo infrà rurſus dicendum erit.

Nunc inſerui hanc breuem commonefactionem, ut iuniores præmuniti ſint contra furores Anabaptiſtarum, qui iudicia & pœnas, & multas partes ordinis politici damnant, nec intelligunt diſcrimen iuſticiæ ſpiritus, & uitæ politicæ. *Furores Anabaptiſtarum contra quintũ præceptũ.*

Sciant autem omnes homines, gubernatores & ſubditi, ordinem politicum, cùm ſapientia & iuſticia Dei ordinatus ſit, & approbatus, rem bonam eſſe, quam

se,quam omnes propter Deum uenerari debemus,&qua uti omnes bona conscientia, in uita politica possumus.

Ac uult Deus in talibus officijs multas uirtutes exerceri & lucere,fidem, inuocationem in periculis, gratiarum actionem propter auxilium, celebrationem sapientiæ & iusticiæ Dei propter ipsius ordinis institutionem & conseruationem,præterea patientiam & dilectionem erga ciues. Ostendit enim magnitudo & uarietas negociorum & periculorum uitæ,in hac ciuili consuetudine offerri occasiones omnium uirtutum exercendarum.

DE SEXTO PRÆCEPTO,

Non mœchaberis.

VT suprà dictum est, in negatiuis orationibus, comprehendi & quasdam affirmatiuas, ita hic cùm prohibitæ sint uagæ libidines, quærendæ sunt affirmatiuę sententiæ.

Sextum Præceptum munit coniugia.

Cùm fœderis coniugalis uiolatio prohibeatur,simul intelligas approbari & muniri fœdus coniugij,quod quidem & antea in prȩcepto quarto approbatum est, Honora patrem & matrem. Et adiungantur alia expressa testimonia,Genes.2. Erunt duo in carnem unam. Et Mat.19. Quos Deus coniunxit, homo non separet.

SIt igitur prima doctrina huius præcepti affirmatiua,Cùm Deus uoluerit genus humanũ per propagationem cõseruari, certo modo opus generationis ordinauit,ac unum marem & unam fœminã perpetuo & indissolubili uinculo uult cõiunctos esse, et extra hãc consuetudinẽ,prohibet omnes cõmixtiones.

Quomodo institutum sit coniugium.

Et hoc decretum singulari consilio statim in Paradiso promulgatum est. Nam cùm dicitur, Erunt duo in carnem unam,simul sancitur Lex coniugij. Instituitur ,n, duorum coniunctio, Et prohibentur omnes uagæ libidines. Tantùm enim unius maris,& unius fœminæ coniunctio approbatur. Et indissolubilis coniunctio instituitur in dicto, In carnem unam,id est,indissolubiliter copulatam. Hæc est simplex & natiua horum uerborum sententia.

Simul autem hic considerandum est, quare Deus certo modo generationis opus ordinauerit & castitatem sanxerit.

Castitas quid sit.

Est autem Castitas, aut prorsus sine commixtione uiuere, si natura potest incontaminatẽ uiuere, ut angelica,aut puerilis natura, aut aliqui donum habẽtes, aut seruare fœdus legitimi coniugij, & non uagari extra coniugium.

Ideõ autem Deus sanxit castitatem, quia ut cæteras omnes uirtutes ordinauit, ut essent testimonia de ipso, & discernerent eum à malis naturis, ita & castitatem ordinauit,quæ est insignis & conspicua uirtus,ut cogitantes eum in omni doctrina & inuocatione,etiam cogitatione castitatis discernamus eum ã diabolis,& alijs immundis naturis.

Vult enim Deus agnosci & discerni ab alijs omnibus naturis per certas proprietates,quia non possumus eum brachijs complecti. Et hæ proprietates in omni inuocatione cogitandæ sunt, ut uerum Deum ab omnibus naturis & commentitijs numinibus discernamus. Necesse est enim cogitare quem alloquaris,ubi se hic Deus patefecerit, qualis sit, an & cur exaudiat.

INtueatur ergo mens hunc uerum Deum, qui se patefecit misso filio, & editis testimonijs,resuscitatione mortuorum & alijs,& simul cogitet hunc uerẽ conditorem

ditorem esse & opitulatorem, sapientem, exaudientem, ueracem, bonum, beneficum, iustum, castum, irascentem omnibus sceleribus, quę cum hac sua mente & uoluntate pugnant.

Vt igitur castitas in genere humano intelligatur, leges de ea tradidit, & seueríssimis pœnis uiolationes earum punit, sicut nequaq; dubium est, etiamsi humana iudicia negligenter puniũt uagas libidines, tamẽ diuinitus eas puniri

Vna igitur causa est hęc, quare castitatem uoluit nobis notam esse, ut discernat ipsum ab immundis naturis. *Duæ causæ quare Deus uoluit notam esse castitatẽ.*

Altera causa est, cùm Deus uerè sit talis mens pura & ordinata, uult nos quoq; intra metas quas ordinauit, coërceri. Non cogitant homines prophani & polluti has grauissimas causas, sed bonæ mentes considerent eas, & simul pœnarum magnitudinem contemplentur, quæ propter libidines per totum genus humanum uagantur.

Ad harum causarum considerationem adiungantur præcepta de castitate & pœnarum comminationes, & exempla. Et prima uox prohibens uagas libidines, est sententia edita ante lapsum. Erunt duo in carnem unam, posteæ decalogus inquit, Non mœchaberis. Et Leuit. 18. recensentur multæ prohibitiones inceste consuetudinis. Et ad Ebræos dicitur, Scortatores & adulteros iudicabit Deus. *Præcepta de castitate.*

Et 1. Cor. 6. Scortatores, mœchi, molles, &c. non possidebunt regnũ Dei.

Et ad Gal. 5. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

Ephes. 5. Omnis scortator aut contaminatus non habebit hęreditatem in regno Christi. Nemo uos decipiat uanis sermonibus. Propter hæc enim uenit ira Dei super inobedientes.

Hæc dicta sunt interpretatio huius præcepti in Decalogo, quæ semper in conspectu sint, ut firmissimè teneatur sententia Dei de castitate, nec intuentes Ethnica exempla, discedamus à regula diuinitus tradita.

Multa etiam pœnarum exempla nobis proponamus. Certissimùm est atrocem uiolationem huius prȩcepti atrocibus pœnis etiam in hac mortali uita puniri, Sicut historiæ Sodomorum, Dauidis, principum Israël in uicesimo quinto capite Numerorum ostendunt, Et omnibus temporibus omnium gentium homines exempla multa cernunt. Ideoq; in Prophetarum libris aliquæ historiæ, quanq; paucæ recitantur, discamus diuinitus puniri libidines, ubicunq; similia scelera fiunt.

Est autem & hoc in pœnis considerandum, uagari eas in posteritatem, quia regula, quæ extat in libro Sapientiæ uera est, per quæ quis peccat, per eadem punitur. Peccata semine commissa, puniuntur in semine, ut post Dauidis adulterium, filius sororem ui comprimit, & alter filius fratrem interficit, & aduersus patrem mouet seditionem, Oedipi filij mutuis uulneribus pereunt, Et uagantur pœnæ per totas gentes. *Regula Sapientiæ: Per quæ quis peccat, per eadem punitur.*

Hęc tota doctrina semper in conspectu sit omnibus, ut Deo obtemperemus in tuenda castitate, & iram Dei, & tristissimas pœnas propter nos ipsos, & posteros, & totas gentes uitemus.

Diligenter autem consideranda est particula Genes. 2. Dixit Dominus, Non est bonum homini esse solum, faciam ei adiutoriũ &c. Nam in uerbo, Dixit, hæc omnia comprehenduntur, quæ recensui, uidelicet, cùm Deus sit mens casta, uelle eum in opere generationis seruari certum ordinem, ac horribiliter irasci uagis libidinibus, & eas punire. *Institutio coniugij.*

Hæc

Emphasis uerbi Dixit.

Hæc tota deliberatio inclusa est uerbo, Dixit, id est, sapientia diuina amans iusticiam, castitatem & alias uirtutes fecit hoc decretum, quod uult ratum & firmum esse, ut talis sit ordo operis generationis, & hunc ordinem patefecit, ac uult ratum & firmum esse, ac seueriſſimè puniet omnes uiolantes hunc ordinem.

Hæc omnia cũm non dubium sit in uerbo, Dixit, comprehensa esse, hanc uocem infixam animis, diligenter omnes pij considerent, & cogitatione eius exuscitent animos, ut uelint huic immoto Dei decreto obedire, & pœnas fugere, quia prorsus non dubium est, pœnas ordine diuino sequi huius decreti uiolationem.

Iam cogita, quanta multitudo in toto genere humano, uarijs modis polluta sit, & polluatur omnibus seculis. Cogita etiam pœnas quæ propter has contaminationes in toto genere humano uagantur.

Præcipuè uerò consideranda est in hac re diaboli malicia, qui furens odio Dei, & uult huius ordinis infinitas ac teterrimas confusiones, & semper impulit homines, ut uarijs modis se polluerent, imò ut superstitiosos cultus excogitarent omnibus ætatibus ad polluenda corpora.

Et in hac senecta mundi impulit Romanos Episcopos & Mahometum, simul ad hæc duo tetra scelera augenda & confirmanda, uidelicet ad uarios cultus Idolorum, & ad uagas libidines.

Legi Pontificiæ de impuro cœlibatu opponenda uox, Dixit Deus.

Necesse est autem Ecclesiam Dei doceri, ut Pontificiæ Legi opponat hãc uocem, Dixit Deus, Non est bonum homini esse solum. Quoties citatur Pontificum autoritas, & clamant Episcopi, Sacrificuli, & similes, Sic dixit Papa, sic dixit Ecclesia, opponamus his legibus hanc uocem, Dixit Deus, Aeterna & immota autoritas est decreti diuini, quod congruit ad ęternam normam mentis diuinæ. Et cũm aliud statuitur, fit hoc non tantùm cœcitate humana, sed summa diaboli malicia impellente cœcas mentes hominũ, qui cùm sciat, quantum Deo displiceant Idola & uagæ libidines, impulsor est ad utrunq; malum, simul ut horribili odio Dei morem gerat, & ut maiorem multitudinem hominum trahat in æternum exitium.

Cogitemus enim quanta agmina animarum perierint, propter legem cœlibatus sacrificulorum, & propter impia uota monastica. Infinitum malum est, nec ulla creatura magnitudinem eloqui potest. Ideò Paulus istas impias leges & uota cœlibatus nominat doctrinam dęmoniorum, ut sciat Ecclesia tales ã diabolis oriri, & eas constanter damnet & execretur.

De dicto Pauli Bonum est homini non attingere uxorem.

Hic autem opponunt dictum Pauli, qui uidetur pugnare cum dicto in Genesi. Paulus inquit, Bonum est homini non attingere mulierem. In Genesi uerò dicitur, Non est bonum. Simpliciſſima responsio est, in Genesi, ubi est descriptio naturæ, traditur regula communis de maxima parte generis humani, sicut conditum est, ut sit fœcundum. Itaq; necesse est obedire regulæ in Genesi, omnes qui sunt fœcundi, & nisi sint in coniugio, contaminantur. Ideò ipse Paulus addit, Melius est nubere, quãm uri.

Sed in alio loco Paulus de Exceptione loquitur, Si qui non sunt idonei ad coniugium, aut non contaminantur in cœlibatu, hi sciant se exceptos esse ã communi regula, nec peccant si manent cœlibes, modò ut sint tales, qui non contaminentur.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO,

Non furtum facies.

ORdinem considera, Quintum præceptum uitam & corpora singulorum tuetur, Sextum coniugia, Septimum, domos seu Nidos singulorum, & res ad uictum necessarias. Sciamus autem & hic inclusam esse adfirmatiuam sententiam in prohibitione furti. Nisi enim distinctio dominiorum,& rerum proprietas esset,adpellatio furti nihil significaret. *Septimũ præceptum munit proprietatem rerum & sancit distinctionem dominiorum.*

Cũm autem hęc uox diuina non sit ociosa,& furari haud dubiẽ significet, res alienas sine iusta causa auferre,seu ui seu fraude,manifestum est in hoc præcepto,distinctionem dominiorum & rerum proprietatem sanciri &confirmari. Et quoties legis uocem audimus, simul complectamur additas promissiones & comminationes, quæ sunt nerui legum.

Tuetur Deus legem de homicidijs,manifestis exemplis pœnarum,siue magistratus sit executor, siue cesset, ut scriptum est, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Retrahit enim Deus ipse uarijs modis ad pœnas etiam illos, qui ex manibus magistratuum elapsi sunt. Eodem modo de pœnis in cæteris præceptis omnibus sentiendum est. Ideò Propheta inquit, Væ qui spolias, quia spoliaberis. Et hinc multa dicta ã patribus accepta extant. Malẽ parta, malẽ dilabuntur.

PRimùm igitur hæc lex sit nobis testimonium contra fanaticos,qui Euangelium transformant in Platonicam politiam,& fingunt Deo displicere distinctionem dominiorum. His furoribus opponantur, & uerba huius legis,& pœnæ diuinitus propositæ rapientibus res alienas. *Quæ considerandasint in septimo præcepto.*

Secundò,gratias agamus Deo, quòd hunc pulcrum ordinem instituit, quòd adprobat rerum distinctionem,uult te frui rebus tuis,& suam legem & pœnarum comminationes,circundat tuis rebus penẽ,ut mœnia,quia uerissimum est,magis lege Dei & pœnarum metu, suam cuiusq; domum munitam esse diuinitus,quàm ullis muris,fossis,turribus,aggeribus & uallis. Hæc beneficia Dei agnoscamus,& fateamur ipsum esse autorem et custodem politici ordinis,& grati tueamur hunc ordinem, & sciamus nos bona conscientia rebus nostris uti posse,& Deo placere talem rerum usum legibus ordinatum.

Tertiò,Reprimamur uoce Dei,& pœnarum metu, ut abstineamus ã rebus alienis,& nec uoluntas,nec manus sint auidæ rerum alienarum. Et tamen cũm societas hominum deuincta sit hoc modo,ut singuli aliena ope indigeant, consilium Dei & ea in re consideremus.

Vult Deus per contractus,in quibus seruatur mutua æqualitas,res communicari. Agnoscamus igitur uoluntatem Dei,& æqualitatem in contractibus præstemus,ut Lex significat, Diligas proximum,sicut te ipsum.

Imò & hæc doctrina de Aequalitate,sit commonefactio,iusticiam esse æqualitatem,& Deum cũm sit iustus, æqualem esse omnibus hominibus, nec esse apud eum προσωποληψίαν. Hæc consideratio digna est eruditis,ut agnoscant in singulis uirtutibus commonefactiones aliquas esse de Deo, ut mox de ueritate magis apparebit.

DE OCTAVO PRÆCEPTO,

Non dicas falsum testimonium.

IN

IN *hoc præcepto facilè conſpici poteſt adfirmatiua ſententia videlicet, ſis verax, oratio* & tota externa actio ſit congrua cum mente,& ſint firma dicta & pacta.

Octauũ præceptum præcipit ueritatẽ.

Nam hic de uirtute pulcerrima prȩcipitur,quæ nominatur ueritas,quam omnes intelligunt in hac communi uita maximè neceſſariam eſſe, ut uidemus, ſi nulla eſſet fides pactorum, magna ex parte contractus tollerentur, ludicia etiam eſſent horribilis confuſio uitæ, imò plena latrociniȷs, ſi non eſſet quærenda ueritas, & iuxta uera teſtimonia pronunciandum.

Neceſſaria eſt etiam ueritatis conſeruatio in artibus, Nam ſi Medicus pro ſalubri medicamento daret uenena,extinguerentur homines. Eſt igitur euidens utilitas ueritatis in contractibus,iudicijs & artibus,Ac ſit in conſpectu hoc præceptum Decalogi,ut ueritatem ſumma cura tueamur.

Ac ut de mendacijs contractuum & iudiciorum, quæ ſunt infinita, iam non dicam, dolendum eſt tantos eſſe furores hominum, ut in artibus laudem ingenij eſſe ducant, ueras ſententias labefactare,& gignere nouas opiniones & præſtigijs ſophiſmatum eas defendere. Hi ludi pugnant cum hac uoce diuina.Non dicas falſum teſtimonium.

Sed maius ſcelus eſt, quando ueritas & puritas doctrinæ cœleſtis corrũpitur,ut omnium temporum hæretici & impij Doctores horribiliter eam corrumpunt. Hæc peccata non ſolũm cum hoc octauo præcepto, ſed etiam cum primo & ſecundo pugnant.Non adſumas nomen Dei uanè. Harum maximarum rerum conſideratio neceſſaria eſt uitæ.

Mandatum de amanda ueritate teſtimonium eſt quòd Deus ſit uerax

Addo & hanc admonitionem. Vult Deus à nobis & intelligi & amari ueritatem, ut ſciamus & ipſum ueracem eſſe, Sicut Paulus inquit. Eſt autem Deus uerax, Itaq; & comminationes & promiſſiones ipſius ſciamus ratas & firmiſſimas eſſe, & de eius uoluntate ex ipſius ſermone iudicemus, ac ſciamus ſine ulla dubitatione, uelle eum id quod uerba ſonant. Promiſſio remiſſionis peccatorum uniuerſalis eſt, quam offert omnibus agentibus pœnitentiam & credentibus reconciliationem,Et quidem ſancita eſt iureiurando. Non igitur aliam eius arcanam uoluntatem eſſe putemus, quia Deus eſt uerax, Nec ſunt in Deo contradictoriæ uoluntates.

Adfirmat etiam Deus ſæpiſſimè ſe nec uelle nec approbare peccatum.Et cap.8. Zachariæ expreſſè dicitur,de peccatis. Hæc ſunt quæ odi,dicit Dominus. Cũm autem uerax ſit Deus, firmiſſimè ſtatuendum eſt, Deum nequaq; eſſe cauſam efficacem peccati in hominibus, Eſt igitur libertas aliqua & contingentia.

Vides ad refutandos Stoicos furores, hanc conſiderationem ueritatis in Deo,multum prodeſſe. Hanc igitur admonitionem de ueritate in Deo,ſtudioſi ſæpè cogitent.

VT autem in cæteris præceptis multò fuimus breuiores,quàm doctrinę huius amplitudo poſtulat, ſed hæc breuitas ad huius compendij modum accommodata eſt,ita nunc quoq; omittam longiores declarationes,quæ hic recitantur de diſtinctione Mendaciorum,de uanitate,de adulatione, de obtrectatione, de pactis honeſtis & inhoneſtis.

Officioſæ diſſimulationes uel occultationes excuſantur.

Excuſantur diſſimulationes uel occultationes officioſæ in dictis aut actionibus, in quibus ea occultantur, in quibus confeſſio non neceſſaria eſt, imõ & alijs quos tegere debemus,noceret,ut Ioſuæ 2. Raab narrat abijſſe ſpeculatores, Et 1. Reg. 19. Michol impoſita ſtatua in lectum,reſpondet militibus patris,ægro-

tris,ægrotare Dauidem.Et 2. Reg.17. mulier in Bahurim narrat abſſe Dauidis comites.

Tales occultationes aut eluſiones,non ã uanitate ortę, ſed ut alĳs proſint, non ſunt peccata,nec rectẽ uocantur mendacia, ſed figuræ potius,& officioſæ diſſimulationes, ſic & figuras uoco, apologos & poëmata docendi cauſa compoſita,quæ ab alĳs iocoſa mendacia dicuntur, cùm reuera ſint officioſæ narrationes,quę continent imagines & picturas, non ad nocendum excogitatas,ſed ut ſignificatio ſit illuſtrior, ut qualis ſit Tyrannus clarius conſpicitur,cùm Lupi aut Draconis imagine pingitur.

Mendacium quid ſit.

SED mendacium propriè eſt, cùm uanitate, aut cupiditate nocendi falſa dicuntur,aut uera negantur, ſeu palàm, ſeu labyrinthis ſophiſmatum inuoluta ueritate,quam confiteri oportebat: Vt non ſolùm peccant,qui manifeſtis mendacĳs aliorum uitæ, famæ, aut rebus inſidiantur, ut Siba uenenata calumnia apud Dauidem lędit dominum ſuum,Sed etiam cumulant ſcelera, qui & mentiuntur,& prætextus affingunt,ut ſpecie ueritatis mendacia confirment.

Plena eſt autem uita talium ſophiſmatum non in iudicĳs tantùm, ſed etiam in religionibus. Hæc horribilia mendacia execrari & uitare magna ſapientia eſt,& uirtus neceſſaria,ac Deo grata.

Iniuſta nec promittenda ſunt nec faciẽda,etiãſi ſunt promiſſa.

DE pactis,item de uotis regula uniuerſalis teneatur, Iniuſta nec promittẽda eſſe,nec faciẽda,etiamſi ſint promiſſa,quia non ſunt facienda mala, ut ueniant bona,Et rectẽ dicũt luriſconſulti,nullam ualere pactionem turpitudinis. Item iuramentum non debere eſſe uinculum iniquitatis.

Hæ communes regulæ ſint omnibus notiſſimæ. Ideõ pacta aut uota,quę obligant homines ad peccata, ut ad impios cultus,aut alia peccata,neceſſe eſt reſcindi.

Neceſſe eſt igitur eos qui in uita monaſtica coguntur ad ſocietatem impiorum cultuum, ab illa ſocietate diſcedere, ſicut ſeueriſſimẽ præcipiunt hæc dicta primi præcepti.Non habebis Deos alienos. Item Fugite Idola. Item, Si quis aliud Euangelium docet, anathema ſit.

DE NONO ET DECIMO PRÆCEPTO.

Nonũ & Decimum ſunt declaratio præcedentiũ.

NOnum & decimum addunt declarationem,ut ſciamus lege Dei non ſolùm de externis operibus præcipi, ſed accuſari & damnari etiam uicium hærens in hac deprauata hominum natura, quod uocant prauam concupiſcentiam.Suprà autem de uocabulo dictum eſt, intelligendos eſſe defectus & ἀταξίαν in omnibus uiribus & appetitionibns. Non appetitiones ipſas quales in natura conditæ ſunt.

In lege damnantur non tãtùm mali affectus, ſed mala nobiſcum naſcentia.

Nec tantùm damnantur mali affectus,ad quos acceſſit conſenſus,ut monachi & Phariſæi docuerunt, ſed illa ipſa mala nobiſcum naſcentia,ſcilicet defectus & prauæ inclinationes,id eſt,caligo de Deo in mente,auerſio uoluntatis ã Deo, & contumacia in corde repugnans legi Dei.

De his malis hærentibus in hac deprauata natura inquit Paulus, ſenſus carnis inimicicia eſt aduerſus Deum. Legi enim Dei nec ſubĳcitur,nec ſubĳci poteſt. Nec leue malum intelligatur,cùm nominat inimiciciam aduerſus Deum.Multas enim peſtes complectitur,uidelicet,quòd mentes non firmiter ſtatuant eſſe Deum, iraſci Deum peccatis, & recipere confugientes ad filium,

quòd uoluntas & cor sunt sine uero timore, sine fiducia & dilectione Dei, Habeat & uagos motus infinitos contra legem Dei, scilicet, confidentiam propriæ sapientiæ aut uirium, contemtum aliorum, inuidentiam, ambitionem, cupiditatem uindictæ, flammas libidinum. Hæc omnia complectitur Paulus uerbo inimiciciæ, in quo etiam reatus intelligendus est.

HAC interpretatione horum præceptorum considerata, fateri necesse est nullum hominem in hac deprauata natura, in hac mortali uita legi Dei satisfacere posse, ut suprà quoq; dictum est. Et in Sanctis sunt exempla interiorum lapsuum, ut Moises dubitat & trepidat cùm ferienda est petra. Et Dauid inquit, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et Paulus clamitat, Non est in carne mea bonum &c.

Agnoscamus igitur & ueris gemitibus deploremus immunditiem nostram, & discamus nos recipi & placere Deo propter mediatorem fide, non propter nostram munditiem aut dignitatem, ut postea copiosius dicendum erit.

DE PROMISSIONIBVS ET COMminationibus additis legi.

SVmamus primùm à legibus politicis qualemcunq; commonefactionem. Manifestum est contemni Legum & Magistratuum uocem & autoritatem, nisi pœnis afficiantur contumaces, sicut dictum Aeschinis citat Demosthenes, Nihil ualet politia, quæ non habet neruos contra contumaces.

Vniuersæ legi additæ sunt comminationes.

Sic & Deus uniuersæ legi addidit tristissimas comminationes, quæ sæpè repetitæ sunt, sed in Maledictionibus Deut. 27. multæ coaceruatæ sunt. Nec existimentur illæ maledictiones, inania terriculamenta esse. Sed sciamus Deum ueracem esse, & uerè irasci peccatis omnibus. Et omnia peccata & singula mereri æternam iram & æternam damnationem, nisi fuerit facta remissio propter filium, iuxta illud, Maledictus, qui non manet in omnibus, quæ scripta sunt in Lege.

DE POENIS.

Atrocia delicta puniuntur atrocib. pœnis in hac uita.

SEd prius de politica & externa contumacia dicam. Certissimum est regulariter atrocia delicta comitari in hac uita atroces pœnas, ut de Homicidis inquit Christus, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et de raptoribus dicitur, Væ qui spolias, quia spoliaberis, Et de incestis dicitur, Leuit. 18. Cananæos deletos esse propter flagitiosas libidines, & addit, Cauete, ne & uos similiter euomat terra, si similia facietis. Nec dubium est maximas calamitates in toto genere humano pœnas esse ingentium peccatorum, cultus idolorum, periurij, homicidiorum, libidinum, & rapinarum.

Hæc doctrina de pœnis in hac uita sit infixa animis, quam esse uerissimam clamitat manifesta experientia, quæ etiam Ethnicos conuicit, ut scripserint & docuerint, ordine diuino haud dubiè atroces pœnas comites esse atrocium scelerum, sicut dicunt usitati uersus.

οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων, τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Et similes uersus plurimi sunt.

Hæ autem pœnæ corporales, etsi propter iusticiam Dei, mox infliguntur tamen ideò etiamsi ordinatæ sunt, ut sint signa uenturi iudicij, & inde discamus, cùm non omnia scelera puniantur in hac uita, secuturas esse pœnas post hanc

hanc uitam, Et manſuros eſſe in illis pœnis, omnes qui non conuertuntur ad Deum, ſicut uox Euangelij deinde clarius hoc iudicium expreſſit, ut Ioh. 3. dicitur. Qui non credit in filium, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eũ. Item, Qui non credit, iam iudicatus eſt.

Euangelium liberat à culpa & pœna.

HAec primùm de pœnis monere neceſſe eſt. Sed addendum eſt, cùm Euangelium annunciet remiſſionem peccatorum propter filium Dei, liberantur à culpa & à pœna æterna omnes, qui conuertuntur ad Deum fiducia mediatoris, & ex regno peccati, & æternæ mortis transferuntur in regnum iuſticiæ & uitæ æternæ. Sicut Ioh. 3. ſæpè dicitur, Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Item, Qui credit in filium, habeat uitam æternam.

Sciendum eſt igitur remitti pœnam æternam conuerſis ad Deum, Nec dubium eſt mitigari etiam præſentes pœnas. Sicut in Pſalmo 77. dicitur, Non accendit totam iram ſuam. Et Oſeæ 11. Non faciam furorem iræ meæ.

Manere tamen aliquæ pœnæ præſentes poſſunt, quibus ſancti & electi quoq; caſtigantur, ut Pſalm. 88. dicitur, Viſitabo in uirga iniquitates eorum &c. Miſericordiam autem meam non auferam ab eo.

Ex hac additione Euangelica ſumatur interpretatio comminationis in primo præcepto, de qua magnæ diſputationes ſunt, cùm dicitur uagari pœnas in tertiam & quartam generationem. Verba loquuntur de pœnis corporalibus, & Deus iuſtus Iudex oſtendit, delicta contra primum præceptum maiora eſſe cæteris delictis. Ideò ſuo iudicio pœnas maiores conſtituit, Sed tamen cum Euangelium oſtendat liberationem à lege, affirmat etiam tolli in conuerſis pœnas æternas, & mitigari præſentes.

Tolluntur in conuerſis pœnæ æternæ & mitigantur præſentes.

De hac liberatione à lege expreſſè concionatur Ezech. 18. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris &c. Affirmat enim præter legem, annunciari remiſſionem peccatorum propter uenturum Dominum, & uocem Euangelij recitat, addito iureiurando. Viuo ego, dicit Dominus, Nolo ego mortem peccatoris. Ita Ezechielis concio quæ uidetur diſſentire à Moiſe, intelligatur eſſe uox Euangelij, ſicut eſt ueriſſimè, & annunciare liberationem à Lege.

DE PRÆMIIS.

HAec de pœnis legalibus dixi, Nunc addam pauca de præmijs, ut textus dicit, Qui fecerit ea, uiuet in eis. Item, Honora patrem & matrem, ut ſis longæuus ſuper terram.

Politica obedientia præmia habet in hac uita.

Hic etiam primùm de politica obedientia, & præmijs in hac uita dicam. Et ut antea regulam recitaui, atrocia delicta comitari atroces pœnas in hac uita, Ita regulare eſt homines beneficos, uitantes homicidia, periuria, adulteria, habere uitæ curſum tranquilliorem, Sicut multa dicta ſapientum ſumta à patribus, & teſtimonijs experientiæ, promittunt talibus maiorem tranquillitatem, ut dictum Theocriti, quod congruit cùm Pſal. Generationi rectorum benedicetur. εὐσεβέων παῖδεσι, τὰ λώϊα, δυσεβέων δ' ὄπιθεν.

Hæc regularia ſunt, ſed tamen multi honeſti etiam triſtiſſimis calamitatibus opprimuntur, quia multa ſunt arcana magna peccata, multa etiam parentum tetra flagitia, qui Epicureis furoribus aut Idolis polluti ſunt. Hinc latè uagantur pœnæ per poſteros.

HAec de præmijs præsentibus disciplinæ politicæ dixisse satis sit. Sed cũm hæc deprauata natura hominum nequaquãm possit Legi diuinæ satisfacere,& semper multa & magna peccata in renatis & non renatis hæreant,manent communes pœnæ, mors & aliæ multæ calamitates.

Cũm autem manifestum sit,nec renatos in hac uita legi satisfacere, quæstio est,An promissiones legales sint prorsus inutiles,cũm certissimum sit promissiones legis conditionales esse,& quidem postulare impletionem legis sine peccato,iuxta illud,Maledictus qui non manserit in omnibus,quę sunt scripta in Lege.

Hic respondeo, Postquãm fide propter Mediatorem, gratis ã Deo recepti sumus,& iusti reputamur, Deinde etiam incoata obedientia Deo placet, quanquãm multæ sordes in nobis reliquæ sunt,ut alibi copiosius dicetur.

Obediẽtia renatorum persona placente propter Christum, meretur præmia corporalia et spiritualia.

Cũm igitur Deo placeant tunc bona opera, editæ sunt & in Euangelio promissiones, quæ pro talibus operibus præmia non solũm in futura uita, sed etiam in hac mortali uita offerunt,corporalia & spiritualia,sicut perspicua sententia filij Dei de præmijs in utraq; uita, concionatur, Marc:10, Qui reliquerit domum propter me & propter Euangelium, recipiet centuplum, nunc in hoc tempore,cum persecutione,Et in futuro seculo,uitam æternam.

Eodem modo de utrisq; dicitur in priore Epistola ad Timotheum cap:4. Pietas ad omnia utilis est,promissiones habens uitæ præsentis & uenturæ. Et de præsenti uictu & defensione longa concio est Matth: 6. Primũm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Luc:6. Date & dabitur uobis. Et 2. Corint:9.Qui suppeditat semen seminanti,suppeditet & panem ad cibum.Et Esai:33.Panis ei dabitur,& aquæ non deficient,Regem florentem uidebunt,id est, uidebunt politias benẽ constitutas,tranquillas, disciplina & multis bonis ornatas.

Tales promissiones uocamus Legales,quia operibus additę sunt,ac prudenter iudicandum est. In politia Moysi tradita fuit promissio nominatim de sede Ecclesię certa in illo ipso uestigio Palęstinæ.Nunc non habet Ecclesia certam sedem,& tamen Deus ei promisit hospitium in genere. Hoc modo considerabimus discrimina promissionum corporalium.Et cũm Lex Mosaica de certis locis in specie loquatur, nos intelligamus Ecclesiam habere promissiones rerum corporalium in genere.

Dantur præmia pro bonis operib. in hac uita, & tamen Ecclesia subiecta est cruci.

Rursus autem alia multõ difficilior quæstio excruciat animos. Cũm dicas etiam in hac uita dari præmia pro bonis operibus, cur Ecclesia subiecta est maioribus calamitatibus,quàm alij homines?

Respondeo,Expresse dictum est in sententia capite 10. Marci, recipient centuplum,cum persecutione. Vtrunq; uerum est, Ecclesiam propter multas causas,ut suo loco dicetur,subiectam esse cruci,& singulari consilio Dei,pati filiũ, interfici Abel, Esaiam,Ieremiam,Baptistam,Paulum & alios innumerabiles, Et tamen ã Deo mirabiliter seruari ipsum agmen etiam cum multi milites interficiuntur,& interea his uiuentibus dari ã Deo hospitia,uictum,uires corporis,politias,œconomias. Vult enim Deus in genere humano esse, & manere Ecclesiam,& quidem uult eam conspici,& exaudiri,Ideõ scriptum est, Non mortui laudabunt te Domine.

Vt igitur uitam sui cœtus tueatur Deus, multis beneficijs eam iuuat, & multas calamitates mitigat. Et quidem exuscitari,exerceri, & confirmari uult fidem,

fidem,ſpem, & inuocationem in petitione rerum corporalium, Vult etiam in politijs & œconomijs lucere confeſſionẽ,& exerceri officia ſincerę dilectionis.

Hæc omnia quomodo congruant, rectè inſtituti in doctrina Euangelij, dextrè iudicare poſſunt.

SECVNDA PARS SYMBOLI.

HActenus dictum eſt fideliter de parte Symboli prima, De tribus Perſonis, de creatione hominis, & aliarum rerum, de lapſu primorum parentum, de peccato & de Lege. Nunc accedimus ad doctrinam de filio Mediatore,& de redemtione humani generis, De remiſſione peccatorum,de reſtitutione iuſticiæ & uitæ æternæ, de collectione Eccleſiæ æternæ, & cæteris articulis qui in Symbolo ſequentur.

Et in vnum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum,& ex Patre natũ ante omnia ſecula. Deum de Deo,lumen de lumine, Deum verum de Deo vero,genitum non factum,conſubſtantialem Patri,per quem omnia facta ſunt.Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem &c.

SVprà de tribus perſonis dictum eſt. Hic recitandus eſt articulus de duabus naturis in filio Dei,crucifixo pro nobis & reſuſcitato. Et dicendum eſt,quomodo hic articulus ſemper in Eccleſia propoſitus ſit, etiam Patrum tempore, cũm Filius, qui eſt æterni Patris coæterna imago, nondum adſumſerat humanam naturam. Oportuit enim hunc Filium ſemper Eccleſiæ notum eſſe.Et huius Filij agnitio diſcrimen facit inter ueram Dei Eccleſiam, & reliquos homines. *Oportuit filiũ Dei ſemper notum eſſe Eccleſiæ.*

Tradita eſt Patribus promiſſio de uenturo hoc Domino, & adſumturo humanam naturam,ut fieret uictima. Norant igitur Patres tunc adeſſe hunc Dominum Eccleſiæ ſuæ, qui tamen poſtea adſumturus eſſet humanam naturam,ſicut ſcriptum eſt, Abraham uidit diem meum, & lætatus eſt. Item, Anteaquàm Abraham natus eſt,Ego ſum.

Hic ipſe Dominus manifeſta ſpecie fuit conuiua Abrahæ. Et intelligebant ſancti diſcrimen Legis & promiſſionis de hac uentura uictima, Norant recipi homines à Deo propter hunc Mediatorem,non propter Legem,& colligi æternam Eccleſiam propter eum & per eum. Ita prorſus ſimilis fides fuit ueræ Eccleſiæ ante reſurrectionem Chriſti,& Eccleſiæ poſt reſurrectionem,niſi quòd tempora adſumtionis naturæ humanæ diſcerni oportuit.

De diſcrimine Legis & Euangelij.

SIt igitur prima hæc admonitio maximè neceſſaria Eccleſiæ, de diſcrimine Legis & Euangelij. Nec opus eſt iam dici de politia Moyſi, & de Legibus forenſibus & ceremonialibus, quæ tantũm certi temporis & unius politiæ fuerant, de quibus infrà rurſus dicetur, Sed dicam de Lege morali.

Quid ſit Lex Moralis?

VNa & eadem eſt Lex Moralis,cuius ſumma in Decalogo comprehenſa eſt, quæ eſt æterna, congruens cum mente diuina,cuius noticia in creatione generi humano inſita eſt, ſicut noticia numerorum. Ideóq; ſemper nota fuit Patribus & alijs hominibus, & fuit ac erit eadem in omni æternitate, quæ præcipit,quales nos eſſe,& quæ facere oportet,& quidem poſtulat integram obedi- *Lex Moralis quid ſit.*

entiam, & damnat non præstantes integram obedientiam, iuxta illud. Maledictus, qui non manet in omnibus, quæ sunt scripta in lege.

Et quanquàm additæ sunt promissiones Legi, tamen quia postulant conditionem impletæ Legis, cùm nemo Legi satisfaciat, hæ promissiones nihil prosunt animæ, nisi prius donata sit remissio peccatorum propter Mediatorem.

Procul igitur discerni Legem oportet à promissione Mediatoris, quæ est propria uox Euangelij.

Quid sit Euangelium?

Euangelij definitio.

EST igitur promissio Mediatoris, Promissio adfirmans hominibus donari remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iusticiæ, Spiritum sanctum, & hæreditatem uitæ æternæ propter filium Mediatorem, gratis, non propter Legem aut nostram dignitatem, sed hanc promissionem fide & fiducia Filij accipi oportet.

Et promulgata est hæc promissio statim initiò cùm primi parentes recepti sunt, ut scirent hunc Dominum adsumturum esse humanam naturam, iuxta hoc dictum, Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Promißio Euangelij sæpè est repetita.

Et sæpè repetita est promulgatio, ut ad Abraham dicitur, In semine tuo benedicentur omnes gentes, Ac sic intelligebant patres has promissiones, ut scirent tunc quoq; Dominum illum adesse suæ Ecclesiæ, et postea adsumturum esse humanam naturam, Ideò Iacob inquit, Benedicat Deus pueris istis, & Angelus qui eripuit me ex omnibus malis. Hic nominans angelum, per quem ab omnibus malis ereptus est, intelligit hunc ipsum Dominum, & agnoscit per eum tolli peccatum & mortem, & omnia mala. Agnoscit igitur esse omnipotentem.

Non igitur imaginandum est Euangelium fuisse ignotum Patribus, & esse legem nouam aliquantò commodiorem Mosaica, sicut multi indocti omnibus temporibus finxerunt. Sed sciendum est, unam & eandem esse promissionem Euangelij propriam de Mediatore, & reconciliatione, notam Patribus inde usq; à prima promulgatione, in qua Adam & Heua recepti sunt, his uerbis, Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et semper eodem modo, id est, fiducia Mediatoris, omnes saluati sunt & saluantur, qui fuerunt, sunt & erũt uera Ecclesiæ membra, ab Adam usq; ad resurrectionem mortuorum.

Vna & eadem est promißio Euangelij omnium temporum.

Hoc discrimen Legis & Euangelij seu promissionis, quæ est Euangelij propria, necesse est in Ecclesia extare & familiarissimè notum esse omnibus, quia amisso hoc discrimine, horrendæ tenebræ sequuntur, ut postea copiosius dicetur.

Prius enim de duabus naturis, diuina & humana in Mediatore Domino nostro Iesu Christo nato ex uirgine dicendum est.

In filio Dei nato ex uirgine sunt duæ naturæ.

AC principiò fatemur toto pectore, iuxta diuinas patefactiones recitatas in Prophetícis & Apostolicis scriptis: In hoc filio Dei domino nostro Iesu Christo nato ex uirgine, crucifixo pro nobis & resuscitato, duas esse naturas, diuinam & humanam.

Diuina natura in Christo.

Diuina est Filius coæternus æterni Patris, qui nominatur λόγος ἐνσώμ
æterni Patris, ut suprà in doctrina de personis diuinitatis dictum est.

Humana natura in Christo.

Hic Filius deprecator fuit pro genere humano, & constitutus est Mediator, ac adsumsit certo tempore humanam naturam in uirgine Maria, suntq;

ita unitæ

ita unitæ hæ duæ naturæ,ut sint una persona. Sic enim loquitur Ecclesia, Et hi modi loquendi rectè intelligendi sunt, ad quorum declarationem priusquãm accedimus, monendus est Lector, ut subinde in cogitatione huius admirandi & ineffabilis consilij diuini, quotidiè gratiarum actionem & inuocationem misceat.

Itaq; gratias agimus tibi omnipotens Deus,æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ unã cũm Filio tuo & Spiritu sancto, quòd patefeciſti te nobis,& constituisti filium Mediatorem,teq; oramus, ut mentes nostras gubernes & accendas Spiritu sancto tuo,ut uera & firma fide agnoscamus hunc Filium tuum,& tua beneficia accipiamus,& grati celebremus.

De causis impulsiuis & finalibus, quare Mediator sit Deus & Homo.

NOn est uituperanda consideratio piorum qui admirantes hoc mirandum fœdus diuinæ & humanæ naturæ in Mediatore, causas quæsiuerunt huius copulationis.Etsi enim hæc sapientia in tota æternitate discenda erit, cũm audiemus coràm æternum Patrem,Filium, & Spiritum sanctum colloquentes, tamen consideratio qualiscunq; in hac uita incoanda est.

Decretum hoc factum est liberrimo consilio Dei, nec ita recitabimus causas, quasi aliquid de libertate uoluntatis in Deo detrahatur, sed certum est miranda sapientia,& seruato ordine iusticiæ & misericordiæ hoc decretum factum esse,Proinde utcunq; congruentes causas quærimus. *Causæ, quare Mediatorem oportuerit esse Deum & hominem.*

Prima autem non est obscura. Etsi recepit Deus humanum genus per misericordiam propter Filium deprecantem, tamen Deus, cũm sit iustus, satisfieri etiam iusticiæ suæ uoluit.Ac mirando temperamento, iusticiæ & misericordiæ hæc reconciliatio facta est. Cumq; genus humanum peccasset,congruebat ordini iusticiæ, ut aliquis in genere humano, pœnam solueret,quæ esset precium pro cæteris. Hinc satis perspicuum est,quare hæc uictima sit homo. *Prima causa.*

Secunda causa,quare sit Deus.Peccati infinita malicia est,Vt igitur esset precium infinitæ bonitatis & æquiualens, hic Mediator etiam Deus est. *Secunda causa.*

Hæc consideratio commonefacit nos de horribili magnitudine peccati, Ostendunt pœnæ tristissimæ in genere humano aliquo modo, quantum malum sit peccatum,sed hoc testimonium multò illustrius est. Necesse est horrendum malum esse peccatum, cũm nulla creatura potuerit esse precium ad placandam iram Dei, sed in illo sapientissimo consilio Dei decretum sit, ut tantùm Filius esset precium.

Deinde magnitudo amoris in æterno Patre, Filio & Spiritu sancto, erga genus humanum in hoc decreto conspicitur, quòd Filius factus est deprecator,& pœnam in se deriuat,quòd pater filio suo non pepercit,sed uoluit eum subijci pœnę,ut nos redimeret, quòd Spiritus sanctus ipse uult in cordibus reconciliatorum habitare, & Patris, & Filij, & suos motus in nobis accendere.

Tertia, Nulla creata potentia sola potuisset sustinere iram Dei, & in tanta magnitudine dolorum,Deo uerè tribuere laudem iusticiæ. *Tertia causa.*

Hæc est arcana & magna causa, cuius considerationem pij non negligant.Nam in pœna,quæ debet esse placatio, oportet punienti tribui laudem iusticiæ.

Quarta causa. Quarta, Nulla creata potentia potuisset uincere mortem & reddere nobis iusticiam & uitam æternam. Et cùm Mediator debeat esse perpetuus custos Ecclesiæ, omnibus temporibus eam exaudiens & præsens sanctis ubiq; sicut uerè adfuit Moysi & populo in deserto, manifestum est potentiam creatam, non posse ubiq; adesse, nec uidere gemitus cordium. Hęc autem sunt propria Mediatoris, qui est uerè custos Ecclesiæ, & Sacerdos in arcano consilio apud Deum interpellans.

Nec creatura ulla potest ingredi in arcanum consilium æterni Patris, id est, uidere omnia consilia diuinitatis.

Has causas sæpē consideremus, sed ita, ut de iusticia, & de magnitudine misericordiæ Dei cogitantes, corda inflammentur gratiarum actione erga Deum, & deploratione nostri stuporis & ignauiæ, quòd pectora nostra non ardent studio hæc cogitandi, nec gratiarum actione.

Nunc de unione & descriptione personæ dicam.

Personæ definitio. Suprà definiuimus Personam hoc modo. Persona est substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis. Iam cùm uerum sit in filio Dei esse & naturam diuinam, & humanam integram, animam & corpus, cur dicimus unicam esse personam, Christum natum ex uirgine?

Hanc quæstionem eò recito, ut quid Ecclesia sentiat, & quomodo loquatur, iuniores discant, & ueterum certaminum memoria in Ecclesia conseruetur.

Agitarunt. n. hanc quæstionem Nestorius & Eutyches. Nestorius contendit Christum natum ex uirgine tantùm fuisse hominem, sed huic humanæ naturæ adfuisse diuinam, scilicet filium æterni Patris, secundum adsistentiam, ut ipse loquebatur, id est, humanam naturam tantùm fuisse hospitium seu domicilium diuinæ naturæ. Nec fuisse unitas duas naturas unione personali.

Hæc controuersia in magna frequentia in Synodo Ephesina dijudicata est anno à natali Christi 433. Et extant adhuc multorum longæ sententiæ in ea Synodo dictæ, contra Nestoriũ, quæ aliquo modo illustrant hanc doctrinam. VT autem in articulis fidei necesse est fieri, exordiamur à testimonijs diuinitus reuelatis. Ioh: 1. perspicuè dicitur, Et uerbum caro factum est. Hac uoce palàm refutatur Nestorius, qui fingit carnem, id est, humanam naturam, tantùm hospitiũ esse filij Dei, unde utrunq; sequeretur, neq; hunc hominem Christum, esse filium Dei, neq; Filium simul hominem esse, sed tantùm hominis hospitem aut comitem.

Præterea de dicto Iohannis certum est, utramq; naturam manere, nec confusas esse naturas. Necesse est ergo dictum Iohannis sic intelligi, quòd hæc persona nata ex Maria, sit unica persona, in qua uerè sint unitæ hæ duæ naturæ, diuina, quæ est secunda persona diuinitatis λόγος, & humana, quæ humana natura sustentatur à diuina, & ad diuinam dependet, sic ut diuina eam sustentet, & ordinem humanæ naturæ ad diuinam terminet.

In Christo nato ex uirgine unitæ sunt duæ naturæ.

Et quæsitæ sunt qualescunq; umbræ ad huius mirandi fœderis declarationem, ut, an sit qualiscunq; similitudo, copulatio animæ & corporis, qua similitudine usus est Athanasius inquiens, sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus. Item, an qualiscunq; similitudo sit, ramus insitus trunco. Item, mixtorum seminum uis in rebus natis, aut subiectum sustentans accidentia, ut aqua calorem.

Etsi

Etsi autem nulla harum similitudinum prorsus congruit, tamen collatio aliquid lucis adfert, cùm uidemus ubi sit discrepantia. Humana natura in Christo, non habet rationem personæ per seſe, sicut Petrus aut Paulus, aut cæteri homines, Sed ut dixi, dependet singulari ordine ad hanc diuinam personam Filium, ut ab ea sustentetur & conseruetur, & rationem personæ cum diuina natura accipiat. *Humana natura in Christo non habet rationem personæ.*

Hic quasi complexus naturæ imbecillis & finitæ, dependentis ad infinitam, significatus est hac imagine, quòd Filius complectatur humanam naturam quam adsumit, ut Sponsus sponsam. Sed tamen in his imaginibus omnibus aliqua est dissimilitudo.

Etsi igitur docendi causa copulatio animæ & corporis dicitur imago huius mirandi fœderis duarum naturarum in Christo, tamen & hæc dissimilitudo in conspectu est. Anima deserit corpus in morte. At natura diuina nunquàm deserit humanam naturam in Christo, nec corpus nec animam, ne quidem postquàm discessit anima à corpore, Ac sæpè recensetur dictum Damasceni, λόγος quòd semel adsumsit, nunquàm deseruit, nec deseret. *Natura diuina nunquàm deserit humanam.*

Quanquàm autem hæc dissimilitudo consideranda est, tamen existimo hanc ipsam ob causam sic conditum esse hominem, ut copulatio animæ & corporis, sit qualiscunq; pictura huius noui fœderis duarum naturarum in Christo, & multa congruunt.

Anima est tanquàm gestatrix corporis, & quanquàm fons est actionum, & aliæ actiones propriæ sunt animæ, ut intelligere numeros aut Deum, aut uniuersalia, Aliæ propriæ corporis, ut concoquere cibum & potum, nutrire corpus, tamen societas talis est, ut actiones rectè tribuantur personæ. Homo intelligit, homo concoquit cibum.

Etsi autem, ut dixi, aliqua est dissimilitudo, tamen persona diuina gestat humanam naturam, ita ut sit sustentatrix & conseruatrix eius. Et quanquàm proprietas sua cuiusq; naturæ manet, tamen quia persona diuina sustentat & conseruat humanam, & persona una est, ueræ sunt hæ propositiones in concreto, Deus est homo, Deus est passus. *Sua cuiusq; naturæ manet proprietas.*

CVm igitur dicat Ecclesia, unicam esse personam, cùm tamen duæ sint naturæ intelligentes, definitio personæ dextrè explicanda est. Suprà dictum est, Persona est substantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis, hic adde, quæ non sustentatur neq; conseruatur in alia. PERSONA.

Hanc postremam particulam comprehendunt scriptores, in uocabulo, Incommunicabilis, quia dicunt idem esse naturam humanam uniri æterno Filio, & ei communicari, & ab eo sustentari ac conseruari, sed declarationis causa potest addi hæc postrema particula, quæ non sustentatur neq; conseruatur in alia. *Natura humana in Christo sustentatur à diuina.*

Cùm igitur humana natura in Christo sustentetur à diuina, ita ut non esset humana, nisi sic sustentaretur, non sunt duæ personæ diuina & humana, sed sunt unica persona, & diuina sustentatrixi terminat ordinem alterius naturæ, ut iam sint unica persona.

Et usa est Ecclesia his formis loquendi. Natura humana unita est Filio Dei unione hypostatica, id est, personali, quod idem est, ac si dicat, Vt unica sit persona, seu ut humana sustentetur à diuina, ut actiones & passiones tribuantur personæ, propter illam arctissimam unionem, ut de homine dicimus, Homo intelligit, homo laceratur. *Formulæ loquendi usitatæ Ecclesiæ.*

Sic usi-

Sic usitata est & hæc forma, λόγος assumsit humanam naturam, quod intelligatur de unione personali, ut iam dictum est.

Ex Symbolo & hæc forma recepta est, filius Dei incarnatus est, quod intellige, ut iam dictum est, de unione & de assumtione.

Simus autem uerecundi in loquendo, & retineamus eruditorum in Ecclesia consuetudinem, Et dijudicemus, ubi figuris longius petitis usi sint Scriptores, ut cum dicunt, filius induit humanam naturam, aut λόγος induit hominem. Has poëticas figuras rectè interpretemur, ne ab unione personali discedamus.

Est omnino mirandum fœdus, & mirabile testimonium amoris in Filio erga nos, quod non tantum circundat sibi humanam naturam hospitium, sed arctius copulat sibi naturam, factus est homo, ut Iohannes loquitur.

Etsi autem ut dixi, Similitudo, quæ omnino congruat, ostendi nulla potest: tamen docendi causa utamur hac Origenica umbra, ut fumus in flamma fit ignis, ita utcunq; cogitemus arctissimam esse copulationem diuinæ & humanæ naturæ, & in tota humana natura lucere diuinam, & neutram deletam esse.

Hinc utcunq; intelligi potest doctrina de communicatione Idiomatum.

Idioma quid sit. Idioma est proprietas uni naturæ conueniens, Vt si de homine loquamur, mentis Idioma est, id est, propria actio, intelligere numeros uel Deum, uel uniuersalia, Corporis proprietas est lacerari. Et tamen hæc communicatur personæ.

Sic in Christo proprietas est personæ diuinæ, esse omnipotentem. Rursus proprietas est naturæ humanæ, crucifigi, mori. Et tamen in concreto hæc tribuuntur personæ, Et receptæ sunt propositiones, Deus est homo, Deus est passus, crucifixus, mortuus. Christus est omnipotens, creator, sed magna circumspectione opus est in his propositionibus.

Propositiones receptæ in Ecclesia.

Ac primùm sciamus discrimen esse inter uocabula abstracta, & concreta.

Abstracta quid significent. Abstracta significant naturam seorsum consideratam, ut diuinitas, uel diuina natura, humanitas, uel humana natura. Itaq; hę propositiones nequaquàm receptæ sunt, Diuinitas est mortua, uel diuina natura est mortua, quia hic natura secundum sese consideratur.

Irenæus. Et dictum Petri consideretur 1. Pet. 4. Cùm Christus passus sit in carne, Ait Christum passum esse, sed in natura humana, quæ mori poterat. Et Irenæus piè dixit pagina 185. Christus crucifixus & mortuus est, QVIESCENTE VERBO, ut crucifigi & mori posset, id est, natura diuina non est quidem lacerata aut mortua, sed fuit obediens Patri, quieuit, cessit iræ æterni patris aduersus peccatum generis humani. Non est usa sua potentia, non exeruit suas uires.

Ac simul in hoc dicto naturarum discrimen indicatur, & illustratur magnitudo iræ Dei aduersus peccatum effusæ in Christum, & admiranda humilitas Filij quiescentis & obedientis Patri, nec exerentis suam potentiam.

Considerentur ergo propositionum discrimina. Hæ nequaquàm recipiuntur, Natura diuina est mortua, Natura diuina est humana.

Propositiones in concreto. At in concreto uerissimæ & receptę sunt propositiones, Verbum est homo, Deus est homo, Christus est Deus, Deus est natus ex uirgine, passus, quia hæc persona nascitur, & crucifigitur, in qua unione personali, unita est humanæ naturæ diuina.

Significant

Significant autem concreta totum agens, naturam ſuſtentantem & naturam ſuſtentatam,ut cùm dicimus,homo intelligit. Quare perſona intelligatur uoce concreti. Et proprietas unius naturæ,tribuitur perſonæ in concreto. *Concreta natura quid ſignificent.*

Receptæ ſunt & hæ propoſitiones, Verbum factum eſt homo,Deus incepit eſſe homo. Sed ut dictū eſt,intelligantur de aſſumtione naturæ humanæ.

Nequaquàm autem receptæ ſunt hæ propoſitiones, Verbum eſt creatura, Chriſtus eſt creatura, Chriſtus incepit eſſe, Chriſtus factus eſt. Prudenter enim uitata eſt ambiguitas, & uitatæ ſunt inſidiæ. Nam Ariani ſic loquentes, Chriſtus eſt creatura,non de natura humana aſſumta loquebantur,ſed alteram naturam in Chriſto,priorem humana contendebant ex Nihilo conditam eſſe, non eſſe imagiuem æterni patris genitam de ſubſtantia eius ὁμοούσιον & coæternam Patri. *Propoſitiones non receptæ.*

INterpres Latinus in Paulo ad Romanos,& ad Galatas uſus eſt hac duriore uoce filius Dei factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, Item, factus eſt ex muliere, cùm multò rectius uti potuiſſet uoce, Natus eſt, Nam Græcis uſitatè γενέσθαι ſignificat natum eſſe, & γενόμενον natum, ut non dubium eſt, unde & nomen eſt,γένεσις natiuitas.

Lectio igitur Græca illuſtrior eſt. Et interpretatio fuiſſet minus dura,ſi dixiſſet natum ex ſemine Dauid. Item,natum ex muliere &c.

LIberat etiam Grammatica dextrè iudicantes, magnis labyrinthis, cùm quęrunt,an uera ſit propoſitio,Filius Dei eſt prædeſtinatus,cui quæſtioni occaſionem præbuit mendoſa interpretatio, in primo capite ad Romanos, Vbi non loquitur Paulus de Deo eligente,ſed de hominibus agnoſcentibus filium Dei. Sic enim dicit certò cognitum eſſe hunc uirum,quem Apoſtoli affirmabant eſſe Meſſiam, eſſe filium Dei, quia & reuixit ex morte,& ſit efficax, dans Spiritum ſanctum,& reſuſcitans mortuos.

Rectè autem Auguſtinus dicit, naturam humanam,quæ aſſumenda erat ex uirgine, prædeſtinatam, id eſt, ordinatam & electam eſſe,ut uniretur Filio. Certè propter hoc decretum, dictum eſt in prima promiſſione, Semen mulieris conculcabit caput Serpentis.

VOlens autem relinquo multas quæſtiones, ac tantùm oro iuniores, ut conſiderent, quomodo loquantur eruditi in Eccleſia in propoſitionibus, quarum in docendo uſus eſt. Et receptas formas iudicijs ueræ Eccleſiæ piè cuſtodiant. Nam in hac cauſa præcipuè periculoſa eſt mutatio.

Nec rixandi cauſa quærant captioſè dicta, quibus in docendo nihil opus eſt. Potius huius mirandi conſilij beneficia conſiderentur,quare filius Dei miſſus ſit,ut fieret uictima, & cogitatione irę Dei aduerſus noſtra peccata,expaueſcamus,& rurſus erigamur conſolatione agnoſcentes immenſam miſericordiam, qua nos Deus propter filium certò recipit, ut in doctrina de iuſtitia fidei copioſè dicitur.

Quærunt,an Spiritus ſanctus dici poſſit Chriſti pater, cùm dicat textus in Matthæo, Quod natum eſt in ea, eſt ex Spiritu ſancto. Reſpondeo. Pater tantùm dicitur,qui ſuam ſubſtantiam transfundit in id,quod gignit. Ideò Spiritus ſanctus, etſi format in aluo uirginis, corpus naſcentis Meſſiæ, tamen nequaquàm nominatur Pater,quia non transfudit ſuam ſubſtantiam,Sed ſit modus talium quæſtionum.

Addenda

Filius Dei assumsit humanam naturam integram.

ADdenda est necessaria regula, Filium Dei, imaginem æterni patris assumsisse humanam naturam integram, incorruptam, habentem omnes uires & appetitiones naturæ proprias & ordinatas. Item, non uiciosam, sed tamen passibilem, & mortalem, sine peccato, Easq; infirmitates assumsit uolens, propter nos, ut fieret uictima. Sic ad Ebræos 4. dicitur. Non habemus summum sacerdotem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia secundum similitudinem, sine peccato.

Etsi igitur Christus uidebat patrem, & erat beatus, Sicut inquit Ioh. 3. Filius hominis qui est in cœlo. Item Ioh. 14. Ego in patre sum, & Pater in me est. Item, Pater qui in me manet, ipse facit opera, tamẽ natura humana habuit suas appetitiones. Et hæ sæpẽ recitantur. Esurit, sitit, lætatur, dolet, lacrimat, conflictatur ingenti mœstitia, sicut ipse inquit, Tristis est anima mea usq; ad mortem.

In Christo sunt ueri ingẽtes & non simulati motus.

Hi affectus in Christo non fuerunt simulati, sed ueri & ingentes motus. Nec cogitemus Christum fuisse lapidem aut Stoicum, sed uerẽ lætatus est, uerẽ excruciatur mœstitia. Et magnæ sunt illius consternationis causæ. Non tantùm formidat lacerationẽ corporis sui, sed sentit maius onus scilicet iram Dei aduersus peccata generis humani, quam scit in sese effundi, perinde ac si ipse sese meis & tuis, & aliorum sceleribus polluisset. Ideò enim dicitur pro nobis peccatum esse factus. Doluit item magnam partem generis humani peritura esse spreto hoc beneficio Dei.

Etsi autem magnitudo horum dolorum non potest à nobis intelligi, tamen Ecclesiam aliquid de his tantis rebus cogitare necesse est, quæ ideò onerata est cruce, ut agnoscat magnum quiddam esse iram Dei aduersus peccata.

De quæstione an fuga mortis in Christo fuerit uiciosa.

QVod uerò disputant, An fuga mortis in Christo fuerit uiciosa, cùm pars inferior non obtemperauerit superiori, Primò respondeo, Lacerationes in carne naturaliter efficere dolores, etiam sine peccato. Item aliquas mœstitias in corde & uoluntate naturales esse, quæ in Christo sine uicio fuerunt, doluit, sed non ut nos, inordinatẽ.

Deinde supra illum naturalem dolorem fuit in Christo sensus iræ Dei, aduersus peccatum generis humani, Vt Filius nouit Patrem integrẽ, ita iræ magnitudinem solus tunc uidit & sensit. Hac mole supra uires tunc onerata natura in Christo gemit. Et tamen hæc consternatio dissimilis est nostris pauoribus. Christus fert illos magnos dolores sine indignatione aduersus Patrem, & hanc obedientiam uolens præstat.

Consternatio in Christo sine peccato est nec uiciosa.

Ideò hæc consternatio est sine peccato, & non est uiciosa. At in cæteris hominibus, cum fuga existit fremitus aduersus uoluntatem Dei, & in his qui non eluctantur confugientes ad filium Dei, accedunt horrendæ blasphemiæ.

Nec addam longiorem disputationem, Sed has res maximas pij in suis doloribus, & in lectione Psalmorum & Propheticarum narrationum considerent, ubi ad nos docendos & consolandos extent talium dolorum descriptiones.

Τέλος θεῷ δόξα.

DICTA ALIQVA SCRIPTVRÆ EXPLICATA.

CHristus finis Legis Fol:1 pag: 2.
Filius non portabit iniquitatem patris sui, fol.2.p.2
Ego dico uobis,non iurate omnino Matth:5. f.5.
Secundum mandatum simile huic fol.8. p.2. 182 p. 2.
Necesse est obedire non solum propter iram 12. p.2. & 143
Qui gladium acceperit 15
Facite in mei memoriam 33 p 2
Ideo ex fide gratis,ut sit firma promissio 39.p 2
Dæmones credunt & contremiscunt 43 p 2
Adhuc multa habeo uobis dicere 55 p 2.& 57.p 2
Obedite præpositis uestris 57 p 2.& 119.p 2
Credidit Abraham Deo 64 p 2
Si iniquitates obseruaueris Domine ibidem
Act.10.Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere per nomen eius omnes qui credunt &c. 66
Si uis in uitam ingredi,serua mandata 68 & 215 p. 2 & 315 p 2
Factores legis iustificabuntur 68 & 74 p 2
Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum 69 p 2 & 217. & 316
Date Eleemosynam, & omnia erunt munda 69 p 2.& 76
Christus redemit nos ā maledictione legis ad Galat.3. 70
In Christo consummati estis 70.& 208
Iustus ex fide sua uiuet 70 p 2.& 71 p 2
Iudica me Domine secundum iusticiam meam, 70 p 2
Iudica Domine causam meam ibid.
Si habeam omnem fidem 72 p 2. & 215. & 316.
Vniuersa delicta operit caritas 73 p 2
Videtis ergo quod ex operibus iustificatur homo,non ex fide sola 74.& 316 p 2
Caritas est uinculum perfectionis 73
Peccata tua Eleemosynis redime,Dan. 4. 74 p 2 & 216.& 315 p 2
Esai.58.Frange esurienti panem tuum, inuocabis & Deus exaudiet 74 p 2
Remittite & remittetur uobis 74 p 2. & 75 p 2 & 215 p 2. & 315 p 2
Matth.6. Beati misericordes, quia misericordiam consequentur 74 p 2
Si nos iudicaremus,non iudicaremur ā Domino, 75 p 2. & 93 p 2. & 137. & 255 p 2. & 226 p 2.
Ierem.15.Si conuersus fueris conuertam te 75. p. 2.
Zach.1.Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos ibid.
Inuoca me in die tribulationis 75 p 2
Eleemosyna ab omni peccato & ā morte liberat, 75 p 2.& 255.
Cum feceritis omnia, dicite serui inutiles sumus 77. p.2
Merces uestra copiosa est in cœlls ibid.
Reddet unicuiq; secundum opera sua 79.& 217 p.2.& 317 p 2
Ioh.5.Qui bona fecerunt in resurrectionē uitę 79
Matth.25.Esuriui & dedistis mihi manducare 79
Nemo uos iudicet in cibo & potu 82
Quidquid non est ex fide peccatum est 89
Salomon, Diligenter cognosce uultum pecoris tui 89.p.2
Tibi soli peccaui, & malum coram te feci 90
Confitemini uicissim delicta ibid.
Petrus. Studete firmam facere uocationem uestram 100.p.2
Sanctificatur per uerbum & orationem 106. & 382. p.2
Sanctificatur uir infidelis per uxorem fidelē 1.Corint.7. 106. & 341
Esaias. Mundamini qui fertis uasa Domini 107 p.2.
1.Pet.2.Sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales 109.p.2
Rom.12.Exhibete corpora uestra hostiam uiuentem,sanctam, cultum rationalem ibid.
Psal.39.Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem aperuisti mihi 110
Locus Malachiæ, Ab ortu Solis usq; ad occasum. ibid.
Malachias. Purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iusticia 110
Qui reliquerit domum &c. 117
Si uis perfectus esse,uade uende omnia,& da pauperibus 117.p.2
Qui uos audit,me audit 119.p.2
In cathedra Moysi sedent Scribę & Pharisæi,quidquid dixerint uobis,facite 120.& 230.p.2 et 305
Nescit homo an amore uel odio dignus sit 127 & 314. p.2
Zach. 12. Effundam super domum Dauid spiritum gratiæ & precum 128. p. 2.& 221.& 263
Non estis sub lege sed sub gratia 129. p.2.& 200 p.2.& 303.p.2.
Donum Dei est uita æterna, Rom.6. 129.p.2
Petrus. Perfecte sperate 130
Si spiritu actiones carnis mortificabitis uiuetis. 131
Dictum Petri.Baptismus est stipulatio bonę conscientiæ 133.& 235. p.2.& 320
1. Cor.11. Probet se unusquisq; 135
Fidem Primam irritam fecerunt 140.p.2. & 380
In Christo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter 153.& 155
Deus erat uerbum 153.p.2
Philip.2. Qui cum esset in forma Dei, non rapuit æqualitatem cum Deo &c. 155.p.2.& 400
Pater maior me est 156. & 400.p.2
Pater glorifica me, ea gloria, quàm habui, priusq; hic mundus esset, apud te 156

Quæ Pater facit Filius similiter facit 156.p.2
Esai;59.Hoc fœdus meum cum eis 157.p.2
1.Tim.4. Speramus in Deo uiuo, qui est saluator omnium hominũ maximè fidelium 160.p.2
Scio Domine,non est hominis uia eius 163.p.2. 168.& 409.p.2.& 420.p.2
Electi secundum propositum Dei,qui facit omnia consilio uoluntatis suæ 164 & 409.p.2
1. Cor. 12. Idem est Deus agens omnia in omnibus 164.& 421.p.2
Lex pædagogia in Christum 166. & 187. p.2. & 196.& 311.p.2.& 418
1. Corint.2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus 166.p.2
Non potest sibi homo quidquam sumere nisi datum sit ei superne 168
Deus reliquit hominem in manu consilij sui, Ecclesiasticus 168.p.2.422
Prædicate pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo 170
Mors peruasit in omnes,quia omnes peccauerunt 171
Ephes.2. Eramus natura filij iræ 171.p.2
Ierem.17. Peruersum est cor hominis & inscrutabile 171.p.2.& 412.p.2
Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum, nam legi non subditur nec potest quidem 172
Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax. ibid.
Si bonus fueris, eris acceptus, Sin autem malus, peccatum tuum quiescet donec reuelabitur. 175. p.2. & 226
Filius Dei apparuit ut destruat opera Diaboli. 176.
Lex est spiritualis 176.p.2. & 264
Ego aliquando uiuebam sine lege 188
Fontes tui deriuentur foras,et tu dominus horum esto solus 190. p.2
Iudæos intueri in faciem Mosi uelatam 196
Lex per Moysen data est,gratia & ueritas per Christum facta est 200.p.2.& 312.& 334.p.2
Operanti merces non imputatur secundum gratiam 200.p.2
Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio ibid.
Vbi abundauit peccatum superabundauit gratia. ibid.
Hebr.4.Accedamus ad thronum gratiæ 201
Rom.3.Omnes homines carent gloria Dei.Iustificantur autem gratis in sanguine eius &c. 202
Lex iram efficit 203
Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate 205
Corde credimus ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem 208. p.2
Odoratus est Dominus odorem suauitatis 209
Si secundum carnem uiuetis, moriemini, Si actiones carnis spiritu mortificabitis,uiuetis 211
Tu quoq; in sanguine testamenti tui educes uinctos tuos de lacu in quo non est aqua 221
Gal.6. Probet unusquisq; opus suum, & sic apud se gloriationem habebit, & non ab altero. 225.p.2. & 251.p.2
1.Cor.4.Hoc flagitatur ut fideles simus 127
Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est,quod est Christus Iesus &c. Alij superædificant aurum, alij stipulas &c. unuscuiusq; opus quale sit ignis probabit. 229. p. 2.
Matth. 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam 234
Ego baptizo uos aqua 236.p.2
Hebr.6. Impossibile est eos qui semel illuminati sunt reuocari ad pœnitentiam 245
Qui dixerit uerbum contra Spiritum sanctum, 245. p.2
Voluntarie peccantibus post acceptam noticiam ueritatis,iam non relinquitur pro peccatis hostia,sed terribilis expectatio iudicij 246
Non iudicabit Spiritus meus in homine 247
Sufficit diei sua afflictio 256
Misereor cuius misereor 258
Quos elegit,hos & uocauit 258. p.2
Non est uolentis,neq; currentis, sed Dei miserentis 259
Ego indurabo cor Pharaonis, phrasi hebræa significat permissionem 258. p.2. & 407. p. 2
Psalmi quinquagesimi explicatio 363
Oportet Deo magis obedire quam hominib.292
Locus Samuelis qui de iure Regum loquitur, intelligatur de stipendijs 293
1.Tim.4. Exerce te ad pietatem 298
Si uos filius liberauerit,uerè liberi eritis 301. p.2 & 302. p.2
Iusto non est lex posita 303.p.2
Sumus dilecti in dilecto 313.p.2
Transformamur in eandem imaginem tanquam ã Domini spiritu ibid.
Qui non diligit manet in morte 316
Elegit nos in Christo 258.p.2
De peccato damnauit peccatum 242
Erunt duo in carnem unam 341
Deus est dilectio 251.p.2
Qui gloriatur in Domino glorietur 352
Timor Dei initium sapientiæ 352.p.2
Deum time, & mandata eius obserua ibid.
Perfecta dilectio foras pellit timorem ibid.
Deum Maozim colet auro & argento 365.p.2
Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei 376
Pater non iudicat quenquam,sed omne iudicium filio dedit 348. p.2
Vnus Mediator, Dei & hominum, homo Iesus Christus 349
Inuocetur super eos nomen meum,& nomina patrum meorum, Gen. 48. 377
Ipse autem saluus erit sic quasi per ignem 378
Ierosolymam missa 2000 drachmarum, ut pro mortuis sacrificia fierent, In Machabæis .ibid.
Homo prꝑarat animam,Sed Deus gubernat linguam 409
Sine me nihil potestis facere 409. p.2
Idem Deus agens omnia in omnibus ibid.
Video aliam Legem in membris meis. 415. pag. 2.

Nemo

Nemo poteſt uenire ad me, niſi Pater traxerit eum 420
Niſi Dominus ædificauerit domum 421
Non eſt bonum hominem eſſe ſolum 435.p.2
Lex per fidem ſtabilitur fol.1.pag.2. & 70. & 169.p.2 & 208.

INDEX.

A.

Arianæ hæreſis refutatio 154.p.2
Abſolutione priuata quare utendum ſit fol.26 & 324. p.2.
Abſolutio priuata cur retinenda 48. p. 2. & 250. & 368
Abſolutionis miniſterium non pendet ex conditione enumerationis 49
Apoſtolorum decreta de Idolothytis & ſcortatione ſunt moralia & perpetua 57.p.2
ad Articulum, Credo remiſſionem peccatorum, referantur tanquam ad cauſam finalem reliqui omnes 64
Accepti ſumus propter Chriſtum, ideo, quia legis impletio non eſt perfecta 73
Abſolutionem complectimur cum de fide dicimus 85.p.2
Abſolutio eſt exequutio alieni beneficij, non eſt iudicium 89.p.2
Afflictiones in pijs habent alium finem 93
Afflictiones non ſemper pœnæ aut ſigna iræ. 93.p.2.
Angelos orare pro nobis 101
Animalem hominem Paulus quid uocet 100
Appetitiones in natura conditę differunt ā confuſione ordinis 124
Abſolutio de fide nos debet commonefacere 136 p. 2
Adoratio tribuit diuinitatem rei quæ inuocatur 155. p.2
Appellationes potentiæ & uirtutum communes ſunt tribus perſonis 159. p. 2
Actio Dei generalis 160.p.2. & 405.p.2
Anathema ſit qui dixerit, Deum impoſſibilia præcepiſſe 169.& 422.p.2
Anathema ſit, ſi quis dicit, legem poſſe fieri ſine gratia 169. & 422. p.2
ἀταξία diſcernenda ab ipſis appetitionibus 172. p. 2.
Affectus duplices 137. p.2
Affectus non tollendi ex homine ibid.
Affectus fuiſſent in natura integra ibid.
Affectus fuerunt in Chriſto, ſed ordinati & puri. ibid.
Affectus ā Deo in natura hominis conditi ibid.
Adulti renati habent peccatum 174
Actualia peccata oriuntur ex originali 174. p. 2.
Actualia peccata ſemper ſimul ſunt cum peccato originali ibid.
Actualia peccata mortalia quæ ſint in renatis lapſis 175
Affectata ignorantia & affectata omiſſio peccata mortalia 176
Abſolutio duplex 217.& 316
Arca fœderis quid ſignificet 223
Ablutio in Baptiſmo ſignificat ablui peccata. 236
Abſolutionis petendæ mos teſtimonium quod lapſi recipiantur ā Deo 250.p.2
Abſolutionem petenti tria cogitanda ibid.
Apoſtoli miſſi tantum ad docendum, non ad rapienda imperia mundi 260
Afflictiones teſtimonia doctrinæ 266
Afflictiones teſtimonia immortalitatis ibid.
Afflictionum omnium finalis cauſa ut retrahant ad pœnitentiam 268
Afflictionum 4. genera 271. & 326.p.2. & 332. p.2. & 369
ἀδιάφορα opera ſine ſuperſtitione, facere conceſſum eſt 295
ἀδιαφόρων doctrina 300. p.2.
ἀταξία non poteſt deponi uiribus naturalibus. 311
Antinomorum error 317. p.2
Articuli fidei non ſunt uiſibiles. Eccleſiam eſſe, eſt articulus fidei &c. reſponſio ad argumentum. 318. p. 2
Anabaptiſtarum errores 320.p.2
Anabaptiſtæ fingunt nullum eſſe peccatum originis, & quod diſciplina ſimus iuſti coram Deo 321
Anabaptiſtæ tollunt diſcrimen inter peccata quæ hærent in Sanctis, & quæ non hærent 321. p. 2.
Abſolutio priuata oſtendit diſcrimen Legis & Euangelij 324.p.2
Applicatio beneficiorum Chriſti quomodo fiat 327. p.2
ἀγάπη uocatus ritus publicus Cœnæ Domini, 328. p.2
Angeli & homines quare conditi 336. p. 2
Affinitas quid ſit 338
Affinitas non latè uagatur ibid.
Abſoluentis uoci ut uoci diuinæ credendum eſt 85
Abſolutio Sacramentum pœnitentiæ ibid.
Apoſtolorum decretum de Paſchate quod citat Epiphanius 82
Argumenta contra doctrinam de iuſtificatione pleraq; naſcuntur ex iudicio rationis, ſeu legis de diſciplina 212.p.2
Auxilium à ſolo Deo fiducia Mediatoris petendum 376.p.2
Actiones propriæ uocationum 371
Adoratio panis idolatria 365.p.2
Antiochena Synodus cum Symbolis congruit. 365

Affectus quid sint 354.p.2
Amor quid sit ibid.
Amicicia quid sit 355
Acceptio personarum quid sit 355.p.2
Acceptio personarum pugnat cum iusticia distributiua ibid.
Angelus bonus quid sit 357. p. 2
Angelus malus quid sit 358
Apostoli quid sint ibid.
Affectus in natura cur conditi 352
Anima & corpus cur copulata in homine 347
Augustini mater pia mansit in coniugio ethnici mariti 341
Aduersarijs uociferantibus de schismate quæ opponenda 381.p.2
Adfectus uitiosi in non renatis peccata mortalia sunt 415
Actionum duo genera reliqua post hanc deprauationem 417.p.2

B.

Bona opera quomodo placeant 23. p. 2. & 317. p.2.
Bona opera cur facienda 23.p. 2. & 31. p. 2. & 71.p,2.& 209
Baptismus testimonium de tribus distinctis personis 401.p.2
Baptismus necessarius ad salutem 40.p.2.& 133
Bona corporalia petenda propter 5.causas 383
Bona opera non possunt esse aut fieri nisi prælucente fide 44
Baptismus tollit reatum seu formale non materiale 60.p.2
Bona opera facienda propter mandatum Dei 71 p. 2,
Bona opera effectus regenerationis ibid.
Bona opera mereri remissionem peccatorum obscurat beneficium Christi 72
Bona opera placere propter gratiam dictum scholasticorum 79
Bona opera sequuntur pœnitentiam 91.p.2
Bona opera quomodo possint fieri 128.p.2
Bona opera interiora & exteriora habet Latro in cruce 129. p.2
Baptismus quid sit 133. & 235.p.2. & 319.p.2
Baptismi uerba explicantut 133.&.151.& 152.p. 2 & 235.p.2.& 319.p.2. & 402
Baptismus semel fiat 133.& 236
Baptismus & Cœna differunt 133 p.2
Beatis etsi curæ sunt res humanæ,tamen non inde sequitur esse inuocandos 142.p.2
Beatorum historiæ populo proponendæ,& quomodo ibid.
Baptismi uerba continent descriptionem Dei 151 & 151.p.2
Beatus cum sit in excellenti lætitia, an simul possit esse in magna consternatione 157
Baptismus Christi testimonium quod Spiritus sanctus sit persona 157
Benedictiones et maledictiones testimonia Deum adesse naturæ creatæ 160.p.2
Bona opera fieri præcedente gratia comitante uoluntate 167
Bella legitima pertinere ad Magistratus officium. 184
Belli inferendi causæ ibid.
Bellorum iura ex quo fonte sumantur 190
Bonorum operum præcipuæ quæstiones quinq;. 204.p.2
Bonorum operum quæ facienda sint ibid.
Bona opera quomodo possint fieri 205. p.2.
Bona opera merentur præmia & spiritualia & corporalia 210.217.p.2
Baptismi finis & significatio principalis 235. p. 2.
Baptismo quomodo utendum in uita ibid.
Baptismi significationes 236.& 319. p.2
Baptismus semel factus perpetuum testimonium & fœdus ibid.
Baptismus Iohannis & Apostolorum ibid.
Baptismum infantum non esse recentem morem sed primæ Ecclesiç testimonio comprobatum. 237
Baptismo mandatum additum est uniuersale 237 p. 2
Blasphemia finalis impœnitentia 245.p.2
Bonus princeps & Tyrannus quomodo differant 336
Bonus princeps quid sit ibid.
Baptismus fœdus non tantum infantium cum Deo,sed etiam adultorum 320
Baptismum & pœnitentiam duas Tabulas esse, relictas homini post naufragium humanæ naturæ ibid.
Blasphemiæ peccatum 318
Blasphemia differt ā peccatis contra conscientiam ibid.
Bona opera in renatis interdum dicuntur iusticia 311.p.2
Baptismus eorum qui retinent uerborum sententiam ualet, etsi alioqui corrumpunt doctrinam 231.p.2
Baptismus Samosateni, Manichæorum, Arrianorum non ualet ibid.
in Bellis iustis rapta iustè retinentur 19. p.2
Bernhardi sententia de pœnitentia 86. p.2
in Baptismo reatus tollitur, sed manet morbus ipse 174
Bonum creatum quid sit 357
Bonum suaue quid sit 357.p.2
Bonum honestum 357
Bonum increatum ibid.
Bona utilia 357.p.2
Bonum morale & malum culpæ inter se opponuntur ibid.
Beelzebub 358
Bonæ actiones unde oriantur 359
Bona opera sunt necessaria ad salutem, cur hac phrasi non utatur 375.p.2

Bona opera etiam renatorum non sunt merita uitæ æternæ 374
Bellum quid sit 354
Bonum quid significet in genere 407

C.

Catechesis quid sit fol. 1.
κατηχεῖν quid significet ibid.
κατηχηται qui fuerint ibid.
Christiano licet tenere proprium 17. p. 2
Christiano licet uti contractibus 18
Confessio duplex 26. & 250
Confessio retinenda propter priuatam absolutionem 29. p. 2. & 33. p. 2. & 89. p. 2. & 48. p. 2 & 90
Corpus & sanguis Christi in Cœna uerè adsunt 29. p. 2
Coniugium Sacerdotum 32. p. 2
Cultus humana autoritate constituti cum impia opinione quare reprehendendi 34
Cultus cur seruandi 35
Cultus electi ad promerendam remissionem peccatorum sunt impij 36. & 54
Christiano licet rebus ciuilibus uti 41. p. 2
Ceremonijs cur sit opus 46
Ceremoniæ sine fide nihil merentur nec facienti nec alijs 46. p. 2
Cœna cur principaliter instituta 47. & 133. p. 2.
Contritionem necessariam esse 48. p. 2
Coniugij Sacerdotum prohibitionem pugnare cum iure naturæ, diuino, cum Euangelio, cum ueterum Synodorum constitutionibus, & cum exemplis ueteris Ecclesiæ 51. p. 2. & 104. p. 2.
Cœlibatum repudiauit Synodus Nicena 52
Cultus in nouo testamento qui sint 57
Concupiscentia non tantum pœna, sed etiam peccatum est 61
Christianæ doctrinæ duæ principales partes 62
Christus non desinit esse Mediator postquam renouati sumus 70. p. 2
Conscientia nunquam acquiesceret, si iudicandum esset, post renouationem nos acceptos esse propter impletionem legis 71. & 89. & 64. p. 2.
Christi honos non debet in Legem transferri 71 & 88
Cœnæ Dominicæ pius usus 72
Corpus & sanguis uerè exhibetur cum pane & uino 83
Corporalem præsentiam in Cœna posuisse etiam Græcam Ecclesiam ibid.
Contritio quid sit 85
Contritio quomodo fiat ibid.
Claues uerè coram Deo remittunt peccata 85. p. 2
Chirographi uocabulo Paulus quid notet 86
Chirographum delere quid sit ibid.
Conscientiæ reuocandæ à lege ad Euangelium 88
Christus ideo datus, quia Legem non facimus 88. p. 2
Confessio peccati, quæ Deo fit, est ipsa contritio. 89. p. 2
Confessionem quid intelligant scriptores Ecclesiastici ibid.
Confessionem integram non esse necessariam ad salutem ibid.
Conuersio uera non est ubi non sequuntur boni fructus 91. p. 2
Confessiones primæ Ecclesiæ quasi narrationes historicæ testantes quid senserint Apostoli 397 p. 2.
Christi mors satisfactio pro culpa & æterna morte 92
Crux non pœna, sed exercitium est 93
Claues non imponunt nec remittunt pœnas temporales ibid.
Calamitates communes non tolluntur satisfactionibus canonicis 93. p. 2
Claues potestas tantum in terra ligandi & absoluendi 94. p. 2
Claues potestas remittendi peccata his qui conuertuntur, & arguendi eos qui non conuertuntur ibid.
Confirmatio & extrema unctio ritus accepti à patribus, non habentes expressum mandatũ Dei & claram promissionem gratiæ 95. & 138. p. 2
Christi honorem transferre in Sanctos blasphemium est 101. p. 2
Collocare fiduciam in alios mediatores, est obruere noticiam Christi 102. p. 2
Cur lex de cœlibatu non sit probanda 104. p. 2
Continentia peculiare donum 105. p. 2
Coniugium ueteres canones non prohibent ibi.
Coniugium mundum in credentibus 106
Concupiscentiæ proprie opponitur mundities. ibid.
Cœlibatus non ita mundities est quod mereatur iustificationem magis quàm coniugium ibid.
Cœlibatus impia opinio quod mereatur remissionem peccatorum, opprimit cognitionem Christi, & præceptorum Dei 106. p. 2
Cœlibatus pericula animabus affert & publica scandala 107 (107. p. 2
Cœlibatũ quibus argumentis probent aduersarij
Coniugium propter fidem mundum 107. p. 2
Ceremoniæ in Ecclesia quo fine debeant obseruari 108
Ceremonia, id est, Missa non sola est iuge sacrificium 110. p. 2
Christus pontifex in nouo testamento 111. p. 2
Cœnam non esse notam professionis tantum 112. p. 2
Ceremonia in Cœna quasi pictura uerbi seu sigillum ibid.
Ceremonia in Cœna inutilis nisi accedat fides. ibid.
Christus instituit Cœnam ad sui commemorationem ibid.
Cœna cur εὐχαριστία dicatur 113
Cœna instituta propter remissionem culpæ 114
Cœna Domini pro culpa non satisfacit ibid.
Cœlibatus, paupertas opera sunt ἀδιάφορα 116

Cultus impñ liberant eos qui uiuunt in monasterijs 117. p. 2
Canones multos liberant ā uotis 118
Causa peccati 123. p. 2. & 162. & 407 & 370
Ceremonias retinuerunt ethnici amissa promissione cum opinione quod mereantur remissionem peccatorum 124. p. 2
Calamitates omnes uox legis hortantis ad pœnitentiam 125. p. 2
Conuersio cur dicatur regeneratio 127
Christus non tantum præparationem ad uitam æternam meruit 130
Cœna Domini & Baptismus testimonia gratiæ. 133
Cœnæ usus quomodo prosit 134
Christus uerē & substantialiter adest in Cœna, & exhibet sumentibus corpus & sanguinem suum 134 & 239
Cœnæ partem circumgestare manifesta profanatio 135
Cœna ita instituta, ut detur populo integrum Sacramentum 135. p. 2. & 366. p. 2. & 103. p. 2
Cœna prodest utenti cum affert pœnitentiam & fidem 135
Contritio aliqua necessaria 136. & 246. & 322.
Contritionem nec mereri remissionem, nec eam oportere sufficientem esse 136. & 367
in Contritione dolores quomodo fiant 136
Conuersionis seu pœnitentiæ tria membra ibid.
Castitatem Deus quare sanxerit 434. p. 2
Coniugium quid sit 137. p. 2. & 355. p. 2. & 336. p. 2
Castitas quid sit 355. p. 2. & 379. p. 2
Coniugñ ordinem Deus sanxit 355. p. 2
Commixtiones extra coniugium peccata damnata ā Deo 138
Castitas quid sit 138. & 192. & 434. p. 2
Consecrationis olei formæ magicæ & execrandæ 138.
Confirmationis uetustatis ritus 138. p. 2
Ciuilibus rebus Christianus uti potest sicut cibo & potu 143
Certitudinis causa in doctrina Ecclesiæ reuelatio diuina 148
Creationis hominis præcipuus finis 149
Creatio hominis ostendit Deum bonam, iustam et liberrimæ uoluntatis Essentiam esse 150
Creaturas omnes conditas esse à Patre, Filio, & Spiritu sancto 150. p. 2
Creatio & conseruatio rerum opera totius trinitatis 150. p. 2. & 405
Christum missum in carnem intueantur mentes in omni cogitatione de Deo 150. p. 2
Christus est persona conditrix & omnipotens, ergo est natura Deus 154. p. 2
in Christo esse & manere duas naturas testimonijs ostenditur ibid.
Communicatio Idiomatum 156. & 308. & 346
Crearuræ cur conditæ à Deo 160
Conditas esse res omnes à nihilo ibid.
Causa peccati quæ sit testimonijs ostenditur 162 p. 2.
Contingentia est cum Deus non sit autor peccati. 163. & 370. & 407. p. 2
Contingentiæ causa in humanis actionibus humana uoluntas 163
Contractus quid sit 356
Centesimæ usuræ lex 356. p. 2
Conuicia & calumniæ quid ibid.
Contingentia Deus determinat 163. p. 2
Contingentia est etiamsi Deus sustentat naturam. ibid.
Causæ continentiæ in Ioseph quæ fuerint 167. p. 2.
Contra conscientiam qui delinquant 175
Ceremoniæ & forenses leges ad tempus populo Israël traditæ, & cur traditæ 177
Cultus Dei quid sit 178. & 329. & 353. p. 2.
Cultus ueri qui sint 140
Ceremoniæ traditæ propter ministerium docendi 181. p. 2
Christiano non licet militare sub Turcis 184
Coniugium legitimum confirmatur in sexto præcepto 184. p. 2
Consiliorum & præceptorum discrimen 188. p. 2
Christus non tradit stoicas hyperbolas ibid.
Corporalia bona dari nobis à Deo, non casu nobis obijci 222
Corporalia quando petuntur duo obiecta comprehendantur ibid.
Ceremoniæ & forenses leges Moysi quæ non sunt præcepta naturalia abolitæ sunt 222. p. 2. & 303
Ceremonię Leuiticæ imagines continent de multis beneficijs Christi 222. p. 2
Cherubin quid significarint 223
Conscientia debet regi uerbo Dei 225
Cultus idolorum inter ethnicos affectata ignorantia 127
Cœna Domini neruus publicæ congregationis 233. p. 2
Confirmatio olim quid fuerit 235
Cœna Domini quomodo instituta 239
Cœna debet esse publici congressus ceremonia. ibid.
Ceremonia non habet rationem Sacramenti extra usum institutum à Christo 241
Ceremoniæ Leuiticæ non fuerunt ueræ propiciationes 242
Cultus in nouo Testamento spiritualis 242. p. 2 & 109. p. 2
Catharorum & Nouatianorum error refutatur. 244
Calamitates omnes conciones de ira Dei aduersus peccatum 246. & 322
Contritio quid sit 246. & 322
Contritio Iudæ & Petri differunt 247
Contritio sine fide est horribilis pauor animi fugientis Deum 247. p. 2

Contritione homines non merentur remissionem peccatorum 247. p.2
Contritio aut aliæ uirtutes non excluduntur à iustificatione, sed causa remissionis peccatorum non est transferenda in nostram dignitatem. 248. p.2
Confessionis uocabuli usus 249. p. 2. & 324.
Calamitatum omnium in Ecclesia extremus finis, ut crescant fides & inuocatio 254. p.2
Cruciatus accersiti pertinent ad regulam. Frustra colunt me mandatis hominum 256
Calamitates,crux, & ueræ consolationes 264
Consolationum loci 267. p. 2.& 333
Cruciatus corporis non est sacrificium,sed uoluntatis obedientia 270
Calamitatum causæ differunt 271
in Corporalibus petamus nominatim aut liberationem aut mitigationem 274
Corporalia bona propter quas causas petenda. 277
Christianis concessum facere Oeconomica & politica opera 289.p.2. & 335.p.2
Contractus partes politici ordinis 293
Ceremoniæ humanæ in Ecclesia 293. p.2
Ceremoniæ utiles πρὸς εὐταξίαν ibid.
Κάθαρμα & ἀλάσωρ qui dicti 299.p.2
Christiani non alligati ad politiam Moysi 303
Cultus non licet fingere sine uerbo Dei 304. & 334.p.2
Cultus humana autoritate instituti cum opinione cultus quæ principaliter obruant 304
Causæ efficientes primum lapsum 413.p.2 & 172.
Causæ secundæ non agunt sine prima 409
Creare quid sit 307. & 404
in Communicatione Idiomatum qui modi loquendi usitati sint & recepti 308. & 344. & 442
Concio pœnitentiæ & promissionis gratiæ utraq; uniuersalis 308
Cœna Domini quid significet 319.p.2
Circumcisio quid significet 319.p.2.& 328
Carpocrates,Marcion,Pepusiani, Manichæi similes Anabaptistis
Contritio Sanctorum in tota uita timor filialis. 322. p. 2
Confessio quæ est enumeratio unde orta sit 324. p.2.
Causæ calamitatum humanarum 326. & 332
Calamitates nequaquam sunt satisfactiones 326. p. 2.
Causæ calamitatum Ecclesię diligenter obseruandæ 326
Cœna Domini quid sit 327
Circumcisio sigillum iusticiæ ibid.
Castitas Ioseph sacrificium 328
Causa uitiorum,erratorum,mortis 332
Christiani non alligati ad ullius gentis politiam. 334. p.2.
Castitas discernit Deum ab omnibus immundis naturis 336.p.2.& 379.p.2
Consanguinei seu cognati qui dicantur 337
Coniugia mutuo consensu iunguntur 338. p. 2
Consensus parentum requiritur in coniugio 340 & 355.p.2
Conditio honesta pertinens ad coniugium,si non fuerit impleta dissoluit coniugium 340
Conditio peregrina non dissoluit coniugiũ ibidem
Compressam non necesse est ducere nisi promissum sit coniugium 340.p.2
Compressam ab alio cogunt retinere leges ibid.
Christus Mediator quomodo prosit 66
Christi meminisse non est ociosa celebratio 112. p. 2.
in Conuersione concurrunt tres causæ, Verbum Dei,Spiritus sanctus, & Voluntas 167. & 419.p.2.& 311
Caro etiam in renatis horribiliter premitur maledictione legis 220. p.2
Captiuitas non dissoluit coniugia 342
Communicatio idiomatum fit in concreto, non in abstracto 346
Communicationis idiomatum fons est unio hypostatica 346. p. 2
Christus affuit patribus 348
Christus Deus & homo una latria adorandus. 348
Corpus hominis solum non est persona 350. p.2
Conscientia quid sit 352.p.2
Conscientiæ iudicium post delictum cur sit ibid.
Conuersio comprehendit dolores & consolationem 368
Conuersionis duas partes ponit Paulus, mortificationem & uiuificationem 368
Christum etiam nunc interpellare pro nobis testimonijs ostenditur contra Canisium 376.p.2
Cœna Domini habet uim absolutionis 368. p.2
Christus mortuus est,propositio quomodo intelligenda 386.p.2
Christum fuisse ante assumtam humanam naturam 385. p. 2
Christo tribuitur omnipotentia & inuocatio, igitur est natura Deus 385
Confessio autoris 389.p.2
Consecratio Papistica cur in primis taxanda 383
Consecratio & precatio quæ sit ad mensam differunt 382
Κατασχωιᾶμ 380
Colloquium Salomes & Christi apud Clementem 380. p.2
Ceremoniales leges quid sint 425

D.

Definitio Dei ā Platone tradita 150. & 306. p.2. & 395
Definitio Dei integra,quæ in Ecclesia traditur 150 & 350. & 395
Deum esse essentiam intelligentem 150. & 395
Deum esse essentiam æternam & omnipotentem. 150. p. 2.

De DEO sentiendum est, sicut se patefecit 151. p.2
Distinctio dominiorum sancitur lege Dei 17
Delictorum enumeratio impossibilis nec necessaria 33. p.2. & 41. & 49. & 324. p. 2
Doctrina impia fugienda, quod necesse sit seiungere se ab eis qui defendunt aliqua contra uerbum Dei, & exempla eorum qui se seiunxerunt 56
Decalogus requirit interiorem obedientiam 62
Disciplina non meretur remissionem peccatorum nec est iusticia coram Deo 62. & 125. & 309.
Disciplina si est iusticia coram Deo, tunc nihil interest inter iusticiam Christianam & philosophicam 62. & 310. p.2
Disciplinam ratio utcunq; potest efficere suis uiribus 62.p.2. & 310. p.2
Dilectione homines non merentur remissionem peccatorum 63. p.2
Dilectio Dei sine fide esse non potest ibid. & 67. p.2. & 68. & 85. p.2. & 215. p.2
Dilectio fidem sequitur, sed non est causa cur detur remissio peccatorum 67. p.2. & 316
Dilectionem Dei impossibile est diuellere à fide. 69
Dilectio cur non iustificet cum tamen sit impletio legis ibid. & 70
Dubitatio de remissione peccatorum est contumeliosa in Christum 69. & 89
Dilectionis uocabulo cur Christus sit usus 69. p.2
Dilectione si sumus iusti, necesse est ut totam legem seruemus ibid.
Dilectio nostra procul abest à perfectione 70
Dilectionem Paulus quare fidei & spei præferat. 72. p.2
Dicta de operibus quomodo accipienda 75. p.2
Dicta quæ concionantur de agenda pœnitentia, non debent detorqueri ad satisfactiones 91. p.2.
Desertio facultatum duplex 117. & 191
Dominia & possessiones, ordinationes ciuiles approbatæ uerbo Dei 117. p.2
Desertio facultatum non habet mandatum in scripturis ibid.
Disciplina & uera iusticia differunt 124. p.2
Disciplina similis folio fici 125
De Diuortijs damnandi adulteri & desertores, sed persona innocens pronuncianda est libera 138
Dei appellationem in Iohanne, quæ tribuitur filio Dei, significare proprie naturam diuinam, non metaphorice sicut in Psalmo, Ego dixi, dij estis. 154. p.2
De diuinitate Christi testimonia ex ueteri Testamento 155
Dicta de Filio quædam loquuntur de Essentia quædam de officio 156
Deus creaturæ adest, non ut stoicus Deus, sed ut agens liberrimum 160. p.2. & 165
Deum adesse naturæ creatæ, testimonijs ostenditur 160, & 405. p.2
Discrimen honestorum & turpium in mente non casu ortum 161. p.2.
Deus substantiam à se creatam seruat, non adiuuat peccatum 162, p.2. & 306. p.2
Deus seruat talem massam qualis nunc est 162
Diuina præuisio non affert necessitatem rebus. 163. p.2
Deus determinat aliter bona quæ uult, aliter mala quæ non uult 164. p.2
Disputatio de determinatione diuina, non miscenda quæstioni de libero arbitrio 165
Disciplinam etiam in non renatis præcipit Deus 166
Decalogi præcepta concionantur de integra obedientia 176
Discrimen utriusq; Tabulæ decalogi 178
Decalogi præceptorum omnium opera ad primum præceptum referenda sunt ibid.
Deus uerus est is, qui se patefecit misso Filio 178 p.2.
Disciplina præstanda propter quatuor causas, 187. p.2. & 196. & 311. p.2. & 369. & 417. p. 2.
Disciplinæ pars audire & discere Euangelium, per quod Spiritus sanctus est efficax 187. p.2
Defensio & ultio differunt 189. p.2
Desertio facultatum sine uocatione superstitiosa 191. p.2
Discrimen inter Patres & Xenophontem 194
Disciplina non est impletio Legis 196. & 370 & 418
Donum per gratiam donatio Spiritus sancti & uitæ æternæ 200. p.2. & 312
Dauid excussit fidem & Spiritū sanctum in adulterio 209. p.2
Dilectio maxima omnium uirtutum 216. p. 2
Decalogi promulgationem cur Deus uoluerit fieri illustri testimonio 222. p.2
Decalogi tabulæ quare collocatæ in arcam 223
Deum esse efficacem per ministeriū 228. & 234.
Donatistarum error nec Sacramenta nec Euangelium esse efficax si ministri mores sint uicioſi. 230. p.2
Deo non tribuenda προσωποληψία 420
Desertionis anni 342. p.2
Diuortia non facienda propter morbos 343
Dilectio Dei quid sit 351. p.2. & 353. p.2. & 216 p. 2
Defensio legitima quæ sit 354
Dolor & lætitia duo ultimi affectus 354. p.2
Dolor quid sit ibid.
Dominium quid sit 356
Diabolus unde dictus 358
Doctores in Ecclesia quid sint 358. p.2
Dauid & Achilles differunt 359. p.2
De dubitatione error taxandus 368. p.2
Deus nec uult peccata, nec impellit uoluntates ad peccandum 370
Dubitatio delet proprijssimam uocem Euangelij. 374
Debitum & necessarium quid significent 375. p. 2.

Deus efficax cum Sacramentis quæ ipſe inſtituit, & eo modo quo ipſe inſtituit 381.p.2
Deum alligare ad ullam rem eſt fabricare Idolum ibid.
Donum interpretationis quid uerè ſit in Eccleſia 395
Dicta aliqua loquuntur de regnante Chriſto, aliqua de humiliato 401
Deus liberè cum uoluit condidit mundum 405
Deum non eſſe cauſam peccati: propoſitio quomodo intelligenda 407. p.2
Determinatio diuina quomodo immutabilis. 409
ex Determinatione diuina tantum neceſſitas conſequentiæ ſequitur ibid.
Decalogi explicatio 426
Deus uult in Eccleſia agnoſci iram ſuam aduerſus peccatum 246
Deus uerè efficax in cœtu uocato ac uiſibili 158 p. 2.
Diabolus cumulat αὐτόματα & ἐκδόσια mala. 265
Diſſidiorum cauſæ ipſi qui ueritati aduerſantur. 299
Doctrina uera neceſſario proponenda ibid.
Dubitatio conſcientiæ impedit inuocationem. 300. p. 2
Decalogus norma omnium legum 335. p.2
Duo homines quare conditi ſint 336 p.2
Deus quare uelit à ſe peti bona 330
De ignoto non poteſt eſſe dolor Argumenti confutatio 322
Diſciplina nominatur litera 311.p.2
Deus eſt dilectio, quomodo intelligenda propoſitio 313.p.2
De uoluntate Dei ex uerbo ipſius iudicandum eſt 314. p.2
Diſſenſiones in articulo de iuſtificatione unde ortæ 195. p.2
Dubitationem aduerſariorum impiam eſſe teſtimonia 126.p.2
Dictorum de Filio aliqua loquuntur de regnante Chriſto, aliqua de humiliato 156.p.2
Diuortia quomodo recepta fuerint 341.p.2
Diuortia excepto adulterio prohibita ibid.
Diuortia non facienda ſine cognitione legitimorum iudicum ibid.
Deſertor quid ſit 342
Deſerta iniuſte perſona pronunciatur libera eſſe. ibid.
Deſertæ perſonæ coniugium non concedatur ſine iudicum cognitione ibid.
Deſertor non eſt qui abeſt officij cauſa ibid.
Diuortium propter adulterium non præſcribit innocenti perſonæ tempus, quando contrahere coniugium iterum debeat 342. p. 2

E.

Eccleſiæ doctrina duo monſtrat, quis ſit Deus, & quæ ſit uoluntas eius 149
Eccleſiaſticæ ordinationes 7
Eleemoſynæ neceſſariæ 17. p.2
Eccleſiæ unitas non conſiſtit in ſimilitudine traditionum 29.p.2. &.45.p.2
Epiſcopi an habeant ius inſtituendi ceremonias in Eccleſia 37
Eccleſia quid ſit 40.p.2. & ex dicto Pauli Epheſ. 5. fol.80.& 131.p.2, & 127.p.2. & 318.p.2. & 362
ſigna ueræ Eccleſiæ 40.p.2.& 80.& 231.p.2.& 318.p.2.& 354.& 362.p.2
Exercitia neceſſaria, ſed non cultus qui merentur remiſſionem peccatorum 51
Eccleſiaſticæ poteſtatis officium 55.p.2. & 118.p.2
Epiſcopi poteſtatem gladij quam habent, non habent ex mandato Euangelij 55.p.2 & 37
Eleemoſynę quę ſequuntur reconciliationem placent 76
Eleemoſynæ, & alia bona opera, liberant ā præſenti peccato & futuro ibid.
Euangelium mandatum quod iubet credere 77 p.2.
Eccleſiæ Hypocritas & malos eſſe admixtos, & membra Eccleſiæ ſecundum externam ſocietatem ſignorum Eccleſiæ 79. p.2. & 81
Eccleſia non eſt ſocietas externarum rerum aut rituum, ſed principaliter fidei & Spiritus ſancti 80
Eccleſiæ non cogendæ ut ante cognitionem promittant ſe Synodi decretis obtemperaturos eſſe 391.p.2
Eccleſia cur dicatur corpus Chriſti 80
Eccleſia catholica cur dicatur ibid.
Eccleſiæ definitio tantum debet pertinere ad eos qui ſunt uiuum corpus Chriſti & cur ibid.
Eccleſiæ uera membra non ſunt impij 80. p.2
Eccleſia quæ uerè eſt regnum Chriſti, eſt propriè congregatio Sanctorum ibid.
Eccleſia ſparſa per totum orbem terrarum. ibid.
Eccleſia columna ueritatis ibid.
Eccleſia habet promiſſionem, quod ſemper ſit habitura Spiritum ſanctum 81
Eccleſia propriè illa eſt quæ habet Spiritum ſanctum ibid.
Eccleſia aduerſarijs quid ſit ibid.
Euangelio nihil opus, ſi lex iuſtificat 88
Encratici ſimiles Monachis 97
Epiphanius de traditionibus quo fine ſeruandæ. ibid.
Epiſcopi non habent poteſtatem inſtituendi cultus tanquam iuſtificantes aut neceſſarios ad iuſtificationem 98.& 119
Exercitia uoluntaria cur ſuſcipienda 97. p.2
Euangelium non fert nouas leges de ſtatu ciuili 99
Euangelium non diſſipat politiam aut Oeconomiam 99.& 341
Euangelium prohibet uindictam priuatam 99
Euangelium non cogit ad coniugium hos qui uerè continere poſſunt 107

Euangelium cur abroget cultus Leuiticos 109. p. 2.
Euangelij prædicatio parit fidem in his qui recipiunt Euangelium 110
Euangelium non consulit discrimina uestitus, ciborum 115. p.2
Exempla iuxta regulam non contra scripturas interpretari conuenit 118
Episcopi habent ordinis & iurisdictionis potestatem 119.p.2
Episcopi regiam potestatem non habent ibid.
Episcopis quatenus liceat condere traditiones in Ecclesia ibid.
Ecclesiæ nostræ quæ scripta amplectantur 123
Essentia diuina unica 123. & 396
Esse & mansuram esse aliquam Ecclesiam 131. p. 2
Eutychis error 387.p.2
de Ecclesia non loquimur ut de Idea Platonica. 131.p.2
Ecclesiæ definitio unde sumta ibid.
Ecclesia non sunt qui aliam doctrinam proponunt. 132
Ecclesia non sunt aduersarij propter errores quos tradunt & tuentur contra Euangelium ibid.
Ecclesiam ostendit uox doctrinæ ibid.
Ecclesia qualis sit ibid.
Ecclesia alia ab imperijs politicis ibid.
Ecclesiæ Summus Sacerdos Filius Dei 132. p. 2.
Enumeratio delictorum non necessaria 136. & 250.& 367
Ecclesia sola retinet incorruptam ueritatem de coniugio 137. p.2
ἔποχὴ Philosophica remouenda ā doctrina Ecclesiæ 148.p.2
Essentiæ unius fit mentio cum opponitur creaturis 151
Ecclesiæ uiua membrà sunt, in quibus Spiritus sanctus accendit motus spirituales 166. p. 2.
Ecclesia arguit interiora mala, non tantum exteriores actiones 169.p.2
Electos & renatos posse amittere gratiam 175
Euangelium non prohibet publicam uindictam quæ fit per Magistratum 189
Euangelium non abolet ius naturæ 189.p.2
Euangelium nec præcipit nec consulit discedere ā facultatibus, si non eripiantur, nec in commune conferre 190
Euangelium approbat distinctionem dominiorum & proprietatem 190.p.2.& 287.p.2
Euangelij uocabula 193
Euangelium non habet annexam conditionem legis tanquam causam 193.p.2
Euangelij beneficia non pendent ex conditione impletæ legis ut certa sint ibid.
Euangelica promissio legalium dissimilis ibid.
Euangelij definitio ex dicto Christi Lucæ ultimo 194
Episcoporum sententiæ in Synodis confessio seu testificatio sunt &c. 391
Euangelij propria beneficia 194
Euangelium idem est ab initio mundi 194.p.2
Esaias de Christo & remissione peccatorum concionatur 195
Euangelium promissio uniuersalis 195. p.2
Euangelijū docet inuocationem in qua fides præluceat 201. p.2
Exclusiua GRATIS non excludit uirtutes ne adsint, sed excludit eas ā causa reconciliationis. 213
Ecclesia semper recepit lapsos 226.p.2
Ecclesiam esse quando cogitamus intueamur cœtum uocatorum 127
Ecclesia non est sine notícia aliqua promissionis de Christo 127. p.2
Ecclesiam necesse est retinere noticiam de Christo & ministerium 127.p.2.&.228
Ecclesia alligata ad uocem seu ministerium Euangelij 228
Ecclesia non alligata ad Episcopos & eorum collegia, & ad ordinariam successionem ibid.
Ecclesiæ membra non sunt ij, qui condemnant manifestam ueritatem Euangelij, & exercent sæuitiam ad stabiliendos manifestos errores. 228.p.2
Ecclesia audienda ut doctrix, sed fides & inuocatio nituntur uerbo Dei, non humana autoritate 229
Ecclesiæ discrimen & politiarum 229. p.2
Euangelium & Sacramenta efficacia propter promissionem Dei, non propter ministri personam 230.p.2
Euangelium esse signum monstrans Ecclesiam, testimonijs ostenditur 231. p.2. & 309. p.2
Extra Ecclesiam non est salus 237
Ecclesia cur sit subiecta cruci 254.& 265. p.2. & 326. & 332 p.2
Ecclesia non defendit doctrinam contrariam præcepto aliquo decalogi 379
Esse aliquam Ecclesiam in genere humano 257
Ex Euangelio iudicandum de Electione ibid.
Eliguntur propter Christum saluandi ibid.
Electionis & iustificationis causa eadem ibid.
Euangelio credere mandatum æternum et immutabile 257.p.2
Electionis causa misericordia in uoluntate Dei. 258
Electi sumus ideò quia efficimur membra Christi ibid.
de Electione ā posteriore iudicandum ibid.
Electi qui sint ibid.
Electi tantum in cœtu uocatorum 258. p.2. & 305.p.2. & 127
Eliguntur obtemperantes uocationi 258. p.2
Electionis effectus 259
Ecclesia usq; ad nouissimum diem habebit bonos & malos 260
Euangelium interpretatio Prophetarum ibid.
Euangelium non præcipit ut nostræ politiæ regantur legibus forensibus Moysi 290.p.2
Euangelium est ministerium Spiritus, non constituit certam corporalem politiam ibid.

Euangelium

Euangelium non obedire magistratus legitimi mandatis iudicat peccatum mortale esse 291
Euangelij doctor quid sit 292
Eligere priuatim exercitia liberum est cuique 298
Ecclesia non fert leges de ieiunijs ibid.
Exercitia non transformanda in cultus ibid.
Ecclesiasticæ potestati obediendum in ijs, quæ sunt propria ministerij iuxta Euangelium. 305
Ecclesiæ publici congressus necessarij ad retinendum ministerium Euangelij 305. p.2
Ecclesia uera retinet integram & incorruptam doctrinam Legis & Euangelij 306
Ecclesia uera qui cœtus sit ibid.
Ecclesia quomodo differat ab omnibus alijs sectis ibid.
Euangelij uox addenda legalibus dictis 315.p.2
Exclusiua quare retinenda sit 317. 201
Ad unitatem Ecclesiæ quæ necessaria 319
Enthusiastarum opinio, Deum non esse efficacem cogitatione uerbi scripti 321
ἐπιτίμια 325.& 378.p.2
εὐχαριστία cur uocatus publicus ritus Cœnæ Domini 328.p.2
Ecclesia punitur etiam propter actualia peccata. 332. p.2
Error personæ non fortunæ dissoluit coniugium. 340
Error de antea compressa ibid.
Exclusiua sola tollit opinionem meriti non uerbum aut sacramenta 65. p.2
Euangelium nos liberat ab immundicijs Leuiticis 106.p.2
Euangelij summa comprehenditur in uerbis Baptismi 152.p.2
Etiam electi labentes contra conscientiam, amittunt gratiam & effundunt Spiritum sanctum. 226. p.2
Ethnicam uxorem licet ducere,aut alioqui dissentientem ā religione 341
Ecclesia regnum Christi 348.p.2
Euangelium quid sit 351.& 439.p.2
ἐπιείκεια quid sit 355
Euangelium dulcis ἐπιείκεια ibid.
Emptio quid sit 356
Episcopus seu Pastor quid sit 358
Euangelista quid sit 358.p.2
ἕξις quid sit ibid.
Ecclesia est sancta κτ σωνεκδοχλὼ 162
Ecclesiæ uiua membra dicuntur sanctificati ibidem
Ecclesia uisibilis cœtus 362. p.2
Ecclesia Monarchia quoad caput Christum, aristocratia quoad ministros & auditores, ut honesta schola 363
Euangelium ideō prolatum, ut contra dubitationem nos confirmet 368. p.2
Ecclesia non tollit mortem corporis, nec pœnas. 369
Exclusiuam qui nō retinent delabuntur in synecdochen Origenicam 372.p.2
Essentia & relatio in filio Dei non differunt realiter 398
Essentia generatur, Essentia generat, an uerē dicatur ibid.

F.

Fides quid significet 22. p.2. 31.p.2. 125.p.2 251.p.2. 353. 42. 64.
Fide sumus iusti, Illa propositio correlatiuē intelligenda 22.p.2. & 43. & 126. & 197. & 199.p.2.& 202.213.& 313.p.2
Fides in usu Sacramentorum in adultis necessaria. 30.& 16.& 96.p.2. & 233. & 365.p.2
Fidei doctrina & gratuitæ remissionis retinenda propter perterrefactas conscientias 31
Fides affert ad Deum fiduciam promissionis & promissæ misericordię non fiduciam proprio-orum operum 63.p.2
Fides iustificans & iusticia legis differunt 64
Fidem et promissionem correlatiuē cōnectit Paulus ibid.
Fides tria obiecta comprehendit ibid.
Fidem significare fiduciam 197.p.2. 198. 199. 212. p.2. 313. & 64.
Fides quomodo contingat 65
Fide iustificamur:propositio cur defendenda ibi.
Fides non est initium iustificationis,aut præparatio ad iustificationem 65.p.2
Fides sola iustificat, quia sola apprehendit & sibi applicat beneficia Mediatoris 66.p.2
Fides formata sophisma aduersariorum 67.p.2
Fide simul accipitur Spiritus sanctus 368
Fide prius iusti reputamur quam diligimus. 67. p.2.
Fides non est otiosa noticia,sed opus Spiritus sancti,quo liberamur ā morte, quo erigūtur perterrefactæ mentes 68.& 373.p.2. & 127
Fidei cognitio cur necessaria 68.
Fides ostendit Christi officium ibid.
Fidə accipimus Christi beneficia ibid.
Furtum quid sit 356
Fides affert lætitiam non sua dignitate, sed alieno beneficio 70,p.2
Fortitudo quid sit 355
Fides uiuifica non res facilis, sed diuina potentia, 74. p.2
Fidem Iacobus intelligit quæ est sine operibus 74. p.2. & 215.
Fidei & iusticię subiecta differunt scholasticorum argumentum 76. p.2
Fidem esse iusticiam ibid.
Fides & spes differunt 76.p.2. & 214. & 314. & 251. p.2
Fidei definitio 197.p.2. & 200. & 323.p.2. & 312.p.2. & 216. p.2
Fides facit discrimen inter saluandos & damnandos 77
Fiducia misericordiæ promissæ propter Christum contra desperationem mentes muniuntur ibi.
Fides requiritur quoties de misericordia dicitur. 77. p.2.

Fides exiſtit in pœnitentia 77. p.2
Fides debet creſcere per omnem uitam ibid.
Fidem quare ſcriptura non nominet ſed tantum fructus 79
Fidem bona opera ſequi debent ibid.
Fundamentum Paulus quid uocet 80. p.2
Fides facit diſcrimen inter contritionem Iudæ & Petri 84.p.2
Fides altera pars pœnitentiæ 85.p.2
Fides paulatim creſcit & luctatur cum peccato. ibid.
Fidem ſequitur dilectio 85.p.2.& 88.p.2
Filialis timor quid ſit 85.p.2
Fides alitur ſententijs Euangelij & uſu Sacramentorum ibid.
Fides ſola uiuificat 86
Fide propria hominem conſequi remiſſionem peccatorum & non aliter 87
Fides quid ſit aduerſarijs ibid.
de Fide ſpeciali litigamus cum aduerſarijs,non de generali ibid.
Filius Dei deſtruit opera Diaboli merito & efficacia 374
Fides uera uincit terrores, & reddit pacatam conſcientiam 87.& 108. p. 2.& 68. & 70. p.2
Fidei rectè tribuitur quod iuſtificet & regeneret. 87.
Fidem eſſe partem pœnitentiæ 87.& 323
Fides accipit abſolutionem 87
Fide tantum accipitur remiſſio peccatorum 87 p. 2
de Fide ueterum teſtimonia 88
Fides ſtatuit quòd DEVS gratis nobis remittat. 89
Fides quæ operibus nititur eſt incerta ibid.
Fiducia in Chriſti interceſſionem collocanda 102. p.2
Fides & Spiritus ſanctus concipiuntur per Euangelium & Sacramenta 111. p.2
Fides non tantum hiſtoriæ notitia 125. p.2
Fide fit homo domicilium Dei 127
Filij Dei beneficia incoantur in nobis in hac uita 127.p.2
Fidem & opera uult Deus regi ſuo uerbo 128
Filius Dei cuſtos Eccleſiæ 128.p.2
Fide quilibet ſibi facit applicationem beneficij Chriſti 135. p.2
Fidei mentionem neceſſe eſt fieri in conuerſione, 136.p.2
Filij appellationes in ſcriptis Apoſtolicis 152
Filius cur imago patris nominetur 152.& 396 p.2.& 386
Filius cogitatione patris genitus 152.
Filius quare dicatur λόγος 152. & 396.p.2 & 307.& 329.p.2.&.386
Filius quare dicatur ſplendor gloriæ 125
Filius quare effigies ſubſtantię patris dicatur,ibid.
Filius Dei cur filius dicatur ibid.
Filij proprietas eſt genitum eſſe, imaginem eſſe,& aſſumſiſſe humanam naturam 125
Filius una perſona duabus naturis unitis 152.p.2
Filius Dei aſſumſit humanam naturam integram, incorruptam,habentem oēs uires & appetitiones naturæ proprias & ordinatas 156. p.2 & 442.p.2
Fidelitas requiritur in gubernatoribus 183
Fides pacem affert,ergo non eſt tantū notitia 198
Fidei obiectum primū & principale Deus reconciliatus iuxta promiſſionem ſeu promiſſio reconciliationis 198.p.2.& 232. & 317. & 363 p.2. & 374
Fides ſemper prælucet in petitione & expectatione corporalium bonorum 199.& 330.p.2
Fidei definitio in Epiſtola ad Hebræos teſtatur fide ſignificari fiduciam 199
Fidem fiduciam eſſe oſtenditur in ueris pauoribus. cum fide confugimus ad Mediatorem 199.p.2
Fide gratis nos conſequi remiſſionem peccatorum teſtimonia 202.& 323
Fides fons bonorum operum 204.p.2
Fides præcipuum bonum opus 205
Filius effundit Spiritum ſanctum in corda credentium 206
Fides in inuocatione duo præcipuè ſtatuat ibid.
Fides dupliciter exercetur in operibus 208
Fidem excuti per mala opera teſtimonijs oſtenditur 209
Fides non poteſt eſſe in his qui indulgent prauis cupiditatibus 209.p.2. 211.225.p.2. 65.69.
Fides ſine exercitio retineri non poteſt 210
Fides tripliciter exercetur in petitione bonorum corporalium 210
Fide nō ſumus iuſti, quia talis uirtus ſit in nobis 212.p.2.213
Fides eſt fiducia in uoluntate 214.p.2. 76.p.2
Fides aliud apud Paulū,aliud apud Iacobū 215
Fides inſtrumentis utitur, uerbo & ſacramentis, 243. p.2
Filij miſſio teſtimonium omnium maximum iræ Dei aduerſus peccatum 246
Fides facit diſcrimē inter timorem filialem & ſeruilem 247
Filius quid ſit 307.350.396.p.2
Filius Dei nos dupliciter liberat, merito & efficacia 334
Fides petit æterna bona ſine conditione 330
Fides quæ corporalia petit, petit ea cum conditione ibid.
Fide propter Chriſtum ſemper fit ſimul remiſſio culpæ & pœnæ æternæ 325.p 2
Fides uera quæ ſit ex dicto Bernhardi 323.p.2
Filius adeſt cogitationi uerbi ſcripti 321
Fides & uſus Sacramenti applicant promiſſionem ad ſingulos 319
Fides,id eſt,notitia hiſtoriæ & uera fides differunt obiectis & cauſa efficiente 313. 312.p.2
Fidei propria ex dicto Epheſios 3. 312.p.2
Fidei appellatione complectimur omnes articulos fidei ibid.
Fides fieret incerta,ſi uis Euangelij & Sacramentorum penderet ex dignitate miniſtri 230.p.2
Fide nihil opus eſt ſi Sacramenta ex opere operato merentur remiſſionem peccatorum 81

Fides & Spes nituntur filio Mediatore non nostris meritis 129. p. 2
Filium Deum esse, & ὁμοούσιον Patri 152. p.2
Filius Dei fuit ante creationem 153
Fides in petitione corporalium bonorum exercetur duabus circumstantijs tempore & modo 275
Filius ab initio Ecclesiæ est deprecator 348
Filius in quantum missus est Mediator & Sacerdos 348. p.2
Fides in cordibus accenditur per Spiritum sanctum 374. p.2
Fides in inuocatione Filij Dei nititur uerbo Dei, non decretis Symboli 392. p.2
Fidei primus articulus uera agnitio Dei 394
Filius cur dicatur χαρακτὴρ substantiæ & ἀπαύγασμα gloriæ 397
Filius est conditor, igitur non est tantum homo. 379. p.2
Filius uocatur sapientia Patris 401
Forenses leges quid sint 425

G.

Gratis exclusiua cur retinenda 22. p.2. & 124
Gratia quomodo amittatur 24
Gratitudo quid sit 13. p.2. & 331. & 354. p.2
Gubernationis socij grassantem tyrannum compescere debent 11. p.2
Gratia apud Paulum quid significet 22. p. 2. & 200. p. 2. & 213. p. 2. & 312
Gratis sola fide cur iustificemur 39. p.2
Gratuitum excludit nostra merita 64. & 126. & 201
Gratiæ Dei confidendum esse dictum scholasticorum 79
Gubernationem legitimam esse ā Deo 143
in Gubernatione politica lucent sapientia & iustitia Dei 143
Gubernatio politica alia ā remissione peccatorum 143. p.2.
Gratis particula discernit Legem ab Euangelio. 193. p.2. & 201. p.2
Gratis particula non excludit fidem, sed conditionem nostræ dignitatis, & transfert causam beneficij à nobis in Christum 193. p.2. & 202
de Gratuita remissione peccatorum sententiæ ex Psalmis & Prophetis 195
Gratia & donū per gratiam discernenda 200. p.2
Gratiæ uocabulum comprehendit in se particulam gratis 201
Gratiarum actionis formæ post usum Cœnæ Domini 240
Gubernatores salutares excitantur & iuuantur à Deo 183. p.2
Gratitudinem cur Deus uelit intelligi ab hominibus 331
Gradus in coniugio quid uocetur 337
Gradus in cognatione quomodo numerandi ibi.
Gradus tot sunt quot sunt personæ demto stipite ibid. (339
Graduum prohibitio alia iuris diuini, alia humani
Gignere quid sit 307
Gratiarum actionis formæ 281. 331. p.2
Gloria quid sit 351. p.2. & 355
Garrulitas quid sit 356. p.2
Gregorij Neocęsarienſis confessio 397. p. 2
Gregorij spectris confirmata opinio de purgatorio 378
ā Generatione filij remouenda temporis & moræ cogitatio 401.

H.

Honos in quarto Præcepto quæ complectatur 9. p.2. & 182. p.2. & 291 p.2. & 431. p.2.
Homo non potest se liberare ā peccato & morte æterna uiribus naturalibus 127. p.2. & 166
Homines nascentes ex uirili semine secum afferunt peccatum 171
Homo cur dicatur conditus ad imaginem Dei. 186
Hypostasis in definitione fidei, quæ est in Epistola ad Hebræos, significat expectationem 199
Hostiam hebræi peccatum seu delictum uocant 142
Honor Magistratui debitus complectitur etiam preces pro magistratibus 291. p.2
Homines non posse satisfacere legi Dei 311
Homo quomodo accipiat remissionem peccatorum 313
Hilasticon unicum sacrificium Christi 328
Homines qua re sint iusti coram Deo 39. p.2
Hominem retinentem propositum peccandi impossibile est placere Deo 225 p.2
Hypostatica unio in Christo & societas Dei in alijs Sanctis differunt. 346
Humilitas quid sit 355. p.2
Hominem iustificari gratis sola fide 373
Homo in creatione ornatus præcipuè tribus donis 408
Humana natura in Christo non habet rationem personæ 441

I.

Iustificatio & iustificari quid significet 22. p.2. & 43. p.2. & 65. p.2. & 126. & 196. p.2. & 311. p.2. & 312. & 317. & 76. p.2
Iustus in Euangelio quis sit 22. p.2
Iustitia carnis quid sit 311. p.2
Infantes esse baptizandos 25. & 83. & 135. & 319. p.2. & 320. & 237
Impatientia peccatum contra primum Præceptum
Iurare an liceat Christiano 5 (fol.2
Ignatius Christū nominat λόγον οὐσιώδη 385 p 2
Iuramentum continet duas res 5
Iustitia spiritualis quomodo efficiatur in nobis 42
Iustitia originalis quid sit 60. & 124. & 170. p.2 & 310. & 412
Imago Dei in homine quid complectatur 60. & 170. p.2. & 410. p.2
Iustitiam rationis tantū docent aduersarij 62. p.2
Integritas in homine in quibus rebus fuerit præcipue 410. p.2. (p.2 & 312
Iustitia fidei non est iustitia legis 63. p.2. & 311
Imputatio non est meritum 66. p.2
Iustificari homines gratis fide nō ex operib. ibid.

Inuocationes creaturarum prohibendæ ā Magistra tu 377
de Iustitia causæ loquuntur aliqua dicta,non de iu stitia personæ 70.p.2
Iacobus loquitur de operib.quę fidē sequūtur 74
Iacobus describit quales sint iusti 74.p.2
Iustificari in Iacobo quid significet 74.p.2 & 215. & 316. p.2
Iustitia fidei cum defenditur de quibus rebus pugnetur præcipuē 78.p.2.& 79
Iudas & Saul cur non sint consequuti gratiam. 84. p.2
Iudicare in dicto Pauli,Si nos iudicaremus, significat condemnare 93.p.2
Indulgētię olim quid fuerint 94.p.2.137.367.p.2
Iustitiā non mereri homines proprijs operib. 100
Iuris naturæ est coniunctio maris & fœminæ 105
Ius naturale ius diuinum est ibid.
Ius ducendi coniuges retinent omnes qui urun-
Iustitia est obedientia filij Dei 125 (tur 105.p.2
Iustitię & misericordię temperamentum conspici tur in uictima Christi 125
Iustificationis doctrina fit illustrior in uera cōuersione & quotidiana inuocatione piorum 126
de Iustificatione cū agimus nō addendæ sunt quę stiones de prędestinatione seu electiōe 127.p 2
Indulgentiarum applicatio commentitia 137
Inuocatio hominum mortuorum 141.p.2.& 280 & 304.p.2. & 377
Inuocatio gloria Dei proprijssima 141.p.2
Inuocatio uera summa uirtus est efficacissima con
Inuocatio sine fide irrita est 142 (solatio 141 p.2
Inuocatio intueatur unicū Mediatorem 142.377
Inuocatio quæ intuetur Mediatorem uera est & fit fide 142 (diatore 142. p.2
Inuocatione sanctorū obscuratur doctrina de Me-
Indignitati opponantur dicta de gratuita reconciliatione 371.p.2
Inuocatio hominum mortuorum nulla habet testimonia in scriptura 142.p.2
Inuocatio in scriptura expresse fit ad Filium 142.
Inuocationis formæ 142.p.2 (p.2.& 398.p.2
In inuocatione animi intueantur patefactiones di uinas 149.p.2. & 403. p.2
Inuocatio uera ā falsa differt præcipuē duabus rebus 149.p.2.& 201.p.2.& 272.& 308.et 394
Inuocatione mortuorum obscuratum testimonium de diuinitate Christi 367
Inuocandum esse Filium testimonia 153
Inuocationes quę fiunt ad id,quod non est Deus, sunt impiæ & damnatæ 376
Inuocatio absentis qui non conspicitur uisibiliter tribuit omnipotentiam 153
de Inuocatione mortuorum idem sentiendum quod de adoratione statuarum 376
Inuocatio ostendit Spiritum S. esse Deū 157. p.2
Iustitiam carnis fatetur Paulus esse etiam in non renatis 166
Iustitiæ originalis descriptio unde sumta sit 170.
Iuramentum pertinet ad Inuocationē 181 (p.2
Ius summū in causa teui non est satis iustum 184
Iustificari operibus quid significet 197
Iustificari fide quid significet 197
Inuocare in ueritate quid sit 381.p.2
Iustitia bonæ conscientiæ necessario sequi debet reconciliationem 204. & 211
de Iustificatione Monachi non aliter loquuntur cū philosophi,nec discernūt legē & Euangeliū 212
Iustitia piorum quibus rebus antecellat iustitiam pharisæorum 215.p.2 (dum uel locum 391
Interpretatio Episcoporum non ualet propter gra
Imago dei in homie quid fuerit ante lapsū 218 p 2
Iudicia Ecclesiæ & iudicia politica differunt 229
Interpretatio scripturæ unde sumenda 232
Interpretationis donum quid sit & unde sit 232
Infantes cum habeant peccatum non fiūt hæredes uitæ æternæ sine remissione peccati 237. p.2
In infantibus Deus efficax, quia uitam æternam oportet in hac uita incoari 238
Iustitia aliorum impetrat alijs bona, sed non applicat alijs nostra merita 243.p.2
In iustificatione nulla est applicatio sine fide propria 243.p.2
Inuocatio præcipuus cultus Dei & solius Ecclesię opus 249.p.2.& 271.p.2
Inuocationis gradus petitio & gratiarū actio 272
Intercessor unicus ā Patre constitutus 376. p.2
non est Inuocatio quæ dubitat an recipiaris 272
In inuocatione quinq; cogitanda 272, p. 2
Iustis debet bene esse. Ecclesia est iusta. Explicatio argumenti 276.p.2. & 332
Imperia non sunt ideo damnata,quia multa in eis mala accidunt 289
In imperijs discernantur res & personæ 291.p.2.et
Iusticiam quid uocarit Osiander 312 (336
Iusticiam sempiternam quid uocet Daniel 312
In iustificatione peccatoris primum cogitandum de remissione peccatorum 312
Iustificatio in nostris Ecclesijs quid differat ā Papistica doctrina 318
Infantes in Ecclesia Deus sanctificat spiritu S. 320
Iudicia in Ecclesia necessaria propter 4.causas 390
Inuocatio seu adoratio quid sit 329
In inuocatione sex cogitanda ibid.
Inuocatio sit directa ad Deum patefactū 329.p.2
In Inuocatioue uera fit aut crescit cōuersio seu pœnitentia ad Deum 330
Inuocatione aut tolluntur pœnæ aut mitigantur. 330.p.2 (um rerum 330.p.2
Inuocatio & fides exercenda petitione corporali-
In inuocatione cogitanda distinctio personarum 329.p.2
Illa sola res iustificat quæ reddit pacatas conscien-
Ius gentium quid uocetur 187 (tias 70
Inuocatio testimoniū diuinitatis Messiæ 142.153
Iuramenta illicita non sunt seruanda 5.p.2
Iustitia Christiana ex dicto Pauli Rom. 14. quid
Iustificatio fit per uerbum 65 (sit 50
Impositio manuum etiam inter sacramenta 95
Immunditia Leuitis erat consuetudo contra Le-
Iuge sacrificium quid sit 135.p.2 (gem 106.p.2
In infantibus an post baptismū sit peccatum 174
Ius naturæ concedit uim ui repellere, dictum explicatur 189.p.2

Interpre-

Interpretationis donũ in Ecclesia nõ potestas 232
Inuocatio directa ad Filium alloquitur personam
Iustitia uniuersalis quid sit 351.& 353 (348
Iustitia particularis 351
Iustitiæ definitio apud Clementem 353.& 312
Iuramentum quid sit 353.p.2
Ira quid sit 354.p.2
Incestum unde dicatur 355. p.2
Interesse quid sit 356.p.2
Idola defendentes, aut euertentes aliquem articulum fidei non retinent fundamentum 362.p.2 & 364
Iudices uel auditores in Ecclesia de dicti alicuius obscuritate certi sunt ex scriptis Propheticis & Apostolicis, Symbolis & probatis scriptoribus 392. p.2
Iudicia & exequutio in Ecclesia aliquo modo differunt ã ciuilibus iudicijs 391
Idioma quid sit 441. p.2

L.

Legis & Euangelij discrimen 22. & 193
Lex Dei integra & incorrupta nota ueræ Ecclesiæ 379
Liberum ārbitrium 30.p.2. & 42. & 99.p.2. & 127.p.2.& 165.p.2. & 204. & 310.p.2
Libidinum pœnæ 53.& 192.& 379. p.2.& 435
Leges pugnantes cum mandatis Dei nemini licet condere 56.p.2.& 130
Legem oportet in nobis incoari, id est, nouam obedientiam congruentem cum uoce diuina tradita in Decalogo 68
Lex non potest fieri sine Christo 68.& 71.& 76
Lex non potest fieri sine Spiritu sancto 68
Legis impletio nostra in hac uita accepta propter fidem 70
Legalia dicta explicanda per Euangelium 47. p.2.& 79. & 215.p.2
Legis prædicatio non sufficit in prædicatione pœnitentiæ 75
Legem Christus cur tam sæpè coniunxerit & Euangelium 75.p.2
Libertas in Deo fons contingentiæ 408
Libertas in hominibus adhuc reliqua fons contingentiæ ibid.
Libertatis usus in traditionibus ita moderandus, ne tamen imperiti offendantur 98.p.2
Libero arbitrio nõ sunt tribuenda spiritualia 100
Libero arbitrio tribuitur ciuilis iustitia: Spiritualis gubernationi Spiritus sancti in renatis. 100. & 163. p.2
Laica communicatio utriusq; partis 103.p.2
Laica communicatione Sacerdotes quando uti iubentur quid intelligatur 103. p.2
Λειτουργία quid proprie significet 113. & 328
Λειτουργίας uocabulum usurpatum in publicis ministerijs ciuilibus 113
Λειτουργία significat onera publica ibid.
Λειτουργία genus tributorum in commentario Demosthenis ibid.
Λειτουργίας ἔτυμον 113.p.2
Λογικὴ λατρεία pugnat cum opere operato 113 p.2.& 205. p.2
Lege non tollitur peccatum 125. & 187.p.2
Liberatio ã morte, conuersio, nouitas spiritualis, fiunt per Filium uiuificantem nos Spiritu sancto 127.p.2
Λόγος in Iohanne significare personam non qualitatem aut motum transeuntem 153.p.2
Λόγος in Iohanne significare personam dicta uetera 154
Libertas uoluntatis non impeditur sustentatione diuina 163.p.2
Libertas non tollitur promissionibus de auxilio diuino 164
Libertatem quæ adhuc reliqua est impediri duabus causis, ab infirmitate humana,& ã diabolo 166.& 168.p.2. & 369.p.2.& 418. & 422
Liberum arbitrium uocatur uoluntas cum intellectu coniuncta 411.& 417
Lex indicat peccatum in natura hominis non tollit 166 (167.p.2
Liberum arbitrium agit aliquid in conuersione de Libero arbitrio ueterum sententia, quod sit Facultas se applicandi ad gratiam 167.p.2
Liberum arbitrium in diabolo & hominibus differt 167.p.2
Libertas aliqua est in conuersis cum uoluntas adiuuatur ã Spiritu sancto 167.p.2 et 419.p.2
Lex præcipue ideo lata, ut extet iudicium Dei aduersus peccata 168.p.2
Lex possibilis quo ad externa opera ibid.
Lex impossibilis corruptæ naturæ 168.p.2.& 185
Lex Dei quomodo fiat per gratiam 168.p.2
Lex Dei quid sit 176. & 308.p.2. & 350.p.2. & 423
Lex continet præcepta & promissiones quibus addita est conditio impletæ legis 176
Leges humanæ & diuinæ in infinitum distant. 176.p.2
Leges humanæ tantum postulant externa opera
Legum tres species 177 (176.p.2
Legis Mosaicæ uniuersæ tres partes 177
Leges iudiciales & ceremoniales multæ, sunt morales 424.p.2 (tur 177
Leges morales sunt, quæ in Decalogo continen-
Lex admonet de præsenti miseria 177.p.2. 425
Lex admonet de reparatione generis humani 177 p. 2. (missione peccatorum 178
Legis uoci opponatur promissio de gratuita re-
Legis noticia testimonium quod ã Deo simus or-
Legis naturæ definitio 186.424.p.2 (ti 185.p 2
Legis notiçiæ manent etiam in hac deprauatione.
Lex naturæ prima agnoscere Deum 186 (186
Leges naturæ redactæ quælibet ad sua præcepta Decalogi 186.p.2
Legem naturæ quid uocent Philosophi 187
Legum naturæ consensus cum decalogo ibid.
Legis diuinæ usus 187.p.2.& 309.& 22
Lex ostendit peccatum 188 (ibid.
Lex debet perpetuo proponi & tradi in Ecclesia.
Lex renatis proponenda, ut doceat certa opera, in quibus Deus uult nos exercere obedientiam 188. p.2 (in dubitatione 193. p.2
Lex & promissiones legis relinquunt conscientias

Lex non docet gratis remitti peccata 194
Lex promittit uitam cum conditione integræ obe dientiæ 215.p.2. & 176.p.2
phraſes Legis loquuntur de iuſtitia tanquam de noſtra dignitate 217. p. 2
Lex noticia inſita in creatione 218. p.2
Legis & Euangelij prædicatio incoata in Paradiſo ibid. (220
Legis moralis uox & maledictiones cur reuelatæ.
Leges forenſes etſi nihil ad nos pertinent:tamen in genere admonent Deo placere uitam politicam 223.p.2
Libertas uolũtatis cum extenuatur, liberationem ab ira Dei,& ā morte æterna, & reſtitutionem uitæ & iuſtitiæ æternæ intueamur 418. p.2
Leges ethnicę in duab.rebus negligentes 223.p 2
Lapſus contra conſcientiam diſcernendi ab infirmitate & uicijs quæ hærent in Sanctis 226
Legis moralis uoce utendum ad arguendum pec-
Legẽ prædicandam eſſe 246.p.2 (cata 246. p.2
Litera Paulo quid ſignificet 263
Literā Origenes uocat ſenſum grāmaticũ 263 p.2
Legis & Euangelij doctrina non renaſcentibus tan tum litera 264
Legum politicarum diſſimilitudo nihil ad Eccleſiam 290. p.2
Libertas Chriſtiana quæ ſit,ex dicto,Si uos Filius liberauerit &c. 302. p.2
Libertas Chriſtiana non eſt politica libertas corporum ibid.
Libertas chriſtiana in hac uita incoata ibid. & 334
Libertatis Chriſtianæ quatuorgradus 334.& 302
Liberi ſunt Chriſtiani à peccato,ira Dei &c.ab eterna damnatione,à lege accuſante nos, & à conditione meriti 302
chriſtiana Libertas & politica differunt 302.p.2
Lex moralis non abrogata 303. & 309.
Lex Dei non mitigata ſine pœna 303. p. 2
Liberati Chriſtiani à maledictione legis non quoad obedientiam ibid.
Leges morales & forenſes diſcernendæ à morali. 308.p.2
Leges ceremoniales quæ proprie uocentur ibid.
Leges forenſes quæ ſint ibid.
Leges Moſaicæ abrogatio quomodo intelligen-
Leges Moſaicæ non iuſtificant 309 (da 309
Leges naturę cõprehenduntur in diuinis 424 p 2
Leges ceremoniales & forenſes cur extinctæ 109
Lex eſt poſita iniuſtis 309
Lex accuſat peccata & interiora & exteriora 309.
Legem quot modis Chriſtus impleat ibid. (p.2
Locomotiuæ rectionem cur Deus uoluerit eſſe reliquam 310.p. 2
Legis & Euangelij dicta diſcernenda 312
Lex eſt norma bonorum operum 317. p.2
Lapſi poſt baptiſmum recipiuntur 324
Legum politicarum uiolatio peccatum, traditionum humanarum non item 335
Leges poſitiuæ non pugnent cũ decalogo 335 p 2
Leges in Leuitico quæ prohibent commixtionem perſonarum, ſunt legis naturæ 337
Lex nõ iuſtificat donec nos accuſare poteſt 69 p 2
Liberum arbitrium nihil agere,refutatio 167.p 2
Lex noticia inſita in creatione 218. p.2
Leges & politiæ non debent pugnare cum lege naturæ 282. p.2
Liberi non cogendi ad coniugia
Libertas uoluntatis humanæ ante lapſum quid fuerit. 351
Libertas poſt lapſum quid ſit ibid.
Libertas uoluntatis in renatis quid ſit ibid.
Liberum arbitrium in Deo quid ſit 351.& 352 p 2
Lætitia quid ſit 354.p.2
Locatio quid ſit 356. p.2
Libertas ciuilis quid ſit 356.p.2
Libertas uoluntatis aliqua eſt etiam in non renatis 369 (370.p. 2
Libero arbitrio non tolluntur peccatum & mors
Labentes in ſcelera excutiunt Spiritum ſanctum & fidem,& fiunt rei æternæ pœnæ 374. p.2
Latro conuerſus in cruce habebat initia nouæ obedientiæ 375
Lex ideõ promulgata,quia noticiæ naturales ſunt obſcuriores 424.p.2
Latroni captiuum non neceſſe eſt obedire propter Deum 432
Libertatem regendę locomotiuæ quare Deus uoluerit reliquam eſſe 417.p.2. & 369
Lex teſtimonium quod & qualis ſit Deus 425
Lex teſtimonium ad quid ſit condita humana natura 425.p.2.& 177.p.2

M.

Magiſtratus debet punire periuria 5. p.2 (6.p.2
Machabæi Sabbatum non uiolarunt pugnando.
Magiſtratus officia 9.143.p.2. & 292.& 335.p.2 & 344 (tur 12. & 11
Magiſtratibus debita obedientia quid complecta-
Magiſtratui non obtemperantes contumaciter, Deum dupliciter offendunt 12 (ta 14
Miniſtris Euangelij obedientia & reuerentia debi-
Miniſtris Euangelij reuerentia debita quid complectatur 14.p.2.& 37.& 55.p.2
Mendacia aliqua non ſunt peccata mortalia 21
Miſſæ abuſus unde orti 46.p.2
Miſſam non ualere ex opere operato 46. p.2. & 108.p.2. & 240
Miſſa impie confertur ad liberandas animas mortuorum 46.p.2.& 113. p.2. & 114.& 134.p.2
Miſſa quare inſtituta 46.p.2
Mortificatio uera & non ſimulata carnis quid ſit 51. & 86. & 98.p.2. & 256. & 297.p.2
Matrimonium licet contrahere omnibus qui non ſunt idonei ad cœlibatum 54
Miſſio Filij ſit ab initio Eccleſiæ 347
Miſſio & obedientia non tollunt æqualitatem potentiæ ibid.
Miniſteriũ Euangelij quatenus uenerandũ 56 p 2
Mediator inutilis ſi diſciplina meretur remiſſionem peccatorum 62
Meritum congrui & condigni doctrina aduerſariorum 62.p.2
Miſericordia in Pſalmis nihil aliud quam gratuita remiſſio peccatorum 64

Mediator ſolus placat iram Dei 66
Mors fide in Chriſtum uincitur 92.p.2
Matrimonium non habet promiſſiones proprie ad nouum teſtamentum pertinentes 95
Miſſæ non abolentur 108
Miſſam unam communem & publicam rectè fieri ibid.
Miſſarum priuatarum non ſit mentio ante Gregorium ibid.
Miſſas auxerunt Monachi mendicantes propter quæſtum ibid.
Mactatio in lege ſignificabat & mortem & prædicationem Euangelij 110.p.2
Miſſa iuge ſacrificium cum prædicatione Euangelij, fide, inuocatione & gratiarum actione ibid.
Miſſarum cultus καλοζηλία politiæ Leuiticæ 111. p.2.
Miniſterium ſpiritus pugnat cum applicatione operis operati 112
Miniſterium Spiritus quid ſit ibid.
Miſſa à Patribus uocatur ſacrificium propter gratiarum actionem ibid.
Miſſæ uocabulum unde 113.& 328.p.2
Miſſæ uocabulum Deuteronomij 16. 113. p. 2
Mediator, Sacerdos, Rex, non intelligantur tantum de natura patiente & moriente: ſed de perſona placante, uictrice, exaudiente 347.p.2 & 348.p.2
Miſſa cur dicta ἀγάπη 113. p.2
Miſſa cur poſſit oblatio dici ibid.
Miſſa non eſt ſatisfactio, ſed promiſſio & ſacramentum requirens fidem 114
Monaſticam parem eſſe baptiſmo impiè dici 116
Monaſticas obſeruationes eſſe opera conſiliorum Euangelij falſum eſſe 116
Monaſticam mereri uitam æternam contumelia eſt in Chriſtum 116. p. 2
per Miniſterium Euangelij filius Dei ſemper efficax 125.p.2
ad Miniſterium Euangelij quæ pertineant 132.p.2
Miſſæ applicatio pro mortuis pugnat cum uerbis inſtitutionis 135
Magiſtratus, leges, & iudicia non exiſtere caſu. 143
Miniſterium cur inſtitutum 148.p.2
Mortis fuga an fuerit in Chriſto 156. p.2
Marcionis & Manichæorum doctrina 158. p. 2
Mens humana & lux menti inſita de Deo teſtimonium 161.p.2
Manichæorum furorum refutatio 167
Miniſterij Euangelici nullus uſus ſi expectanda eſſet infuſio qualitatum 167.p.2
Mortale peccatum regnans ſeu dominans 175. p.2.
Magiſtratus habet mandatum de legitima uindicta 184
Miniſtris iure diuino debetur obedientia in omnibus quæ præcipit Euangelium 229 p.2
Miniſtrorum infirmitates cum non accedunt crimina ferendæ 231
Miniſterium non mutatur etiamſi aliquorum mores ſunt uitioſi: ſed cum falſa doctrina defenditur mutatur ipſum miniſterium 231
Miniſterij pars interdum ut ſacramenti alicuius poſſidetur etiam ab his qui corrumpunt doctrinam ibid.
Manuum impoſitio de qua re nos commonefaciat 234. p.2
Manducatio non prodeſt ijs qui non agunt pœnitentiam ibid.
qui Manducent indignè 239.p.2
Manducatio ad quid profit ibid.
Miniſterium Euangelij & iudicium differunt 252
Mortis & calamitatum plurimarum generis humani principalis cauſa contumacia primorum parentum 264.p.2
Mala cumulantur erroribus & prauis cupiditatibus 265
Martyria teſtimonia doctrinæ, item teſtimonia de alia uita poſt hanc uitam 271. p.2
Magiſtratus politicus quid ſit 292. & 335. & 354
Magiſtratus utriuſq; Tabulæ cuſtos 292
ad Magiſtratus officium pertinet etiam emendatio Eccleſiarum 292.p.2
Magiſtratum profanum non eſſe iudicem controuerſiarum ibid.
Magiſtratui non licet facere contra ius diuinum. 293
Mortificatio loquitur de mandatis operibus 298
Mos gerendi ſigna reatus ſumtus à Patribus 325
Miſſam Papiſticam neceſſario taxari 328.p.2
Magiſtratus politicus habet poteſtatem condendi nouas leges tantum de ciuilibus negocijs 335. p. 2.
Magiſtratus non condat dogmata in Eccleſia ibi.
Munera propria regum 53
Miniſtri polluti manifeſtis criminibus excommunicandi ſunt uoce Euangelij 230.p.2
Miniſterium Iohannis & Apoſtolorum idem fuit, & effectus eoſdem habuit in credentibus 236
Miniſterio debetur obedientia quatenus eſt miniſterium 335
Mediatoris proprietates quæ ſint 348
Mediator non eſt mediator ſuijpſius, reſponſio 348. p.2
Miniſter Euangelij quid ſit 354
Manſuetudo quid ſit 354.p.2
Miſericordia quid ſit 355
Modeſtia quid ſit 355. p. 2
Mutuatio quid ſit 356
Mendacium quid ſit 356. p.2. & 437
Mendacium officioſum quid ſit ibid.
Maledicentia quid ſit ibid.
Malum naturale quid ſit 357. p.2
Malum morale quid ſit ibid.
Malum pœnæ quid ſit ibid.
Mors corporis uniuerſalis pœna primi peccati. 368. p. 2
Mediatoris officium duo continet 376. p.2
Magiſtratui non debetur obedientia cum præcipit ut faciamus contra mandatum Dei 433
Magiſtratus bonus ſeu mediocris quid ſit 432. p. 2.

Magiſtratui debetur obedientia propter conſcientiam 432
Malum in natura hominis nõ tantum reatum ſeu imputationẽ eſſe, ſed etiam uitium in hominibus teſtimonijs oſtenditur 412
Magiſtratus debet delere ſtatuas ad quas fit inuocatio 381. p.2
Magiſtratus debet blaſphemos & magos punire 377
Miracula quæ ſtabiliunt idola non ſunt recipienda 381
Mediator quare Deus & Homo 440

N.

Naſci & procedere quid differant 307. & 403
Naturæ in Chriſto unitę unione hypoſtatica 307 & 154.p.2
Naturarum in Chriſto una non eſt conuerſa in aliam 307
Noua obedientia quid nominetur ex dicto Pauli 323.p.2
Nouatianorum opinio de pœnitentia & refutatio 324
Nabot iuſtẽ potuiſſe recuſare uineam regi Achab 336.p.2
Noua obedientia neceſſaria 40. & 127.p.2
Nouum teſtamentũ habet ſacrificia cordis 110 p 2
Nazaræorum ritus quid fuerint 118
Neceſſaria cura uitandi lapſus 128
Natura diuina non patitur, Chriſtus eſt paſſus etc. reſponſio ad argumentum 155.p.2. & 400
Naturæ unius propria non impediunt quo minus adſit altera natura 155.p.2. & 400
Naturarum diſcrimen tenendum 156
Naturam non extitiſſe caſu demonſtrationes ſumtæ ex natura 161
Nihil priuatiuum & nihil negatiuum differunt. 163
Neceſſitas duplex, alia abſoluta, alia conſequentiæ 164. & 408
Neceſſitatem phyſicam doctrina Eccleſiæ uocat neceſſitatem conſequentiæ 164. p.2. & 408
Neceſſitatis opinio impedit inuocationẽ 164 p 2
Nihil peccatum eſſe niſi uoluntarium 173
Naturam hominis bonam eſſe quomodo intelligendum 173.& 414.p.2
Naturalia multa etiam in forenſibus & ceremonijs, quæ etiam ſunt perpetua 177
Nonum & decimum præceptum oſtendunt lege Dei non ſolum externa opera præcipi 185
Neſtorij error 345.p.2
Nouum teſtamentum quid ſit 220
Nouum teſtamentum in hac mortali uita incoatur 20.p.2
Noui teſtamenti deſcriptiones apud Prophetas 221
Noui teſtamenti propria bona ibid.
Noui teſtamenti deſcriptio apud Eſaiam 221.p.2
Nouum teſtamentum quare dicatur ibid. (376
Nouam obedientiam neceſſe eſt incoari 249.&
Naturarum proprietates in Filio diſcernantur ab officij appellationibus 347
Nomina officij competunt perſonæ 347
Natura humana ſola ſi mediatrix eſt & redemtrix, nulla eſt cauſa cur duæ naturæ in Chriſto unitæ ſint 349.p.2
Noticiæ quid ſint 353
Naturalia ſunt immutabilia, ſcilicet notitiæ artium & præceptorum 356
Noticia actualis quid ſit 358.p.2
Noticiæ habituales quid ſint ibid.
Nouæ obedientiæ incoatio fit in uera conuerſione 374 p 2
Noua obedientia habet præmia ſpiritualia & corporalia 375
Noua obedientia quomodo placeat 40. & 69. & 129.& 181.& 206.p.2.& 375
Nouum teſtamentum quare dicatur ęternum 383
Naturæ intelligentes cur ſint conditæ 404. p. 2
Neceſſe eſt hæreſes uenire neceſſitate conſequentiæ 408.p.2
Naturas duas eſſe in Chriſto, diuinam & humanam 385.& 441

O.

Obedientia filij Dei cauſa ſeu meritũ iuſtificatio-
Officij nomina competunt perſonæ 308 (nis 313
Obedientia interior ſine Spiritu ſancto non poteſt incoari 310.p.2
Opera quæ docenda & facienda ſunt 317. &23
Oblationem in ueteri Eccleſia quid uocarint 328. p.2.& 113.p.2
Opera ſecundi præcepti 4
Opera tertij præcepti 6.& 181.p.2
Officia perſonæ magiſtratuum debita 10
Opera quinti præcepti 15
Opera non poſſunt opponi iræ & iudicio Dei 36 & 54.p.2. & 66.& 88
Obedientia erga legem Dei neceſſaria in reconciliatis 43.p.2
Opera interiora diſcrimen faciunt inter pios & hypocritas 44
incoata Obedientia quomodo placeat ibid.
Opera bona quomodo fieri poſſint ibid.
Opera non reddunt pacatam conſcientiam 70 p 2 & 72
Opera noſtra immunda eſſe teſtimonijs oſtenditur, & indigere miſericordia 70. p.2
Opera ciuilia quæ fiunt ſine Chriſto non placent Deo 71.p.2
Opera cum prædicantur prædicantur propter fidem ibid.
Opera facienda propter mandatum Dei ibid.
Opera effectus regenerationis ibid.
Opera mereri remiſſionem peccatorum cur iſta opinio damnanda ut impia 72
Opera non damnantur ſed impia perſuaſio ibid.
Operum ubi fit mentio non aſſuantur opiniones impiæ 74
Operibus ut Sacramentis annectitur promiſſio remiſſionis peccatorum 75. p.2
Opera uerẽ ſunt meritoria præmiorum corporalium & ſpiritualium non uitæ æternæ 78.p.2
Opera in iuſtificatis quædam impletio legis ibid

Opera ualent uirtute paſſionis Chriſti dictũ ſcholaſticorum 79. p.2
nec Opera nec dilectio poſſunt eſſe propiciatio pro peccatis etiamſi adſunt 88
Ordo ſi de miniſterio intelligatur poteſt dici Sacramentum 95
Oratio uer ẽ poteſt dici Sacramentum 95.p.2
Oratio ſine fide non eſt oratio 101.p.2
Oblatio pro mortuis ſignificat orationem pro mortuis in Græco canone quæ non improbatur 114. p.2
Opera præcepta ã Deo facienda ſunt 128
Obedientia non eſt meritum condigni 129
Opera indebita non ſunt cultus 137
Opera ut ieiunia & ſimilia opera mereri remiſſionem peccatorum refutatur 130.p.2 (141. p.2
Omnipotentiam tribuere creaturis impietas eſt.
οὐσία & ὑπόσασις differunt 151.p.2.& 395.p.2
οὐσία una eſt & ſunt tres hypoſtaſes 151. p.2
Ordinem perpetuum in natura impoſſibile eſt caſu ortum eſſe 161
Opera Dei reliqua in homine diſcernenda ã per ſe uicioſis 173
Opera cæterorum præceptorum ita placent Deo, & ſunt cultus Dei, cum præcedunt opera primi præcepti 181.& 178.& 182.p.2
Obſeruatio ſeptimi diei abrogata 181.p.2
Opera Dei diſcernantur ã perſonis 183
Officia ſuperiorum quæ debeant eſſe 183. p.2
Officia inferiorum erga ſuperiores ibid.
Octauum præceptum munit iudicia & pacta 185
Opera Sanctorum Deo placere teſtimonijs oſten-
Omnia opera debent eſſe odor 209 (ditur 208
Ordinationem addendam Sacramentis 234
Oratio impetrat alijs bona ſed non ut preciũ 243
Opera ſine fide non merentur mitigationem 256
Orationis Dominicæ explicatio 278.p.2
Ordo politicus res bona 283
Officia politica cultus Dei in renatis 289. p.2
Officia politica quo fine præſtanda ſint ibid.
Oeconomicorum & politicorum laborum cauſæ & fines 290 (diati 295.p.2
Operum primæ & ſecundæ Tabulæ fines imme-
Opera ã Deo mandata & exercitia ã nobis electa differunt 298
Opera Dei præcipua, duo in hominibus 86.p.2
Omnes homines naſcentes ſecum afferunt peccatum originis 123.p.2
Oblationem in Miſſa non mereri remiſſionem pec catorum ex opere operato 241
Opera boni Principis 284. p.2
Opera legis quid 353
Odium quid ſit 354.p.2
Oblatio in Cœna non eſt inſtituta ſed ſumtio 366.& 379
Oblationem pro mortuis fingere manifeſta eſt Cœnæ profanatio 366.p.2
Oblationem uetuſtas dum nominat intelligit totam actionem ibid.
Ordinatio miniſtrorum in noſtris Eccleſijs iuſta eſt ibid.
Oſiandri error idem qui Pontificiorum 373
Officioſę diſſimulationes non ſunt mendacia 436 p. 2
Ordo politicus & perſonæ diſcernantur 431. p. 2
Omnes res ex nihilo creatas eſſe 405
Obſcuriorum locorum ſcripturæ in quibus uidetur eſſe ambiguitas, unde ſumenda explicatio 392

P.

Pater quid ſit 307. & 350. p. 2. & 396
Perſona & eſſentia, οὐσία & ὑπόσασις differunt 307
Præſentiæ Dei gradus quatuor 307.& 346.p.2
Præſentia uniuerſalis præſentia conſeruationis 307
Pœnitentiam oportet in renatis in hac uita creſcere 309. p.2
Peccatum quid ſit 310.& 170.& 123. p. 2.& 350. p.2. & 415. p.2
Peccatum originale 310. & 170. p.2. & 171. & 39.& 123.p.2. & 124
Peccatum actuale 310.& 174.p.2. & 415.p.2
Peccata regnantia in renatis error in fundamento & lapſus contra conſcientiam 310. & 223.& 225.p.2. & 416.p.2
Peccata uenialia 310.p.2. & 224.p.2. & 131
Pœnæ commonefactiones de diſcrimine honeſtorum & turpium 311.p.2
Prophetæ ſæpẽ utuntur phraſi legis, ubi tamen interpretatio ex Euangelio ſumenda eſt 316.p.2
Peccata ignorantiæ affectatę peccata mortalia 416 p. 2
Peccata quæ manent in Sanctis 317.p.2. & 207 & 211. & 130.p.2. & 374.p.2
omne Peccatũ remittitur agenti pœnitentiam 318
Pœnitentia quid ſit 321.p.2.& 85
Partes pœnitentiæ 321.p.2.& 244.& 25.p.2.& 30. & 85. & 41
Papiſtarum errores de contritione 322
Pauor ſine fide fremitus aduerſus Deum 322 p 2
Partes pœnitentiæ ut numerantur à Papiſtis 324
Pœnas Deus quare uelit conſpici 418 (p. 2
Publicam pœnitentiã quid olim nominarint 324
Promiſſio gratiæ & promiſſio rerum corporaliũ differunt 383
Publica pœnitentia exploratio an polluti ſceleribus antea, ſerio peterent ſe recipi 325
Pœna æterna ſenſus iræ Dei 325. p.2
Pœnæ temporales non ſunt compenſationes uitæ æternæ ibid.
Philoſophi cauſam mortis & morborum ponunt materiam 325.p.2. & 332
Pœnæ temporales aliud quam ſatisfactio 126 p 2
Pœnæ temporales nequaquam tolluntur poteſtate clauium 126.p.2.& 254
Precationis formæ 329.p.2.& 159.& 272.& 280
Promiſſionum diſtinctio conſideranda 330
Promiſſio gratiæ retinenda amiſſis omnibus bonis corporalibus 330.p.2
Politia Moyſi quare conſtituta 334.p.2
Prohibitiones ciborum humana autoritate conſtitutæ diſſimiles prohibitionum Moſaicarũ ibi.

Potestas politica habet duo mandata proponendi legem diuinam,& addendi ius positiuũ 335
Pœnæ ostendunt iudicium Dei 335. p. 2
Politici ordinis conseruatio testimonium de Deo, & prouidentia Dei, & præsentia Dei in genere humano 336
Præceptum non furtum facies obligat omnes homines 336. p.2
Prohibitiones graduum diuinæ expressæ Leuitici 18. 339
Prohibitiones diuinæ humana autoritate non soluuntur ibid.
Prohibitiones humanæ soluuntur interdum propter probabilem rationem 339.p.2
Purgatorij scriptores ueteres non meminerũt 378
Purgatorium extruere ex satisfactionibus uanissima fabula est 378. p.2
Personas diuinitatis tres esse ostẽditur testimonijs 150.p.2.& 152.p.2.& 159.& 306.p.2.& 395.
Personæ diuinitatis discernuntur quoties diuinitas intra se describitur 151.& 396
Persona quid significet 151.p.2
πρόσωπον pro hypostasi Græci dixerunt latina consuetudine ibid.
Personarum discrimen ibid.
Personæ tres sunt ὁμωούσιοι 151.p.2. & 152.p.2
Procedere est ā uoluntate 152. p.2
Propositiones de Filio receptæ in Ecclesia & reiectæ 156. & 440. & 387
Personas discernentia testimonia tenenda 158
Patefactionum testimonia coniungantur cum testimonijs de Deo in natura 160
Patefactionum testimonia cur edita ibid.
Peccatum,id est,incredulitas à nobis oritur non ā uoluntate Dei 167
Promissio uniuersalis 157.p.2.& 203.p.2 & 257.p.2.& 40. & 127. p.2
Peccatum originis non tantum imputatio,sed etiam in natura hominis caligo & prauitas 171. & 60
Peccare Hebraica phrasi significat reum esse 171
Peccati originis subiectum 172.p. 2 & 413.p 2
Peccati originis causa formalis 172 p 2
Peccati originis materiale ibid.
Peccati originis finalis causa 173 & 414
Pœnæ primi lapsus 173
Peccata uenialia & mortalia in reconciliatis discernuntur 174 p 2.& 223 p 2
Peccatum originis ubi sit 413
Peccatorum discrimen 211
Posteritatẽ ream esse propter lapsum Adę 411 p 2
Perfectio Euangelica in quibus rebus consistat 30 p.2.& 54.p. 2.& 99 & 116 p 2
Peccati causa diabolus & uolũtas humana 30 p 2 & 42. & 100
Potestas Ecclesiastica 36 p 2
Peccati pœna mors & aliæ calamitates 407
Potestas clauium seu potestas Ecclesiastica quid sit 36.p 2 & 55
Potestas Ecclesiastica non impedit politicam administrationem 36.p 2 & 55.p 2
Pelagianorum confutatio 42
Peccata mortalia qui admittũt nõ sunt iusti 44 p 2
Pœnæ peccatorum mitigantur bonis operibus 49 p 2 & 137.
Potestas clauium quomodo exerceatur 55
Pastores an habeant ius instituendi ceremonias 55 p 2
Peccati materiale concupiscentia 59 p 2
Peccatum originis quæ uicia secum trahat ibid.
Peccatum originis comprehendit ignorationem Dei 60
Peccatum originis quid sit definitio Anshelmi.
Peccatum nihil esse nisi uoluntarium, loquitur de ciuili iudicio 61 (ibid.
Promissio nõ habet conditionem meritorum nostrorum 63.p 2
Promissionem notam fuisse Patribus, & eius fiducia accepisse eos remissionem peccatorum ostenditur ex dictis 64.p.2
Primum caput Iohannis expositum 397
Personarum discrimina duplicia 403.p.2
Promissionem quod gratis propter Christum donetur remissio peccatorũ necesse est retineri 68
Promissio ideo data, quia nõ satisfacimus legi 70
Peccati reliquiæ in natura semper nos accusant. ibid. (re 71. p.2
Promissionem abolent qui negant fidem iustificare 72
Prophetæ cur in excelsis sacrificarint 73 p 2
Perfectionis uocabulum pro integritate 73 p 2
Præmia in hac uita quare differantur 78 p 2
Populus Dei dicebantur omnes Iudæi, quia propter promissionem de Christo,habebat & carnale semen promissionem rerum corporalium, ut regni &c. 80.p 2
Paschæ obseruatio 82 (83
Promissio non pertinet nisi ad infantes in Ecclesia
Peccatorum enumeratio non est necessaria iure diuino 85 p 2
Potestas clauium administrat & exhibet Euangelium per absolutionem 85.p 2
Pœnitentiæ duas partes ponit scriptura in conuersione impij, testimonia ibid.
Paulus ponit duas partes pœnitentiæ, mortificationem & uiuificationem 86
Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere 89
Pœnitentiæ fructus qui esse debeant 94
in Propiciatore duo concurrunt 101 p 2
Piaculum quid uocent Latini 109
Prophetæ damnant impiam opinionem de opere operato 109 p 2
Peccatum originis uetustas uno nomine appellauit concupiscentiam 413
Peccatum quando dominetur 175.p.2. & 226
Peccati dominantis appellatio unde sumta 175 p 2 & 226
Primum preceptum Decalogi de qua re prȩcipiat 178
Primum præceptum requirit perfectam obedientiam 178 p 2
Primum præceptum quomodo fiat 179
Primi præcepti opus est patientia in tolerandis afflictionibus ibid.

Peccata contra primum præceptum 179.p.2 & fol:1. p.2
Peccata contra ſecundum præceptum 181.& 4 p 2
Præceptorum ordo in ſecunda Tabula 182
Pœnæ quibus Magiſtratus afficit ſontes ſunt legitima uindicta 184
Promiſſiones & comminationes ad ſingula præcepta pertinent 185.p.2
Promiſſiones legis omnes conditionales ibid.
Principiorum noticiæ ibid.
Principiorũ diuiſio in ſpeculabilia & practica ibi.
Principia practica cur non ſint tam illuſtria ac noticiæ numerorum & reliqua ſpeculabilia prin-
Paupertas quomodo ferẽda 190 p 2 (cipia ibid.
Promiſſiones in ſcripturis duplices ſunt,quædam additæ legi,quędam Euangelij proprię 193 p 2
de Promiſſione gratuita ideo dicendum, ne conſcientiæ dubitent, ſed ut habeant firmam conſolationem 193. p 2 & 67 p 2
Prophetarum & Apoſtolorum interpretationes ualent propter manifeſta Dei teſtimonia
Promiſſio debet fide accipi 193 p 2 & 66
Promiſſio facta ad Adam in Paradiſo 194 p 2
Promiſſio facta ad Abraham ibid.
πίστευω uerbum græcis quid ſignificet 197 p 2
πίστις uocabulum quid ſignificet 198
Promiſſio inanis niſi aſſentiendũ eſt 198 & 63 p.2
Promiſſionis aſſenſus complectitur omnium articulorum noticiam 200
Prædeſtinationis quæſtiones ſeponendæ 203 p 2
Pij placent Deo etſi habent peccata 207
Peccatorum diſcrimen 211.& 130 p 2
Pœnitentia eſt neceſſaria,ſed non ut cauſa 213 p 2 & 39.p.2.& 368
Promiſſio reconciliationis nõ nota natura 218 p 2
Promiſſiones bonorum corporaliũ propter tres cauſas traditæ 222 (223
Propiciatorium tabula aurea quæ tegebat arcam
Peccatum mortale quid ſit in non renatis 224
Peccata uenialia & mortalia non differunt in non renatis,ſed tantum in renatis ibid.
Paulus diſcernit peccata eorum qui manent in gratia,& aliorũ qui effundunt gratiam 224 p 2
Peccatum mortale idem cum peccato dominante 226.p.2
Peccata mortalia ſunt etiam ignorantiæ affectatæ ibid.
Peccatum mortale habent omnes ἄθεοι, Turci,Iudæi &c. ibid.
Promiſſio ad quos pertinet, ad eoſdem pertinet etiam ſignum promiſſionis 237 p 2
Promiſſio gratiæ pertinet etiam ad infantes 237. & 320. & 83
Pœnitentia & fides requiritur in omnibus adultis baptizandis 238
Polluti manifeſtis delictis non admittendi ad communionem dum non emendant ſe 240 p 2
Pœnitentia idem quod conuerſio ad Deum 244
Peccatum aliquod irremiſſibile eſſe, ſed de eo tantum à poſteriore iudicandum eſt 245
Pœnitentia non eſt ubi non eſt dolor aliquis proptet peccata 246. p.2
Pars miniſterij neceſſaria arguere peccata ibid.
Peccatorum conſiderationis exemplum ſecũdum ordinem Decalogi 251
Peccata homines remittere nõ poſſunt, ſed tamen annunciare uerbum Dei & poſſunt & debent 252. p.2
Peccata manifeſta recitandi mos fuit in prima Eccleſia, ſed uetuſtas non mandauit ſingulis arcana recitare ibid.
Pœnæ temporales non ſunt compenſationes purgatorij aut mortis æternæ 254
Pœnę temporales mitigantur noſtra pœnitentia 254. p.2. & 94. & 369
Prędeſtinatio 256
Promiſſio gratuita eſt 257.p.2
de Prędeſtinatione cur dicendum 257
Paſtores habent mandatum excõmunicandi uerbo ſine ui corporali 260.p.2
Prophetę interdum non diſcernunt tempora huius & futurę uitę ibid.
Promiſſio Euangelij omnibus temporibus miniſterium Spiritus credentibus 264
Pędagogi officium ibid.
Patientia philoſophica & ea de qua loquitur Euangelium differunt 270.& 351.p.2
Patientia philoſophica quid ſit 270. & 353.p.2
Patientia in Euangelio quid 270.p.2
Petendę res diſcernantur 273. p. 2
in Petitione rerũ corporaliũ tria cõſideranda 274
Petenda res in precatione conſideranda 275.p.2
Petendę res quo ordine 276.p.2
Precari opus difficilimum 278
Politicus ordo à Deo inſtitutus 283.& 284.p.2
Pœnę cur comitentur atrocia ſcelera 284. p. 2
ad Principum officium pertinet cura literarum & ſcholarum 293.p.2
Peccata non remiſſa in uoluntate Dei aliqua mobilitate ſine cauſa 303.p.2
in Promiſſionibus legalib.quatuor obſeruanda 3
Prędmia corporalia cur proponantur 3. p.2
Politica opera fiunt cultus Dei cum referuntur ad gloriam Dei 8
Parentum officia 9
Promiſſiones & comminationes cur additę prędceptis Decalogi 12. p.2
Peccata contra quintum prędceptum 15
Prędſcriptione quę tenentur ea iuſtè tenentur 19 p 2
Precatio non eſt irrita etiamſi non ſubito tolluntur omnes pœnę 383.p.2
Prophetæ impiam opinionem damnant non ſacrificia 109.p.2
Peccati terrores & mortis uinci niſi fide non poſſunt 112.& 114
Promiſſio noui teſtamenti eſt promiſſio remiſſionis peccatorum 112.p.2
Panis qui conſecrabatur unde ſumtus in prima Eccleſia 113. p.2
Pœnarum purgatorij figmentum 114
Paupertas Euangelica quę ſit 117. p. 2
Poteſtas alia ordinis alia iurisdictionis 119. p.2
Perſona nõ eſt iuſta propter nouas qualitates 126
Prædmia 129.p 2

Promissiones bonis operibus cur additæ 130
Peccata omissionis affectatæ & ignorantiæ affectatæ excutiunt Spiritum sanctum & faciunt homines reos æternæ iræ 130.p.2
Promissio corporalium commonefactio de promissione gratiæ 383. p.2
Pœnæ æternæ tantum propter filium Dei remittuntur 137
Pœnæ æternæ & pœnæ huius uitæ differunt 137.
Promissiones legales additæ operibus in Sanctis non sunt irritæ 137
Potestas Ecclesiæ non punit ui corporali, carcere aut inedia: sed tantum pronunciat sententiam erga reos manifestorum scelerum 137. p. 2
Personarum discrimina in coniugio seruanda ibi.
Pelagiani damnandi 370
Promissiones corporales testimonia de præsentia Dei 384
Pro ægrotis precationes fiant 130
Pij cur discedere debeant ex sodalitijs Monachorum causæ recitantur 140.p.2
Pœnæ ostendunt discrimen uirtutum & uitiorum 143. p.2
Persona propter Christum recipitur, & propter eum placent bona opera 129.p.2
Politicus ordo ā Deo, etsi personæ non semper sunt excitaræ ā Deo 283. p. 2
Persona innocens in diuortio uerē libera 341.p.2
Persona condemnata puniatur ā magistratu 342
Promissiones ueteres manifestē comprehendunt utramq; naturam in Christo 347.p.2
Proprietas quid sit 356
Prophetæ in ueteri testamento quid fuerint 358
Peccata ignorantiæ differunt ā blasphemijs 363
Pontificum agmen non est catholica Ecclesia 363 p. 2
Promissiones corporales habent exceptionem castigationis & crucis 383.p.2
Peccatum quomodo possit esse in anima cum animæ immediatē à Deo creentur 413
Peccatum etiam est in ipsa anima 413.p.2
Publicarum pœnarum 4. causæ 434
Persona quid sit 306.p.2.& 350. & 395.p.2

R.

Regnum Christi quid sit 321.p.2. & 80
Remissio non pendet ex merito aut magnitudine doloris 322.p.2
Restitutio rei alienę necessaria, Satisfactio est restitutio, responsio ad argumentum 325
Remissio culpæ non diuellenda ā remissione pœnæ æternæ 325.p.2. & 367.p.2
Remissio culpæ distincta ā remissione pœnæ temporalis 325.p.2.& 253.p.2
Res prohibitæ à Deo non sunt petendæ 330.p.2
Ritus humani extra casum scandali possunt sine peccato omitti 335
Regum propria, tributa, uectigalia legitima, non facultates subditorum 336. p. 2
Ritus cur sint additi promissioni gratiæ 319. & 238. p.2
Renatos labi posse 310.& 244.& 416.p.2
Renatis in hac uita Deus adest separabiliter 307
Ritus utiles in Ecclesia, quorum finis est politicus 7.& 15.& 30.& 41.p.2
Ritus seruandi propter finem politicum non quod mereantur remissionem peccatorum coram Deo 7.p.2.& 57.p.2. & 140. & 304. & 305.p.2
Restitutionem necessariam esse 19
Ritus qui natura sua sunt medij non seruandi cum opinione cultus 56. p.2
Ritus non esse res necessarias 57
Remissio peccatorum non datur propter nostra opera 63
Regenerationis modus 65
Remissio peccatorum primum necessaria in iustificatione 65.p.2
Reconciliatio cum Deo quomodo fiat 66
Ratio humana tantum intuetur in legem 73
Renati sunt qui fidem habent 77.p.2
Rituum similitudo non necessaria ad unitatem Ecclesiæ 81.p.2.& 82.p.2
Ritus uniuersales propter tranquillitatem retinendi 81.p.2
Ritus in Ecclesia non sunt cultus necessarij 82
Ritus Apostolorum quo fine traditi & obseruandi ibid.
Reconciliari prius necesse est quam legem facimus 88. p. 2
Remissio si penderet ex cognitione fieret incerta. 89. p.2
Ritus ab hominibus instituti non sunt propriē dicta sacramenta 94.p.2
Regnum Christi & regna ciuilia differunt 99
Rationalis cultus quid significet 109. p.2
Remissionem peccatorum donari propter Christum, testimonia Patrum 126.p.2
Renatos oportet etiam interiorem obedientiam incoare 128
Renatos habere multum sordium 129
Renatos aliquos excutere Spiritū S.& rursus abijci à Deo,& fieri reos iræ Dei 130
Renati quando fiant rei iræ Dei 130. & 211
Reiectionis causa in nobis est 167.p.2
Renati quomodo liberati ā lege 188. p. 2
Rectē tenere res & rectē ferre paupertatem utrumque res magna 190.p.2
Remissionis causam qui in opera transfert dupliciter peccat 201
Regeneramur in reconciliatione ut noua obedientia in nobis incoētur 204
de Remissione statuendum est, non ex nostris habitibus, sed ex certa promissione Dei 214
Renatorum ingens infirmitas 224
Remissionis gratuitę per fidē testimonia 248 p 2
Ritus publicæ castigationis nequaquam improbandus 253
Remissio culpæ & mortis æternæ utrumq; beneficium gratuitum 253.p.2
Remissionem mortis æternæ si quis transfert in nostram compensationem, Christum contumelia afficit ibid.

Renato-

Renatorum uoluntatem adiuuantes cauſæ 256
Reprobationis cauſa peccatum 157. p. 2
Regnum Chriſti ſpirituale 259. p. 2
Regnum Chriſti quid ſit, aut quid ſignificetur cũ dicitur, regnum Chriſti eſſe ſpirituale 259. p. 2 & 354
Ritus ſeu Moſaicos ſeu humanarum traditionum non eſſe neceſſarios 295. p. 2
Ritus adiaphori in Eccleſijs emendatis ſeruandi quo fine 296. p. 2
Ritus inutiles abrijciendi 300. p. 2
Ritus qui ſine peccato fieri non poſſunt damnandi 305
Regnum Chriſti, hoc eſt, quod ipſe Spiritu ſuo uiuificat 80. p. 2
Rechabitæ 118
de Reſurrectione mortuorum teſtimonia 261
Recordatio quæ debet fieri in Cœna quid complectatur 366
Remiſſio uerè fit in omni conuerſione 378
Renatorum obedientia quomodo placeat 371
Regenerationis & renouationis nomina ſignificant aliquam mutationem in nobis ibid.
Regnans peccatũ diſcernatur à non regnante 375
Rituum ſimilitudo non neceſſaria in uera Eccleſia 362. p. 2
Renati quando rurſus ſecundum carnem uiuant 416. p. 2
Renatis poſſibile retinere dona 420
in Renatis materiale peccati manet tollitur forma
Renati adulti habent peccatum ibid. (le 415

S.

Spiritus ſanctus quid ſit 307. & 350. p. 2. & 401
Spiritus ſanctus tales motus in credentibus excitat qualis eſt ipſe 307. & 329. p. 2
Spiritus uocabulum quid ſignificet 307
Spiritus ſanctus quomodo mittatur ad homines 401. p. 2
Sacramentum in Eccleſia quid nominetur 319
Sacramenta diſcernunt Eccleſiam ab alijs gentibus 319. & 132. p. 2 (319
Sacramenta ſigna confirmantia fidem erga Deum
Sacramentorũ allegoriæ & ſignificationes 319. p. 2
Σπονδὰς quid uocarint 319. p. 2. & 327. p. 2
Singulos ſaluandos neceſſe eſt ciues fieri ueræ Eccleſiæ 318. p. 2
Stenckfeldij deliria 321
Satisfactionis nomen unde ſumtum ſit 325. & 49 & 90. & 136. p. 2. & 378. p. 2
Satisfactio canonica non eſt reſtitutio quæ ad contritionem pertinet 325. p. 2. & 378. p. 2
Spiritum ſanctum eſſe perſonam 401. p. 2
Satisfactionem canonicam quid nominarint 325. p. 2. & 90. & 253. p. 2
Sumtionis in Cœna fructus 327. & 112. p. 2. & 238. p. 2
Sacramenta teſtimonia applicationis 327
Spiritus & litera, ſpiritus ibi quid ſignificet 263
Sumtio fit ad confirmandam fidem 327
Sacramentum eſt uerbum uiſibile 327
Sumtio in publico congreſſu fiat 327. p. 2
Sacramenta & ſacrificia differunt 327. p. 2. & 109. & 241. p. 2.
Sacramenta quid ſint 327. p. 2. & 24. p. 2 & 109. & 232. p. 2. & 241. p. 2. & 365. p. 2
Sacrificia quid ſint 328. & 109. & 242
Sanctorum preces efficaces 130. p. 2
Sacrificiorum tres ſpecies fecit Oſiander 328
Sacrificiorum alia diſtinctio 328. & 109. & 242
Συναξις cur uocatus ritus Cœnæ Domini 328
Sacramenti rationem nihil habet extra uſum inſtitutum à Deo 328. p. 2. & 134. & 365. p. 2 & 378. p. 2
Superbia eſt nihil uelle communium ęrumnarum ferre 333
Sabbati præceptum an ſit abrogatum 6
Satisfactiones canonicæ cur improbandæ 26. p. 2 & 90. p. 2
Sacramenta cur principaliter ſint inſtituta 26 p 2 & 30. & 41. & 233
Sacramentis licet uti quæ à malis adminiſtrantur 29. p. 2. & 40. p. 2. & 79. p. 2. & 81. & 82. p. 2. & 230. p. 2
Sanctorum cultus qui debeat eſſe 31. p. 2. & 45
Sacramentorum utraq; ſpecies Laicis danda 32 & 47. p. 2. & 48
Sacramenta non ualent ex opere operato 41. & 95. p. 2
Sacramentum gratiæ Dei à nulla creatura poteſt inſtitui 382
Sanctos non eſſe inuocandos 45. & 377
Sanctorum mentio in Eccleſia facienda propter ſex cauſas 377. p. 2
Sumtio in Cœna quibus profit 47. p. 2
Satisfactiones obſcurant beneficia Chriſti 49. p. 2. & 255
Satisfactiones non neceſſariæ 49. & 90
Scandali ratio in ſuffocato habita eſt 57. p. 2
Secundam tabulam tantum intuentur aduerſarij primam negligunt 63
Superſtitio quid ſit 354
Sola fide nos conſequi remiſſionem peccatorum argumentis oſtenditur 65. p. 2
Statuas aut oſſa alloqui impium eſt 381
Spiritus ſanctus accipitur fide 68
Synecdoche uſitata in dictis ſcripturæ 69. p. 2. & 217. & 316. p. 2
Sancti etiam habent peccata 70. p. 2
Seditio quid ſit 354
Storge quid ſit 354. p. 2 (tia 77. p. 2
Spes uitæ æternæ non exiſtit niſi pacata conſcien-
Spem uitæ æternæ neceſſe eſt certam eſſe ibid.
Seruilis timor quid ſit 85. p. 2
Sacramenta ſigna noui teſtamenti ibid.
Satisfactio diſciplina Eccleſiaſtica fuit exempli cauſa conſtituta 94. & 367. p. 2
Satisfactionis uocabulum ſcriptores interdum transferunt ad ſignificandam ueram mortificationem 94
Satisfactio ciuilis neceſſaria eſt 49 & 137. & 253
Satisfactiones patres non dixerunt neceſſarias eſſe ad remiſſionem peccatorum 94
Soluere ſignificat remittere peccata 94. p. 2

Sacramenta signa uoluntatis Dei erga nos 94.p 2 & 112.p.2.& 132.p.2
Sacramenta tria tantum sunt 95.& 365.p.2
Sacerdotium intelligunt aduersarij de sacrificio 95
Sacrificium Christi satis fuit pro peccatis totius mundi ibid.
Sacerdotes uocantur nō ad noua aliqua sacrificia, sed ad docendum Euangelium & porrigenda sacramenta ibid.
Sacramenta non propriè dicuntur omnia ea quæ habent mandatum Dei 95. p.2
Sanctorum honos triplex 101
Sancti etsi orant pro Ecclesia,tamen non sunt inuocandi ibid.
Sanctorum inuocatio non habet testimonium in uerbo Dei 101.p.2
Sancti non sunt mediatores intercessionis ibid.
Sanctos aduersarij faciunt mediatores redemtionis ibid.
Sancti retinent libertatem regendæ locomotiuæ 370.p.2
Sanctis tribuunt aduersarij quæ propiciatoris sunt 101. p.2
Sacramentum institutū pro tota Ecclesia 103.p.2
Sacrificia propiciatoria in lege dicebantur propter significationem,non quod mererentur remissionem peccatorum coram Deo 109.& 134.p.2 & 242.p.2
Sacrificia propiciatoria merebantur, ne illi pro quib fiebant excluderentur ab ista politia 109
Sacrificiū propiciatorium unicū tantum in mundo mors Christi 109. & 134.p.2.& 242.p.2
Sacrificia propiciatoria debebant cessare post reuelatum Euangelium 109. p.2
Sacrificia εὐχαριστικὰ quæ sint 109.p.2.& 242.
Sacrificia εὐχαριστικὰ fiunt à reconciliatis 109 p 2 & 112. & 134. p.2
Sacrificia noui Testamenti sunt εὐχαριστικὰ 109. p.2.& 242.p.2
Spirituales hostias quid Petrus uocet 109. p.2
Spirituale quid significet ibid.
Sacrificia εὐχαριστικὰ ualent propter fidem 109. p.2. & 242.p.2
Spiritu adorare quid sit 109.p.2
Sacrificia docentium in nouo Testamento quæ sint 110
Sacrificij quotidiani partes tres,oblatio agni,libatio,& oblatio similę 110.p.2
Sacrificia Leuitica non merebantur remissionem peccatorum 111. p.2
Sacramenta duo continent, signum & uerbum. 112. p 2
Spiritus sanctus operatur per uerbum & sacramenta ibid.
Spiritus sanctus nouam obedientiam incoat 368
Sacramenti Cœnæ duplicem effectum ponunt patres 112. p.2
Sacerdotis operi tantundem tribuere quantum morti Christi horribilis oratio est 113.p.2
Synecdochæ aduersariorum in doctrina de iustificatione 127.& 202.p.2
Sancti debent repugnare prauitati hærenti in ipsis 131
Sacramenta ostendunt ad singulos pertinere beneficia Euangelij 132.p 2
Sacrificium Christi singulis sua fide applicari & non aliter cum audiunt Euangelium & sacramentis utuntur 134. p.2
Sacrificij & oblationis nomine uetus Ecclesia intelligit totam actionem ibid.
Spiritus sancti proprietas est procedere à Patre & Filio, & mitti in corda credentium 152. p.2
Specialis actio Dei quid uocetur ibid.
Spiritus sanctus non est Pater aut Filius, sed persona ibid.
Spiritus uocabulum in genere quid significet 137
Spiritus sæpè significat uentos ibid.
Spiritum sanctum esse personam ibid.
Spiritus sanctus quomodo discernatur à Patre & Filio 157.p.2
Spiritum sanctum Paulus discernit à donis creatis ibid.
Spiritum sanctum fuisse antequam carnem induit filius Dei ostenditur ibid.
eodem Spiritu sancto Prophetæ,Patres,Apostoli, & omnes pij sanctificati sunt ibid.
Spiritum sanctum fuisse ductorem & gubernatorem Moysi 158
de Spiritus sancti diuinitate dicta uetustatis 158.
Synodorum præcipuarum doctrina 158 p.2. (p.2
Substantia à Deo creata discernenda à peccato. 162. p.2
Stoicæ opiniones non inuehendæ in Ecclesiam. 164.p 2
Secūda causa non agit sine prima,explicatur ibi.
Spiritus sanctus non est efficax in contumacibus qui perseuerant in delictis contra conscientiam 166
Spiritus sanctus efficax per uocem Euangelij auditam 167 (otiosa ibid.
in Sanctis ingens lucta, igitur uoluntas non est
Spiritus sanctus sanat naturam: sed non subito totus morbus tollitur 172.p.2
Στοργαὶ discernendæ à prohibitis affectib.173 p 2
Spiritum sanctum effundunt ruentes contra conscientiam 175
Secundum præceptum Decalogi concionatur de externa professione 180 p.2
Septimum præceptum distinctio dominiorum. 184 p 2
Spiritus sancti donatio accedit ad remissionem peccatorum 200.p.2. & 205. p.2
Spiritus sanctus expellitur & conturbatur cū admittuntur peccata contra conscientiam 209
Spes quid sit 216.p.2. & 351.p.2. & 353.p.2
Spes differt à fide dupliciter 216. p.2
Spe iustificamur quare non dicatur 216.p 2
Sancti repugnare peccato quando dicantur 225
Sancti manent sancti donec in eis est fides & bona conscientia ibid.
Sententia in Ecclesia congruens cum uerbo Dei et confessione piorum sola ualet 229
Sacramenta habuit Ecclesia etiam ante diluuium, post diluuium fuerunt sacramenta Circumcisio,mactatio agni &c. 233

Septem ſacramenta numerare conſuetudo eſt non uetuſtiſſima 233
Sacramenti appellatiõ transferatur tantum ad eas ceremonias inſtitutas primum in prædicatione Chriſti 233. p.2
Spiritus ſanctus per baptiſmum datur infantibus, qui excitat nouos motus pro ipſorum modo 238
Sacramenti uſum non fugiant propter priores lapſus ñ qui agunt pœnitentiam 140.p.2
Spectaculum in quo panis circumfertur impium eſt 241
Sacramentum non conferendum ad bona corporis impetranda ibid.
Sacrificium propiciatorium quid ſit 242
Sacrificium nullum eſt quod mereatur remiſſionem peccatorum ex opere operato 242. p. 2.
Sacrificiñ eſſe, ut pro alijs applicetur falſum eſt. 243
Sacrificium propiciatorium tantum applicandum pro alijs 243
Sacramenta ſunt applicationes remiſſionis 252. p.2.
Satisfactiones amplificant traditiones humanas. 255
Spiritus & litera 262.p.2
Scandali uocabulum unde ſit 298.p.2
Scandalum quid ſit ibid.
Scandali correlatiuum eſt offenſio ibid.
Scandalum duplex, acceptum & datum ibid.
Scandalum datum quale ſit 299
Scandalum datum uerẽ eſt peccatum ibid.
Scandali dati primus autor fuit diabolus 300
Scandala doctrinæ plus nocent quam morum delicta ibid.
Sacramenta nemo adminiſtret niſi rite uocatus. 41. p. 2
Stipulas ædificare ſupra fundamentum quid ſit. 80.p.2
Spiritus ſancti donatio coniuncta cum remiſſione peccatorum 302
Spadones qui dicti 242.p.2
Spadones non fiunt coniuges ibid.
Sæuitia coniugis uidetur diuortium facere poſſe 343
Sponſalia quid uocentur 343. p.2
Sponſalia de futuro addita honeſta conditione irrita ſunt niſi conditioni ſit ſatisfactum ibid.
σωμαλικῶς in Paulo quid ſignificet 347
Summus ſacerdos quid ſit 347.p.2
Saluator cur non tantum ſit homo 349
Sapientia generaliter quid ſit 353
Superbia quid ſit 355
Sedulitas quid ſit 355. p.2
Scurrilitas quid ſit 356. p. 2
Seruitus ciuilis quid ſit 357
Satan unde dictus 358
Spiritus ſanctus tantum in illis eſſe dicitur, in quibus lucet notícia ueri Dei accenſa uerbo diuino, & fit inuocatio ueri Dei 359. p.2
Sancti poſſunt habere errores, ſed non euertentes fundamentum 362
Synodorum decreta cõtra articulos fidei taxanda. 364.p.2
Synodi non condunt nec abolent articulos fidei 364.p.2.& 390
Synodi in diudicatione dogmatum non habent regiam ſeu prætoriam poteſtatem 364. p.2
Synodi ſententia confeſſio piį cœtus ualens propter uerbum Dei ibid.
Synodus Syrmienſis mutauit uocabulum ὁμοούσιον in ὅμοιον ibid.
Synodos amplectimur cum Symbolis congruentes, Apoſtolico, Niceno & Athanaſiano 365
Synodus Nicena pia ibid.
Synodus Nicena iuſſit recipi lapſos contra Nouatianos ibid.
Synodi piæ, Conſtantinopolitana, Epheſina prior, Chalcedonenſis, Gangrenſis ibid.
Synodi impię, Syrmienſis, & celebrata in Arimino & Epheſina poſterior ibid.
Synodus Conſtantienſis unam partem Cœnę Domini populo ademit 365. p.2
Sententia uerborum hoc eſt corpus meum 366
Satisfactiones aduerſariorum falſi cultus 367
Stoici & Manichæi furores reįciantur 369. p.2
in Sanctis multa fiunt in quibus uoluntas ſe habet ut ſubiectum patiens 371
Sola fide & gratis idem ſignificant 373
Sancti non defendunt idola aut errorem contra fundamentum 374. p. 2
Sancti non ſunt ſcrutatores cordium 376
Symbola cur ſint condita 389.p.2
Symbola quid ſint ibid.
Symbolum Apoſtolicum uetuſtius Niceno 390
Synodi quid agant ibid.
Synodi ſententia congruens cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis probanda 391. p.2
in Synodis quando duo cœtus diſſentiunt, & uterq; pro ſe citat ſcripturas, unde ſumendum ſit iudicium, ut ſciatur utra pars erret 391. p. 2.
Symbolum Nicenum quid complectatur 394
στοργαὶ cur impreſſæ parentibus 396.p.2
Spiritus ſanctus apparet ſingulari ſpecie in Pentecoſte : igitur eſt perſona diſtincta à Patre & Filio 401.p.2
Spiritus ſanctus inuocatur in Baptiſmo cum Patre & Filio, eſt igitur Deus 402
Spiritum ſanctum fuiſſe antequam carnem induit filius Dei ibid.
Saul liberẽ non fatali aliqua neceſſitate ſe auertit à Deo 408
Stoica argumenta refutantur 409
Samaritani imago 413
Spiritus ſanctus datur ut fiat aſſenſio, & corda acquieſcant fide in Deo, & in eis accendantur uera dilectio Dei, timor, ſpes, & aliæ uirtutes. 419
Sabbati præceptum ceremoniale & morale 424. p. 2
Seruitus corporis diſcernenda ab ijs quæ iubent facere contra mandata Dei 433

T.

Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa 308.& 348. p. 2.
Timor seruilis & filialis differunt 322.p.2.& 352 & 353. p.2
Tentatio de indignitate 323.p.2
Traditiones seruandæ sine opinione cultus 335
Traditiones obscurant Euangelium 335 & 49 p 2
Tyrannus quid sit 336.& 432
Traditiones in Ecclesia quo fine debeant constitui 38.& 49.p.2.& 97. & 98.& 130
Traditiones esse necessarias, unde illa opinio orta sit in Ecclesia 38. p.2
Traditiones mereri remissionem peccatorum pernicioſa est opinio 49.p.2. & 97.p.2
Timor Dei quid sit 353.p.2
Traditiones necessarias esse carnificina conscientiarum 50. & 97.p.2.& 98.p.2.& 140
Traditiones impiæ abiiciendæ 50
Traditiones adiaphoræ nec sunt perfectio Christiana, nec merentur remissionem peccatorum 50. & 305
Traditiones possunt omitti extra casum scandali 50. p.2. & 57
Traditionum uerus usus monstratus non efficit ἀναρχίαν 50.p.2
in Tertio præcepto manet genus specie abrogata 57. p.2
Timor quid sit 352
Terrores ueri non patiuntur corpus indulgere uoluptatibus 91. p.2
Traditionum liberum usum oportet relinqui modo ut scandala uitentur 119.p.2
Θρόμβοι 156.p.2
Tertium mandatum continet præceptum de ceremoniis diuinitus traditis 181.p.2
Tertium præceptum duas partes continet, unam naturalem, alteram ceremonialem ibid.
Tertium præceptum præcipit conseruationem publici ministerii ibid.
Timor seruilis quid sit 247.p.2
Timor filialis quid sit ibid.
Testimonia contra tentationes de indignitate & particularitate 248. p.2
Trepidatio in Christo sine peccato 157
Timor & fides comprehendunt omnia opera primi præcepti 179
Tradere regnum patri quid significet 154
Temperamenta non possunt assumi adsuefactione 359. p. 2
Tyranni an armis sint reprimendi 433

V.

Vnionis personalis exemplum in homine 307. & 347
Virtutes quæ concurrunt in iustificatione non sunt causa seu merita iustificationis 313. & 126.
Vita æterna uocatur merces 316.p.2. & 78.p.2.& 217
Viuificatio quid sit 334. & 96
Vindicta quæ sit licita 15. p.2
Virtutes quinti præcepti 15. p.2
Vsuras non esse licitas 18.p.2
Vsuram non esse id quod interest 19
Vota quæ fiunt contra mandata Dei sunt irrita & impia 35.p.2. & 52
Vota debent esse de re possibili 35. p.2. & 54
Vota de cœlibatu quare impia 36.& 138
Vota & ritus non mandati non sunt cultus Dei. 380
Votum non tollit mandatum Dei 54.& 380
Vota ea irrita sunt quæ fiunt ante iustam ætatem etiam canonum testimonio 53.p.2
in Voto ius superioris excipitur 54
Vota rescindunt canones ante annum 15. facta 54
Velamen quo tecta fuit facies Moysi quid Paulus uocet 68.p.2
Vita æterna promissa iustificatis 77.p.2
Verbi & ritus idem effectus 95
Vota Monastica obligant ad manifestum cultum idolorum 380
Virginitas donum præstantius coniugio 106. p.2
Virginitas non ideo laudatur quod iustificet 106. p.2.& 192
Virginitas sine fide non est mundities 107. p. 2.
Verbum Sacramentis additum in nouo testamento, est promissio gratiæ 112.p.2
Vsus sacramenti Cœnæ principalis ibid.
Vota licita seruari debent, sed ne putentur esse merita remissionis peccatorum 115
Vota cum opinione meriti non licita 115. p.2
Vocationes aliquæ propriæ personarum non transferendæ ad omnes homines, ut Abraham ad mactandum filium 117.p.2
Viduarum exemplum ad Timotheum 5. non loquitur de uotis 118. p. 2
Virtutes incoatæ imperfectæ 126
Voluntas non est ociosa accepto Spiritu sancto. 128. p.2
Vita æterna simul merces est, etsi datur Gratis. 130
Vnctio extrema olim fuit medicatio 138.p.2. & 235.
Virtutes quas Deo tribuimus non sunt in eo accidentia 150.p.2
Vnitatis Dei testimonia 151
Vnionis uocabulo uetustas de Filio usa est 152
Verbum caro factum est intelligatur persona. 154.p.2
Valentinianorum portenta 159
Verba Hebræa actiua interdum significant permissionem 162. p.2
Voluntas Euæ immediata causa sui actus 165
Voluntas quantum uel quatenus obedire Legi Dei possit 165. p. 2
Voluntas humana potest suis uiribus sine renouatione aliquo modo externa opera Legis facere ibid.

Voluntas non potest Legi Dei satisfacere 166
Voluntas non potest sine Spiritu sancto efficere spirituales effectus quos Deus postulat, uidelicet uerum timorem Dei &c. 166. p.2
Voluntas captiua nō libera scilicet ad tollendam naturæ prauitatem & mortem 166.p.2. & 418.p.2
à Verbo ordiri oportet cogitantes de Deo 167
Voluntas in Ioseph non est ociosa 167. p.2
Voluntas adiuuante Spiritu sancto fit magis libera 168.p.2
Venialia peccata in reconciliatis quæ sint 174 p 2
Virtutes seu cultus primi præcepti 178. p.2
Veri usus nominis diuini qui sint 181
Virtutes primi Præcepti etiam ad duo sequentia pertinent 181.p.2
Virtutes sexti Præcepti 184.p.2
Virtutes septimi Præcepti 185
de Vindicta loci ubicunq; reperiuntur sunt præcepta 189
Vindicta duplex,alia magistratus,alia priuata 189 & 288
Vindicta priuata prohibita mandato Dei non consilio 189.& 434.& 99
Vindictam priuatam quare toties Christus prohibeat 189. p.2
Vetus testamentum quid sit 219
Vetus testamentum propriè dicitur constitutio politiæ Mosaicæ 219.p.2
Vetus testamentum cur nominetur ibid.
Veteris & Noui testamenti discrimen apud Paulum 220. p.2
Vectes et baculi in arca quid significarint 223 p 2
Verbum Dei est iudex controuersiarum & accedit confessio ueræ Ecclesiæ 228. p.2
Vnctio Pontificia reñcienda 235
Vox Dei præcipua in Ecclesia agite pœnitentiam 243.p.2
Voluntaria diligentia coërcendi carnem opus debitum 256
Vocati qui sint 258. p.2. & 305. p.2
Voluntas cum trahitur à Spiritu sancto potest obsequi & repugnare 351
Virtus in natura integra quid fuerit 351
Virtus in natura deprauata quid sit ibid.
Vera uirtus quid sit 353
Veritas duo significat 353.p.2
Veritatem Deus quare uelit intelligi ab hominibus ibid.
Vsura quid sit 356
Virtus quid sit in non renatis difficile est ostendere 359
Virtus quid sit in renatis facile ostendi potest ibi.
Voluntatis DEI consideratio à uerbo incoanda 368. p.2
Virtutum causæ in Dauide & Achille dissimiles sunt 370.p.2
Voluntas quatenus sanari cœpit comes est Spiritus sancti 371
Vniuersale mandatum, ut omnes credant Filio 372.p.2
Vita æterna renumeratio pro Sanctorum obedientia 375. p.2
Virtutes in renatis & heroica dona non renatorum differunt 359. p.2
Vnitas Ecclesiæ est consensus in fundamento 363.p.2
Vsus corporales ordinati & usus spirituales differunt 382
in Vsu rerum corporalium quæ consideranda. 382. p.2
Vsus rerum corporalium quomodo fiat sanctus 383
Voluntas in primis parentibus causa efficiens corruptionis uniuersæ naturæ in posteris 413. p. 2.
Voluntatem habere se aliquo modo actiue 414. p.2.
Voluntas etiam in non renatis potest serio honestas actiones aliquo modo uelle, sed sine timore Dei 417.p.2
Voluntas sine Spiritu sancto nequaquam efficere fidem aut dilectionem potest 418. p. 2
Voluntatis electio & euentus differunt 420.p.2
Voluntatem Dei esse,ut in politica uita uiuamus 431
Veritatem uult Deus ã nobis intelligi,ut sciamus ipsum ueracem esse 436. p.2

Z.

Zelus propter gloriam Dei non pugnat cum quinto præcepto 15. p.2
Zelus seu Nemesis quid sit 354.p.2

FINIS.

1508642 OCN 1394762518